Digitized by Google

XV
D
38.

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XV
D
38
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Gisberti Voetii

Theologiæ in Academ. Ultrajectina Profeſſoris.

POLITICÆ ECCLESIASTICÆ

PARS SECUNDA.

Quatuor Libris Adornata.



AMSTELODAMI,
Apud JOHANNEM JANSSONIUM à WAESBERGE,
& *Viduam* ELIZÆI WEYERSTRAET,
Anno cIↄ Iↄ c Lxix.

BIBLIOTECA NAZIONALE

Digitized by Google

Digitized by Google

Pietate, Eruditione, Prudentia Spectatiſſ.

ABRAHAMO ROEHOF	*verbi divini præconibus diſertiſſ. fideliſſ. in Eccleſiis*	Amſtelodamenſi.
NICOLAO VOET, *Filio meo unico nunc etiamnum per Dei gratiam ſuperſtiti*		Heuſdanâ.
JOHANNI GROEN		Swollanâ.
LAMBERTO GROEN, *Rever. & dilecti affinis mei* THEODORI GROEN *τȣ̃ μακαρίτȣ filiis*		Harlemenſi.

Præterea Præſtantiſſimis & Conſultiſſ.

JOHANNI VOET PAULO VOET van WINSSEN	Jureconſultis, ex filio meo *Paulo Voet* P. M. Juris, cum viveret, in hac Academiâ anteceſſore eximio, nepotibus dilectiſſ.

Hanc Secundam Politicæ Eccleſiaſticæ partem

Legendam, expendendam,

Do dico dedico, conſecroque

GISBERTUS VOETIUS.

INDEX MATERIARUM,

Quæ per ſingula capita tractantur.

PARTIS SECUNDÆ

LIBER PRIMUS, SECUNDUS, TERTIUS & QUARTUS.

LIBER PRIMUS

De Populo Eccleſiaſtico.

LIBRI I. TRACTATUS I.

Cap. 1. DE Populo Eccleſiaſtico in genere. Pag. 1

Cap. 2. De Populi Eccleſiaſtici affectionibus, quantitate, libertate, poteſtate, dignitate, æqualitate, obedientiâ. 14

Cap. 3. Tolluntur dubia, & objectiones contra æqualitatem & obedientiam membrorum Eccleſiæ. 31

Cap. 4. De Quæſtione hypotheticâ, An primi Remonſtrantes ἐυτάκτως ſe ſuaque ſubducere potuerint inſpectioni, curæ, judicio eccleſiaſtico; & exemtionem qualemcumque à Magiſtratu petere, eâque uti, frui. 55

LIBRI I. TRACT. II.

De iis, qui in Populo numerantur.

Cap. 1. NUmeratorum in populo per qualitates internas ſeu eccleſiaſticas diſtinctio. 85

Cap. 2. De Populi diviſione per qualitates extraneas & ſeculares. 86

Cap. 3. De iis, qui directè & per ſe in populo eccleſiaſtico non ſunt; ſed analogice, aut reductivè, aut per accidens. Et de oppoſitis. 88

LIB.

Digitized by Google

INDEX MATERIARUM.

LIB. I. TRACT. III.

De Confeſſoribus & Martyribus.

Cap. 1. *De Confeſſoribus.* 89

Cap. 2. *Solvuntur objectiones contra neceſſitatem confeſſionis fidei, & affines quæſtiones determinantur.* 96

Cap. 3. *De perſecutione & perſecutoribus.* 112

Cap. 4. *De Martyrio & Martyribus in genere.* 121

Cap. 5. *De variis Martyrum diſtinctionibus, & diviſionibus.* 126

* *Appendicula de hiſtoriis Martyrum.* 137

Cap. 6. *Continens varias quæſtiones theticas de Martyrio.* 139

Cap. 7. *Continens quæſtiones quaſdam hypotheticas de Martyribus.* 158

LIB. I. TRACT. IV.

Qui eſt de Mulieribus.

Cap. 1. *Quæſtiones circa Mulierum ſtatum & conditionem naturalem.* 179

Cap. 2. *De iis, quæ ad Mulierum ſtatum ſæcularem & politicum pertinent.* 198

Cap. 3. *Explicantur aliqua, ad Mulierum ſtatum ſpiritualem & eccleſiaſticum pertinentia.* 206

PARTIS II. LIBER II.

Qui eſt de Miniſtris & Miniſterio Eccleſiaſtico.

LIBRI II. TRACT. I.

De Miniſterii Neceſſitate, difficultate, &c.

Cap. 1. *De Miniſterii Neceſſitate.* 213

Cap. 2. *Reſpondetur objectionibus contra Miniſterii neceſſitatem.* 223

Cap. 3. *De Miniſterii eccleſiaſtici difficultate.* 232

Digitized by Google

Cap.4. *De Autoritate ſeu poteſtate Miniſterii.* 247
Cap.5. *Ad objectiones contra divinitus collatam autoritatem Miniſtrorum, ordine reſpondetur.* 253
Cap.6. *Quæſtiones aliquot circa Miniſterii autoritatem explicantur: quarum aliæ concernunt naturam & proprietates poteſtatis & autoritatis, in ſe; aliæ ejuſdem exercitium.* 263
Cap.7. *De Miniſterii dignitate.* 283
Cap.8. *Varii prætextus vilipendii Miniſterii & Miniſtrorum excutiuntur.* 293
Cap.9. *De conſtituendâ & conſervandâ Miniſterii dignitate.* 304
Cap.10. *De Miniſterii efficaciâ & potentiâ.* 336

LIB. II. TRACT. II.

De ſacrorum Miniſtrorum Generibus, ordinibus & Gradibus.

Cap.1. *De diviſione Miniſtrorum in ordinarios & extraordinarios; & de Miniſtris extraordinariis V. T. Patriarchis ac Prophetis.* 337
Cap.2. *De Miniſtris extraordinariis ſub N. T. & primum de Apoſtolis.* 351
Cap.3. *De N. T. Teſtamenti Euangeliſtis & Prophetis.* 364
Cap.4. *De extraordinario Miniſterio Iohannis Baptiſtæ.* 372

LIB. II. TRACT. III.

De Miniſtris ordinariis V. & N. T.

Cap.1. *De V. T. Miniſtris ordinariis.* 391
Cap.2. *De N. T. Miniſtris ordinariis, & de Paſtoribus ſeu concionatoribus.* 401
Cap.3. *De officiis Paſtorum negativè ſeu de fugiendis, hoc eſt, de non attentione ad ſeipſum & ad Eccleſiam.* 405
Cap.4. *De Senioribus & presbyteris gubernantibus.* 436
Cap.5. *Objectionibus contra ordinem Seniorum reſpondetur.* 462
Cap.6. *Ad problemata quadam de Senioribus reſpondetur.* 471

Digitized by Google

Cap 7. *De Doctoribus.* 479
Cap. 8. *De Diaconis.* 496

LIB. II. TRACT. IV.

De Sacri Miniſterii & Miniſtrorum Adjutoribus.

Cap. 1. *DE Diaconiſsis.* 508
Cap. 2. *De Ægrorum Viſitatoribus, Proponentibus, Catechiſtis, Lectoribus, Pracentoribus, Æditúis, Ianitoribus ſeu curſoribus.* 514
Cap. 3. *De Viſitatoribus, Examinatoribus, Deputatis ſeu Legatis, Correſpondentibus, Praſidibus, Aſſeſſoribus, Actuariis.* 527

PARTIS II. LIB. III.

De Vocatione Miniſtrorum.

LIBRI III. TRACTATUS I.

Cap. 1. *DE Vocatione internâ & de extraordinaria.* 529
Cap. 2. *De Vocatione ordinaria ſub V.T. & ſub N.T. & Vocandorum exploratione ſeu examine.* 535
Cap. 3. *De modo electionis Eccleſiaſtica.* 543
Cap. 4. *De electionis per ſuffragia, aut per ſortem executione.* 552
Cap. 5. *De quintuplici approbatione. 1. Populi. 2. Vicinorum Miniſtrorum, aut Claſsis. 3. Magiſtratus. 4. Miniſtri ſeu Electi. 5. Eccleſia, unde vocatur.* 560
Cap. 6, *De Vocatione in Eccleſiis reformatis, & primorum reformatorum.* 573

LIB. III. TRACT. II.

De oppoſitis Vocationis.

Cap. 1. *HIſtoria Iuris Patronatus.* 580
Cap. 2. *Improbatur Ius Patronatus.* 595
Cap. 3. *Diſtinctionibus & cautelis ad conſtitutionem ſtatus controverſia pramiſsis; Argumenta contra Ius Patronatus adducuntur.* 597.

Digitized by Google

Cap.4. *Argumenta ſpecialia ab abſurdo conſequenti, & ad hominem.* 613
Cap.5. *Conſenſus antiquorum de electionibus eccleſiaſticis.* 617
Cap.6. *Reſpondetur ad objectiones & exceptiones.* 622
Cap.7. *Reſpondetur ad quæſtiones aliquot particulares circa Iuris Patronatus uſurpationem.* 632
Cap.8. *De uſu Patronatus clericalis Patronorum ſive heterodoxorum ſive orthodoxorum.* 637
Cap.9. *Examinantur ea, quæ contra ſententiam & diatriben noſtram de Iure Patronatus, à quibuſdam adducta ſunt.* 644
Cap.10. *Oppoſita legitimæ vocationis ſunt. 1. circulatio & circumambulatio abſque ulla certa eccleſia vocatione. 2. Miniſterii deſertio. 3. ex Miniſterio violenta expulſio.* 660
* *Appendix.* 682
De Iure patronatus extract uyt ſekere Remonſtrantie. 683
Declaration des Egliſes Reformées de France, aſſemblées en Synode Nationael à privas. 693
Externa apparitio vocationis extraordinariæ in Davide Georgio. 695

LIB. III. TRACT. III.

De conditionibus in Miniſtro eligendo requiſitis.

Cap.1. DE *genuinis conditionibus ſeu requiſitis: ſcil. pietatis, orthodoxiæ, ingenii, eruditionis, eloquentiæ, prudentiæ.* 699
Cap.2. *De putatitiis eligendorum requiſitis, hoc eſt, requiſitis non-requiſitis, ſeu pſeudo-requiſitis.* 704
Cap.3. *De requiſitis & conditionibus quibuſdam, de quarum tolerantia quæritur.* 712

Digitized by Google

INDEX MATERIARUM.

LIB. III. TRACT. IV.

De Præparatione Vocandorum.

Cap. 1. *De præparatione Candidatorum ſeu Proponentium.* 728
Cap. 2. *De propinquâ præparatione in Academiis ſeu ſcholis majoribus.* 733
Cap. 3. *De remotâ præparatione in ſcholis trivialibus.* 737
* *Appendix 1. ad cap. 2. Tractatus de præparatione.* 747
* *Appendix 2. de peregrinatione.* 764

PARTIS II. LIB. IV.

De Hierarchia Romana.

LIBRI IV. TRACT. I.

De clericis Gubernantibus.

Cap. 1. *De Pontifice Maximo.* 779
* *Appendix.* 784
Compendio delle coſe piu principali, contenute nel ceremoniale di Gregorio XV. *de electione Romani Pontificis.* 785
Cap. 2. *De Cardinalibus.* 793
Cap. 3. *De Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Decanis.* 816
Cap. 4. *Brevis delineatio controverſiæ de Epiſcopatu.* 832
Cap. 5. *Continens diſquiſitionem de presbyterio & Epiſcopatu.* 850
Pars prima. 851
Pars altera. 159
Conſectaria. 869
Cap. 6. *De Eccleſiaſticis gubernantibus ſecundi ordinis, præpoſitis, Archidiaconis, Archipresbyteris, Vicariis, Conſiliariis.* 869
* *Appendix ad cap. 6.* 876

** LI-

Digitized by Google

INDEX MATERIARUM.

LIBRI IV. TRACT. II.

De Eccleſiaſticis Miniſtrantibus.

Cap. 1. *De Parochis, & Sacerdotibus.* 879
Cap. 2. *De Diaconis, Sub-diaconis, Acolythis, Exorciſtis, Lectoribus, Oſtiariis.* 885
* *Appendix ad caput 2.* 888
Cap. 3. *De Eccleſiaſticis miniſtrantibus, Canonicis, & Oeconomis.* 895
Typus Majeſtatis ac poteſtatis ſacri Monaſterii Caſinenſis. 897

LIB. IV. TRACT. III.

De Eccleſiaſticis Juvantibus.

Cap. 1. *De doctoribus Theologis.* 915
Cap. 2. *De Iuris Canonici Doctoribus & Profeſſoribus.* 918
Cap. 3. *De Prædicatore, Diſputatore, Catechiſta, Scholaſtico Eccleſiaſtico.* 923

LIB. IV. TRACT. IV.

De Eccleſiaſticis Supererogantibus.

SECT. I.

De Monachatu in genere.

Cap. 1. *De hypotheſibus & fundamentis Monachatus.* 925
Cap. 2. *De cauſis efficientibus, fundamentis & occaſionibus Monachatus.* 929
Cap. 3. *De exemplis Monachatus, quæ ex ſcripturâ & antiquitate producuntur.* 940

SECT.

Digitized by Google

SECT. II.

De Monachis in genere.

Cap. 1. *Generalis deſcriptio Monachi. Generali deſcriptione, & ſubjectis quæſtionibus, notitia Monachi exhibetur.* 950
Cap. 2. *Quæſtiones dogmaticæ & morales hypotheſes, & fundamentum Monachatus.* 964
Cap. 3. *Quæſtionum textualium circa hypotheſes & fundamentum, explicationes.* 976
Cap. 4. *Quæſtiones hiſtoricæ circa hypotheſes & fundamenta Monachatus.* 985
Cap. 5. *Primariæ diviſiones Monachorum, ex formâ, ſeu regulis, & ex ſubjecto.* 993
Cap. 6. *De Monachis in exceſſu, &c.* 997
Cap. 7. *De Monachis in defectu.* 1002
Cap. 8. *De Monachatu medio inter exceſſum & defectum.* 1004
Cap. 9. *Problemata aliquot de Regularibus, eorumque analogiis, nominatim Cloppis, explicantur.* 1012
Cap. 10. *De Religioſis ſeu Monachis Societatis Ieſu.* 1021

TRACT. IV. SECT. III.

De Analogis & affinibus Monachatûs, Confraternitatibus & Militibus ſacris.

Cap. 1. *De Confraternitatibus in genere.* 1034
Cap. 2. *De confraternitatibus Marianis.* 1048
Cap. 3. *Rationibus confraternitates impugnantur: & objectionibus atque exceptionibus refutatis, ad quæſtiones aliquot reſpondetur.* 1067
Cap. 4. *De ſacrâ militia Papatus, ſeu Religioſis Equitum Ordinibus in Eccleſiâ Romanâ.* 1080
Cap. 5. *De Iohannitis.* 1087

Digitized by Google

Cap.6. *Ad quæſtiones de militibus ſacris reſpondetur.* 1095
Cap.7. *De ordine Iohannitarum in Belgio Fœderato conſervando aut reſervando.* 1102
Cap.8. *Diluuntur rationes pro poſtulato poſtliminio Iohannitarum.* 1111
Cap.9. *Aliæ quædam objectiones, pro poſtliminio Iohannitarum in Belgio, refutantur.* 1118
Cap.10. *An ordo Equeſtris Iohannitarum ſit neutralis.* 1123
Cap.11. *Quæſtiones hypotheticæ ſeu Hiſtorico-Theologicæ.* 1125
Cap.12. *Quæſtiones inter Pontificios controverſæ.* 1128
* *Addenda.* 1129

FINIS.

PARS

Digitized by Google

PARS SECUNDA

Quæ eſt

DE PERSONIS.

SUPRA Part. 1. in Prolegomenis Politicæ Eccleſiaſticæ, tres partes conſtituimus: quarum 1. de rebus & agendis Eccleſiaſticis. 2. de Perſonis. 3. de Actionibus.

Primâ parte, quatuor libris abſolutâ; accedimus nunc cum Deo, ad ſecundam, quatuor itidem libris abſolvendam, quorum

1. De *Populo Eccleſiaſtico.*
2. De *Miniſtris & Miniſterio.*
3. De *Vocatione Miniſtrorum.*
4. De *Hierarchiâ Romanâ.*

PARTIS II. LIBER I.

DE

POPULO ECCLESIASTICO.

Liber primus in quatuor Tractatus diſpeſcitur: quorum

1. De *Populo Eccleſiaſtico in genere.*
2. De *iis, qui in populo numerantur.*
3. De *Confeſſoribus & Martyribus.*
4. De *Mulieribus:*

TRACT. I.

De Populo Eccleſiaſtico in genere.

CAP. I.

ECcleſiæ viſibilis & inſtitutæ naturam, affectiones, diviſiones 1. *part. lib.* 1. & ſeqq. expoſuimus: quæ hic præſupponimus. Tantum diviſio ſeu partitio eccleſię inſtitutæ, in anteceſſores, & in

A po-

populum repetenda. Dividitur eccleſia ſeu corpus eccleſiæ in duas partes integrantes, *Clerum* (uti communiter appellant) & *populum* ſeu *plebem*; quæ collectim Græco vocabulo λαὸς, & diſtributim *laici* appellantur. De *populo* hoc præſenti, de *clero* ſequenti libro agemus. Tractatus de populo eccleſiaſtico in genere, exponit. 1. ejus nomen & definitionem. 2. affectiones. 3. diviſionem.

§.1. *Populus* Gr. λαὸς, ut contra diſtinguitur *clero*, hoc eſt anteceſſoribus & miniſtris, aliquando ſynecdochicè nomine *Eccleſiæ* deſignatur 1 *Cor.* 11. 1 *Tim.* 3. & nomine τῶν κλήρων, hoc eſt, *hæreditatum* vel *ſortium* 1 Petr. 5. v. 3. Aliquando relatè ad ſuos anteceſſores & inſpectores, *filii* 1 Joh. 2. Metaphoricè *domus Dei* 1 Tim. 3. Dei ædificium, & agricultura 1 *Cor.* 3. Apud nos uſitato vocabulo *membra eccleſiæ*.

Definitur *populus quod ſit multitudo ſeu collectio omnium ſub ductu anteceſſorum ſuorum hic & nunc fidem profitentium & in cœtus coëuntium*: ſive uno in loco totus populus totaliter, ſive in pluribus locis per partes conveniant, ſive palam ſive clam.

§.2. Quæſtiones hic moveri poſſunt,

I. *Quæſt. An diſtinctio laicorum & clericorum, ſeu laicatus & clericatus, ſit proba & ſcripturaria? Reſp.*

1. *Concl.* Si rem ipſam conſideres: diſtinguit ſcriptura inter populum collective, & privatos quoſque fideles in illo populo, diſtributivè conſideratos; & inter anteceſſores ſive collegialiter, ſive ſingulos in illo collegio aut extra collegium, ſeorſim conſideratos. *Actor.* 20. *v.* 28. ubi dicit Epheſinos presbyteros ſeu epiſcopos, quos ad ſe evocaverat, (non populum, aut aliquos ex populo) eſſe conſtitutos ad paſcendam *Eccleſiam* & *gregem*, hoc eſt, populum Eccleſiæ Epheſinæ. *Philipp.* 1. *v.* 1. diſtinguitur populus Eccleſiæ Philippenſis (quem *ſanctos* appellat) ab Epiſcopis & Diaconis. 1 *Petr.* 5. *v.* 1. 2. diſtinguuntur presbyteri paſcentes & exemplaria gregis, ab ovibus, & grege Domini qui paſcuntur. *Apocal.* 1. & 2. diſtinguuntur Eccleſiæ, à ſtellis in manu Chriſti, & angelis iſtarum eccleſiarum, *Hebr.* 13. 17. diſtinguuntur fideles ſubjecti & obedientes, à præpoſitis, quibus obedire debebant. Et qui hanc diſtinctionem negaret, videretur cum hæreſi & factione Corah, Dathan, &c. ſymbolizare, dicente; *Quia omnis congregatio, ipſi ſancti ſunt, & in medio eorum eſt Dominus*, &c. Numer. 16. v. 3. Argumentis ergo illis, quibus infra *lib.* 2. probatur neceſſitas, poteſtas, &c. miniſterii, unà probatur diſtinctio anteceſſorum à populo eccleſiaſtico, & privatis quibuſque in illo populo fidelibus.

2. *Concl.* Si terminos *clerici* & *laici* conſideres, quibus diſtinctio illa anteceſſorum ſeu paſtorum, à populo ſeu grege exprimitur, controverſia aliqua

Digitized by Google

qua Pontificiis hic mota fuit. *Bellarminus lib.* 1. de membris eccleſiæ militantis *cap.* 1. hanc diſtinctionem & utrumque ejus membrum ex ſcripturâ & patribus probare conatur. Noſtri *Lutherus*, *Calvinus*, Antagoniſtę Bellarmini *Danæus* & *Ameſius**, aliique eam rejiciunt; ex ſenſu ſcil. Pontificiorum acceptam, & prout illi deſcribunt clericum & laicum, per ſuas cujuſque diſtinctas affectiones ſeu proprietates. Similiter hic faciunt, ac cum ex nominibus altaris, ſacerdotis, Papæ, monachi, meriti, &c. apud antiquos quoſdam ſcriptores occurrentibus, Papiſticum ſacrificium & ſacerdotem miſſaticum; & Papam, monachum, meritum Papiſticum in formâ, probare conantur. Quod ad ſcripturæ dicta, ab illo citata *Jerem.* 12. *v* 13. *Numer.* 16. *v.* 3. *Reſp.* 1. In textu Hebręo vox nulla occurrit, quę reſpondeat Gr. κλῆρος: *diſcant* hoc ex verſionibus *Pagnini* & *Ariæ Montani.* Nec vulgata tranſlatio eos juvare poteſt: quamvis habeat vocem *hæreditatis*: quia hæreditas illa dicitur de bonis externis & poſſeſſionibus Judæorum, quæ ipſis non proderant. Videant commentar. *Corn. à Lapide*; aut ſaltem ſemel modo textum inſpiciant. In loco *Numer.* vox *cleri* in verſionibus Gr. aut vulg. non comparet. *Reſp.* 2. Dato etiam, non conceſſo, locis ab illo cit. & vocem & rem haberi (uti nullo modo habentur), non tamen diſtinctio ipſorum inde probari poſſet, nec membra diſtinctionis oppoſita ἀντιδιῃρημένα. Siquidem populus à paſtoribus diſtinctus dicitur κλῆροι 1 *Petr.* 5. *v.* 3. Breviter probandum eſſet, ſolos paſtores cum excluſione populi, in ſcripturâ dici κλῆρον. Quod hactenus non factum.

Concl. 3. Quamvis autem ob ἀκυρολογίαν, & terminorum iſtorum uſum, nolimus contendere, modo ſenſum utentium norimus ſanum eſſe: præſtaret tamen abſtinere ab illis ἀχρείοις, ambiguis, & malè ſonantibus terminis; ne aliquâ ſpecie cum errore Papali ſymbolizare videamur. Si ſanus noſter ſenſus; etiam ſanas voces ſenſui noſtro exprimendo adhibeamus. Sunt autem voces non unæ, quibus anteceſſores & populus, diſtinctè in ſcripturis deſignantur. *Illi* dicuntur, ἡγούμενοι, προεστῶτες, *presbyteri*, *inſpectores* ſeu *Epiſcopi*, *miniſtri*, &c. *Iſte*, *eccleſia*, *grex*, *domus Dei*, &c. & diſtributim ſinguli *fideles*, *ſancti*, &c. Tertullianus in Apolog. cap. 49. *Præſident probati quique ſeniores.* Quod ad nos, uti à vocibus *ſacerdotis*, *ſacrificii*, *meriti*, &c. ſic etiam à vocibus *clerici* & *laici* abſtinemus: juxta regulam, *vox ſit uſitata, propria, diſtincta, perſpicua.* Interim diffiteri nolumus, quin omnes, ut in patribus leguntur, ſint exponibiles: ut loquar cum ſcholaſticorum parvis logicalibus. Sed quid opus eſt fieri per plura, quod fieri poteſt, per pauciora, & abſque ſpecie aut occaſione mali. Ubi exſtirpatum eſt abominandum miſſæ ſacrificium, non opus eſt cœnam Domini appellare *miſſam*, paſtorem eccleſiæ *ſacerdotem*, menſam *altare.* Ubi obtinet juſtificatio & juris vitæ ac-

acquiſito per gratiam Dei & meritum Chriſti fide apprehenſum; non opus eſt, vocem *meriti noſtri* adhuc tinnire? Nec putemus, nos hâc abundanti cautelâ noſtrâ, nimium ἀκριβολογεῖν, cogitemus Deum voce *Bahal* (quæ *maritum & Dominum* ſignificat) antehâc neutrâ, & ſcripturæ uſitatâ *Jeſa 54 v. 5.* nolle amplius compellari; quod ea communi uſu *idolis* jam appropriata eſſet. *Hoſea 2 v. 18.* Et quis hodiè in Republicâ Regem aut Principem appellaret *tyrannum*, & politicam poteſtatem aut politiam, *tyrannidem?*

Hæc ita diſtinctè monere volui, *tum* ut Papiſtas non judicet aut pronuntiet reformatos in Angliâ, qui jam inde à ſtabilitâ ſub Regno Elizabethæ reformatione, terminos illos cleri ſeu *clerici & laici* uſurpârunt: *tum* ut oſtendam noſtros in Galliâ, Belgio, &c. ab iiſdem conſultò & non ſine ratione abſtinere. Præſertim cum apud noſtrates contemtum quendam ſapere videatur appellatio *laici* Belgicè **Leecken**, oppoſita appellationi *ſpiritualis* Belgicè, **Geeſtelijcken**: ita ut non alium, quam idiotam, ignorantem, carnalem, mundanum, cœcâ & carbonariâ fide, clericis ſeu ſpiritualibus ſubjectum, atque iis inferiorem; uti corpus animâ, terra cœlo, caro ſpiritu, humana divinis. Quo faciebant allegoricæ illæ interpretationes *Job. 1. v. 13.* & aſinæ paſcebantur juxta illas. Et *Pſal. 8. v. 7.* de Papæ ſubjectis ovibus, & bobus, & pecoribus campi, hoc eſt, laicis.

II. *Quæſt. An monachi in Papatu ſint clerici, an laici & in plebe Eccleſiaſticâ numerandi? Reſp.* Nicolaus le Maiſtre Doctor & ſocius Sorbonicus in tract. titulo *Inſtauratio antiqui Epiſcoporum principatus*, &c. anno 1636. edito, contra Jeſuitas, ſub nomine *Lommelii* cujuſdam, pro propoſitionibus Hybernicis à Sorbonâ condemnatis contendentes, *lib.* 1. operosè hoc agit, ut monachos deprimat, & à clericatu atque hierarchiâ eccleſiaſticâ excludat. Idem agit *Fr. Hallier tract.* mox infra citanda. Sed cum ex monachis Veteris Teſtamenti, & antiquis Novi Teſtamenti probationem ducat, & fateatur per mera indulta Epiſcoporum, ac Papæ eoſdem multa nunc poſſidere, quæ mero laicatui non competunt, quin & *libr. cit. cap.* XI. explicet, quâ ratione priores monachi cum hodiernis conſentiant aut diſſentiant: non video, quomodo ex hypotheſi hodiernæ theologię & praxios Papalis ab omni clericatu excluſiſſimi haberi, & ad merum laicatum detrudi poſſint. *Immanuel Rodericus in collectione privilegiorum Apoſtolicorum* regularibus conceſſorum, ultimæ edit. Antwerpienſis anno 1623. apud Belleros in fol., *Johannes Crux* ordinis prædicatorum in *Epitomâ de ſtatu religionis & privilegiis*, anno 1628. Venetiis in 8. *Imm. Rodericus* in vaſto volumine de Regularibus, anno 1616. edit. ult. *Barthol. Miranda in Manuali prælatorum regularium* anno 1616. eccleſiaſticum regimen & juriſdictionem in ſubditos, ipſis competere, & quidem volente ac ordinante

nante Papâ (qui eſt eccleſia Romano-catholica *virtualiter*, juxta *Bellarminum*) ; ut nunc amplius antiquum illud dici non poſſit : *Quid monachus extra cellam? quod piſcis extra aquam.* Eccleſias habent regulares, audiunt confeſſiones, ſacramenta adminiſtrant, prælati & ſuperiores eorum habent deciſionem caſuum ſibi reſervatorum ex præſcripto Juris Canonici novi, ad ſacerdotia, curas paſtorales, epiſcopatus, archiepiſcopatus, & prælaturas ſupra parochias laicales, & ſupra omnes iſtius epiſcopatus clericos ſæculares tum majores tum minores; etiam ad Cardinalatus, immo & monarchiam Papalem (exemplo ſit Sixtus V. ex ordine mendicantium Franciſcanorum) promoventur. Quamvis autem in Concilio Tridentino, epiſcopalem poteſtatem inſtaurare & exaltare ſategerint; efficere tamen non potuerunt, ut Monachorum ordines in ſuis generalibus ſe repræſentantibus non habuerint jus ſuffragiorum juxta cum epiſcopis. Et vel hoc ſolum à mero laicatu & plebanatu eos eximit : ſiquidem laicos conciliorum univerſalium nullam partem facere, conſtanti Romanæ theologiæ & praxios ſententiâ judicatum & præjudicatum eſt. Vide *Bellarmin. lib. 1. de Conciliis cap. 15.* De primis Aſcetis, & monachis κοινοβίοις, dici poſſe fatemur, quod fuerint laici, hoc eſt, de numero privatorum fidelium in corpore eccleſiaſtico, non publici anteceſſores, ἡγούμενοι, miniſtri : non tamen de omnibus qui ſæculo quinto & ſeqq. κοινόβιοι & monachi appellati & ſub inſpectione epiſcoporum viventes, ad presbyterii gradum promoti erant, & eâ qualitate ſacris miniſteriis peragendis adhibiti. Quales poſtea in canonicos irregulares (uti vocant) hoc eſt, abſque communi vitâ, abſque regulâ ſeorſim viventes, & in collegia ac capitula, nunc ſic dicta, canonicorum, ut & eccleſias eorum in eccleſias collegiatas, transformari contigit. Non eſt ergo de nihilo, quod *Poſſevinus* in bibliotheca ſelectâ, ubi recenſet eccleſiaſticos ſeu clericos, etiam hodiernos monachos iis accenſet, titulo *Eccleſiaſticorum ſupererogantium.* Et quamvis libri ſub nominibus *Loemelii*, *Smithai*, *Danielis à Jeſu*, *Rudiſindi*, contra Sorboniſtarum determinationem ſcripti, altius forte intonent (uti fieri ſolet in fervore contentionis) : efficere tamen non potuerunt Sorbonici hyperaſpiſtæ *Nicol. le Maiſtre*, & *Franciſcus Hallier*, ut hodierni regulares conformiter ſententiæ Papatus & Papæ à clericatu & hierarchiâ penitus excluſi dicantur : non magis quam *Eccleſiaſtici adjuvantes* (*Poſſevino* ita appellante), quales ſacerdotes, parochi ſeu curiones, profeſſores theologi : quos ab eccleſiaſticis ſeu *clericis gubernantibus* (ſic dictis) exſertè diſtinguit. Et certè Jeſuitas, qui Regum & Principum confeſſarios & concionatores agunt, qui integras Academias, aut facultates theologicas Moguntiæ, Treviris, Herbipoli, Leodii, Muſſiponti, &c. occupârunt, qui ad Cardinalatus eminentiam in Toleto,

Bellarmino, *De Lugo*, evecti ſunt, excludere nequeunt, excogitatis diſtinctionibus, apud *Franciſcum Hallier*, in *defenſione eccleſiaſticæ hierarchiæ*, ſeu vindiciis cenſuræ facultatis theolog. Pariſienſis anno 1632. ubi *lib.* 4. *cap.* 1. *pag.* 372. diſtinguit, monachos ad hierarchiam eccleſiaſticam pertinere; prout hierarchia pro eccleſia univerſa ſumitur, & collectionem ac ordinem perſonarum dicit tam agentium quam patientium, tam ſuperiorum quam inferiorum: ſed eoſdem non pertinere, prout hierarchia alio ſenſu ſumitur, in quo laicis ad eam non patet aditus. Hoc tantundem eſt ac ſi theſin ſuam repeteret, dicendo ſunt laici, & non pertinent ad ordinem clericatus; & ut nulli laici, nulli ex plebe in hierarchiâ eſſe dicendi ſunt, ſic nec monachi. „*pag.* 380. ait, propriè tantum clericos, nec omnes forſan, „ſed ſolos qui juriſdictione polleant, hierarchicos eſſe, ſeu in hierar„chiâ propriè dictâ contineri: laicos vero & patientes ſolum ab eâ longè „removeri, &c.

Idem *Hallier lib.* & *cap. cit.* ultimum refugium quærit in diſtinctione: quod non habeat clericatum, religio ſeu monachatus, ſeu quâ monachi & regulares. *Reſp.* Quid tum? modo habeant. Quaſi quis epiſcoporum in Germaniâ principatum negaret, eo quod non habeant principatum, quâ Epiſcopi; & quaſi Cardinales non eſſent Principes Illuſtriſſ. Eminentiſſimi: quia non habent eam poteſtatem ac dignitatem ſupra omnes patriarchas, archiepiſcopos, epiſcopos, &c. nec habebant illam primi illi presbyteri Cardinales Eccleſiæ Romanæ. Sed fruſtra diſtinctiones illæ adhibentur, & effugium quæritur: quia quæſtio eſt, non de monachis quales in primâ origine & poſtea ſæculis aliquot fuerunt, ſed de hodiernis in Papatu ut nunc ſunt. Nec quæritur unde habeant illa, quæ eos conſtituunt extra ſtatum laicatus, & in ſtatu clericatus. Diviſio enim Eccleſiæ Romanæ, juxta omnes Canoniſtas & Theologos (apud *Lælium Zecchum de Republicâ Eccleſiaſtica pag.* 4. & *Iſidorum Moſconium de Majeſtate Eccleſiæ militantis lib.* 2. *part.* 1. *cap.* 1.) eſt in clericos ſcil. ſeu eccleſiaſticos; & in laicos ſeu plebem. Hæc eſſe quaſi duo hominis latera, vel quaſi duas hominis partes eſſentiales, ait *Moſconius loc. cit.* Jam vero ſicuti tertium latus hominis, aut tertia pars eſſentialis non datur: ſic nec tertia pars eccleſiæ, quod ſit medium quid inter clericum & laicum; medium, inquam, ſive participationis ſive negationis extremorum. Jam vero monachos ſeu regulares clericis, ſpiritualibus, eccleſiaſticis, ſacris perſonis, apud citatos modo autores accenſentur; non laicis, qui ſunt tanquam corpus, cum monachi cum aliis clericis ſint tanquam anima. Et vel ſola deſcriptio Abbatum, Priorum, Guardianorum, Abbatiſſarum, apud cit. autores, convincit Sorbonicos defenſores. Dignitas eorum, exemtio, poteſtas tam regiminis quam juriſdictio-

nis

is eccleſiaſticæ ſeu ſpiritualis, non tantum ſupra monachos ſuos, capel-
is & eccleſias regulares, ſed etiam ſupra eccleſias & clericos ſæculares: ut
on videam quomodo prælati regulares ab epiſcopis ſeu prælatis ſęculari-
us eſſentialiter aut ſpecificè diſtingui poſſint; prę ſertim abbatibus, quibus
itra, pedum paſtorale aliaque epiſcopatus inſignia conceſſa ſunt.

Sed excipias, quidquid præter monachatum & regulam poteſtatis ha-
ent, eſt ipſis à Papis collatum. *Reſp.* Et quidquid epiſcopi poteſtatis eccle-
aſticæ epiſcopalis habent, eſt ipſis à Papis impartitum & collatum. Un-
e etiam ſcribunt, ſe *Dei & Apoſtolicæ ſedis gratia epiſcopos.*

Deinde, dato cauſam externam efficientem ſcil. reique originem ſeu mo-
um originis variare, hoc non infert eſſentialem aut ſpecificam rei differen-
am. Ita determinant philoſophi de muribus ex muribus, & ex putri ma-
riâ genitis. Nos addimus Adamum, Evam, Chriſtum ſecundum huma-
am naturam, omnes alios homines, à parentibus productos, eſſe ejuſdem
eciei: quamvis modus originis variet. Et vinum in Canâ Galileæ, *Joh.* 2.
iraculosè productum, eſſentialiter & ſpecie idem eſſe cum vino fructu vi-
eæ, quod Chriſtus cum Apoſtolis bibebat *Luc.* 22. *v.* 18.

Inſtantia: Quamvis abbates, ob rationes allatas dici poſſent clerici, non
imen quilibet ſimplices monachi. *Reſp.* Omnino omnes monachi tales di-
endi; quia prę lati repræſentant omnes ſuos monachos (docente hoc *Moſco-
o*, ex *Jure Canonico*); & abbas nihil in majoris momenti negotiis aut cau-
s ſtatuere poteſt, ſine conſenſu monachorum: uti hoc inculcat *Zecchus.*
cuti ergo epiſcopus, ſecundum Papalem theologiam, eſt eccleſia diœce-
ana & Papa eccleſia Romano-catholica: ſic abbas collegium monacho-
um per reprę ſentationem.

Except. 2. Genere tamen aut ſpecie diſtinguuntur prę lati regulares à ſæ-
ularibus, per regulam ſeu religionem? *Reſp.* Non diſtinguuntur quod ad
ſe prælati, ſeu poteſtatem ſacram & eccleſiaſticam, per regulam ſeu reli-
onem monachalem: non magis, quam Epiſcopus ſæcularis (e. gr. Mo-
aſterienſis, Bambergenſis, Wirtenburgenſis) quod ad poteſtatem epiſcopa-
m genere aut ſpecie diſtingueretur ab epiſcopo Aurelianenſi, Antwer-
ano, &c. per adjunctum principatum, quem illi tenent, ſæcularem. Quam-
s in uno ſubjecto ſint duæ illæ poteſtates: una tamen ad alteram ſe ha-
t per accidens, nec epiſcopus ſeu clericus, ſeu eccleſiaſticus ille quâ talis
t princeps, aut vice verſâ. Neutrum tamen de illo negari debet, ſive e-
ſcopatus ſive principatus. Similiter ſe res habet in monachis hodiernis,
ui & religioſi ſeu monachi ſunt, & nihilominus clerici, tanquam anima
corpore eccleſiæ.

Except. 3. Inferiores ſunt & poſtponuntur regulares, clericis ſæculari-
bus,

bus. *Reſp.* 1. Sed præcedentia aut poſtpoſitio clericorum, prælatorum, capitulorum & canonicorum, parochorum, &c. non ponit, aut tollit clericatum aut prælaturam, aut canonicatum, &c. Cardinalis Cardinalem præcedit, uterque archiepiſcopum, & hic epiſcopum: omnes tamen ſunt ejuſdem generis clerici, & ejuſdem ſpeciei clerici gubernantes aut adjuvantes, &c. Sic parochus, ſacerdos, theologię profeſſor, concionator admittunt præcedentiam: omnes tamen ſunt ſub genere clericorum, & ſub ſpecie clericorum adjuvantium. Sic ordines monaſtici præcedunt, abbates aliqui præcedunt alios abbates: hinc tamen non deſinunt poſtpoſiti, eſſe monachi, aut abbates. Tempore, aut ordine, aut honore, prior in ſtatu eccleſiaſtico, aut politico, aut ſcholaſtico, non excludit ab eodem illo ſtatu ejuſdem ordinis conſortes aut collegas. *Reſp.* 2. Negatur quoſvis clericos regulares, gubernantes aut adjuvantes, omnibus clericis ſæcularibus gubernantibus aut adjuvantibus poſtponi: uti conſtat ex *Zeccho*, *Moſconio*, *libr. cit.* & *Barboſâ in collectaneis ad bullarium*, &c.

III. *Quæſt. An ſint dicendi laici, ſeniores ſeu presbyteri gubernantes, à concionatoribus diſtincti, qui in eccleſiis Gallicis, Scoticis, Belgicis, multiſque Germanicis, & eccleſiis exterorum tum Gallicis, tum Belgicis in Angliâ conſtitui ſolent, qui cum concionatoribus faciant ſynedrium locale in quaque eccleſiâ topica, ſive urbicâ ſive agrariâ?* *Reſp.* Sic quidem per μῶμον aut contemtum dicuntur ab hierarchicis aliquibus, præcipuè Ladenſibus eorumque ſequacibus, vulgari idiomate **Lay-elders**? Quod ſi per *laicos* intelligant idiotas, hoc eſt, ignorantes, ineptos, nullâ rerum ſacrarum & eccleſiaſticarum cognitione imbutos, nullo orthodoxiæ & pietatis, & eccleſiaſticæ ædificationis zelo, nullâ rerum in eccleſiâ agendarum prudentiâ inſtructos: utique injuriam faciunt ſenioribus illis & eccleſiis noſtris. Neque enim tales ſunt, quales præſupponunt: ſaltem ut tales eligantur, non fert ratio & ordo eccleſiarum noſtrarum: ſed ut eligantur præ aliis, quoad fieri poteſt, maximè inſtructi & idonei. Quod ſi eligantur ſubinde aliqui, donis modo memoratis non ita inſtructi, idque ob defectum & penuriam meliorum in illâ eccleſiâ; aut ſi aliqui intercurrant, qui in munere illo jam conſtituti dona ſua excitare negligunt, & plus deficiunt quam proficiunt; aut ſi electores decepti ſunt; aut ſi potioribus ſuffragiis factiosè minus idoneos magis idoneis præferunt: error ille aut abuſus ordini ſeniorum & eccleſiæ noſtræ præjudicare non debet. Alioquin omnis ordo præfectorum in eccleſiâ, politiâ, œconomiâ rejiciendus & contemnendus eſſet: quippe ad quem vitium uſurpationis aut abuſus, aut utriuſque acceſſum habere poteſt, juxta vulgatum illud, *Corruptio optimi peſſima.* Ne procul abeamus, Nemo negare poteſt, ineptos concionatores, & epiſcopos tum olim tum

hodie

odie in electionibus aliquando prælatos, eſſe & cathedras per ambitum à
ılibus occupatas; dum meliores arcentur, aut ejiciuntur, aut magno cor-
olio ſuo in foro otioſi ſtare coguntur. Quid quæſo hinc concludi poterit
ontra ordinem concionatorum? *Sin* per laicos intelligant ſtudiis ſcholarum
t Academiarum non defunctos, non innutritos, aut iiſdem non initiatos:
ım ſumunt & præſupponunt, quod non damus. Apoſtolos vocabant, *idio-
tas Actor.* 4. *v.* 13. quod in ſcholis & ſtudiis educati non eſſent: qui ta-
nen minimè erant idiotæ, quippe omnium linguarum & rerum divinarum
t artium ac ſcientiarum ad explicationem & defenſionem theologiæ con-
'a eruditos quoſvis utilium cognitione, tunc affatim præditos. Belgium
oſtrum non paucos antehac novit concionatores, qui quamvis lingua-
ım rudes eſſent, in ſcripturis tamen ad inſtar Apolloos (*Actor.* 18. *v.* 14. -
8.) potentes, in cœleſti & ſacrâ eloquentiâ, nec non zelo & pietate exi-
nii, plures lucrifecerunt, eccleſias plures plantârunt atque ordinârunt,
uam multi alii in Academiis educati. Sunt etiam aliqui qui αὐτοδίδακτοι ex-
a ſcholas inſignem ſcientiæ theologicæ, ſufficientem Hebraicæ, Græcæ,
Latinæ linguarum cognitionem adepti, inter præſtantiores concionato-
es numerari meruerunt. Nec defuerunt ὀψιμαθεῖς qui 19. aut 23. aut 30.
tatis anno demum Latina attingere cœperunt, iiſque mediocriter im-
uti, in Academia publicis privatiſque exercitiis frequentandis, adhibitis
ıſuper frequentibus cum erudito aliquo commilitone collationibus, cur-
ım theologiæ, philoſophiæ, linguarum ſcripturæ originalium feliciter ab-
olverunt, eoque abſoluto curis quique ſuis paſtoralibus cum multorum
dificatione & piorum gratulatione fideliter functi ſunt, & etiamnum fun-
untur. *Parkerus* in libro de deſcenſu Chriſti ad inferos, in præfat. ad le-
torem, refert *Hugonem Sanfordum* in ſacrarum litterarum, linguarum, hi-
toriarum, & diſciplinarum cognitione tam excellentem, fuiſſe αὐτοδίδακτον.
ed iſti ordinem noſtrorum ſeniorum ἐξουθενοῦντες videntur ex more illic
ecepto, per clerum & clericos intelligere ſolos eos, qui curſum ſtudiorum,
ut ſaltem annorum ſtudiis quibuſque & gradibus in Academiâ tributo-
um *ſtando* impleverunt, & inde ad miniſteria eccleſiaſtica promoventur,
ut in otio literario & ſtudiis Academicis ibidem conſeneſcunt. Quin &
mnes ſtudioſos & viros literatos in Academiis verſantes, nomine *cleri*
iſtinctè appellare ſolent, uti colligimus ex concionibus Latinè ad Acade-
nicos habitis, quos illi *clerum* appellant. Vide titulos concionum *Lance-
oti Andrews*, cum opuſculis ipſius poſthumis anno 1629. editarum. Quod
i voce *cleri* ſolos Academicos, aut ſolos patres eccleſiaſticos in ſynodo
rovinciali congregatos, aut extra ſynodum vulgaribus miniſtris præfectos
leſignent; utique fatemur in ſtrictâ illâ acceptione non eſſe omnes ſenio-

res noſtros *clericos:* qui tamen non ſunt *laici*, hoc eſt, tantum privati fideles, ſeu de plebe eccleſiaſticâ; quia ad munus publicum in eccleſiâ vocati ſunt, eoque funguntur, & hac qualitate in ſynedriis, claſſibus, ſynodis ſuffragia ferunt. Si quis tales vocaret *laicos*, juxta ſenſum eccleſiæ Romanæ, & hierarchicorum, præſertim *Ladenſium:* is tantundem faceret, ac ſi omnes ſatrapas, balivos, prætores, ſenatores, conſules, judices, &c. Academicis ſtudiis non innutritos, aut titulis Doctorum, Licentiatorum, Magiſtrorum non inſignitos, aut linguarum, atque hiſtoriarum, politicæ & juris cognitione non pollentes, aut donis ac ſpiritu regiminis ſupra omnes alios cives non ita inſtructos, per contemtum appellaret homines privatos & plebejos; immo propter illos & in illis, contra totum ordinem ſenatorum, conſulum, ſcabinorum, prætorum, & quoſvis iſtius ordinis, tanquam ineptos ad opera muneris ſui exequenda, exciperet. Idem pari jure de concionatoribus ineptis, aut vix aptis, & propter illos de toto ordine concionatorum concludendum eſſet. Quod abſurdiſſimum. Sed de ordine & vocatione ſeniorum, eorumque munere eccleſiaſtico, libro proximè ſequenti ex profeſſo agendum erit.

Alterum, quod in contemtum hujus ordinis ad idiotas ac laicos (juxta ipſos) relegandi adfertur, eſt quod aliqui exercuerint aut adhuc exerceant manuaria opificia in civitatibus, aut operas ruſticas in agris. Quo *Grotii* illud, *rurales* presbyteri, & annales aſſeſſores, in Pietate Ordinum Hollandiæ, collimet, haut difficile eſt judicare: ſed illi pro ſenioribus noſtris reſponſum eſt ab antagoniſtis. Pontificii vulgò concionatores reformatos titulis ſartorum, ſutorum, &c. deludunt: quia in primâ Belgii reformatione, aliqui ex illis opificibus, occaſione & neceſſitate ita ferente, ad miniſterium vocati erant. Poſſent pariter Apoſtolatum contemnere, quod plerique ab reti piſcatorio, ad hoc munus traducti eſſent. Si eccleſiarum paſtores & eccleſiæ antehac, cum tantus eſſet defectus, etiam nunc invenerint aliquem prælectorem, aut ſcholaſticum præceptorem, aut mercatorem, aut opificem, aut notarium, aut pharmacopœum, aut cujuſque alterius ordinis virum religionis & pietatis zelotem, donis & requiſitis ad miniſterium à Deo præditum, quamvis Academicis ſtudiis non innutritum; quid vetat, quò minus eundem ad verbi miniſterium promoveant? juxta eccleſiarum Belgicarum noviſſimas conſtitutiones a. 1619. ex decreto *Synodi Nationalis Dordracena editas artic.* 8. Et ſi ad verbi miniſterium, cur non ad munus ſenioris idoneos, quamvis non-Academicos: juxta ejuſdem conſtitutiones *Artic.* 22. 23. & liturgiam noſtram *tit. de confirmatione ſeniorum & diaconorum*, & perpetuam eccleſiarum noſtrarum conſuetudinem. Quæ non dico, ut negem Academicis & privatis ſtudiis eruditionem theologicam aſſecutos, aliis

præ-

ræferendos non eſſe, cæteris paribus ſiquidem iſtic haberi poſſint. Hoc nim agunt noſtræ, omneſque aliæ eccleſiæ, ubi ordo ſeniorum obtinet, t tales præferantur: Profeſſores ſcil. Theologi, concionatores emerii, aut abſque culpâ ſuâ quieſcentes, profeſſores quarumcunque facultaum, Rectores ſcholarum, adhæc Jureconſulti, Medici, conſiliarii, aliique iterati. Laicorum certe ſeu idiotarum, **Lap-elders** nomine, proſtitui neueunt, *Job. Uyttenhoven* ſenior eccleſiæ Londino-Belgicæ ſub Eduardo VI.; nulto minus Johannes de Laet ſenior eccleſiæ Leidenſis, *Grotio in defenſone* ſcripti ſui de *Origine gentium Americanarum*, contemtim (uti putabat) ppellatus *ſenior*: qui tamen uti *Grotium* circa originem iſtarum gentium nulta docuit, ſic in theologiâ ſcripturariâ & patriſticâ longè plura eundem ocere potuiſſet. Minimè omnium eruditiſſimi & clariſſimi theologi *Henr. Iltingius* ſenior, cum viveret, eccleſiæ Groninganę, & *Antonius Thyſius* ſenior cclesiæ Leidenſis, aliique iſtius ordinis termino diminuente **Lap-elders** eſignari poſſent. Si libeat cuiquam conſules, ſenatores, ſcabinos ſeu juices immo & deputatos ad collegia Ill.DD.Ordinum Generalium aut Proincialium in Belgio, ſtudiis Academicis, & titulis Doctorum juris non ılgentes, analogicè termino *laicorum* ſeu idiotarum *Ordinum*, aut *conſuum*, aut *ſcabinorum*, tanquam ineptos ad ſpartam quam nacti ſunt, exorandam ſalutare: audiemus ipſius rationes, ſi quas habeat, aut proferre auſit. *Quomodocunque à presbyteriali regimine alieni, & faſtidioſi quidam noſtrates, ſeniores deprimant, præſertim cum in ſynedriis, claſſibus, ſynodis quorunam ataxiis non velificantur, aut ad nutum & præformationem eorum ſuffragia non ferunt* (aliter de illis locuturi, ſi hoc agerent): nobis conſtat, illoum operam fuiſſe multis eccleſiis, & communi orthodoxorum cauſæ tiliſſimam; cum illi gregi ſuo in orthodoxiâ & eutaxiâ contra lubricos ut perfidos complures concionatores, armis ad dextram aut ad ſiniſtram xpugnatos, & ad Remonſtrantiſmum, aut neutraliſmum, aut falſò dictam ıoderationem dilapſos, conſervando conſtanter invigilarent, & ſubrepentius atque ingruentibus malis ſtrenuè obſiſterent.

IV. *Quæſt. An populus ſit propter anteceſſores, an anteceſſores propter populum? Reſp. Neg. pr. Aff.* poſterius. Quia non tantum relatè ad Chriſtum icuntur miniſtri Chriſti 1 Cor. 4. v. 1. *Rom.* 5. *v.* 1. ſed etiam relatè ad eccleam, miniſtri eccleſiarum 2 Cor. 1. v. 24. *Non quod dominemur fidei veſtræ, ſed cooperatores ſumus gaudii veſtri.* 1 Cor 3. v. 5. *Quis igitur eſt Paulus, quis Apollos, niſi miniſtri per quos crediſtis?* 2 Corinth. 4. v. 5. *Non enim nos ipſos prædicamus, ſed Chriſtum Jeſum Dominum: nos ipſos vero miniſtros* (*vel ſervos*) *veſtros propter Jeſum.* Quod ſi in ſæcularibus princeps dicitur propter populum eſſe, non populus propter principem (à quo axio-

mate III. Belgii fœderati Ordines, exautorationem Philippi II. Belgarum Principis anno 1581. inchoabant: multò magis, ſaltem non minus, dici poteſt, miniſtros eccleſiaſticos eſſe propter populum. Adde quod exemplo Apoſtoli miniſter ſe impendit Eccleſiæ, non pariter eccleſia ſe impendit miniſtro aut miniſtris ſuis: quamvis honorem, obedientiam ipſis debeat. De quo infra. Nihilominus illud Apoſtoli *1 Cor. 11. v. 11.* Veruntamen neque vir ſine muliere, &c. aliquo modo & analogicè huc applicari poſſet: Nec paſtor ſine eccleſiâ, nec eccleſia ſine paſtore.

V. *Quaſt. An æqualiter & reciprocè illa ſe habeant, eccleſia non eſt, quæ paſtorem non habet, & paſtor non eſt, qui eccleſiam non habet. Reſp.* Ita quidem videntur velle Pontificii, cum paſtorem comparant animæ humanæ, & populum corpori humano; & cum illud Hieronymi inculcant: *Eccleſia non eſt, quæ ſacerdotem non habet.* In quo ipſis aſſentiri non poſſumus. Convenit quidem, cum ipſorum politiâ de Epiſcopis titularibus, hoc eſt, fictis, pictis, & de ementitis titulis eccleſiarum in Græciâ, Armeniâ, Syriâ, &c. quas nunquam habuerunt, nec habere poſſunt. Quaſi quis ſe oſtentaret herum, cujus nullus ſervus in rerum naturâ, aut maritum ſine uxore, aut patrem ſine liberis, aut Papam ſine eccleſiâ Romano-catholicâ, aut abbatem ſine monaſterio, ſine monachis, aut gymnaſiarcham ſine ſchola ſine diſcipulis, aut eccleſię cathedralis e. gr. Genevenſis aut Middelburgenſis canonicum, aut archidiaconum, aut ſcholaſticum, &c. ſine eccleſiâ cathedrali (quę iſtic nulla eſt) ſine opere & regimine canonico-cathedrali, ſine regimine & juriſdictione archidiaconi. Sed diſtinguat quis, talem cathedralem canonicum in mediâ reformatione ſic appellari poſſe aut debere, quod ſuperſtitione omni jam Genevæ aut Middelburgi remotâ, appellatio illa eſſet purè politica; nec tunc ſuperſtitione, aut abuſu Papali, uti antehac polluta; cum realiter iſtic eſſet eccleſia dicta cathedralis, & opus canonico-cathedrale. Vitrea ſane diſtinctio, quæ cum pellucet, frangitur: uti quis de mendacio pronuntiat. Idem dicent Pontificii, de epiſcopo Romano-Papali Epheſino, Niceno, Antiocheno, Damaſceno, &c. Quod appellatio illa ſit Romano-politica, ex conceſſione Papæ, nihil Græcanicæ hæreſios, aut ſchiſmatis ſapiens, quippe à quâ titulares illi abſtinent; aliter titulari epiſcopatu Niceno, aut Philippenſi, &c. cum annexis emolumentis, non gavīſuri. Quandoquidem officium illud titulare, cum annexo beneficio reali nullis niſi Romano-catholicis confertur; omnibus aliis Græcæ, aut Armenicæ, aut Abaſſinę, &c. religionis, inde excluſis. Sed de titularibus patriarchis, epiſcopis, archiepiſcopis, *canonicis, archidiaconis Dei gratiâ, ſacerdotibus animarum*, &c. in eccleſiâ Romanâ, aut extra eam, Romanam aut anti-Romanam religionem profeſſis, alibi dicendum; & de hiſtrioniâ, quam agit epiſcopus ad eccleſiam Nicenam,

nam, aut Epheſinam, aut Damaſcenam ſibi aſſignatam, & ſpirituali quaſi matrimonio junctam, profectionem ſuſceptutus; ne ſcil. ſit aut audiat non-reſidens. Ne autem horreat lector ad nomen *archidiaconi Dei gratiâ*, aut *ſcholaſtici*, aut *ſacerdotis animarum*, videat an credere poſſit, eſſe nomina illa politica, & politizata, atque adeo γνησίως reformata, & ab omni ſuperſtitione aut abuſu defæcata: uti hoc nonnulli poſt toties fruſtra quæſitos & obtruſos πεφιμένους λόγους, tandem inveniſſe videntur. Et ſi quis tam validi & calidi ſtomachi ſit, ut ferreum hunc bolum concoquere poſſit, facile pari ἐθελοθρησκείᾳ, alter bolus illi parari poſſet, de concionatore aut paſtore titulari eccleſiæ N. annexo paſtorali beneficio (ſacerdotibus aut parochis Papalibus ablato), ſub illis titulis fruente: quo ſcil. bonâ conſcientiâ fruatur ſine verbi prædicatione & opere.

Similiter de titulo profeſſoris theologi quærendum, An quis ſive literatus ſive idiota eum titulum uſurpare poſſit, non-theologus, nec theologiam è cathedrâ docere valens aut volens; & an illo titulo legitimè ſuccedat in cathedram aliquam theologicam vacantem, & in beneficium ſeu ſtipendium illi cathedræ annexum, antehac appropriatè illi cathedræ & profeſſioni theologicæ donatum ac fundatum? An talis titularitas, fundet juſtam realitatem beneficii & ſtipendii, quo fruitur? An hæc pragmatia eſſet ſecundum pietatem Chriſtianam, & juſtitiam ſuum cuique tribuentem? Non arbitror. Rancidum illud effugium, quod non ſine prece, aut pretio, aut indulto, aut diſpenſatione ſuperiorum, aut privilegio à ſuperioribus conceſſo, titulare illud ſimulacrum an κομμολογεῖον & reale beneficium ſeu ſtipendium ſibi acquiſiverint, eoque gaudeant poſſidentes: alibi antehac ſatis ſuperque profligatum. *Alterum* effugium eſt quod tales larvati cathedræ theologicæ inſeſſores ſine ſcientiâ theologicâ, ſine ullo opere theologico profeſſorali præſtito aut præſtando eſſent *poſſeſſores bonæ fidei*, quia theologiam Papalem ex illâ cathedrâ non docerent nec docturi eſſent, ſicuti antehac prædeceſſores eorum; nec Papalem religionem profiterentur aut exercerent, & forte inſuper reformatam religionem in formâ profiterentur, eamque pro viribus defenderent. Sed velim ſcire an meritum eſſet de congruo, an de condigno, quo precium illud cathedrale juſtè acquireretur. Et an ſola abſtinentia ab idololatricâ & Anti-chriſtianâ theologiâ illic docendâ, an poſitiva veræ fidei poſſeſſio, an vero utraque faceret meritum iſtius præmii, & bonæ fidei poſſeſſionem ac poſſeſſorem? Cæterum *poſſeſſor bonæ fidei*, an idem ſit quod *poſſeſſor veræ fidei*, ſeu profitens veram fidem ac religionem, aut an poſſeſſio ac profeſſio veræ fidei fundet ac ponat poſſeſſionem bonæ fidei, in foro poli aut ſoli, docebunt Juriſconſulti; etiam theologi, cum negant dominium temporale fundari in

gratiâ. Vide *Davenantii* determinationes quæſtionum, &c. *qu.* 30. Et *Riveti commentar.* in *Hoſ.* 2. *v.* 9. ubi tractat quæſtionem, An impii ſint veri poſſeſſores bonorum temporalium.

Quod quæſivi de titularibus epiſcopis, canonicis, archidiaconis, ſcholaſticis, parochis ſeu paſtoribus, ſacerdotibus animarum; idem quæri poſſet de titularibus confeſſariis, Inquiſitoribus, Monachorum prioribus, abbatibus, Generalibus aut Provincialibus ordinum religioſorum, vicariis epiſcoporum, paſtorum, canonicorum, ſine opere aut operâ titulis conveniente, ſive Romano-Papiſticâ, ſive aliâ aliquâ analogâ eccleſiaſticâ in eccleſiis reformatis. Atque hactenus ſatis oſtenſum, non eſſe paſtorem eccleſię qui eccleſiam non habet, in quâ miniſterium eccleſiaſticum exerceat. Quod enim idoneus quis eſt, & eligibilis, ac paſtor in potentiâ proximâ, id non facit paſtorem; non magis quam virgo nubilis, facit ſponſam aut conjugem, & nobilis aut patricius, &c. facit ſenatorem.

Sunt autem eccleſiæ oppidanæ aut rurales verè & actu eccleſiæ, quamvis hoc tempore concionatore, & ſenioribus forte deſtituantur. Siquidem hoc tollit integritatem, non vero eſſentiam. Ad dictum *Hieronymi* antehac reſpondimus & Papiſtarum ſententiam ex propriis ipſorum hypotheſibus refutavimus *lib.* 3. *Deſper. cauſæ Papatus ſect.* 1. *cap.* 4.

CAP. II.

De populi Eccleſiaſtici affectionibus, quantitate, libertate, poteſtate, dignitate, æqualitate, obedientiâ.

AFfectiones populi ſunt, vel fidelium in ſe ſpectatorum, quâ talium: vel multorum collectim, quod ad ordinem ſocietatis, & unionis in corpus eccleſiaſticum. *Illa* alibi tractantur titulo hominis Chriſtiani, aut pii, aut religioſi: ſeu in abſtracto, *tit.* Vitæ Chriſtianæ, aut pietatis, aut religionis, aut veri Chriſtianiſmi. *Iſta* hic propriè conſiderantur. Haut aliter ac hominis quâ talis, affectiones tractantur in phyſicâ; & hominis in ſocietate politicâ ſpectati, tractantur in Politicâ. Sunt ergo affectiones conſiderandæ, 1. quantitas, 2. libertas, 3. poteſtas, 4. dignitas, 5. æqualitas, 6. obedientia.

§. 1. I. *Quantitas* diſcreta, ſeu numerus eccleſiæ externæ particularis, vel in genere & indefinitè ſpectatur, vel definitè. Quantitatem aliquam omnino neceſſariam eſſe, conſtat ex voce & definitione eccleſiæ: Eſt enim multitudo; cœtus, grex & aggregatum quid ex pluribus. Jam vero unum hominem ſingularem eſſe & dici eccleſiam aut populum eccleſiaſticum, aut hie-

hierarchiam eccleſiaſticam repugnat; quia unum opponitur multo ſeu pluralitati. Unde alibi rejicimus abſurdum illud commentum Pontificiorum, de Papa, qui ſit eccleſia univerſalis, apud *Bellarminum*; & de epiſcopo qui ſit eccleſia diœceſiana, apud *Viguerium* in Inſtitutionibus; & de Mariâ, quæ ſola tempore paſſionis Chriſti eccleſia fuiſſet, juxta quoſdam ipſorum Doctores. Sic Adam cum ſolus eſſet creatus, non erat tunc nec poterat dici eccleſia aut populus Dei: non magis quam *Titius* aut *Mævius* poſſet dici Reſpublica, civitas, collegium, gens, natio, populus. *Iſta* poſitivè haut ita definiri poteſt. Et evenit nobis hic, quod phyſicis diſquirentibus de corporum naturalium quantitate continua: ubi coguntur diſtinctionem adhibere inter maximum aut minimum *quod ſic*, & *quod non.*

I. *Quæſt. An maximè conveniat numerum eſſe exiguum, ut nonnulli volunt? Reſp.Neg.* Hoc perpetuò eſſe affectandum, ut ſi aliquo modo creſcat numerus, ilico coloniæ diducantur, aut diviſio fiat unius in duas aut plures. Neceſſariò talis eſt in eccleſiæ topicæ anguſtiâ, aut in caſu magnæ apoſtaſiæ, aut lanienæ alicujus, aut diſparſionis. Quando paſtor cogitur conqueri cum Jeſa. 8. v. 18. *Ecce ego, & filii quos dedit mihi Dominus, ut ſint ſigna, & portenta in Iſraele*, & cum Davide Pſal 12. v. 1. *Serva Domine, quoniam defecit miſericors, quoniam defecerunt fideles à filiis hominum.* Et indiſtinctè ſervator noſter, *Luc.* 12. *v.* 32. eccleſiam vocat *puſillum gregem.* Ut multitudo populi bonum ſocietatis politicum non minuit, ſed auget: ſic multitudo populi eccleſiaſtici, facit ad majorem perfectionem & felicitatem. Et ut in multitudine conſiliariorum ſtabit *Proverb.* 15. *v.* 22. ſic in multitudine fidelium, mutuo ſe obſervantium ad παροξυσμὸν dilectionis & bonorum operum *Hebr.* 10. *v.* 24. Quod ſi aliquando eveniat, ut multiplicatâ gente, non multiplicetur lætitia, *Jeſ.* 9. *v.* 2. hoc eſt per accidens.

II. *Quæſt. An confuſione non careat, quod plures ſint in particulari aliquâ eccleſiâ, quam in unum locum ad ſacra exercitia convenire queant. Reſp.* Ita cenſent aliqui. Fateor aliquid dubii ſubinde circa hoc moveri. Sed cum reſpicio Eccleſias Apoſtolicas, Hieroſolymitanam, Romanam, Corinthiacam, Epheſinam, &c. ſingulas fuiſſe habitas & dictas eccleſias, & procul dubio bene ordinatas; quarum omnes auditores unum in locum, præcipuè difficilibus iſtis temporibus, convenire non poterant: non video illum ordinem non ſervandum in frequentioribus eccleſiis, ubi fideles variis in templis ſacra ſua uno eodemque tempore frequentant.

III. *Quæſt. An in civitatibus majoribus, aut ubi uno in loco frequentes ſint fideles eccleſiæ dictæ parochiales ſint conſtituendæ? Reſp.* De origine, naturâ, & affectionibus parochiarum ſeu parochialium eccleſiarum agit *Johannes Filleſacus* theologus Pariſienſis peculiari tractatu anno 1608. Et poſt cum

eum *Nicol. le Maiſtre* ſocius Sorbonicus in Illuſtratione ſacri patrimonii anno 1636. *lib.*2. *cap.*9. parœciarum antiquitatem, dotem, & fundationem explanat, & pro earum neceſſitate contra quoſdam contendit. Qui ibidem notat ſpecies ejuſmodi parochiarum apud Gentiles Romæ fuiſſe. Et Chriſtianas parœcias tempore Apoſtolorum, in majoribus civitatibus, etiam in municipiis & pagis: & ſequentibus ſæculis poſt-Apoſtolicis, eas multiplicatas; cum epiſcopi ad exemplar eccleſiæ Romanæ (intra muros ſcil.) Alexandriæ, aliiſque in urbibus majoribus parœcias conſtituerent: quod unius ſacerdotis curâ immenſus ille populus regi, & unius ædis ſpatio concludi non poſſet. Poſtea & in pagis plures ruſticanas parochias introductas, earumque diſtinctiones & limites poſitos, domus nobilium primas fuiſſe parochias. *Ibidem*, ſucceſſum diviſionis eccleſiarum in varias parochias, earumque ſtatum & præteritum & præſentem ita deſcribit *pag.* 234.

„ Nil eſt ſanctum & inviolatum, quod aliquando temporis longinquitate „ non corrumpatur. Societas noſtra non tam eſt ſubſidiorum quam vitio„ rum turpe commercium, nam mutuo affrictu ſuas quiſque ſordes alteri „ allinit, & privatæ libidinis licentiam, atque impunitatem aſſequitur, alte„ rius cupiditatibus indulgendo.

„ Hinc morum peſtilentia ſævius per urbes, quàm per oppida graſſatur. „ Nam qui civitates incolunt, non tam humanitate cultuque virtutum, quàm „ vitiis, & ſceleribus ruſticitatem excutiunt, & eò ſe politiores exiſtimant, „ quò magis fuerunt in nequitiis fingendis ingenioſi.

„ Atque ut ex tabidis corporibus lues maligna in aërem effunditur, ut ni„ tentibus ſpeculis anus putridæ ſqualidas nubes inducunt; Ita & homi„ num ingenia vitiorum hâlitus infeſtos etiam in ſacra ſolent transfundere. „ Quamobrem ſanctitatem ſacrorum urbes primum corruperunt, dumque „ innocentes Deos, Faunum, Pana, Cererem, ſimpliciſſimi agricolæ fiſtula „ & arundine colunt, Senatus Floras & Veneres Deas eſſe jubet, infami „ meretricatu cœlum polluit, facitque hominum fœlicitatem, ſcortorum „ ſocietatem. Nec præteriti temporis mala lugendi locus eſt, dum noſtræ „ nos calamitates vexant: Non ſinit inſtituta de parochiis diſputatio à „ querelis abſtinere. Nam cum omnia temporis progreſſu in Eccleſia ado„ leverint, Epiſcoporum ſplendor, dignitas, Monaſteriorum amplitudo, nu„ merus, prærogativa: ſola parochiarum diſciplina ita exolevit, ut niſi me„ diocres villæ, & pagi earum veſtigia quædam retinuiſſent, vix ſciremus pa„ rochias extitiſſe. Nam quotuſquiſque eſt hodiernâ die, qui in parochia „ Miſſarum ſolemnibus ſacris interſit? Quotus quiſque oblationibus Deum „ placat? Quotuſquiſque monenti Paſtori aurem patientem, & docilem

præbet?

præbet? Iſta omnia vetuſtatis accuſantur; ingenii famam, novitatum ſtudio omnes ambiunt, & niſi cœlum meliorem nobis mentem immittat; periculum eſt, ne ſacrum Euangelii fœdus in antiquitatis infamiam incurrat, & lex Chriſtiana, eâ, quâ maximè eſt commendabilis, longævitate rideatur. At rei Chriſtianę ſplendorem parum minuit, inquiet aliquis, iſta parochiarum diſſipatio. Itane vero, turbari Diœceſes, Parochias confundi, Epiſcopatus permiſceri, nunquid perinde eſt, ac orbem iſtum ad antiquam redire ἀταξίαν. Delirarunt itaque Martyres generoſi, Prælati illuſtres, qui hunc ordinem, quem ſęculi noſtri vecors ſapientia, & falſa ſagacitas contumaciter evertit, tantis conatibus compegerunt. Inter flammas, & incendia ſęvientium & furentium Imperatorum, quid aliud egerunt Pontifices quàm ut Eccleſiam ordinarent, parochias conderent, & certis finibus Miniſtrorum curam definirent. Si libertate opus erat, maxime iis temporibus, quibus cælare pietatem cogebantur, quibus impię tyrannorum leges Chriſtianorum patientiam ſatis exercebant, etſi Eccleſiaſtica diſciplina nil ultra onera addidiſſet. Sed ne conducti ad leſſum planctumve parochiarum videamur, provehamus ſtylum in earum antiquitatem, dotem, & fundationem.

Nobis hic ſolum ex canoniſtis ad c. *Eccleſias* XIII. qu. I. c. *Epiſcopi* diſt. I. c. *Paſtoralis*, diſt. eâdem apud *Vallenſem* in paratitulis Juris Canonici . 3. *tit.* 29. §. 1. Et *Tholoſanum lib.* 16. *ſyntagm. cap.* 1. & *Fileſacum* modo cit. recognoſcendum, parœciam in civitate majori eſſe eccleſiam viciniæ alijus aut regionis, aut diſtrictus civilis limitibus contentam, unius ſacertis ſeu presbyteri curæ commiſſam, ad verbi ſacramentorum & juriſdictionis interioris miniſterium in eâ peragendum. Presbyteri illi dicuntur *rochi*, *rectores*, *curiones*, *curati*, etiam *paſtores* communiter in Belgio Patico. Quamvis hierarchici & theologi Papales nomen illud Epiſcopis appriatè tribuere ſoleant. Eccleſias iſtas diſtinguunt à diœceſianâ, cujus par eſt epiſcopus, ſolus juriſdictione in foro exteriori ſeu contentioſo gauns, ut & regimine univerſali ſupra omnes parochiales omneſque alios cleos diœceſi ſuâ contentos. Similiter diſtinguunt parochiales eccleſias, à llegiatis: de quibus ſupra *part.* 1. *lib.* 1. *tract.* 1.

His præſuppoſitis ad quęſtionem ſic reſpondemus,

1. *Concl.* Non eſſe in urbibus aut pagis inſtituendas tales eccleſias pahiales, uni tantum rectori, aut paſtori, aut concionatori commiſſas, que collegis ſeu compresbyteris tum docentibus tum gubernantibus, n ſubjectione ad epiſcopum, aut ad eccleſiam quam collegiatam ſive ionico-capitularem ſive monaſticam. Ratio eſt, *quia* omnes noſtrę ecſię topicæ ſunt collegiatæ, ad exemplum Eccleſiæ Epheſinæ *Actor.* 20.

*v.*28. & Philippenſis, *Phil.* 1. *v.* 1. *Secundo*, quia non ſunt epiſcopales, aut diœceſianæ; nec ulli apud nos ſunt epiſcopi.

2. *Concl.* Auditores unius eccleſiæ e. gr. Epheſinæ, hodiernæ Amſtelodamenſis, Leidenſis, Delphicæ, &c. poſſunt per varia templa diſtribui, quia uno in loco ſimul conciones audire nequeunt. Sed ut ſingulis parochiæ e. gr. Amſtelodamenſi & Leidæ.

3. *Concl.* Non puto tamen conſultum eſſe ut auditores, non tantum in percipiendis ſacramentis, ſed & in audiendis concionibus, ſuis quique parochiis ſeu oratoriis parochialibus privativè aſtringerentur: quod poſterius hactenus in Papatu non fit.

4. *Concl.* Neſcio, an expediat, ut ſingulæ parochiales haberent ſua quæque diſtincta ſynedria. Aliquando quidem aliquo in caſu diſtincta parochialis eccleſia cum diſtincto ſynedrio, uſum aliquem præſtat, & præſtabat tempore graſſantis factionis Remonſtranticæ: cùm auditores aliqui eccleſiæ Belgicæ Roterodamenſis, ut ἐπιφιλονεικοῦσι ſuis concionatoribus, ad Gallo-belgicum ibidem concionatorem & ſynedrium confugerent. Sed orthodoxo illo violenter à ſenatoribus Remonſtrantiſmo faventibus ejecto, & in cathedram illam Remonſtrantico introducto, inſuper ſynedrio Gallo-belgico mutato aut oppreſſo, plus incommodi orthodoxis inde allatum fuit, quam antea commodi. Similiter ſi in unâ civitate duæ aut tres ſint parochiæ, cum ſuis quæque ſynedriis, quarum una alteri non ſit ſubordinata aut incorporata; nihil proclivius quam ut una cum alterâ contendat, & quod iſta in diſciplinâ, in orthodoxiâ ἀκριβῶς præſtare ſatagit, altera non tantum non imitetur, ſed rejiciat: atque adeo alterius melioris atque accuratioris eccleſiæ auditores aliquot ſive faſtidioſos, ſive querulos, ſive diſſolutiores, ſive heterodoxiæ alicui faventes, ad ſe alliciat & attrahat; cenſurâ ob mores aut heterodoxiam notatos aut notandos, ad refugium, aut ad appellationem, quaſi trans mare (ita loquar) admittat, & ex deſtructione alterius eccleſiæ ſuam, forte infrequentem, augeat. Difficile talibus ἀρξῆς remedium adhibetur: uti experientia nos docuit, poſt annum 1619. & 1623. &c. cum Remonſtrantibus aliquibus ob rationes de hoc ſeculo ad condemnatam, an Remonſtrantium ſectam, eorumque privatos ſegreges cœtus non viſum eſſet tranſire, nec tamen ad eccleſiam ſuam, unde egreſſi, poſitis ponendis, redire. Hinc enatæ appellationes illæ **Pruyl-kerck**, & **Muyl-kerck**, quibus aliquæ eccleſiæ (nominatim Hagæ comitis), quas dicti Remonſtrantes dum adhuc in illo fermento eſſent, frequentabant, vulgò tunc inſigniebantur. Adeo ut appellatio illa etiam ad exteros, & Pontificios dimanaſſet, eamque mihi objiceret *Froymundus* theologus Lovanienſis in Criſi ſuâ, quam meæ Deſperatæ cauſę Papatus

itus oppoſuit. Hæc dico, ut rerum eccleſiaſticarum peritis materiam ſug-
ram amplius & altius cogitandi, utrum unitati, paci, eutaxiæ eccleſia-
m magis conſulatur, ſi in majoribus civitatibus frequentes auditores per
ura templa diſtribûti verbum Dei eodem tempore audiant & ſacramenta
rcipiant, ſub unius ejuſdemque ſynedrii regimine: an vero, ut eccleſia in
rias diſpeſcatur parochias, quarum una cum ſynedrio ſuo ab alterâ non
ndeat, nec ei incorporata aut concorporata ſit. Quod ſi quis dicat, alibi
is incommodis non ita urgeri aut obnoxias eſſe diſpartitas parochias:
ſpondeo hoc fieri per accidens, quod illic prѳſto ſit epiſcopalis poteſtas,
nulla eccleſiaſtica juriſdictio ſit penes parochias, vix ullum penes eaſdem
t regimen, nulla ipſis parochialia ſynedria.

II. *Libertas* eſt, 1. *vel* univerſalis & interna ſingularium fidelium, abſo- §. 2.
tè in ſe & extra ſocietatem atque unionem eccleſiaſticam conſideratorum:
uæ *libertatis Christianæ* nomine communiter appellatur, & hoc titulo in
ocis communibus à theologis explicatur. 2. *vel* particularis, Doctorum &
resbyterorum docentium, quam *libertatem prophetandi* vocant: de quâ in
ertiâ parte politicæ eccleſiaſticæ agendum. 3. *vel* omnium fidelium in cor-
us eccleſiaſticum unitorum, collectim & relatè ut ſic conſideratorum.
Quæ ſola hujus loci eſt.

Eſt autem libertas populi ab anteceſſoribus & inſpectoribus ſuis diſtin-
ti, *facultas eorum quæ populo facere libet.* Opponitur ei *ſervitus*, & *abſoluta
uæcunque obligatio*, ad abſolutam obedientiam & debitum recipiendi, cre-
endi, profitendi, approbandi, imitandi illa quæ ab anteceſſoribus docen-
ur, aguntur, præformantur, præſcribuntur. Ejus actus & gradus ſunt.

1. *Judicandi*, judicio diſcretionis, ſubſequenti, de doctrinâ traditâ, aut novè
radendâ; de regiminis formâ & modo introducto aut introducendo; de riti-
us receptis retinendis, aut novè introducendis; de anteceſſoribus vocandis.

1. Probatur ex 1 Corinth. 10. v. 16. *Tanquam prudentibus vobis lo-
quor, judicate vos quod dico.* 1 Joh. 4. v. 1. *probate ſpiritus an ex Deo ſint.*
1 Theſſ. 5. *Omnia probate, quod bonum eſt tenete.*

2. *Ex* privilegiis fidelium, qui omnes ſunt Prophetæ, ſacerdotes, reges
ſpirituales: uti hoc à *catecheticis* ad *quæſt.* 32. ex 1 *Petr.* 2. *v.* 5. 9. *Apocal.* 1.
v. 6. &c. explicatur.

3. *Ex* dono diſcretionis, quod Philippenſium eccleſiæ Apoſtolus preca-
tur *Philipp.* 1. *v.* 1. cum *v.* 9. 10.

4. *Ex* laudato exemplo Berrhoënſium *Actor.* 17. *v.* 11.

5. *Ex* rejectione cœcæ obedientiæ, & fidei implicitæ ſeu carbonariæ,
quam anteceſſoribus eccleſiaſticis à populo debitam, contendunt Pontifi-
cii: etiam uſque ad meritoriam receptionem & profeſſionem hæreſios à

paſtoribus traditæ. Vide hanc obedientiam refutatam in 4. *part. ſelect. diſp. tit. De cœca obedientiâ Papiſtarum.*

6. *Ex* generali illâ ſententiâ 1 Corinth. 7. v. 23. *Ne eſtote ſervi hominum.*

7. *Ex* iis, quæ theologi diſtinctè determinant de Judice & judicio controverſiarum; de libertate conſcientiæ (de quâ nos ſupra *part.* 1. *lib.* 4.) de autoritate ſynodorum, de quâ infra *part.* 3. *agendum.*

II. *Diſſentiendi*; ſiquidem anteceſſores doceant, conſulant, decernant, agant, quæ verbo Dei repugnant. Hic actus & gradus libertatis, ad actus judicandi ἀχριβεῖας ſequitur. Diſſenſus autem ille eſt vel tacitus, vel publicè, occaſione ita ferente, profeſſus. An autem quando & quamdiu tacitè ferendum ſit ἄτοπον illud anteceſſorum, ex gravitate & momento materiæ, damno illato aut inferendo ædificationi eccleſiæ, contentione & pertinaciâ in eo ac pro eo, judicandum eſt.

III. *Conquerendi* de eo, & remedium quærendi apud ſynedrium ſuum; & iſtic non obtento, apud alias ejuſdem correſpondentiæ eccleſias in claſſibus, ſynodis Provincialibus, Nationalibus. De quarum poteſtate, in caſu malæ adminiſtrationis, aut provocationis ad eas, agitur in 3. *parte, tit. de claſſibus & ſynodis.*

IV. *Separandi* & diſcedendi, ab illis anteceſſoribus, & publicis eorum cœtibus: ſiquidem tanti momenti ſit, & hactenus immedicabilis abuſus eorum.

Quæ ſeparatio & ſeceſſio eſt vel totius corporis, vel potiorum ſuffragiorum, vel etiam aliquorum quamvis pauciorum, pleriſque aliis aut ſeductis, aut ſecuris & tepidis, aut nimis tardantibus.

Rurſum ſeparatio illa eſt vel *proviſionalis* ſeu *ad tempus* πρὸς ὥραν (ut utar phraſi Paulinâ in epiſt. ad *Philem. v.* 15.) : vel *peremtoria* ſeu *perpetua*. Quarum utraque rurſum conjuncta eſt, vel cum auditione alienorum miniſtrorum, & frequentatione ſacrorum in eorum eccleſiis; vel cum coitione in ſegreges conventus, ſive apertos ſive clandeſtinos, eorumque formatione & celebratione.

Separatio perpetua & peremtoria, conjuncta cum ſegregum & peculiarium cœtuum formatione, fuit Waldenſium & Albigenſium, & fratrum unitatis Bohemicæ: de quibus hiſtoriæ Waldenſium, & eccleſiarum Slavonicarum. Talis etiam piorum in Galliâ, Belgio, &c. ſeceſſio ab anteceſſoribus Papiſticis.

Separatio proviſionalis & ad tempus ab anteceſſoribus, ſynedriis, & ſacris Remonſtranticis, erat piorum in Hollandiâ & urbe Ultrajectinâ. Qui omnes primum alibi in vicinis eccleſiis, aut in eccleſiis Gallo-Belgicis, aut Anglo-Belgicis in eâdem urbe ſacra frequentabant; poſtea creſcente ſecedentium numero, & excurſionum incommodis, præſertim hyemali tempeſtate, cogentibus, in clandeſtinos aut privato-publicos cœtus plerique coïerunt: non ſine

ine conſilio, ductu & miniſterio miniſtrorum orthodoxorum. Sic Alckmariæ, Roterodami, Hornæ, Hagæ-comitis. Quorum cœtus ſciſmatici & eccleſiæ ſchiſmaticæ à Remonſtrantibus; ſed *conquerentes* eccleſiæ (Belg. *dolerende kercken*) ab orthodoxis vocabantur: & ſi cœtus clandeſtini eſſent, *Eccleſia crucis*, ſeu *ſub cruce*: quod perſecutionem à Magiſtratibus Remonſtrantiſmo faventibus paterentur.

Probatur autem talis ſeparatio ſeu ſeceſſio,

1. Ex Rom. 16. v. 17. *Ut obſervetis diſſidiorum & offendiculorum autores contra doctrinam, quam vos didiciſtis; & declinetis ab eis.* 2 Corinth. 6. v. 17. *Exitio è medio eorum, & ſeparamini* Apocal. 18. v. 4. *Exite ex eâ populo mi*, &c. Confer quæ pro noſtrarum eccleſiarum ſeceſſione à Romanâ, ſpecialiter pro populi ſeceſſione à ſuis anteceſſoribus, in Galliâ, Belgio, atque alibi adferri ſolent. Nos in *Deſper. causâ Papatus lib.* 3. *ſect.* 3. ſeceſſionem illam defendimus.

2. Ex exemplo Apoſtolico *Actor.* 19. *v.* 9. 10. Et exemplo omnium tunc temporis fidelium Judæorum qui à ſynagogis quiſque ſuis, & ab iis qui ſedebant in cathedrâ Moſis (*Math.* 23. *v.* 1.) ſacerdotibus, Levitis, legiſperitis ſeceſſionem ſponte fecerant, aut eam norunt ἀποσυνάγωγοι: probantibus Apoſtolis.

3. Ex 2. *Epiſt. Johann. v.* 10. Ubi cum heterodoxo prohibetur; hâc ratione, quod communicat cum communicet operibus ejus malis. Jam vero non debemus communicare cum infragiferis operibus tenebrarum *Epheſ.* 4. Ergo abalienatio, ſeceſſio, & ſeparatio non tantum licita, ſed & neceſſaria eſt. Accedit quod continuatio populi in illâ communione per frequentationem concionum & perceptionem ſacramentorum periculoſa, & ſcandaloſa, & conſcientiam inquietans ac lædens ſit.

4. Ex Hoſeæ 2. v. 3. 4. *Dicite fratribus veſtris populus mi*, &c. *contendite cum matre, contendite: quoniam ipſa non eſt uxor mea*, &c. Quæ contentio infert aut præſentem aut futuram ſeceſſionem: ſiquidem pertinaciter perſtant in falsâ doctrinâ & idololatria urgendâ. Quo etiam pertinent multa millia virorum, qui deſertis ſynagogis & eccleſiâ Iſraelitarum, ad veram Dei cultus in eccleſiâ Judaicâ tunc conſervati, profeſſionem & communionem, tranſibant. Vide 1 *Reg.* 18. *v.* 12. & 19. *v.* 18. coll. cum *Rom.* 11. *v.* 4. 2 *Paral.* 11. *v.* 13.-18.

5. Ex analogicâ illâ ſeceſſione ac ſeparatione, quâ Zerubabel & Jehoſuah & principes patrum ad communionem veri cultus & eccleſiæ ſuę non admittebant heterodoxos. *Ezra* 4. *v.* 3.

6. Ex exemplis antiquorum Chriſtianorum, qui à cathedris & templis ſuis per Arrianos, alioſve hæreticos occupatis ſeceſſionem faciebant.

Atque hæc pro ſeceſſione & ſeparatione populi à ſynagogâ & hierarchia Romanâ: Quæ Waldenſum, Wicleſiſtarum, Huſſitarum, Reformatorum ſeparationi applicata, *Caſſandrum*, *Eraſmum*, & multos ante reformationem, ut & hodie melioribus imbutos arguunt, quod non ſecedendo cum falsâ doctrinâ illic ſonante non tantum communicârint, ſed & idololatriâ ac ſuperſtitione ſe polluerint.

Proviſionalis ſeceſſio quorundam reformatorum in Belgio circa annos 1613. 1614. uſque 1618. ſatis defendi poteſt, ex *Arminii diſp.22. tit. Eccleſias reformatas à Romanâ*, &c. Et ex *Conr. Vorſtii diſpp. de cauſis juſtis deſerti & deſperandi Papatus*: quarum unamquamque ex duodecim putat ſufficere. *Arminius* §.15. tres cauſas ponit 1. varias Romanæ eccleſiæ hęreſes. 2. multiplicem idololatriam. 3. immanem tyrannidem. Primam cauſam obtendebant orthodoxi, contra Remonſtrantes, qui hæreſes Pelagianas de gratia Dei, quinque articulorum tectorio & titulo ἀνωνύμως intrudere satagebant: quos proximè ſequebantur alii articuli, de juſtificatione, peccato originis, perfectione in hâc vitâ, certitudine ſalutis, &c. ſuper quibus in collatione Delfenſi ſe declarare detrectabant; multarumque aliarum hęreſiūn caudam trahebat. De quo *part. 1. Polit. Eccleſ. lib. 4. tr. 1. cap.* 10. Proviſionalem iſtam orthodoxorum à Remonſtrantibus concionatoribus, viam domini coram multitudine blaſphemantibus, (*Actor.* 19. *v.9.*) ſeceſſionem, contra accuſationes Remonſtrantium defenſam vide in Actis Synodi *Nat. Dordracenæ ſeſſ.* 26.-31. Objectiones & exceptiones; quæ contra neceſſariam & legitimam ſeparationem adferri ſolent, nominatim à *Corn. Janſenio* tunc theologo Lovanienſi, *lib.* 3. *Deſper. cauſæ Pap. ſect.* 3. à nobis refutatæ ſunt.

§.3. III. *Poteſtas* populi eſt 1. dogmatica. 2. ordinis & regiminis, quæ ſex actibus ſe exſerit. 3. juriſdictionis quæ itidem ſex actibus ſe exſerit. Vide triplicis poteſtatis eccleſiaſticæ actus ſupra *part. 1. lib. 1. tract. 2. cap.* 1. explicatos:

Duo hic obſervanda. 1. *primum* ne populo nullam poteſtatem tribuamus. 2. nec populo tribuamus poteſtatem ἡγεμονικὴν, & directivam.

I. *Quæſt. An cum caſu aliquo ſive peſtis ſive gladii, eccleſia in inſulâ, aut inter Barbaros anteceſſoribus ſuis orbata eſt; populo liceret, operâ alicujus præ aliis idonei proviſionaliter uti in verbi lectione, catechizatione, precibus, etiam, concionibus? Reſp. Aff.* 1. *Quia* omnes ſunt Prophetæ, ſacerdotes reges ſpirituales. 2. *quia* omnes fideles debent ſe mutuo ædificare, & ad hoc ſe idoneos reddere. 1 Theſſ. 5. v. 12. *Quapropter adhortamini alii alios*, &c. v. 14. *Precamur autem vos fratres, monete inordinatos*, &c. Actus autem omnes populi circa vocationem miniſtrorum, cenſuras, &c. primam eccleſiæ conſtitutionem,

Digitized by Google

ationem, ejuſdemque recollectionem, reſtitutionem, reformationem, &c. denuò ſpecialiter & diſtinctè explicabuntur.

II. *Quaſt. An poteſtas populi præjudicet directiva poteſtati anteceſſorum, ve ſingulorum, collectim in ſynedriis, claſſibus, ſynodis conſideratorum; aut eam ollat? Reſp. Neg.* non magis quam libertas populi modo explicata. Sicuti bertas & poteſtas civium, & collegiorum civicorum, in regimine ſæculai, non præjudicat, poteſtati Principis aut Senatus; multo minus eam ollit.

III. *Quaſt. An poteſtas populi ab eodem reſignari, tradi, & in alterum, qui non ſit ille populus, transferri poſſit? Reſp. Neg.* ſive alter ille ſit, ûnus aut aliqui ex populo, ſive ſit ſynedrium, ſive ſynodus, ſive epiſcopus, ſive princeps ſæcularis, ſive Magiſtratus. Sicuti ſynedrium poteſtatem ſuam transferre non debet in claſſem, nec claſſis ſuam in ſynodum; nec vice verſâ nec ynedrium aut claſſis, aut ſynodus ſuam quæque poteſtatem, in populum ecclesiaſticum, multò minus in Principem aut Magiſtratum.

Object. 1. In regimine politico talis tranſlatio obtinet. Ergo etiam in regimine eccleſiaſtico. *Reſp. Neg.* conſequentia. Regimen & regnum Chriſti non eſt de hoc mundo. *Joh.* 18. Nec libertas & poteſtas eccleſiaſtica eſt politica aut ei homogenea. *Luc.* 22. *v.* 25. 26. cum 1 *Petr.* 5. *v.* 3. 2 *Cor.* 1. *v.* 24. & 10. *v.* 3. Vide differentias iſtarum poteſtatum ſupra *part.* 1. *lib.* 1. *tract.* 2. explicatas. *Marſilius de Menandrino* Patavinus in celebri illo *libro, cui tit.* defenſor pacis ſeu apologia pro Imperatore Ludovico Bavaro, *part.* 1. *cap.* 15 & *part.* 2. *c.* 17. ſuperſtruebat jus eccleſiaſticum Imperatoris huic hypotheſi ſuperſtruebat, Quod populus Chriſtianus ſeu eccleſia univerſalis, (ſaltem Imperii Romani) poteſtatem ſuam aut jus ſuum in Imperatorem tranſtuliſſet. Sed an hoc ſponte fecerit, & quando aut ubi, non probatur, nec probari poterit. Deinde, dato hoc feciſſe, non tamen debuit facere, nec Imperator illud affectaſſe aut recepiſſe. Poteſtatem quam politicam aut dominium aliquod temporale ſi Titius in Imperatorem transferre poteſt, non tamen æque poteſtatem ſuam maritalem, aut patriam, nec paſtor eccleſię ſuam paſtoralem.

Inſtantia Imperator repræſentat omnes ſuos ſubditos; & conſequenter poteſtas eccleſiaſtica competens ipſius ſubditis, qui ſunt eccleſia, competit Imperatori. *Reſp.* Eſt fallacia accidentis. Imperator repręſentat illos ſubditos, quâ tales: ſed non, quatenus ſunt eccleſia. Subditi aliqui ſunt doctores juris, medecinę, theologiæ, philoſophiæ; aliqui ſunt mariti, & habent poteſtatem in uxores ſuas maritalem, aliqui ſunt paſtores eccleſiarum. Inde tamen concludendum non eſt Imperatorem omnes illas poteſtates, facultates, repræſentare & in ſe continere: ſive formaliter ſive eminenter.

Object. 2. Ut in politiâ Magiſtratus alicui legato aut plenipotentiario col-

collegii ſui aut membro ſe repræſentante ſuam poteſtatem quaſi committit, inque eum transfert: ſic etiam in eccleſiaſticis miſſionibus, eccleſiarum viſitationibus, dandis teſtimoniis, &c. *Reſp.* Neutri poſſeſſionem poteſtatis alteri concedunt, aut in eum transferunt, ſed tantum uſum χρῆσιν in præſenti negotio.

IV. *Quæſt. An ſynedrium, aut ſynodus, aut claſſis, aut Magiſtratus, populi poteſtatem, ab eo in ſe transferre poſſit? Reſp. Neg.* Non repetam ex jure divino aut naturali rationes alibi allatas, ſed ſolummodo ex elementis juris, *Juſtitia eſt conſtans & perpetua voluntas ſuum cuique tribuendi*, & alterum illud; *Jus quæſitum nemini auferendum.* Hic eſt jus divinitus collatum & jure divino poſſeſſum. Quod ſi quis, timore Dei poſthabito, hoc agat, is expectet impletionem comminationis illius Jeſa. 33. v. 1. 2. *Væ prædanti, & tu non prædam paſſus*, &c. *cum conſummaveris prædans prædam patieris, cum conſummaveris contemnere, contemnent te.* 1 Theſſ. 4. v. 6. *Ut ne quis opprimat & habeat quæſtui in negotio fratrem ſuum, nam vindex eſt Dominus omnium iſtorum.*

§. 4. IV. *Dignitas*, eſt vel fidelis aut ſancti cujuſque quâ talis; *vel* fidelis ut eſt membrum coordinatum & incorporatum ſocietati eccleſiaſticę; *vel*, fidelium omnium collectim conſideratorum, ut corpus eccleſiaſticum. Quomodocunque conſiderentur fideles, competit ipſis dignitas: eaque *vel* comparatè ad infideles: *vel* comparatè ad alios fideles in eâdem ſocietate eccleſiaſticâ. *Prior* dignitas probatur; quia acquiſiti & redemti ſunt magno pretio, pretioſo Dei ſanguine 1 *Cor.* 6. *v.* 1. 1 *Petr.* 1. *v.* 18. *Actor.* 20. *v.* 28. ubi loquitur de grege ſeu populo eccleſiaſtico ab anteceſſoribus diſtincto. *Quia* populus eſt genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus quem ſibi Deus ut proprium vendicat 1 *Petr.* 2. *v.* 9. eſt ſponſa Chriſti, *Cantic.* 1. quaſi pupilla oculi ejus *Zachar.* 2. *v.* 8. à Chriſto & in Chriſto honorati & laudati, *Cantic.* 1. *v.* 7. & ſeqq. & 2. *v.* 1. 14.

Poſterior dignitas & ἐξοχὴ eſt fidelium comparatè ad alios fideles ipſis concorpores. Hinc diſtinctio fidelium & membrorum eccleſiæ, in viliſſimos 1 *Cor.* 6. *v.* 4. & in præſtantiores, excellentiores, honoratiores: in *viros*, ſeu *ſpirituales*, ſeu *perfectos*; & *infantes* ſeu *carnales* 1 Corinth. 3. v. 1. 2. coll. cum *Hebr.* 5. *v* 14. & *Philipp.* 3. *v.* 15. In membra corporis 1 Cor. 12. v. 22. 23. 24. *decora*, & in *infirmiſſima*, ac quæ putantur *minimè honeſta.*

I. *Quæſt. An primarium, præſtantius, dignius, honoratius membrum eccleſiæ ſit & dici debeat, ob qualitatum interiorum ſpiritualium, & eccleſiaſticarum* ἐξοχὴν *ſeu earum excellentiores gradus & dona excellentiora divinitus eidem collata; & ob zelum, & excellentiorem per aſſidua aut frequentiora opera & exercitia pietatis ac profeſſionis fidei oſtenſionem; ſupra alia membra: an vero ob*

ex-

excellentes in ſæculo qualitates, gradus, dignitates? Reſp. Aff. pr. Neg. poſter. *Illa* enim præſtantia, ἐξοχὴ, dignitas fundatur in intrinſeco, ſpirituali, eccleſiaſtico, & οἰκεῖῳ fundamento, & conſequenter eſt per ſe ſeu formaliter & homogenicè in fideli ſeu in membro eccleſiæ, quà tali: *Iſta* vero eſt & habet per accidens ad membrum eccleſiæ, aut ad fidelem: ſicuti cum faber eſt muſicus, & muſicus eſt faber; accidit fabro, quod ſit Muſicus, & Muſico quod ſit faber. Et conſequenter præſtantiſſimus, excellens & primarius faber, ſi quæratur de illius muſicâ, ideo dicendus non eſt primarius & præſtantiſſimus Muſicus, ex hoc fundamento, quod ſit primarius faber. Committitur enim fallacia accidentis. Ac ſi quis formoſiſſimam virginem in illo genere omnes alias hic & nunc ſuperantem, ſiquidem membrum ſit eccleſiæ, dicat excellentiſſimum & primarium eſſe membrum: & Nabalem Carmelitam inter primaria, excellentiſſima, & digniſſima Eccleſię, Iſraeliticæ membra numeraret; quod cenſu & πλούτῳ inter & ſupra pleroſque Reipublicæ Iſraeliticæ cives prævaleret: & Bartolum aut Baldum inter Chriſtianos Chriſtianiſſimum diceret, quod inter Juriſperitos ſui temporis periſſimi audirent. Sed ſi in duobus quis excellat in militię profeſſione, & Chriſtianiſmi profeſſione: jam utrumque de illo prędicandum eſt, abſque confuſione: ut κρατηρὸς αἰχμητὴς non ſit per Chriſtianiſmum, nec excellens Chriſtianus per & propter militiam.

II. *Quæſt. An Confeſſores multa paſſi pro nomine Chriſti inter primaria, excellentiſſima, & dimiſſa eccleſiæ membra numerandi ſint? Reſp. Aff.* cæteris paribus: ſi ſcil. in cognitione ſpirituali, zelo pietatis, & conſtanti ac perpetuâ ejuſdem praxi, & ſacrorum frequentatione, oſtenſione laborioſæ charitatis erga nomen Chriſti, & erga ſanctos, excellunt. Et hinc eſt, quod tales in antiquâ eccleſiâ tantæ fuerint dignitatis & autoritatis; ut lapſi pœnitentes eorundem interceſſionem apud eccleſias pro veniâ & abbreviatione impoſitæ pœnitentiæ impetrandâ potiſſimum uterentur. Uti diſcimus ex Cypriani epiſt XI. *ad martyres & confeſſores qui lapſis petierunt parem dari.* Et *epiſt.* 15. Quin & pervenerant, ut ipſi parem promitterent, etiam libellis ſuis darent. In quo cum ſæpe nimis faciles eſſent, à petentibus circumventi, ſcripſit ad eos *Cyprianus epiſt.* XI. & ad presbyteros & diaconos Romanos, ſuper eodem negotio, *epiſt.* XV. & *epiſt.* XIII. *ad clerum.* Vide & *epiſt.* XXI. quę eſt *Celerini ad Lucianum.* & XXII. *Luciani ad Celerinum.* Inter martyres autem numerabant, & eo titulo inſigniebant, qui poſt tormenta pro Chriſto mortem evadebant; quos *Tertullianus* in libro ad Martyres, *deſignatos martyres* nuncupat. *Etiam* qui pro Chriſti nomine martyrium exſpectabant, quibus à Cypriano epiſt. 9. inſcripta, *Cyprianus martyribus & confeſſoribus Jeſu Chri-*

lii Domini noſtri in Deo patre perpetuam. Denique qui in fugâ pro Chriſto obierit.

III. *Queſt. An mulier qualitatibus & actionibus ſupra ad quæſt. 1. recenſitis excellens, inter primaria & digniſſima eccleſiæ membra, numerari poſſit: comparatè ſcil. ad quævis alia ſive virilis ſive fœminei ſexus, ejuſmodi qualitatum & actionum excellentiâ non inſignita? Reſp. Aff.* Ut in Chriſto non valet mas aut fœmina, ſed fides per caritatem, & nova creatura *Gal.* 5. & 6. ſic nec in eccleſiâ: excepto quod mulieri loqui & docere in eccleſiâ non permiſſum 1 *Cor.* 14. *v.* 34. 35. 1 *Timoth.* 2. *v.* 12. Quæ ſupra diximus, de fidelibus, quod ſint in oculis Dei, quod in iis tanquam ſanctis & inclytis in terrâ debeat eſſe beneplacitum piorum *Pſalm.* 16. quod ſint regale ſacerdotium, gens electa, ſponſa Chriſti, Dei peculium, reges & ſacerdotes, &c. id etiam mulieribus applicandum eſt. Nec eſt de nihilo, quod Deus aliquando mulieres dignatus eſt extraordinario munere in eccleſiâ per extraordinariam & immediatam vocationem; ut filias Philippi Euangeliſtæ, Annam Prophetiſſam, Huldam, Mirjam, Deboram, quæ ſe vocat *matrem in Iſraele* Judic. 5. v. 7.

§. 5. V. *Æqualitas*, conſideratur vel circa plures eccleſias, in eadem correſpondentiâ claſſicâ aut ſynodicâ unitas atque aſſociatas: vel circa membra particularis & topicæ eccleſiæ in idem corpus ſub *uno* ſynedrio unita.

1. *Æqualitas prior* eſt, quâ ſingulares topicæ eccleſiæ paris ſint poteſtatis, & jure adæquationis in aſſociatione & correſpondentiâ claſſicâ, aut ſynodica pariter ſuffragia ferunt.

Huic æqualitati repugnat in defectu cujuſque eccleſiæ *independentia*; in exceſſu *ſuperioritas. Illa* eſt independentia tum in ortu tum in actu topicæ cujuſque eccleſiæ urbicæ, oppidanæ, vicanę à corpore eccleſiarum in unam correſpondentiam claſſicam aut ſynodicam unitarum. De quâ infra *part. tit. de claſſibus & ſynodis: & part. 1. lib. 1. tract. 1. Iſta* eſt eccleſiæ topicæ ſupra alteram eccleſiam ſive vicinam ſive remotam ex ſe derivatam, & tanquam coloniam (ita loquar) deductam, eminentia: quâ illa aut illæ unius illius poteſtati regiminis & juriſdictionis, tum in ortu tum in actu ſubjectæ ac ſubordinatę ſunt, atque ab eâ dependent. Sicuti filia à matrefamilias, vici urbi ſubjecti ab urbe, collegia civica à Senatu. Qualem ſubordinationem, ſubjectionem, & dependentiam ſupra *part. 1. lib. 1. tract. 1. cap.* 6. expendimus. De *ἰσοτιμίᾳ* & æqualitate miniſtrorum in eâdem aut in diverſis eccleſiis miniſtrantium, infra *lib.* 4. agitur.

II. *Æqualitas poſterior*, eſt membrorum in una eâdemque eccleſiâ topicâ unitorum & *συσσώμων*. Quæ *proximè* & *immediatè* fundatur in jure

ad-

adæquationis membrorum in eccleſiâ illâ inſtitutâ: & reſpicit *tum* externa ſacra, quibus pariter communicant, *tum* affectiones corporis eccleſiaſtici libertatem, poteſtatem, dignitatem, obedientiam, quarum quiſque partem (ita loquar) tenet. *Remotè & mediatè* fundatur, in donis, qualitatibus, & privilegiis ſingulorum fidelium. Singuli enim ſortiti ſunt ἰσότιμον πίστιν, unam, fidem, unum baptiſma, unum ſynedrium particulare, unam matrem, unum mediatorem, unum Deum, unum ſpiritum, uno pretio redemti, & unico ſacrificio conſummati, una ipſis via ſalutis, una ſpes hæreditatis; omnes ſunt fratres, nec alter alterius dominus, quamvis mutuò ſibi ſerviant in caritate, *Gal. 5. v. 17.* una eademque juſtitia Chriſti æqualis ſingulorum juſtitia, imputata ſcil.

I. *Quæſt. An membrorum unius ejuſdemque eccleſiæ inter ſe inæqualitas, fundetur in inæqualitate ſeu diſtinctione graduum, quod ad dona, bona, ordinem in hoc ſæculo? Reſp. Neg.* Quia hæc ſunt fidei, gratiæ, regno Chriſti, eccleſiæ, membris eccleſiæ extrinſeca, & habent ſe ad ſpiritualia & eccleſiaſtica quâ talia, plane per accidens. Confer ſupra *Num.* IV. de dignitate, ubi *quæſt.* de præſtantiori, excellentiori & primario eccleſiæ membro. Breviter *Jacob.2, v.1.* arguuntur, qui ſic judicant, acceptionis perſonarum.

II. *Quæſt. An qualitatum ſpiritualium & eccleſiaſticarum ἐξοχὴ & excellens gradus poſſit fundare aliquam inæqualitatem? Reſp.* Diſtinguimus gradum accidentalem ab eſſentiali. *Iſtum* negamus, quomodo gradus entis & entium dicuntur philoſophis, *eſſe* inanimatorum ſcil. ut lapidis, ſolis, lunæ, &c. *vivere* vegetabilium, *ſentire* animalium, *intelligere* hominum. *Illam* concedimus, quippe in gradibus accidentalibus fundatam. De quo ſupra *Num.* IV.

III. *Quæſt. An exemtio eccleſiaſtica, aut immunitas, obtineat aut obtinere debeat in Eccleſia Chriſti, & ejus reſpectu inæqualitas membris eccleſiæ tribui? Reſp.* Pontificii Canoniſtæ ad c. *recepimus, tit. de privilegiis*, & ad c. 1. *de verborum ſignif. lib. 6.* ſcriptores de praxi epiſcopali, de Regularibus eorumque privilegiis, de privilegiis ſcholarum; & hodierni Caſuiſtæ in voce *exemtio*; *Auguſtin. Barboſa in collectan. ad bullarum, & deciſiones S. congreg. Cardinalium* in voce *exemtio*, *Concil. Trident. ſeſſ. 14. cap 9 coll.* cum *ſeſſ.6. cap. 3.* ubi exemtionum indulta, & uſum haut parum reſtringere conatur. *Jus Canonicum* loc. cit. definit exemtum, qui excommunicari, ſuſpendi, interdici à nemine poteſt, præterquam à Papâ, vel ejus delegato.

Exemtio in genere eſt *libertas ſeu eductio ab aliquâ ſubjectione aut ſervitute*, Exemtio Romano-eccleſiaſtica, ab hodiernis Caſuiſtis, & Canoniſtis ſecundum jura nova (apud *Zypæum lib.5. Juris Pontificii novi* tit. *de privi-*

legiis & exceſſibus privilegiatorum) minutim explicatur. Deſcribunt eam Caſuiſtæ, quod ſit *liberatio à poteſtate ordinarii inferioris à Papa* (hoc eſt, epiſcopi): *ſtante ſubjectione immediatâ ad Romanum Pontificem.*

Dividunt eam in *perſonalem, localem, univerſalem, particularem.* Perſonalis eſt, quâ eximitur perſona à quocunque judice ſæculari vel eccleſiaſtico; ita ut à nullo delegato judicari, excommunicari, interdici, vel ſuſpendi poſſit. *Localis* eſt, cùm privilegium exemtionis datur alicui, in eoque habitantibus, ut eccleſiæ aut monaſterio. *Univerſalis* eſt, quâ eccleſia vel perſonâ cum univerſalitate juris ſui ſpectat ad Papam. *Particularis* eſt, quâ locus aut perſona eximitur tantum in parte & in certis caſibus.

Eccleſiæ reformatæ imprimis Belgicæ aliæque presbyteriales, in ſuis confeſſionibus, catecheſibus, canonibus & ſtatutis eccleſiaſticis, liturgiis, ſynodalibus decretis, corporibus doctrinæ, ſynopſibus & locis communibus, *exemtiones* non agnoſcunt. Remonſtrantes praxi ſuâ ſtudioſè affectabant, quærebant, petebant, uſurpabant, ubi poterant, membra ſcil. eccleſiæ particularis, miniſtri ſeorſim aut collectim, ſynedria, claſſes, *exemtionem & independentiam* particularem, à ſynedrio, claſſe, ſynodo particulari, etiam Nationali ſeu generali. Celebris fuit totius ſocietatis petitio facta Illuſtr. Hollandiæ Ordinibus anno 1610. ad exemtionem ſibi præſtandam ab examinibus claſſium in admiſſione ad miniſterium, ſuper quinquarticularis dogmatibus, & à cenſuris eccleſiaſticis; contra quas protectionem Illuſtr. Ordinum petebant. Sed illorum molitiones, pragmatias, & cognitionum ac judiciorum ab eccleſiâ ad magiſtratum tranſlationes, ſatis ſuperque orthodoxi tunc arguerunt, & etiamnum hodie, recrudeſcentes ſimiles ἀταξίας arguere non ceſſant. Qui in eccleſiâ rebus novis ſtudent, aut malis ſuis moribus eccleſiaſticæ attentionis, cognitionis, adhortationis, correptionis, cenſuræ, objectum fiunt, aut fierent; plerumque ad brachium ſæculare confugiunt, eorumque favore ſubrepticiè impetrato, *exemptione* & independentiâ ſuâ gaudere, & ordini ac poteſtati eccleſiæ ſubducere conantur. Refert Beza in Vitâ Calvini: fuiſſe aliquem ab uſu cœnæ ſynedrii judicio privandum, qui cauſam ſuam ad Senatum cum detuliſſet, decretum ſeu mandatum ab eo impetravit, quo abſtentione illa rejectâ, uſus cœnæ illi adjudicabatur: qui tamen fidelitate & animoſitate Calvini & collegarum percepta, non auſus fuit cum illo ſalvo conductu in curiâ impetrato ad menſam accedere. Logi, quibus Principes aut Magiſtratus ſive ſupremos (quibus ſolis poteſtatem eccleſiaſticam deferebant Remonſtrantium primipili) ſive inferiores, ineſcare ſolent, ſunt iſti, Quod Magiſtratibus competat poteſtas in ſacris & circa ſacra, quam ſynedria, claſſes, ſynodi uſurpant; & quâ abutuntur, dato, aliquam eccleſiaſticis competere: conſequenter, Principum

cipum Majeſtatem, Magiſtratuum autoritatem ab eccleſiaſticis ſic agentibus, peti, quaſſari, ſubrui; novamque Papalem hierarchiam & tyrannidem Papalem pro foribus eſſe, niſi Magiſtratus tempeſtivè proſpiciat. Hęc methodus & comœdia vetus, hęc nova. Sed nos nec cavillationibus, nec fabulis, nec infrunito aliquo ſophiſmate, nec formulis, *Quia ita mihi placet*; *Quia ſic intelligo*, *quia ita poſſidemus ſeu uſurpamus*, ἄγραφον hoc commentum eccleſiis obtrudi velimus: ſed ſcripturæ teſtimoniis, aut argumentis inde deductis, aut ſaltem conſtitutionibus eccleſiaſticis & decretis ſynodicis perſuaderi.

Nos contra & ex abundanti probamus, repugnare *exemtionem*, ſive ſingularis perſonæ, ſive certi ſtatus & ordinis hominum in hoc ſęculo, e. gr. nobilis, militis, advocati, medici, ſenatoris, judicis, mercatoris, nautæ, geometrę, pictoris, gymnaſiarchæ, pręceptoris, miniſtri aulici, Academici Profeſſoris, cujuſque facultatis, concionatoris, ſenioris, diaconi, proponentis, ſcholaris ſeu ſtudioſi cujuſcunque facultatis, &c., repugnare, inquam,

I. *Scripturæ* Actor. 20. v. 28. *Attendite igitur animum ad vos ipſos, & totum gregem, in quo vos Spiritus ille ſanctus conſtituit Epiſcopos, ad paſcendam Eccleſiam Dei, quam ſuo illo ſanguine acquiſivit*, cum 1 Petr. 5. v. 2. *paſcite gregem*: atqui cujuſcunque qualitatis, ſtatus, profeſſionis operis, occupationis in hoc *ſæculo*, pertinet ad gregem paſcendum, quatenus ovis eſt in iſto grege, & membrum iſtius eccleſiæ. Nemo hic ab ordine eximere poteſt, niſi qui ordinem illum dedit. Atqui ille eſt Magiſter & caput eccleſiæ, Jeſus Chriſtus. Sicuti ordinem illum agnoſcentes probant, à Chriſto poſitum eſſe: ſic tibi probandum eſt *exemtionem*, quam prętendis, à Chriſto ſancitam eſſe. Textus adducti nullam patiuntur exceptionem, nullam exemtionem. Qui ſtudet excipere, ſtudet decipere. Quod ſi quis excipiat ſcholares, aut nobiles, aut milites, aut aulicos, aut medicos, aut advocatos, &c. aut Titium, aut Mævium; jam non deberent eſſe membra iſtius corporis. Relata ſe mutuo ponunt & tollunt. Eſt quis ovis illius paſtoris, diſcipulus iſtius Doctoris, ergò reciprocè, &c.

II. Confeſſioni Belgicæ *art.* 23.-33. & *Catecheſi quæſt.* 84. & 85. Et canonibus eccleſiaſticis *artic.* 72. 75. Nec non liturgiæ cap. de confirmatione concionatorum & cap. de confirmatione ſeniorum & cap. de excommunicatione; ubi uſus clavium ad doctrinam ęque ac ad mores, & ad quoſvis fideles ſeu membra eccleſiæ extenditur: uti docent catechetici commentatores & locorum communium ſcriptores. Sicuti ergo nos probamus ordinem illum regiminis & diſciplinę ab eccleſiis & ſynodis Belgicis præſcriptum: ſic illis probandum eſt, *exemtionem* ab iiſdem eſſe ſtabilitam.

 III. Re-

Digitized by Google

III. Repugnat talis *exemptio* ſive univerſalis, ſive particularis, ſtipulationi ſolenni quâ miniſtri & ſeniores obligantur ad curam, inſpectionem, correptionem, cenſuram ſingulorum membrorum; quarum ipſi Domino rationem reddituri ſunt. *Hebr.* 13. *v.* 17. *Ezech.* 2. & 3. 1 *Petr.* 5. *v.* 4. 1 *Cor.* 4. *v.* 1. 2. 2 *Timoth.* 4. *v.* 2. - 6. Niſi quis diſpenſationes, & ſalvos conductus, miniſtris hoc non agentibus circa Titium, aut viros iſtius ordinis, aut ſtatus, aut cenſus, aut dignitatis in hoc ſæculo impartiri queat. Sed nondum à quoquam hoc factum vidimus.

IV. Repugnat ſolenni ſtipulationi, ſub & cum quâ cujuſcunque ordinis aut ſtatus homines in membra eccleſiæ in Belgio noſtro recipiuntur. Vide in *liturgia noſtrâ*, epitomen Chriſtianæ religionis, pro iis, qui ad cœnam acceſſuri & ſupra *part.* 1. *lib.* 2. *pag.* 756. Quin & ipſi concionatores & ſeniores in confirmatione ſolenniter promittunt ſubjectiònem ad diſciplinam eccleſiaſticam: ſi quis Titio eccleſiæ membro aut pictoribus, aut medicis, aut juris ſtudioſis, aut philoſophis, aut nobilibus, aut concionatoribus, aut ſenioribus eccleſiæ membris, in tali promiſſione eccleſiæ factâ diſpenſare poſſit; concedam facilè inde ſequi liberationem miniſtrorum aut ſeniorum ab actibus poteſtatis ſuæ; admonitione ſcil. correptione, cenſurâ. Sed non puto inter reformatos inveniri, qui aperte ſibi arrogare auſint illud Canonico-Papale, *Contra jus de jure diſpenſat.* Item, *Diſpenſat in juramentò, in voto.*

V. *Obedientia.* Quæ duplex eſt vel membrorum inter ſe; vel membrorum omnium, & ſingulorum erga anteceſſores ſuos, dici poteſt obedientia caritatis. De quâ Galat. 5. v. 13. *ſervite alii aliis*, &c. *Iſta* dicatur obedientia juſtitiæ. Quæ probatur ex Hebr. 13. v. 17. *Parete ductoribus veſtris & obſecundate, excubant enim pro animabus veſtris*, &c. *Secundo* probatur ex analogiâ patrum, Doctorum, Ductorum, præfectorum ſæcularium, quibus inferiores obedientiam debent. Jam vero presbyteri & anteceſſores eccleſiaſtici appellantur patres, Ductores, Doctorès, præfecti, &c. Obedientiam autem non eſſe cœcam, ſupra docuimus. Sed objectionum & dubiorum ſolutione magis æqualitas & obedientia membrorum eccleſiæ pateſcet.

CAP.

Digitized by Google

CAP. III.

Tolluntur dubia & objectiones contra æqualitatem & obedientiam membrorum Eccleſiæ.

OBject. Moribus omnium reformatarum politiarum, nominatim in Belgio noſtro ita obtinet, ut quædam membra eccleſiæ ſint exemta? *Reſp.* 1. Factura ſi eſſet, non fundaret, aut faceret, aut probaret jus: juxta commune & irrefragabile axioma, *Non* [e]*xemplis ſed legibus vivendum & agendum eſt. Reſp.* 2. In æternum non pro[b]abitur, eccleſiæ membra extra eccleſiam in hoc ſæculo in tali ordine [a]ut ſtatu conſtituta, ob talem ordinem aut ſtatum, eſſe aut haberi exemta, (e.gr. ſi civis ſit, patricius, nobilis, miles, eques torquatus, Doctor juris aut [m]edicinæ, philoſophus mathematicus, pragmaticus, mercator, judex, ſe[n]ator, ſtudioſus Academicus, cujuſcunque facultatis) ſupra alios incolas, [a]ut ſupra alios, qui non ſunt iſtius ordinis & ſtatus. Apoſtolus Paulus [e]rat civis Romanus, centuriones & milites Romani (*Math.* 8. *Actor.* 10.) e[r]ant tales in ſæculo: ideo tamen non erant *exemti* in eccleſiâ.

II. *Object.* Non poteſt quis à duabus poteſtatibus dependere, aut iis qua[c]unque ratione ſubordinari, aut iis obedientiam præſtare, abſque viola[t]ione & ſublatione alterius. Sicuti *nemo poteſt duobus dominis ſervire: aut enim* [u]*num habebit odio & alterum diliget: aut uni adhærebit, & alterum condemnet.* [M]ath. 6. *Reſp.* 1. Uno hoc ictu excideretur tota poteſtas, ſubordinatio, [u]nio, & ſocietas eccleſiaſtica; & induceretur monſtroſus & inauditus inde[p]endentiſmus, hoc eſt, mera confuſio, ὀχλοκρατία, libertiniſmus; & con[ſ]equenter nulla eſſet eccleſia viſibilis inſtituta: de quo independentiſmo [i]ndependentiſſimi (ita loqui liceat) independentes, & Sociniani ne per[s]omnium hactenus cogitarunt. *Reſp.* 2. Eraſtiani, Neutrales Jacobei olim [h]ic Ultrajecti, aliique ἰδιόσοφοι omne regimen, omnem poteſtatem ec[c]leſiaſticam, in fervore contentionis, ſubinde ſive directè ſive indire[c]tè & per conſequentiam rejeciſſe videntur, prętextu præjudicii Prin[c]ipum & Magiſtratuum poteſtati per eam inferendi; & ſubditos à ſub[j]ectione & obedientiâ Magiſtratibus debita abducendi. Uti oſtendunt [a]bſurdæ & calumnioſæ conſequentiæ, de nova hierarchiâ Pontificis Ro[m]ani æmula introducendâ aut metuendâ, de collateralitate, de ædificatio[n]e imperii in imperio, de ſymbolizatione cum inquiſitione Romanâ & [H]iſpanicâ Belgis noſtris tam odioſâ. Has larvas ſupra *part.* 1. *lib.* 1, *tract.* 2. [p]rofligavimus: & infra *part.* 3. *lib.* 4. denuò fugabimus. Similiter Gentiles olim

olim in rabiem contra Chriſtianos acti ſunt, quod audirent, alium ipſis eſſe regem, Chriſtum ſcil. alios regis iſtius miniſtros, eccleſiarum ductores, epiſcopos, præfectos, præpoſitos. Quibus abunde ſatisfecerunt antiqui apologiſtæ, *Athenagoras*, *Juſtinus*, *Tertullianus* diſtinguendo inter regnum, regimen, poteſtatem, regem, ductores ſæculares & ſpirituales. Eſt ergo *μετάβασις εἰς ἄλλο γένος*. *Reſp.* 3. Quidquid malarum conſequentiarum, ſiniſtrarum ſuſpicionum, vani metus, ſtolidorum ſophiſmatum obtendatur: Dei mandatum eſt, quod fidelibus inculcat Apoſtolus, *Omnis anima poteſtatibus ſupereminentibus ſubjecta eſto*, &c. *Quapropter neceſſe eſt ſubjici* Rom. 13. v. 1. 5. *Proinde ſubjecti eſtote cuivis humanæ ordinationi propter Dominum: ſive regi ut ſupereminenti, ſive præſidibus*, &c. 1 Petr. 2. v. 13. 14. Ejuſdem Dei mandatum eſt, *Servi ſubditi eſtote, cum omni timore, Dominis*, &c. cum Epheſ. 6. v. 5. *Servi, auſcultate iis, qui veſtri Domini ſunt ſecundum carnem, cum timore ac tremore, cum ſimplicitate cordis veſtri, ut Chriſto.* Ejuſdem Dei mandatum eſt, Uxores propriis viris ſubjicite vos, ut Domino Epheſ. 5. v. 22. Ejuſdem Dei mandatum eſt, *Liberi auſcultate in Domino parentibus*, &c. Epheſ. 6. v. 1. Ejuſdem Dei mandatum eſt, *Parete ductoribus veſtris* (eccleſiaſticis ſcil.), *& obſecundate*, &c. Hebr. 13. v. 17. cum 1 Theſſ. 5. v. 12.

Hic tot & tam diverſæ ſunt ſubordinationes, ſubjectiones, obedientiæ, poteſtates. Nulla tamen præjudicat alteri, nedum ut eam tollat: quia quamvis diverſæ ſint, non tamen inter ſe oppoſitæ. Sit e. gr. Sempronia, quę ut civis aut ſubdita ſubordinatur poteſtati Magiſtratus quâ talis, eique obedit. Eadem ſubordinatur patriæ poteſtati, & patri quâ tali obedit. Eadem ubi nupſerit Titio, ſubeſt poteſtati ejuſdem maritali, & marito quâ tali obedit. Eadem cum marito, cuidam domino in miniſterium in curandâ re ipſius familiari & culinariâ ſe addicit: & ſic poteſtati herili ſe ſubjicit, & hero quâ tali obedit. Eadem ſubjecta eſt poteſtati præſidis à rege in illâ urbe, quam incolit Sempronia, conſtituti. Eadem cum marito, dat nomen eccleſię, & fit membrum ejus; atque ita ſubordinatur poteſtati eccleſiaſticæ, & obedit eccleſiæ in anteceſſoribus, quâ talibus: uti in admiſſione ad communionem eccleſiæ, exſertè promittit. Eadem in regno gratiæ, ſubjicitur Chriſto mediatori capiti & regi ſpirituali. Eadem ſubjicitur in regno potentiæ, Deo triuno, qui unicus & ſupremus ille rex eſt, rex regum & Dominus dominantium.

Quot unius perſonæ ſubjectiones, quot obedientiæ, totidem elationes ad tam multas & varias poteſtates.

Sunt quædam ſubordinationes & ſubjectiones ſæculares; quædam ſpirituales. *Sæculares* ſeu bioticæ ac ſymbioticæ ſunt vel *politicæ*, vel *œconomicæ*. *Illæ* rurſum ſunt duplices, vel quâ regi ut principali, vel quâ præſidi, ſubjicitur.

ar. *Iſtæ* ſunt vel triplices; vel quâ patri, vel quâ marito, vel quâ hero ſubjicitur. *Spirituales* & toto genere à ſæcularibus diſtinctæ, rurſum ſunt duplices: vel quâ Chriſto capiti & regi ſpirituali, vel quâ præſidibus & miniſtris ab illo conſtitutis in regno ſpirituali ſubjicitur. Si quis jam nugari vellet ſubjectionem ad poteſtatem ſpiritualem ſive ſupremam regis Chriſti, ſive ſubordinatam & miniſterialem præſidum, legatorum, & regni regiſque ſpiritualis miniſtrorum, (1 *Theſſ.* 5. *v.* 12. 13. 14. 1 *Cor.* 4. *v.* 1. 2 *Cor.* 5. *v.* 19. 20.) lędere aut evertere Semproniæ ſubjectionem ad Magiſtratum, & hujus poteſtatem: næ is ſophiſticaretur, aut potius nugaretur.

Inſtantia, Magiſtratus in Semproniam habet poteſtatem privativè: ergo non eſt poteſtas eccleſiæ in Semproniam, nec hujus ſubjectio ad illam poteſtatem. *Reſp.* Tantundem eſt, ac ſi dicas, non eſt poteſtas Chriſti in Semproniam, nec hujus ſubjectio ad poteſtatem Chriſti. Vel, non eſt poteſtas maritalis Titii in Semproniam; nec hujus ſubjectio ad maritum ſuum: nec eſt poteſtas patria in eandem Semproniam; nec hujus ſubjectio ad patrem ſuum: nec eſt poteſtas eccleſiaſtica directè, immediatè, primo in Semproniam membrum eccleſiæ. Ratio peremtoria eſt, Quia Magiſtratus habet poteſtatem in cives ſuos (inter quos Sempronia) privativè. Sic eſt; in eodem ſcil. genere poteſtatis. Pudet me ineptiarum. An non pari jure dici poſſet, Magiſtratus habet poteſtatem in milites ſuos, in cives ſuos, in collegia civica, in quemvis ſenatorem, in Academiam ſuam omneſque Academicos, in ſatellites, janitores, curſores ſuos: Ergo nemo ex illis debet nomen dare eccleſię & ſub conſueta ſtipulatione ac promiſſione ſubjectionis ad communionem ejus accedere; ne ſcil. præjudicet poteſtati Magiſtratus, & ſuę ad eam ſubjectioni. Similiter maritus habet poteſtatem maritalem in uxorem ſuam; & quidem privativè. Ergo uxor non poteſt fieri membrum eccleſiæ, nec poteſtati ſeu miniſterio eccleſiaſtico ſe ſubjicere, aut ſubjectionem eam promittere: ne ſcil. mariti phantaſtica & ſtolida zelotypia metuat poteſtatis maritalis mutilationem aut ablationem. Academiis, quæ juriſdictionem habent, privativè competit poteſtas, in ſtudioſos ſeu cives ſuos Academicos: ergo patribus nulla competit poteſtas in filios in Academiâ aliquâ ſtudioſos: Chiliarchæ aut centurioni competit poteſtas in milites ſibi ſubjectos: ergo nulla poteſtas competit patribus, quorum filii militant.

III. *Object.* Qui in hoc ſæculo exemtione aliquâ fruuntur à ſummis poteſtatibus conceſſa; deberent iidem exemti eſſe & independentes à poteſtate eccleſiaſticâ attendendi ad tales in ſęculo exemtos, eorundem lapſus in doctrinâ aut moribus cognoſcendi, eos paternè fraternè adhortandi aut dehortandi, etiam re ita ferente corripiendi; immo & cenſurâ notandi. *Reſp.* Negatur conſequentia: Quia eccleſia non eſt politia ſęcularis,

nec

nec viceverſa Eccleſia eſt in Republicâ, in mundo ſeu in ſęculo: ſed non eſt Reſpublica aut mundus aut ſęculum. Eccleſia non eſt ſæculariʒanda, nec conformanda huic ſæculo, aut ad modulum ſæculi, regni, Reipublicæ formanda. *Regnum Chriſti non eſt de hoc mundo.* Joh. 18. *Reges gentium dominantur,&c. vos autem non ſic*, Luc. 22. Regimen ſęculi, & cum ea typhus ſæculi in eccleſiam antehac introductus, ſæculariʒarunt eccleſiam, eamque corruperunt. Qui exemtus eſt in ſæculo aut in politiâ à directâ & immediata poteſtate ac juriſdictione Magiſtratus localis aut territorialis, ut immediatè ſubſit poteſtati & juriſdictioni ſolius ſupremi principis: ideo non eſt pariter exemtus & independens à directâ, immediatâ & primâ poteſtate atque inſpectione (ἐπισκοπῇ) ſuæ eccleſię ſeu ſui presbyterii: tunc enim à nullo dependeret in eccleſiaſticis: quod tam monſtroſum eſſet, ac ſi digitus, auris, naſus pars corporis exiſtens non dependeret à corpore. Niſi Papam ſeu ſummum Pontificem haberet ſive eccleſiaſticum (qualis Romanus); ſive politicum (qualis Numa Pompilius & Caliphę Muhammedici); à cujus poteſtate & juriſdictione in ſacris nulli eſſent exemti. Qualem Pontificem (non quidem nomine, ſed re) faciebant Remonſtrantes, cum rebus ſuis hoc ita conducere putabant. Vide *Epiſcopii, Grotii, Joh. Wytenbogardi, Barlei* ſcripta, cum ſcriptis orthodoxorum Antagoniſtarum, ſupra *part. 1. lib. 1. tract. 2. cap. 3. pag.* 170. à nobis indicata. Memorabile inter alia eſt, quod inter Remonſtrantes *Barlæus* in invectivâ quadam declamatione in orthodoxos miniſtros, exſertè præſumtam poteſtatem Magiſtratus probare voluerit exemplis Melchidezeki & Numæ Pompilii. Non magis autem vi exemtionis in ſæcularibus, & politiâ hujus ſæculi exemtus quis eſt exemtione eccleſiaſticâ; quam vi præfecturę & præſidentię politicę in mundo, eſſet præſes, pręfectus, epiſcopus, Pontifex in ſacris, in eccleſia; qualis Rex Anius rex idem hominum Phœbique ſacerdos; quales Caliphæ Muhammedici, Numa Pompilius, Ethnici Imperatores Romani, & aliqui antiqui jam facti Chriſtiani, qui titulum talem ad imitationem prædeceſſorum Ethnicorum retinebant.

Inſtantia 1. Non eſſent abſolutè independentes aut exemti: quia dependerent à Chriſto eccleſiæ capite, archi-paſtore & animarum epiſcopo. Quomodo *Ignatius in Epiſt. ad Romanos* dicebat, Chriſtum eſſe epiſcopum eccleſiæ ſuæ in Syriâ, ἐπισκοπῇ ſuâ privatæ.

Reſp. Hic non erat ordo à Deo conſtitutus, ut eccleſia eſſet ſine paſtore: ſed tali in caſu erat defectus ſeu privatio ordinis.

Pariter Libertini, ἄναρχοι argumentari poſſent, Qui non eſt exemtus & independens à Deo tanquam univerſali mundi gubernatore, ille non poteſt dici independens.

In-

Inſtantia 2. Exemtiones tales non eſſent abſolutę & univerſales: quia immediatè ſubeſſet ſupremo Magiſtratui à cujus poteſtate & juriſdictione nemo poteſt exemtus eſſe. *Reſp.* Hoc eſt, quod antehac diximus de Pontifice aut Pontificibus ſæcularibus, quos Remonſtrantiſmus parturiebat.

Inſtantia 3. Hoc eſſet rebellio adverſus Magiſtratum, qui exemtionem aut privilegium exemtionis & independentiæ ſive univerſalis ſive particularis, conceſſit; eſſet ſacrilega poteſtatis politicæ ablatio aut ſaltem imminutio. Ille enim (uti præſupponitur) conceſſit. *Reſp.Neg.* conſequentia. Eandem nectebant Remonſtrantes poſtquam Magiſtratus offâ objectâ de poteſtate eccleſiaſtica privativè ipſis competente ineſcaſſent: ut ſub umbra exemtionis à judicio & poteſtate eccleſiaſticâ, heterodoxias ſuas promoverent. Eandem conſequentiam pari jure nectere poſſet herus, cui ſoli poteſtas herilis competit in ſervum; & parens, cui ſoli poteſtas patria in filium: & maritus, cui ſoli poteſtas maritalis in uxorem; & Princeps, aut œconomus ſeu præfectus aulæ, cui ſoli poteſtas & prefectura aulica, in miniſtros aulicos: & Rector aut Senatus Academicus (in Academiis juriſdictione gaudentibus) quibus ſolis poteſtas & juriſdictio Academica in ſtudioſos ſuos: & tribuni aut centuriones, quibus ſolis poteſtas, præfectura, & juriſdictio militaris in milites ſuos: & ſuperiores curiæ, quibus ſolis alicubi poteſtas & juriſdictio, in advocatos, cauſidicos, reliquoſque curiæ ſuppoſitos: & privilegiatorum equitum quorundam panegyres, quibus ſolis juriſdictio, in ſui ordinis equites: & collegia civica, quibus ſolis ex privilegio & indulto peculiari, poteſtas juriſdictio quod ad quædam negotia & quaſdam cauſas in membra iſtius collegii. Si ergo ſervus, ſi filius familias, ſi uxor, ſi miniſter aulicus, ſi ſtudioſus Academicus, ſi miles, ſi ſuppoſitus curiæ ſuperioris, ſi eques aurei velleri, aut alterius ordinis, ſi membrum collegii civici, nomen daret eccleſiæ alicui reformatæ, non poſſet promittere obedientiam & ſubjectionem in ſpiritualibus ad presbyteros ſeu ad ſynedrium iſtius eccleſiæ; & ſi promiſiſſet, deberet fidem reſcindere, & conſequenter deberent ſynedria, claſſes, &c. circa talia membra exemta aut eximenda, plane ἀνεγκλήτους eſſe, & rigidè obſervare, τὸ *noli me tangere*; non minus ac ſecundum Papiſticam theologiam Principes & Magiſtratus Pontificiæ religionis quod ad clericos, idem obſervare tenentur.

Inſtantia 4. Exemtio & independentia, à poteſtate miniſteriali eccleſię ſeu ſynedrii, non intenditur *univerſalis*; ſed *particularis*. 1. ut ſcil. abſtineat ſynedrium in materia doctrinæ, non vero in materiâ morum; ab omni cognitione, adhortatione, correptione fraternâ ſeu paternâ, multò magis à cenſurâ exemti, in caſu continuationis aut pertinaciæ ejuſdem exemti.

2. ut in materiâ doctrinæ, non ſit univerſaliter independens & exemtus; ſed particulariter, in materiâ ſolummodo doctrinæ non fundamentalis, nec formulis publicis confeſſionis, catecheſios, & canonibus eccleſiaſticis (quæ Magiſtratus approbârunt, & autoritate ac defenſione ſuâ munierunt) determinatæ. 3. Ut ſit exemtio & independentia, non quorumvis membrorum eccleſiæ, aut quarumvis uxorum, quorumvis ſervorum, quorumvis pragmaticorum & curiæ ſuperioris ſuppoſitorum, quorumvis collegarum in collegiis civicis, quorumvis militum, quorumvis aulicorum, quorumvis ſtudioſorum, denique quorumvis ſubditorum, ſive civium, ſive inquilinorum, ſive incolarum, ſive advenarum: ſed tantum eorum, quibus hoc exemtionis & independentiæ ſpeciale indultum ſive lege ſive facto hic & nunc, & tali in caſu, ſupremus aut ſubalternus Magiſtratus conferre voluerit.

Reſp. 1. Ad diſtinctionem exemptionis in univerſalem & particularem à Magiſtratu ſolo, aut ab eccleſiâ ſolâ, aut ab utriſque conceſſum: dicimus nec rem nec nomen exemtionis reperiri in ſacrâ ſcripturâ, in antiquis conciliis & patribus, in formulis conſenſus eccleſiarum Belgicarum, in canonibus eccleſiaſticis, in decretis ſynodalibus; ne quidem in ſtatutis eccleſiaſticis à ſupremâ poteſtate anno 1612. in hâc provinciâ, ex præformatione Remonſtrantium tunc omnia hic occupantium, latis. Quod ab Illuſtr. Hollandiæ Ordinibus aliqua exemtio particularis ab inſpectione, judicio, cenſura ſynedrii, claſſis, ſynodi provincialis, quod ad doctrinam quinquarticulanam, petentibus per libellum ſupplicem concionatoribus Remonſtranticis, tunc conceſſa ſit; id eccleſiarum noſtrarum in Belgio ordini, judicio praxi, immo & ſubſcriptioni catecheſios ac confeſſionis à Remonſtrantibus in admiſſione ad miniſterium, & ſolenni promiſſioni eorundem coram eccleſiâ in confirmatione in miniſterio præſtitæ, non minus repugnabat; ac ipſi Remonſtrantium errores & ἀταξίαι: uti exitus poſtea probavit; cum ſynodi provinciales, & Nationalis Dordracena haberentur; & ἄτακτοι illi tum ob ſpontaneas & emendicatas à Magiſtratu exemtiones earumque uſurpationes, cenſuris notati ſunt.

Reſp. 2. Hæc diſtinctio inter materiam ſeu quæſtionem de doctrinâ, & inter materiam ſeu quæſtionem de vitâ & moribus ex ſcripturis, aut ex catecheſi, aut confeſſione, aut liturgiâ & canonibus eccleſiarum noſtrarum, aut decretis ſynodicis, aut ex communi theologorum reformatorum, imprimis Belgicorum, aliorumque presbyterialium ſententiâ in cathedris eccleſiaſticis & Academicis, aut ſcriptis eorum ſonante probanda eſſet: non dictanda. Ut ſaltem uſurpare poſſint illud *Concilii Niceni can. 6. τὰ ἀρχαῖα ἔθη κρατείτω antiqui mores obtineant.* Sed nec novatores Remonſtrantes, nec alii quicunque ἄτακτοι & novaturientes in Belgio ante Remon-

rantiſsimum (quales Coolhaes, Herberts, Wiggers, Adolphus Venator) oc unquam præſtiterunt, ne quidem tentârunt. Ita ut diſtinctio illa pro xſtinctione habenda, & juxta cum aliis Scholaſticorum ac Canoniſtarum ieptis & vanis diſtinctionibus, ſpeciatim in materiâ de *Exemtionibus*, cum oto choragio Papali tam facile contemnenda ſit, ac quidem ſine ſcripturis adfertur. Quid dico ſine ſcripturis? E diametro & apertè juri divino & ſcripturis opponitur: contra quas nulla facta, nulla conſuetudo, nulla excogitata ſophiſmata, nulla oratorum veriſimilia, aut probabilia, nulla ſuada medulla, nullæ conſiderationes & intentiones ſive domeſticæ ſive extraneę valere debent: En tibi jus & mandatum divinum Actor. 20. v. 28. *Attendite igitur ad vos ipſos & totum gregem, in quo vos ſpir. ille ſanctus conſtituit epiſcopos ad paſcendum eccleſiam Dei*, &c. *Ego enim iſtud ſcio, lupos graves, non parcentes gregi ingreſſuros eſſe ad vos*, &c. *Et ex vobis ipſis exsurgent* *ituros, qui loquantur perverſa, ut diſcipulos poſt ſe abſtrahant. Ideo vigilate*, &c. Hic attentio, inſpectio, paſtio, vigilia, presbyterio Epheſino imponitur, ſpecialiter & applicatè ad veram doctrinam, eique oppoſitam ἑτεροδιδασκαλίαν. Similiter *Rom.* 16. *v.* 17. Et *Apocal.* 2. *v.* 14. reprehenditur angelus eccleſiæ Pergamenſis ob tolerantiam eorum, qui falſam doctrinam docebant. Confer & *v.* 20. Et *cap.* 3. *v.* 9. & ſeqq. ubi laudatur angelus Philadelphienſis, quod attenderet ad falſos Doctores. In *liturgiâ* noſtra *cap.* de confirmatione miniſtrorum imponitur ipſis cuſtodia & exercitium diſciplinæ: & ipſi exſertè pollicentur, *ſe doctrinam ſuam vitâ piâ exornaturos, cenſuræ eccleſiaſticæ ſe ſubjiciendo, juxta communem ordinem eccleſiarum, ſi quando in doctrinâ aut vitâ hallucinati fuerint. Ibidem cap.* de confirmatione ſeniorum & diaconorum, dicitur *ſeniorum officium eſſe, unâ cum verbi miniſtris eccleſiæ ſibi commiſſæ inſpectioni vacare; diligenter attendere, an qui, que eo quo convenit modo in fidei confeſſione & vitâ ſe gerat*: Paulo poſt dicitur, *officii eorum eſſe, ſingulari curâ* tum doctrinam tum vitam *miniſtrorum verbi obſervare, quo ea omnia ad ædificationem eccleſiæ dirigantur, nec peregrina aliqua doctrinâ eccleſiæ proponatur, juxta illud Apoſtoli* Actor. 20. *quo monet aſſiduo excubandum eſſe adverſus lupos in ovile Chriſti irruituros.* Quod ſi ſeniores obſervare debent, tum doctrinam tum vitam miniſtrorum; certè non minus quorumvis membrorum doctrinam & vitam; cui per prætenſam exemtionem ſeu independentiam ſubtrahi nequeunt. Iidem ſeniores & diaconi publicè promittunt *ſe pietatem ſectaturos, ſubmittentes etiam ſeipſos admonitionibus eccleſiaſticis, ſi quando aberrare contigerit.*

Reſp. 3. Quod dicitur non intendi quorumvis hominum aut cujuſcunque ordinis, ſtatus, conditionis *exemtionem* in caſu aut quæſtione de doctrinâ: ſed tantum miniſtrorum, aut præceptorum ac diſcipulorum in

ſcholis majoribus aut minoribus. Quod ad reliquos & reliqua, illa & illi admonitioni aut correptioni aut cenſuræ eccleſiaſticæ, ſubjecta relinquuntur. Exceptio enim confirmat regulam. *Reſp.* Fruſtra ſpargitur rete in oculis omnis avis. *Proverb. 1. v. 17.* Si poteſtatis & juris Principum, & Magiſtratuum tum ſummorum tum ſubalternorum eſt, uni ſingulari homini, aut uni hominum ordini *exemtionem* tribuere; & poſſeſſionem *exemtionis*, aut ſaltem χρῆσιν ad tempus, aut aliquo in caſu aut caſibus, quibuſvis ſingularibus hominibus, aut cuivis hominum ordini, immo & omnibus & ſingulis ſuis ſubditis, concedere; quippe in quos habeat poteſtatem privativè: Quæro, cur ſcholares, & quidem ſoli theologiæ conſecrati & ad miniſterium aſpirantes à ſynedriorum, claſſium, ſynodorum inſpectione magis exemti & independentes eſſent; quam aliarum facultatum ſtudioſi, quam aulici, quam ordines equitum, quam nobiles, quam ſuperiorum aut inferiorum curiarum ſenatores, cum ſuppoſitis ſuis; quam conſules, prętores, præfecti militares: qui fere omnes exemtionibus & privilegiis politicis aliquibus gaudere ſolent. Non video ſane, cur eodem jure & eâdem operâ omnia membra eccleſiæ à jugo illo eccleſiaſtico-presbyteriali (quod independentes hic olim Jacobei, inquiſitioni Hiſpanicæ ſuppar, aut eâ longe pejus judicabant), *exemtione* quaſi univerſali, amoto & abolito omni conſiſtorio, donari non poſſent? Vide de inordinato ordine Jacobeorum ſupra *part. 1. lib. 2. tr. 2. ſect. 4. pag. 751.* & ſeqq.

Inſtantia 5. Non intenditur *exemtio* ab attentione, judicio, notatione, præmonitione, reprehenſione cenſurâ eccleſiaſticâ, quod ad omnia dogmata theologica, ſed tantum quod ad fundamentalia, & abſolutè ad ſalutem neceſſaria. *Reſp.* Hanc diſtinctionem quaſi Palladis Ægida obtendebant Remonſtrantes & *Vorſtius*, (ut & ante eos Sociniani); ſub quâ ſe tutos ab omni eccleſiaſtica cognitione, præmonitione, dijudicatione & cenſurâ ſynedriorum, claſſium, ſynodorum ſe tutos eſſe debere contendebant; quin & dicti Remonſtrantes *exemtionem* talem, quam ab eccleſiis obtinere non poterant, apertè ab Ill. Hollandiæ Ordinibus libello ſupplice ſeu *remonſtrantiâ* ſuâ petebant, eamque ductu advocati Joh. Oldenbarneveldii ab iiſdem Ill. Ordd. (quod ad potiora ſuffragia) unâ cum jactatâ *libertate* prophetandi obtinebant: qui tamen Oldenbarneveldius in ſuâ declaratione ſeu apologiâ profitebatur in tunc controverſis ſymbolum propatrui ſui: *Nil ſcire tutiſſima fides. Non fundamentalia, non-neceſſaria, libertatem prophetandi, moderationem, mutuam tolerantiam, pacem*, conciones, & libelli Remonſtrantium ſtrepebant: quin & decretum Ill. DD. Ordd. Hollandię pro pace eccleſiarum anno 1614. tot teſtimoniis & autoritatibus munitum, & ordo Eccleſiaſticus Ill. DD. Ordd. Ultrajectinorum anno 1612. & decre-

um Ill. DD. Ordd. TransIſal. anno 1616. iis præſuppoſitis, orthodoxis
ainiſtris formulam doctrinæ hâc in parte pro concione tradendæ præſcri-
erent; & conſequenter ultra aut extra eam, aſſertiones orthodoxas & com-
iuniter in eccleſiis proponi ſolitas prohiberent. Hi quidem fumi de fun-
amentalibus & non-fundamentalibus, de neceſſariis non-neceſſariis, & de
onſequentibus libertate prophetandi, de moderatione, de tolerantiâ, de
ace, de unione ſectarum ſeu ſciſſi Chriſtianiſmi à Remonſtrantibus &
Conr. Vorſtio ſpargebantur: ſed non explicabatur qualia & quæ eſſent fun-
iamentalia, qualia & quæ eſſent neceſſaria ad ſalutem, communi profeſſio-
ie eccleſiarum reformatarum ſolummodo tenenda, ſpecialiter miniſtrorum
ommuni prædicatione tradenda; ut de omnibus aliis dogmatibus ſentire
& diſſentire, oppoſitas illis opiniones tenere, tueri, publicè privatimque do-
ere; etiam elenchos (non ſine atrocium & calumnioſarum conſequentia-
um choragio) receptę, & communiter in Belgicis aliiſque reformatis eccle-
iis hactenus traditæ doctrinæ tum voce tum ſcripto facere liberum eſſet.
Hoc ipſum præſtandum illis fuiſſet, quippe per diſtinctiones illas excipienti-
bus (juxta vulgatum illud, *affirmanti*, & conſequenter *excipienti* incumbit
probatio.) Et cum non tantum illud non præſtarent, ſed ne quidem præſtare
conarentur, immo orthodoxis diſtinctionum iſtarum explicationem & pro-
bationem ſubinde imponerent: tam facile contemni & rejici poterant,
ac quidem ſine ſcripturâ ab illis adferebantur. Haut aliter ac diſtinctio
mendacii in officioſum, humilitatis, jocoſum, pernitioſum: quamdiu
membra diſtinctionis ex ſcripturâ nôn probantur. Idem dicendum de diſtin-
tione Papali peccatorum in mortalia & venialia: & de diſtinctione pecca-
torum in excludentia ex regno cœlorum & non-excludentia; quam ex So-
cinianis haut obſcurè mutuaſſe videntur Remonſtrantes, in ordine eccle-
ſiaſtico, qui anno 1612. Ill. Ordd. Ultrajectinis obtruſus, ſub nomine eo-
rum prodiit, & cujus receptio ac ſubſcriptio omnibus hujus Provinciæ mi-
niſtris tunc impoſita. Vide *Ordinis* illius eccleſiaſtici *cap. de diſciplinâ artic.*
3. Similes ſunt Remonſtrantes & Vorſtiani & ante eos Sociniani, ſic exci-
pientes & diſtinguentes Pontificiis; qui cum *Concilio Tridentino ſeſſ. 1.* ver-
bum Dei in ſcriptum & non ſcriptum ſeu traditiones dividunt, quæ *pari*
pietatis affectu & *reverentia* ſuſcipiant: cum nec Concilium nec Do-
ctores catalogum earum traditionum edant. Dicere nobis liceat omnibus nu-
dos terminos fundamentalium, neceſſariorum, non-neceſſariorum, &c. abſ-
que explicatione, probatione, applicatione ad controverſia, ex ſcripturis, o-
ſtentantibus, quod *Auguſtinus* c. *Julianum lib. 1. cap. 1. Mittamus illa quæ dici*
ex utrâque parte poſſunt, quamvis veraciter ex utrâque parte dici non poſſunt.

Nos antehac jactatam diſtinctionem inter fundamentalia & non-
fun-

fundamentalia examinavimus in 2. *part. ſelect. diſpp. tit.* de articulis fidei, & erroribus fundamentalibus. Sed unum proponam excipientibus per diſtinctionem fundamentalium, & non fundamentalium, An ſtatuant ſequentes errores eſſe fundamentales; *Anabaptiſtarum* ſcil. de juramento, de Magiſtratu politico, de divortio in caſu diverſitatis in religione, de pædobaptiſmo; *Hodiernorum Lutheranorum*, de ubiquitate, de communicatione proprietatum divinarum, de pręſentiâ & manducatione corporali Chriſti in uſu cœnæ, de imaginibus in templis, de cereis in die accenſis, de altaribus, de hoſtiis orbicularibus in cœnâ, de confeſſione peccatorum ante uſum cœnæ paſtori facienda, de exorciſmo, &c. *Pontificiorum*, de epiſcopis à preſbyteris jure divino diſtinctis, de clericis non ſubjectis Magiſtratui in civilibus & criminalibus, de limbo patrum, de feſtorum Apoſtolicorum obſervatione, de negato conjugio parti innocenti in caſu adulterii divortienti, aut parti malitioſe deſertæ, de exorciſmo, de cœlibatu clericorum, de conjugio cum filiâ fratris aut ſororis, de conjugio cum nepte defunctæ uxoris, &c. *Remonſtrantium*, de Chriſto αὐτοθεῷ, de obedientiâ Chriſti nobis non imputatâ ad juſtitiam, de electione ex prævisâ fide, de univerſalitate mortis Chriſti, de Magiſtratus poteſtate in ſacris: uti Remonſtrantes hoc proponebant. Si quis affirmet, jam illi probandum eſſet: ſin de omnibus aut pleriſque neget, ſaltem de illis affirmare nolit; jam quæro an ſinguli iſti errores à reformatæ eccleſiæ membris, etiam à concionatoribus, Doctoribus, ſtudioſis Academicis, publicè privatimque ſuſtineri & liberè defendi ac ſpargi, & oppoſita ſententia reformatorum refutari poſſet: ita ut *exemti* eſſent ab omni eccleſię attentione, inſpectione, adhortatione, correptione, cenſurâ. Quaſi ſcil. nulla cenſura, nulla notatio eſſet, ſive eccleſiaſtica ſive Scholaſtica per facultatem theologicam, propoſitionum malè ſonantium, periculoſarum, offenſivarum: multò magis ejuſmodi errorum.

Inſtantia 6. Saltem particularis *exemtio* obtinet aut obtinere debet, ab inſpectione, cognitione, judicio, adhortatione, correptione eccleſiaſticâ per ſynedria, claſſes, ſynodos; quod ad dogmata quę communibus & receptis doctrinæ formulis propoſita aut determinata non ſunt: de quibus conſequenter tanquam problematicis, in utramvis partem liberè, publicè privatimque tum in eccleſiis tum in ſcholis liceret diſſerere: aut parti & doctrinæ poſſidenti, & hactenus in illâ eccleſiâ ſonanti, aut ſaltem elencho opinionis oppoſitæ ſilentium à Magiſtratu imponi poſſet. *Reſp.* 1. Idem initio prętexebant Remonſtrantes: ut eccleſiæ ſcil. earumque vigiles ſecurè in utramque aurem dormirent, dum novatores ſine reſiſtentia ſine ſudore & ſanguine ſua heterodoxa promoverent, & diſcordiarum, contentionum, ſciſma-

ſciſmatum in agrum dominicum ſpargerent. *Reſp.* 2. Doloſè & ambiguè dicitur aliquid in catecheſi aut confeſſione (cui omnes miniſtri & ſeniores ſubſcripſerunt) haberi. Habetur enim aliquid, vel implicitè, κατὰ διάνοιαν, per neceſſariam conſequentiam: vel explicitè κατὰ τὸ ῥητὸν ſeu totidem & expreſſis verbis. Et hoc rurſum dupliciter, vel quod ad exſertam ſimplicem propoſitionem ſeu aſſertionem: vel quod ad elencticam rejectionem ſententiæ oppoſitæ, aut expreſſam determinationem reſpectu oppoſitæ ſententiæ, ejuſque explicationem per diſtinctiones, exceptiones, limitationes, qua illa excludatur. Quomodo in *Concilio Niceno*, *Epheſino*, *Chalcedonenſi*, & *ſymbolis Niceni*, atque *Athanaſii* determinatum eſt de Deitate Chriſti, de incarnatione Chriſti; & in *Concilio Conſtantinopolitano*. 2. de duabus voluntatibus in Chriſto. His diſtinctionibus obſervatis, contra novos methodiſtas Verronianos, contra Socinianos, Remonſtrantes, Vorſtium, Acontium, alioſque perverſos pacificatores, ſyncretiſtas, & ſectarum ſub nomine Chriſtiano henoticos ſeu unitores; dicimus haberi doctrinam aliquam, cui heterodoxia opponitur, in ſcripturâ, ſi non expreſſe ſaltem κατὰ διάνοιαν & neceſſariam conſequentiam. E. gr. Infantes eſſe baptizandos, Spiritum S. invocandum, Chriſtum eſſe Deum patri ὁμοούσιον, Dei eſſentiam eſſe unam & tres perſonas realiter diſtinctas, &c. Et ſic Servator noſter *Math.* 22. contra Saducæos, dixit in libris Moſis haberi dogma de reſurrectione mortuorum. De quo vide antagoniſtas methodi Verronianæ, & 1 *part. ſelect. diſpp. tit. de Ratione humanâ in rebus fidei.*

Rurſum habentur dogmata varia in ſcripturis per ſimplices & expreſſas aſſertiones; quamvis elenchus oppoſitarum opinionum, aut expreſſa earum rejectio, aut elenctica oppoſitè & applicatè ad antitheſes earumque exceptiones, & diſtinctiones, refutatio exſertè & in terminis ibi non habeatur, aut determinetur. e. gr. ſolem quarto die creatum, lunam eſſe luminare magnum, bruta vivere, ſentire, & ſenſitivâ cognitione noſſe, movere, agere, terram quieſcere, ſolem moveri; ſimplicibus & expreſſis aſſertionibus determinatur in ſcripturâ: non ita elencticè, per expreſſam ψευδωνύμως γνώσεως antitheſium rejectionem, aut per elencticam determinationem reſpectu & in oppoſitione antitheſium. Quales determinationes elencticas, & quidem rationibus ac teſtimoniis ex libris V. T. armatas habet ſcriptura in quæſtione de Juſtificatione in epiſtolis ad Romanos & Galatas; & in quæſtione de unico ſacrificio & ſatisfactione Chriſti pro peccatis noſtris, in epiſtolâ ad Hebræos, præſertim *cap.* 9. & 10. contra falſas opiniones, de ſacrificiis typicis peccata noſtra auferentibus, deque eorundem ſacrificiorum perpetuitate. Sed quid pluribus τὸ haberi & contineri aliquid in ſcripturâ probo, quamvis totidem verbis ſeu exſertè ibi non proponatur, aut quamvis elen-

ćticè & oppoſitè ad quaſvis falſas antitheſes ibi non determinetur. Vide modo methodum explicandi decalogum & orationem dominicam, à theologis præſcriptam & obſervatam. Fruſtra ergo peccantes exciperent, Non facio peccatum, aut quod omitto non eſt peccatum: quia non eſt contra decalogum, aut ullum ejus pręceptum. Quodcunque mihi indicaveris, non invenio illic non fœneraberis, non temere iraſceris proximo, cum odio non habebis, jurabis per nomen Dei in veritate judicio, juſtitiâ, &c. Accedamus nunc ad confeſſionem & catecheſin. Quamplurimæ ſunt propoſitiones ambiguæ aut malè ſonantes, periculoſæ, piarum aurium offenſivæ; aut erroneæ & falſę ſcripturis repugnantes; aut hæreticæ; aut etiam impiæ, & blaſphemæ: contra quas in confeſſione & catecheſi noſtrâ non eſt determinatum elencho aut rejećtione exſertâ, aut centenæ ſunt apertè aut determinatione elenćticâ oppoſitè & excluſè ad adverſarios; ne quidem ſimplici & expreſsâ veritatis propoſitione. Ergone illa erunt problematica, de quibus in deteriorem partem qua privatim, quâ publicè in eccleſiaſticis concionibus & catechizationibus, adhæc in ſcholis Chriſtianis, in ſynedriis & claſſibus, liberè à quovis determinare liceat, cum cenſurâ, rejećtione, impugnatione veritatis oppoſitæ: & quidem exemtè ab omni judicio, notatione, adhortatione, reprehenſione, animadverſione, cenſurâ eccleſiaſticâ. Hoc Ithacus velit: hoc volebat Remonſtrantica & Vorſtiana libertas prophetandi; hoc velint omnes novaturientes. E. gr. Oſtendant malè prætenſæ exemtionis εὑρέται, ex confeſſione aut catecheſi. Quod illicita ſint viri unius duo aut tria, aut plura conjugia ſimultanea, qualia Davidis, Jacob, Salomonis, &c.; conjugia cum duabus ſororibus ſimul, quale Jacobi; conjugia cum fratris aut ſororis filiâ; conjugia cum duabus ſororibus ſucceſſive; conjugia cum novercâ, aut privignâ; conjugia cum propriâ ſorore, quale fuiſſet Ammonis cum Thamar; repudia uxorum, ἐκτὸς λόγου πορνείας, & dućtus alterius in locum repudiatæ. Inſuper oſtendant determinatum eſſe in confeſſione aut catecheſi contra dubitationem, an ſit Deus quam habere debet philoſophus in veritatem illam de exiſtentiâ Dei inquirens; aut contra aſſertionem, quod animæ brutorum æque ſint immortalitatis capaces ac hominum; aut contra provocationes ad duellum, cum quis injuriâ ab aliquo affećtus eſt; aut contra aleatores & publicas tabulas aleatorias, quales antehac privilegiatæ fuerunt, & etiamnum hodie alicubi ſunt; aut contra ſponſalia cum duabus aut tribus inita, aut contra perfidam ſponſalium violationem; contra verbera uxoribus per maritos infligenda; aut contra malitioſam uxorum deſertionem; aut contra poteſtatis eccleſiaſticę, ejuſve partis aut exercitii in Magiſtratum tranſlationem; aut contra conſcientiæ coaćtionem à Magiſtratu exercendam; aut contra libertatem exercitii &

con-

conventuum, omnibus, hæreticis, idololatris, etiam diaboli cultoribus, à Chriſtiano Magiſtratu neceſſario concedendam; aut contra Pontificem jure humano ſupra omnes totius Chriſtianiſmi miniſtros & epiſcopos conſtitutum aut conſtituendum; qualem in *Synodo Smalcaldicâ* concedebat *Melanchon.* An & quomodo Arminii negatio, Quod Chriſtus non ſit aut rectè dicatur, αὐτόθεος repugnet confeſſioni aut catecheſi; Item ſcriptoris de præ-Adamitis opinio, quod diluvium Noachicum non fuerit univerſale totius orbis terrarum, ſed particulare alicujus partis terræ; & alterius opinio, quod ædificatio turris Babylonicæ *Geneſ.* 11. fuerit erectio & conſtitutio collegii alicujus ſapientum quod veritatem religionis conſervaret, &c. aliaque nova heuremata, ab aliis jam notari cœpta. Adde *Grotii Antichriſtum*, juxta cum aliis ipſius paradoxis & commentis, ab aliis notatum: *Carteſii* inſuper & *Hobbeſii* nova aut innovata quædam dictata, ab aliis enumeratâ & excuſſa. Aſſertiones Pontificiæ de hierarchiæ cœleſtis ordinibus, & ſubordinationibus; quorundam ex patribus opiniones de angelis materialibus & corporeis; Vorſtii partim dubia partim aſſertiones à Pontificiis, Lutheranis, reformatis imprimis in noſtro Belgio, & tandem à *Synodo Dordracenâ* anno 1619. *ſeſſ.* 152. notata, circa dogmata de trinitate, de Dei ſimplicitate, immenſitate, immutabilitate, æternitate, omniſcientiâ, providentiâ, de unione hypoſtatica, de ſatisfactione Chriſti, de juſtificatione. Legat quæſo lector ipſum ſynodi judicium, & applicet tum ad malè ſonantia, periculoſa, ſcandaloſa, tum ad apertè falſa, quæ in eccleſiis aut ſcholis, antehac propoſita ſunt, aut à novaturientibus denuo proponi poſſent, ſub umbrâ illius exceptionis, quod directè non repugnent catecheſi aut confeſſioni. Ad moralia & caſus conſcientiæ, ſi accederem, confeſſioni aut catecheſi non-repugnantia, aut in iis non determinata (juxta dicentes) facilius initium, quam finem numerandi, invenirem.

Paucula quædam hic ἐν παρόδῳ indico, Quod homines nudi poſſint incedere, ubi conſuetudo illud fert, aut νόμος καὶ χώρα illud probat; quod ſuperſtitio ſit & peccatum inexcuſabile ſentire & dicere quod cometarum apparitionem ſemper aut ſaltem plerumque publica mala aut graves calamitates ſequantur. De hodiernis choreis gynæcandricis; de flagellatione, annonâ & monopolio; de quorumvis ſervorum emtione, eorundemque venditone & traditione in manus Ethnicorum, Judæorum, Muhammediſtarum; Quod ſuperſtitio ſit diem dominicum appellare ſabbathum; Sunt præterea quamplurima, quæ contra primum & ſecundum, & tertium decalogi præcepta committuntur; nihilominus ab aliis tanquam licita, defenduntur: quorum magnam partem in 3. *part. ſelectar. diſp. tit.* de idololatria, de ſuperſtitione, de cultu & abuſu crucis, de ſortis aliiſque di-

divini nominis abuſibus, de Exorciſmo, de juramento religionis, de ſabbatho & Feſtis, de roſariis, litaniis, &c. & infra *lib.*4. ubi de hierarchiâ Romanâ.

Poſtulo, ut aut probent contra hactenus à nobis recenſitas propoſitiones in confeſſione aut catechiſmo determinatum eſſe; eo ſcil. modo, quo ipſi prætendunt contra ſuas quaſdam malè ſonantes, aut periculoſas, aut paradoxas, aut falſas propoſitiones, determinatum non eſſe; & conſequenter, nullam ſynedrio circa iſtas notationem, nullum judicium, nullam vel leviſſimam dehortationem, multo minus reprehenſionem aut cenſuram (in caſu pertinaciæ aut continuationis) competere. Et cum turpe ſit doctori, cum culpa redarguit ipſum; quod tibi fieri nolis, alteri non ſit faciendum; meminerint, cum paſtores aut doctores, aut ſeniores, aut candidati miniſterii, aut eccleſiæ membra privatim, aut publicè in eccleſiis, ſcholis, compitis, tabernis, circulis, navibus, officinis, κατ' οἴκους, vivâ voce, aut MSS, aut libris editis, ſpargunt, defendunt, non ſine oppoſitæ ſententiæ inſectatione.

Videant jam, quâ ſolidæ theologiæ, & rerum eccleſiaſticarum peritiâ rancidam hanc & ab eccleſiis jam dudum exploſam Remonſtrantium exceptionem ac diſtinctionem (quæ mera κρυπτὰ τῆς αἰσχύνης 2 *Cor.*4.*v.*2.) nobis reponant.

Inſtantia 7. Non intenditur *exemptio univerſalis*, ſed tantum *particularis:* quod ad tales materias aut quæſtiones theologicas. *Reſp.* Sic Remonſtrantes primum prætendebant exemtionem, quod ad doctrinam quinquarticulanam; eamque ſolam Ill. Ordd. Hollandiæ ipſis præſtare volebant a.1611. exſertè excluſâ (tunc temporis ſcil.) ulteriori prophetandi libertate, in dogmatis de ſatisfactione Chriſti, juſtificatione, perfectione in hâc vitâ, &c. Et quinam fuerunt hæretici & novaturientes, qui callidè primum & ſolum non quærerent ac prętenderent *exemtionem* in illis διαφόροις, quæ initio movent: quamvis poſtea plerique die diem docente, & licentiâ deteriores facti, ad altiora proveherentur: Error enim errorem parit, *Profanos autem illos de rebus inanibus clamores cobibe, ad majorem enim procedent impietatem. Et ſermo eorum depaſcit, ut gangrena*, 2 Timoth.2. v.17. *Mali autem homines & impoſtores procedent in pejus tum ſeducentes tum ſeducti.* Scitum illud philoſophi 1.de cœlo; *Error parvus in principio fit magnus in fine:* quod de principiis eſſendi & cognoſcendi acceptum egregiè probat *Cajetanus in commentar. ad Thomam de Ente & eſſentiâ, in proœmio.* Nos ſimiliter dicere poſſemus de origine erroris & principio atque inceptione innovationis in receptâ orthodoxâ theologiâ. Plures enim poſtea & majores errores pariunt, qui pauciores, minores & primos ingenii ſui fœtus nimium

pa-

Digitized by Google

patienter, ne dicam ſtultè admirantur, oſtentant, & pertinaciter tuentur. Ut jam non dicam à diſcipulis eorum, ſi quos, nacti ſunt, errores illos initiales plerumque augeri & ad formam ac faſtigium perduci, ut & pauciores multiplicari. Juxta illud, *πολλοὶ γὰρ μαθηταὶ κρείττονες* (ſubſtitue hic *χείρονες*) *διδασκάλων*. Quod philoſophus in fine Elenchor. ſophiſtic. de veris & bonis, hoc de falſis & malis pariter dicendum eſt, *Facile eſt inventis aliquid addere.* Semel enim per pręceptores laxatâ fibulâ per *ἀναλογίαν* orthodoxæ & poſſidentis ſive in ſcholis, ſive in eccleſiis theologiæ, facilè prurientia ingenia ad alia communis theologiæ dogmata, & ad traditæ, ſecundum ſcripturas, pietatis ac juſtitiæ *ἀκρίβειαν* faſtidire diſcunt, & ad novitatum laxationes ſe convertere: carne & mundo obſtetricante. Experientia hoc docuit in plerorumque novaturientium diſcipulis atque aſſeclis, tum antiquorum tum recentiorum. Nos vidimus hoc in multis, præcipuè, in Arminii diſcipulis, qui præſtantioris & erectioris ingenii erant. Duos treſve ſolummodo hic indicabo *Joh. Geiſteranum* concionatorem Alckmarianum, de quo Acta celebris *Synodi Dordracenæ* anno 1619. *ſeſſ.* 128. *Simonem Epiſcopium* theologiæ Profeſſorem Leidenſem, de quo edita ipſius ſcripta teſtantur, quantum ſupra præceptorem Arminium in pejus profeciſſet novaturiendi & non vulgaria inveniendi ſtudio: cui haut obſcurè præludere videbantur illo quaſi ſymbolo ſuo, quod albis amicorum adhuc ſtudioſi, quamvis pro ratione ætatis & comparatè ad alios pleroſque præſtantiores ſtudioſos admodum eruditi, nomini ſuo ſubſcribere ſolent, *Nullius addictus jurare in verba magiſtri.* Cui Epiſcopius in amicorum albis (quorum complura tunc videre mihi contigit) & in meo (24 Novembr. 1608. Lugd. Batav.) præmittebat: *Nemo unquam quidquam magnæ frugi edet in ullâ ſcientiâ, qui non eò aſpirare audet, ut poſſit aliquando de præceptore ſuo judicare. Nec facilè eſt currere homini, qui nimiâ religione pedes figit in veſtigiis alterius, cujus potius debebat celeritatem & vigorem corporis optare & imitari, quam paſſus numerare. Joh. Geiſteranus* mitis, blandi, placidi & pacifici ingenii ſuo quaſi ſymbolo, *Nullius addictus*, &c. præmittebat in albo meo (21. Novembr. 1608. Lugd. Batav.) duo ſequentia,

Dicat, qui CHRISTUM ſequitur }	*ἐγὼ δὲ Χριστοῦ*	{ & ſalutaris erit confeſſio	*Rom.* 10.
Dicat, qui Chriſtianum perſequitur }		{ & damnabilis erit contentio.	1 *Cor.* 1.

ἝΝ ΣΩ͂ΜΑ ΚΑῚ ἝΝ ΠΝΕΥ͂ΜΑ.

De aliis quibuſdam præſtantiſſimis ingeniis amicis & fautoribus mihi tunc honoratis, ſed Arminii novâ heterodoxiâ tam ſpecioſè & plauſibiliter propoſitâ ineſcatis, dicere nunc ſuperſedeo; animus enim meminiſſe horret luctuque re-

Digitized by Google

refugit, illos ab orthodoxiâ & ab amicitiâ noſtrâ tam luctuosè divulſos. Quantùm fuerit Epiſcopio ingenium, quanta δύναμις ἑρμηνευτική, ſcripta ipſius abundè teſtantur. Geiſterani excitatum erat ingenium; eximius ille in philoſophiâ & linguâ Hebræâ, in poëſi Latinâ & Græcâ, in ſcripturarum lectione in originalibus apprimè exercitatus. Qui dimiſſus à miniſterio, exinde ab omni miniſterio ſive publico ſive clandeſtino, ab omni immatriculatione in ſocietatem & confœderationem Remonſtranticam, ab omni cauſæ illius contra orthodoxam doctrinam & eccleſiam defenſione, ab omni ſcriptione abſtinuit; ad quam tamen, ſi quiſquam inter Remonſtrantes, admodum inſtructus erat. Quin etiam, ut tantò facilius ἀπράγμων eſſet, ab omnibus Remonſtrantibus poſt Synodi Dordracenæ decretum a. 1619. depoſitis, ex his Provinciis in Friſiam Orientalem (ni fallor) conceſſit: adeo ut conſilia, dicta, facta ipſius pro ſocietate aut contra eam, in hiſtoriis aliiſque anonymis libellis, qui ſine numero ab a. 1619. uſque in hunc diem cupidè extruſi ſunt, comparuiſſe non meminerim. An ex Friſiâ Orientali aliò ſe contulerit, & quid illi factum ſit, aut quomodo finiverit, fateor me juxta cum ignorantibus ignorare. Interim, veniam dabit lector, ſi ingenioſum & acutum ipſius epigramma albo meo anno 1608. 21. Novembr. Lugduni Batav. inſcriptum, hic exhibuero.

Das mihi te; reddo tibi me: ſic alter utrimque
Alterius parili conditione ſumus.
Do tibi me; reddis mihi te: ſic reddimur ambo;
Ipſe mihi per te; me per & ipſe tibi.
Ergò qui meus es, iam non tuus eſſe negaris:
Quique tuus maneo, non negor eſſe meus.
Mutuus hoc amor omnis habet; ſic mutat amantes:
Dedit utrique ſuum: reddit utrumque ſibi;
Alter in alterius ſic perditus omnis amore,
Invenit in ſocio ſe ſociumque ſuo.
Hoc reditu redamatur amor: ſemel omnia vendit:
Bis recipit: pactum quæris? amicus emit.
Sim tuus, ô VOETI*: ſim bis meus. Utile certè*
Sed tamen, ô! Sanctum fœnus amicitia eſt.

Caſparus Barlæus & Bernardus Duinglo, inter ſtudioſos: Arminii novitatibus captos doctiſſimi, & poſtea miniſteriis eccleſiaſticis celebres, ille etiam profeſſionibus Academicis & ſcriptis, ſymbolam ſuam huc contulerant.

Barlæi epigramma albo meo 22. Nov. 1608. inſcriptum tale erat.

Chriſto dicatum, myſticique Apollinis
Aris ſacratum pectus, & Deo ſacer

VOE-

VOETI Sacerdos, dum ſodalis dexteram
Pignuſque & arrham, ſyngraphamque poſtulas
Noſtri favoris; Vota conferam libens
Tuas ad aras, quæ ſereno pectore
Quæ Chriſtianis ructat è præcordiis
Zelus Jehovæ. Quæſo præclarum Puer
Certamen aude, prælium infernalibus
Indic catervis, bella te, bella horrida
Campuſque jam jam Chriſtianus poſtulat,
At prœliantem. Spiritus tu bellicis
Cataphractus armis, totus incumbens Deo,
Semperque ſupplex, hoſtium inſultus cave,
Sathanæque fraudes, Carnis impetus doma,
Mundique victor, victor ipſemet tui
Terrena ſperne, peſſulumque limini
Obdens profano, ſacra puro pectore
Offer Tonanti, donec æternus Pater
Vita perenni militem ſuum beet,
Et aviternis inſerat conſortiis.

Bernardi Duinglo 11. Januarii 1609. albo meo inſcriptum:

Arrham favoris hanc tibi libens linquo
Amice VOETI, nocte ne tegant cæcâ
Ventura amorem ſecla mutuum noſtrum,
Sed nos loquatur mortuos anus charta,
Magiſque noteſcamus & magis ſemper.

Sed nunc è diverticulo in viam.

Inſtantia 8. Sit & dicatur exemtio localis. *Reſp.* Pontificii ſuam *exemtionem localem* definiunt, *cum idem privilegium datur alicui loco, in eoque habitantibus, ut eccleſiæ aut monaſterio.*

Poſſet & alia particularis *exemtio* à loco dici *localis*, ſi iſtic loci, & non alibi, aliqua dicta, facta, conſilia edi contigerit, aut ſcripta ad editionem parari, aut ad editionem, ſive primam, ſive iteratam, aut ſaltem ad lectionem aliis tradi & commendari: non obſtante quod heterodoxa, aut hæretica, aut male ſonantia, aut ſcandaloſa iis contineantur; verbo Dei, & communi receptæ doctrinæ, aut communi confeſſioni, catechiſmo, liturgiæ, aut canonibus ordinis eccleſiaſtici repugnantia. E. gr. ſi in aulâ, aut burſâ mercatorum, aut halâ ſeu collegio civico, aut in vigiliâ & ſtatione militari, aut in domo privatâ, aut in Academiâ, aut in collegio Academico, aut in monaſteria, aut in capitulo, aut in domo legati, aut in aſylo ali-

quo

quo hodierno, &c. talia commiſſa ſint, quæ forte *exemtione*, & *privilegio* aliquo ſæculari gauderent. Sed neutrum *exemtionis localis* monſtrum agnoſcit verbum Dei, aut communis doctrina reformatorum, aut confeſſio, aut catecheſis cum liturgia, aut ordo eccleſiaſticus. Sive in aulâ, ſive in caulâ, ſive in Academiâ, ſive in burſâ, ſive in curia, ſive in templo, ſive in Stoâ, ſive in Lycæo, ſive in domo privatâ, ſive in civitate, ſive in agro; ſive in caſtris, ſive in confertâ turbâ, ſive in eremo, ſive in navi, injuria verbis aut factis proximo illata, aut quâcunque aliâ ratione ſcandalum datum fuerit: utique *exemtio* ab attentione, monitione, reprehenſione, revocatione à peccato eccleſiaſticâ, ubi ad notitiam eccleſiæ illud pervenerit, (ſiquidem *de occultis non judicat eccleſia*) nulla hic fingenda. Si membrum eccleſiæ furaci ceſſione fallitorem agat, & in aſylo aliquo (ita loquar) ſub umbrâ *exemtionis & ſalvi conductus* iſtic impetrati, ex injuſtè ablatis, ſplendide & quaſi regaliter vivat; an connivente politicâ & ſæculari iſtius loci poteſtate, & fruſtra querentibus ac in cœlum clamantibus, viduis, orphanis, ancillis, attenuatis, (quorum ſanguinem ſuxit); an dictum illud aſylum abſolvet eccleſiam, tum priorem, tum iſtius loci, ab omni curâ animæ & conſcientiæ iſtius peccatoris, ab omnibus officiis caritatis erga proximum peccantem? Si in Stoâ, Lycæo, Academiâ, aulâ, domo legati, in loco alterius ditioni ſubjecto, occiderit quis proximum, aut graviter vulneraverit, aut furtum commiſerit, aut ſeditionem concitârit, aut turbas, aliudve aliquod ſcandalum dederit: an *ἀπαράγγελμον* erit eccleſia, & inter literas quieſcentes, aut *κώφα πρόσωπα* numerabitur?

Sed dices, dato in locis exemtis & ſæculariter privilegiatis commiſſa peccata in moribus, non ſubtrahi inſpectioni & miniſteriali poteſtati eccleſiæ: peccata tamen in doctrinâ ei ſubtrahenda ſunt. Sed hanc exceptionem ſupra refutavimus: nec hic repetimus.

IV. *Object.* Ad abuſus in doctrinâ aut moribus in aulâ commiſſos, attendit, & de iis judicat, eoſque corrigit magiſter aulæ; & in ſtatione militari præfectus militum; in burſâ mercatorum præfectus aut præfecti burſæ; in collegiis civicis præfecti collegii; in domo, Dominus domus, ſeu pater familias; in collegio Academico, præſes ſeu regens cum ſuis aſſumtis; in Academiâ, primò & immediatè ſenatus Academicus, deinde ejuſdem Academiæ curatores. Ergo nulla attentio, nulla inſpectio, nullum judicium, competit eccleſiæ per ſynedrium. *Reſp.* Conſequentia negatur. Similis ferè eſt iſtis: Inſpectio cura, &c. diſcipulorum competit præceptori; uxoris marito; liberorum parentibus; ſervorum Dominis: Ergo medico in illos nulla inſpectio, nulla cura competit. Rurſum, inſpectio, cura & regimen Titii ſtudioſi in aliquâ Academiâ competit Senatui Academico: Ergo patri ejuſdem, aut ephoro, aut

Digitized by Google

aut medico nihil competit. Vel illuſtri alicui Domino civi Academiæ N. competit regimen famuli ſui aut famulorum ejuſdem Academię albo inſcriptorum: Ergo Academiæ aut ejus ſenatui nihil competit. Aut Senatui Academico competit poteſtas & juriſdictio in famulos quâ albo Academico immatriculatos: Ergo Ill. Domino nihil competit. Ubi ad ſtramineas has conſequentias reſponderint; videbunt ad ſuam pariter reſponſum eſſe.

Cum eccleſiæ eccleſiaſtica poteſtas & cura adſcribitur in membra ſua, non negatur Magiſtratui poteſtas in eadem membra tanquam cives aut incolas ſuos; nec patribus poteſtas in membra, ſi quæ ſunt filii ipſius; nec maritis in membra, quæ ſunt uxores ipſorum; nec præfectis militaribus, in membra, qui ſunt milites ipſorum. Quod autem ſit objectum formale poteſtatis eccleſiaſticæ, & quomodo unum idemque objectum materiale per diverſas rationes formales diſtinguat & conſtituat diverſas poteſtates, ſupra *part.1.lib.1. tract.2.* oſtendimus.

Inſtantia 1. In caſu præventionis videtur excludi eccleſia ab omnibus officiis inſpectionis. Si judex politicus, aut militaris, aut Academicus pręveniat, & ſententiam ferat ſive abſolutionis ſive condemnationis; aut citatione adhibita, porro proceſſum illum ex paxillo ſuſpendat; aut ſi ſupremus Dominus veniam (vulgò *pardon*) delinquenti concedat. *Reſp.* 1. Nulla præventio alterutrius poteſtatis aut fori (ita loqui liceat) alterius officium excludit: quia ſunt poteſtates, & fora heterogenea. In jure civili præventiones obtinent: cum plures ejuſdem rei ſunt judices. Sed ibi plures illi judices ſunt ejuſdem generis, hoc eſt, ſæculares. In Papatu vigent præventiones in obtinendis beneficiis: ſed diverſę poteſtates, Papalis, Epiſcopalis, Abbatialis, capitularis, &c. quæ *beneficia* conferunt, ſunt ejuſdem generis, eccleſiaſticæ ſcil. Vide Canoniſtas de præventionibus & Caſuiſtas in voce *beneficium.* Et *Tholoſanum lib.17. ſyntagm. c.7. §.11.* *Reſp.* 2. Jure divino nulla talis pręventio hic obtinet, quâ excludatur alterutrius poteſtatis officium circa peccantes. E. gr. inſpectio, judicium, animadverſio adhortatio, reprehenſio miniſterii eccleſiaſtici circa Titium peccantem ceſſat aut ſequeſtratur: ergo prætori ſecundum leges non eſt procedendum contra illum peccantem. Non ſequitur. Rurſum prætores & judices ſæculares actionem non inſtituunt nec ſententiam ferunt contra Mævium peccantem; ergo etiam eccleſia ad conſcientiæ informationem, & reſipiſcentiam, & ad amovendum ſcandalum, nihil aget. Nec hoc ſequitur. Rurſum pretor jam inſtituit actionem, & proceſſus in curiâ agitur contra Mævium: ergo eccleſiæ ſeu inſpectoribus eccleſiaſticis, tantiſper abſtinendum erit ab omni alloquio, & monitione Mævii, donec proceſſus in curiâ finitus ſit: qui

Digitized by Google

ſubinde per biennium, aut triennium aut amplius illic agitatur; ſubinde per provocationem, ad ſuperiores curias in longum tempus extrahitur: quin & ſubinde nunquam finitur. Denique ſit Mævius jam judicatus & mulctatus, quod fraudaverit vectigalia: an ideo reſpectu peccati & conſcientiæ Mævii, ac datiſcandali; nihil hortationis, reprehenſionis, &c. adhibendum à ſynedrio? Quaſi quis pariter inferat, ſynedrium jam egit in cauſâ Titii, quidquid agi poterat & debebat: Ergo prætor, re illic per præventionem (ut opponentium terminis utar) judicatâ, adverſus Titium proceſſum inchoare non debet, aut inchoatum continuare; ſed è veſtigio abrumpere. Non ſequitur. Non magis, quam ſequitur, Studioſus, aleâ, compotationibus, graſſationibus, pugnis exorbitans, à Senatu Academico (ubi Academia plenam habet juriſdictionem, aut ſaltem jus modicæ coërcitionis) incarceratione, panis & aquæ paſtione, mulctâ pecuniariâ, inſuper relegatione mulctatus eſt: Ergo patri ipſius nulla cognitio, nullum judicium, nulla reprehenſio, nulla per verba aut facta caſtigatio competit. Quaſi vero pater pro poteſtate patriâ officium cognitionis, adhortationis, reprehenſionis, caſtigationis circa eundem ſtudioſum tanquam filium ſuum non poſſet exercere: uſque ad incluſionem in honorario & occulto aliquo ergaſterio, ſeu camerâ vulgo dictâ Italiâ, aut Galliâ, &c. aut uſque ad legitimam portionem in teſtamento ſuo eidem filio ſuo aſſignandam. Quo tamen non tollitur poteſtas aut officium Senatus Academici aut Senatus urbani (ubi Academia juriſdictionem non habet) circa eundem ſtudioſum exercitum aut exercendum. Sicuti inſpectio, cura, judicium, cenſura Magiſtratus circa civem ſuum non tollitur per inſpectionem, curam, judicium, reprehenſionem, cenſuram eccleſiaſticam ejuſdem civis, quâ membri, fratris, & civis eccleſiaſtici: nec viceverſâ officium inſpectionis, curæ, cenſuræ politicæ, circa civem ſeu ſubditum quâ talem, non tollit officium inſpectionis, curæ, adhortationis, reprehenſionis, cenſuræ circa eundem civem, quâ membrum eccleſiæ.

Circa ſtudioſum theologiæ verſatur inſpectio, cura, adhortatio reprehenſio ſynedrii iſtius eccleſiaſtici, ubi ille tanquam membrum eccleſiæ in communione ejuſdem veram religionem profitetur & ſacra frequentat. Verſatur circa eundem ſpecialis inſpectio & cura facultatis theologicæ. Cujus vi ſecundum ordinem & perpetuam eccleſiæ praxin teſtimonium doctrinæ & vitæ non tantum à ſynedrio, ſed etiam à facultate theologicâ petere & claſſi aut claſſibus exhibere tenetur: ſine quibus ad examen præparatorium, aut ad adſcriptionem in numerum proponentium iſtius claſſis, admitti non poteſt. Tentet quis, & claſſibus ſe ſiſtat, aut ſine teſtimonio facultatis theologicæ, aut ſine teſtimonio ſynedrii; & videbit, ſe fruſtra fore,

fore. Jam vero omne teſtimonium dandum eſt, ſecundum ſcientiam & conſcientiam in veritate, judicio & juſtitiâ: præſertim in tanti momenti negotio. Nec facultati theologicæ, nec ſynedrio dandum eſt teſtimonium cœcum, aut fidei implicitæ, præformatum ſcil. & dictatum facultati theologicæ à ſynedrio, aut vice versâ; aut utrique ab Academiæ curatoribus, aut à Magiſtratu.

Similiter ſi proponens claſſis N. per aliquot annos, proponatur & commendetur eccleſiæ alicui vacanti & ſimul claſſi, (cujus partem facit illa eccleſia); & utraque noviſſimum petat teſtimonium à claſſe, & ſynedrio; cujus proponens N. membrum eſt: utique dicere non poterunt, claſſem ſynedrio, aut ſynedrium claſſi præjudicare; aut alteram ab alterâ, à dando petito teſtimonio removeri.

Inſtantia 2. Utitur aut uti poteſt *exemtus* privilegio fori conceſſo: & hac ratione, teſtimonium à ſynedrio non petere, aut ſaltem judicium de doctrinâ & vitâ ſuâ ſynedrio nec tribuere, nec pati. *Reſp.* Tale privilegium eccleſiaſticum ex jure divino nulli apud nos conceditur, aut concedi poteſt. In Papatu ſonant privilegia fori, & conceſſiones à Papa vel motu proprio vel ad inſtantiam partis, factæ. Sed nihil iſtorum agnoſcit verbum Dei, aut doctrina & diſciplina reformatorum; non habet Papam, qui ſolus eccleſiaſtica privilegia concederet, nec ordines clericorum regularium exemtos, nec exemtiones perſonales, univerſales, locales, nec ablationem poteſtatis, & inſpectionis presbyterorum & attentionem ad omnem gregem ſuum (*Actor.*20.*v.*28. 1 *Petr.*5. *v.*3.); nec epiſcopos ſeu presbyteros titulares; nec diſpenſationes Papales, in officiorum divinitus impoſitorum præſtatione, nec diſpenſationes in promiſſis ſolenniter Deo & eccleſiæ à ſingulis eccleſiæ membris, in ſuâ ad communionem receptione, & à concionatoribus ac ſenioribus in confirmatione ſuâ factis. *Reſp.* 3. Si aulicus, ſi miles, ſi ſervus, ſi ſenator, ſi munerarius politicus, ſi ſtudioſus Academicus, &c. ſi proponens nullum ſynedrio de doctrinâ & vitâ ſuâ judicium tribuere aut permittere velit: ergo, ne petat ejus teſtimonium; ſolius aulæ præfecti, aut Domini ſui, aut Academici Senatus, aut prætoris, aut ſenatus topici teſtimonio contentus: aut ſi omnino in petitione teſtimonii inſtet; ferendum illi, ut occaſione & neceſſitate ita ferente, ſynedrium excipiat apud claſſes & eccleſias, ad quas proponens tranſit, eique ſcrupulos ſuos circa ſtudioſi illius doctrinam aut vitam, aut utrumque, fideliter indicet; ejuſdemque ſynedrii & claſſis propiori ac ſpecialiori inſpectioni, attentioni, judicio commendet ac committat. Niſi hoc præſtetur, non immerito conqueri poſſet eccleſia aut claſſis aut ſynodus, cui teſtimonium exhiberetur, à ſynedrio aut facultate theologicâ; ſe generali & bono de orthodoxiâ, & pietate ac morum integritate, teſtimonio, deceptos eſſe.

V. *Object.* Magiſtratus ſive ſupremus, ſive ſubalternus ſeu topicus, ſi talem *exemtionem* aut perſonalem Titii civis ſui, ſive alicujus ordinis inter cives & incolas ſuos hominum (e. gr. nobilium, Jureconſultorum, medicorum, aulicorum, &c.), ſive localem; ſive *particularem*, quod ad caſus doctrinæ cujuſcunque, aut ſaltem aliquorum & notatorum doctrinæ capitum; aut morum ſi non omnium, ſaltem aliquorum, concedat & decernat: utique ſynedria, claſſes, ſynodi, ab omni judicio eccleſiaſtico, ab omni monitione, imprimis ab omni cenſurâ abſtinere deberent; & credere tali in caſu ab attentione, inſpectione, ejuſque actibus & officiis, quæ *Actor.* 20. *v.* 28. & ſeqq. 1 *Theſſal.* 5. *v.* 14. *Apocal.* 2. *v.* 2. 14. 15. 20. 2 *Timoth.* 4. *v.* 2. 1 *Petr.* 5. *v.* 3. 2 *Theſſal.* 3. *v.* 6. & 14. præſcribuntur, ſe abſolutos & liberatos eſſe; ut & præſumtos ejuſmodi *exemtos* aut eximendos, ſive presbyteros ſive privatos fideles eſſe abſolutos ab obedientia & ſubjectione eccleſiaſticâ, quæ ipſis jure divino impoſita eſt *Hebr.* 13. *v.* 17. & quam ipſi in receptione ad communionem eccleſiæ aut ad miniſterium concionatorum & ſeniorum, ſolenniter Deo & eccleſiæ promiſerunt.

Reſp. 1. Factum, ſi tale fuerit alicubi, non facit aut probat jus; nec præjudicare poteſt juri divino, aut eccleſiaſtico ſupra probato.

Reſp. 2. Dato aliquem Principem aut Magiſtratum talem aliquam *exemtionem*, ſive perſonalem, ſive univerſalem, ſive particularem, ſive localem decernere: an eo *exemta* aut eximenda eccleſiæ membra ſe bonâ conſcientiâ inſpectioni, curæ, & præfecturæ ſacræ divinitus conſtitutæ ſubducere poſſunt? An in foro poli abſolutos & liberatos ſe putarent ab obedientiâ anteceſſoribus jure divino debitâ? Minimè. Si maritus quis infidelis, aut profanus, aut hæreticus, aut ſciſmaticus à profeſſione fidei & exercitiis religionis, à regimine, monitione, correptione eccleſiæ, & omni diſciplinâ eximeret non tantum, ſed etiam ab omnibus illis, & ab omni communione eccleſiaſtica juberet abſtinere; an uxor putaret in conſcientiâ ſe jam liberatam eſſe, & ab omnibus illis abſtinere poſſe aut debere? Similiter quæro de parentibus & liberis, de Dominis & ſervis, de præceptoribus & diſcipulis, de præfectis militaribus & militibus. Cùm in Apoſtolicâ eccleſiâ, & in poſt-Apoſtolicâ antiquâ tales exemtiones & abſtinentiæ Chriſtianis ab Imperatore & Senatu Romano ſeverè imponerentur: non putârunt ſane ſe in conſcientiâ liberatos eſſe, ad abſtinentiam à communione eccleſiaſtica, ejuſque partibus & actibus. Audi Hebr. 10. v. 35. *Ne igitur abjicite liberam illam profeſſionem veſtram*, &c. & v. 24. Et obſervemus alii alios, &c. v. 25. *Non deſerentes congregationem noſtri mutuam*, &c. Nec putârunt presbyteri ſe coram Deo in conſcientiâ liberatos eſſe ab officiis ſuis, ab inſpectione & directione totius gregis in quo ſpir. ipſos conſtituerat epiſcopos *Act.* 20. *v.* 28.

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. 3. Si tales *exemtiones* eccleſiaſticas ſancitas à Magiſtratu, eccleſia cum ſenioribus ſuis acceptare, introducere, probare in conſcientiâ tenetur: utique ex jure divino, eccleſiæ, & exemptis aut eximendis illud demonſtrandum eſſet, præſertim à theologis ſi qui Magiſtratibus talia ſuggerunt, quique non minus erubeſcere deberent ſine ſcripturâ loqui, ac Jureconſulti ſine lege. Si cui hoc tentare libeat, videbimus an & quid reſpondeſi poſſit.

Reſp. 4. Quod ſi Magiſtratus topicus, aut toparcha civitatis, pagi, vici iſtius in quo hoſpitatur eccleſia illa particularis, civium propriè dictorum *exemtionem* totalem aut partialem in caſu doctrinæ aut ſaltem in aliquibus doctrinæ caſibus reſervatis ſpecialiter & definitè expreſſis ſanciat; & inſpectioni atque officiis inſpectionis eccleſiaſticæ ſolos incolas non-cives, aut plebejos, cum ſervis & ancillis, & pauperibus eleemoſynariis, relinquat: quid conſilii, quid tunc agendum ſynedriis, claſſibus, ſynodis? an rata erit talis exemtio eccleſiaſtica: ut crimen ſacrilegii, rebellionis incurrere dicendi ſint paſtores, ſynedria, claſſes, &c. ſi contra hiſcere auſi; aut inſuper à Spiritu S. ſibi demandatæ (*Actor.* 20. *v.* 28. 29.) & quidem in caſu doctrinę, attentionis, vigiliæ, inſpectionis ſuæ, circa ſic *exemtos* aut eximi cupientes, actus aliquos directè aut indirectè exerceant; utpote cognitionem, judicium, admonitionem, inſuper correptionem? Quid quæſo agendum? Quid tali in caſu egerunt antiquæ eccleſiæ, concilia, eccleſiarum inſpectores? Quid reformatæ? Quid noſtræ Belgicæ? An illæ ſequeſtrârunt eccleſiaſtica ſua judicia, ſuas correptiones, ſuas cenſuras in causâ Caſpari Coolhaes Leidenſis, Hermanni Herberts Goudani, Cornelii Wiggers Hornani, Taconis Sibrandi Medenblicenſis, Adolphi Venatoris Alckmariani, concionatorum; quos particulari *exemtione* Magiſtratus topici *exemtos* volebant, & quorum *exemtionem* omnibus viribus conabantur præſtare? De quibus videnda ſcripta hiſtorico-apologetica publicè edita; & acta ſynedriorum, claſſium, ſynodorum Hollandicarum. Synedria, claſſes, ſynodi ſilentium & ἀπραξίαν ſibi minimè indixerunt, cum *exemtionem*, à Remonſtrantibus in caſu doctrinæ quinquarticulanæ petitam, Ill. Hollandiæ Ordines, per ſuaſionem & præformationem Joh. Oldenbarneveldii ipſorum Advocati, à *Joh. Wttenbogardo* concionatore tunc Hagienſi, inſpirati, ipſis concederent: quin etiam deputati ſeu conſiliarii Ill. DD. Ordinum per deputatos ſuos claſſi Leidenſi, & aliis mandarent, ne in examine vocatorum ad miniſterium in articulo de prædeſtinatione eique annexis capitibus, ulterior poſtularetur declaratio, quam quæ quinque articulis Remonſtrantium expreſſa eſſet, &c. Vide *præfationem* ad lectorem *actis Synodi Dordracenæ* præmiſſam ad ann. 1610. menſe Junio, & 22. Septembr. De *Adolphi Venatoris*,

itized by Google

quem *exemtum* volebant Ill. Ordd. Hollandiæ, à ſuſpenſione à miniſterio per claſſem Alckmarianam ibid. ad annum 1610. Februar. In eccleſiaſticâ hiſtoriâ & ſcriptis Athanaſii, Hilarii, &c. cognoſces quomodo novatores & heterodoxi, ſe ſemper ſubtraxerint cognitioni, judicio, admonitioni, correptioni, cenſuræ eccleſiaſticæ; & ſuos caſus Imperatoribus, Principibus, Magiſtratibus reſervandos, eorumque judicio ſiſtendos, & ab illis terminandos contenderint.

Sed excipient forte,

Except. Principes & Magiſtratus Chriſtiani promiſcuam quorumvis *exemtionem* non concedent, nedum ut omnium civium ſuorum, qui alicujus cenſus ſint, exemtionem ſive univerſalem, ſive particularem concederent? *Reſp.* 1. Quid ſi infideles, aut hęretici, in ſuâ civitate, aut territorio ſuo eccleſiam aliquam reformatam ſive publicam, ſive privato-publicam tolerantes, talem *exemtionem* ſponte aut rogati concedant, & eccleſiis τὸ *noli me tangere*, ſeverè pręſcribant: quid conſilii? Si ipſi dicant, aut ἄπαντι & cenſuræ eccleſiaſticæ proxima ſubjecta, illis perſuadeant Magiſtratui hæc aliaque in eccleſiaſticis competere ipſo jure Magiſtratus: audiemus quomodo hoc refutaturi ſint *Exemtionum* fabri. *Reſp.* 2. Quid ſi Principes & Magiſtratus Chriſtiani *talem* exemtionem meditarentur, immo pręſtarent: quid conſilii? unde probarent, ipſis tale quid non competere; ſic ut exemtionem particularem, quam antiqui & novi fabri ſtatuunt, iiſdem argumentis non refutarent? Sicuti talem *exemtionem* ab examine eccleſiaſtico quorumvis competentium (adoleſcentiæ annos egreſſorum), in receptione ad communionem; etiam *exemtionem* omnium & ſingulorum membrorum eccleſiæ à cenſurâ excommunicationis, hujus urbis Magiſtratus olim ſancivit, & ſynedrio præſcripſit: uti patet ex *actis ſynedrii.* Cujus ſenſus, & ſtudii circa ordinem eccleſiarum reformatarum tunc fuerit iſtius temporis Magiſtratus, ex *epiſtolâ* dedicatoriâ *Franciſci Junii* celeberrimi in Acad. Leidenſi theologi, pręmiſsâ *commentar. ipſius in Exodum*, & ex ejuſdem *Fr. Junii epiſtolâ* ad eundem Senatum ſcriptâ; quę in collectaneis epiſtolarum anno 1663. à *Simone Abbes Gabbema* editis, comparet *centur.* 3. *epiſt.* 37.

Digitized by Google

Cap. IV.

De Quæſtione hypothetica, an primi Remonſtrantes ἀνυπευθύνως *ſe ſuaque ſubducere potuerint inſpectioni, curæ, judicio eccleſiaſtico; & exemtionem qualemcunque à Magiſtratu petere, eâque uti frui.*

EX hiſtoriâ initii & progreſſus Remonſtrantiſmi in Belgio à *Friderico de Vry*, *Baudartio*, *Triglandio*, & ex præfatione ad acta *Synodi Dordracenæ*, conſtat, quomodo hâc in re ſe geſſerint Remonſtrantes; & quomodo hæc ipſorum praxis ab eccleſiis, uſque ad Synodum Dordracenam incluſe improbata fuerit; & quomodo contra præſumtam hanc *exemtionem*, *immunitatem*, *independentiam* à cognitione, & judicio eccleſiaſtico ſynedriorum, claſſium, ſynodorum ex verbo Dei, ex conſtitutionibus & perpetuâ praxi eccleſiæ antiquæ & reformatæ, imprimis Belgicæ, ipſos & Magiſtratus, ſi qui hanc *exemtionem* & *independentiam*, illis tribuere, & in eâ eoſdem tueri conarentur, fideliter & conſtanter informaverint. Legant quæſo qui rerum antehac geſtarum ignari ſunt, laudatam modo præfationem ad *acta Synodi Dordracenæ*, & in ipſis *Actis ſeſſ. 29.* ubi judicia exterorum theologorum de proteſtatione Remonſtrantium; & *ſeſſ. 26.* ubi reſponſum *Synodi Delfenſis* ad conditiones habendæ ſynodi à Remonſtrantibus propoſitas, habetur: ex quo hæc verba (pag. 87. edit. in fol.) ſolummodo hic exhibemus: *Ac ſi hac Remonſtrantium exceptio locum habere debeat, nulla eccleſiaſtica cenſura, aut diſciplina unquam in eccleſiâ Dei exerceri poterit; quia illi, qui in doctrinâ ſcandalorum autores ſunt, ſemper cenſores ſuos*, conſiſtoria, claſſes & ſynodos, *ceu partem adverſam rejicient.*

Et conſequenter ad Magiſtratuum judicium tanquam ad aſylum confugiunt; quibus judicium tali in caſu competere contendunt, an orthodoxa ſit ipſorum doctrina; aut ſaltem an fundamentalis ſit controverſia, an vero problematica; aut an communiter receptæ doctrinæ & confeſſioni aut catecheſi repugnet; an conſequenter eccleſiaſtica libertas prophetandi, & mutua tolerantia in eccleſiâ illâ aut eccleſiis illis hoc in caſu ſit ſancienda. *Judicium* tale privativè Magiſtratui competere volunt; non ſynedriis, claſſibus, ſynodis; quibus ſolummodo indicii Magiſtratibus faciendi, & conſilii dandi (ſi Magiſtratus petant), & parendi gloriam relinquunt. Quorum omnium πρῶτον ψεῦδος eſt, Quod unus aliquis aut pauci aliqui in cujus aut in quorum doctrina aut moribus à ſynedrio, ii claſſe quid notatur, jam faciat partem adverſam, & ſynedrium aut claſſis cognitionem cauſæ illius ſuſcipiens, deque eâ judicans aut judicatura pariter faciat

ciat partem adverſam. Conſequenter inter duas partes contendentium & litigantium, judex ſedeat aut ſedere debeat Magiſtratus. Confer quæ contra *Grotium* ſupra *part.2. lib.1. lib.4. tract.1. cap.9. pag* 533. & ſeqq. de refugio ἐκκλήτων ab eccleſiaſtico ad Magiſtratuum judicium, notavimus.

An & quomodo poteſtas & judicium in eccleſiaſticis Magiſtratui competat aut non competat, ex profeſſo explicuimus *part.1. lib.1. tract.2.*

His præcognitis, accedamus nunc ad quæſtionem hypotheticam, ad quam reſpondemus, *Neg.* idque diſtinctè applicabimus ad ipſum *Arminium*, ad concionatores, ad ſtudioſos theologiæ, & miniſterii candidatos.

§.1. Quod ad Arminium, πρᾶξις ejus manifeſta eſt, quod cognitioni, claſſium, & ſynodorum earumve deputatorum ſe & ſua, cum quædam ſua per quoſdam ſtudioſos, qui collegiis privatis interfuerant, apud concionatores detecta perciperet, ſubduxerit; & ſua ibi aperire, ac proponere, quamvis obnixè rogatus, perpetuo detrectârit: & curatorum Academiæ ac Magiſtratuum cognitioni reſervata voluerit. Interim in collegiis privatis, quę domi ſuæ habebat, primum; & poſtea in Academicis lectionibus ſucceſſivè; tandem etiam in diſputationibus publicis, ſuas opiniones aperiebat: ut & in collationibus privatis cum miniſtris, quos capaces & præparatoriè diſpoſitos putabat; inſuper libellorum ſuorum MSS. communicatione (quos tacitè nonnulli deſcribebant), adhæc commendatione lectionis *Zwarezii* opuſculorum theologicorum, ſcriptorum *Caſtalionis*, *Acontii* ſtratagematum Satanæ, &c.; denique depreciatione ſcriptorum Calvini, Bezæ, Zanchii, Perkinſi, &c. Hanc ipſius diſſimulationem, aliquando ſimulationem, docent acta cum ſynedrio Amſtelodamenſi ipſum dimittente, & cum D. *Gomaro*, Curatoribus, & ſynodorum deputatis, 6. & 7. Maii a. 1603. & doctrinâ, lectionibus & diſputationibus publicè traditâ 28. Octobr. Et in publicâ diſputatione pro gradu Doctoratus, cum D. *Gomarus* & *Feſtus Hommius* concionator Leidenſis opponentes occaſione theſ. 43. & problematum theſi 63. ſubjectorum, admodum urgerent, quibus ad improbationem aut approbationem novarum opinionum, quarum ſuſpectus erat, cogeretur: ſed fruſtra; ille enim præſcindebat & declinabat illa, & ultra generales & ambiguas reſponſiones nihil proferebat. Prout etiam ſtudioſis opponentibus, cum de ejuſmodi quæſtionibus diſputaretur, primis profeſſionis ſuæ annis, ulteriores probationes & inſtantias, quas adferendas perſpiciebat, præſcindebat, negando plerumque majores propoſitiones, aut earum conſequentias: adeo ut commune tunc ſtudioſorum in diſputationibus ſe exercentium judicium eſſet, difficile eſſe contra Arminium opponere. In lectionibus publicis, aliquamdiu theſes orthodoxas directè & exſertè non rejiciebat nec oppugnabat, nec antitheſes ſuas apertè pro-

Digitized by Google

proponebat; ſed textibus quibuſdam ſcripturæ quibus orthodoxa theſis aut hypotheſis niteretur, aliter explicatis, argumento orthodoxorum hoc aut illo rejecto & refutato, agebat quod pro ratione temporis & ſtatus rerum, tunc putabat ſolummodo agendum. Proſequamur nunc occultationem: diſſimulationem, ſimulationem, tergiverſationem, dilationem, moratoria, ejuſdem, & perpetuam provocationem ad judicium, aut conſenſum Magiſtratuum, aut Academiæ curatorum. Vide in dictâ *præfatione* ann. 1605. 2. Julii 10. Auguſti 30. Auguſti 8. Novembr. & anno 1608. 28. Junii 13. Octobr. 1609. 4. April.

Inſtantia. Atqui dices, reſervabat ſuarum opinionum apertionem ſynodo Nationali: ergo ἀπέκτως non ſubducebat ſe & ſua cognitioni & judicio eccleſiaſtico. *Reſp.* 1. Hic erat prætextus: ſiquidem hoc agebat, per aulicum Euſebium apud Magiſtratus & miniſtros eorum, à quibus ducebantur, ne unquam indiceretur aut haberetur ſynodus Nationalis. Quò etiam faciebant conditiones & modus habendæ ſynodi; quo fumo per Arminium ejuſque auxiliarios ſparſo remoram injiciebant. Erant autem conditiones iſtæ. Ut in ſynodo reviſio catecheſios & confeſſionis inſtitueretur: ut pro definitivâ ſynodi ſententiâ haberetur, quod non tantum deputatorum, ſed etiam omnium deputantium ſuffragiis definitum eſſet: ut deputatis ſemper liberum foret, ad deputantes ſuos, quotieſcunque voluerint, recedere. Hæc inſolens & invia via, hæc ſynodus ἀσύνοδος: cujus pretenſione remora injiciebatur: ut intercedente hâc temporis redemtione & extractione, ſequaces ipſius ad miniſterium ſive vocati, ſive irrepentes, ſive intruſi, & plures ex præſentibus concionatoribus in ſententiam ipſius ſucceſſivè, aut ſaltem ad dubitationem aut neutralitatem, aut moderationem (uti vocabant) pertracti, ſi non majorem ſaltem magnum numerum facerent. Suada hæc peragebatur rationibus partim pſeudo-theologicis, partim ſecularibus, ab utili, ab honore & gratiâ, quam mererentur apud Magiſtratus & primarios eorundem miniſtros Arminianiſmo faventes. Vide de remorâ injectâ, per prætenſas ſynodi habendæ conditiones, in dictâ præfat. 1605. 16. & 30. Novembr. & 1606. Auguſt. & 1607. 3. Maji. Ubi *Joh. Wttenbogardus* Arminii Achates in ſynodo Delfenſi reſpondebat, ſe *illuſtribus tantum* Ordinibus Hollandiæ rationem conſiliorum & actorum ſuorum circa habendam ſynodum, *rationem reddere teneri, non ſynodo Delfenſi.* Idem rogatus, negabat conſultum eſſe, ut ſynodo aperiret conſiderationes, quas habebat, ad confeſſionem & catecheſin. Anno 1608. 30. Aprilis Arminius petiit libello ſupplice, & obtinuit, ut à ſupremæ curiæ conſiliariis cauſa ipſius cognoſceretur. Vides jam, quo animo, quâ ſinceritate cauſæ cognitionem & judicium eccleſiaſticum ſynodo Nationali

 (nun-

(nunquam ipſius voto & ſtudio habendæ, niſi numero ſuorum ſuperior eſ-ſet) deferre viſus fuerit. Vide reliqua, quæ in *præfat.* ſequuntur. *Reſp.* 2. Arminius quidem antea eccleſiæ poteſtatem regiminis & juriſdictionis te-nuerat, cum orthodoxis, & diſp. publicâ explicârat. 1606. 29. Jul. *Diſpp.* quarto repetitarum 38. Reſp. Bernhero Vezekio Daventrienſi. Dicit, ec-cleſiæ poteſtatem conſiſtere in tribus, 1. in fidei & morum dogmatibus. 2. in legiſlatione. 3. in juriſdictione.

Primam dicit eſſe jus à Deo eccleſiæ collatum, doctrinæ & morum do-gmata, &c. accipiendi, accepta conſervandi, & fideliter cum filiis ſuis com-municandi.

Secundum, conceſſam eccleſiæ, ut à pluribus particularibus in *Synodo* con-gregatis, aut à presbyterio leges ferantur de rebus per ſe mediis ad decorum & ordinem ſpectantibus, per ſe non neceſſariis, ſed ratione τοῦ πρέποντος & ordinis.

Tertiam dicit totum dependere à clavibus, quas Chriſtus eccleſiæ con-tulit. Hanc juriſdictionem à Chriſto *immediatè fluere; & ferri in eccleſiam ejuſque cives, ſive præfecti ſint*, &c. *ſive etiam Magiſtratus, qui quatenus membrum eccleſiæ huic poteſtati ſubeſt.* Debere hanc juriſdictionem exer-ceri, *non ab uno ſed per legitimum conſeſſum.* In *diſpp.* privatis in collegio privato dictatis, *diſp.* LV. §. 7. dicit *primæ* poteſtati annexum eſſe *jus do-gmata à quovis ſpiritu propoſita examinandi & dijudicandi.* Et de *tertiâ* po-teſtate *diſp.* 57. §. 4. ſtatuit, cauſam ſeu formalem conditionem diſciplinæ „exercendæ eſſe peccata admiſſa, ſive illa doctrinam concernant fidei, & „hæreſes ſint exitiales & pernicioſæ, ſive mores & reliquos vitæ Chriſtianæ „actus.

Et poſtea §. 7. „Diſciplinæ illius executivum poſitum eſt *tum* in admo-„nitione, *tum* in caſtigatione ſeu punitione vel in cenſurâ, quæ fit verbis „tantum per reprehenſionem, adhortationem, comminationem; vel quæ „fit privatione nonnullorum ad communionem ſanctorum, &c.

Idem diſp. 58. §. 6. „Objectum circa quod verſabitur concilium, ſunt „res ad religionem & eccleſiæ qua talis bonum pertinentes, quæ duobus „ſummis capitibus comprehenduntur, ut primarium ſit ipſa doctrina fidei, „ſpei caritatis, &c.

Sic quidem ille, cum extra conſiderationem propriæ cauſæ & ſtatus re-rum ſuarum judicaret. Sed cum eccleſias, earumque miniſtros, ut tunc erant, ſuis novitatibus non addictos conſiderans, de ſucceſſu dubitaret aut deſperaret, verſâ velificatione ab eccleſiæ ad Magiſtratuum cognitionem & judicium cauſam facto non tantum transferebat; ſed & publicè muta-tam hac in parte doctrinam ſuam prodebat, occaſione diſputationis de ſa-cris

Conciliis à *Gul. Wirtſeo de Bergomo* conſcriptæ, & ſub ejus præſidio
ſtæ prid. Non. Decembr. Inter alios tunc opponentes *Feſtus Hommius*
ſiaſtes Leidenſis, & *M. Samuel* (poſtea *Petrus*) *Cudſemius* alumnus Ve-
ſis in peregrinatione ſuâ ad Papiſmum prolapſus, & iſtac tunc tranſiens,
ſitionibus hoc eliciebant.

cuti & alias quaſdam novitates antea diſſimulatas in lectionibus &
tationibus, cum ſpem ſuam de obtinendo apud eccleſias jam decollaſſe
et, & opponentes ei obtingerent, quibus accuratè & acriter urgentibus
inſtantibus per abductiones, aut per generales diſſimulationes, os ob-
non poterat. Exemplum peculiare dabat in diſputatione, de Vocatione
inum ad ſalutem Reſp. *Jac. Bonteballi* (quæ inter publicas eſt decima
): ubi cum ſtudioſos opponentes rigidâ & abſolutâ negatione majo-
propoſitionum, ſeu conſequentiæ majorum propoſitionum, avertiſſet
atię ſufficientis & efficacis diſtinctione adhibitâ, actualem fidem &
erſionem ſoli gratiæ adſcripſiſſet, non libero arbitrio: à peregrino quo-
Pontificio (quem poſtea nonnulli ajebant Gandavenſem eſſe) diſſimu-
nis & tergiverſationis larva illi detracta eſt. Ille enim iſtac forte tran-
& Academiam ingreſſus, auditum, pręciſum, ac deſertum argu-
tum opponentium ſtudioſorum, ſub ipſum horæ undecimæ punctum,
nebat, urgendo, hoc modo: Si detur duobus gratia ſufficiens & æqua-
gr. ut ſex aut ut quatuor; & alter eorum conſentiat, alter non: con-
s alterius aut eſt à gratiâ, aut à libero arbitrio. Non à gratiâ, quia eadem
qualis data eſt alteri, qui diſſentit. Ergo à libero arbitrio. Hoc cum urge-
andem coactus fuit, *Arminius* reſpondere, *à libero arbitrio, concomitante*
â. Quo audito, & Pedello monente horam auditam eſſe, opponens
tit. Iſta & ſimilia poſt illud tempus creſcente παῤῥησίᾳ, publicè, datâ
ſione, prodebat: quamvis *D. Gomarus*, qui præſens iſtud de *libero ar-*
o concomitante gratiâ audiverat, finitâ diſputatione, exiens cum *Armi-*
ion neglexiſſet illi obloqui, eumque monere. Sed exemtione & pro-
one DD. Curatorum & Ill. DD. Ord. Hollandiæ, ad quæ declinatis co-
ionibus & judiciis eccleſiaſticis confugerat, ſuffultus, magis ac magis
rodebat, præſertim cum apud eccleſias, earumque fidos anteceſſores
ius latere non poſſet: effutientibus paſſim arcana illa *P. Bertio* collegii
logici regente; & *Gul. Coddæo* Hebr. linguæ profeſſore, aliiſque inter
oſos & concionatores. Nunquam tamen, quod ſciam directè & apertè
ublicis lectionibus, orthodoxæ theſios de perſeverantiâ ſanctorum
tionem, aut ejus antitheſin de apoſtaſiâ ſanctorum profitebatur:
entus locorum ſcripturæ pro perſeverantiâ, & locorum pro apo-
(e.gr. *Hebr.* 6. & 10.) alias à communi reformatorum interpretatio-

 ne,

ne, interpretationes inculcare; & ſæpe *Bezæ* verſionem N. T. ex originali ſollicitare. Quamvis ipſe in Græcę & Hebreæ linguæ cognitione, admodum pauper eſſet. Uti in explicatione vocis *εὐδοκίας Math.* 11. *v.* 26. *ἀπολογίας 1 Petr.* 3. *v.* 15. *λογίζειν Rom.* 10. aliarumque, nobis à D. *Gomaro* in lectionibus, tunc oſtendebatur. Nec mirum eum à theſi de perſeverantiâ & antitheſi de apoſtaſiâ tantiſper abſtinuiſſe, cum ipſi Remonſtrantes poſt Arminii obitum, in Remonſtrantiâ ſuâ Ill. Hollandiæ Ordinibus anno 1610. exhibitâ, à determinatione abſtinerent, dicentes: „*An vero* fideles non „poſſent per negligentiam principium ſuæ exiſtentiæ in Chriſto deſerere; „præſentem hunc mundum rurſum amplecti; à ſanctâ doctrinâ ſemel ſibi „datâ deficere; bonam conſcientiam amittere; gratiam reddere irritam: „prius ex ſcripturâ propius inveſtigari deberet, quam illud plenâ animi no„ſtri perſuaſione docere poſſemus.

Et *Arminius* paulo ante obitum in collatione cum D. *Gomaro* coram ſupremæ curiæ ſenatoribus publicè & rotundè declaraverat, *ſe doctrinæ de perſeverantiâ ſanctorum nunquam contradixiſſe, neque adhuc velle contradicere, ſed tantum velle ſe conſiderationes ſuas, earumque rationes adverſus illam proponere: quia agnoſceret pro ſententiâ noſtrâ eſſe talia argumenta, quæ ipſe non poſſet refutare.* Vide 2. contra Remonſtrantiam miniſtrorum Hollandię pag. 77. edit. Latinæ in 4.

Ita ille dum clam ſua ſpargeret, per *exemtionem* à legitimâ cognitione, examine, judicio eccleſiaſtico; per refugium ad cognitionem, examen, & judicium Magiſtratuum; per occultationem, diſſimulationem, ſimulationem; per dilationem & temporis redemtionem ſpe alicujus interea futuri, & occupandi tam multos ut in claſſibus & ſynodis numero ſuffragiorum vinceret; cauſam ſuam ſuſtentabat, & promovebat.

Aliquam methodum ex ſcriptis ſupra & alibi per me indicatis, à paſtoribus Belgicis, pernoſci & notari velim: ut comparatione inſtitutâ, attendant ad illos, ſi qui ſimiliter agant, aut acturi ſunt. Ad crypticas illas methodos novaturientium & ἑτεροδιδασκαλούντων præveniendas, introducta eſt à ſynodo Nationali Dordracena, formula ſubſcriptionis concionatorum, Doctorum, proponentium; in quâ exſertè promittunt, ſi quod dubium adverſus ullam partem doctrinæ formulis communis conſenſûs contentam ipſis aliquando oboriri contingeret, ſe illud non ſparſuros, ſed cum ſynedrio, claſſe, ſynodo communicaturos, &c. Quod quam neceſſe ſit ſervari à ſubſcribentibus præſertim à profeſſoribus theologis, graviter diſſertatum vide à Cl. *Joh. Hoornbeek* Acad. Leidenſis profeſſore nunc μακαρίτῃ in *epiſt. dedicatoriâ ſecundo tomo Socinianiſmi confutati præmiſſâ*, lectu ſane digniſſimâ. Quin ipſe *Arminius* methodum clandeſtinæ ſparſionis in-

udioſos & tyrones, & occultationis, diſſimulationis, tergiverſa-
haut obſcurè improbabat, cum in epiſtolâ ad *Job. Druſium* Leidâ
eptembr. 1604. (2. centur. epiſtolarum à *Simone Abbes Gabbema* in-
pag. 579.) ſcriberet: *Si quid ſcire arbitremur, aliis ignotum juſtis ratio-*
adſtructum proponamus publicè judicandum, probandum, improbandum
omni manſuetudine & lenitate. Ergo non occultandum, diſſimulan-
ſimulandum, apud doctos, & in iſto genere artifices, & jure divino
res, cuſtodes, vigiles, ductores; quorum maximè intereſt, ut reci-
& promoveant meliora ab aliquo excogitata; aut deteriora & le-
ſtateram ſanctuarii explorata, in tempore diſſuadeant, conſcien-
errantis melius informent, & ab errore liberent; denique ſi res tan-
omenti ſit, & aliter fieri nequeat, poſt correptiones exerceant cen-

lis ergo medicis ſpiritualibus quibus poteſtas & potentia divinitus tri-
erat morbos illos curandi, oves aberrantes reducendi; aut ſana & ſa-
a ab ipſis propoſita explorandi, approbandi, aliis tradendi, & com-
dandi; illis, inquam, ſolis, hæc celanda erant, quomodocunque ea
lo aperiri efflagitarent: adoleſcentulis vero ex ſcholâ triviali nuper e-
is, *primum* aperienda, communicanda, commendanda, obtrudenda,
de ſubtracta cognitioni & judicio eccleſiæ ſuę omniumque aliarum re-
natarum, quin & facultatis theologicæ, quam cum illo tum conſtitue-
D. *Fr. Gomarus* & D. *Lucas Trelcatius*, Lucæ filius; judicio peremtorio
um ſiſtenda erant, Ill. ſcil. Dominorum Ordd. Hollandiæ; quorum par-
aliquam norat apertè Papiſmo addictam, partem nulli hodiernę pro-
oni ſub nomine Chriſtianiſmi, ſaltem reformatæ nomen non dediſſe;
em potiorem à rerum theologicarum cognitione ad dijudicandas intri-
illas controverſias, & malè feriatas Arminii ſubtilitates, admodum re-
am. Ne dicam, Neſtora eorum, vere talem in negotiis hujus ſæculi, ſed
uerum fuiſſe in controverſiis tunc agitatis: ut non obſcurè imperitiam
n in iiſdem publicè profiteretur, adoptato & applicato huc proavi ſui
bolo: *Nil ſcire tutiſſima fides.* Videat, cui vacat, Johannis Oldenbarnevel-
Hollandiæ Advocati *Manifeſtum* a. 1617. vernaculo ſermone editum in
tque hæc ſcil. Arminii methodus in novitatibus ſuis propagandis & de-
endis. Breviter hoc agebat, quod Pericles amico ſuo dicenti, ſe occu-
m eſſe & agere, ut rationes ſuas redderet, ſuaſiſſe dicitur, ut hoc potius
et ne rationes redderet. Quod autem *Arminius in epiſtolâ* ad *Job. Dru-*
6. April. 1608. (apud Gabbema centur. 2. pag. 383.) *Paratum* ſe dice-
demonſtrare ſententias à præceptoribus inſtillatas in melius à ſe mutatas
id ad proteſtationes factis contrarias, hoc eſt, ad meras nullitates

relegandum eſt. Sed, dices, addere ipſum ibidem, *ſimulac cum fructu citra tumultum fieri poterit*. Hoc magis lubricum & evanidum eſt. An cum ſynedrium Amſtelodamenſe vocationem ejus ad profeſſionem theologicam impedire conaretur, & in dimiſſionem conſentire nollet (ipſo fatente in *epiſt.* ad *Joh. Druſium* 4. Kal. Jul. 1603. apud Gabbema pag. 377.) demonſtratio talis cum fructu & citra tumultum fieri non poterat? An tandem jactâ aleâ, & ſciſsâ, ac turbatâ jam Academiâ, Eccleſiâ, politiâ Hollandica, commotis exteris tum amicis ob diſſidia iſtâ ingemiſcentibus, tum inimicis inteſtino reformatorum bello inſultantibus; an tandem, inquam, anno 1608. nondum tempus erat ſententias ſuas ex ſcripturis demonſtrandi, ſiquidem demonſtrari potuiſſent? Sed quômodo ad hoc verè paratus fuiſſet, qui aſſiduo detrectabat opinionum ſuarum nudam & ſimplicem apertionem ac declarationem; ſine quâ nulla legitima demonſtratio inſtitui poteſt. Perinde eſt, ac ſi quæſtor ad rationum à ſe reddendarum debitam demonſtrationem paratum eſſe jactaret; qui nunquam adduci poſſet, ut rationes à ſe deſcriptas exhiberet, poſtulantibus & urgentibus iis, quorum maximè intereſt. Quin *Arminius* non contentus ἀπίκλῳ ſuâ praxi & tergiverſatione, novo theologemate eam ſuffulcire cœperat (uti plerumque ad malam praxin ſequitur mala doctrina): Non teneri fidelem, ne quidem publicum Doctorem, ad fidei ſuæ declarationem & confeſſionem; quidquid petat eccleſia, cujus membrum eſt. Et ne ex 1 Petr. 3. v. 15. 16. *Eſtote ſemper parati*, &c. redargueretur, excipiebat ἀπολογίαν ibi tantum notare *defenſionem*, non *declarationem* aut *reſponſionem*. Quaſi vero ad defenſionem paratus eſſet, qui paratus non eſſet petentibus eccleſiæ ſuæ anteceſſoribus & ſynodis declarare fidem & ſententiam ſuam; & quaſi defenſio poſſet eſſe ſine declaratione & ſimplici ſententiæ ſuæ poſitione. Arminium, cætera infelicem in linguâ Græcâ criticum, *Gomarus* tunc docebat in appendice *diſpp.* ad priorem tabulam decalogi, originem & ſignificationem vocis ἀπολογία; quam editores operum ipſius, ſubjecerunt commentario ipſius in 1 *Petr.* 3. Quod *Arminius* ſcribebat ad *Joh. Druſium* 4. Kal. April. 1603. (apud *Gabbema* pag. 378.) *Se ſæpius optaſſe, ut qui ſiniſtrius de ſe ſentiant, vel verbulo indicarent quid deſiderent, hoc impetrare ab uno vix potuiſſe*, hoc fidem non meretur: ut nec Thraſonica illa quæ præcedunt & ſequuntur eâdem in epiſtolâ. Collationes ejus cum D. *Gomaro* coram DD. curatoribus & ſynodi deputatis, & oblata collatio deputatorum ſynodi ab ipſo recuſata, niſi depoſitâ, quam tunc ſuſtinebant, perſonâ, & ne quid de illâ referrent ad ſynodum (quarum ſupra meminimus) & collatio cum D. *Gomaro* coram ſupremæ curiæ Hollandicæ ſenatoribus, aut dicebant ei, aut dixiſſent quid deſiderarent: niſi ille tergiverſationibus, ſimulationibus,

ſubductionibus, ambiguis reſponſis, quin & apertis negationibus omnia
let. Inſigne ſpecimen dabat in negatione ſententię ſuæ, de juſtifica-
per fidem imputatam ad juſtitiam, non per imputatam Chriſti juſti-
, contra exſertam determinationem catecheſios *quæſt.* 60. 61. De quo
Gomari Monitionem (Belgicè Waerſchouwingh) anno 1609. editam.
ium & ultimum erat illi refugium ab omni cognitione & judicio ec-
ſtico, ad cognitionem & judicium DD. curatorum, & Ill. DD. Ordd.
andiæ: quos præjudiciis pro ſe occupatos à *Joh. Wttenbogardo* per Ad-
tum Orden-Barneveldium, & controverſiarum iſtarum minime ido-
cognitores & judices probè nôrat. Videat lector, quem hoc tangit,
iſtolis ejus ad *Joh. Druſium* (apud Gabbema *pag.* 372. 375.) quan-
fide ipſius, apud Ill. Hollandiæ Ordd. potuerint Oldenbarnevel-
& Wttenbogardus. Atque hæc hactenus de Arminii ἀπαξίᾳ, exem-
ne, & ſubductione, ab eccleſiarum cognitione & judicio.
monſtrantes, à Remonſtrantiâ a. 1610. (quâ exemtionem petebant) §.2.
licti, in modo procedendi fuiſſe ἀπόκλεις, breviter hiſce indiciis pro-
r.
Mutationem religionis & abrogationem & catecheſios, & confeſſio-
aut ſubſtitutionem alterius catecheſios cum intenderent, & cryptice
rentur, primum tamen negabant ſe illa intendere & moliri: quin re-
latam religionem & conformitatem cum catecheſi & confeſſione pu-
profitebantur apud eccleſias, earumque inſpectores: quidquid clam
ent aut egiſſent.
ı. Si quis notaret & negare non poſſent erumpentes & jam detectas
um novitates; negabant illas confeſſioni aut catecheſi repugnare: quin
ra ſententiam contra-Remonſtrantium illis repugnare & novam eſſe
ndebant; multaſque alias heterodoxias & novitates iiſdem impinge-
de quo vide Eccleſiarum orthodoxarum ſecundam contra-Remon-
tiam.
ıı. Prætexebant in genere pacem, imminutionem & unionem ſecta-
ſeu diſſecti Chriſtianiſmi; lucrationem multorum aberrantium, &
eccleſias noſtras adductionem. In quem finem legebant, commenda-
, librum Acontii de ſtratagematis Satanæ: de cujus pretio apud
in Reſp. ad excerpta profeſſ. Leidenſ.
v. Catecheſim novam (dictam *Goudanam*) fabricabant: quæ tum alias
, tum imprimis Sociniſmum non excluderet. De quâ in *actis Syno-
dſenſis* anno 1607. Et *Adolphus Venator librum Fundamenti*, ſeu *theo-
m veram & meram*, vernaculo ſermone edebat, præſcribens & ſub-
ens huic titulo, quod Chriſtianiſmus 1400. annis tali doctrinæ formu-
là

là caruiſſet. Et quamvis non cautè ſociorum judicio egiſſet, eoque ab ipſo collegio DD. deputatorum Ordd. Hollandiæ, cui intererant Olden-Barneveldius & Grotius, mulctatus eſſet: non deſierunt tamen Remonſtrantes eum tanquam fratrem & ſocium ſocietatis agnoſcere; quin & Remonſtrantici concionatores Ultrajectini, eidem hac tranſeunti, vices ſuas concionandi in magno templo concedere.

v. Magiſtratus ſummos, urbicos, oppidanos, curiales, eorumque primarios miniſtros, toparchas, item rurales prætores & quoſcunque in aliquo regimine & judicio conſtitutos, χειρολογίαις ad partes ſuas trahebant: Eorum quamvis religione Pontificiorum, aut ſectariorum, aut Neutralium, aut Libertinorum, operâ utebantur ad ἀταξίας ſuæ defenſionem, contra eccleſiæ poteſtatem, regimen, ordinem, contra miniſtros orthodoxos & conſtantes veræ & publicè receptæ ac ſtabilitæ religionis defenſores.

vi. Illis tribuebant quâ privatim, quâ publicè in concionibus, in Academicis lectionibus & diſputationibus, editis libris & libellis, poteſtatem vocandi, conſtituendi, deſtituendi miniſtros; legum ſeu canonum eccleſiaſticorum condendorum & eccleſiis præſcribendorum (vide *decretum* Ill. Ordd. Hollandiæ tot teſtimoniis munitum anno 1614. & Ordinem eccleſiaſticum Ultrajectinum anno 1612.); & primò atque immediatè cognoſcendi negotia & cauſas merè eccleſiaſticas; conſequenter peremtoriè de iis judicandi, decidendi: ſic ut eccleſiis ſola parendi, & miniſtris cuivis illorum decreto ſubſcribendi, gloria relinqueretur.

vii. Hoc quaſi Euchariſtio Archimedeo ab architectis illis fabricato; orthodoxis & fidis miniſtris, cum ſynedriis, claſſibus, ſecundum verbi divini, & ordinis eccleſiaſtici præſcriptum agentibus paſſim rebellionem adverſus Magiſtratum, novæ hierarchiæ Pontificalis, & Romano-Epiſcopalis, Inquiſitionis Papiſtico-Hiſpanicę molitionem & uſurpationem, autoritatis publicæ & poteſtatis Magiſtratuum ſubrepticiam imminutionem, ſubverſionem, paſſim, etiam ſcriptis partim ſine nomine, partim nomine præſcripto, improperabant. Videat, cui hoc tanti eſt, libellos anonymos, ſcripta vernacula pro cauſâ *Adolphi Venatoris*, & motuum Alckmarianorum; **Brandt-Klock** in 4. **Chriſtallijnen Bril** in 4. anno 1613. **Weegh-Schale.** Et *Joh. Witenbogardi defenſionem* Decreti Ill. DD. Ordinum Hollandię anno 1614. Et *Grotii Pietatem* Ordinum Hollandiæ.

viii. Uti per clandeſtinam ſubſcriptionem miniſtrorum novitatibus implexorum, ſocietatem ac factionem quam peculiarem formârant; ſic eam ſtrenüe per correſpondentias, concurſationes, communicatas tum voçe tum ſcripto conſultationes, ſervabant atque exercebant. Dum interim

legi-

na & ordinata correſpondentia eccleſiarum, earumque anteceſſorum
inariis ſynodis Hollandicis per Ill. Holl. Ordines ab a. 1608. uſque
618. impediretur.

Legitimas vocationes ſive miniſtrorum ſive proponentium ortho-
um per toparchas, Balivos, prætores, Magiſtratus eorumque miniſtros
licos, ſecretarios, &c.) paſſim impediebant: & Remonſtranticos,
lanos, Socinianos, etiam vitâ & moribus ἀτάκτους, eccleſiis aliquibus
debantur. Uti conſtat ex actis quinque miniſtrorum à *Synodo Delfenſi*
atorum (quibus Ill. Hollandiæ Ordines adjungebant tres politicos,
cta deputatorum miniſtrorum inſpicerent, confirmarent, & ubi opus,
tioni mandarent), eccleſias turbatas anno 1618. & 1619. obeun-
ad cognitionem & judicium triplicium miniſtrorum 1. ſine voca-
legitima ingreſſorum, aut intruſorum; 2. ultra dogmata quinquar-
na, Socinianas aut alias hæreſes dogmatizantium. 3. In moribus, aut
tâ, regimine, & ductu eccleſię ſuę exorbitantium.

Quoſvis proponentes, modo cauſæ & factioni ſuæ faverent, quamvis
ad doctrinam non ſatis idoneos, aut ſupra Quinquarticulana he-
oxos, aut vitâ & moribus ἀτάκτους, aut eccleſiis ingratos, quantum
erat, quocunque modo promovebant; ut numerum ſuorum augerent.
eos erant *Engelbertus Pot* in Tranſiſulaniâ, *Nicolaus Lodingius* in hac
nciâ, *Henricus Welſingius* in Hollandiâ, qui poſtremus comparet in
lis qnorundam Vorſtii diſcipulorum publicâ autoritate in Friſiâ edi-
m notis. Adde & *Henricum Slaetſium*, quod ad doctrinam ineptum,
roſè tamen heterodoxum, vitâ & moribus improbum: quem affectan-
miſſionem in Indiam Orientalem Ultrajectini tunc Remonſtrantes ad
en admittebant: quamvis ſerio illos præmonuiſſet egregiè doctus &
tate prudens *Caſparus Wiltens*, qui zelo laudabili Euangelium inter
s plantandi accenſus, operam ſuam jam diu claſſi Amſtelodamenſi,
efectis Societatis Indiæ Orientalis addixerat; jamque in procinctu ſta-
d iter primâ occaſione eò capeſſendum. Qui cum aliquot annis lin-
elgicâ horis matutinis, & linguâ Malacicâ (quam brevi tempore &
ter didicerat) horis pomeridianis iſtic Euangelium prædicaſſet, ibidem
mino defunctus eſt: uti ab aliquo ægrotorum conſolatore populari
ico ex Indiâ reduce, qui viventi, prædicanti, decumbenti, morienti,
tat, mihi referri memini. Unum hâc occaſione pręterire nequeo,
libellus ſupplex ſtudioſorum theologiæ in Academiâ Leidenſi, de-
ns profeſſionem Conr. Vorſtii DD. Curatoribus, & Ill. DD. Hollan-
rdd. traditus, ab eodem *Caſparo Wiltens* præparanti ſe ad iter Euange-
ndicum, conceptus, & conſcriptus ſit, & ab octo ſtudioſis ad id depu-

 tatis

tatis lectus, relectus, probatus. Ex quo poſtea typis edito, de viri-juvenis illius ingenio & prudentiâ, aliquo modo judicari poterit.

XI. Prętensâ pace, moderatione, tolerantiâ mutuâ, calumniis, conviciis, invectivis ſtrenuè belligerabantur, ad odium & contemtum, tum doctrinæ orthodoxæ, tum orthodoxis miniſtris conflandum. Teſtes ſunt libelli cum anonymi tum nomine præſcripto editi. Quod ad calumnias in doctrinam, excellebant tabulæ ſeu tabellæ, in quibus Manichæiſmo, Turciſmo, &c. comparabant doctrinam reformatorum, ſive excerptis ex ſcriptore aliquo reformato (*Calvino*, *Marlorato*, *Martyre*, *Beza*, *Pareo*, *Piſcatore*, &c.) exhibitis, ſive fictâ, aut calumnioſè fabricatâ doctrinâ reformatis impoſitâ.

Inter eos qui apertè & nomine præſcripto, hoc agebant, non infimus erat *Petrus Bertius*, poſtea infelix ad Papiſmum apoſtata, in diſputatione de theologiâ occultâ & revelatâ, & in præfatione quâdam ad *Arminii* ſcriptum aliquod poſthumum: ubi refert factum Tiberii, qui virginem aliquam mortis ſupplicio à ſe deſtinatam, prius per carnificem ſtuprandam dederat. Quam calumnioſam comparationem, cum abſolutâ Dei prædeſtinatione, poſtea contra Piſcatoris editam refutationem peculiari quodam ſcripto defendit. Quod ad invectivas, obtrectationes, calumnias, in miniſtros, eorumque actiones pro orthodoxiâ, pro eccleſiæ poteſtate, regimine, ἰσχίᾳ, ſuſceptas; μετὰ πολλῆς φαντασίας hoc agebat *Caſp. Barlæus* in declamatione quâdam Philippicâ, contra miniſtros: quam *J. Damius* medicinæ Doctor, pro merito excipiebat. *Barlæo* jungo *Grevinckhovium*. Libros & libellos *Joh. Wtenbogardi*, *Petri Cupi* alioſque vernaculos nunc prætereo.

XII. Factioni illi jam accedentes, tum miniſtros, tum miniſterii candidatos, ſtudioſè promovebant; ab ingenio, eruditione, eloquentiâ, tanquam apprimè idoneos commendabant, extollebant; quamvis antea, cum ab orthodoxorum partibus adhuc ſtabant, nihili aut tanti non facerent: ita ut in commune tunc dicterium abiret, ſi quis æſtimari velit, novę doctrinę ſe tradat. Illi enim per indicium & commendationem Remonſtrantium quorundam, qui omnia poterant apud illos, quibus longæ manus erant, in curru promotionis, jam conſtituti erant.

XIII. Imprimis admodum promovebatur cauſa illorum, per magnum motivum & irritamentum intentatæ & nonnunquam reipſa effectæ per Magiſtratus illos, qui cauſę Remonſtranticæ favebant. 1. extruſionis ex miniſterio: 2. non-promotionis aut non-admiſſionis ad miniſterium; ubi ſpes vocationis affulgebat; aut ubi jam eccleſiaſticè vocati erant. 3. ſuſpenſionis à miniſterio, privationis ſtipendii. 4. negatorum aut negandorum

ſubſi-

orum miniſtris illis, qui pro causâ orthodoxiæ & eutaxiæ eccleſia-
ſtabant: quæ alioquin frequenter & liberaliter in miniſtros Remon-
es conferebantur.

7. Sectariis Cornhertiſtis, Anabaptiſtis, Papiſtis moderatioribus (qua-
ſſandri aut *Eraſmi* ſectatores) Neutralibus, familiariter utebantur, iis
ant, eorumque opera contra orthodoxos, aut ad cauſæ ſuæ defenſio-
c promotionem utebantur. Tandem etiam Socinianos tum concio-
es, tum privatos, in fraternitatem & communionem cooptabant, aut
exiſtentes ferebant.

. Uti magis ac magis eccleſiam & eccleſiaſticum regimen ſæculari-
ſeu politizare ſtudebant: ſic etiam contentiones, factiones agitationes
rant in politiâ, cauſis & diviſionibus eccleſiaſticis immiſcebant, aut
aſſu ire jubebant; alteras alteris ſubſtituebant, aut ſubordinabant; ita
rent cauſæ mutuò efficientes: quomodo ſanitas eſt cauſa deambula-
, & deambulatio cauſa ſanitatis. Orthodoxi ſua agebant; & aliis,
quos jus & poteſtas, ſæcularia & politica, agenda relinquebant:
ates & petentes, ut eccleſiis relinqueretur ſua poteſtas & libertas à
ſto capite eccleſiæ ordinata; quam tunc temporis Magiſtratus Remon-
tibus faventes, ſolis eccleſiis reformatis auferre aut imminuere inten-
nt, nullis vero ſectis extra eccleſiæ reformatæ communionem con-
ntibus. Ambigentibus ſententiis tunc ſæpe diſceptabatur an con-
o, diviſio & mutatio in politiâ, eſſet quæſitum & adhibitum medium;
ontentio ac diviſio eccleſiaſtica eſſet finis: an vero vice verſâ eccle-
ica eſſet medium ad politicam mutationem & contentionem, tanquam
nem, ordinatum. Sed penitius perſpicienti & recordanti quæ & quomo-
unc acta ſunt; poſterius mihi videtur vero ſimilius. Quidquid ſit, Phocas
bat Bonifacium, & Bonifacius Phocam. Alterius ſic altera poſcit opem
& conjurat amicè. Qui rebus novis, aut ſuis, aut factioni ſuæ ſtudent in
ticis, plerumque eccleſiaſticos attrahere ſtudent: ut per eos homines de
eſiâ ad auxilium & partes ſuas trahant, aut per eos diviſiones in eccleſiâ
citent: promiſsâ religionis, eccleſiæ, miniſterii promotione, defenſione.
os nihil minus tunc cogitare, & poſt obtenta cupita præſtare, experientia
docuit. Ab alterâ parte, qui hæreſes, errores, novitates, ἀταξίας ac Diotre-
as ſuas factiones in eccleſiam introducere conantur, ſollicitant Politicos,
μεταβαίνειν εἰς ἄλλο γένος, aut inſtar frigoris miſcent ac congregant hetero-
ea. Videte ergo miniſtri, quomodo prudenter ambuletis, non ut inſi-
ntes, ſed ut ſapientes.

Quod ad ſtudioſos theologiæ, & miniſterii candidatos novitatibus Re- §. 3.
nſtranticis tunc temporis irretitos, Reſpondemus eos ab ἀταξίᾳ excu-

ſari non poſſe. Quippe qui doctrinâ & exemplo Magiſtrorum ſuorum, quibus adhærebant, ſeducti; *exemtionem* ab ordine & inſpectione eccleſiaſticâ ponebant refugium ſuum, & poteſtatem Academiæ, aut curatorum, aut Magiſtratuum, latibulum & umbram ſuam: ſi quid in doctrina & moribus eorum ab eccleſiâ notaretur; aut ipſi correptionem cenſuramve inde metuerent. Ab eccleſiâ ad Academiam, aut facultatem theologicam (cum eam *Gomarus*, *Arminius*, *Trelcatius* conſtituerent) non ita confugiebant: ſed cum Trelcatio defuncto, & pluribus profeſſoribus ad favorem partis illius, quę favore DD. curatorum & Ill. DD. Ordinum gaudebat, ſe componentibus, etiam hac occaſione utebantur. Quidquid autem hic fieret aut non fieret, ſaltem in collegio Hollandico habitantibus paratum erat teſtimonium & commendatio Regentis ſui *P. Bertii*, & auxilium Mecænatum, tum in Ordine equeſtri, tum in civitatibus Hollandicis, qui plerique factionem Remonſtranticam fovebant, aut peculiari quâdam moderatione patienter tolerabant, & tolerari volebant. Diviſâ autem facultate theologicâ cum *Gomarus* & *Arminius* aliquamdiu, & poſtea *Polyander* & *Epiſcopius* ab a. 1612. uſque 1618. eandem conſtituerent, aperti Remonſtrantes ab *Arminio* & *Epiſcopio*, orthodoxi à *Gomaro* & *Polyandro*, protectionem, commendationem, teſtimonium petebant: ut & concionatoribus in ſynedrio diviſis ſtudioſi Remonſtrantes, à *Borrio*, aut *Corvino*, aut *Duinglo*; Orthodoxi à *Feſto Hommio*, aut *Egberto Æmilio*, aut *Adolpho Spranckhuyſen*, aut *Colonio*, teſtimonia & commendationes ſuas petebant. Quibuſcunque claſſibus aut ſynedriis teſtimonia ſua exhibebant, & quidem in formâ: non negligebant tamen orthodoxæ eccleſiæ & claſſes ad talia teſtimonia, & ad illos exhibentes attendere, etiam in doctrinam eorum publicè privatimque in Academiâ aut alibi vivâ voce aut ſcripto defenſam inquirere, eccleſiaſticum conſilium & judicium ſuper eâ formare; eos ad examen admittere, aut non admittere; inter commendatos proponentes recipere, aut rejicere; iis cathedram concedere aut negare; eos ad communionem admittere aut non admittere. Sed forte pro illis ſtudioſis & proponentibus quis exciperet.

1. *Except.* Illi ſequebantur Arminium, aut Epiſcopium aut Regentem, aut ſubregentem collegii; aut alium quem publicum in Academiâ illâ profeſſorem, ſub cujus prę ſidio aſſertiones heterodoxas, aut periculoſas, aut malè ſonantes, aut offenſivas: ergo ipſi non debebant eo nomine à ſynedrio Leidenſi, aut parte ſynedrii orthodoxâ, aut paſtore orthodoxo, aut à paſtoribus, ſynedriis, claſſibus in patriâ ſuâ conveniri, notari, moneri, corripi; ſed potius præceptor *Arminius*, aut *Epiſcopius*, aut Regens collegii, aut ejuſdem ſubregens, aut quicunque alius philoſophiæ profeſſor, ſub cujus

præ-

ſtudio paradoxa illa propoſuerant & defenderant. *Reſp.* 1. culpa ducto- & ſeductoris, non liberat ſeductum, ſequentem, cooperantem aut ſub- ſtantem ab omni culpâ. Seductoris & ductoris culpæ applicari quidem poteſt illud ſervatoris Johann. 18. v. 11. *Qui me tradidit tibi, majus peccatum habet*: non tamen ab omni peccato & dato ſcandalo excuſatur.

Inſtantia. Videtur tamen eſſe προσωποληψία, ſi ſynedrium, aut claſſis alia, miſſo Arminio aut Epiſcopio aut Bertio collegii Regente, aut alio quocunque publico præceptore, ad diſcipulum attenderet, ejuſque factum, inquiſitioni, judicio, correptioni, aut cenſuræ ſuæ ſubjiceret. Juxta illud,

Dat veniam corvis, vexat cenſura columbas.

Reſp. 1. Datâ hâc præteritione, per negligentiam, aut inadvertentiam ἀπραγμοσύνην ſynedrii & claſſis: nulla tamen fieret injuria ſtudioſo paradoxa proponenti, ſi ad culpæ ſuæ ſive levis ſive gravis agnitionem, & meliorem mentem adduceretur, aut in caſu pertinaciæ à teſtimonio, aut commendatione, aut promotione ad miniſterium, iſtius ſynedrii & claſſis tantum ſuſpenderetur, donec dubitationem aut judicium de heterodoxiâ ſuâ, debitam ſatisfactionem ipſis eximeret. *Reſp.* 2. Non erat προσωποληψία: 1. *Quia* orthodoxi paſtores, profeſſores, ſynedria, claſſes, ſynodi, deputati ſynodi, miſſum non faciebant Arminium, Epiſcopium, Bertium, Barlæum, &c. ſed quandocunque & quomodocunque poterant, *tum* vivâ voce, *tum* editis ſcriptis, decretis claſſicis & ſynodicis, teſtimoniis eorum, ſi diſcipulis ſuis impartiiſſent, non admittendis; examinibus præparatoriis & peremtoriis, differendis aut negandis; Magiſtratibus (ad quorum aſylum ab ordine eccleſiaſtico confugerant) monendis & ſollicitandis, circa & contra heterodoxa ipſorum lectionibus, theſibus, editis libris propoſita, &c. Ut nemo poſſit dicere, eos fuiſſe ἀπράγμονας.

2. *Quia* plura, & alia agere ſi non poterant, id ipſis imputandum non eſt, ſed vi majori, ita loquar, & ordinis turbationi per ſynodorum Hollandicarum ab anno 1608. ſequeſtrationem, per non-impetratam *Synodi Nationalis* convocationem, per fibulas claſſibus in examine candidatorum appoſitas, per ſcriptionum de controverſiis illis prohibitionem anno 1610. iter per *exemtiones* Remonſtrantium à Magiſtratibus petitas, & ubicunque fieri poterat iiſdem præſtitas. Quamvis autem paſtores, ſynedria, claſſes orthodoxæ in Hollandiâ, & extra eam in Geldriâ, Zelandiâ, &c. agerent circa ſtudioſos in Academiâ Leidenſi heterodoxiam quam diſputatione publicâ, aut privato ſermone, aut ſcripto aliquo profeſſos; quę tunc agere non agebant circa præceptores eorum, (Arminium, aut Epiſcopium, Bertium, aut Barlæum), inde προσωποληψία eorum concludi non poteſt.

Non magis, quam Davidis, qui cum proceſſus contra quoſcunque alios in Iſraele homicidas, non inhiberet, Joabum tamen miſſum faciebat. Et cum poteſtati & inſpectioni hujus ſynedrii & hujus claſſis dicti pręceptores primo & immediatè ſubordinati non eſſent; ſtudioſi vero & proponentes, quâ membra tunc iſtius eccleſiæ, & quâ candidati & proponentes iſtius claſſis, & quâ teſtimonium, aut commendationem, aut promotionem ab iis petentes atque exſpectantes, eorundem inſpectioni & poteſtati primò & immediatè ſubjecti ac ſubordinati eſſent: quod quęſo nomen, quod privilegium, Academiæ, quæ putatitia *exemtio* eoſdem ſubtrahet ordini & inſpectioni eccleſiæ?

Quod ſi *Epiſcopius*, aut *Barlæus* petiiſſent teſtimonium, aut commendationem ſynedrii aut claſſis Leidenſis, aut ab illis de novo ad communionem admittendi, aut ad miniſterium promovendi fuiſſent: non puto ab illis antehac in Academiâ & profeſſione contra doctrinam & ordinem eccleſiæ geſta, eccleſias ſilentio tranſmiſſuras fuiſſe. Quid eccleſiaſticè in ſynodo Leidenſi anno 1619. circa Bertium & Barlęum, ſit actum, ex Actis ejuſdem cognoſci poterit. Ut vel hinc videas, eccleſias circa profeſſores Academicos (multo minus circa ſtudioſos) officio divinitus impoſito non renuntiaſſe.

Inſtantia 2. Atqui illa prius acta dicta diſputata Academica, non debuiſſent denuo ab eccleſiis cognoſci, cenſeri, dijudicari, &c. *Reſp.* Quibus legibus eccleſiaſticis, quo jure divino aut naturali, ſilentium & ἀπραξία eccleſiarum tali in caſu probaretur.

11. *Except.* Studioſis in illâ Academiâ & miniſterii candidatis, non minus ac aliis quibuſcunque quarumcunque facultatum ſtudioſis; & profeſſoribus competebat *exemtio*, ab inſpectione, cognitione, judicio quocunque eccleſiaſtico per privilegia, & libertates Academiis communiter conceſſas; præſertim iis, quæ juriſdictionem habent. Nullam ergo ἀταξίαν committebant, quod inſpectioni, cognitioni, & judicio eccleſiarum ſe ſubducerent in caſu doctrinę aut morum; ſolique judicio Senatus Academici, aut Magiſtratus ſive ſubalterni ſive ſupremi, ſua reſervarent, eaque iiſdem ſponte, aut citari ſiſterent.

Reſp. 1. Exemtiones, libertates, privilegia, quæ jactantur, ſaltem quod ad τὸ ὅτι ex fundationibus & legibus Academiarum, nominatim Leidenſis, & ex decretis ac diplomatis ſupremi Magiſtratus, qui Academiam fundavit & inſtituit, denique ex praxi aut conſuetudine demonſtranda eſſent. Quod nunquam factum ab Arminio, Epiſcopio, Bertio, Barleo, *Grotio*, *Joh. Wtenbogardo*, *Vorſtio*, aliiſve Remonſtranticę cauſæ defenſoribus. Qui doctrinæ in Academia aut collegio ſive vivâ voce ſive ſcripto propoſitæ,

Ma-

giſtratuum judicium & poteſtatem contra eccleſiarum poteſtatem, nitionem, judicium prætendebant: non verò peculiares Academi- im libertates & exemtiones. Quod ſi præceptoribus quâ Acade- is exemtio & libertas tributa non fuit; multò minus diſcipulis tri- nda.

Reſp. 2. Dato (non conceſſo) ex praxi aliquâ aut conſuetudine oſtendi, d iſtic aut alibi ſit aut fuerit talis *exemtio*: Iſta nihil eſſet quam mera u- atio, erratum, ἀταξία, quæ cum ordine eccleſiarum reformatarum no- atim Belgicarum, & cum conſcientiâ ſic *exemti* aut eximendi ἀπαθῆς. a ſcriptura, catecheſis, confeſſio, canones regiminis eccleſiaſtici, litur- (capp. de adminiſtratione cœnæ, de confirmatione miniſtrorum, de firmatione ſeniorum, de excommunicatione, de reconciliatione) omnia leſiæ membra, abſque ullà exceptione, ad ſubjectionem ad poteſtatem, ectionem, regimen, correptionem, cenſuram aſtringit, illique omnes in iſſione ad communionem hoc promittunt; miniſtri & ſeniores in con- atione iteratò & peculiariter. Quibus poſt ſynodum Dordracenam o 1619. acceſſit peculiaris promiſſio iterato præſtita à miniſtris, ſe- ribus, ſcholarum præceptoribus, proponentibus, in formulâ ſubſcri- nis.

Debebant ergo aut non promittere & mediante illâ membrum eccleſiæ, per concionator, ſeniorve fieri: aut *exemtionem*, ſeu *independentiam*, non tare, non petere, non uſurpare; multò minus pro eâ contra eccleſiam tendere. Parodicè illud Bernardi ad Eugenium: *I ergo tu, & uſurpa- tibi aude dominans Apoſtolatum, aut Apoſtolicus dominatum*, merito illis ſug- & ab ipſis cogitari debuiſſet, I ergo tu candidate miniſterii, tu theo- Doctor, tu verbi miniſter, tu regens collegii theologici, & uſurpare aude aut membrum eccleſiæ, & miniſter non niſi iſtâ ſtipulatione fa- , preſumtam tuam exemtionem & independentiam; aut ſic indepen- & exemtus communionem eccleſiæ aut miniſterium ejus. Videntur ti à *Synodo Zuyd-Hollandicâ Leidenſi*, anno 1619. Barleus, Bertius, & à ibus Hollandicis poſt illam ſynodum citati aliqui miniſterii candidati ctionem ſuam & poteſtatem eccleſiaſticam agnoviſſe, & conſequenter titiæ ſuæ *exemtioni* ab eâdem tunc temporis & illo in caſu renuntiaſſe: malè opinatos, non eſſe illa ἀσύστατα. De Bertio, paulò poſt Pariſiis taſiam ad Papatum profeſſo, id tunc judicandum fuiſſet, cum libros ſcriptos (inter quos titulo latè ſplendente, *Hymeneus deſertor*, ſeu de *ſtaſia ſanctorum*, imprimis notabatur) etiamnum probaret: & co- halitu proteſtaretur, ſe membrum eſſe reformatæ eccleſiæ Lei- s, hiſce formalibus verbis à me tunc ſtudioſe obſervatis, & po- ſtea

ſtea ſæpe commemoratis: **Ick houde my voor een Lidtmaet van de Kercke van Leyden.**

111. *Except.* Privilegia *indulta*, *exemtiones*, *immunitates*, *libertates* ſtudioſis, ſupra alios Reipublicæ cives & incolas, iſti & communiter Academiis conceſſæ, non ſinunt eos pariter cum aliis eccleſiæ membris inſpectioni, & diſciplinæ eccleſiaſticæ ſubjectos eſſe: ſed tantum ſenatui Academico, aut, ſi mavis, facultati theologiæ.

Reſp. 1. Innui videtur ſtudioſis in illâ Academiâ, potuiſſe aut debuiſſe imaginariam illam ab eccleſiaſticâ cognitione, & judicio in *dependentiam* (de quo paulo poſt) habere, & poſſidere: ſed non probatur Academiam illam tunc habuiſſe aut à quoquam illi pro tempore, & extra ordinem conceſſam fuiſſe: ne quidem à ſupremis poteſtatibus tunc alioquin cauſæ Remonſtranticæ faventibus. Non poſſunt ergo per chimæricam hanc Academicorum exemtionem, à reali ἀταξίᾳ realiter purgari.

Reſp. 2. Nullis Academiis per Imperatores, Reges, Principes, ante reformationem fundatis, *exemtionem* ab eccleſiaſticâ poteſtate & juriſdictione ſive interiori ſive exteriori (vide duplex hoc forum explicatum in 4. *part. ſelect. diſp. tit.* de Foro poli & ſoli), collatam eſſe, nec potuiſſe conferri, non ignorant illi, qui hiſtoriam temporum vel à limine ſalutârunt. *Poteſt* (inquit Tholoſanus lib. 18. Politicæ cap. 7.) *Princeps concedere privilegia eccleſiaſticis, etiam ſtudiis, ſicuti & eccleſiis ipſis, nempe quoad temporalia, non quoad ſpiritualia; in quibus nullum jus ſibi laici arrogare poſſunt.* Privilegia per Pontifices variis Academiis ſive ante ſive poſt reformationem donata nullam talem *exemtionem* includere, indubium eſt. Sed ſi quis oculis ſuis credere velit, percurrat *Rebuſſum* de privilegiis ſtudioſorum, qui 180. enumerat, & *Horatium Lucium*, qui 100. aut *Adamum Contzen lib.* 4. *Polit. cap.* 15. qui 180. ex *Rebuſſo* exhibet.

Inſtantia 1. Debere ſubintelligi libertatem ſe ſubducendi judicio eccleſiaſtico, & religionem ſuam & independenter ab illo profitendi. Quem in finem allegantur à Remonſtrantibus in libello ſupplice Ordinibus Hollandiæ exhibito, quem *Synodus Delfenſis* 1618. reſponſo ſuo excepit, poſtea *Actis Synodi Nationalis* inſerto ſeſſ. 26. Ubi vide pag 89. edit. in fol. Non poſſunt ergo à culpâ ἀταξίας abſolvi.

Inſtantia 2. Academici alicubi in Papatu vocantur *clerici*, & *clerus*; etiam extra Papatum, e. gr. Oxoniæ (uti ſupra *cap.* 1. indicavimus): alicubi Academiæ in Rectoribus ſuis habent eccleſiaſticam poteſtatem: Ergo Academici Leidenſes tum profeſſores tum diſcipuli (qui membra eccleſiæ) ab omni poteſtate & diſciplinâ eccleſiaſticâ, tunc temporis exemti erant: aut ſaltem eſſe debebant. *Reſp.* 1. *Neg.* conſequentia. *Quia* alia ratio eſt hierarchiæ Papa-

Digitized by Google

alis, & regiminis presbyterialis. In Academiâ Leidenſi Senatus non ſtabat ex clericis Romano-Papalibus; nec ſpiritualem ſeu eccleſiaſticam eſtatem, (qualis ſynedrii aut claſſis, aut ſynodi,) unquam accepit, ha-, uſurpavit; nec ordini ſacro concionatorum aut ſeniorum inſertus eſt: ut Academicus profeſſor reciprocaretur cum concionatore, aut ſeniore.

Reſp. 2. Dato alicubi in Papatu Academiæ Senatum conſtare ex clericis, eccleſiaſticâ poteſtate in ſubditos ſuos uti, immo Academiæ alicui (i accepi) tributam poteſtatem epiſcopalem, eâque poſt reformationem amnum uti: id non negat, ſed potius probat Academicos poteſtati ecfiaſticæ ſubjectos eſſe. Tantum abeſt, ut probet, eos exemtos fuiſſe à poſtate eccleſiaſticâ Epiſcoporum,& Papæ. Non magis,quam ab omni eccleaſticâ poteſtate, & juriſdictione exemti fuerunt abbates; aut eccleſiæ gulares, & regularium monaſteria, ab omni poteſtate & juriſdictione eceſiaſtica tum interiori tum exteriori exemta fuerunt. Quidquid fuerit,hinc on ſequitur, Academicos vi privilegiorum Academiis ſive ante ſive poſt eformationem à Principibus & Magiſtratibus reformatis confirmatorum, ut de novo conceſſorum, ipſo facto aut jure exemtos aut eximendos. Nulla itaque ab ἀταξίᾳ & turbato ordine eccleſiaſtico, purgatio Remonſtrantibus hinc vel minimâ ſpecie affulget.

IV. *Exceptio.* Magiſtratibus Academiarum dominis, nutritiis, & curatoribus competit, pro arbitrio ſuo, particularem quam *exemtionem*, *libertatem*, & *independentiam* Academicorum ab omni inſpectione, ἐπισκοπῇ, & judicio eccleſiaſtico, ſaltem in caſu doctrinæ, concedere, & vindicare.

Reſp. 1. Quod Ill. Hollandiæ Ordines quamvis Remonſtrantibus faventes, tale quid pro arbitrio ſuo Academicis Leidenſibus tunc conceſſerint, dici quidem poteſt; ſed non probari. Cedo decreta ipſorum.

Reſp. 2. Et ſi hoc ab illis factum fuiſſet; nunquam probabitur jus tale quid, contra Jus divinum, ab a. 1610. uſque 1618. agendi & decernendi in foro poli licitum fuiſſe. Inſpice quæſo confœderationem Provinciarum, anteriora decreta Unitarum Provinciarum, & decreta Ordinum Hollandiæ, & ſtabilitam religionem reformatam, cum ordine, regimine & diſciplina preſbyteriali in liturgiâ & canonibus eccleſiaſticis a. 1575. 1578. 1581. 1586. & Zelandicis 1590.: & jus illud non invenies; ſed potius contrarium.

Reſp. 3. Quodcunque hic ſive decretum ſive arbitrium Magiſtratus ſupremi aut ſubalterni fingeretur: non tamen Remonſtrantibus Academicis eccleſiæ membris, in foro poli licitum fuiſſet *talem* exemtionem uſurpare, petere, ſuadere, defendere: quippe qui vinculis ſtipulationum & promiſſionum tenerentur: à quibus per diſpenſationes Papales, aut quaſvis alias, liberari non poterant.

Reſp. 4. Fiat quodcunque fit, & exemtio, independentia, libertas à Magiſtratibus conceſſa, ex illa parte ſit rata: quid prohibet eccleſiam facere, quod jure divino facere poteſt: ut ſcil. tales independentes & exemtos eximendos non recipiat ad communionem, non eligat ad miniſterium, nec in eo confirmet: ſiquidem ſtipulationem ſolennem in receptione ad communionem, & ad miniſterium bonâ cum conſcientiâ præſtare, nec Deo & eccleſiæ promittenda promittere poſſunt. Neque enim arbitror facturum tunc fuiſſe Magiſtratum, quod aliquando Genevenſis ſingularem eclipſin paſſus, cum abſtento alicui ab eccleſiaſtico judicio ad ſuum confugienti, cœnam porrigendam decerneret: de quo *Beza in Vitâ Calvini.* Legimus in relatione præſentis ſtatus eccleſiarum reformatarum in Galliâ (anno 1666. Gallicè & anno 1667. Belgicè editâ) à curiâ aliquâ anno 1660. prohibitum fuiſſe ne conſiſtoria reformatorum cenſurâ notarent parentes eccleſiæ ſuæ membra, qui liberos ſuos mitterent ad ſcholas Jeſuitarum. Iſtæ alięque exemtiones à cenſurâ eccleſiaſticâ, ſeu Magiſtratuum protectiones contra eandem, videntur omnia ad clandeſtinas cryptarum, & ſaltuum ac ſylvarum eccleſias, aut ad migrationem præparare. Similia impedimenta eccleſiis quibuſdam in Hollandiâ per intruſionem Remonſtrantium, per eorundem viam Domini blaſphemantium protectionem objecta, coëgerunt multos extra publica templa verbum Dei audire, & ſacramenta percipere; immo & ſegreges cœtus inſtituere. Et ſi Magiſtratus per particulares *exemtiones*, & in doctrinâ, aut moribus exorbitantium, protectiones, per libertatis & poteſtatis eccleſiaſticæ imminutiones, & impeditiones, per religionis & eccleſiæ publicè antehac à ſupremis poteſtatibus approbatæ & defenſæ, atque hactenus poſſidentis tanquam religionis & eccleſię ſtatus, turbationes deprimere, infra cœtus ſectarios per nudam conniventiam aut particularem tolerantiam hactenus ſubſiſtentes: tali in neceſſitatis caſu cogitandum de prudentiſſimo illo conſilio; quod a. 1582. haut obſcurè innuebat, *Synodus Hollandica Harlemi* habita repręſentans omnes Hollandiæ auſtralis & borealis eccleſias; ſupra *part. 1. lib. 1. tract. 2. cap. 3. pag. 199.* exhibitum: ubi vide & expende.

v. *Except.* Poterat Magiſtratus tunc temporis, ſi quid ab Academicis Leidenſibus, ſive præceptoribus ſive diſcipulis, contra orthodoxam & receptam theologiam peccaretur, ad illud attendere, & de eo judicare ac ſtatuere; uti è re eccleſiæ ſtatuendum cenſuiſſet. Ita ut eccleſias in ſynedrio, claſſe, ſynodo, contra exemtionem & libertatem Academicam nihil hic agere, neceſſe fuiſſet.

Reſp. 1. A poſſe ad eſſe non valet conſequentia. Oſtende Academiæ curatores, aut Ill. Ordd. Hollandiæ, aut eorum Deputatos debitè ſemper attendiſſe,

e,cognitionem,ſibi ſumſiſſe judicaſſe,ſtatuiſſe,quod maximè è re eccleſię Academiæ fore putarent. Quod ſi hoc facere neglexiſſent ; an non juxta monſtrantes,alioſque Politicos theologos Magiſtratibus hierarchiam , & men eccleſiaſticum tribuentes , ab eccleſiis hoc tunc agendum fuiſſet ?
Reſp. 2. Per potentiam intelligi poteſt vel phyſica vel Ethica, hoc eſt, poas. Illa ſi intelligatur, non magis per eam actualis αὐτάξία Remonſtrann à culpâ liberatur, quam parentum eorum in Galliâ , qui liberos ſuos itutioni Jeſuitarum committentes , à cenſurâ eccleſiaſticâ , per vim mam, eximi poſſent. Sin poteſtas curatorum aut Magiſtratum intelligatur, probanda eſſet jure divino ipſis competere, uti poteſtatem eccleſiæ & anceſſoribus ejus competere ex *Actor.* 20. 1 *Theſſ.* 5. *Hebr.* 13. *Math.* 16. & 18. 20 ſupra probatum eſt.
Reſp. 3. Eccleſiaſticam inſpectionem, attentionem, admonitionem, corionem , cenſuram præſertim in caſu doctrinæ qui tollit ; manifeſtè init in ſcripturam, totam antiquitatem eccleſiaſticam , reformatam donam, eccleſiarum Belgicarum doctrinam, diſciplinam , liturgiam ?
Inſtantia 1. Atqui exemtio univerſalis omnium & in omnibus , non urur ; ſed tantum particularis , Academicorum ſcil. , & quidem in aliquo doctrinæ.
Reſp. 1. Ex quo jure divino, naturali, humano , probabitur eſſe caſus reatos reſervandos, Curatoribus , aut Magiſtratui urbano, aut Magiſtratui remo. Quomodo rurſum probabitur, extra illos caſus reſervatos ,eccle competere poteſtatem cognoſcendi, attendendi, judicandi , corripiendi, ſurâ notandi , in omnibus quæ vitam moreſque Academicorum connunt : ſic ut privilegiis , libertatibus , & poteſtati Senatus Academici i juriſdictionem habet) non præjudicetur. Audiamus quæſo probation.
Reſp. 2. Si doctrina aliqua apoſtatica , aut Sociniana , aliave hæretica , manifeſtè impia , aut blaſphema ab Academicis proponatur, defenda : an tali in caſu eccleſiæ licebit , cognoſcere , judicare, &c. ? an non? terutrum ſi dicatur, petimus probationem.
Reſp. 3. Quod ſi illic formaliter hæretica , aut manifeſte impia , blaſma , non proponantur : ſed periculoſa , malè ſonantia , ſcandaloſa ; aut emate & titulo philoſophico induta, (qualia nonnulla *Paracelſi, Simonis tii*, philoſophorum Averroïſticorum in Italiâ, aut *Cardani, Taurelli, Fram Roſeæ crucis, Campanellæ, Gaffarelli* , *Hobbeſii* , &c.) : quæro an eccle *τὸ noli me tangere* , rigidè in hoc caſu obſervare teneretur ?
Inſtantia 2. Inſpectio, cognitio judicium eorum, quæ ab Academicis pronuntur, eccleſiæ in ſynedrio , & conſequenter in claſſe abſolutè negatur :
 quia

quia privativè competit Academico Senatui, qui juriſdictionem habet; aut Curatoribus & Magiſtratibus, ubi Academia juriſdictione deſtituitur.

Excipiuntur tamen, ſi quæ contra fundamentalem, determinatam eccleſiarum doctrinam ab Academicis proponi ac defendi contingeret. *Reſp.* Diſtinctione & exceptione iſtâ eccleſiaſticis judiciis ſubtrahebant Remonſtrantes, quævis alia eccleſiæ membra, imprimis omnes concionatores. Quid ergò *libertatis*, *exemtionis*, *ſubductionis*, *independentiæ* ab eccleſiaſtico judicio, Academicis tanquam ex fundamento privilegii Academici peculiariter vindicari prætenditur? cum ſit commune omnium; qui modo è diametro fundamentalibus doctrinis, aut determinatis in confeſſione & catecheſi doctrinis repugnantia non proponerent, ſive ſcripto, ſive vivâ voce pro concione, in compitis, in circulis, κατ᾽ οἴκους. Suas autem novitates & heterodoxias, quinquarticulanas non tantum; ſed & de peccato originis, de ſatisfactione Chriſti, de juſtificatione, de perfectione in hâc vitâ, ut & omnia Conr. Vorſtii theomachica, negabant fundamentali doctrinæ, aut dogmatis in catecheſi & confeſſione determinatis repugnarè. Supra diſtinctionem illam de fundamentalibus, Socinianorum, Remonſtrantium, &c. ancile, & aſylum omnium hæreſeon excuſſimus; ut & generale ac doloſum illud, de confeſſione & catecheſi: nec hic repetimus.

Reſp. 2. Dum ſparſis his diſtinctionum & exceptionum fumis eccleſiaſticam cognitionem & occupationem circa membrorum eccleſiæ ſuæ ſcandala in Academiis data non tantum præſentibus, ſed & omnibus tum eccleſiis tum extraneis, quibus per famam aut inſpectionem theſium hoc innoteſcere potuerit; amovere ſtudent: volentes nolentes, cognitioni, inſpectioni, occupationi, & judicio eccleſiaſtico nova ſua ſubjiciunt. Judicare enim debet eccleſia, ſi non de veritate (quod tamen abſurdum), ſaltem de momento, pondere, neceſſitate, fundamentalitate novorum dogmatum: quod ſane difficillimum. Si non ſit (judicio ipſius) fundamentale: ut gradum ſiſtat, nec ultra quid movere pergat; ſed libertatem prophetandi, moderationem, mutuam tolerantiam ſanciat, exerceat.

Inſtantia 3. Atqui in caſu oppugnatorum fundamentalium, aut dogmatum in confeſſione & catecheſi determinatorum, non relinquitur eccleſiaſtico ſynedrio, aut claſſi, &c. judicium ſed tantum indicium Academico Senatui (ubi Academia juriſdictionem habet) aut Curatoribus & per eos ſupremis poteſtatibus, Academiæ illius Dominis faciendum.

Reſp. 1. Theologemata inaudita, nova hierarchia; quam ex ſcripturis, ex antiquitate eccleſiaſticâ, ex reformatâ doctrinâ, ex communibus doctrinæ formulis, ex liturgiis, ex canonibus regiminis eccleſiaſtici, ex decretis ſynodorum Belgicarum, ex communi praxi, probari velimus.

Reſp.

Reſp. 2. An ergo nunquam, ab eccleſiaſticis anteceſſoribus, in ſynedrio, claſſe, ſynodo congregatis, prophetia, exploratio & probatio ſpirituum, 1 *Joh.* 4. *v.* 1. cum 1 *Theſſal.* 5. *v.* 20. 2. 1 *Cor.* 14. *v.* 39. 32. cognitio & judicium de veritate dogmatum, & quod majus eſt de eorum fundamentalitate & neceſſitate exercendum erit? An veritas, ex invito Grotii pectore erumpens (in Pietate Ordinum), *de doctrinâ eccleſiæ judicat eccleſia*, ab ore hominum titulo Chriſtianiſmi inſignitorum fugiet? An vero per eccleſiam *columnam & firmamentum veritatis* (1 *Timoth.* 3.) intelliges ſcholæ curatores, aut ſcholæ alicujus Dominum?

Reſp. 3. Non erunt ergo hæc agenda & tractanda eccleſiaſtica; non magis, quam illa, de quibus ſupra *part.* 1. *lib.* 3. *tract.* 3. *cap.* 3. quæ purè ſunt politica & ſæcularia, qualia eccleſia petit à Magiſtratu decerni aut fieri. Eſſet ergo in caſu doctrinæ nulla inſpectio, *[illegible]* eccleſiæ, nec epiſcopi eſſent Epiſcopi, ſed tantùm indices, denuntiantes, quærentes, ſententiam Curatorum aut Magiſtratus exſpectantes, ſollicitantes. Quâ ſcripturâ hoc probatur? An *Actor.* 15. & 20. 1 *Cor.* 14. *v.* 20. 1 *Theſ.* 5. 2 *Timoth.* 3. *v.* 16. 17. & 4. *v.* 2. *Hebr.* 13. *v.* 17. nova philoſophia ſcripturæ interpres? an ſpiritus phanaticus ſeu enthuſiaſticus? an ratio infallibilis (quam Sceptico-Libertini quidam faciunt normam interpretationis ſcripturæ), ex ſacrâ ſcripturâ, aut ex ſententiâ & praxi antiquæ eccleſiæ, aut ex doctrinâ reformatâ publicis formulis propoſitâ, & ab orthodoxis theologis expoſita, aut ex regimine & ordine presbyteriali, nominatim à Belgicis eccleſiis ſancito, exſculpere poterit? Nihil reſtat, quam ut dicant novaturientes, *Sic volo ſic jubeo*; Ergo juſtum: aut, *ego clarè & diſtinctè ſic percipio*; Ergo verum.

VI. *Except.* Praxis eccleſiaſtica, & conſuetudo, docet talem *exemtionem*, libertatem, independentiam Academicorum tum Doctorum tum diſcipulorum, in caſu doctrinæ debere ſervari? *Reſp.* 1. Ex quâ hiſtoriâ eccleſiaſticâ, ex quibus actis conſiſtorialibus, claſſicalibus, ſynodalibus hæc praxis probatur? Ex nullis, ſive ante, ſive poſt Arminium.

Dices ex facto & tentatione, ex auſu Arminii & Remonſtrantium. Atqui Arminius & aliqui factioſi ſeorſim & abſque ſynedriis, claſſibus & ſynodis quique ſuis, immo contra ea, nova molientes, & ab eccleſiis ad curatorum aut Magiſtratuum inſpectionem, & judicium, ſe ſuaque transferentes; non erant eccleſia Belgica, aut Provincialis Hollandica, aut hujus illiuſve ſive deſtrictus ſive civitatis eccleſia. Niſi imagineris Diotrephen quem aut aliquos ſive egreſſos, ſive ingreſſos in Eccleſiam Epheſinam, (*Actor.* 20. *v.* 29. 30.) aut in eccleſias Galaticas, (*Galat.* 2. *v.* 4.) fuiſſe eccleſias illas; eorumque praxin, fuiſſe praxin eccleſiaſticam.

Deinde, Hoc factum eorum, hæc praxis, hoc tentamen, hoc auſum ipſiſſimum illud eſt, quod ἀταξίας arguimus, & perpetuò condemnârunt eccleſiæ, & datâ quavis occaſione cenſurâ notârunt, Inſpiciantur *acta Synodi Delfenſis* anno 1618. & *Leidenſis* anno 1619. ubi de Bertio ante annos aliquot collegii theologici regente, tunc literarum & hiſtor. profeſſore publico; de Barlęo tunc Collegii ſubregente, & philoſophiæ profeſſore publico. Et acta quinque deputatorum à Synodo Delfenſi 1618. ad perluſtrandas perturbatas eccleſias, per ἀταξίας à miniſtris in ingreſſu aut in functione miniſterii ſui commiſſas. Ut jam non dicam de *Synodo Brielanâ* 1623. & *Hagienſi* 1624. ubi de libro profeſſoris cujuſdam Academici quid actum fuit. Quin & anno 1645. in *Synodo Zuyd-Hollandicâ Woerdanâ* actum fuit de nonnullis ſcandaloſis, quæ in ſcriptis cujuſdam Academici à DD. Academiæ curatorum & Illuſtr. DD. Ordinum poteſtate dependentis, quippe ipſorum ſtipendiati, occurrebant. Quem etiam aliqua ex correſpondentibus ſynodis à ſynedrio eccleſiæ ſuæ, cujus membrum erat, monendum decreverat. Videantur acta dictæ *Synodi Woerdanæ*, & correſpondentis ibidem cit. Conferantur etiam *Synodorum Friſicarum acta* anno 1642. & anno 1643. ubi videbis praxim eccleſiaſticam circa Academicorum, tum Doctorum tum diſcipulorum doctrinam voce aut ſcriptis propoſitam.

Reſp. 2. Differentia adhibenda eſt inter cognitionem & judicium eccleſiaſticum applicandum ſtudioſis ſeu diſcipulis: & inter cognitionem & judicium profeſſoribus theologis applicandum. *Iſtis* enim in conſtitutionibus eccleſiaſticis anno 1581. 1586. 1619. poteſtas viſitandi & approbandi ſcripta theologica à concionatoribus aliiſque eccleſiæ membris, edenda: quin & in nationalibus, & provincialibus ſynodis comparendi tribuitur. Qualia ſtudioſis & miniſterii candidatis nunquam tributa ſunt. Quin & ſynodus Leidenſis 1619. convenerat cum facultate theologicâ (quam *Polyander*, *Rivetus*, *Waleus*, *Thyſius* tunc conſtituebant) ſuper modo & ordine; quo annuarum ſynodorum partem facerent per ſuffragia deciſiva, & viciſſim ſynodi judicio ſubeſſent. Quæ conventio paribus ſynodi ſuffragiis recepta cum per ſynodales ad claſſes referretur, ratihabitionem & effectum ſortita non fuit; ſine meo & aliorum, à ſynodo ad tractandum cum clariſſ. DD. profeſſoribus deputatorum, dolore. Modus ergo hic variare poteſt, eſſentiâ rei manente. Haut aliter ac Apoſtolus 1 *Timoth.* 5. *v.* 1. modum ſenes monendi præſcribit: quos tamen non eximit inſpectioni & monitioni; ſed ibidem ſubjicit. Ad claſſem & ſynodum negotium aliquod aut cauſa aliqua ab ipſo ſynedrio deferri & devolvi poteſt: ſive ob univerſalitatem, quia omnes eccleſias concernit; ſive ob difficultatem.

Reſp. 3. Profeſſores theologi, qui etiam concionatoris munere in eccle-

ſiâ

Digitized by Google

ſiâ funguntur, & tanquam membra ſynedrii ordinariò illic ſuffragantur, peculiari promiſſione in receptione ad miniſterium concionandi, diſciplinæ eccleſiaſticæ ſe obſtringunt, ut & peculiari formulâ ſubſcriptionis ab omnibus concionatoribus præſtandæ; denique peculiari ſubſcriptione ordinis eccleſiaſtici, quæ alicubi à concionatoribus exigitur. Quin ergo illi à ſynedrio monendi ſint, nemo ſanus dubitare debet: niſi quis talia membra ſynedrii faciat Papas, qui judicandi à nemine, judicent quævis alia ſynedrii membra. Nec patet exceptio per diſtinctionem ſpalmatum tum in doctrinâ tum in moribus commiſſorum in Academiâ aut in eccleſiâ. Non magis, quam diſtinctio commiſſorum à membris eccleſiæ, domi aut foris, in templo aut curiâ, in burſâ aut hoſpitio, &c.

Reſp. 4. Quidquid ſit de modo eccleſiaſticè agendi cum Doctoribus Academicis in caſu doctrinæ: ſaltem inaudita eſt *exemtio* & *τὸ noli tangere ſtudioſos*, quamvis heterodoxa, hæretica, ſceptica, effutientes: teſtimonium ergo eccleſiaſticum de doctrinæ ſanitate, & vitæ morumque integritate ipſis petentibus impartiendum; quo exhibito, cum teſtimonio Academico-theologico, ad examen admittantur, & ad conciones publicas. Si aliqua ex modo indicatis dixerint, ſcripſerint, defenderint, indicio modo Ephoris Academicis facto, qui de eo ſtatuent quod ipſis viſum fuerit, conſcientiæ & muneri ſuo ſatisfecerit eccleſia. Confer except. ſequ.

VII. *Except.* Curatores, & ſupremi Magiſtratus, quibus privativè poteſtas in illam Academiam competebat, noluerunt, ut eccleſiaſtici deputati Arminii doctrinam explorarent, aut cognoſcerent: nec ad petitionem dictorum Deputatorum, Arminio mandare voluerunt, ut cum illis ageret. Ergo nulla hic erat Arminii ἀταξία.

Reſp. 1. Neg. conſequentia. Quia nullum conſilium nullum mandatum Curatorum, poterat ejus conſcientiam ab Officio Deo & eccleſiæ debito, abſolvere: præſertim cum membrum ejus eſſet, & Doctor publicus ad filios prophetarum inſtruendos & præparandos conſtitutus.

Reſp. 2. Curatores ab ipſo Arminio tum immediatè tum per Achatem ſuum, alioſque armigeros ad malum hoc conſilium & decretum inducti erant: & ſic agendo in Deum atque eccleſiam peccabant. Fruſtra ergo poſt carecta illa latebras quæſivit *Arminius.* Aliud & ipſi & Curatoribus dictabat ſcriptura, unica conſcientiæ regula *Rom.* 1. *v.* 14. 15. & 10. *v.* 10. 1 *Petr.* 3. *v.* 15.

VIII. *Except.* Atqui ſynedria, claſſes ſynodi, earumque deputati erant adverſarii doctrinæ novellæ, quam Arminius aliique Academici Leidenſes tunc partim prodebant partim premebant. Curatores autem & Magiſtratus erant extra partes?

Reſp.

Reſp. 1. Exceptionem iſtam à ſtudio partium, contra legitimam cognitionem & judicium eccleſiarum, vide abunde refutatam in *actis Synodi Dordracenæ ſeſſ.* 26. Si quiſquam in cauſâ Remonſtranticâ partibus ſtuduerit, ii fuerunt DD. curatores, Senatus Leidenſis, Ill. Hollandiæ Ordines (quod ad potiora ſuffragia) circumventi & ſeducti ab Euſebio aulico & Advocato ſuo. Et jam inde à reformatione in Hollandiâ & vicinâ Provinciâ Ultrajectinâ, primum caput efferente, uſque ad *Synodum Dordracenam* anno 1618. hoc fere ſemper obtinuit, ut miniſtri doctrinâ aut moribus ἄλλοθι à cognitione & judicio eccleſiaſtico ad brachium ſæculare Magiſtratus aut toparchæ confugerent, atque illic parti ſuæ ſtudium & præſidium frequenter, ſi non plerumque invenirent. Videatur *hiſtoria eccleſiaſtica Cl. Jacobi Triglandii.* Nos ſupra *part.* 1. *lib.* 4. *tr.* 1. *cap.* 9. *p.* 533. & ſeqq. oſtendimus ab heterodoxis, qui turbas faciunt, & ab ejuſmodi Magiſtratibus, qui illos fovent ac tuentur, haut facile compoſitionem exſpectandam eſſe.

Reſp. 2. Si eccleſia, ejuſve deputati abutantur poteſtate, & malè cognoſcerent ac judicarent: id non tolleret poteſtatem verbo Dei, & communi doctrinâ ac ordine eccleſiaſtico illis tributam: conſequenter non vindicaret membrorum *exemtionem* à poteſtate & judicio eccleſiaſtico. Non magis, quam Magiſtratui aut dicaſterio poteſtas negari, & *exemtio* civium ab eadem vindicari poſſet; propter aliquem, aut aliquos abuſus. Receptus & ſtabilitus apud nos ordo eccleſiaſticus, docet quid in caſu abuſus & perverſi judicii faciendum ſit. Hunc ordinem, ſi quis verbi miniſter, aut proponens, aut ſtudioſus Academicus, ſervare nolit, ſit ergo & maneat *exemtus* & *independens:* & videat cui bono & ſuo & publico hoc futurum ſit.

Reſp. 3. Curatores ſcholæ, aut Magiſtratus in judicio per quoſdam, aut quendam Gnathonem aut Euſebium aulicum ipſis delato (ſed ſine populi ſuffragiis), non minus errare & partibus ſtudere poſſent; immo multò facilius ac frequentius, quam eccleſiaſtici. Quia minus exercitati & apti ſunt ad judicia de rebus theologicis, de ordinandis eccleſiis, de ædificatione promovendâ, de revocandis aberrantibus, de emendandis ἀτάκτους, de ſyncretiſmo eccleſiarum, de præcavendis aut avertendis inſidiis pſeudo-prophetarum. Si qui inter ipſos literati aut ſemi-literati ſint, aut juri civili operam dederint: illi tamen in portentis Vorſtianis, Socinianis, Neo-Scepticis, Neo-Pelagianis, Epicureo-Atheis, dijudicandis, tam μυωπάζοντες ſunt, ac in dijudicandis phyſicis & medicis Hermeticorum, philoſophicis *Campanellæ* & ſimilium phanaticorum. Ut plerique ex ordine literatorum in ſtudio artium & philoſophiæ ſe exercuerunt; ita ad ſophiſmata & hæreticorum pſeudo-philoſophemata perſpicienda atque excutienda eos, præ aliis ἀφιλοσόφοις, idoneos fore credendum eſt. Sed nullos ferè noſtrates

iſtius

Digitized by Google

iſtius ordinis in talibus ſe exercere aut exercuiſſe, nimis notum eſt. Nihil attinet hic dicere, quam pauci in ſcripturarum lectione & ex originalibus collatione, nec non in hodiernis controverſiis, quid dicam in hiſtoriâ antiquitatis & novitatis eccleſiaſticæ, bonas horas collocârint. Et audent nonnulli *exemtionis* & *independentiæ* poëtæ, iidemque tranſlatores poteſtatis eccleſiaſticæ ad curatores & Magiſtratus, adverſus ſynedrium excipere tanquam ad talium cognitiones & judicia ineptum. In quo ſimiles mihi videntur Conr. Vorſtio, qui à *Sibrando Lubberto* ad quarumvis reformatarum Academiarum aut inſignium eccleſiarum ſive judicia ſive arbitria provocatus, orationem apologeticam apud DD. deputatos Ill. Ordd. Hollandiæ habebat: cui collegio pręter Advocatum Hollandiæ (cujus ſymbolum, *Nil ſcire tutiſſima fides*), unus tunc intererat literatus, ab urbe Dordracenâ deputatus. Controverſiæ Vorſtianæ erant de ſimplicitate Dei, de accidentibus, de immenſitate, de æternitatis ſucceſſione, &c.

Reſp. 4. Quomodocunque eccleſias ab omni cognitione & pragmatiâ circa diſputata ab Academicis, & publicè edita, excludere conentur: aliquam tamen iis tribuere coguntur. Vide ſupra *pag.* 76.

IX. *Except.* Atqui theologi Academici, hactenus exemti & independentes ſunt à poteſtate, ἐπισκοπῇ & judicio ſynędrii, aut claſſis ſynodive deputatorum: ut theſes & corollaria ſua edant, & in Academiis proponant; abſque prævià eccleſiaſticorum viſitatione, cenſurâ, approbatione. Ergo, ſequitur Academicos profeſſores & ſtudioſos à cognitione, judicio & monitione ſynedrii, claſſis, &c. debere eſſe exemtos.

Reſp. 1. Straminea conſequentia; uti omnes aliæ in totâ hâc diſputatione, de *exemtione*. Profeſſoris Theologi ejuſdemque concionatoris eccleſiaſtici, theſes ante cenſendas & approbandas quibuſdam deputatis exhibere nullum jus naturale, nullum jus eccleſiaſticum, nulla praxis & conſuetudo ſuadet: non magis quam orthodoxi & exercitati concionatoris conciones luſtrandas & cenſendas prius ſcripto exhibere, antequam habeantur; aut probati medici conſilia collegio medicorum, aut deputatis iſtius collegii prius examinanda & approbanda, antequam ægrotis aut pharmacopœis tradantur; aut conſilja juridica curiæ, deputatiſve ejus prius probanda exhibere, antequam clientibus eorum aut in judicio tradantur.

Reſp. 2. Parem utriuſque eſſe rationem nemo defendet, niſi qui ἀδολεσχίαις & phantaſmatis indulſerit.

Reſp. 3. Doctores Academici, Diotrephis quibuſdam, cætera quod ad mores ἀνέκτοις, nihilque aut parum in eccleſiâ ſuà agentibus & ædificantibus nova quędam præter & contra omnem rationem, ordinem eccleſiaſticum, perpetuam praxin molientibus, cum non conſentiunt aut non cooperantur;

rantur; Arminianam Academicorum *exemtionem*, aut ei ſimilem, non prætendunt. Uti doctrinam Arminii & Remonſtrantium, ſic eorundem modum procedendi & prætenſam *exemtionem* ab omni ἐπισκοπῇ eccleſiaſticâ, toto pectore deteſtantur. Quâ conſcientiâ, quâ ſpecie honeſti vellent aut poſſent *exemtionem* ſui, immo & omnium ſtudioſorum Academicorum (ſupra deſcriptam & refutatam) petere aut tueri? cum non tantum in primâ ad communionem eccleſiæ admiſſione, ſed etiam in ordinatione miniſterii eccleſiaſtici, Deo & eccleſiæ ſolenniter promiſerunt, ſubjectionem ad ordinem & diſciplinam eccleſiæ: ſicubi in doctrinâ aut moribus exorbitarent.

Inſtantia: Sequitur tamen aut ſequi debet, ex illâ intentatę viſitationis theſium Academicarum averſione, ac pręventione; cui querelis ſuis ad inclytum hujus urbis Senatum a. 1637. delatis occaſionem dederunt hujus Academiæ profeſſores. Si enim rectè tunc præſervata fuit theologorum Acad. *immunitas* atque *exemtio* à tali antecedente viſitatione theſium per duos treſve concionatores, ad id deputandos: ergo à minori ad majus, multò magis *exemtio* Academicorum tum Doctorum tum ſtudioſorum ab omni conſequente cognitione, judicio, admonitione, correptione eccleſiaſticâ: quidquid, & quocunque modo libris editis, theſibus impreſſis, publicè lectis & diſputatis, ab Academicis aſſertum, dubitatum, defenſum, oppugnatum fuerit. Ratio peremtoria eſt, Quia ad ſynedrium non pertinet occupari aut agere circa ea quæ in Academiâ geruntur.

Reſp. 2. Mirabilis conſequentia ex ovo ἰδίου φαντασμάτος excluſa: juxta regulam, *Quod quis clarè & diſtinctè percipit, hoc verum eſt.* Quod quis profitetur, & aſſerit, ſive voce, ſive ſcripto, in Academiâ aut eccleſiâ, id omnium audientium & videntium conſequenti, privatæ, particulari, cognitioni, ac judicio patet; & nemo eſt, qui à talium conſideratione abſolutè excluditur. 1 *Cor.* 10. *v.* 16. 1 *Theſſ.* 5. *v.* 20. *Actor.* 17. *v.* 11. *Rom.* 16. *v.* 17. 18. Sed non ſequitur, Si cujuſlibet dicta ſcripta facta cognitioni & judicio cujuſvis privato expoſita ſunt; idque ferre & concedere debet quilibet, præſertim cum in negotio religionis quid dicit, diſputat, ſcribit: ergo multo magis ferre & concedere debet, ut à ſe cogitata, deliberata, concepta, cognitioni & judicio illorum privatorum prius ſubjiciantur, antequam ab ipſo voce aut ſcripto proferantur. Bellula conſequentia!

Quod ad publica judicia, neceſſarii & perpetui juris eſt, ut non judicetur homo antequam auditum & intellectum fuerit, quid agat *Joh.* 7. *v.* 52. *Ut duo aut tres prophetæ loquantur, & reliqui judicent.* 1 Cor. 14. v. 29. Sed non eſt neceſſarii & perpetui juris ut theologi Academici prius deputatorum claſſis aut ſynodi cognitioni, judicio, cenſuræ ſubjiciant lectiones à ſe habendas, aut theſes in Academiâ proponendas.

1. *Quia*

Digitized by Google

1. *Quia*, ipſis tanquam idoneis & probatis concreditum eſt, ut in illo genere prophetiæ, anteceſſores ſint & præeant: & non ut duos aut tres, aut unum concionatorem, tanquam anteceſſorem ſequantur; aut non niſi ex preformato illorum aut illius judicio ſcribant & loquantur.

2. *Quia*, Theologis Academicis jure eccleſiaſtico collata eſt poteſtas, quævis ſcripta theologica ante editionem viſitandi & cenſendi (*Conſtit. eccleſ. artic.* 55.): ergo non eſt juris eccleſiaſtici, nec ulla ratio ſuadet, ut ipſorum theſes judicio & cenſuræ deputatorum concionatorum prius ſubjiciantur.

3. *Quia*, talis prærequiſita viſitatio, magno exercitiorum Academ. incommodo & impedimento futura eſſet. Neque enim deputati illi, pro tempore, viſitatores ſemper ad manum futuri fuiſſent; nec ad illos promtè & tutò MSS. mitti, & ab iis viciſſim remitti potuiſſent; nec viſitatio illis ephoris an pædagogis aliò profectis, aut aliter occupatis, aut ad laborem illum faſtidientibus, tam expedita & certa fuiſſet.

4. *Quia*, ſolida eruditio theologica, cum neceſſariâ artium, philoſophiæ, linguarum originalium cognitione (de hiſtoriæ & antiquitatis eccleſiaſticæ guſtu ſaltem aliquo jam non dicam), apud concionatores hujus Provinciæ tam rara tunc erat: ut pauci aut pauciſſimi inveniri potuiſſent, ad Theſium Academicarum juſtam viſitationem idonei. Et illi pauci aut pauciſſimi, non ſemper electi fuiſſent in ordinarios ſynodi deputatos, aut ad extraordinaria aliqua negotia expedienda: ſed plerumque, qui ambitu prævalebant, & potiora ſuffragia ſubreptitiè ſibi corrogare nôrant. Et à talibus ad opus viſitationis ritè peragendum ineptiſſimis, nihil aliud quam ſiniſtra & ἄκριτα judicia exſpectanda fuiſſent. Jam vero illis inducentibus aut mutantibus nonnulla, profeſſoribus eadem tuentibus, forte ulteriori collatione ſuper iis inſtitutâ, immo & provocatione ad ſynodi aut claſſium judicia: quam fervidè & feliciter exercitia Academica, & per ea novellæ hujus Academiæ fama atque exiſtimatio proceſſiſſet.

5. *Quia*, non-neceſſariâ illa cautela antecedentis viſitationis diſputationum publicè proponendarum, tacitè arguere videbatur trium quatuorve fidem, aut ſuſpicionem, aut dubitationem de profeſſorum heterodoxia; aut ſaltem trium quatuorve hujus conſilii architectorum pravam æmulationem & ſiniſtrum erga theologos Academicos affectum. Nonnulli forte per conſtitutionem theologiæ profeſſorum, luminibus ſuis obſtrui putabant. Aliqui concionatores in ſtudio ſacro, in pietate, morum honeſtate, miniſterii functione, tam nebuloſi erant, ut à luce illâ orthodoxæ theologiæ, imprimis etiam theologiæ practicæ, quam theologi in publicis privatiſque exercitiis per ſe & ingenuos quoſque diſcipulos efferebant, ſibi metuerent. Juxta

ta textum, *Qui malè agit, odit lucem*, Johann. 3. Talia ἀπαιδεύτων & ἀτάκτων ſuffragia ſibi autorata habebant pauci illi ductores. Quid quod non deeſſent, qui cum pro Remonſtrantiſmo uſque ad annum 1618. ſtetiſſent, neceſſitate, ad vertendam velificationem adigente, religioni tunc de novo ſtabilitæ ſubſcripſerant quidem, ſenſum tamen & affectum erga Remonſtrantiſmum & ſocios antehac Remonſtrantes, retinebant. Quibus quam grati fuerint profeſſores theologi, qui vi vocationis ſuæ illam, aliaſque heterodoxias fideliter detegebant & refutabant: haut difficulter conjici poterit. Sed ἀτάκτοις illis partim depoſitis, partim mortuis, partim rude & ſtipendio donatis, partim aliò ſe conferentibus, haut paulo meliorem & eccleſiarum & miniſterii ſtatum in hâc provinciâ aliquamdiu experti ſumus.

6. *Quia*, tot tantiſque, inſidiis, clandeſtinis machinationibus, ſuſurris, ſtructis calumniis à Pontificiis, Remonſtrantibus, libertinis, viris de hoc ſæculo per falſos fratres, aut fratres ignorantes (has eſſe artes perpetuas experientia me docuit) orthodoxæ doctrinæ & praxios per theologos promotio petebatur: ut pæne omnia tuta nobis timenda eſſent: ad minimum hoc agendum, ne otioſæ & Diotrephicę novitatis, nec minus orthodoxis & per tot annos probatis theologis (quales nos per Dei gratiam) contumelioſæ, ſine contradictione primum fieremus ſubjectum.

Agitationem ergo hujus Diotrephici conſilii cum in hanc claſſem ex vicinâ inferri audiviſſet collega noſter *Meinardus Schotanus*, mihique & fratri ſuo Germano Bernardo Schotano Juris Profeſſori tunc Academiæ Rectori id ſignificaſſet, ilico per dictum Rectorem convocati fuere profeſſores, & decretum, ut per Rectorem, D. Mattheum Juris Profeſſorem, & me inclyto hujus urbis Senatui jam cœpta agitatio, & noſtrum gravamen contra ſingularem hanc novitatem nullis profeſſoribus theologis, in Academiis aut Illuſtr. ſcholis (quod ſciremus) hactenus propoſitam, multo minus receptam; indicaretur.

Ita ergo anno 1637. hanc cauſam agebant theologi: ut ne minimâ quidem ſpecie (juxta modum procedendi Arminii, aliorumque novatorum in Belgio ab eccleſiis & à nobis ſupra improbatum), doctrinam voce & ſcripto, in Academiâ & eccleſiâ privatim publicè à ſe traditam ordini, & judicio eccleſiaſtico ſubducerent, aut ſubducere cogitarent; illudque judicium immediate, aut etiam privativè Curatoribus Academicis tribuerent. Multo minus, ut ſtudioſos omnes, qui eccleſiæ nomen dederunt, à ſynedrii ſui ἐπισκοπῇ exemtos ſtatuerent. Talem ſenſum & praxin ſi quis illis, per inconſequentem conſequentiam affingere vellet, hâc occaſione exſertè proteſtor, maximam nobis injuriam fieri: quippe qui ab ἀτάκτων

&

& lucifugarum ſenſu alieniſſimi ſemper fuerimus : nec etiamnum per Dei gratiam, commiſſurum me ſpero, ut in extremo limine conſtitutus, divortium doctrinæ à praxi & vice verſâ feciſſe dicar; aut theologia mea audiat theologia temporum, non Euangeliorum. *Amen.*

LIBRI PRIMI
TRACTATUS II.
DE
IIS, QUI IN POPULO NUMERANTUR.

Hoc tractatu agimus 1. De numeratis in populo per qualitates ſeu affectiones eccleſiaſticas, diſtinctis. 2. De numeratis in populo, per qualitates & affectiones ſæculares diſtinctis. 3. De indirectè numeratis in populo, ſeu corpore eccleſiaſtico. 4. De iis, qui per accidens, aut oppoſitè reducuntur ad corpus eccleſiaſticum.

Cap. I.

De numeratis in populo per qualitates internas ſeu eccleſiaſticas diſtinctis.

Qui corpus ſeu populum eccleſiaſticum conſtituunt, ſunt 1. incipientes, proficientes, perfecti; νεόφυτοι, veterani: infantes ſeu carnales; viri ſeu ſpirituales: infirmi in fide, confirmati. Experti & exercitati in cruce, afflictionibus internis externis; inter quos eminent confeſſores, martyres, & deſertionibus ſpiritualibus, aut variis graviſſimis tentationibus exercitati. Confirmati & τέλειοι; & dubitantes, vacillantes: vide 1 *Corinth.* 3. *Hebr.* 5. *Philipp.* 3. Quomodo cum ſingulis eorum agendum ſit, ex ſcripturâ diſcendum eſt. Aliquam manuductionem habes 1 *Cor.* 3. & *Hebr.* 5. *Philipp.* 3. Vide *Exercitia pietatis.*

Quæſt. 1. *An* ἐπισκοπὴ, *doctrina, adhortatio, correptio, aut cenſura eodem modo & æque exercenda ſit circa infantem aut novitium, ac circa veteranum?* *Reſp. Neg.* Quia cui plus tributum eſt, ab eo plus petendum & exſpectandum; & quò quis infirmior; eo arctiori cuſtodiâ, curâ, & vigiliâ indiget. Aliter paſtor exemplo Jacobi *Geneſ.* 33. *v.* 13. paſcit & agit pecudes lactentes, & aliter alias. *Non poteram*, ait Apoſtolus, *loqui vobis tanquam ſpiritualibus*, &c. *lacte vos alui*, &c. 1 *Cor.* 3. *v.* 1. 2. cum *Hebr.* 5. *v.* 11. 14. Imitanda eſt methodus

Digitized by Google

& praxis medendi, rationalium medicorum; non vero ἀμεθόδως empiricorum. Imprimis etiam attendendum ad infirmitatem eorum, qui quamvis veterani & perfecti, in præſenti tamen ſpiritu melancoliæ, graviſſimis tentationibus, deſertionibus ſpiritualibus affliguntur. Prudentiæ eſt diligenter expendere, ſubjecta, cauſas, adjuncta, circumſtantias, lapſuum aut ſcandalorum; & modum lapſos aut vacillantes erigendi, juvandi, rei præſenti accommodare.

Quæſt. 2. An lapſi, pœnitentes, abſtenti, pertineant ad corpus ſeu populum eccleſiaſticum? Reſp. Aff. De abſtentis & ſub cenſurâ conſtitutis, per ſuſpenſionem (ut vocant) ſeu excommunicationem minorem. Illi enim χρήσει aliquâ communionis & fraternitatis ſpiritualis privantur: non κλήσει. Sicuti civis quis uſu juris civici in aliquo & ad tempus privari poteſt: qui tamen, abſolutè omni jure civico non excidit. Porro de pœnitentibus & abſtentis infra *part.* 3. *lib.* 4. agendum.

CAP. II.

De populi diviſione per qualitates extraneas & ſeculares.

Qualitates extraneæ ſunt, quæ membris eccleſiæ ſunt accidentales, ſeu habent ſe per accidens ad membrum eccleſiæ. Accidit enim membro eccleſiæ, quod ſit ex. gr. juvenis, pauper, dives, literatus, illiteratus, &c. Quod obſervandum, ne populum ſeu eccleſiam, tanquam in οἰκείας eccleſiæ partes, ſeu eccleſiaſticum tanquam per ſpecies dividamus, in dominum & ſervum, in principem & ſubditum, &c. Quo ferè ſtylo utuntur ſcriptores Pontificii: de quibus ſupra *part.* 1. *tract.* 1. *cap.* 2.

Diſtinguimus ergo ex qualitatibus. 1. Naturalibus. 2. Oeconomicis. 3. Politicis.

I. *Ex naturalibus*, alii ſunt viri, alii mulieres (de quibus infra *tract.* 4.): Alii pueri, juvenes, ſenes: alii ſani, alii corpore infirmi, nani, mutili, claudi, cœci, ſurdi, muti, leproſi, lunatici, energumeni. De leproſis ſupra *part.* 1. *lib.* 2. *tr.* 2. *ſect.* 4. *cap.* 3. *quæſt.* 8. ubi etiam de ſurdis, mutis, fatuis, phreneticis, epilepticis, energumenis. De pueris, juvenibus, ſenibus, &c. textus *Ecclef.* 12. *v.* 1. 1 *Joh.* 2. *v.* 13. 14. 1 *Tim.* 5. *v.* 1. & ſequ. Et peculiares libelli, quorum aliquos indico in Exercitiis pietatis cap. ult.

II. Ex qualitatibus œconomicis, alii ſunt conjuges, cœlibes, vidui: alii parentes, avi, filii, nepotes: alii domini, alii famuli cujuſcumque gradus, & tituli.

Digitized by Google

III. Ex qualitatibus politicis, alii ſubditi alii Reges, principes, ἄρχοντες, munerarii & miniſtri ſive regis ſive regni, militares aut civiles; alii inter ſubditos & cives, optimates, nobiles, divites, literati; alii plebei, tenues, pauperes, idiotæ, infeliciter nati: alii ex vitę occupatione & ſpeciali vocatione, Jureconſulti, pragmatici, medici, typographi, pictores, ſtatuarii, Muſici, &c. agricolę, vinitores, hortulani, nautæ, piſcatores, &c. Manuarii opifices, quales piſtores, ſutores, ſartores, fabri, &c. De ſtatibus hominum *Buſæus peculiari tract.* & *Rovenius de Republicâ eccleſiaſticâ*, & libelli pro ſingulorum ſtatuum inſtructione conſcripti; quorum aliquos indico *in Exercit. pietatis cap. ult. Alſtedius in Encyclopædiâ lib.29. 30.35. de quibuſdam artibus* & exercitiis hominum nonnulla collegit. Sed omnes ſuperavit *Thomas Garzoni* theologus regularis; qui de omnibus profeſſionibus, & ſæcularibus hominum operis ac vocationibus ex plurimis autoribus *ibid.* indicatis linguâ vulgari (Italicâ) anno 1615. librum conſcripſit, tit. *La Piazza univerſale di tutte le profeſſioni del mondo*; quem mihi ab amico ante complures annos indicatum & commendatum, lectoribus iſtarum rerum curioſis commendo. Poſteriores ejus editiones ſunt anno 1626. &c.

Quæſt. 1. An lenones, profeſſi fœneratores, aleatoriæ tabulæ præfecti, hiſtriones, funambulones, Bathylli ſeu magiſtri artis ſaltatoriæ, in populo eccleſiaſtico numerandi ſint? Reſp. Neg. Rationes & autoritates hic non adferam: ſed alibi allatas, indico: de fœneratoribus, thymelicis, hiſtrionibus, concubinariis, ſupra *part. 1. lib. 2. tract. 2. ſect. 4. cap. 3.* Et de concubinariis *lib. 3. tr. 1. ſect. 3. c. 5.* Cum quibus conferri poteſt *pars 4. ſelectar. diſpp. tit. de Uſuris, & de Excelſis Mundi.*

Quæſt. 2. Idem quæritur de aleatoriæ tabulæ præfectis, aleatorum atque ebrioſorum ſuſceptoribus; quales vulgares caupones? Reſp. Neg. Rationes contra ebrietatem ex 4. *part. ſel. diſpp. tit. de Ebrietate, pag* 400 & rationes atque autoritates contra aleas ex 3. *part. ſelect. diſpp. tit. de Sortis aliiſque divini nominis abuſibus* & libello noſtro de *luſu aleæ*, analogicè huc applicandæ.

Quæſt. 3. An ſervi? Reſp. Aff. ex *Coloſſ. 3. v. 11. 1 Cor. 7. v. 21.* Confer ſupra *part. 1. lib. 1. cap. 2. pag. 35.*

Quæſt. 4. An ſpurii? Reſp. Aff. Vide de iis ſupra *part. 1. lib. 3. tr. 1. ſect. 3. cap. 5.*

Quæſt. 5. An ſpiculatores ſeu carnifices, lictores, δεσμοφύλακες, id eſt, *commentarienſes? Reſp. Aff.* De commentarienſi, vide *Actor. 16.* De carnificibus, *Martyr. locor. claſ. 4. cap. 14.*

Cap.

CAP. III.

De iis qui directè & per ſe in populo eccleſiaſtico non ſunt; ſed analogicè, aut reductivè, aut per accidens. Et de oppoſitis.

§. 1. QUi per ſe & directè ad populum ſeu corpus eccleſiaſticum non pertinent ſunt 1. Auditores. 2. Catechumeni tum parvuli tum provectiores. 3. Competentes. 4. Excommunicati. 5. Hæretici ſciſmatici.

I. *Audientes* ſunt, *vel* diſcendi cupidi, & doctrinam hactenus probant: *vel* ſunt dubitantes & cothurni; qui ſemper diſcunt, & nunquam ad cognitionem veritatis perveniunt: *vel* ſunt averſi à doctrinâ, & auditu ſuo ſtudent magis hominibus placere, quam Deo, rebus ſuis & hujus mundi velificantes: aliquando etiam audiunt concionatorem ſibi exoſum, ut Phariſæi & Herodiani ſubinde audiebant Chriſtum, ut eum caperent in ſermone. Tales auditores augent & conſtituunt corpus eccleſiaſticum, ut paleæ aut muſcerdę acervum frumenti. Confer ſupra *part.* 1. *lib.* 1. *cap.* 2. ubi ſeptem genera auditorum recenſentur.

II. *Catechumeni tum* parvuli, *tum* adultiores, *tum* competentes reductivè in corpore ſunt; uti ſubſtantiæ incompletę ſunt in prædicamento ſubſtantiæ, De catechumenis, & de catecheſi, vide ſupra *part.* 1. *lib.* 2. *tr.* 2. *ſect.* 3. *cap* 4. & *tract.* 3. *cap.* 1.

III. *Abſtenti*, & ſub cenſurâ conſtituti, immo & excommunicati, (ſiquidem ad reſipiſcentiam expergiſcantur) analogicè ſunt populus eccleſiaſticus. Et tales in antiquâ eccleſiâ generali nomine *pœnitentium* continebantur: qui ſecundum diverſos gradus rurſum diſtinguebantur; *in lugentes, audientes, ſubſtratos, conſiſtentes*. De quibus infra *part.* 3. *lib.* 4. *tract. de diſciplinâ*, ſeu *de clavibus regni cœlorum.*

IV. *Per accidens* ſunt in corpore eccleſiaſtico, apoſtatæ, hęretici, ſciſmatici: ſicuti privationes per accidens referuntur ad prædicamenta ſuorum habituum. Confer *part.* 3. *ſelect. diſpp. tit.* de hæreſi. Et tales ſunt oppoſiti fidelibus in corpus eccleſiaſticum congregatis.

Digitized by Google

LIBRI PRIMI
TRACTATUS III.
DE
CONFESSORIBUS ET MARTYRIBUS.

IN populo eccleſiaſtico quidam eminent,

I. *Zelo*, ſtudio & profectu ſpiritualis ſcientiæ; & tales puto dici *perfectos Philipp.* 3. *Hebr.* 5. & *viros* Epheſ. 4. *Prophetantes*, ſeu *Prophetas.* 1 Cor. 14., de quibus ſupra *part.* 1. *lib.* 2. *tr.* 3. *cap.* 2.

II. *Zelo* & ſtudio devotionis, praxios pietatis, & frequentium exercitiorum ſpiritualium: & tales in antiquâ eccleſiâ dicebantur *aſceta*. Sed quia peculiaribus obſervationibus & regulis zelum & ſtudium hoc ſuum circumſcribebant, ſchiographiam monachatus aut monacho forme quid parturiiſſe videntur. De quo infa *lib.* 4. ubi de Monachatu.

III. *Zelo* & ſtudio laborioſæ caritatis erga eccleſiam Chriſti: & unde *patroni* ac *nutritii* ejuſdem dicuntur. De quibus infra *lib.* 3.

IV. *Zelo* & ſtudio fortitudinis, tolerantiæ, conſtantię, in fide honorandâ, & pro eâ decertando. Et dicuntur *Confeßores* ac *Martyres*. De quibus hic agendum.

CAP. I.

De Confeſſoribus.

AGemus de 1. Confeſſione in genere. 2. de Confeſſoribus κατ' ἐξοχὴν §. 1. ita dictis. 3. de Martyrio & Martyribus.

Confeſſio eſt vel ſacra vel profana. Illa in ſcripturâ occurrit triplex, *peccati*, *fidei*, *laudis*. De mediâ hic propriè quæritur. Definitur *actus religionis exterior*, *quo fidem interiorem coram Deo & hominibus*, *ſincerè declaramus.* Dicitur eſſe actus *religionis*, quod pertineat ad virtutem religionis. *Exterior*, ut diſtinguatur à fidei actu formali & interiore.

Objectum circa quod eſt *fides*, tum quæ creditur, ſeu veritates fidei; tum quæ credit, ſeu quâ credimus; quarum illa eſt objectum immediatum, iſta

mediatum. Utrumque eſt de eſſentiâ confeſſionis. Niſi enim adſit veritas fidei, eſt confeſſio erroris, aut hæreſis, aut apoſtaſiæ. Et niſi adſit fides & aſſenſus interior cordis, eſt ſimulatio & illuſio; non vera confeſſio.

Objectum cui eſt *Deus & homines*: quod ſic accipiendum, ut externè coram hominibus non declaremus, quin illud fiat coram Deo & in oculis Dei, conformiter ſcil. ſenſui & aſſenſui cordis interiori. *Declaratio* fit vel ſimpliciter enuntiando veritatem aut veritates, noſtrumque interiorem aſſenſum; vel ex abundanti, rationes adjiciendo, oppoſitum errorem rejiciendo, ac refutando. Quorum illud eſt eſſentiale: iſtud non eſt. Cauſas confeſſionis efficientes, non eſt quod hic enumeremus: cum ex loco communi de fide, qui in priori parte theologiæ & in poſteriori ad 1. præceptum explicari ſolet, nullo negotio peti poſſint.

Opponuntur confeſſioni fidei. I. abnegatio & ejus ratio fidei, ac contrariæ infidelitatis ſeu apoſtaſię, aut hæreſios confeſſio. Cujus ſymbolum aliquando addi volebant hoſtes fidei Chriſtianæ blaſphemiam aut maledictionem Chriſti: De quo Actor. 26. verſ. 11. *coëgi blaſphemare.* Et in martyrologiis. II. Diſſimulatio & turpe ſilentium; cum ad gloriam Dei, proximi ædificationem, hoſtium convictionem aut confuſionem loquendum eſt. III. Confeſſio infidelitatis ſeu perfidiæ e. gr. Judaicæ, Muhammedicæ. IV. Confeſſio hæreſios. V. Confeſſio veritatis hypocritica, ſive ob coactionem: ſive ob alias cauſas externam & temporalem hujus ſæculi felicitatem concernentes; ſive ex carnali æmulatione, aut contentione, aut inſidioſo ſtratagemate contra eccleſiam, & columnas ejus: qualis illa *Philipp.* 1. *v.* 15. 16. VI. Vacillatio & fluctuatio in negotio religionis; qualis neutralium, Eceboliorum, indoctorum & inſtabilium 2 *Petr.* 3. VII. Confeſſio diaboli, quamvis materialiter vera, *Luc.* 4. coll. cum *Act.* 16. *v.* 17. 18. VIII. Confeſſio veritatis intempeſtiva: qualis prohibetur apoſtolis *Matth.* 7. *v.* 6. & 16. *v.* 20. IX. Diſquiſitio, contentio, & rixatio, ſuper quęſtionibus curioſis, rebus non compertis, aut inutilibus, aut plane incertis & conjecturalibus in negotio religionis. *Coloſſ.* 2. *v.* 18. 1 *Timoth.* 1. *v.* 4 & 6. *v.* 3. 4. 5. & 2 *Timoth.* 2. *v.* 23. *Tit.* 3. *v.* 6. X. Confeſſio temeraria earum rerum, quas quis non novit, aut non ſatis didicit. *Rom.* 12. *v.* 3. XI. Malè conciliatus ſyncretiſmus; per quem quis à ſuâ parte veritates, quas antehac profeſſus eſt, quaſi lege quadam aut conditione ſtipulatâ, ſilentio publice privatimve involvit. Huc debet referri *Interim*, de quo *Sleidani hiſtoria*, & *Calvinus* tract. peculiari. XII. Nicodemitæ, (revera pſeudo-Nicodemitæ), qui ordinariò, aut quoties neceſſitas & occaſio ita tulerit, præſentes ſunt cultui idololatrico; qui factis

fidem

Digitized by Google

fidem abnegare dicendi ſunt. Vide *Calvinum* in opuſculis Theolog: alioſque theologos ibid. adductos, contra Pſeudo-Nicodemitas, & *Georgium Abotum in ſex prælectionibus.* XIII. Denique lapſi, libellatici, traditores, &c. de quibus infra.

Confeſſio variè dividi poteſt. §. 2.

I. In primariam & ſecundariam. Illa eſt hominis verè converſi & fidelis: de quâ per accommodationem dici poſſet, quod de confeſſione laudis Pſal. 33. v. 1. *Rectos decet laudatio. Iſta* eſt hominis non recti & verè converſi, ſed intus communiori gratiâ ſpiritus illuminati, & per illam de veritate convicti, quam externè profitetur.

II. In totalem, & partialem. *Illa* eſt totius fidei ſalutaris confeſſio: eaque aut diſtincta & explicita, cum omnes fidei veritates enumerantur & enarrantur; aut ſummaria, implicita, & quaſi per ſymbolum aliquod quod oſtenditur aut deſignatur, e. gr. ſi dicat quis, credo omnia, quæ quatuor ſymbolis, & quatuor primis conciliis determinata ſunt. Aut aſſentior huic aut illi catecheſi aut confeſſioni. *Iſta eſt,* cum aliquam veritatem fidei, occaſione aut neceſſitate ita ferente, ſive diſtinctè exprimendo, ſive ſummariè, implicitè, & per compendium cum aliquo ſcripto aut autore conſenſum noſtrum declarando profitemur. Ut e. gr. de Trinitate & Deitate filii ac Spiritus: ubi τὸ ὁμοούσιον Concilii Niceni, & ſymbolum Athanaſii indigitamus.

III. In confeſſionem vivæ vocis, & in ſcriptam.

IV. Poſterior rurſum dividitur, in ſingularem ſeu ſolitariam, & in ſociam. Iſta eſt plurium quorumvis fidelium; aut Principum & Magiſtratuum, qualis confeſſio Auguſtana; aut communitatis alicujus eccleſiaſticę; aut plurium eccleſiarum ſive unius nationis aut territorii, ſive quocunque eccleſiaſticæ correſpondentiæ & mutuæ dependentiæ vinculo ſociatarum. De qualibus confeſſionibus infra *part.* 3. agendum.

V. In ſimplicem & in qualificatam. *Illa* eſt, quam quis edit, quoties publicè privatimve occaſio ſe offert Deum eâ honorandi, proximum lucrifaciendi aut confirmandi, & nos mutuo ad fidem pietatemque exercendi atque excitandi, aut adverſariis os obſtruendi. *Iſta* eſt, vel ſolennis, vel difficilis. 1. *Solennis*, eſt vel communis vel peculiaris. *Prior* eſt, quæ præcedit externam receptionem adultorum in communionem eccleſiæ & ſymbolorum cœnæ, aut Baptiſmi participationem. De quâ antecedente & neceſſariâ conditione, ſupra *part* 1. *lib.* 2. *tract.* 2. de adminiſtratione Baptiſmi & cœnæ tractari ſolet. *Poſterior* eſt duplex: *Una* quæ conjunctam habet ſolemnem renunciationem, ſeu revocationem ſeu abnegationem infidelitatis, aut apoſtaſiæ, aut hæreſios, aut relapſus, quem quis ante pro-

Digitized by Google

feſſus fuit. Quomodo in antiqua eccleſia ex Gentiliſmo ad fidem tranſeuntes ante collatum baptiſmum & editam fidei confeſſionem ſolenniter renuntiarent diabolo (quem ſcil. Gentiles colebant, juxta 1 *Cor.* 10. *v.* 20. 21.) cum omnibus pompis & ſpectaculis; habes in frequentato loco *Salviani lib.* 6. de providentia, aliiſque ibi à *Rittershuſio in commentar.* notatis. Si quis plurima ex illâ antiquitate & ſequioribus ſeculis, uſque ad novitatem Papatus incluſè congeſta videre velit, is adeat *Joſephum Vicecomitem lib.* 2. *de ritibus Baptiſmi cap.* 16.-23. De modo abnegandi & anathematizandi Muhammediſmum in receptione alicujus ad communionem eccleſiæ Græcæ, ſive in Mahumediſmo nati & educati, ſive ἀρνήτου qui ad eundem à Chriſtianâ fide defecerat, vide catecheſin peculiarem jam tempore Manuelis Comneni (hoc eſt anno 1150.) in Græcanicis eccleſiis uſitatam, quam *Syburgius* ex M. S. Bibliothecæ Palatinæ una cum aliis quibuſdam tit. *Saracenica ſive Mahometbica* Gr. Lat. anno 1595. typis Commelini edidit: ubi in notis refert ex *hiſtoria Nicetæ Chomatæ*, quomodo *Manuel Comnenus* catechiſmum illum aboleri voluerit, quod inter complures ſpeciales anathematiſmos compareret & iſte: *anathematizo Deum Muhammedicum.* Ibidem exhibet formulas Græcorum, quâ Judaiſmum, & hæreſin anathematizant. Solennium abnegationum *Papatus*, quæ à clericis ad noſtram eccleſiam tranſeuntibus fieri ſolent, quam plurima exſtant exempla, typis vulgata, quorum aliqua alibi forte indicabo. *Altera* ſolennis eſt, quæ conjunctum habet juramentum ſive à ſuperioribus impoſitum, ſive ſponte oblatum & præſtitum. De quo in 3. *part. ſelect. diſpp. tit. De juramento religionis.*

§. 3. 2. *Difficilis* eſt, quæ cum magna, majori, maxima (excepta morte) vexatione, periculo, perſecutione conſtanter editur. Et ab hâc confeſſione, ſtrictè & κατ' ἐξοχὴν dicuntur *confeſſores* ab aliis fidelibus diſtincti, & à martyribus ſtrictè ſic dictis. Quamvis & hæ voces ſubinde ſtrictius, ſubinde latius olim acceptæ ſint. Dicebatur ergo *confeſſor*, qui interpellatus coram fidei hoſtibus fidem confeſſus eſſet. A quo diſtinguebatur *profeſſor* & *extorris*: ut *ille* eſſet qui non interpellatus ſe martyrio ingerebat; *iſte*, qui timore correptus, ne fidem proderet ſua ſuoſque relinquens, exilio ſpontaneo procul à patriâ vitam ageret. Confeſſorum in genere ita dictorum varii erant gradus: alii enim exilio, alii bonorum direptione, alii infamia, alii flagris, alii membrorum mutilatione, alii ſtigmatizatione, alii carcere tormentis adhibitis multabantur; qui poſtremi tanquam morti devoti eamque exſpectantes etiam *martyres* vocabantur. Vide *Cypriani epiſtol.* 7. 9. 10. 15. 30. 35. 52. 81. ex edit. & cum notis *Pamelii* ad loca cit. Nomen ſpeciale *Extorris*, *Cyprianus* uſurpat non tantum

tum

Digitized by Google

tum de exulibus voluntariis, ſed ſubinde etiam de coactis, quos *relegatos* dicimus. Vide *epiſt.* 9. 14. 19. 33. & *Victorem Uticenſem lib.* 3. *de perſecutione Vandalica* in principio. Solent inter confeſſores illi præ cęteris ęſtimari, qui mutilata membra, aut cicatrices & ſtigmata circumferebant, tanquam præclari certaminis trophæa. Inter eos eminet B. Paulus *Galat.* 6. *v.* 17. *Theodoretus lib.* 1. *hiſtor. eccleſ. cap.* 11. refert tanquam inſigne officium pietatis, quod Conſtantinus oſculatus fuerit oculum alterum pro fide Chriſti epiſcopis nonnullis erutum. De quo facto, ut & de tota Conſtantini pietate alibi diſquiri poſſet. De varia ſignificatione vocis martyrii infra dicendum erit.

Quęſtio principalis inter eccleſiam & heterodoxos controverſa eſt de neceſſitate confeſſionis. Quę in duo membra diſpeſci poteſt. §. 4.

1. *An unquam fidem, quam animo retines, verbis externè negare aut contrarium ejus profiteri liceat?*

2. *An & quouſque ac quando non tacere, fidemque externè verbis declarare debeamus?* Quod ad prius membrum, negarunt id olim inter antiquos hæreticos *Gnoſtici*, *Tertull. in Scorpiaco cap.* 1. *Helcheſaitæ*, Euſeb. lib. 6. c. 28. *Priſcillianiſtæ*, *Auguſtin. de hæreſ. cap.* 70. *Baſilidiani*, *Euſeb. lib.* 4. *cap.* 8. Hodierni *Libertini*, *Henr. Nicolaitæ* ſeu *familia caritatis*, *David-Joriſtæ*, *Franckiſtæ*, &c. De quo ex propriis ipſorum ſcriptis vide eos abunde convictos à *Marnixio Sanct-Aldegondii domino*, *Ubbone Emmio*, *Caſparo Grevinckhovio*, &c. alibi indicatis. Affines iis hac in parte quodammodo ſunt Sociniani, Remonſtrantes, qui cothurnis & crypticis agendi modis cauſam ſuam primum propagari, & poſtea ſtabiliri ac contra adverſarios defendi poſſe autumabant. J. Arminius & aulicus ipſius Euſebius prudentiâ quadam carnali hic præiverunt; ſectatores eorum ſtrenuè ſecuti ſunt. Legatur *relatio hiſtorica actis ſynodi Dordrac.* præmiſſa; *& hiſtoria eccleſiaſtica D. Triglandii.* Secutus etiam illos, immo omnes ſuperavit *Conradus Vorſtius*; ut videre eſt in grandine ſcriptorum ipſius poſt editum librum de Deo emiſsâ: cum quâ conferendi antagoniſtæ ejus Leovardienſes, *Egliſemmius*, *Sladus*, &c. Nec fruſtra ſcripſit *Vedelius arcana Arminianiſmi.* Et nos in catechizatione *catecheſis Remonſtrantica ad* 9. *præc.* decalogi nonnulla in hunc finem notavimus. Quin & hodie nullis fidiculis ex iis exprimas genuinam communis Chriſtianiſmi confeſſionem de myſteriis fidei à Socinianiſmo, Arrianiſmo & affinibus hæreſibus diſtinctam. Accedunt etiam ad hanc ſententiam dicti Pſeudo-Nicodemitæ, qui non tantum veritatem diſſimulant, ſed etiam dictis & factis oppoſitam Papatus ſuperſtitionem ſimulant: contra quos *Calvinus in opuſculis theolog.* & alii præſtantes theologi, quorum conſilia ibidem adducuntur,

Melanthon ſcil. Bucerus, *Martyr*, *Tigurini*. Huc etiam facit una ex ſex eruditis lectionibus *Georgii Abott*; Et *Calvini* confutatio cujuſdam Hollandi, ibid. in opuſculis. Vide infra *cap.* 3. in fine.

Nos eccleſiæ ſententiam his argumentis confirmamus.

I. *Arg.*. Ex Rom. 10. *Ore fit confeſſio ad ſalutem*, cum 1 Petr. 3. v. 15. *ſemper parati ad* ἀπολογίαν *omni petenti*, &c. Contra hunc locum *Jac. Arminius*, quod ſeutentiam ſuam de mutandis aut interpolandis in recepta reformata religione, eccleſiis petentibus aperire detrectabat, ſic excipiebat: per apologiam notari *defenſionem*, ad quam neceſſitate ita poſtulante quemque & ſe debere paratum eſſe ajebat. Sed hæc exceptio nulla eſt: cum græca vox ἀπολογίζομαι etiam notet *narrara*, *percenſere*, & ἀπολογισμὸς *enumerationem*, & ἀπόλογος *longam & verboſam narrationem.* Nec poſſit quis paratus eſſe ad ſententiæ ſuę defenſionem, niſi una paratus ſit ad ejuſdem declarationem ſeu expoſitionem, ſiquidem hæc omnem legitimam theologicam defenſionem neceſſariò debet præcedere. Conferri poſſunt antiquæ & recentiores quarumvis linguarum tranſlationes, cum notis additis. Confer infra *part.* 3. *tit. de Confeſſionibus.*

II. *Argum.* ex promiſſione prœmii, & comminatione pœnæ, Matth. 10. v. 32. 33. *Quiſquis confitebitur me coram hominibus*, &c. 2 Timoth. 2. v. 12. *Si negaverimus*, *etiam ille abnegabit nos.*

III. *Argum.* Tertio decalogi præcepto tale quid mandatur, ut noſtra catecheſis, aliique interpretes decalogici hoc rectè obſervant. Pertinet enim hoc ad laudem & celebrationem Dei: ſicut è contra negatione & ſimulatione, Deus & verbum Dei contumeliâ afficiuntur; quia Deum ignominia afficimus, cum nos ejus & verbi ejus, quod eſt veritas, pudet: contra *Rom.* 1. *v.* 16.

IV. *Argum.* Quia actus noſtri exteriores, & non tantum interiores, Deo ſacri eſſe debent, ejuſque glorię inſervire. 1 *Corinth.* 10. *v.* 31. cum 6. *v.* 23. Inter illos actus, præcipuus eſt ſermo; cujus inſtrumentum lingua, quæ metonymicè gloria appellatur *Pſal.* 16. *v.* 9. & 30. *v.* 12. & 57. *v.* 8. cujus effecta deſcribit *Jacobus c.* 3. *v.* 9.

V. *Argum.* Quia debemus ędificare proximum, non ſeducere aut ſcandalizare. *Matth.* 5. *v.* 16. cum *Hebr.* 10. *v.* 20. 1 *Corinth.* 10. *v.* 32. Atqui illud fit confeſſione: iſtud abnegatione aut ſimulatione.

VI. *Argum.* Quia verè fidelibus eſt ſignum fidei ſalvificæ, & communionis cum Deo. 2 Corinth. 4. v. 13. *Habentes ergo eundem ſpiritum fidei*, &c. 1 *Joh.* 4. *v.* 15. *Quicunque confeſſus fuerit Jeſum eſſe Chriſtum*, &c.

VII. *Argum.* Quia in omnibus ſermonibus cum proximo omne mendacium, omnis ſimulatio fugienda *Epheſ.* 4. *v.* 25. uti hoc alibi pluribus ex pro-

Digitized by Google

profeſſo probatur. Multò magis fugienda eſt ſimulatio, cum loquimur de rebus divinis, & ſpe illâ quæ eſt in nobis.

VIII. *Argum.* ab abſurdis conſequentibus: quæ tria deſumo ex autore (ſub nomine *Chryſoſtomi*) operis imperfecti *in Mattheum cap.* 25. *Primum* eſt: ſi ſufficit tibi corde credere, etiam hypocritæ ſufficit ſolo ore confiteri, ponetur ergo pars tua cum hypocritis, niſi corde ſimul & ore confitearis. Sed hoc per ſe ſi ſtet, tam ſolidum non eſt; proclive enim erit ipſis excipere, precatio cordis poteſt eſſe ſine ſermone linguæ; non tamen vice verſâ. *Secundum*, ſi ſufficiat tibi Chriſtum cognoſcere, interim nolis eum palam confiteri, ſufficiat etiam tibi, quod ipſe te ita cognoſcat, ut tamen coram angelis & hominibus te nolit pro ſuo agnoſcere. *Tertium*, ſi ſufficeret tibi fides cordis, cor tibi tantummodo Deus creaſſet: nunc autem & os tibi creavit. Quod ſi reducatur ad noſtrum argum. 6. ſatis ſolidum eſt. *Quartum*, ſolidum atque evidentiſſimum nos addimus: Quia ſequeretur Petrum non peccaſſe, nec ullum, qui unquam coram hominibus dominum abnegaverit. Et conſequenter non requiri fidelium fortitudinem Chriſtianam, quâ omnia adverſa pro nomine Chriſti ſuſtineant, & ipſum martyrium ſubeant: ſtolidos itaque fuiſſe omnes martyres, & omnes martyrum tragicos cruciatus, omnes admirandas victorias eſſe totidem inſanias ac ſtultitias; omnia martyrum præconia, omnia ad martyrium celeuſmata quæ in patrum ſcriptis occurrunt eſſe gerras Siculas, omnia denique martyrologia eſſe navem ſtultorum. Quæ quam abſurda, quam impia quam blaſphema ſint, conſtat ex *Pſal.* 56. *v.* 9. *Philip.* 1. *v.* 20. 28. *Apocal.* 2. & 3. & 8. & 26. *Actor.* 6. ac 7. &c. aliiſque *infra de martyrio* dicendis.

IX. Accedat conſenſus antiquorum. Vide *Tertullianum in Scorpiaco, in lib. de fugâ in perſecutione, in lib. de corona militis. Cyprianum lib. de exhortatione martyrii, lib. de duplici martyrio*, &c. *Baſilium homil. in Gordium martyrem*, &c. *Auguſtinum lib.* 8. *confeſſ. c.* 2. alioſque infra fortè citandos. De conſenſu Proteſtantium & reformatorum non ſinunt nos dubitare tot publicæ confeſſiones, in harmonia confeſſionum, tot perſecutiones exhauſtæ, tot martyria ſuſtentata. De quibus hiſtoriæ eccleſiaſticæ & martyrum jam inde ab anno 1517. cum quibus jungenda *hiſtoria Waldenſium Joh. Pauli Perrini*, & perſecutiones piorum in Bohemia ante annos aliquot in Belgio noſtro editæ.

Conſectar. Stupida ergo & putida eſt calumnia Joh. Malderi in commentar. ad 22. qu. 3. artic. 2. *Sane*, inquit, *nec Calviniſtas ab illo errore* (quem nunc refutavimus) *eſſe alienos, quamvis reclament, & Calvinus contrarium ſcripſerit, multa exſtant documenta.*

Cap.

CAP. II.

Solvuntur objectiones contra neceſſitatem confeſſionis fidei, & affines quæſtiones determinantur.

§. 1. OBjecta contra ſententiam noſtram, olim per antiquos hæreticos, & patrum memoriâ per Libertinos, Neutrales, dictos Nicodemitas ſunt iſta.

I. *Object*. Qui fixus eſt in corde, quamvis urgente neceſſitate, ore negaverit, corde tamen in fide permanet. Hæc erat Helchelaitarum, referente *Euſebio lib. 6. cap. 28. Reſp.* Deo non tantum devoveri debet ſermo cordis, ſed & ſermo oris 1 *Cor. 6. v. 20.* Et ab omni inquinamento ſpiritus & carnis purgari debemus 2 *Cor. 7. v. 1.*

II. *Object*. Chriſtus ſemel pro nobis ſanguinem fudit & mortuus eſt, ne occideremur. Et Deus ſanguinem noſtrum non flagitat, nec vicem repetit. Sic Gnoſtici apud *Tertullianum in Scorpiaco cap. 1. Reſp.* Vicem non repetit, nec ſanguinem noſtrum flagitat: ſed confeſſione noſtrâ glorificandus eſt. Et hoc in caſu tenemur inſervire conſilio & gloriæ ipſius.

III. *Object*. Sufficit ut in corde loquamur veritatem & coram fratribus: non autem coram alienis. Sic Priſcillianiſtæ apud *Auguſtinum, contra mendacium cap. 2. Reſp.* Non tantum in corde, & apud fratres, ſed etiam apud alienos veritas confitenda juxta *Epheſ. 4. loquimini veritatem quiſque cum proximo*: quo denotatur quivis homo, & non tantum domeſticus fidei. Adde Luc. 9. v. 26. *qui me erubuerit*, &c. Adde exemplum Chriſti, qui bonam confeſſionem ſub Pontio Pilato, &c. 1 *Tim. 6. v. 13.* Et exemplum Apoſtolorum *Actor. 4. & 5.* Et Pauli *Actor. 23. & 24. & 25.*

IV. *Object*. Ex exemplo Naaman Syri, 2 *Reg. 6. v. 5.* quod maximè urgere ſolent Pſeudo-Nicodemitæ. *Reſp.* Exponi poteſt de præterito, ita ut Naaman illud confiteatur, & veniam culpæ illius à ſe antehac commiſſæ petat, illique reſpondeat Propheta v. 19. *vade in pace.* Simili fere ratione reſpondet Eli 1 *Sam. 1. v. 17.* Sin vero exponas de futuro, uti à pleriſque exponitur, jam videndum eſt, an petat exercitium & actum cultus religioſi in idoleio ſibi indulgeri, an vero humani, quo ſub rege ſuo in ipſum reclinante ſe incurvaturus eſſet. Si iſtum; jam nulla eſt conſequentia: ſin illum, jam negamus dimiſſionem, ſalutationem, & votum prophetæ *v. 19.* continere approbationem ſimulationis alicujus in cultu divino, & participationis in cultu idololatrico.

V. *Object*. Ab exemplo Nicodemi *Joh. 3. v. 1. Reſp.* Nocte aut clam venire

Digitized by Google

nire ad Chriſtum, non eſt eundem abnegare. Itaque hoc exemplum nihil ad rhombum. Et dato malè quid factum à Nicodemo, hoc nobis non facit regulam.

VI. *Object.* Ab exemplo Jacobi induentis chirothecas fratris *Geneſ.* 27. *v.* 16. 23. 24. Hoc argumento, an ſimili utebatur fanaticus *David Georgius*: cujus profundę ſimulationis hiſtoriam deſcriptam dederunt paſtores & profeſſores Baſilienſes; ejuſque accuratiſſimam & peremtoriam defenſionem contra Davidicos vernaculo ſermone emiſit *Ubbo Emmius* a. 1603. Poſt quem conticuere omnes. *Reſp.* 1. ſimile deſumtum à facto Jacobi non probat: quamvis explicare poſſit. 2. factum hoc Jacobi, quod nuſquam ſcriptura probat, merito improbatur: quippe fraudibus & mendaciis conditum & permixtum.

Secundum membrum hujus quæſtionis eſt, §. 2.

An & quando poſitivè teneamur veritatem fidei profiteri. Reſp.

1. *Concl.* Præceptum confeſſionis eſt affirmativum, de actu religionis externo; quod non obligat ad ſemper, &c. Poteſt ergo caſus incidere, ut non teneamur: 1. *cum* non interrogamur, & nulla neceſſitas urget ſponte loquendi. 2. *cum* ἐμπαῖκται, filii Belial, impuri & malè conciliati interrogant; quos canibus & porcis comparare queas, *Math.* 7. *v.* 6. 3. *cum* homines mente capti, furioſi, maniaci, deliri interrogant; apud quos nihil proficias, ſed confitendo quaſi ſurdis narrares fabulam, inſuper te otioſè periculo exponeres.

2. *Concl.* Tunc obligamur ad confeſſionem, quando omiſſione ejus, honor Deo debitus ſubtraheretur, aut debita ædificatio proximi. Incidit autem caſus ille imprimis, cum qui funguntur publicâ poteſtate, de fide interrogant. Vide *Actor.* 9. *v.* 15. *Math.* 10. *v.* 18. *Pſal.* 119. *v.* 46. Confeſſio autem debet fieri diſertis verbis, abſque involucris, cothurnis, amphibolis: idque tum in genere, quod ſis Chriſtianus, tum in ſpecie de omnibus & ſingulis veritatibus fidei, prout occaſio tulerit. Qui ergo negat ſe Chriſti diſcipulum ſeu Chriſtianum, conſequenter Chriſtum, & ſingulas fidei veritates negat. Huc facit dictum *Auguſtini tract. in Joh.* „quod juri canonico inſertum *c. non* „*ſolum* 11. *qu.* 3. Non ſolum abnegat Chriſtum, qui dicit eum non eſſe Chri-„ ſtum, ſed ille etiam, qui, cum ſit, negat eſſe ſe Chriſtianum. Et illud *Tertulliani in Scorpiaco cap.* 9. de Apoſtolo Petro: *Chriſtum in ſe negans, etiam ipſum negavit.*

Ad controverſiæ propoſitæ utriuſque membri illuſtrationem, proponimus has quatuor quęſtiones. §. 3.

1. *An in caſu neceſſitatis ſemper diſertis verbis fides confitenda, an vero aliquando ſufficiat ſilentium.*

2. *An & quomodo ſignis fidem teneamur profiteri aut non profiteri.*

3. *An fidei confeſſionem fugâ declinare liceat.*

4. *An vexationem à perſecutoribus redimere liceat.* Ad 1. *quæſt. Reſp.*

1. *Concl.* Sufficit aliquando fidem ſilentio profiteri: quando ſcil. ejuſmodi concurrunt circumſtantiæ; ut ſilentium tuum ſatis ſuperque indicare poſſit, quæ ſit tua mens, & vulgata illa juris regula locum hic & nunc invenire: *Qui tacet conſentire videtur.*

2. *Concl.* Non tamen faciendum eſt, cum alii ſive ex commiſeratione, ſive ex errore te excuſant; quaſi fidei conſors non eſſes; aut pro te in iſtam partem contendunt, aut etiam vadimonium offerunt; aut teſtimonio & inſtrumento publico ſalvum conductum contra perſecutionem tibi præſtant; aut externam quandam ſpeciem ſymbolizationis cum infidelibus ſeu idololatris ita interpretantur & prædicant, ac ſi revera falſam religionem profeſſus eſſes, aut falſum cultum idolis exhibuiſſes. Cum tali ſilentio exire aut dimitti noluerunt milites illi apud *Euſeb. lib.* 8. *c.* 3. qui intentâ voce clamabant: *nec ſacrificavi, nec ſacrificabo.* Ad turpe ſilentium pertinet exemplum eorum, qui crimen ſacrificationis ſibi falſo objici cum ſilentio paſſi ſunt, apud *Euſeb. lib.* 8. Quales etiam tangit autor operis imperfecti in Matheum *homil.* 25. ubi docet, quomodo non tantum ore, ſed & oculis, auribus, odoratu, guſtu, & tactu negetur Chriſtus. Multò magis huc pertinet gravior lapſus eorum, qui *libellatici* antiquis dicebantur, qui ideo ad publicam pœnitentiam adigebantur; quod teſtimonium pretio emiſſent, aut alioquin accepiſſent à Magiſtratu aut pręfectis ſeu miniſtris imperatoris, quaſi mandato ipſius paruiſſent: quod oſtentabant, ut hâc ratione immunes eſſent à perſecutione & tanquam *thurificati* & *ſacrificati* apud Gentiles haberentur. Hæc erat inſignis ſimulatio Ethniciſmi, fidelium conſtantium hâc in parte ſcandalizatio, & indirecta fidei abnegatio: uti rectè de iis judicat *clerus Romanus ad Cyprianum*, quæ inter epiſtolas ejus eſt. 31. Qui „ vult, inquiunt, propoſitis adverſus Euangelium vel edictis vel legibus „ ſatisfeciſſe; hoc ipſo jam paruit, quod videri paruiſſe ſe voluit. *Epiſtol.* 68. Baſilides & Martialis inter *libellaticos* numerantur: non tamen omnia ipſorum crimina illic relata libellaticis qua talibus tribuenda: ea enim ipſis propria & diſtincta fuiſſe à communi libellaticâ ſimulatione, diſertè ibidem teſtatur his verbis: *Baſilides adhuc inſuper præter libelli maculam,* &c. Affines immo & pejores libellaticis erant, qui proteſtationem aliquam infidelitatis in acta publica ſuo nomine abſentes referri procurabant; de quibus *Cyprianus epiſt. cit.* His pejores, qui libellum tradebant, quo ſe Chriſtum negare profiterentur: de quibus *Plinius lib.* 10. *epiſt.* 97.

2. *Quæſt. An quis ſine peccato, ſignis falſæ religionis uti, atque hâc ratione ejus confeſſionem ſimulare & veræ fidei confeſſionem diſſimulare poſſit. Reſp.*

1. *Concl.*

Digitized by Google

1. *Concl.* Nunquam licet uti talibus ſignis aut rebus, aut admittere tales actiones, quæ naturâ ſuâ, vel hominum conſuetudine præciſè ordinatæ ſunt ad profeſſionem aut ceremonias falſæ religionis. *Rat.* 1. ex doctrinâ Pauli 1 *Cor.* 8. & 10. de idolothytis: quam in 3. *part. ſel. diſpp. tit.* de Idololatriâ indirecta diduximus. 2. *Rat.* ex 2 Cor. 6. v. 14. *nolite jugum ducere*, &c. Epheſ. 5. v. 11. *ne communicate operibus*, &c. 3. *Rat.* Quia infidelis peccat, quoties ceremoniis illis utitur: & tu idem peccatum uſu earundem profiteris, ſaltem profiteri te ſimulas, quidquid aliter intendas. 4. *Rat.* quia ſcandalum das. 1 *Corinth.* 10. Et væ mundo à ſcandalis *Math.* 18. 5. *Accedat* conſenſus antiquæ eccleſiæ, quæ factum tale ſemper condemnavit, & ſeveriori diſciplina coërcuit. Vide *Concil. Ancyranum Can.* 1. 2. 4. 5. 6. 7. 9. *Concil. Elibertinum can.* 1. 2. 3. *Irenæum lib.* 1. *cap.* 1. *Origenem lib.* 8. *c. Celſum. Tertullianum lib. de Idololatriâ. Cyprianum lib. de lapſis, & epiſt.* 52. 53. 54. De conſenſu noſtrorum minimè dubitandum: uti patet, ex *Calvino c.* Pſeudo Nicodemitas, aliiſque theologis ibid. & *Georgio Aboto* ſupra cit. *Balduino lib.* 2. *cap.* 6. *caſu* 6. & 7. *Ameſio lib.* 4. *cap.* 3. *qu.* 4. & 5. De ſignis & ceremoniis compluribus in ſpecie antehac teſtimonia noſtrorum protulimus in 3. *part. ſelect. diſpp. tit. de idololatr. indirectâ.* De conſenſu Pontificiorum idem dici poſſet, niſi hodierni eorum emiſſarii artes religionem quam contra conſcientiam ſimulandi docerent & exercerent: Quas artes detectas vide in lib. cui tit. *Jeſuitica per unitas Belgii provincias negotiatio, bono publico in lucem edita juſſu DD. de deputatorum Ordinum Friſiæ* anno 1616. ubi *pag.* E. determinatur poſſe cum eo, qui non conſciis amicis, aut iis quibuſcum agit, ſecretè catholicus eſt, *diſpenſari in audiendis hæreticorum concionibus, & carnium eſu, quando id opus erit.* Eaſdem artes in Angliâ jam ab anno 1627. & ante exercitas detegit ex interceptis epiſtolis vernaculo ſermone editis *Gul. Prynne* anno 1645. tit. *Occulta opera tenebrarum detecta* ubi *pag.* 89. epiſtola ad patrem Rectorem Jeſuitarum Bruxellenſem refert, quam artificioſè & lepidè Pontificii Arminianorum & Puritanorum perſonas iſtic ſuſtinerent. Ut jam nihil dicam de *Hadriano Florentio*, poſtea Pontifice, qui in *commentar. ad* 4. *Lombardi qu.* 1. *de baptiſmo* determinat, licere aſſumto ritu & re aliquâ idololatricâ ſimulare idololatriam, additis quibuſdam conditionibus. Sed hanc ipſius opinionem recentiores *Bannes*, *Navarrus*, *Valentia*, abſolutè rejiciunt, adducto etiam conſenſu aliorum Caſuiſtarum, *Antonini* ſcil. *Angeli de Clavaſio*, *Silveſtri*; & omnium Canoniſtarum, excepto Archidiacono & *Hugotione.* Limitationes, & argumenta *Hadriani* ex exemplo Davidis 1 *Sam.* 21. & Naaman 2 *Reg.* 5. *Jehu* 2 *Reg.* 10. (quod etiam commendat *Hieronymus in Galat.* 2.) *Euſebii Vercellenſis apud Ambroſ. ſerm.* 69.

Joſephi & Danielis, qui apud reges Idololatras Magiſtratum gerebant in purpura & habitu idolis ſacro; refutantur à *Joh. Maldero ad 22. qu. 3. art. 1.*

Huic quæſtioni cohæret inter pontificios, *An quis interrogatus privatà authoritate de ſua fide, poſſit reſpondere per amphibologiam. Aff.* Jeſuita Reginaldus in praxi fori pœnitentialis *lib. 17. cap. 2. ſect. 2. §. 25.* Adhæc, *an quis falsò poſſit negare ſe eſſe ſacerdotem aut religioſum.* Reginaldus *ibid.* §. 23. Aff. non peccare eum hoc peccati genere, quia tantum negat „ſtatum ſuum, non vero ſuam fidem „: ſicut negando ſe Chriſtianum „aut catholicum eſſe. Idem ex *Cajet.* & *Azorio*, habet *Zanchez* in ope„re morali *lib. 2. c. 4.* §. 10. Negare autem eos & poſſe negare beneficio mentalis reſtrictionis, & quidem abſque ullâ culpâ falſitatis, alibi à bonis illis patribus docetur.

2. *Concl.* Signum aſſumere, aut eo uti non licet (e. gr. crucis aut roſarii), nec veſte idolo ſacrâ, quæ idololatriç miniſtros, ſive ex communi conſuetudine ſive ex perſecutorum ſtatuto, à reliquo infidelium vulgo, aut ſpecialiter à fidelibus diſtinguat: idque tempore perſecutionis, ut ſcil hac ratione quis evadat. Hâc enim ratione per ſymbolum ſeu teſſeram idololatrarum, ſe conſortem eorum ſimulat, & fidem ſuam abnegat. Exempla in hiſtoriis perſecutionum occurrunt: & unum in hiſt. lanienç Pariſienſis anno 1672. ubi martyr Elias la Place conſpicatus unum ex ſuis domeſticis, ſymbolo aliquo Papatus, quod pileo affixerat in extrema illa neceſſitate vitæ ſuæ conſulere volentem, pie dehortabatur. Vide 3. *part. ſel. diſp. tit. de Idololatriâ, & de Cruce.*

3. *Concl.* Veſtium forma & materia diſtinctarum, non quidem ad diſtinctionem religionum præſcriptarum, ſed ex gentium uſu aut ex decreto Magiſtratus propriarum illi populo aut ordini hominum qui ſunt infideles aut idololatræ, uſu eſt adiaphorus; nec in ſe illicitus. Sic Daniel cum ſociis Perſico habitu verſabatur, in aula perſarum, uti vult *Tertullianus lib. de idololatria*, & Juſtinus jam Chriſtianus factus geſtabat pallium philoſophicum.

4. *Concl.* Si quis eſſet habitus Chriſtianis à perſecutoribus præſcriptus, quo perpetuò diſtingui poſſent ab infidelibus: non eſſet illicitum Chriſtiano aliquando illum deponere, aut negare, ad evitandum præſentiſſimum periculum. Quod autem addit *Malderus ad qu. & art cit. membro* 4. probabilius eſſe licere Chriſtiano uti veſte antea quidem communi gentis potius, quam ſectæ, nunc vero de mandato Magiſtratus idololatrici & infidelis diſtinctivâ religionis: non video, quomodo hoc tutò admitti poſſit, & non ſit oppoſitum in appoſito.

5. *Concl.* Habitu ſuperſtitionibus appropriato (e. gr. monachali ſecundum

dum regulam Franciſci aut Dominici, &c.) ordinariò uti non licet: extraordinario tamen & in caſu neceſſitatis licet, ad periculum declinandum, aut hoſtes in juſti belli ſtratagematis circumveniendos.

6. *Concl.* In ſignis idololatriæ uſurpandis, nunquam ſubſtituere licet, ſive alienum ab idololatriâ, ſive idololatram aut Ethnicum ſponte huc euntem. Obtinet enim hic regula juris: *quod quis per alium facit, per ſe facere putandus eſt.* Hinc eſt, quod in canone Petri Alexandrini (exſtat in ſermone de pœnitentiâ, inſerto bibliothecæ patrum *tom.* 2.) arguuntur, qui dolo quodam Ethnicos in ſacrificiis ſubſtituebant, aut ſervos ſuos Chriſtianos ſuo loco ſacrificatum ſubmittebant.

7. *Concl.* Reus non eſt ſimulationis, aut indirectæ profeſſionis per ſigna idololatrica, cui per vim idolothytum in os ingeſtum: aut cui manus thure alligato tam diu aduruntur, donec thus in ignem ante idolum dimittere cogitur; uti *Baſilius* refert de Barlaamo: aut qui per vim ad ſacrificandum trahitur, & manus hoſtiæ admovetur; de qualibus *Concil. Ancyranum can.* 5.

3. *Quæſt. An quis fugâ confeſſionem declinare poſſit, ſeu an perſecutionem fugere liceat. Reſp.* Quęſtio hęc olim agitata fuit. *Tertullianus* jam prolapſus in errores Montani, *lib. de fugâ*, negat; qui tamen antea affirmârat *lib. de patientiâ cap.* 13. *ſi fuga urgeat, incommoda fugæ caro militat.* Tertulliani rationes ſolvit *Pamelius in notis ad lib. de fugâ*; & poſt eum *Malderus in Thoma* 22. Vide & annaliſtam *Baronium ad ann.* 205. Contra affirmat *Athanaſius in apologiâ de fugâ*, & in *apologiâ* ad Conſtantium. Ejuſdem ſententiæ ſunt *Auguſtinus epiſtol.* 180. quæ eſt ad Honoratum. Et recentiores qui hanc quæſtionem tractant, *Beza homil.* 10. *de reſurrectione, Lavaterus in Nehem.* 6. *Martyr in epiſtola* quadam, quæ inter alias cum locis communibus ipſius edita. *Ameſius lib.* 4. *cap.* 3. *qu.* 6.

Nos breviter ſic determinamus.

I. *Concl.* Fuga in perſecutione eſt ex genere τῶν μέσων; quia ſimpliciter abſolutè, nec prohibita, nec præcepta. Alicubi enim in ſcripturâ improbatur *Johann.* 10. ut & radix ejus, metus ſcil. *Matth.* 10. *v.* 28. *Philipp.* 1. *v.* 28. 2 *Timoth.* 1. *v.* 7. Alibi ſuadetur & probatur *Matth.* 10. *v.* 23. Ita communiter ſentiunt patres, & autores modo cit.

II. *Concl.* Fuga præcipitur, duobus in caſibus: *unus* eſt, quando quis admodum probabiliter putat, ſe non fore conſtantem in tormentis ferendis: tunc enim, niſi fugiat, exponit ſe periculo negandi. *Alter* caſus eſt, quando ex præſentia & confeſſione noſtra nulla ſperatur fidelium ædificatio, & certum timetur ſcandalum, & major diſſipatio, deſtructio, aut ſaltem majus periculum eccleſiæ; breviter quando præſentia & confeſſio eſt mera hoſtium irritatio & exacerbatio.

III. *Concl.* Specaliter fugere tenetur eccleſiæ miniſter, quando nihilominus ab alio aut ab aliis miniſtris eccleſia ędificari poteſt, & ille ſolus petitur; non vero tota eccleſia: hoc enim in caſu neceſſariam ejus ædificationem & in fide confirmationem, contra adverſarios, idque hortatione & fortitudinis exemplo, nequit deſerere. Huc pertinet *Job.* 10. Sed ſi pręſentia ejus, ſit occaſio, aut irritamentum, aut ἀφορμὴ vexandi & perſequendi eccleſiam, præſtat eum inde dimitti, aliumque ſubſtitui; aut etiam ad breve tempus eccleſiam miniſtro diſtitui, donec illa ſive tempeſtas ſive nubecula tranſierit.

Probatur hæc & pręcedens concluſio iſtis rationibus.

1. *Rat.* ex *Matth.* 10. *v.* 23. addito exemplo Chriſti *Matth.* 2. *v.* 13. & 12. *v.* 14. & 14. *v.* 13. *Johann.* 8. *v.* 59. & 10. *v.* 39.

2. *Rat.* Ex probatis exemplis ſanctorum Moſis *Hebr.* 11. *v.* 27. Eliæ 1 *Reg.* 19. *v.* 3. variorum prophetarum 1 *Reg.* 18. *v.* 13. Pauli *Actor.* 9. *v.* 25. cum 2 *Corinth.* 11. *v.* 30. 32. 33. Teſtimoniis illis adduntur rationes deſumtæ ex dilectione noſtri, inimicorum, proximi noſtri, ſeu eccleſiæ noſtræ.

Sit ergo 3. *Rat.* Ex dilectione noſtri *Ephes.* 5. *v.* 29. Qui enim non fugit, ſed perſecutoribus occidendum ſe offert, indirectè ſui ipſius occiſor eſt. Hanc rationem urget *Athanaſius in apologia ad Conſtantium* & in *apologiâ de fugâ ſuâ*; Eamque fulcit communi ſententia & praxi martyrum, qui cum ad necem quęrerentur, nunquam ſe perſecutoribus obtulerunt, quin profiterentur ex peculiari ſpiritus ſ. inſtinctu hanc promtam ſui oblationem profectam eſſe. Accedit judicium antiquæ eccleſiæ de illis, qui ſe ad martyrium ſine neceſſitate obtrudebant. De quo infra, ubi de martyrio.

4. *Rat.* Ex dilectione inimicorum. Parcendum eſt, quantum fieri poteſt, perſecutoribus, ne illi hoc ſcelus committant. Jam vero, qui non fugit cum poteſt, quodammodo reus eſt homicidii, quod tyranni in ipſo perpetrant. Hoc colligitur ex verbis Nazianzeni orat. 1. in Julianum: *Docęt Chriſtianos non ſolum res conſiderare proprias, etiamſi magno ſint animo & fortitudine præditi: ſed etiam perſequentibus parcere, ne forte ipſis acceptum feratur, quod hoſtium periculo non ſubvenerint.*

5. *Rat.* Ex dilectione debitâ eccleſiæ; cum qui fugit, utilis ſit futurus eccleſiæ, illique applicari poſſit illud Pauli Philipp. 1. v. 24. 25. *Nam in carne manere magis neceſſarium eſt propter vos.* Athanaſius in apol. ad Conſtantium dicit ſe ad hoc ipſum fugiſſe, ut ipſi poſtea talem apologiam exhibere poſſet. *Sic ſancti*, inquit, *fugiebant*, *ut tanquam medici*, *in uſus indigentium reſervarentur.*

6. *Rat.*

6. *Rat.* Quia ipſa fuga, eſt quædam fidei confeſſio. Hæc eſt Cypriani in libro de lapſis, *Idcirco*, inquit, *fidelis ſeceſſit, quia non erat negaturus.* Hinc *Athanaſius in Apolog. de fugâ*, ait eos coronam martyrii conſequi, qui in fugâ moriuntur.

7. *Accedunt*, exempla Athanaſii, Chryſoſtomi, Nazianzeni, de quibus in ipſorum vitâ; & Lutheri ad tempus in ſylvâ deliteſcentis, poſtquam ex comitiis Wormacienſibus dimiſſus eſſet, ad hæc Petri Martyris, Merlini, Toſſani, Petri Molinei, aliorumque de quibus in vitis theologorum.

IV. *Concl.* Non eſt licitum fugere, quando præſentiâ & confeſſione noſtrâ magnum damnum ſpirituale proximi tenemur ex caritate aut juſtitiâ avertere. Ex caritate nos teneri probatur ex 1. Joh. 3. 15. *debemus animas ponere pro fratribus.* Ex juſtitia nos teneri probatur ex Joh. 10. v. 11. 12. *Bonus paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis: mercenarius autem,* &c. *videt lupum venientem*, &c. *fugit. Zachar.* 11. *v.* 17. reprehenditur paſtor qui gregem derelinquebat. Athanaſius in apolog. de fugâ, dicit ſe manſiſſe in cathedra ſua cum putaret *abſurdum populos in tanta neceſſitate deſerere, & rectius eſſe, ut pro aliis pericula ſubiret.* Marcus Arethuſorum epiſcopus ob ſubverſum à ſe templum idolorum fugiebat; ſed cum audiret propter factum ſuum alios Chriſtianos trahi ad ſupplicium, rediit & ad ſupplicium ſe obtulit: referente *Nazianzeno orat. 1. in Julianum.*

V. *Concl.* Etiam fuga extenditur ad fugam è carcere. Quod quando ac quomodo fieri poſſit, mox ſectione proximè ſequenti videbimus.

VI. Poſtrema concluſio de fuga in perſecutione, etiam includebat fugam ex carcere; de quâ ſpecialis quæſtio apud Caſuiſtas formari ſolet: §. 4

An licitum ſit alicui ob cauſam fidei incarcerato, ex carcere fugere. Reſp. Reſecamus hic quæſtionem, an ob aliam quam cauſam ſive injuſtè ſive juſtè incarcerato liceat hâc aut illâ ratione ex carcere fugere, aut erumpere, aut eum perfringere. Ex noſtris *Ameſius lib.* 4. *cap.* 3. *qu.* 7. negat poſſe à tali carcerem perfringi, aut cuſtodes falli.

Nos ſic determinamus.

1. *Concl.* Cum & quamdiu duplice ignotum eſt, quæ perſecutoribus propria ſit cauſa ſive vera, ſive prætenſa incarcerationis; & ille à crimine tali ſit immunis, quod illi intentatur, aut quo religio & fama ipſius propter fugam certò (moralem certitudinem intelligo) commaculanda eſſet: non videtur conſultum, aut ordinariò licitum (extra caſum ſcil. communis & magnæ neceſſitatis) ut è cuſtodia fugiat, antequam judex cauſæ cognitionem inſtituerit, & ex habita defenſione, ac ſimul editâ fidei confeſſione, de incarcerato conſtet, nullo alio crimine eum teneri. Ita ſi vincula, aut etiam

etiam graviora pati debeat, patietur non *tanquam homicida, aut fur, aut malefici, aut ut ἀλλοτριοεπίσκοπος*, &c. 1 Petr. 4. 15.

2. *Concl.* Cum vero ſatis conſtat in caſu propoſito eſſe ſolam cauſam fidei; quidquid malevolorum ſiniſtræ ſuſpiciones, & injuſtæ accuſationes ſive extra judicium ſive in judicio antea molitæ ſint: indubium mihi videtur, fugam è carcere eſſe licitam.

3. *Concl.* Licitum eſt fugere, in caſu, quo nulla alterius criminis admixti infamatio aut accuſatio eſt.

4. *Concl.* Licitum eſt fugere poſt cauſam fidei cognitam, & ſententiam capitis in confeſſorem latam.

5. *Concl.* Etiam fuga cum licita eſt, non eſt illicitum carcerem effringere, cuſtodes fallere (ſed abſque mendacio), &c. juxta vulgare effatum: acceſſoria ſequuntur ſuum principale.

6. *Concl.* Majoris diſquiſitionis eſt; *an liceat cuſtodem vulnerare, aut etiam cædere: ſiquidem ille fugam tuam impediat, & aliter effugere nequeas. Petrus Alexandrinus in canonibus cit.* probat illam fugam, ratione cujus cuſtodes occidendi ſunt idque exemplo Petri *Actor.* 12. Nec nos improbamus: quia hoc totum eſt per accidens. Sed hic quæritur, de vulneratione & occiſione, quæ directè ab incarcerato committitur. Hoc juxta reprehenſionem Chriſti *Matth.* 26. *v.* 52. coll. cum *Rom.* 13. *v.* 1. 2. abſolutè negandum putamus. Si enim non licet cuiquam privato publicæ poteſtati, ejuſque miniſtris mandato inſtructis violenter reſiſtere, vulnera, plagas, mortem iis inferendo; ne ab illis capiatur, multò minus licet eidem reſiſtere cuſtodibus carceris, uſque ad vulnera mortem.

Sed objiciat quis, tempore belli Belgici, aliquando captivi ſuos captivantes & cuſtodes terrâ marique captivârunt aut vulnerarunt, aut occiderunt; quorum fortitudo & prudentia eo nomine laudatur. *Reſpondemus* quoſque cives, & milites publicam habuiſſe poteſtatem, & generale mandatum à ſuperioribus hoſtes terrâ marique poſitis ponendis, & datâ occaſione hoſtiliter invadendi, eorumque vim repellendi; imprimis tali in caſu ſic agendi. Sed incarceratus ob cauſam fidei, tale mandatum non habet ab illis, penes quos publica iſtic eſt poteſtas.

7. *Concl.* An incarcerato liceat ſe hoc in caſu, pretio redimere, ad quæſtionem quartam proximè ſequenti ſectione referemus. Videamus nunc rationes *Ameſii*, quibus abſolutè negat licitam eſt effractionem carceris & fallaciam cuſtodum.

Præmittimus diſtinctionem inter ſimplicem fugam, oſtio ſcil. aperto, aut liberiori cuſtodiâ per cuſtodes ſive prudenter ſive imprudenter conceſſâ: & inter evaſionem quæ fit per viam inſolitam & inviam; feneſtram ſcil.

Digitized by Google

ſcil. aut impluvium, aut foricam: & inter violentam oſtii, aut parietis, aut tecti fractionem. *Ameſius* diſtincte non indicat an omnes illos evaſionis modos illicitos putet, an vero tantum tertium. Quæſtio propoſita tantum tertium reſpicere videtur: rationes vero allatę tam generales ſunt, ut omnibus modis applicari poſſint.

Nos ſingulos evaſionis modos, juxta concluſiones à nobis poſitas, defendemus.

1. *Rat. Ameſii* eſt, quia jam vocatus eſt ad confeſſionem edendam. *Reſp.* Eadem conſequentia, ſi ſolida eſſet, militaret contra ſimplicem quamcunque fugam extra caſum incarcerationis; ſpecialiter contra fugam Chriſti, Apoſtolorum, fidelium: quia Chriſtus ideo venerat in mundum, & ad hoc vocatus erat, ut teſtimonium perhiberet veritati, & Apoſtoli à Chriſto erant conſtituti, ut eſſent teſtes ejus, & fideles ſemper debent *eſſe parati*, &c. 1. *Petr.* 3. *v.* 15. Sed inde non ſequitur, decretis ſanguinariis, & perſecutionibus ferventibus, nunquam licitum eſſe fugere.

2. *Rat.* Quia hoc eſſet vim facere publicæ autoritati? *Reſp.* Si publica autoritas ſe extendit ad inſtrumenta illa minima, catenas ſcil. oſtia, parietes, tecta, ſeras, vectes, &c. ut non liceret illa ullo in caſu neceſſitatis tollere, aut loco movere, aut etiam frangere: jam ſequeretur, Paulum non potuiſſe Damaſci evadere per parietem; quia ſcil. publicæ autoritatis mandato portæ erant clauſæ, & omnis introitus atque exitus, per muros prohibebatur, prout ubivis ordinario, & quidem ſub pœnâ capitis hoc prohiberi ſolet. Ergo violatam quis dicet autoritatem publicam, per quam muri *rebus ſanctis* annumerantur *c. ſanctæ*, *de Rerum diviſ.* Atqui factum illud fidelium & Pauli, probatur 2 *Cor.* 11. inque eo ibidem Apoſtolus gloriatur. Quando ſcripto mandato tyranni aut perſecutorum aut proclamatione publica fidelibus in regione, provinciâ, civitate latitantibus injungitur ut ſe ſiſtant, aut prohibetur ne inde pedem moveant ſine ſpeciali licentiâ; an cogerentur è latebris ſuis prodire, aut omnem fugæ cogitationem deponere, ne ſcil. violent publicam autoritatem, aut eam contemnant, aut ei vim faciant? Quid ſi tyrannus ſpirans cædem omnium Chriſtianorum in ſuo territorio, eos armatâ manu inſequeretur; an fugientibus non liceret, valla, repagula, ſepta, aliaque impedimenta tollere, perrumpere, & viam ſibi aperire; inſuper pontes aut naves, quibus evaſiſſent, incendere aut confringere, ne inſequentes hoſtes per eadem ipſos aſſequi poſſent?

3. *Rat.* Quia Apoſtoli & ſancti alii, quorum exempla nobis commendantur, ab hujuſmodi conſiliis ſemper abſtinuerunt. *Reſp.* Non abſtinuerunt: ut patet ex exemplo Pauli. Quod æquivalet fugæ ex carcere; etiam per tectum pertuſum, per perfoſſum parietem. Tyrannus enim æque ſuâ

 auto-

autoritate intra civitatis clauſæ terminos fidelem quem ſive citatum, ſive petitum, concluſum ac retentum vult; ac intra muros carceris.

§. 5. *Quarta quæſtio* ad elucidationem principalis controverſiæ de confeſſione fidei ſupra à nobis propoſita erat.

An fideles poſſint perſecutionem & vexam tyrannorum redimere. Reſp. Tertullianus lib. de fugâ in perſecutione cap. 12. 13. 14. pro negante diſputat. ſed ex falsâ ſuâ typotheſi, de non fugiendo perſecutionem. *Quam*, inquit, *conſtat non eſſe fugiendam: proinde nec redimendam. Pretium intereſt; Cæterum ſicut fuga redemtio gratuita eſt, ita redemtio nummaria fuga eſt.* Cyprianus epiſtol. 52. coll. cum epiſt. 25. & 31 & lib. de lapſis illum redemtionis modum improbat, uſurpatum quibuſdam, qui non tantum præmio immunitatem ſacrificandi redimebant, ſed inſuper libellum judicibus offerendum, qui inter alia contineret hæc verba: *Chriſtianum me eſſe; ſacrificare mihi non licere, ad aram diaboli me venire non poſſe, dare me ob hoc præmium, ne quod non licet, faciam.* Et hi proximè accedentes ad libellaticos, non minus quam lapſi à communione tunc excludebantur. Sed hic caſus variat à ſimplici redemtione. Erat hic ad minimum ſpecies mali, & ſcandalum: quamvis mendax teſtimonium, de ſacrificatione offerentis à libello planè abſuiſſet. Nos hoc ſolummodo affirmamus; aliquo in caſu licitum eſſe ejuſmodo redemtionem, tum integris eccleſiis, tum privatis fidelibus, quin etiam miniſtris; ſi modo perſonis fidelium & hoſtium, temporibus & locis, conditionibus à perſecutore poſtulatis & ab offerente admiſſis conveniat. Apoſtolo Paulo redemtio illo in caſu non erat licita, quamvis haut difficulter haberi potuiſſet *Actor.* 24. *v.* 26. quia provocarat ad tribunal Cæſaris; ubi fidem profiteri, ſeque ab intentato crimine rebellionis & læſæ majeſtatis purgare debebat. Alias tamen non eſſe illicitum, inde probatur. 1. *Quia* vita & facultates pro fide impendenda ſunt; ſed non ſponte aut extra caſum neceſſitatis. Si ergo hoſtes tantum facultatibus aut parte earum fideles exſpoliare velint; non eſt neceſſe ut inſuper vitam adjiciant: ſicuti vice verſâ ſi quem vitâ tantum exuere velint, non teneretur inſuper facultates in præmium quaſi tyrannidis adjicere; ſed eas liberis, aut aliis hæredibus, aut ſi nulli ſint, eccleſiæ relinquere, Atqui hoc in caſu perſecutorem contentum eſſe noſti, parte facultatum tuarum: eam ergo ipſi concede, immo & offer; ne deteriora tibi eveniant. Ut enim bonum bono additum facit majus bonum, ſic malum malo detractum facit minus malum. 2. *Quia* libertas à captivitate & ſervitute externa redimi poteſt: Ergo & libertas exercitii & conſcientiæ in negotio religionis.

Sunt qui ex *Actor.* 17. *v.* 9. addunt exemplum Jaſonis & cæterorum, à qui-

quibus acceptâ ſatisfactione dimiſerunt Paulum. Sed hoc certò ex illo textu colligi nequit: quamvis *Petrus Alexandrinus ſerm. de pœnitentiâ cap. 12.* hunc textum ita interpretur: quem ſequitur *Baronius an.* 205. §. 17. coll. cum anno 205. §. 25. Potuit enim Jaſon cum cæteris cautionem dediſſe ſeu fidejuſſores, qui fidejuberent, eos fore fideles Cæſari & imperio Romano: quomodo Syrus & Arabs ἱκανὸν vertunt *fideiuſſores*; & ſic exponit *Cajetanus*. Aut potuerunt à Jaſone accepiſſe ἱκανὸν *ſatiſdationem*, id eſt fidejuſſionem, qua Jaſon ſeipſum ſponſorem dedit pro Paulo, vel ſiſtendi eum tribunali, vel pro illo ſatisfaciendi, ſi in aliquo deliquiſſet: quomodo ἱκανὸν exponit *Budæus*, & ex eo *Gagneius* & *Zanchez*. Potuit etiam Jaſon verbis ſatisfacere, hoc eſt, ſufficienter ſeu ſatis oſtendere Paulum non eſſe ſeditioſum, nec concitaſſe turbas, nec inducere novum regem terrenum: ita ut ἱκανὸν notet ſufficientem excuſationem & purgationem. Sic accipiunt *Lyranus*, *Carthuſianus*, *Lorinus*. Ex noſtris *Beza* in hanc ſententiam inclinare ſe *profitetur*, niſi obſtaret vox λαβόντες. Eſt ergo ſententia de licitâ redemtione media inter Gnoſticos, quorum improbam ſimulationem *Tertullianus in Scorpiaco* perſtringit; & inter Cathaphrygas, Marcionitas, Montaniſtas, ad quos declinaverat *Tertullianus* in lib. de fugâ. Notanda ſunt verba Petri Alexandrini, apud Baronium annô 305. §. 35. *Iis enim qui pecuniam dederunt, ut ab omni improbitatis moleſtiâ omni ex parte remoti eſſent, crimen intendi non poteſt. Damnum enim & jacturam pecuniarum ſuſtinuerunt, ne ipſi animæ detrimento afficerentur, vel ipſam etiam perderent: quod alii propter turpe lucrum non fecerunt*, &c.

Affinis eſt ſeu cohæret huic quæſtioni, *An incarceratus ob cauſam fidei* §.6. *pretio ſe redimere poſſit. Reſp.* Non eſſe hoc ſimpliciter & abſolutè illicitum, probatur: 1. *Quia* liceret exire, ſi redemtio tibi obtingeret interceſſione amicorum aut fautorum, impetrata; aut jure vindicata (qualis *Oliverii Bockii* profeſſoris Heidelbergenſis Antwerpiæ capti unà cum *Chriſtophoro Fabritio*; & *Petri Martyris* dimiſſio ex Angliâ); aut per retorſionem coacta, aut gratuitò oblata; 2. *Quia*, ex qualibet alia captivitate hoſtium, & ex manibus latronum licet vitam redimere; quidni ex captivitate hoſtium fidei?

Sed objiciat quis, ſi perſecutorem, aut ejus præfectum, vicarium, prætorem, aut qualemcumque miniſtrum corrumpis, videris inducere aliquem ad peccatum perfidiæ, avaritiæ, δωροφαγίας. *Reſp.* Quod ad ipſum tyrannum ſeu perſecutorem, penes quem eſt poteſtas dimittendi, quâcunque intentione & quo animo ille hoc agat, hoc totum eſt per accidens, reſpectu redemtionis & dimiſſionis, quæ per ſe bona eſt; quam ille gratis præſtare tenetur, & tu juſtè accipere potes. Quod ſi ille avaritiâ impul-

lus injuſtè nummos tibi extorquet, tu juſtè & innocenter damnum hoc pateris: haut aliter ac in caſu pyratæ aut latronis. Quod ad perſecutoris aut tyranni miniſtros, tu non es ipſis autor avaritiæ, & conſequenter perfidiæ ſeu infidelitatis in munere ipſis commiſſo; ſed uteris ipſorum peccato in bonum, abſque tuo peccato. Ita aliquo in caſu proditorum proditione quis juſtè utitur (de quâ alibi agendum ad 9. præc. & nonnulla de ea apud *Martyrem locor. claſ. 4. cap. 16.*) ut & juramento idololatræ, & aliis hominum peccatis: de quo antehac aliquid dictum eſt in 4. *part. ſel. diſp. tit. de Officiis caritatis erga proximum peccantem.* Hoc tamen hic cavendum, ne miniſtris tyranni aut perſecutoris uſum mendacii, aut cujuſcunque alterius peccati ab ipſo committendi ſuadeamus, aut directè ad illud inducamus. Tutiſſimum eſt, ſi ipſe verbis haut obſcurè indicet ſe venalem fore ſi emtorem inveniret. Factum *Criſtophori Fabritii* (de quo *Martyrologium Belgicum*, & peculiaris quidam commentarius hiſtoricus Gall. & Belg. de ipſius martyrio in 8.) qui relicto ſemel aperto carcere, fugam nullam molitus eſt, ex circumſtantiis examinatum ſatis defendi poteſt. Simile fere factum *Johannis Piſtorii ſacerdotis Woerdani & martyris*, refert *Gnapheus* in ejuſdem martyrio, edito à *Jac. Revio pag.* 8.

§. 7. *Controverſiâ principali* cum quæſtionibus eo pertinentibus, de confeſſione fidei abſolutâ, accedimus ad aliquot problemata.

I. *Probl. An confeſſio ſit actus fidei? Reſp.* Scholaſtici ad 22. *q.* 3. *artic.* 1. affirmant eſſe actum fidei exteriorem, idque hâc ratione, quia ordinatur ad finem fidei; eique ſubſervit, qui eſt adhærere Deo, tanquam primæ veritati. Sic jejunium ad abſtinentiam, confeſſio laudis ad latriam, confeſſio peccatorum ad pœnitentiam ordinatur, & ideo ſunt actus ſuę quique virtutis. Jam vero ille propriè eſt actus exterior alicujus virtutis, qui ſecundam ſuam ſpeciem fini illius virtutis ſubſervit. Porro diſtingunt in confeſſione duplicem rationem virtutis: *unam* veracitatis, quæ conſiſtit in eo, quod homo talem ſe profitetur exterius, qualis eſt interius: *alteram* fidei, quæ conſurgit ex objecto proprio, Deo ſcil. primâ veritate revelante, quatenus ſcil. confeſſio exterior in genere locutionis exterioris proponit τὸ credere in genere locutionis ſeu cogitationis interioris. Prior ratio virtutis eſt communis, ſicut animalitas in homine; poſterior vero eſt propria & ſpecifica.

II. *Probl. An ſit actus fidei elicitus an imperatus. Reſp.* Thomas quęſt. & artic. cit. ad 3. vult eſſe actum elicitum & proprium: quod hâc ratione defendunt recentiores ejus interpretes *Bannes*, *Valentia*, *Malderus*; quia virtus fidei actum confeſſionis regulat & dirigit, non mediante alio habitu; & ſic moraliter poſſe dici actum fidei proprium, quia habet laudem

dem ex objecto formali illius virtutis, & in illud tanquam in finem ordinatur. Et hoc ajunt ſufficere, quamvis phyſicè non eliciatur confeſſio ab habitu fidei, nec phyſicè ab eâdem & in eâdem potentiâ immediatè non ſit, in quâ ipſa virtus eſt. Sed videntur mihi diſtinctionem, & formalitates actus eliciti & actus imperati, confundere. Accuratius ergo diceretur opus fidei & effectus fidei, quam actus ejus formalis. Eo ſententiam Thomæ haut obſcurè deſerit *Malderus*, cum dicit poſſe dici actum fidei imperatum, ſi in fide conſideres affectum credendi, quippe imperatum ab af-
„ fectu, mediante aſſenſu interiori. Sin vero in fide conſideres ſolum aſſen-
„ ſum, in quo eſt ſubſtantia fidei, non eſſe confeſſionem fidei actum im-
„ peratum, quia ſola voluntas habet actus imperatos: ſed potius debere
„ dici actum à fidei virtute directum, tanquam ejus opus exterius: ſicut
„ demonſtratio geometrica verbis prolata eſt proprium opus ſcientiæ geo-
„ metricę, & exterior locutio eſt opus directum ab interiori mentis locutione.

III. *Probl. An Pontificii, Enthuſiaſtæ & Libertini ſpeciatim dicti Tremuli, ſint confeſſores ſtrictè dicti, ob conventuum & exercitiorum ſuæ religionis impedimenta, multas pecuniarias, aliaſque vexationes; quas temporibus Reginæ Elizabethæ & deinceps in Angliâ; aut jam inde ab anno* 1583. *& deinceps in Belgio perpeſſi ſunt. Reſp.* Quia turbationes & vexationes ipſis non ſupervenerunt, ob profeſſionem fidei Chriſtianæ. Neque enim abominanda miſſa, aliique cultus idololatrici & ſuperſtitioſi, aut phanatiſmi Enthuſiaſtarum, aut furores Tremulorum ſunt fides & religio Chriſtiana. Sicuti pœna non facit martyrem, ſed causâ: ſic moleſtia, vexatio, mulcta, quam quis ſubit, non facit confeſſorem, ſed cauſa. Quid ſi prohibeantur & impediantur exercitia religionis, ſeu ſacra Gentilium, e. gr. oblationes & mactationes filiorum in honorem Molochi, alteriuſve idoli, proſtitutiones virginum in honorem Veneris, ἀνυποφοριαι religioſæ, ſacrificia humana, invocationes Dæmonis ſeu Dei mali, & oblationes eidem factæ; feſta & pervigilia Cereris, Cybeles, Veneris, &c. aliaque abominanda religionum exercitia apud antiquos & hodiernos Gentiles uſitata (de antiquis *Seldenus in ſyntagm.* de *Diis Syris*, *Hoſpinianus de Feſtis* Gentilium, *Stuckius* de ſacrificiis; de hodiernis *Godefridus Carolinus* in *Hodierno Gentiliſmo in Aſiâ, Africâ, & Europâ*): an dicemus impeditos illos, eſſe *confeſſores*? Confer *cap.* proximè ſequentis §. 4. Et ſupra *part.* 1. *lib.* 4. *tract.* 1. *cap.* 4. uſque 9. ubi pleniſſimè oſtenſum eſt, impedire libertatem ſeu licentiam hæreticorum, idololatrarum, phanaticorum, cultorum diaboli, non eſſe coactionem conſcientiæ. Si quis noſſe cupiat autores de confeſſione, indico illi Baſilii ſermonem de confeſſione fidei: *Aretium part.* 3. *problematum tit.* de conſtantiâ in profeſſione Chriſti; & *part.* 1. *tit. de fugâ.* Calvinum contra Nico-

de-

demitas, ſupra cit. *Georgium Abotum in ſex prælect.* Teſtimonia plurima noſtrorum in Gallicum ſermonem tranſlata exhibet libellus Londini a. 1550. excuſus tit. *Le temporiſeur, par Eutichius Myonius.* Sunt autem *Oecolampadii, Melanthonis, Buceri, Martyris, Calvini, Sultzeri, Joh. à Laſco, Cohini, Bullingeri, Gualteri, Werdmulleri, Pellicani, Bibliandri, Cœlii Curionis, Vireti, Zwinglii, Myconii, Dilleri.* Non prætereundus eſt tract. peculiaris *Joh. Wigandi tit. De confeſſione* in doctrinâ divinâ & neceſſariis factis anno 1569. in 8. Ubi in contrariis confeſſionis enumerat ſequentia *lit. D.* 8.

„ *Excedere metas* Confeſſionis, ac plura movere, quam ad Confeſſionem „ veram pertineant. Malis accidentibus ſeriam & utilem Confeſſionem „ deformare, ut ſunt maledicentia, convicia, calumniæ.

„ *Hypocriſis*, quæ eſt tantum Simia quædam pietatis, ac tandem patefit „ cum hypocritæ confuſione & ignominia.

„ *Confeſſionem occultare, ſuſpendere, diſſimulare, donec nimirum turbida* „ *tempeſtas tranſeat.* Ejus generis homines merito Arundines, & ab ali„ quibus temporizantes nominantur. Involvere atque implicare confeſſio„ nem ſingulari aſtucia, ita ut neque confeſſio plana, neque aperta abne„ gatio emineat, idque eo fine, ut quomodocunque res cadat, aliquem ha„ beant receptum.

„ *Ea in quibus eo tempore ſtatus Confeſſionis conſiſtit, diſſimulanter prateri*„ *re,* vitandorum periculorum cauſa, ac in genere quædam proferre, non „ offendentia hoſtes veritatis, *ut tempore Interim*, de dogmatibus in genere „ quædam diſſerere, neglectis ipſis capitibus in controverſia hærentibus, „ vel omiſſa Antitheſi, hoc eſt, refutatione errorum Pontificiæ Eccleſiæ. Id „ verò rectè dicitur artificium, quo quis ſuper ſtantes ariſtas graditur. Item „ convenit cum eo, ubi quis falces poſtulabat, at illi negabant ſe habere „ ligones.

„ *Æmulari phraſes & locutiones adverſariorum, ſeu falſa Eccleſiæ perſe*„ *quentis*, ad declinandam crucem, idque cum ſcandalo puſillorum Chriſti, „ cum proſtitutione ſanæ doctrinæ, & hoſtium confirmatione & tripudio, „ *ut tempore Interim renaſcebatur hac forma loquendi*, à Luthero rejecta, „ & exploſa. Bona opera ſunt ad ſalutem neceſſaria, & aliæ nonnullæ.

„ *Manifeſtè falſa, impia,* contraria ſanæ doctrinæ, amore quodam præpo„ ſtero perſonarum, vel metu periculorum, commodè interpretari, quaſi „ ſacris literis ſint conſentanea, aut non valde ab eis abſona, ut Pontificii „ docent, Nos fide & operibus coram Deo juſtos eſſe. Id verò nonnulli „ concinna interpretatione, cum dictis ſcripturæ conciliare ſtudent, eaque „ in re ſeſe egregios præbent artifices. Nam ſingularis artis eſſe putatur, „ Mendacia cum veritate, Chriſtum cum Belial poſſe conciliare. Eadem

arte

Digitized by Google

„ arte quidam Lutheri ſententiam de Servo arbitrio, magna improbitate,
„ cum pelagianica Synergia concordare ſtudent, hoc eſt, lucem in tenebras,
„ ac tenebras in lucem convertere, quibus quidem ſive cocis ſive fuſoribus
„ religionis, Eſaias Propheta Væ imprecatur. *cap. 5.*

„ *Item. Vera & verbo Dei conſentanea*, ad falſæ ſententiæ confirmatio-
„ nem torquere; id quod hæreticis, & claudicantibus in religione, admo-
„ dum familiare eſt, ut Pelagianiſantes intepretantur Chriſti dictum: Sine
„ me nihil poteſtis facere, id eſt Chriſtus juvat, & aliquid tamen in rebus
„ ſpiritualibus, poteſt homo Naturalis cooperari.

„ Inconſtantia, levitas, mutabilitas. Bene incipere, male ſtare, peſſimè
„ deſinere. Sic ante publicatum Interim, in noſtris Eccleſiis ſonabant eæ
„ voces, Quò longius à Papa, eò melius. Ratio eſt, quia eſt Antichriſtus,
„ à Deo per vocem Lutheri, toti orbi oſtenſus. Jam igitur Angeli clama-
„ bant, Exite, Exite ab eo. *Apocal.* 18. Preclara vox Lutheri extat, Niſi to-
„ tis pectoribus Papam odio habeatis, ſalvi fieri nequaquam poteritis. At
„ *Interim* promulgato, rurſum contrariæ voces ædebantur, Quo propius
„ Papæ eò melius. Hinc mare illud multiplicium conciliationum inunda-
„ bat. Hic in canone emendando, ille in pontificalibus & Miſſalibus, A-
„ gendiſque corrigendis magnam ſumebat operam. Et hæc prodigioſa ſa-
„ pientia, Chriſtum cum Belial concordans, à filiis hujus ſæculi maximi fit,
„ & prædicatur ſummopere.

„ *Huc pertinent variæ & diverſiſſimæ explicationes articulorum doctrinæ*
„ *Chriſtianæ, variæ & diverſiſſimæ Confeſſiones & Declarationes*, ut ambigen-
„ dum ſit cuinam ſententiæ potiſſimum autor inſiſtat, id quod in Arii toties
„ immutatis Confeſſiunculis aut Cothurnis potius videtur.

„ *Item alia docere publicè*, alia ſentire privatim, & ſcriptitare occulte: quę
„ quidem vacillatio in Eccleſia Dei eò plus damni dat, quò excellentiores
„ illi habentur, qui talia factitant. *Unam enim, rectam, certam, planam ſen-*
„ *tentiam, decet omnes timentes Deum & amplecti & profiteri, ſive id publi-*
„ *cè, ſive privatim ſit faciendum.* Nam verbum Dei nequaquam eſt ita & non.

„ *Largiri multa volenter & ſua ſponte* adverſariis de religione, ſcilicet quò
„ ad verbum & cultum Dei. Sed rectè ille apud comicum inquit, De tuo
„ largitor puer. Religio autem non eſt hominum, ſed ipſius Dei, præſertim
„ verò, quæ ad fidei articulos pertinent.

„ *Frangi periculis, metu ſuppliciorum*, crudelitate, mora, confiteri verita-
„ tem uſque ad ignem, ut ille dicebat excluſivè: verum is contra audiat, ſe
„ venturum etiam ad cœlum uſque excluſive, non incluſive. Vel premiis ſe-
„ duci, ut *Nicolaus Cuſanus* pileo Cardinalitio retractus eſt, ne Antichriſtum
„ impugnaret acrius.

Ex

,, *Ex affectibus longius* provehi, quam metæ Confeſſionis admittunt.

,, *Ad authoritatem* vel potentiam aliquorum, vel in Confeſſione ſtare, vel
,, ab ea recedere.

,, Κακοζηλία, *in rebus ſingularibus*, & non expreſſe omnibus à Deo man-
,, datis.

,, *Antitheſin in docendo & confitendo, ſingulari calliditate diſſimulare*, ſicut
,, quidam dicebat, ſeſe Majorem, hoc eſt, generalia ponere, aliis verò Mino-
,, rem, hoc eſt applicationem ſe relinquere. Nam accuſatio & damnatio er-
,, rorum & factorum impiorum, ut neceſſaria pars doctrinę eſt, ita poten-
,, tum indignationem & perſecutiones omnium maximè irritat. Baptiſta, ſi
,, non in ſpecie taxaſſet inceſtum Herodis, & meretriculæ improbitatem,
,, diutius caput ſuum retinuiſſet. Toleraret ipſe Papa, procul dubio, ſi Ro-
,, mæ de invocatione ſimplicem & generalem ſententiam explicares, modo
,, reprehenſionem invocationis mortuorum, prorſus ſicco, quod ajunt, pede
,, tranſilires. At ſi hoc vivum attingere velles, ignis te ex propinquò cor-
,, repturus eſſet. Sed non tantum *Pontifex* ille Romanus ejuſmodi *Genera-*
,, *liſtas*, uti vulgò nominantur, exoptaret, verùm tales jam mores paſſim in
,, cœtu Eccleſiæ Dei invaleſcunt, ut magno ſtudio ejuſmodi animarum cu-
,, ratores paſſim quærantur & extollantur, qui non videant præſentia præ-
,, ſentium peccata, & dicant placentia, ut in Propheta narratur.

,, *Alligare locis & temporibus* Confeſſiones, cum jactura veritatis.

CAP. III.

De perſecutione & perſecutoribus.

HActenus de confeſſione in genere: ſequitur confeſſio ſpecialis, quæ *martyrium* dicitur. Ad cujus explicationem antequam accedimus, præmittemus nonnulla de perſecutione, & perſecutoribus.

§. 1. *Perſecutio*, deſcribi poteſt, quod ſit afflictio ſeu *vexatio externa & directa fidelium ſive collectim ſive diſtributim, propter cauſam Dei*; hoc eſt *fidei veritatem* & *pietatis praxin ab hoſtibus illata*. Hanc deſcriptionem ſic reſolvimus.

1. Definitum eſt *perſecutio*, quæ in Scripturâ διωγμὸς διὰ τὸν λόγον *Matth.* 13. *v.* 21. Et reſpectu patientis πάθημα 2 *Timoth.* 3. *v.* 11. θλίψις *Rom.* 5. *v.* 3. 2 *Theßal.* 1. *v.* 4. κάκωσις *Actor.* 7. *v.* 34. Conjugata ſunt reſpectu agentis, διώκτης 1. *Timoth.* 1. *v.* 13. διώκειν, διώκων *Matth.* 5. *v.* 44. κακοῦν *Actor.* 7. *v.* 19. & 12. *v.* 1. reſpectu patientis, θλιβόμενος, & κακουχούμενος *Hebr.* 11. *v.* 37. & 13. *v.* 3. δεδιωγμένος *Matth.* 5. *v.* 10. metaphoricé πρόβατα σφαγῆς. *Rom.* 8. *v.* 36.

II. Di-

Digitized by Google

II. *Dicitur afflictio*, ſeu *vexatio externa* : ut ab omni afflictione internâ tentationum, & ſpiritualium deſertionum diſtinguatur: de quibus alibi agitur, in *Exercitiis pietatis*.

Species ſive partes ſeu modi iſtarum vexationum ſunt varii : eique vel ſingulorum, vel communitatum. *Illi* ſunt in corpore *occiſio* (quæ coincidit cum martyrio) adhæc *tormenta*, *ſtigmatizatio*, *mutilatio*, *plaga & verbera*. In bonis fortunæ, eſt *vaſtatio*, *exſpoliatio*, ſeu *deprædatio*, *confiſcatio*, *mulctatio*. In honore & famâ, eſt *diffamatio*, *calumnia*, *contumelia* (*unde Paulus* 1 Timoth. 1. v. 13. ſe dicit ὑβριϛὴν) : huc refer repulſionem & excluſionem ab omni dignitate & à muneribus publicis; imprimis publicam geſtationem veſtis dictæ Inquiſitoribus Hiſpanicis, *Santbenito*, & viles ac ſerviles operas, ad quas ab iiſdem damnantur ; denique honorificæ ſepulturæ negationem, cadaverum effoſſionem, eorundem juxta cum facinoroſis proſtitutionem, memoriæ publicam à morte damnationem. *In libertate*, eſt exilium, deportatio, damnatio ad perpetuum carcerem, damnatio ad metalla, damnatio ad catabulum h. e. ſtabulum jumentorum publico uſui adſcriptorum, de quo *Baronius ann.* 209. §. 3. *In pudicitiâ* honeſtarum virginum & matronarum ad lupanaria damnationem, & ad lenones miſſionem. *Iſti ſunt* templorum incendia, librorum ſacrorum combuſtiones, conventuum ſacrorum, & ſcholarum prohibitiones, ſacrorum & conventuum turbationes.

III. Dicitur afflictio directa & poſitiva, ut diſtinguatur ab indirectâ ſeu interpretativâ perſecutione eorum, qui eccleſiam non liberant à perſecutione, aut eam non avertunt, aut prȩveniunt, cum debent & poſſunt: aut qui imprudentiâ ſuâ, aut zelo importuno, aut ex contentione & pravâ æmulatione occaſionem præbent perſecutioni. Prioris exemplum habes in Audâ Epiſcopo Perſico, qui Pyreum demolitus erat, apud *Socratem lib. 7. cap. 20. Theodoret. lib. 5. cap. 38. Nicephor. lib. 14. cap. 19. 20. 21.* Poſterioris exemplum extat *Philipp. 1. v.* 16. Directa etiam & externa dicitur, ut diſtinguatur à duplici analogicâ ſeu metaphoricâ perſecutione: quarum *una* eſt eorum, qui tepore ſuo, & negligentiâ in precibus, in zelo fidei, & ſtudio pietatis Deo occaſionem præbent immittendi perſecutionem: *Jeſa. 64. v. 7. Altera* eſt eorum, qui religionem profeſſi, vita & moribus ſe oſtendunt hypocritas, Deum factis abnegant. Vide *2 Timoth. 3. v. 5. Tit. 1. v.* 16. exempla habes in Caino, Iſmaele, Eſau, Herode. De quibus ſcitum illud Auguſtini in Pſalm 30 (nobis 31.) *Illi maximè perſequuntur Eccleſiam, qui Chriſtiani nolunt bene vivere. Per hos enim opprobrium habet eccleſia; & ab his inimicitiam ſuſtinet, quando corripiuntur, quando male vivere non permittuntur, quando cum eis vel verbo agitur, ipſi mala*

in ſuis cordibus meditantur, & *erumpendi occaſionem requirunt.* Sic tandem ex analogicis ſeu metaphoricis, fiunt directi & propriè dicti perſecutores, ſicuti ex avaro, qui ſubtilis & analogicus idololatra (*Epheſ.* 5. *Coloſſ.* 3.) fit craſſus & propriè dictus idololatra, cum ſtudio opum fidem abnegat & ad idololatras tranſit.

IV. *Dicitur* eſſe fidelium vel ſigillatim quorumvis, vel collectim Eccleſiæ: ut diſtinguatur à legitima coercitione apoſtatarum, hæreticorum, fanaticorum & hominum impiorum, qui religionis & pietatis prætextu nefaria docent, profitentur, agunt. De qua coercitione alibi actum eſt, in 3 *part. ſelect. diſpp. tit. de hæreſi*, & *in* 1. *part. politicæ eccleſ. lib.* 4. *tract.* 1.

V. *Dicitur* perſecutio inferri propter cauſam Dei: hoc eſt, phraſi ſcripturæ διὰ τὸν λόγον, *Matth.* 13. propter juſtitiam, *Matth.* 5. *v.* 10. διὰ propter nomen Chriſti, *Matth.* 10. *v.* 22. & 29. 9. Eſt autem illa cauſa vel aperta, vel ſubdolè προφάσει aliqua tecta, quales προφάσεις plerumque ſunt & finguntur rebellio, factio, ſeditio, perturbata pax publica, contemptus publicæ poteſtatis, crimen læſæ majeſtatis. Utraque cauſa eſt vel totius fidei & pietatis Chriſtianæ: vel partis alicujus, quę ſcil. principaliter petitur, ſive puritatis fidei, ſive ſtudii pietatis & integræ conſcientiæ. *Illa* perſecutio infertur ab infidelibus, *iſta* à dictis Chriſtianis, ſive apertis hęreticis e. gr. Arianis, aut Pontificiis, ſive doctrinæ quidem ſanis uti præ ſe ferunt, ſed quod ad bonam conſcientiam & pietatem hypocritis, ſive craſſis, ſive ſubtilibus, hoc eſt, morphoticis ac formaliſtis, 2 *Timoth.* 3. *v.* 7. Sic Eudoxia imperatrix perſecuta fuit Chryſoſtomum, ſic hodie non deſunt fratres, ſive carnales, ſive falſi, qui verè fideles & pios ubique perſequuntur, quocumque modo, & quoſque poſſunt; ſi non factis violentis (quod aliquo rerum ſtatu non licet) ſaltem mendacibus ſuſurris, iniquis conviriis, crudelibus calumniis, impuris ſatyris, libellis famoſis: juxta Pſal. 12. v. 3. 4. 5. & 140. v. 5. Cauſa non procul quærenda, quia *opera ejus* (Caini ſcil.) *erant mala: fratris verò ipſius erant juſta.* 1 Johan. 3. v. 12.

VI. *Dicitur.* perſecutio inferri ab hoſtibus. Intelliguntur hoſtes Eccleſiæ, qui ſunt duplices, vel aperti oſores nominis Chriſtiani, quales Athei, Gentiles, Judæi, Muhammediſtę: vel ſub nomine Chriſtiano latitantes, partim doctrina heterodoxi, partim moribus prophani, partim hypocritæ, partim tepidi, partim carnales, huic aut illi pravæ cupiditati tanquam glebæ affixi, utpote avaritiæ, ſuperbiæ, gulæ, luxuriæ, obtrectationi, &c.

§. 2. Sequitur perſecutionem 1. *per ſe* & ratione intentionis, malitię, & conatus hoſtium, Deo ſanctè permittente, fidelium, & eccleſiæ terror, pertur-

urbatio, concuſſio, aliquando, etiam diſſipatio vel πρόσκαιρος, vel perpetua & totalis, hoc eſt, excidium. Subinde etiam lapſus quorundam iorum & verè fidelium, qui tamen ex illo lapſu per omnipotentem Dei gratiam eriguntur, & fortiores evadunt. II. *Per accidens*, reſpectu ordinationis divinæ, quæ ex tenebris educit lucem, eccleſię illius particularis epurgatio à multis hypocritis & mundi ſectatoribus: atque unà à zizaniis & paleis ἀπλημμάτων in doctrinâ, &c. diſciplinâ, juxta illud *Pſalm.* 119. v. 67. 71. Et illud ſervatoris *Johan.* 15. *v.* 2. Hinc vulgatum: *eccleſia crucis, eccleſia lucis.* Hic enim verè palęſtra, & exercitamenta fidei, ſpei, &c. Dicimus hoc conſequi, ſi Deus velit eccleſiam illam manere, aut ex diſparſione poſtliminio ſive iſtic loci ſive alibi recolligi. Si ſecus, pii qui iſtic ſecundum hominem exteriorem, & externam formam eccleſiaſticam vincuntur, glorioſè tamen vincunt: quippe qui aut aliò terrarum, quo Deus vocat, non ſine auctario benedictionis ſpiritualis, nonnunquam etiam temporalis, aut in cœleſtem patriam triumphali martyrio coronati transferuntur. Vide *Rom.* 5. *v.* 3. 4. 5. coll. cum *Rom.* 8. *v.* 35. 36. 37. III. Sequitur etiam aliarum eccleſiarum per hanc perſecutionem admonitio, ut peccata e medio ſui maturè tollat *Jer.* 7. *v.* 3. 22. armet ſe contra diem malum jam minantem aut imminentem, & comparatione factâ inter præſentem pacem ſuam & afflictionem ſororis aut ſororum, dignas Deo gratias & ore & opere reddat. IV. Denique ſequitur perſecutorum pœna, & infelix exitus: Quamvis enim terribilia Dei judicia omnes & ſingulos perſecutores ſtatim poſt perſecutionem, aut etiam in hâc vitâ non opprimant: ut plurimum tamen evenit illis, quod Ægyptiis, Amalekitis, Aſſyriis & Babyloniis, &c. populum Dei affligentibus, juxta illud *Jeſa.* 10. *v.* 12. & 33. *v.* 1 *Luc.* 18. *v.* 7. Confer oneroſas illas prophetias apud *Jeſaiam cap.* 13. - 28. Et exempla Sodomitarum, Pharaonis, Regulorum Cananæorum in libris Joſuæ & Judicum, Amakleitarum, Sanheribi, Edomitarum, Herodis & Judæorum hoſtium Chriſti & Eccleſiæ, Imperatorum Romanorum, &c. Vide exempla & ſpecula tragica judiciorum Dei in collectaneis, quæ indicamus in *part.* 4. *ſelect. diſpp. tit. de Judiciis Dei.* Plurima etiam ſuppeditabunt tractatus peculiares de perſecutionibus, qualis *Bullingeri*, quem in Latinum tranſtulit *Simlerus*, in Gallicum *Joh. Baptiſta Mullerus:* nec non hiſtoriæ perſecutionum, qualis Victoris Uticenſis de perſecutione Vandalicâ; *Joh. Foxi* commentarius rerum in orbe geſtarum, ubi de perſecutionibus: Waldenſium perſecutiones exhibet hiſtoria *Joh Pauli Perrini*: Bohemicas tract. peculiaris anonymi, & hiſtoria eccleſiarum Slavonicarum. His junge collectanea judiciorum Dei, quæ *Lonicerus* Latinè, *Joh. Chaſſanion* Gallicè edidit. Hiſtorias eccleſiaſticas antehac in noſtrâ bibliotheca, & hiſtorias martyrum in-

ſra indicamus. Multa etiam huc facientia occurrunt in octo libris Thomæ Boſii *de ruinis gentium & regnorum contra impios politicos*; ubi tamen nimis quam multa ad Papas & Papatum trahit, ruinam illius adverſariis, omnimodam felicitatem ejuſdem defenſoribus appropriando. *Hieronymus in catalogo ſcriptorum eccleſiaſticorum* refert à Tertulliano & Lactantio libros de perſecutione ſcriptos, & ab Athanaſio alios de perſecutionibus Arrianorum, & à Dionyſio Alexandrino de perſecutione Decii, & Bardeſanem multa de perſecutione ſcripſiſſe. Sed hi libri interciderunt. *Joh. Randal* Anglus vernaculo ſermone aliqua inſerit *lectionibus de eccleſia lect.* 21. 22. *Lenſeus theologus Lovanienſis* an. 1578. varia perſecutionem genera, cauſas, exitus, ſingulari libro deſcripſit: ubi incipiendo à Judaicis antiquis & recentioribus, transit ad Gentiles per Imperium Romanum & Barbaticas irruptiones; Inde ad hæreticas Arrianorum, Monothelitarum, Eutychianorum, Donatiſtarum, Acephalorum, Mahumetiſtarum. Quæ attexit de Iconoclaſtis Petrobruſianis, Huſſiticis, Anglicis, Gallicis, Belgicis, limam criticam requirunt.

§. 3. *Perſecutio* variè dividi poteſt.

I. In univerſalem, & in particularem. *Iſta* eſt vel ſingularis alicujus ſive fidelis ſive paſtoris inter & ſupra alios, e. gr. Chryſoſtomi, Athanaſii; vel eccleſiæ aut eccleſiarum in unâ aliquâ provinciâ, aut gente, aut regno. *Illa* propriè accepta ſub N. T. fortè nulla fuit: ſaltem hactenus oſtenſum non eſt talem fuiſſe. Alterutrum enim præſupponendum eſſet, aut unum fuiſſe monarcham totius orbis; aut omnes monarchas conſpiraſſe in ſocietatem externæ perſecutionis & belli contra fideles & eccleſias Chriſtianas. Sed neutrum verè dici poteſt. Reſtat ergo τὸ univerſale, quod in antiquâ hiſtoriâ eccleſiaſticâ occurrit, accipiamus de univerſitate Imperii Romani, quando ſcil. edictis Imperatoris & Imperii omnes Chriſtiani ſub illo Imperio periculis perſecutionum exponebantur: quamvis executio ubique pari paſſu non iret. Tales autem perſecutiones ab *Auguſt. lib.* 19. *de Civit. c.* 26. numerantur, Neronis, Domitiani, Trajani, Antonini 2. Severi, Maximini, Decii, Valeriani, Aureliani, Diocletiani & Maximiani. Aliter ab aliis numerantur: ut à *Sulpitio Severo lib.* 2. Leone ſerm. 2. *de Pentecoſte.* Dum in Imperio Romano hæ perſecutiones ſævirent, poterant eccleſiæ extra Imperium frui pace, e. gr. in Æthiopiâ, Perſiâ, magnâ parte Britanniæ, atque alibi quo Romana dominatio non penetraverat. Sub Imperatoribus Chriſtianis univerſalem quam in Imperio fuiſſe vix dici poteſt, niſi forte per Arrianos: ſed per eam ſupplicia capitalia orthodoxis non irrogata; ſed templa erepta, epiſcopi fugati, exulare juſſi, incarcerati; fideles crudeliter vexati. De Arrianorum aliorumque antiquorum hæreticorum perſecutionibus *Lenſeus lib. cit. cap.* 29. 31.

.& ſeqq. *Joh. Fileſacus in commentar. ad Lyrinenſem pag.97.99.* Et paſſim *ronius.* Sub ἀκμῇ Papatus non poteſt ſtatui perſecutio univerſalis; quia annis ejus tantum graſſata fuit in occidentalibus Imperii partibus. Tempore V.T. aliquâ ratione poteſt dici univerſalis, quatenus vera eccleſia externa & publica quaſi univerſalis erat Iſraelitica. De hâc perſecutione legenda hiſtoria ſacra, cum *Pſal.* 129. & 78. & 105. & 106. *Hebr.* 11. *Daniel*. Legi etiam poſſunt libri Machabeorum, & hiſtoriæ *Flavii Joſephi*.

I. *Ex efficientibus* dividuntur in Judaicas, Gentiles, Muhammedicas, reticas. De primis Judaicis legenda acta Apoſtolica. De antiquis Gentibus, hiſtoriæ eccleſiaſticæ, & apologiæ Juſtini, Athenagoræ, Tertulliani. Muhammedicis, hiſtoricæ Saracenicę & Turcicæ alibi indicatæ. De Arianis, hiſtoriæ eccleſiaſticæ *Theodoreti*, *Socratis*, &c. *Sulpitii Severi*, & *Vi- de perſecutione Vandalicâ*. De Papalibus *Myſterium iniquit. Pleſſei*, *toria Waldenſium*, Martyrologia, & hiſtorię ſpeciales eccleſiarum cujuſgentis. De Papalibus jam inde ab anno 1517. uſque in hunc diem, hiſtoriæ *Sleidani*, & *Thuani*, hiſtoriæ Gallicæ de geſtis ſub Henrico 2. Francisco 2. Carolo 9. Martyrologium gallicum, *Foxi martyrologium Anglicum*, orię Belgicæ *Meterani & Petri Bor*, *Martyrologium Belgicum*, *Sprecheri ria* de geſtis in valle Telina a. 1620. Hiſtoria perſecutionis Bohemicæ, atio perſecutionis Hybernicæ 1643. Pedemontanæ a. 1655. & alterius, is annis poſt ſecutæ.

II. *Ex tempore*, ex loco, ex adjunctis & conſequentibus, nullo negodividi poſſunt à quolibet: ut non ſit operæ pretium operâ noſtrâ jubus hic præire.

V. *Ex causâ* ſpeciali & principali dividitur, in perſecutionem fidei & tis. *Illa* concitatur ob veritatem fidei; ſive totalem, ſive partialem, fidelibus aut hęreticis, extra eccleſiam conſtitutis, quæ ſatis aperta *ſta*, quæ erga verè pios propter pietatem exercetur à domeſticis ſub dem fidei velamine, intra ſepta ejuſdem eccleſiæ & profeſſionis.

erſecutores ſunt quatuor generum. 1. *Fideles*, *ſive carnales*, *rudes*, *in-*; quales multi ex Corinthiis, 1 *Cor.* 3. *v.* 1. 2.: *aut* tepidi, quales licei, *Apocal.* 3. Hi incipientes in praxi & curſu pietatis, ſtadium purum nondum egrediuntur: aut opera eorum hærent imperfecta, ſi em viam perfectivam ingreſſi ſint; ut Sardicenſium, *Apocal.* 3. Adeoſtimulis philautiæ, ſuperbię, pravæ æmulationis agitati, accedente & rum fratrum hypocritarum, virorum de hoc mundo incitatione, & em ſub ſpecie laudis atque amicitiæ, Smyrnam, & Philadelphiam, imec Epheſum (cujus opera poſteriora prioribus preſtantiora) juxta ſe animo vix ferunt: ne aut luminibus ipſorum obſtruatur; aut volen-

tes nolentes tandem compellantur ad eoſdem aut ſimiles caritatis & zeli labores, à quibus mollities, aut ignavia, aut ἀνθρωπαρέσκεια, aut ὑστέρημα aliquod donorum (per quod cum aliis paria facere nequeunt) eos retrahit: Nolunt ſcil. diſcere quod antea non didicerunt, nec facere quod non fecerunt; ne aliis aliquâ in parte ſapientiæ aut pietatis unquam inferiores fuiſſe, aut ſeipſis aliquando ſuperiores evaſiſſe videantur. Et tales perſecutores *partim* ſuſurris, & occultis detractionibus, conſiliis, machinationibus, diviſionibus, impedimentis: *partim* apertis diſſenſionibus, contentionibus, diſceptationibus, editis ſcriptis pietatis ſtudium, ſive prudentes, ſive imprudentes, deprimere, moderari, ſufflaminare conantur. Analyſis hujus tam noxiæ & perniculoſę deceptionis ac πραγματείας eſt in illud axioma Epheſiorum, Hermodorum ex urbe ejicientium: *Nemo noſtrum melior ſit*, &c.

2. *Ad ſecundum* genus refero *ſubtiles hypocritas*, ſeu formaliſtas, qui non tantum bene & compoſitè quod ad converſationem externam ſe gerere videntur, ſed inſuper ſtudium ac zelum fidei & pietatis præ ſe ferre: quorum deſcriptionem vide in 2.*part.ſel. diſp. tit.* de ſimplicitate & hypocriſi, & autoribus ibi cit. imprimis *Perkinſo* & *Boltono*. Et hoc genus pietati ac piis quàm maximè noxium atque infeſtum; præſertim ſi donis eruditionis, eloquentiæ & χάριτι civilis converſationis, aut etiam gradu, poteſtate, autoritate in Eccleſiis & Scholis inſtructi ſint.

3. *Tertii generis* ſunt *craſſi hypocritæ*, qui externâ fidei & religionis larvâ hominibus illudunt, & abſque ullâ proprii cordis deceptione, liquido norunt, ſe homines ludere, nec quidquam iſtorum ex animi ſententiâ facere.

4. *Quarti* generis ſunt *laxi*, *diſſoluti*, *carnales*, *mundani*, *dicti Chriſtiani & reformati*, reformationem doctrinæ probantes, non tamen vitæ, ſaltem eam minimè in ſe admittentes, aut promoventes; quippe gulæ, aut avaritiæ, aut ſuperbię, &c. mancipia. Hi ſunt, qui alios nomine & re, fide & opere, genuinos Chriſtianos ac reformatos averſantur, inſectantur, infamant, removent, promotionem eorum impediunt. Quę enim convenienta tenebris cum luce? Quibus analogicè aptari poſſet illud Bernardi in Cantica ſerm. 33. *Serpit hodie putida tabes per omne corpus eccleſiæ: & quo latius eo deſperatius, eoque periculoſius, quo interius. Nam ſi inſurgeret apertus inimicus hæreticus; mitteretur foras & areſceret: ſi violentus inimicus, abſconderet ſe forſitan ab eo. Nunc vero quem ejiciet: aut à quo abſcondet ſe? Omnes amici & omnes inimici: omnes neceſſarii & omnes adverſarii: omnes domeſtici: & nulli pacifici: omnes proximi: & omnes quæ ſua ſunt quærunt. Miniſtri Chriſti ſunt, & ſerviunt antichriſto. Honorati incedunt de*

bonis

us domini ; qui Domino honorem non referunt. Et Paulò pòſt : *Olim præ-*
ſum eſt, & nunc tempus impletionis advenit. Ecce in pace amaritudo mea
ariſſima. Amara prius in nece martyrum : amarior poſt in conflictu hæreti-
rum : amariſſima nunc in moribus domeſticorum. Non fugare non fugere
poteſt ; ita invaluerunt : & multiplicati ſunt ſuper numerum. Inteſtina
inſanabilis eſt plaga eccleſiæ, & ideo in pace amaritudo ejus amariſſima.
in qua pace? Et pax eſt & non eſt pax. Pax à pugnis : & pax ab hæreticis :
non profectò à filiis. Quæ querela omnibus modo indicatis domeſticis per-
utoribus plus minuſve aptari poſſet.

Perſecutionis modus peculiaris eſt, quod 1. plus verbis & ſcriptis, quam
lis violentis pietatem & pios deprimant. 2. Non tam poſitivè affligen-
, quam ſubtrahendo, ſeu non exhibendo favorem, benevolentiam,
icitiam ; nec promovendo ad emolumenta, honores, munera politica,
eccleſiaſtica ; quamvis æque digni aut digniores ſint, nec commendan-
piorum labores, nec applaudendo, ſi ab aliis commendentur. 3. Non
rtè & directè pietatem aut pios improbando : ſed tectè & ſubdolè
...ν, id eſt, prætextu ꝫ *nimii*, aut *imprudentiæ*, aut *zeli*, non ſecun-
n ſcientiam ſeu *indiſcreti*, aut *contentionis fervoris nimii* ; ſi optimis
tribus tale quid adhæreſcat, aut ipſi liberaliter pro intentâ & extenſâ ca-
te ſcil. tale quid de iis ſuſpicati ſint, aut finxerint. 4. Non candidè
ta eorum referendo : ſed plane facta nunquam facta, dicta nunquam
a fingendo, aut ab aliis ficta nimis credulè atque avidè ſuſcepta effuti-
o, & baſi illi chimericæ quorumvis dicteriorum, ſarcaſmorum, ob-
tationum coloſſos ſuperſtruendo. 5. Non in benigniorem partem, cum
unt, verba aut facta aliorum interpretando, & excuſando, aut ſaltem
nedio relinquendo ; ſed ſycophanticè & calumnioſè unum atque alte-
ſive dictum ſive factum detorquendo in pejus, & à particulari ſeu ſin-
i ad univerſale, ab uno ſphalmate aut defectu, totale in doctrinâ, aut
, aut utrâque ἁπλῶς concludendo.

De perſecutione jam ſatis ſuperque deſcriptâ quæſtiones ſunt. § 4.

Quæſt. An omnis hominum coercitio aut afflictio occaſione religionis &
eptorum primæ tabulæ, ſit perſecutio eccleſiæ ; ſeu an omnis afflictio ſit ſig-
bonæ cauſæ, aut nota veræ eccleſiæ? Reſp. Neg. Scriptura enim exſertè
nguit inter paſſionem & paſſionem 1 Pet. 4. v. 15. *Non enim quiſpiam ve-*
patiatur, &c. Et perſecutionis fidelium ſeu eccleſiæ Chriſti formale
ituit in eo quod ſit διὰ τὸν λόγον Math. 13. 21. & ἕνεκα δικαιοσύνης & ἕνεκεν
Math. 5. v. 10. 11. Hinc pervulgatum illud : *pœna non facit martyrem ſed*
Niſi ergo Antitrinitarii cum Remonſtrantibus probaverint cauſam
 eſſe cauſam Chriſti, fruſta reformatis Magiſtratibus & per latus eo-
rum

rum religioni & eccleſiæ reformatæ exprobrant perſecutionem eccleſiæ; propter ſupplicium unius atque alterius blaſphemi; Serveti, ſcil. Valentini Gentilis, &c. aut propter decretum celſiſſ. & præpot. DD. Ordinum Generalium anno 1619. contra Remonſtranticæ factionis molimina editum. Idem reſpondendum Anabaptiſtis & Enthuſiaſtis, quorum furores olim in Thuringiâ, in ditione Monaſterienſi, in Hollandiâ Amſtelodami coerciti, quorumque coryphæi ac turbones aliquot ſupplicio ibidem affecti.

II. *Quæſt. An perſecutio activa aut ejus tolerantia, aut etiam συνδίωξιν ſit nota eccleſiæ malignantium, ſeu eccleſia diaboli in cujus communione nemo permanere poſſit, nec ſit ulla ſalus. Reſp.* Tale quod ineptire viſi ſunt antehac Remonſtrantes in quiſquiliis quibuſdam libellorum. Sed *primò* ipſis probandum, illam coërcitionem conventiculorum, quam juxta decretum Ordd. General. 1619. adhibebant alicubi Magiſtratus aliqui in Hollandiâ, fuiſſe tyrannidem conſcientiarum & perſecutionem eccleſiæ Chriſti propter cauſam Chriſti. *Secundo*, ipſis probandum hanc perſecutionem fuiſſe ab Eccleſiâ Belgicâ aut formaliter exercitam, aut de conſilio & ad poſtulatum ejus decretum illud tunc conditum. *Tertio*, probandum, hanc negligentiam, aut tolerantiam, aut ignorantiam, aut judicium approbans eccleſiæ reformatæ, circa hoc decretum aut circa talem executionem, eſſe fundamentalem errorem, quo poſito tollatur omnis ratio & ſpes æternę ſalutis. Vide & confer 1. *part. ſel. diſp. tit. de Trinitate, & 3. part. tit.* de Errore & Hæreſi.

III. *Quæſt. An perſecutio poſſit ſtatui veræ eccleſiæ nota ſeu τεκμήριον? Reſp.* Neg. Quia eſt πάθος, non eſſentiale internum & perpetuum, quo poſito res ponitur, & ablato aufertur; ſed extrinſecum, quale eſt eclipſis lunę. Poteſt enim eccleſia aliqua aliquando eſſe ſine actuali perſecutione, ſaltem externâ, directâ, & violentâ.

IV. *Quæſt. An ſtatui eccleſiæ univerſalis militantis conveniat, ut ſit ſine externâ hoſtium oppugnatione & perſecutione? Reſp* Neg. contra placitum quorundam Chiliaſtarum: quod in 2. *part. ſelect. diſpp. tit. de regno Millenario*, ex profeſſo refutamus. Praxin conſolationis contra perſecutiones, & confirmationem contra ſcandala alibi delineamus. Confer infra; ubi notamus rationes ad martyrium inducentes.

CAP.

CAP. IV.

De Martyrio & Martyribus in genere.

MArtyris & Martyrii, hoc eſt, *teſtimonii* vocabulum uſu eccleſiaſtico §. 1.
appropiate notat teſtimonium fidei morte obſignatum. Græca vox eſt *μάρτυς Apocal. 2. v. 13.* quem Syrus ibi transfert סהדא *Sohedo*. Arabes martyrem vocant שהיד *Siahid.*

Deſcribi poteſt martyrium, quod ſit *voluntaria mortis perpeſſio, propter teſtimonium fidei.* Hæc deſcriptio continetur, *Apoc. 6. v. 9.* & *20. v. 4.*

Requiruntur ergo ad martyrium 1. cauſa Dei, hoc eſt, veræ fidei ac pietatis. 2. confeſſio ejus conſtans. 3. irrogatio, acceptatio, & perpeſſio mortis, propter illam cauſam, ejuſque conſtantem confeſſionem.

I. Ob defectum primę conditionis non dicuntur martyres, qui propter quasvis injuſtas cauſas ſive ad negotium fidei, ſive ad quodcunque ſęculare publicum aut privatum, ſpectantes mortem ſubeunt. Nec etiam illi, qui ob juſtas aut dubias cauſas injuſtè occiduntur; ſed directè non ſpectantes fidei veritatem, ejuſque conſtantem confeſſionem.

II. Ob defectum ſecundæ conditionis, honore martyrii carent, qui propter ſuſceptam profeſſionem veræ fidei ſupplicio mortis afficiuntur: non tamen uſque ad mortem in eâ conſtanter perſeverant, ſed aut ſeductionis machinis fracti, aut vanâ ſpe evaſionis, ſaltem mitigationis ſupplicii proprium cor decipientes, aut in illo neceſſitatis articulo ſimulationem induentes, abnegant.

III. Ob defectum tertiæ conditionis titulo martyrum carent Circumcelliones, & ſimiles fanatici, qui ſeipſos morte mulctabant. Etiam illi, qui ſine neceſſitate intempeſtivâ confeſſione mortem ſibi acccerſebant; nec exſpectabant, donec à domino ad martyrium vocarentur. Huc referri debent omnes qui prætextu pietatis mortem ſibi inferunt, aut plagis ac vulneribus propriam carnem excarnificant. De quibus in 4. *part. ſel. diſpp. tit. de homicidio ſui ipſius & flagellatione ſpontaneâ*, & 3. *part. ſel. diſpp. tit. de pſeudo-mortificationibus Papatus.* Hæc enim omnia non irrogantur aut inferuntur patienti ab aliis, odio fidei aut virtutis. Atqui in martyrio illa tria conſideranda, non malè obſervat *Baſſeus* in voce *martyrium*, irrogationem mortis, acceptationem, perpeſſionem, quorum primum ait opus eſſe impietatis & injuſtitiæ, non virtutis.

IV. Ob defectum acceptionis, non ſunt martyres, qui mortem intentatam quam evitare poſſent, ſi quidem abnegarent, voluntarie non acceptant.

V. Ob defectum perpeſſionis, non ſunt ſtrictè dicti martyres, qui morti deſtinati, & ad eam parati, eidem tamen ſubducuntur: aut quia in carcere moriuntur, aut quia ab aliis inde liberantur, aut quia ab ipſis perſecutoribus dimittuntur, aut quia miraculosè ad ipſum ſupplicium mors non ſequitur: uti refertur de B. Johanne Apoſtolo in dolium ferventis olei immiſſo, apud *Tertullianum de præſcript. cap.* 36. *Euſebium lib.* 3. *demonſtr. Euang. c.* 7. *Hieronymum in Matth.* 20. & *in Jovinianum lib.* 1. Fides ſit penes autores. Confer infra *cap.* 5. §. 4. ubi excluſi à martyrio, plenius enumerantur.

§. 2. *Subjectum* martyrii ſunt fideles, ſeu potius fidem profitentes: ſive illi in ordine fidelium externæ & inſtitutæ eccleſię, jam numerentur: ſive in ordine catechumenorum, competentium, abſtentorum ſubſiſtant.

Objectum martyrii eſt cauſa Dei, primariò fidei, ſive totius, ſive alicujus articuli: ſecundariò, boni operis, ſeu bonæ conſcientiæ, quando quis eam aut verbis aut factis repellere aut abjicere non vult, & ſciens in Deum peccare.

Cauſa prima eſt Deus ſummus aganothetes, providentiâ ſua res hujus mundi & Eccleſiæ ſapienter, juſtè, potenter gubernans: ut permiſſa hoſtium rabies & perſecutio cedat in bonum Eccleſiæ, gloriam nominis ſui, & ſalutem electorum. Hinc dicitur mittere ſuos tanquam oves in medio luporum, *Luc.* 10. *v.* 3. & χαρίζειν ſuis, ut patiantur pro nomine ſuo *Philipp.* 1. *v.* 29. Et oſtendere Paulo, quanta paſſurus eſſet, *Actor.* 9. *v.* 16. cum *Joh.* 21. *v.* 18. 19.; & propinare, calicem, &c. *Matth.* 20. *v.* 22. 23. *Cyprianus lib.* 1. *epiſtol.* 9. (juxta edit. Pamelii) quæ eſt ad martyres & Confeſſores: *Non Puſillum*, inquit, *vobis certamen cum hominibus*, *quoniam Deus præſtat agonem. Tertullianus* adverſus Gnoſticos *cap.* 5. ubi Martyrii bonitatem, & Dei circa illud voluntatem oſtendit. Alioquin martyrium activè ſumtum, quatenus ab hoſtibus injuſtè infertur, Deus, ut & omnia alia peccata, prohibet, *Pſal.* 105. *v.* 15. *Zachar.* 2. *v.* 8.

Diabolus belli hujus contra ſanctos autor & incentor, tanquam Deus hujus mundi operans in filiis inobedientiæ, martyria piorum procurat. Hinc *Apocal.* 2. *v.* 10. illi tribuitur, quod fideles conjiciat in carcerem. Confer *cap.* 12. *v.* 12.

Martyrium exequuntur homines de hoc mundo, ſive infideles & extranei, ſive hæretici, ſive falſi fratres externâ profeſſione orthodoxiam ſimulantes; ſed hoſtes moribus, aliquando etiam doctrinę corruptionem tacitè agitantes. Inter quos primi & primipili ſunt, Potentes in hoc mundo, & ſacrorum Præfecti, e. gr. Epiſcopi Papales, Inquiſitores hæreticæ pravitatis.

Inſtrumenta & modi Martyrii ferè infiniti ſunt. Aliquos vide *Hebr.* 11. *v.* 35.

Digitized by Google

v. 35.-39. & ibi notas ac commentar. *Bezæ, Corn. à Lapide, Grotii.* Quibus adde peculiarem *Diatriben in lib. Hier. Magii de Eculeo*, de voce ἐτυμπανίσθησαν, *v.* 35. Complures alios require in hiſtoriis Martyrum, tum generalibus, tum particularibus. Explicuit eos *Ant. Gallonius* presbyter congregat. Oratorii peculiari *tract.* cui *tit. de ſanctorum martyrum cruciatibus*, qui a. 1602. Coloniæ apud Gymnicum recuſus. Qui (obeliſco notatis, quę ex futilibus legendariis, aliiſque fabularum hamaxariis tam veteribus quam novis parvo judicio aut pravo affectu admiſcet), ſuppleri poſſet ex noſtrorum martyrologiis infra indicandis: ubi vivi in terram defoſſi, præcipitati in fodinas, & in mare. Quod ad crucis ſupplicium, fideli illi martyri & capiti, duci, canoni, & menſuræ omnium martyrum Domino Jeſu Chriſto, & pòſt quamplurimis ejuſdem membris irrogatum (apud *Gallon. cap.* 1.); deſcripſerunt illud peculiaribus tract. 1. *Lipſius*; poſt eum prolixè Jeſuita *Gretſerus*; præterea *Boſius de Cruce triumphante*; & *Baronius* ad ann. 34. §. 92. & ſeqq. & ann. 69 §. 19. Cujus & aliorum quorundam errores notavit *Iſ. Caſaubonus Exercit.* 16. §. 77. & ſeqq. Cum his conferendus *Petrus Faber lib.* 2. ſemeſtrium; cujus quadras abligurliſſe Lipſium ait *Richardus Montacutius part.* 2. *orgin. eccleſiaſtic.* ad annum Chriſti poſtremum §. 197. Aliqua etiam de cruce & crucifixione inſpargit *Cornelius Curtius* libro ſuo de Clavis dominicis.

Incitamenta & motiva ad martyrium alia ſunt fidelibus ad acceptandum & patiendum, alia hoſtibus ad inferendum.

Fidelibus ſunt fides, quæ fides mundum & omnes mundi infeſtationes vincit ac contemnit, *Hebr.* 11. *v.* 33.-38. cum 1 *Joh.* 5. *v.* 4. & caritas Chriſti, quæ eos conſtringit, & fortis eſt ut mors, 2 *Cor.* 5. *v.* 14. cum *Cantic.* 8. *v.* 6. & firma ſpes coronæ, 2 *Timoth.* 4. *v.* 6. 8. cum 1 *Cor.* 6. *v.* 25. Sed *de his* infra *pluribus*.

Hoſtibus ſunt, ex propriâ ſuperbiâ, invidiâ, atheiſmo, profanitate, hypocriſi excitatum odium veritatis & pietatis, in verè piis ac fidelibus relucentis: 1 Joh. 3. v. 12. *quia opera ipſius mala*, &c. *Quibus mundus non erat dignus*, Hebr. 11. v. 38.

Irritamenta proxima deſumuntur partim à verè dictis, & verè factis fidelium, partim à fictis & quæſitis prætextibus.

Verè dicta, inter alia erant fides & profeſſio reſurrectionis, & ultimi judicii: (quæ præſumtiones & perſuaſiones vocantur apud *Tertullianum lib.* 1. *ad Nationes cap.* 17. & 19. & *Apolog. cap.* 49.) Hæc *deridenda* Gentilibus ut videre eſt *Actor.* 17. *v.* 10. Et apud *Tertullianum* ad Nationes *lib.* 1. *cap.* 19. coll. cum ejuſdem *Apologetico cap.* 47. 48. 49.

Verè facta, quę fideles in judicium vocati non diffitentur, ſunt vel poſitiva, vel negativa. *Illa* ſunt conſtans divini cultus profeſſio & exercitium

 ſive

ſive publicum, ſive privato publicum *Danielis 6. v. 11. 12.* Huc pertinet dominici diei obſervatio, quâ tanquam teſſerâ primitivi Chriſtianiſmi inter Gentiles fidem ſuam profitebantur, & quo nomine ad ſupplicia rapiebantur. Quomodo noſtri jam inde poſt ortam reformationem ex lectione, venditione, impreſſione Bibliorum, tanquam ex ſymbolo ſuo deprehenſi & inquiſitioni ſubjecti fuerunt. Accedunt etiam, datâ occaſione, improbationes ſacrorum Gentilium, idololatriç, hæreſios, nonnunquam non ſine irriſione, diſputatione, aliiſque ſignis contemtus. Quo refer improbationem proceſſus contra fideles. De deſtructione aut violatione idolorum aut cultus idololatrici infra, quærendum erit. *Iſta* ſunt, non flectere genu coram Baal, *Rom. 11.* nolle ſacrificare, thura adolere, Chriſtum abnegare, aut ejurare, aut ei maledicere, nolle ſacros libros, pecunias pauperum tradere, conventus & fratres Chriſtianos prodere.

Ficta, & quæſita ad prætextum, ſunt pænè infinita. Potiora & frequentiora ſive doctrinæ, ſive moribus Chriſtianorum impoſita habes in *Apologiis Athenagoræ, Juſtini, Minutii Felicis;* Imprimis *Tertulliani lib. 1. ad Nationes, & in Apologetico.* Quibus addi debent *Origenes contra Celſum*, & *Cyrill. Alexandrinus contra Julianum apoſtatam.* Arrianorum conquiſitas in Orthodoxos calumnias detexit *Athanaſius in Apologiis ad Conſtantium, de fugâ, & Apol. 2. contra Arrianos.*

Præcipua quæ intendebantur crimina erant quinque.

1. Ἀθεότης atheiſmus, impietas. 2. Δεῖπνα θυέστεια, hoc eſt infanticidia, & inde pabula. 3. Οἰδιπόδειοι μίξεις, hoc eſt, abominandi inceſtus, & promiſcui concubitus. 4. Impietas & irreligio in Cæſares. 5. Obſtinatio in contemtu mortis & tormentorum. Hæc refutata vide apud *Tertullianum* in *Apologetico* & *lib. 1. ad Nationes. Minutius in Octavio*, refert impoſitum ipſis, *Quod mundo minarentur incendium.*

Prętextus & calumnias hodierni Papatus contra Orthodoxos perſtrinxit *Juellus* in eximia Apologia Eccleſiæ Anglicanæ. Conferri poteſt *Innocentii Gentileti Apologia* Eccleſiarum Gallicarum, *Calvini præfat. ad Inſtitutiones*, & ſimiles tractatus Apologetici Papatui oppoſiti, alibi indicati. Hactenus de explicatione definitionis Martyrii.

§. 3. Attributa, aut elogia martyrum, aut vituperia perſecutorum, varia aſſignari poſſent.

Elogia illa generaliter continentur nomine honoris & dignitatis, tum apud Deum ex ipſius dignatione *Pſalm. 116. v. 15.* tum apud Eccleſiam; tum etiam apud aliquos alienos à fide. Vide locum *Pſalm. 116. v. 15.* à pluribus Patribus ſpecialiter applicatum morti martyrum, apud *Lorinum in Commentar.* ubi teſtimonia eorum referuntur. Sed elogium hoc, alia-

que

que ſpecialia ſub illo contenta, & explicata, in *Tertulliano ad martyres*, & in *Scorpiaco*; *Cypriano Epiſt.* 1. *lib.* 9.; *Nazianzeno in Orat. de Machabæis*, & in laudem *Cypriani*; *Baſilio in Homiliis in* 40. *martyres*, *in martyrem Julittam*, *in Barlaamum*, *in Gordium*, *in Namantem*: *Theodoreto de Curat. Gr. affect. ſermone* 8. *de martyribus*, legi poterunt.

Perſecutorum probroſa attributa, ex textibus illis collige, qui dicunt ipſorum opera eſſe mala, 1 *Joh.* 3. *v.* 12. ipſos diaboli filios & ſatellites eſſe *Joh.* 8. *v.* 44. quidquid putent aut prætexant ſe Deo λατρείαν præſtare, *Joh.* 16. *v.* 3. ſeque eſſe Dei populum, *Joh.* 8. *v.* 33. 39. *Apoc.* 2. *v.* 9.

Conſequentia martyrium hic rurſum indicanda, quæ ordinem habent ad Deum; ad ipſos; ad Eccleſiam, ad mundum. I. *Ad Deum*, quod ipſius nomen per illud glorificetur, *Joh.* 21. *v.* 19. *Philipp.* 1. *v.* 20. 1 *Petr.* 4. *v.* 14. II. *Ad ipſos*, quod immarceſſibilem gloriæ cœleſtis coronam adipiſcantur, & cum Chriſto regnent, 2 *Timoth.* 4. *v.* 8. *Apocal.* 6. *v.* 11. & 20. *v.* 4. Inſuper in his terris memoria ipſorum apud fideles ſit perpetua. *Pſ.* 112. *v.* 6. III. *Ad Eccleſiam*, quod eo fideles confirmentur, & fides atque Eccleſia magis propagetur. *Coloſſ.* 1. *v.* 24. Hinc illud Tertulliani in Apol. c. ult. *ſemen eſt ſanguis Chriſtianorum.* Et Leonis I. Epiſt. 83. ad Paleſtinos Epiſcopos: *De fortitudine fidelium exempla nata ſunt patientiæ, non dona juſtitiæ.* IV. Ad alios extra eccleſiam, ſeu hunc *mundum* in malo poſitum, imprimis perſecutores; quod ſi non convertantur, magis ἀναπολόγητοι & αὐτοκατάκριτοι reddantur, judicia Dei in ſe acuant, & tandem miſere pereant. 2 *Theſſal.* 1. *v.* 5.

I. *Conſectar.* Memoriam martyrum honorandam ſtatuimus. 1. *Scribendo* certamina & victorias eorum: ſic tamen, ut delectus & judicium adhibeatur. De quo in Appendice de Martyrologiis. 2. *Conſervando* eorum pia ſcripta & monumenta, ſi quæ reliquerunt. Imprimis etiam piè & ſapienter dicta eorum: inter quæ emicant apothegmata, emortualia & ardentes preces. Et quamvis imago hæc pietatis in præclarè dictis & factis eorum relucens ante omnia ſtudioſè conſervanda ſit: non repugnat tamen pietati imagines ſeu icones eorum, ſi haberi poſſint, cuſtodire; non minus quam majorum noſtrorum, aut aliorum celebrium virorum: ſic tamen ut abuſus omnis procul habeatur. Quis ille & quotuplex ſit, docetur in Diſpp. noſtrorum contra Pontificios, de cultu ſanctorum 3. *Commemorando* & laudando eorum zelum, fortitudinem, patientiam, omnium rerum mundanarum & propriæ vitæ contemtum, ut cum lætitiâ curſum illum abſolverent. 4. Memoriam ipſorum in hoc mundo damnatam, aut infamatam, quà publicè, quà privatim pro viribus vindicando, reſtituendo. 5. Et ſi hactenus honore ſepulturæ caruerint, eorum exuvias honorificè ſepeliendo. 6. §. 4.

 Imitan-

Imitando, datâ quâvis occaſione, eorum exempla, illaque aliis imitanda proponenda.

II. *Conſectar.* Quod in antiquâ Eccleſiâ ad ſepulcra martyrum confluerent, ibique quotannis panegyricis orationibus eos ſolemniter laudarent, ut alios ad imitationem exſtimularent, pecunias aliaque donaria in uſum pauperum eò deferrent, reliquias eorum ſub altari collocarent, eas de loco in locum transferrent: facilius forte tolerari poterat: inſuper & alia quędam dicta & facta eorum, fortè minus cauta, excuſari, & in benigniorem partem accipi: ſi modo ulterius non iviſſent. Sed poſtquam diabolum hâc occaſione abuſum videmus, & zizania in agro domini hinc ſuccręviſſe, majori cautione nunc opus. Itaquè longè tutius Eccleſiæ noſtrę ab illis abſtinent, contentæ ſignis honoris modo recenſitis.

III. *Conſectar.* Martyres honorari non debent dedicatione templorum & altarium; Præfecturâ regnorum, regionum, urbium, collegiorum, ordinum quorumcunque, rerum naturalium aut artificialium, morborum, &c.; feſtorum celebratione; religioſâ reliquiarum elevatione, tranſlatione, dedicatione, & ad eas peregrinatione; denique canonizatione & invocatione. De quibus ſuperſtitioſis abuſibus abundè ſcripſerunt ex noſtris Antagoniſtæ Papatus. Quod ad antiquos quamvis nimium reliquiis martyrum ſubinde tribuerint; longè tamen abfuerunt ab idololatriâ Papatûs. Quod vel ex uno *Theodoreto de cur. gr. aff. ſermone 8. de Martyribus pag.* 112. edit. *Sylburgii* ex *Commelini* typographeio 1592. in fol. coll. cum *ſerm. 9. de legibus pag.* 125. conſtare poteſt. Sed de hoc Antagoniſtæ Bellarmini, aliique Scriptores noſtri, *Chemnitius, Mornæus Pleſſiacus*, &c. ex profeſſo. Compendio & manuductionis vicem hic præſtabit *Perkinſi* utiliſſimus tract. tit. *Problematis Catholici.*

CAP. V.

De variis Martyrum diſtinctionibus & diviſionibus.

§. 1. MArtyrium variè diſtingui & dividi poteſt. Diſtinctio merè nominalis eſt, in propriè & impropriè ſeu metaphoricè aut catachreſticè dictum. Sic omnes qui graviſſimas tentationes & afflictiones internas, aut externas diaboli, mundi, carnis patiuntur, atque in domino eas ſuperant; aliquando dicuntur martyrium aut quaſi martyrium aliquod paſſi: quod magna victoria ſit ſeipſum & proprium cor crucifigere, ſeipſum & omnia etiam cariſſima propter Chriſtum aut ſtudium bonæ conſcientiæ abnegare, omnia tolerare, omnia quamvis maximè ardua,

Digitized by Google

ardua, aggredi. Exempla hujus metaphorici martyrii illuſtria habemus in Abrahamo *Geneſ.22.* Levitis *Deuter.33.v.33.* Joſepho *Geneſ.39.v.7.-15.* Micha *2 Reg.22.v.24.* Paulo *Actor.21.v.13.* Extra Scripturam ex Hiſtoriis vitarum tum antiquis tum novis non pauca colligi poſſent. Vide *Bezæ icones*, & vitas Theologorum à *Melchiore Adamo* editas. Et nota ibi inter alios heroicam fortitudinem *Lutheri* ab initio diſput. contra indulgentias uſque ad profectionem Wormatienſem, & ſic deinceps. Adde *Farellum, Melanthonem, Martyrem, Szegedinum, Johan. Laſcum, Antonium Sadeel, Dan. Toſſanum*, &c. Occurrunt etiam rara hujus martyrii exempla in vitâ *Colignii* Franciæ Architalaſſi, & in vitâ *Galeacii Caraccioli Marchionis Viti.* Et in Martyrologiis exempla martyrum Faninii, Johannis de Wolf, Georgii Carpentier, Kiliani.

Ad metaphorici hujus martyrii illuſtrationem facient meditationes & commentarii in *Matth.16.v.24. Luc.14.26. Galat.5.24. Geneſ.22.* ubi exemplum Abrahami: ad quod exſtat pathetica meditatio *Gul. Bucani*, cum ipſius methodo concionandi edita. Hac notione acceptum martyrium ſi B.Virgini ϑεοτόκῳ tribuerent Pontificii, utique nolim repugnare. Sed amplificationes eorum de ſeptem doloribus (de quo noſtro idiomate liber peculiaris editus), deque aureola martyrum illi non tantum tanquam martyri, ſed & Principi ac Duci inter martyres tributâ, ſine examine non admittimus: quippe, quę mero luſu circa voces innitantur. Ut jam nihil dicam de ejus pſalmo, à nonnullis efficto, & peculiari cultu religioſo talibus figmentis ſuperſtructo.

Diviſiones reales martyrum ſunt iſtæ. 1. In martyres opere & voluntate. 2. ſolo opere 3. ſola voluntate. Hęc Scholaſticorum, commentatorum, ad *Matth.2.* & poſtilliſtarum Papalium vulgaris diſtinctio. Quam quidem non improbamus: quamvis plenius diſtingui putemus, in martyrium proprium & analogicum. *Illud* rurſum in primarium & ſecundarium. §.2.

Primarium & gradu excellens eſt, cum quis pro cauſa Dei mortis ſupplicio adjudicatus voluntariè & conſtanter illud ſubit, nulla in re vacillans, aut cedens adverſariis, nec ullam ſuſcipiens oblatam redemtionem (*Hebr.10.v.35.*)

Secundarium eſt.

1. *Cum* quis non ſine antecedente abnegatione, aut revocatione, aut ſubmiſſione, aut promiſſo ac ſuſcepto ſilentio, aut ſyncretiſmo, aut admiſſa ac tentata doloſa tranſactione, aut doctrinæ conciliatione; tandem animum reſumens ſupplicio afficitur. Tale fuit martyrium Hieronymi Pragenſis & Crammeri.

2. *Cum*

2. *Cum* quis ſpeciali & expreſſa ſententia judicum propter editam conſtantom fidei confeſſionem ſupplicio non ſubjicitur; ſed vel à privato perſecutore, ut *Johannes Diazius Hiſpanus* (de quo peculiaris commentariolus anno 1546. à *Claudio Senarclao* nobili Sabaudo, cum præfat. *Buceri* ad Ottonem Henricum Palatinum editus; & *Sleidanus lib.* 17. in principio): vel à populo aut milite ſive tumultuariò, ſive mandato ſuperiorum hoc agente, obtruncatur. Tale fuit martyrium Henrici Zutphanienſis in Ditmarſia; & omnium in laniena Pariſienſi, eamque ſecuta in variis locis Galliæ anno 1572. (apud *Thuanum in Hiſtor.* & noſtratem Hiſtoricum *Petrum Borr*, & tract. Gall. de Statu Gallię ſub Carolo IX. & *horolog. excitator. Gallicum.*) Adhæc Albigienſium & Waldenſium ante aliquot ſecula (in hiſtoria *Joh. Pauli Perrin*); Eorundem in Merindolienſi laniena, anno. 1550. (apud *Thuanum*): Nec non reformatorum in valle Telina 1620. &c. (in Hiſtoria motuum iſtorum, autore *Sprechero.*) Denique in vallibus Pedemontanis ante ſæculum, & nuper (de illâ *Thuanus*; de iſta Commentariolus Hiſtoricus vulgaribus linguis evulgatus); & in Hybernia anno 1643. de qua omnium immaniſſima exſtat Commentar. ex Anglica in varias linguas tranſlatus..

3. *Cum* quis de fide nec explicitè & directè nec implicitè & indirectè interrogatus, aut juſſus eàm abnegare; immo cum ne quidem potuit eam profiteri aut abnegare; ob cauſam tamen Chriſti ſupplicio afficitur. Fit autem hoc duobus modis, vel in viventibus, vel in mortuis. Prior exemplum præbent infantes Bethlemitici, quos antiqui doctores martyrum titulo condecorant. Teſtimonia eorum vide collecta à *Corn. à Lapide in Matth.* 2. Quibus nolumus repugnare. Sed quæ Pontificii ibid. & *Baronius* ad ann. 1. §. 12. aſſuunt de cultu & feſto illorum martyrum, ut ſuperſtitioſa repudiare cogimur. De pueris Chriſtianis per Judęos occiſis (de quibus infra) idem judicium eſto.

4. *Cum* quis naturali morte exſtinctus, per ſententiam judicum effoditur & infami ſupplicio aut quaſi ſupplicio afficitur. Hoc evenit in Anglia Wiclefo, Bucero, uxori Petri Martyris. De quibus ſupra *part.* 1. *lib.* 3. *tr.* 2.

5. *Cum* quis conſtanti confeſſione ad martyrium paratus, ipſi morti tamen vel ante, vel poſt latam ſententiam ſubtrahitur. Fit hoc *vel* per dimiſſionem perſecutorum; cujus exemplum eſt *Petrus Martyr* in perſecutione Mariana ex Anglia dimiſſus; & *Oliverius Bockius* ex carcere Antwerpienſi per interceſſionem electoris Palatini (de quo in Hiſtoria *Chriſt. Fabritii* Gall. & Belgicè edita, & Martyrologio Belgico): *vel* per evaſionem aut liberationem ex carcere: vel in ipſa ſupplicii tragœdia, uti de Johanne

Euan-

Digitized by Google

Euangeliſta refertur. Et ſi qui fortè alii, dum ducerentur, aut jam in pegmate aut in area ſupplicii conſtituti eſſent, faucibus leonum erepti ſunt.

6. *Cum* quis ob conſtantem veritatis confeſſionem ſententia judicum extremo & infami ſupplicio adjudicatus, ante ſententiæ executionem in carcere moritur. Hoc eveniſſe Johanni Udal Theologo Anglo teſtatur *Parkerus in præfat. ad librum de deſcenſu ad inferos.* Angelus *Merula* Paſtor Heenvlietanus juxta paratum rogum jam conſtitutus, dum in genua provolutus precationem emortüalem fundit, una cum devota oratione animam Servatori ſuo reddit: ita ut vivicomburium, aut ſtrangulatio, aut ullus violentus cruciatus viventem non attigerit. Certamina heroïs iſtius propatrui ſui latino ſermone deſcripſit erudititiſſimus & piiſſimus vir *Paulus Merula I. C.* Hiſtoriarum in Academia Lugduno-Batava (dum viveret) Profeſſor. Simile quid referunt Pontificii de ſuo Marco Antonio de Dominis, non quidem ob hæreſin & ſeceſſum ad tempus ex Papatu (Horum enim veniam externa ſpecie, uti opinor, jam nactus erat), ſed ob relapſum poſt palinodiam & reconciliationem, ad vivicomburium Romæ ab Inquiſitoribus damnato. An autem in carcere, proprio fato obierit, & ſic deſtinatum vivi comburium prævenerit; an vero rationabili de cauſa Romanum *aiuta di morire* intervenerit, ego non dicam. Illi ſaltem negant tale quid factum, ex inſpecto cadavere, poſtea in cineres vi ſententiæ in ipſum latæ, redacto: quamvis ex relapſu ante obitum in carcere reſipuiſſet, ſiquidem ipſis habenda fides. Tragœdiam hanc Gallico idiomate deſcripſit in ſuis Tragicis hiſtoriis *Dominus de S. Lazaro*, hiſtoricus Gallus.

7. *Cum* quis ob cauſam ſæcularem ſive juſtè ſive injuſtè ad mortem damnatus, non tantum veniam & liberationem oblatam, ſed inſuper opes ac gloriam in hoc mundo reſpuit & pro damno ducit, ut Chriſtum lucretur & conſtanti confeſſione eum in vita & morte glorificet. Talis fuit caſus Johannæ Grajæ; quæ propterea martyrologiis reformatis inſerta eſt. Extat de pia atque erudita hac heroina peculiaris commentar. hiſtoricus Michaelis *Angeli Fiorio Itali*, qui heroinæ illi à ſacris concionibus fuerat. De eâdem noſtro idiomate hiſtoriam conſcripſit *Arnoldus Boot* Medicus vir multiplicis eruditionis, præcipuè etiam in ſacris & linguâ Hebræâ (uti edita ipſius ſcripta teſtantur); inſuper intimæ admiſſionis & familiaritatis apud venerandum & celeberrimum *Jac. Uſſerum* Archiepiſcopum Armachanum.

Analogicum Martyrium eſt. §. 2.

1. *Eorum*, qui prætextu αἰτίας causæ ſæcularis capite plectuntur; quamvis vera αἰτία ſit odium erga eorum religionem. Si quod prætexi-

R tur

tur ſit planè fictum, propius accedunt ad martyres propriè dictos, & magis hac in parte conformes fiunt capiti ſuo Chriſto, qui ποφάνη ſeditionis & rebellionis adverſus Cæſarem ad judicem ſæcularem raptus fuit. *Joh.* 19. *v.* 12. *Luc.* 23. *v.* 1. 2. Hæc diaboli crambe perpetuò recocta.

II. *Eorum*, qui propter cauſam Dei carceris mœrore, aut plagis, cruciatibus, mutilationibus, aliiſque vexationibus malè habiti & fracti tandem moriuntur, ſive in carcere, ſive in exilio, ſive jam dimiſſi & ad ſua ſuoſque reverſi: quamvis ad mortem damnati non ſint. Tale quid evenit Chryſoſtomo ab Eudoxia Imperatrice, & invidia atque odio Clericorum ſuorum, & quorundam Epiſcoporum, tertium in exilium pulſo; ubi itineris laboribus fractum imbelle corpuſculum ejus defecit. Tragœdiæ hujus lectionem in hiſtor. tripartita, aut in *Baronio* ad ann. 397. & ſeqq. aut in vita *Chryſoſtomi* operibus ejus præfixa, aut in Vitis ſanctorum *Surii*, aut epitomatoris *Harai*, Miniſtris omnibus & miniſterii Candidatis, maximopere commendo: Ut & lectionem vitæ *Athanaſii*, *Calvini*, *Melanthonis*.

III. *Eorum*, qui etiamſi nec ad mortem damnentur, nec mors eorum vexationibus acceleretur, multis tamen quaſi mortibus viventes excruciantur; quales recenſentur; *Rom.* 8. 35. 56. & 1 *Cor.* 4. *v.* 9.-14. & 2 *Cor.* 4. *v* 8.-13. & 11. *v.* 35.-39. *Hebr.* 12. *v.* 35.-39. quarum reſpectu Apoſtolus dicit, *quotidie morimur.* Eminent in illis, quos famæ crudelis laceratio in dedecus veræ fidei & Eccleſiæ, & corporum per exquiſita tormenta contuſio, afflixit. Hinc in antiquâ Eccleſiâ tormentis ſubjecti martyres appellati ſunt, & à confeſſoribus diſtincti, uti diſcimus ex *Tertulliano* & *Cypriano*, tract. ſupra cit.

IV. *Eorum*, qui in veræ fidei profeſſione defuncti, propterea à communi & honorifica ſepultura excluduntur. Inter quos eminent illi, quibus inſuper ſepultura facinororum in aëre aut in terra aſſignatur; aut qui ſepultura, aſini ſepeliuntur, corporibus eorum ad & inter cadavera equorum aliorumve jumentorum, rejectis & exempla quotidiana præbet Papatus. Confer *Pſal.* 79. *v.* 2. & ibi comment. Et politicæ eccleſ. partem 1. *lib.* 3. *tract.* 2. ubi de *ſepulturâ*, & *lib.* 4. *tract.* 4. ubi de Cœmeteriis.

V. *Eorum*, quibus quamvis quod ad ſenſum religionis quæſtio nulla movetur; occiduntur tamen, quia peccatum aliquod committere nolunt, aut in eo cum aliis peccantibus conſpirare & συνεργεῖν. An ad analogica martyria referri debeant martyrium virginitatis, per peſtem, per militiam, aliaque compluria, infra diſquiremus.

§. 3. Sunt & aliæ diviſiones martyrum propriè dictorum.

I. Ex circumſtantiâ temporis, ſic alii fuerunt V. alii N. T. Inter martyres V. T. eminent Prophetę Dei in regno decem tribuum, pręcipuè ſub

Achabo

Achabo *Roman.* 11. *v.* 3.; & in regno Judæ Zacharias aliique deſignati, *Matth.* 23. *v.* 37. & *Hebr.* 11. *v.* 37. Et adde *Flavium Joſephum*, ut & *lib.* 1. & 2. *Machabaeorum Martyres.*

Martyres N. T. rurſum variè ſubdividuntur. Alii enim fuerunt antiqui, alii recentiores, *Illi* vel ante Conſtantinum, vel poſt eum uſque ad tempus intermedium, vel jam inde à ſęculo undecimo ſeu à ſtabilito in occidentalibus Eccleſiis Antichriſtianiſmo & novitate Papatus uſque ad annum 1517. qui omnes per ſęcula ſingula enumerari poſſunt. Inter eos peculiariter notandi, qui univerſitatem ſeu corpus aliquod *factionis Chriſtianæ* (ut cum *Tertulliano* loquar); contra papatum conſtituebant. Quales ſunt Waldenſes, Wiclefi ſectatores, & Huſſitæ

II. Ex circumſtantiâ loci, alii paſſi in Imperio Romano, alii extra illud. Hic quælibet gens ſuos ad peculiares catalogos redigere poterit: uti jam tentatum à Pontificiis quibuſdam, Cratepolio de Sanctis Germaniæ. Demſtero de martyribus Scotiæ, &c. De quorum fide Hiſtoricâ hic non diſquiram. Reformatis noſtris Eccleſiis hoc adverſariorum exemplum imitari licebit. Et ſpecimen jam datum fuit in deſcriptione perſecutionis Bohemicæ. Habent & hodierni Orientales Chriſtiani in Græciâ, Ægypto, Syriâ &c. catalogos ſuorum, quorum memorias more ſuo celebrant. *Menologii* Græcorum meminimus *part.* 1. *lib.* 2. *tract.* 1. *de liturgiis.*

III. Ex cauſis ſeu perſecutoribus, ſic alii martyrio affecti à Gentilibus; alii à Judæis, alii à Muhammediſtis; alii ab hæreticis ſub nomine Chriſtiano deliteſcentibus.

1. *Gentiles* antiqui prę aliis celebrati ſunt *Romani*, de quibus *Tacitus lib.* 15. *Sulpitius Severus lib.* 2. *Euſebius lib.* 1. *Hiſtor. cap.* 22. 24. 25. Et hinc decem Imperii Romani perſecutiones numerantur. Perſecutores extra Imperium Romanum, ſed illud infeſtantes; fuerunt. *Quadi*, *Marcomanni*, *Avares*, *Gothi*, *Vandali*, *Alani*, *Hunni*, *Longobardi*. De quibus *Hieronymus epiſtol.* 3. quæ eſt ad Heliodorum, & *epiſt.* ad Ageruriam. *Paulus Oroſius lib.* 7. *Paulus Diaconus lib.* 3. & 5. & 16. *Auguſtinus lib.* 5. *de Civitate Dei cap.* 23. *Beda lib.* 5. *Hiſtor. Angl. lib.* 5. *cap.* 11. & *lib.* 1. *cap.* 13. *Normanni* de quibus Regino in *Chronic. lib.* 2. & *Annal. Franciæ*. *Perſæ* ſub Regibus Sapore, Iſdigerde, Gororane. De quibus *Euſebius lib.* 10. *cap* 9. 10. *Theodoretus lib.* 3. *cap.* 39.

2. *Judaeorum* ſævitiam partim in concitandis perſecutionibus, partim in excarnificandis Chriſtianis etiam pueris & infantibus, deſcribunt *Acta Apoſtolorum*, martyrologia, *Euſebius lib.* 4. *cap.* 8. & 15. *Oroſius lib.* 7. *cap.* 13. *Hiſtor. tr. part. lib.* 2. *cap.* 13. ubi de infante crucifixo. Exſtat deſcripta paſſio pueruli Tridentini nondum trimuli nomine *Simonis* per Joh. Mathiam Ty-

 berinum,

berinum, referente *Joh. Lenſeo in tract. de Perſecutione cap.5.* : ex hæc paucula transſcribo *pag.8.*

„ Menſa quippe, velut altari ad cædem conſtituta, & argenteo ciatho ad „ ſanguinem excipiendum comparato, non de more ſacrorum, aut cultro „ puerum jugulant, aut tenerum ei transfodiunt latus, ſed crucis in formam „ compoſitum corpuſculum, acubus certatim perforant, crebriſque & mi„ nutis punctionibus, per lentos acerrimoſque cruciatus exhauriunt. Non „ eos ætatis innocuæ movit conſideratio, non exilium figura membrorum: „ quin potius dolore paſcitur fera crudelitas eò magis, quò minus eum in„ terclusa vox claris prodere potuit indiciis. Quoque magis cæcum odium „ admirere cur hæc facerent, fuſa prius iſtiuſmodi oratione declarabant: „ Cœli terræque conditor Deus, hunc tibi puerulum in ludibria Chriſti, „ offert gens grata Judæorum: præcaturque, ut ſicut hæc tibi victima jam „ noſtris cadet dexteris, ſic Chriſti ubique nomen inane, & gens quæ hoc „ colit, diſpereat.

In Galliâ etiam aliquot pueruli rapti, & die Veneris ante Paſcha Crucifixi ſunt. Mos enim erat Judæis, ut ſurreptum quotannis Chriſtianum infantem in locum apud ſe abditum & ſubterraneum ducerent, atque illum diu pœnis afflictum die tandem Veneris ſanctâ (ſunt verba *Lenſæi pag.8.*) cruci affigerent. Qui ibidem exhibet ex libro *Ubertini Puſculi* Brixienſis de puero Tridentino, verſus ſequentes, quibus puerum Pariſienſem Richardum ſimiliter à Judæis occiſum commemorat.

„ *Turba nocens Solymûm fuit olim ſparſa feraces*
„ *Gallorum in terras, longa quos pace fovebant*
„ *Ocia, divitiis plenos, opibuſque potentes.*
„ *Nec regum deerat favor illis, emerat auro*
„ *Quos ſcelerata manus: populos ſic vincere tentant,*
„ *Sic ſua bella gerunt, Infandi ſæpe fuerunt*
„ *Hebdomada in magna puerum jugulare quotannis*
„ *Chriſticolam in cryptis noctu, foveiſque profundis*
„ *Deprehenſi, ante dies Paſchæ: quæ ſacra vocabant*
„ *Contemptum in Chriſti, fideique opprobria noſtræ*
„ *Sæpius & pœnas damnati crimine tanto*
„ *Igne graves dederant combuſti: nec tamen hujus*
„ *Linquebant morem ſacri, nec cæde vacabant.*
„ *Tantum odium, rabieſque animos invaſit Hebræos*
„ *Ut ſitiant noſtri ſatiari ſanguinis hauſtu,*
„ *Nunc quoque Pariſiis ſtat ſacra corpus in æde*
„ *Martyris occiſi pueri: quem tempore in illo*
„ *Gens Judæa crucifixit rabioſa*, Ricardi.

Me-

Meminit etiam pueri Tridentini anno 1475. occiſi *Faſciculus temporum*; *Bonfinius decad.* 4. *lib.* 3. *pag.* 580. & *Nauclerus Generat.* 50. *pag.* 494. *Nauclerus ibid.* refert in oppido Mottâ in finibus fori Julii, à Judæis puerum occiſum.

In Hiſpaniâ anno 1250. puerum ſeptem annorum à Judæis in paſchate crucifixum & lanceâ in pectore trajectum: referunt annales Arragoniæ.

De Judæis ob ſimilia flagitia in infantibus aut pueris Chriſtianis commiſſa, Auguſtâ 1440. Ex Miſniâ & Thuringiâ anno 1410. ejectis, & Cruzenachi aliquibus combuſtis anno 1432. narrat *Bzovius in annalibus*. Qui idem de adoleſcente Tyrnaviæ in Hungariâ à Judæis capto & ſtrangulato anno 1494. Hiſtoriam deſcribit *Bzovius* verbis *Antonii Bonfinii rerum Hungar. decade* 5. *lib.* 4. pag. 718 edit. Sambuci, apud Wechelianos Hanoviæ 1606. Unde ſolummodo excerpo quatuor cauſas ejuſmodi mactationum, quas ſenes Judæorum per tormentorum cruciatus confeſſi erant.

,, *Una*, quod majorum authoritate perſuaſum haberent, Chriſtiani hominis ſanguinem, præputiis in circumciſione appoſitum, ſiſtendo ſanguini opportunum eſſe remedium.

,, *Altera*, quod eundem ad conciliandum inter ſe amorem plurimum valere, in cibo datum, exiſtimarent.

,, *Tertia*, quod cum viri ac mulieres æque apud eos fluxu menſtrui laborarent: ſanguinem hominis Chriſtiani epotum, idoneam ad ejus morbi medecinam experti erant.

,, *Quarta*, ut vetus apud ſe ſed reconditum decretum, exequerentur, quo quotidianis ſacrificiis in aliquâ regione Chriſtianum Deo ſanguinem libare coguntur: quo factum eſſe dictitabant, ut in eum annum ea ſors Judæis Tyrnavienſibus obtigiſſet.

In *Martyrologio Abrah. Mellini* Belgicè edito ſimile quid refertur de horrendâ blaſphemiâ & ſævitiâ Judeorum deſignatâ in puero quodam Veſaliensi nomine Wernero, & alio quo in Angliâ:

3. *Muhammediſtarum* ſævitiam in Syriâ, Palæſtinâ, Ægypto, Aphricâ, Hiſpaniis deſcribunt Hiſtoriæ Arabum Roderici Toletani, & Elmacini, & Hiſtoriæ Turcicæ Leunclavii, Beſoldi, Loniceri, Chalcondylæ, Logotheti, Nicephori Gregoræ. Quibus accedat *Joh. Comeniata* excidium Theſſalonicę, nuper editum in συμμίκτοις Leonis Allatii.

4. De Arrianorum crudelitate & perſecutione Hiſtorici Eccleſiaſtici antiqui & recentiores, & *Vincentius Lyrinenſis in monitorio p.* 98. 99. edit in 4. Et *Joh. Fileſacus in comment. ad locum cit.* De his, & de Eutychianis, Novatianis, Donatiſtis, &c, Compendio *Lenſeus tract. cit.* Ex noſtris *Aretius part* 2. *Problemat. pag.* 228. *edit. in* 8.

5. *Sed illos longè ſuperant Papiſtæ*, quorum crudelitates luſtrare licet in Hiſtoriis Martyrum tum univerſalibus, tum nationalibus; adhæc in horologiis Gallico & Belgico, & Hiſtoriis nuperarum lanienarum in Valle Telinâ, Hyberniâ, Pedemontio.

IV. Ex formâ & modo martyri, ſic Apoſtolus *Hebr.* 11. diſtribuit in lapidatos, ſerrâ diſſectos, &c. Ex Hiſtoriis Martyrum Gallonius martyres per ſingula genera ſuppliciorum diſtribuit. Sed ex noſtris martyrologiis ſupplementum haberi poſſet de vivorum defoſſione in terram, cujus exemplum anno 1594. datum eſt Bruxellis volente Duce Alberto Auſtriaco, in puellâ dictâ Anna van den Hoven. De eorundem pręcipitatione in metallifodinas, cujus exempla in hiſtoriâ perſecutionis Bohemicæ. De præcipitatione, de rupe in mare: hujus illuſtria ſpecimina exhibebat *Villagnon*, cujus perfidia in martyrologiis Gallicis, & Hiſtoriâ *Thuani* deſcribitur.

§ 4. Excluduntur planè ex numero Martyrum.

I. *Omnes* qui propter magiam & fædus diabolicum patiuntur.

II. *Omnes* Athei, & Epicurei, qualis e. gr. Julius Cæſar Vaninus Tholoſæ combuſtus: de quo in 1. *part. ſelect. diſpp. tit. de Atheiſmo.* Ibi tunc citatis autoribus, addendus, eſt *Gramandus* præſes Tholoſanus *lib.* 3. *Hiſtoriarum Galliæ p.* 209.

III. *Omnes* Enthuſiaſtæ, fanatici, Libertini: qualis e. gr. David Georgius, qui triennio poſt obitum Baſileę effoſſus & crematus eſt.

IV. *Omnes* blaſphemi & impii hæretici; quales e. gr. Servetus. De cujus ſupplicia egimus in 3. *part. ſel. Diſpp. tit. de hæreſi.*

V. *Omnes*, qui tantum & ex profeſſo pro poteſtate Papæ ſupplicio affecti ſunt; quales in Angliâ ſub Henrico VIII. Monachi aliquot Carthuſiani.

VI. *Omnes*, qui ex profeſſo pro malâ aliquâ causâ circa fidem aut caſus conſcientiæ patiuntur, ut Joh. Fiſſcherus Epiſcopus Roffenſis, & Thomas Morus Cacellar. Anglię, qui propter defenſionem inceſtuoſi conjugii Regis Henrici 8. cum fratriâ morte multati.

VII. *Omnes*, qui in causâ Religionis errantes, erroribus addunt abominanda flagitia, aut delicta publica ſeditionis, perduellionis proditionis, rebellionis, paricidii, feloniæ & perfidiæ. Quales Gnoſtici, Baſilides, Priſcillianus, Thomas Muntzer, Johannes Buchols Leidenſis, aliique turbulenti Anabaptiſtæ Monaſterienſes, Amſtelodamenſes, &c. Quibus imprimis accenſendi pſeudo-Martyres Papiſtici Jacobus Clemens, Balthazar Gerardus, Henricus Garnetus, tum reliquis pulverariæ proditionis conſortibus, anno 1605. Contra Jeſuiticam *Apologiam Garneti* accuratiſſimè pſeudo-

pſeudo-Martyrium ejus detegit *Robertus Abotus* in ſuâ *antilogiâ*, & *Johannes Donne in ſuo pſeudo-Martyre*: qui poſterior ſcripſit Anglicè. Adde proceſſum contra proditores pulverarios, qui Anglicè, Gallice, Latinè, Belgicè, legi poteſt. Quid de omnium iſtorum Martyrio ſtatuendum ſit, docetur 1 *Petri* 4. *v*. 34. 15. 16.

VIII. *Omnes*, qui ob malam cauſam ſive hęreſios aut impietatis, ſive injuſtitiæ occiduntur; aut ſibi violentas manus inferunt. Qui ab aliis occiduntur, ſunt qui pro Muhammediſmo ſive ab extraneis, ſive ab ipſis Muhammediſtis, ſed alterius ſectæ, patiuntur. Sic Arabs ſcriptor hiſtoriæ Tamerlanicæ *Martyres in viâ Dei* vocat aliquos, quos Tamerlanes interfecerat: alius autor (ab *Hottingero hiſtor. eccleſ. cap.* 5. *ſect.* 2. *pag.* 652. citatus) ſepulcra eorum vocat *Martyria*. Qui ſibi ipſis violentas manus inferunt, ſunt fanatici illi & diaboli Martyres apud Japonios (de quibus Jeſuita *Fr. Solier in Hiſtor. Eccleſiaſticâ Japoniæ lib.* 1. *cap.* 14.: & apud hodiernos Brachmanas (*Bramines*) in Indiâ; de quibus *Rogerius in Hiſtoriâ de Religione Braminum part.* 2. *c.* 15. *p.* 184. &c. & *part.* 1. *p.* 98. 100.: & apud Perſas; de quibus *Schichardus in Commentar. ad Tarich Regum Perſicorum pag.* 126. 127. apud hodiernos Gentiles; de quibus in 4. *part. ſel. diſpp. tit. de homicidio ſuiipſius.* Ad hanc claſſem analogicè referri debent qui ſeipſos caſtrant, mutilant, lædunt, flagellant, ut ſacerdotes Baalitici, 1 *Reg.* 18. ſacerdotes Cybeles, & omnes nomine Chriſtiani ſe caſtrantes, aut flagellantes: de quibus infra in 4. *part. ſelect. diſpp. tit. de flagellatione ſpontaneâ, &* 3. *part. ſel. diſpp. tit.* de Pſeudo-mortificationibus Papatus.

IX. *Omnes*, qui ſibi violentas manus inferunt, quamvis bonâ & religioſa, uti putant, intentione. Quorum alii ex propoſito & profeſſione ſuæ falſæ Religionis hoc egerunt, ut hæretici circumcelliones: alii tantum in particulari neceſſitatis caſu, ad fidei & virtutis integritatem ſervandam, ut Sophronia, Pelagia, aliæque virgines & fœminæ Chriſtianæ; quibus Eccleſia Romana Martyrii honores decernit. Vide quæ de iis diſquirimus in *diſp. de Homicidio ſui ipſius.*

X. *Omnes*, qui in aliis dogmatis, ſive pleriſque, ſive multis Orthodoxi, patiuntur ſpecialiter propter errorem aliquem, ut e. gr. Anabaptiſtæ ſimplices, ſi qui propter errorem de Anabaptiſmo, aut Pædobaptiſmo, aut de Magiſtratu interfecti; ſi qui cætera orthodoxi, paterentur propter errorem de formali & internâ poteſtate Magiſtratus in ſacris: qui Remonſtrantium, aut Hobbeſii, aut Ludovici Molinęi ſententiam hic tenerent.

XI. *Omnes* ſive Gentiles, ſive Chriſtiani, qui propter cauſam juſtam publicam aut privatam (extra cauſam Religionis) injuſtè occiduntur. Quamvis autem X. & XI. claſſis patientes è numero martyrum excludamus: minimè

Digitized by Google

mè tamen probamus factum homicidarum. Sed quia non fuit cauſa Chriſti aut fidei ob quam propriè & tantum patiebantur; negamus honorem martyrii ipſis tribuendum.

XII. *Omnes*, qui ſpe veniæ & vitæ impetrandæ, aut ut hæreditati & poſteris conſulant, aut ut mitius & minus infame genus mortis ſubeant, fidem abnegant; ſive directè & apertè, ſive indirectè & tectè. *Illi* dicuntur ἀρνηταὶ (hinc apud *Epiphanium pag.24.*) ἀπαρνησίθεοι); & ἀπιστῶν, apud *Euſebium, pag.176.* Et ſi ſacrificaſſent, *ſacrificati* aut *thurificati*: ſi gradus malitiæ accederet. ἐξομόσαντες, apud *Euſebium pag.175.* Et ſi ulterior gradus accederet, dicebantur βλασφημοῦν. Vide *Actor.26.v.11. Iſti*, dicebantur *libellatici*, aut *traditores*, & *libello maculati*, apud *Cyprianum*. Et ſi per pœnitentiam reverterentur, dicebantur *lapſi*. Harum vocum uſus & acceptiones ex canonibus antiquæ Eccleſię, & Cypriano eruendæ. Ex recentioribus eas explicant *Pamelius ad Cyprianum*, *Baronius ad ann.253.§.11. Gabriel Albaſpineus lib.1. obſervationum de veteribus Eccleſiæ ritibus, cap.21. Joh. Ludovicus de la Cerda in Miſcellaneis ſacris, pag.308.* Denique omnes, qui præfractâ malitiâ contentionis & contradictionis, aut obſtinatâ dementiâ atque ἀναισθησίας, ſine ullo judicio, quidlibet pro quolibet ſuſtinent. Tales aliquando reperiri cum negandum non ſit: immeritò tamen Chriſtianis maryribus hoc imponebant Gentiles. *Arrianus in Epicteto* dicit Galilços ὑπὸ μανίας καὶ ἔθους, (id eſt, *per inſaniam & propter conſuetudinem*) impelli ad quodvis perferendum. Meminit etiam ejuſdem calumnię *Juſtinus Martyr Apol.2.* Cum quo conferendus *Tertullianus in apologeticis, & ad Nationes ſupra cit.*

Adhortatio & motivæ ad martyrium ſubeundum deſumantur ex his locis inventionis. I. Ex vocatione Dei peculiari. Vide *Johann.21.v.18.22.* & *Philipp.1.v.29.* II. *Quia* cauſa Dei non noſtra: pro quâ bonâ conſcientiâ ac propter eam patimur, *1 Petr.2.19. & 4.v.16.* III. *Quia* favor, præſentia Dei, & auxilium præſentiſſimum in martyrio præſentibus adeſt, *Pſal.91.v.14.15. Daniel 3.* IV. *Intuitus* vulnerum & martyrii Chriſti. Huc facit dictum Chryſoſtomi: *Non ſua ſentit, dum Chriſti vulnera intuetur.* V. *Conformitas* cum Chriſto, *Rom.8.v.29. Johann.15.v.20.* VI. *Conformitas* cum Eccleſiâ Dei, & Sanctis, *Matth.5.v.11.12.* VII. *Incrementum* & propagatio fidei & Eccleſiæ. Coloſſ. 1. v.24. Vulgatum illud Tertulliani: *ſanguis martyrum ſemen Chriſtianorum.* VIII. *Exempla* Sanctorum, *Hebr.11 cum 12.v.1.2.* IX. *Victoria*, triumphus, gaudium, honor, gloria ſecutura, *2 Timoth.4 v.8.* Ad has rationes reliquæ omnes reduci poſſunt, quas *Danæus in Iſagoge*, *Aretius in Problematis, tit. de Conſtantiâ*, *Corn. à Lapide in Hebr. 10.*, *Nathan Cythæus in viatico itineris extremi pag.462.-466. Lenſeus de Perſecutione pag.31.* & ſeqq. *Buſeus in Viridario*

propo-

Digitized by Google

prôponunt; quaſque oratoriè dicunt *Cyprianus in libello ad Fortunatum de exhortatione Martyrii*, & *in variis Epiſtolis*, *Tertullianus in lib. ad Martyres*. & *in Scorpiaco*; *Minutius in Octavio* ſub finem; *Baſilius*, *Nazianzenus*, *Chryſoſtomus*, *Clemens Alexandrinus*, *lib.* 4. *Stromatum*. Addat, ſi quis Anglica attingit, *Joſephi Halli* diſertam epiſtolam *decad.* 6. ad Johannem Mole. Pręterea *Javellum*, alioſque Ethico-Scholaſticos, ut & Commentatores ad *Thomæ* 22. *qu.* 124. Denique conſilia, dicta, facta, epiſtolę Martyrum, in Martyrologiis legenda.

* APPENDICULA DE HISTORIIS MARTYRUM.

PAſſiones Martyrum olim per Notarios ad id conſtitutos deſcribebantur. De quo alibi dicendum. Mos tamen invaluit, ut quiſque pro zelo & rerum geſtarum ſcientia exempla hæc patientiæ Chriſtianæ in peculiaria volumina colligeret, aut vitis aliorum Sanctorum inſereret, aut Hiſtoriis Eccleſiaſticis tum univerſalibus, tum particularibus. §. 5.

1. Peculiaria martyrologia ex antiquis dedere *Beda*, *Rabanus*, *Notgerus*, *ſivę Notkerus*, *Uſuardus* (quorum ille editus à Jeſuitâ *Roſweido*, cum appendice; iſte *à Molano*); *Wandelbertus*; & Autor, quiſquis eſt, martyrologii Romani; quod vel antiquum ab *Herib. Roſweido*, vel novum à *Baronio* editum, cum notis luculentis. His adde *Radulphi de Rivo calendar: Eccleſiaſticum* ante annos ferè trecentos conſcriptum. Et hæc quidem Latinorum: Græci habent ſuum *Menologium*, & *Menæum*: quorum illud typis editum cum Hierologio, Venetiis apud Pinellum anno 1627. Confer ſupra *part.* 1. *lib.* 2. *tract.* 1. *ubi de liturgiis.* De his aliiſque Scriptoribus modo indicatis, conſulatur *Poſſevinus in Apparatu.*

Recentiorum martyrologia ſunt *Pontificiorum*, *Galeſini* & *Maurolyci*, *Molani notæ ad Uſuardum*, Baptiſtę *Mantuani* faſti Eccleſiaſtici verſibus Hexametris decantati. *Philippi Ferrarii catalogus ſanctorum* extra martyrologium, inter quos multi martyres. *Reformatorum*, Gallicum Anonymi; *Rabi* Germanicum; *Foxi* Anglicum, qui antea Latinum ediderat, tit. *Commentarii rerum in eccleſiâ geſtarum.* Addi hic poteſt compendium Anglicum *Clementis Cottoni*, *tit. Speculi Martyrum.* Belgicum primò conceptum fuit ab *Adriano Haemſtedio* Concionatore Antwerpiano, poſtea ſæpius auctum uſque ad editionem nuperrimam *Johannis Gyſii*, qui 60. martyres de novo addidit. Ante annos circiter 47. novum martyrologium magno labore adornavit *Abrahamus Mellinus*, & ad tempus Reformationis deduxit: in quo præter alia confeſſiones & Apologiæ Martyrum fuſius exhibentur. *Molanus in præfat. ad Uſuardum cap.* 6. de noſtris Martyrologiis ſic cenſet: „Hæretici habent

 pſeudo-

„ pſeudo-martyrologia Latinè conſcripta per Joh. Criſpinum, & Johan-„ nem Foxum, & Pantaleonem, ſed & Germanicè per Hadrianum, Angli-„ cè per Foxum, item Gallicè & Flandricè. *Quæ ſcripta ego nec vidi, nec* „ *videre cupio.* Hic verò dico, eos libros mendaciſſimè martyrologia nominari, &c. *Videat reliqua illius diſſertationis, ſi cui hoc tanti eſt:* & judicet, an non talibus cenſoribus applicari poſſit illud ex epiſt. B. Judæ v. 9. *Hi autem, quæ quidem ignorant, blaſphemant.*

Ad apparatum martyrologicum referantur, Scriptores cruciatuum, qualis *Gallonius*: *collectanea emortualium*, qualia pleniora, quam antehac, exſpectamus ab Amico, qui in iis nunc deſudat, eorumque editionem promiſit: Martyrum ſententiæ de capitibus hodie controverſis, ſuis quæque locis notatæ ſunt ab *Andr. Willeto in Synopſi Papiſmi Anglicè, in fol.*: Scriptores de inquiſitione Hiſpanicâ; Diſſertationes de Martyrologiis, quales *Molani*, *Baronii*, noſtrorum in Præfationibus; Selectæ *Bibliotheca Poſſevini tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 23. 24. Scriptores perſecutionum, ſupra indicati: *Philippi Ferrarii* Topographia Martyrologii Romani: *Illyrici Catalogus teſtium veritatis*, cum *Pleſſei Myſterio*: particularia martyrologia nationum, ordinum Religioſorum: Bibliothecæ ſeu Scriptores Dominicani, Carmelitæ, Jeſuitici, &c.: *Kalendarium Romanum*, & *computus Eccleſiaſticus*, *Miſſale*, *Breviarium*, *Hymnarium Romanum*: Adhortationes ad martyrium & Scriptores parænetici: quales modo indicavimus: apologia pro honore martyrum contra inſultationes Gentilium; qualem ex profeſſo ſcripſit *Theodoretus de curat. Græcor affect. lib.* 8. qui eſt de Martyribus (ubi tamen ἀπειροχάλως nimis eum extendit): Utriuſque partis Scriptores de paſſionibus martyrum ſatisfactoriis pro viventibus & purgatorii incolis, de eorundem meritis, interceſſione, patronatibus & tutelis, de reliquiis, de feſtis, de templis, de altaribus, de peregrinationibus religioſis, deque invocatione & litaniis Sanctorum in Papatu, ut & de miraculis, atque apparitionibus martyrum, deque eorundem canonizatione, quales alibi ſuis quique locis nominantur. Ad cumulum apparatus adjice Scriptores num. 2. & 3. ſeqq.

II. Vitas ſeu geſta Sanctorum ſcripſerunt ex Græcis *Simeon Metaphraſtes*, ex pontificiis *Jac. de Voragine* autor legendæ aureæ, *Petrus de Natalibus*, *Lipomanus*, *Surius*, ejuſque epitomator *Hareus*, *Mombritius*, *Lippelo*, *Sanctorius*, *Villegus*, *Trugillus*. Quibus ſubſerviunt Scriptores Monaſtici in *Diſſ. de Monachis* indicati, & innumera Concionum de Sanctis collectanea.

III. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, cum univerſo apparatu in *Bibliothecâ* noſtrâ deſignatæ ſunt. Quibus nunc addo *Hottingeri Hiſtoriam Eccleſiaſticam* poſtea

poſtea editam. Imprimis notandi Scriptores illi, qui chimæricos, falſos, dubios martyres, ut & fabulas ſeu ferreas plumbeas legendas verorum Martyrum Hiſtoriam conſpurcantes, ſive ex profeſſo, ſive per occaſionem examinant.

CAP. VI.

Continens varias quæſtiones theticas de Martyrio.

AD pleniorem illuſtrationem doctrinæ de martyrio, ſubjiciemus aliquot quæſtiones, partim generales ſeu theticas tum dogmaticas, tum practicas; partim particulares, hypotheticas ſcil. & Hiſtoricas. Sit ergo.

I. *Quæſt. An inter Martyres numerandi ſint infantes cauſâ aut odio Chriſti occiſi, ut Bethleëmitici, & qui à Judæis crucifixi, & in laniensis per Papiſtas perpetratis in Belgio, Hyberniâ, &c. ubi eos tanquam liberos hæreticorum mactabant. Reſp.* De Bethlemiticis cum diſtinctione affirmamus, ſecuti ſententiam antiquorum cit. Quidquid autem iis hâc in parte tribui poteſt, aliis non eſt negandum. Sicuti ergo infantes fidem & fidei confeſſionem propriè ac formaliter non habentes, ſed analogum quid fidei & confeſſionis, in fœdere cenſentur, & Eccleſiæ membra, ſed incompleta, dicuntur (ut *in 2. part. ſel. diſpp. tit. de regeneratione*, & ſupra *part. 1. lib. 1. tract. 1* de Eccleſiâ inſtitutâ explicuimus) ſic iis martyrium ſuo modo tribui poteſt. Pontificii Caſuiſtæ *Reginaldus*, *Toletus*, *Baſſeus* infantes in utero matris, ſi cum matre odio religionis occidantur, martyres pronuntiant: hâc ratione, quod cum unum reputentur cum matre, par ſit ut etiam martyrii participes ſint. Sed ab unitate & communione ſive phyſicè ſive juridicè æſtimatâ, non dependet unitas aut participatio in ſpiritualibus. Deinde ſecundum ipſorum theologiam de baptiſmi neceſſitate & efficaciâ, non poteſt infans non baptizatus dici martyr, hoc eſt, ſanctus adorandus.

Si excipiant, baptiſmum ſanguinis hic ſupplere vices baptiſmi: repono, eum non eſſe baptiſmum, unicum remedium (ſecundum ipſos) peccati originalis; & contradicere ipſos argumento ſuo ex Joh. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aquâ*, &c. quo abſolutam neceſſitatem baptiſmi aſtructum eunt. Nos ex præſuppoſitis, quę alibi de ſalute infantum in utero matris ſanctificatorum & ſpiritu fidei præditorum declaramus, (*2. part. ſel. diſpp. tit. de ſtatu electorum*, &c. & de *regeneratione*) martyrium aliquod illis tribuendum putamus; non minus ac aliis infantibus Chriſtianis odio Chri-

Digitized by Google

ſti, & fidei Chriſtianę occiſis, ſive ſeorſim ſive una cum parentibus. Huc refero infantes reformatorum in laniena Hybernicâ anno 1643. igni toſtos; & alio quocunque modo excarnificatos. *Cornelius Adriani* flagellator, celebris ille inter Minoritas Bacchantium pater Brugis concionari ſolet, reformatos quocunque modo occidendos, etiam gravidis mulieribus uterum ſcindendum, & fœtus, quos geſtant enecandos; addito hoc parabolico adagio:

Eyeren in de Pan,
Soo en komter geen quaet kuycken van.

Vide de dæmoniaco hoc zelote, *Marnixium Sanct-Aldegondii dominum in Alveario eccleſiæ Romanæ*, ſeu in *Tabulis* differentiarum religionis, & peculiarem librum noſtrate idiomate editum, geſta dicti *Cornelii* & excerpta concionum ipſius continentem. De pueris per Judæos occiſis ſupra §. 3. dictum eſt.

Infantes aut pueros Judæorum in ſeditione per hominum monſtra (quamvis dictos Chriſtianos) excitatâ, occiſos, ut & Gentilium in novo orbe per Alaſtoras (dictos Hiſpano-Chriſtianos), ſimiliter ab omni martyrio excludimus: nec minus tamen latronum iſtorum rabiem & immanitatem deteſtamur. Deſcripſit illam *Oſorius lib.*4. ad ann. 1506. iſtam *Bartholomeus de las caſas* Epiſcopus Hiſpanus, qui etiam in Belgicum ſermonem traductus exſtat; & poſt eum *commentarius quis hiſtoricus*, *tit. De crudelitatibus Hiſpanorum in Indiâ Occidentali* patratis, Belgicè in 4.

II. *Quæſt. An ſimplices & rudes in cognitione veritatis; qui confeſſionem ſuam nec diſtinctè explicare, nec pro modulo tueri poſſint aut velint? Reſp.* De iis qui tueri non valent. *Aff.* Et hic ſuccurrit mihi reſponſio neſcio cujus martyris (non enim vacat nunc ulteriùs in Hiſtoriam facti inquirere): *Non poſſum pro fide diſputare, poſſum pro eâ mori.* Minimum enim granum fidei, ejuſque generalis & conſtans confeſſio cum ſincero Chriſti amore, non relinquit tales ἀναμαρτύρους. Sicuti aliqui Corinthii, quibus tanquam infantibus & adhuc carnalibus loquebatur Apoſtolus 1 *Cor.* 3. *v.* 1. 2. ex numero Sanctorum & fidelium non excludebantur, 1 *Cor.* 1. *v.* 1. 2. ſic nec tales cognitione infantes, zelo tamem viri, è numero martyrum. Pontificii honorem martyrii non negant iis, qui in Japoniâ nomen & fidem Chriſti profeſſi, & ante annos aliquot iſtic magno numero excarnificati ſunt, quod ad Gentiliſmum Japonicum reverti nollent: Sed commentum fidei implicitæ in tali caſu faciliorem ipſis reddit benigniorem interpretationem. Nos de ejuſmodi novitiis Romano Chriſtianis, qui ſolummodo Baptiſmo tincti, & crucem quam formare, theatricam Miſſam ſpectare, coram Imaginibus genuflectere, ad roſarii globulos quinquies τὸ

Pater

Pater noſter, & quinquagies τὸ *Ave Maria* demurmurare edocti ſunt, hâc vice illorum ſententiam non approbamus. Quod ſi quis ὁμωνύμως, aut quodammodo analogicè martyres vocare velit; non admodum repugnamus. Similiter ferè judicamus de fide quaſi implicitâ (ſed extra martyrium) *Joh. Martini* militis ex cohorte Nobiliſſ. fortiſſimi & bello Belgico celebratiſſimi herois Pauli Bacx equitis aurati & Pręfecti Bergę ad Somam, ab Antwerpianis capti & crudeli ſupplicio affecti: qui cum ante ſupplicium ſollicitaretur à ſacrificulis ad Romanæ Religionis receptionem, conſtanter recuſabat; dicens ſe velle manere & mori in Religione ſui pręfecti, quem ſciebat eſſe virum probum ac honeſtum, conſequenter bonæ religionis.

III. *Quæſt. An ſurdi & fatui, ſi qui conſtanter veræ Religionis abnegationem & falſæ profeſſionem negantes mortem ſubeunt, ſint dicendi Martyres? Reſp.* Judicandum hic eſt ſecundum diſtinctiones de talium fide & confeſſione allatas in 2. *part. ſelectar diſpp.* in *Appendice ad Diſp. de Statu electorum ante converſionem.* Si talis ſit ſtatus eorum, ut adultis aliquâ ratione accenſeri queant, ſunt dicendi Martyres propriè dicti: ſin verò ultra ſtatum infantum fœderatorum non aſſurgunt, utique analogicum & infantile martyrium ipſis denegandum non eſt. In commentariolo hiſtorico de lanienâ à Papiſtis vallis Telinæ, anno 1620 editâ, refertur mutum & ſurdum quem, cum ſignis ſollicitatus, negaret frequentationem miſſæ (hoc eſt receptionem & exercitium religionis Papiſticæ), à latronibus illis occiſum eſſe.

IV. *Quæſt. An honor martyrii competat illis, qui idola deſtruunt, arbores ſuccidunt, idoleia incendunt, quin & edicta Magiſtratuum contra fidem aut pro idolis edita diſcerpunt? Reſp.* De zelo illo, an ſit ſecundum ſcientiam & laudabilis meritò diſquiritur. In eo videntur plerique convenire, eſſe admiranda & excuſanda potius illa facta, quam cuivis imitanda & laudanda. *Wigandus in tract. de confeſſione*, & in *tract. de Martyriis pag.* 193. ad quędam ejuſmodi facta reſpondet, eſſe *ſingularia*. Et refert ibid. *pag.* 192. exemplum Piſtoris Viennenſis in Auſtriâ, qui ante paucos annos (id eſt ante annum 1580, quo *Wigandi* liber edebatur) Sacerdoti monſtrantiam cum Deo panaceo è manibus eripiebat, & pedibus conculcabat: propter quod candenti ferro laceratus, & horribiliter trucidatus fuit. Unde inferre liceat, mitius de Martyribus noſtris Belgicis Wigando judicandum, fuiſſe quibus fide non bonâ imaginum & templorum deſtructionem attribuit, & quos alibi titulo *Martyrum Diaboli* cohoneſtat. Cur non abſque proſopolepſiâ (ſi affirmare noluiſſet) ſuſpicabatur eſſe facta ſingularia, aut ſaltem in medio relinquebat? *Joh. Foxus Commentar.* rerum in Eccleſiâ geſtarum, *pag.* 203. tanquam fortiſſimum Chriſti martyrem deprędicat Gul. Gardi-

 netum,

Digitized by Google

netum , qui anno 1552. Ulyſſipone Deum panaceum & calicem è manibus Cardinalis miſſificantis excutiebat; quique propterea poſt graviſſima & multiplicia tormenta igni uſtulatus eſt. *Audas Epiſcopus Perſicus* apud *Euſebium lib. 7. cap.* 8. quod templum igni ſacrum à ſe incenſum inſtaurare nollet , à *Baronio* ad annum 420. §. 18. martyris honore digniſſimus judicatur. Marcus Arethuſę Epiſcopus , & Theodorus miles ob idoleia deſtructa ſupplicio affecti , ab Antiquis & à Pontificiis inter Martyres honorantur. Johannes Nicodemienſis ob diſcerpta edicta Imperatoris Diocletiani contra Chriſtianos , à Pontificiis non tantum , ſed etiam à *Melanthone in conſiliis* laudatur. De his & ſimilibus in 3. *part. ſel. diſp. tit.* de Idololatriâ indirectâ ſententiam noſtram aperuimus. Hic breviter repetimus , deſtructores idolorum , qui mero zelo ſine legitimâ poteſtate huc acti ſunt , non eſſe quidem omnes promiſcuè flagitii condemnandos , nedum ut ex albo fidelium & piorum expungantur , ſed tamen martyrii coronâ non honorandos juxta canonem 60. Concilii Elibertini , qui ſic ſonat : *Si quis idola fregerit , & ibidem occiſus fuerit , quatenus in Evangelio ſcriptum non eſt , neque invenitur ſub Apoſtolis unquam factum , placuit in numerum eum non recipi Martyrum.* Quorundam vero factum & zelum benignius interpretari , & ſi non in totum , ſaltem in tantum excuſare convenit : quamvis in modo aut circumſtantiâ aliquâ prudentiæ ἀκρίβεια uſque quaque ſervata non eſſet. De quo judicium *Bezæ* ex reſponſo ad *acta colloquii Mompelgardenſis in diſp. cit. de Idololatriâ indirectâ* , exhibuimus. Et addimus per judicia Pontificiorum , etiam *Melanthonis* , *Wigandi* , de factis ſingularibus modo memoratis, præſertim *Joh. Nicomedienſis* , facta noſtrorum , ſi quæ fuerint ſingularia , ſatis purgari ; ſaltem à flagitio & diaboli martyrio. Quamvis factum Nicomedienſis (cum quo *Gul. Eſtius* Theologus Duacenus in libr. de martyribus Gorcomienſibus comparat paricidam Balthazarum Gerardum (de quo infra) longè ab aliorum zelotarum factis diſtare putemus. Ille enim immediatè, directè , poſitivè , & ipſo facto reſtitit Majeſtati Imperatoris diſcerpendo publica ejus edicta : iſti verò immediatè & directè incurrerunt in dęmonia & idola gentium violenter deſtruendo cultus eorum, ſigna , & inſtrumenta. Neutrum etſi ex vocatione communi privatorum fidelium : illud tamen longè conſpectius vitium & ſcandalum in ſe habere videtur. Sicuti longe gravius eſt , ſi privatus civis ipſum Imperatorem perſonaliter maledictis aut verberibus inceſſat , aut veſtem ejus laceret ac pedibus conculcet , quam ſi ſubditi alicujus corpus aut bona , aut etiam ipſum Imperatoris peculium violet. Et hinc per conſectarium expendi poteſt , an ſit prudentiæ juſtorum & in bonum Eccleſiæ , decreta & edicta Principum , quamvis iniqua in

fidem

fidem & pietatem, falſare, aut hypobolimæa edicta ipſis ſupponere & in populum ſpargere.

V. *Quæſt. An ſi orthodoxus quis ſupplicio afficiatur tantum ob quæſtionem aliquam circa ritus, aut circa formam regiminis Eccleſiaſtici, aut aliud quod dogma Theologicum non fundamentale, dicendus ſit verus martyr. Reſp.* Quamvis magis appropriatè martyrium reſpiciat totam fidem aut ſaltem partem ejus; non tamen hoc in caſu negandum, ſiquidem à parte ejus ſtet veritas: Sin verò error, aut ſchiſma, Neg. Neutrum enim eſt cauſa Dei; quamvis, qui patitur, cætera poſſet eſſe vir Dei. Quomodo *Juſtinus Martyr, Irenaus, Clemens Alexandrinus, Cyprianus, Auguſtinus*, non deſierunt eſſe viri Dei, quamvis habuerint ſuos errores.

VI. *Quæſt. An quis in veritate aliquâ fundamentali, aut in veritatibus compluribus, ſi non pleriſque, heterodoxus, mortem ſubiens tantum pro communi aliquâ cum Orthodoxis veritate ex. gr. fidei Chriſtianæ veritate, quæ directè & primo opponitur Atheiſmo, Ethnicismo, Judaiſmo; aut pro articulo de reſurrectione mortuorum; aut de vitâ æternâ, pœnâ infernali, &c. an, inquam, talis ſit martyr Dei, an vero diaboli? Reſp.* Propriè & formaliter martyr dici nequit, quia non eſt verus Chriſtianus. Interim materialiter martyrium illi tribui poſſet, & ipſe analogicè dici martyr, quouſque & quatenus communes illas veritates conſtanter profitetur, & morte ſuâ obſignat. Neque enim veritates illæ, nec teſtimonia iiſdem perhibita & ſanguine obſignata, ex diabolo ſunt. Quomodo Prophetiæ Bileami objectivè & materialiter conſideratæ ſunt veræ & divinæ, & ſomnia Pharaonis ac Nebucadnezaris ſunt θεόπεμπτα; quamvis ipſi formaliter Prophetę divini & θεόπεμπτοι non eſſent. Quomodo etiam Ethnici aliqui & Muhammediſtæ veritates quaſdam nobiſcum tenent, & conſtanter tuentur, quas nos fide recipimus, e. gr. de unitate, ſapientiâ, potentiâ Dei, de providentiâ, &c. Nihilominus formaliter diſtinguimur, quia ſub alio formali, ac illi, eandem veritatem amplectimur.

VII. *Quæſt. An Martyres ſint fideles illi, qui propter cauſam quam ſecularem, ſive privatam, ſive publicam ſeu politicam occiduntur? Reſp.* per concluſiones.

1. *Concl.* Si quis juſtè occiditur, veniâ ante oblatâ cum beneficiis promiſſis, ſiquidem veram Religionem abnegare & falſam admittere velit, & ille mortem huic conditioni præferat; martyr ſecundarius & factus dicendus eſt, à primariò & deſtinato diſtinctus.

2. *Concl.* Si injuſtè occiditur, προφάσει cauſæ ſæcularis, cum vera αἰτία ſit religio, & oblatam liberationem ſub conditione abnegationis reſpuat, tantò magis factus martyr dicendus eſt. Ad priorem an ad poſteriorem

caſum

caſum referendum ſit ſupplicium Johannæ Grajæ electæ & proclamatæ Anglorum Reginæ, non eſt hujus loci diſquirere.

3. *Concl.* Si cauſa irrogati ſupplicii ſit complicata aut mixta, profeſſio ſcil. veræ Religionis & ejuſdem legitima ac neceſſaria defenſio politica, altior quidam gradus martyrii exſurgit.

VIII. *Quæſt. An facinoroſi juſto ſupplicio ob ſcelera ſua affecti, ſi quidem ante obitum ad vera fidei ac pietatis profeſſionem & praxin convertantur, ſint martyres? Reſp.* Neg. Exempla ejuſmodi converſorum habet martyrologium, ubi a. 1552. de ſtudioſis Lauſannenſibus, Bernhardo Seguino, Petro Scribâ, &c. qui in carcere captivos quoſdam ob facinora, ad veram religionem convertebant. Sicuti Oneſimi fuga propter furtum, non faciebat eum confeſſorem, quamvis à Paulo in vinculis Chriſto genitus eſſet: ſic nec ſupplicium propter furtum, aut homicidium, aut aliud quod facinus facit martyrem, quamvis verâ fide & reſipiſcentiâ præditum. De latrone in Cruce, infra *cap.* ſeq. queremus.

IX. *Quæſt. An chariſma & dignitas martyrii non tantum ad fidem, ſed etiam ad obſervantiam ſeu ad mores vivendi ſe extendat? Reſp.* Quamvis per prius & magis communiter martyrium eveniat propter fidem ſeu articulos fidei ſtrictè ſic dictos, & propter externos actus atque exercitia Religionis ſeu inſtituti cultus divini *Actor.* 7. & 12. & 23. & 24. *Daniel.* 3. *v.* 8.). non negandum tamen eſt quin tota doctrina Scripturę, & conſequenter etiam pars illa legem moralem, ſub quâ illa, quæ officia hominis erga hominem proponit, ſit objectum ejus.

Rationes ſunt 1. *Quia* omnia illa ſunt Dei teſtimonia, & quicunque de illis teſtatur ac pro illis certat, pro cauſâ Dei teſtatur & certat. 2. *Quia* quęcumque talis cauſa, eſt cauſa juſtitiæ? pro quâ qui patiuntur, dicuntur beati. *Matth.* 5. *v.* 10. 3. *Quia* in omnibus pręceptis, etiam ſecundæ tabulæ, debemus ἀπρόσκοπον conſcientiam coram Deo & hominibus ſervare, *Actor.* 24. *v.* 16. Qui ergo hic patitur propter conſcientiam Dei, propter cauſam Dei patitur. 4. *Accedit* exemplum Johannis Baptiſtæ, quem nemo martyrem negabit: atqui is propriè paſſus eſt ob cauſam reprehenſi à ſe adulterii, raptus, inceſtus. Similis caſus erat Lamberti Epiſcopi Trajectenſis, qui ob reprehenſum adulterium Pipini Craſſi Herſtalli Ducis Brabantiæ à Dodone fratre pellicis Alpaidis in Templo occidebatur. De quo *Hiſtor. Eccl. Leodienſium*, & *Surius in Vitis Sanctorum.*

Poteſt autem circa caſus conſcientiæ tripliciter martyrium contingere. 1. *Cum* quis patitur propter alicujus verę ſententiæ profeſſionem in theſi, e. gr. de juramento, poteſtate Magiſtratus, de conjugio, ejuſque oppoſitis divortio, inceſtu, &c. de uſurâ, de mendacio, &c. 2. *Cum* quis patitur ob

Digitized by Google

ob aliquam veritatem in hypotheſi, quam ad lubitum hominum oppugnare aut reticere nolit. Et hic fuit caſus Johannis Baptiſtæ, & Lamberti Epiſcopi Leodienſis. 3. *Cum* quis patitur ob veritatem quam moralem in hypotheſi, contra quam ſollicitatus perſonaliter peccare nolit. Et huc pertinet caſus virginum quarundam, quæ mori maluerunt, quam extra legitimum conjugium contra caſtitatem peccare, aut oblato conjugio ab infideli conſentire.

X. *Quæſt. An ſint Martyres virginitatis? Reſp.* Non pauci à Pontificiis hoc nomine prędicantur. Sed diſtinctio hic adhibenda. Variè enim hoc accipi poteſt. Aut quis patitur, quia votum Monaſticum virginitatis revocare non vult; quamvis violenter & injuſtè urgeatur. Aut patitur, quia dono continentiæ præditus juxta 1 *Cor.* 7. piè ſtatuit Deo ſervire, & ſpiritualibus ſe totum devovere, extra conjugium. Aut patitur, quia extra conjugium pudicitiæ & caſtitatis lege violare non vult. Primis, quamvis injuſtè afflictis & in conſcientiâ utut erroneâ violenter coactis, honor martyrii attribui, ſecundis & tertiis negari nequit. Quod ad eos pręſertim adoleſcentes, qui extra votum, & conjugium, in ſtatu cœlibatus, cupiditates ſuas domant & ſuperant, animoque ac corpore ſe impollutos ſervant, quibus *Baldeſanus in ſtimulis virtutum adoleſcentiæ* martyrium tribuit; non magis martyres dici queunt, quam omnes alii, qui quaſlibet internas cupiditates & tentationes ad peccata quævis contra Decalogum unquam vicerunt. Quidquid hic pro virginitate amplificant *Baldeſanus lib. cit. pag.* 232. 233. Et *Jeſuita Rainaudus in lib. de Martyrio per peſtem, pag.* 83. & 93. ad luſum in vocibus, & ad τὸ metaphoricum martyrium referendum eſt. De quo vide *Cornel. à Lapide in Hebr.* 10. *pag* 936. Quo pertinet caſtratio propter regnum Cœlorum, *Matth.* 19. Ubi vide Commentatores. Ita omnes electi & fideles eſſent martyres dicendi; quia abnegant ſeipſos *Matth.* 16. & carnem cum affectibus, &c. crucifigunt, *Galat.* 5. & terrena membra mortificant *Coloſſ.* 3. & offerunt ſeipſos in hoſtiam, &c. *Rom.* 12. *v.* 1. & Chriſti morti ac paſſioni conformes fiunt *Philipp.* 3. cum *Rom.* 6. & vim faciunt in regnum Cœlorum, *Matth.* 11. & per anguſtam portam intrant, *Matth.* 7. Siquidem violentia externa non ſit de ratione Martyris, uti vult *Rainaudus pag* 483. Sed ut ad hominem argumenter; quæ tum erit diſtinctio inter auream & aureolas, aut inter aureolas virides Doctorum, candidas Virginum, rubras Martyrum?

XI. *Quæſt. An martyres ſint, qui poſt mortem propter confeſſionem fidei ignominiâ afficiuntur, cadavera eorum effodiendo, aut juxta cum facinoroſis proſtituendo, aut memoriam eorum damnando? Reſp.* Ad Martyres ſecundarios

rios referri poſſunt. Et tales occurrunt plures in martyrologiis, aliiſque Hiſtoriis celebrati; ut *Colignius Galliæ Architalaſſus* poſt latrocinium ignominioſiſſimè habitus; *Wiclefus*, *Bucerus*, uxor. Petri martyris, in Angliâ effoſſi; & pia Matrona Sylvæ Ducenſis Agneta Greven ſub patibulo defoſſa, cujus meminit poſtrema & nupera martyrologii Belgici editio.

XII. *Quæſt. An martyrium, quod vocant*, caritatis, *diſtinctum à martyrio* fidei, *ſit veri nominis martyrium: ſpecialiter martyrium per peſtem eorum, qui juvandi proximi cauſa huic periculo ſe exponunt, inque eo pereunt. Reſp.* Ita Statuunt ex Pontificiis *Raynaudus* Jeſuita, qui anno 1630. peculiari tract. de Martyrio per peſtem hanc cauſam egit. Ejuſdem ſententiæ eſt *Philibertus Marchinus in tract. de Peſte*, cui titulum fecit *Bellum divinum, part. 1. cap. 7.* Uterque hic tractatus Romæ prohibitus fuit decreto SS. congreg. ad indicem librorum prohibit. 11. Martii, anno 1647. Oppugnavit etiam eorum opinionem *Thomas Hurtado lib. reſolutionum de vero martyrio fidei reſolut. 61.* Mirari lubit quomodo hæc tum publica prohibitio, tum privata oppugnatio conciliari poſſit cum teſtimonio Cornelii à Lapide, in Hoſeæ 11. in fine: *Denique præ cæteris Eccleſiæ martyribus annumerant eos, qui morbo laborantibus miniſtrantes ex charitate, eodem afflantur & emoriuntur. Exemplum illuſtre eſt in Martyrologio Romano die 28. Februarii.* Sed ſuſpicor illos tractatus prohibitos fuiſſe non tam propter ſimplicem opinionem, quam τὸ nimium contentionis, quâ tale martyrium ſupra martyrium fidei multis excogitatis ratiunculis evehere conantur.

Nos otioſæ hujus altercationis ſpectatores ſumus, & verbo dicimus eſſe meram λογομαχίαν, ſeu mavis luſum in voce *Martyris*, quæ metaphoricè aliquando aut catachreſticè de quolibet de caritatis & fortitudinis actu, tum interiori tum exteriori uſurpantur, quo pericula morborum, aquarum, incendii, ferarum, latronum, linguæ, convitiorum, obtrectationum pro proximo, imprimis pro fratribus, pro Republicâ, pro Magiſtratu, pro Eccleſiâ, pro Familiâ adimus, nos ipſos vincimus, & contra diabolum, mundum, carnem noſtram fortiter pugnamus. Breviter quid ſi tota militia ſpiritualis, tota ſchola tentationum, tota praxis reſipiſcentiæ, & mortificatio veteris hominis dicatur martyrium, an ideo martyrii definitione (quam ſupra *cap.* 4. explicuimus) ſublatâ, deſinet illud eſſe peculiaris virtus heroica ſpecie & formâ ab aliis virtutibus diſtincta? Abſit talis confuſio ſcripturę; rectæ rationi, & omni methodo atque ἀκριβείᾳ philoſophicæ repugnans. Accedit, quod *Biel concl. 9. tract. de fugâ peſtis* (qui exſtat inter ſermones poſt *Dominic. 24. Pentecoſtes*) & *Vaſquez* ad. 3. *Thomæ diſp. 153. cap. 3.* opinionem hanc repudiant. Teſtimonium Dionyſii apud

apud *Euſebium lib. 7. cap* 16. & 17. & *Martyrologii Romani* ad 28 Februarii, quò Diſputatores illi reſpexiſſe videntur, tanti nobis non eſt: præterquam quod illud ad πάθη & amplificationes magis quam ad λόγους & doctrinas referendum ſit; idemque, ut & iſtud, ſimile quid, non idem aſſeruiſſe videatur. Hæc enim verba apud *Euſebium* : μηδὲν ἀπολείπειν μαρτυρίου δοκεῖν *videri nibil abfuiſſe à martyrio* : (*Baronius* in *notis ad martyrol.* vertit, à martyrii ſplendore.) Hic τὸ *quaſi* aut τὸ *ferè*, aut τὸ *quodammodo* inpuitur. Verba Martyrologii ſunt : *quos velut martyres religioſa piorum fides venerari conſuevit.* Accedit, quod tunc martyrologium Romanum in infinitum eſſet augendum, ſiquidem catalogo inſerendi eſſent omnes fideles, qui laborem, pauperiem, diros morborum cruciatus, tentationes & deſertiones ſpirituales, dæmonum externas & internas infeſtationes, linguæ verbera, & quaſvis hominum injurias, quaſvis calamitates bellicas patiuntur: de quibus dici poſſet, vita ipſorum mors eſt, & *moriuntur quotidie*, & *mortificationem Chriſti in corpore ſuo circumferunt*, uti de ſe loquitur Apoſtolus. Porro quam caritatem & fortitudinem tempore peſtis fideles, præſertim Eccleſiæ miniſtri, oſtendere teneantur, alibi dictum eſt in 4. *part. ſelect. diſpp. tit. de Peſtis antidoto*, &c. Quæſtiones proximè ſequentes ſunt ejuſdem furfuris.

XIII. *Quæſt. An milites, qui occumbunt in bello pro defenſione Patriæ, præſertim Religionis? Reſp.* Tale quid volunt ex Pontificiis *Corn. à Lapide in Jacob. 5. pag.* 170. *Baronius* ad ann. 610. §. 2. & ad 664. §. 7. Et inter martyres ab Eccleſiâ Romanâ honorantur milites cæſi in occupatione Liſbonæ anno 1147., referente *Auberto Miræo in Faſtis Belgicis pag.* 622. 623. Et Jeſuitæ in Imagine primi ſeculi (verè mendace ordinis ſui panegyrico) ſuos aliquot ſocios militibus in prœlio permixtos & communem ſortem mactationis militaris ſubeuntes, faciunt martyres, *pag.* 808. 809 : qui tamen alias Zwinglio noſtro cum civibus ſuis in bellum proficiſcenti inſultant; de quo infrâ. Non mirum eos tam facilè μαρτυρολογεῖν: ſi enim Jacobus Clemens, Balthazar Gerardus, Henricus Garnetus, Nottingh & Paſman Jeſuitæ Trajectenſes ad Moſam, ſimileſque paricidæ & proditores (de quibus infra) ſancti Martyres cluunt; quidni milites, præſertim cruciati & voluntarii ad exſtirpandos hæreticos Albigenſes, Huſſitas, Proteſtantes in Germaniâ & Belgio pulcram ſcil. per vulnera mortem petentes. Ita olim Nicephorus Imperator Orientis milites honore martyrii afficiendos ſtatuit apud. Idem placitum ſectæ inter Muhammedanos Chaniſticæ. De illo vide *Hottingeri Hiſtor. Eccleſ. part.* 2. *pag.* 12. de iſtâ *part.* 5. *pag.* 652.

Ut de bello Germanico & Belgico loquamur; milites, & clerici, ſeu ſacer-

cerdotes militares, in prœliis cadentes nec fuerunt viri martyres, quia definitio martyrii illis non competit, nec pſeudo-martyres Romani. Quia in utroque bello Germanico, Carolus V. & Ferdinandus II. negârunt eſſe bellum Religionis. In eodem ut & in Belgico, & quidem ſub Præfecturâ Ducis Albani uſi ſunt operâ Præfectorum & militum Germanorum & Holſatorum Religionem Lutheranam publicè privatimq; profitentium. Nequid dicam de militibus quibuſdam & præfectis Religionis reformatæ. Idem de militibus & copiis quibuſdam Germanicis in bello Gallico ſub Henrico II. Carolo IX. Henrico III. militantibus certum eſt. Præterquam quod magna, ſi non major pars militum, ſint merè mercenarii, & carnes (ita loquar) venales; qui nec cauſam belli intelligũnt, aut ſi intelligant, ſuſque deque habent, ſoli ſtipendiolo & prædæ inhiantes. Quod ad milites Hiſpanos, Italos, alioſque peregrinos, qui in Germaniam & Belgium mactatum venerant, & ſtrenuè hoc agebant, ubicunque poterant; illi Papiſtis non magis parcebant quam Lutheranis aut Reformatis: promiſcuè omnes Belgas, quos caſtigatum venerant, proclamabant *inimicos Dei*, *Lutheranos*, *proditores regis*. Et ſic ferebat pronunciatum præſidis in Conſilio turbarum, licentiati Vergas: *Mali fraxerunt templa*, *boni nihil ſaxerunt contra: ergo debent omnes patibulari.* *Milites* Hiſpani, & Lutherano-Germani militantes Duci Albano ejuſque ſucceſſoribus, in Belgio à Patriȩ ac fortunarum ſuarum defenſoribus civibus aut militibus Belgicis, ſive Papiſtis ſive Reformatis, cæſi; examinati non ſunt, cujus eſſent Religionis: nedum ut propter ſpretam conditionem abnegandæ Religionis ſuȩ, occiſi eſſent. Adeo ut pluſquam puerilis ſit illa querela in Molani Natalibus Sanctorum Belgii, in ſubjecto Chronico pag. 200. b., *ut arbitrer unico illo anno* (*1572.*) *plures Belgas occubuiſſe Martyres*, *quam omnibus reliquis annis*, *qui à condito orbe anteceſſerunt*. Plurimos ab utrâque parte mactatos, docent Hiſtoriæ, majori numero tamen, & inſigni cum crudelitate à parte Hiſpano Papiſticâ: quod idem de Galliâ, præſertim memorando illo die Bartholomȩi, dicendum eſt. Sed ſi ſeriò hæc dicant, cur martyrologium ſuum non augent Sanctis illis pro Rege & Religione in Belgio pugnantibus in obſidione aut occupatione Zutphaniȩ, Roterodami, Nerdeni, Ouduatræ, Harlemi, Alckmariæ, Leidæ, Antwerpiæ, anno 1576. & 1583. &c. Cur 200. illorum civium, qui tanquam voluntarii milites adverſus Huſſitas Delfo profecti erant (teſte & laudante *Opmeerio in præfat. ad librum ſuum de Miſsâ*), memoriam feſtis, templis, cenotaphiis, ſtationibus Delfi non celebrârunt, & faſtis ac martyriis Belgicis conſignârunt? Quando quidem illos pleroſque in Huſſitarum manus incidiſſe, & terram, quam bello petierant, ore occupaſſe credendum eſt: Ziſca cum ſuis Bohemis undecim prœliis (teſte *Hiſtoriâ Æneæ Sylvii*) ſuperiore.

XIV.

XIV. *Quæſt. An qui per ſuperſtitioſa & illicita media à morbo ſuo liberari nolunt? Reſp.* Ita pronuntiat *Chryſoſtomus Homil. 6. adverſus Judæos pag.* 503. edit Gr. Lat. in 8. Sed exaggeratio hæc pingitur metaphorâ: propriè enim martyrium dici nequit, niſi unà omnes ex morbo morientes, ſine magicis & ſuperſtitioſis remediis adhibitis, martyrum ordini accenſere velimus. Magis catachreſtica eſt illa ejuſdem Doctoris amplificatio homil.8. ad Coloſſ. *Nihil hâc linguâ ſanctius, quæ in adverſis Deo gratias agit. Certè non inferior eſt linguâ martyrum, utraque pariter coronatur.*

XV. *Quæſt. An qui ſine neceſſitate, aut ſine juſtâ occaſione ſponte ſe offerunt, non fugiendo cum ex conſilio Chriſti fugiendum eſt; aut ad illa loca ſe conferendo, ubi nihil aliud quam martyrium exſpectandum? Reſp.* Quamvis tales à prudentiâ non laudemus, minimè tamen heroicum ipſorum zelum, quamvis ἀτοπήματι aliquo infectum, honore martyrii ſpoliandum cenſemus. Hinc eſt, quod poſtremæ martyrologii Belgici editiones Martyrum catalogo adſcribant Johannem Aventroot, qui Senex 84. annorum Ultrajecto, ubi annis aliquot commoratus fuerat, in Hiſpaniam profectus, ut Regem Philippum IV. de Religione Romanâ, & Antichriſto Romano commonefaceret, Hiſpali combuſtus eſt. Comparentur cum ipſo mulier Edeſſena apud *Ruffinum Hiſtor. Eccleſ. lib. 2. cap. 5.* & illi apud *Euſebium lib. 8. cap. 9.* De quibus infrà quæremus.

XVI. *Quæſt. An martyrium ſit Baptiſmus, aut loco Baptiſmi? Reſp.* Ita habet vulgata diſtinctio Pontificiorum in Baptiſmum flaminis, fluminis, ſanguinis. Vide *Bellarminum lib. 1. de bapt. c. 6.* cum Antagoniſtis. Occaſionem ipſis dederunt veteres. *Tertullian. de Baptiſmo cap.* 16. Et in *Scorpiaco adverſus Gnoſticos cap. 6. Origenes in Johann. tract.* 8. & in *Math. tract. 12. cap. 20. Cyprianus ad Fortunatum epiſt.* 73., & *de Stellâ & Magis; Ambroſ. in Pſalm.* 118. *Athanaſ. in quæſt.* 55. ſcript. *qu.* 103. & ad *Antiochum Principem, qu.* 72. *Proſper Epigramm.* 88. *Cyrillus Hieroſolymit. Catecheſ.* 13. *Auguſtinus ad Seleuciam Epiſtol.* 108. Gennadius Maſſilienſis, cujus verba inſolentia ex cap. 74. de Eccleſiaſt. dogmat. hic exhibeo, *Baptizatis tantum iter eſſe ſalutis credimus. Nullum Catechumenum quamvis in bonis operibus defunctum vitam æternam habere credimus, excepto martyrio, ubi tota Baptiſmi Sacramenta complentur.* Ubi porro ridiculum paralleliſmum inter Baptiſmum & martyrium inſtituit. Sed merus eſt luſus & deceptio in vocis ambiguitate. Dicuntur Martyres Baptiſmo baptizari *Luc. 12. v.* 50. ſed metaphoricè. Si Patres ſic intelligi atque explicari poſſent (uti omnes non poſſunt) non laboraremus. Nunc ipſorum παρερμηνεύμασι ſimplex Scripturæ ſententia præferenda eſt, quæ ex mandato Chriſti Baptiſmi ſignum ponit aquæ aſperſionem, factam per Miniſtrum in nomine Dei triuni. Atqui aſperſio ſanguinis

Digitized by Google

guinis humani per carnificem infidelem, ex mandato infidelium; ab eâ toto cœlo diſtat.

XVII. *Quaſt. Qualia futura ſint vulnera Martyrum in eorum gloriâ? Reſp.* Agit de hâc quæſtione *Raynaudus* in libro cit. Sed ad curioſas & ineptas eam relegamus.

XVIII. *Quaſt. An omnes martyres ſint electi & verè fideles Reſp.* Quæſtio huc redit, an fieri poſſit, ut quis vitam ponat pro veritate fidei, qui tamen non ſit verè regenitus & converſus. Nos non videmus ſimpliciter impoſſibile eſſe, ut illuminati & de veritate ac bonitate cauſæ Chriſtianorum convicti, generosè pro eâ patiantur: cum conſtet ex ſolâ naturali & civili honeſtate aliquos pro juſtâ causâ maluiſſe mortem obire, quam contra eam quidquam committere. Exemplo ſint Calliſthenes & Papinianus, & omnes illi, qui inter Gentiles pro Patriâ, & quâvis aliâ juſtâ causâ mortem perpeſſi ſunt; aut fortiter ad mortem ſe obtulerunt.

XIX. *Quaſt. An melior ſit eccleſiæ ſtatus ſub martyriis, aut ſub perſecutionibus & vexationibus, abſque martyriis: aut ſaltem ſub Principe & Magiſtratu à religioni & eccleſia communione alieno, quam tamen permittit aut tolerat. Reſp.* Si interna, ſpiritualia & eccleſiaſtica bona conſideres, melior & perfectior eſt eccleſiæ ſtatus: quia illa magis adſunt. Qualia ſunt cognitio, amor, cura, & conſervatio veritatis; praxis & vis pietatis & *ἀκρίβεια* in ſeceſſu ac ſeparatione à mundo; diligentia in exercitiis & conventibus eccleſiaſticis frequentandis; zelus in propagandâ veritate ad ſuos non tantum, ſed & alienos; pax, concordia, fortis caritas erga fratres; benignitas, in juvandis, & promovendis fratribus; *εὐταξία* in regimine eccleſiæ, quod ad vocationes miniſtrorum, conſtitutiones & ordinem eccleſiaſticum, ceremoniarum ſimplicitatem; adhortationis, correptionis, cenſuræ & diſciplinæ exercitium. Breviter ſic diſtinguo; ſi mala triſtia & extrinſeca reſpicias, infelicior & deterior eſt eccleſiæ ſtatus ſub perſecutione: ſin mala turpia & intrinſeca reſpicias, infelicior & pejor eſt eccleſiæ ſtatus, extra perſecutionem; hoc eſt, ſub principe ſive fidem approbante, ſive tolerante. Rationes non procul quærendæ.

1. *Rat.* Bonum crucis & afflictionem in genere, ex verbo Dei hinc applicandum. Pſal. 119. v. 71. *Bonum fuit mihi quod afflictus fui*, &c. v. 67. *priuſquam humiliarer ego errabam*, &c. 1 *Cor.* 11. v. 10. *Hebr.* 12. v. 5. - 11. 1 *Petr.* 1. v. 6. 7. &c. quæ alibi in locis & libris conſolatoriis (à nobis in *Exercitiis pietatis pag* 24. indicatis) deducuntur.

2. *Rat.* Communis experientia docuit nos, in exemplo eccleſiæ Apoſtolicæ, & poſt-Apoſtolicæ, uſque tempora Cypriani incluſè; eccleſiarum Waldenſium, & Bohemicarum, ante annum 1517. denique primarum eccleſiarum reformatarum in Galliâ, Belgio, &c.

3. *Ac-*

3. *Accedat* communis ſapientum conſenſus, hoc adagio teſtatus: *Eccleſia crucis, eccleſia lucis.* Et, *theologi crucis, theologi lucis.* Hieronymus in vitâ Malchi (tom. 1. fol. 116. edit. Froben.) *& per quos Chriſti eccleſia nata ſit: & adulta, perſecutionibus creverit: martyriis coronata ſit: Et poſtquam ad Chriſtianos Principes venit, potentiâ quidem & divitiis major, ſed virtutibus minor facta ſit. Verum hæc alias. Nunc quod imminet explicemus.* Chryſoſtomus in lib. contra Gentes (tom. 5.) *Quum in Imperatorium thronum conſcendit, qui nobiſcum in fide ac divinitatis opinione conſentit, hinc ſegniores efficiuntur Chriſtianorum res: tantum abeſt, ut illæ per humanos honores erectæ conſiſtant. Rurſus cùm impius aliquis imperator regnat, qui nos undique urget, qui nos infinitis malis exercet; tum eccleſia pretium accipiunt atque inclareſcunt: tum præmiorum ac triumphorum tempus, tum coronarum, præconiorum, ac virtutis omnis oſtentandæ facultas.* Idem homil. 34. in Mathæum talem comparationem diſſimilium inſtituit inter antiquam crucis, & ſui temporis eccleſiam: *Illi*, inquit, *quamvis omnibus expoſiti & objecti cruciatibus*, &c. *tamen non ſuccumbebant, ſed vincebant alacriter fortiterque: nec ſuam tantum, ſed aliorum quoque ſalutem ſtrenuè procurabant. At nos, qui altiſſimâ pace fruimur*, &c. *tantum abeſt, ut aliena, ut ne noſtra quidem ſaluti conſulere poſſimus: adeo elanguit omnis noſtra virtus*, &c.

XX. *Quæſt. An virginitas ſit martyrium? Reſp.* Affirmant ex Pontificiis *Baldeſanus* in Stimulis virtutum *lib. 2. cap.* 8. ubi ſuſtinet caſtitatis dignitatem parem eſſe martyrio.

Sed refutatur. 1. *Quia* definitio martyrii illi non competit; nec materiale aut formale, hoc eſt, nec pœna, nec cauſa. Neque enim violentâ morte ab aliis illatâ moriuntur: nec propter cauſam Chriſti, ſeu nomen ejus, aut verbum ejus, quod conſtanter profitentur. Confer ſupra, definitionem martyrii. 2. *Quia*, qui dono continentiæ præditus eſt (qualis Paulus 1 *Cor.* 7.) & virginalem caſtitatem cuſtodit, non uritur, non patitur, non cruciatur internè: nedum ut externè violenter patiatur, & quidem mortem. 3. *Quia*, ſibi ipſis contradicunt, dum martyres, virgines, Doctores tanquam diſparata diſtinguunt; eorumque aureolas, rubras ſcil. martyrum, candidas virginum, virides Doctorum: inſuper in litaniis ſuis, diſtinctè nominant & invocant, ſanctos confeſſores, martyres, virgines. 4. *Quia* ſi martyres eſſent omnes dicti ipſorum ſancti & ſanctæ, qui virginalem caſtitatem arctè & accuratè ſervârunt: neceſſariò inſerendi eſſent martyrologio Romano, & religioſè colendi; ſi non ſigillatim, (infinitum enim hoc pertranſiri non poſſet), ſaltem in faſciculos colligati juxta tempora, aut loca, regionum, monaſteriorum, &c. quomodo in martyrologiis recenſentur, & ad cultum proponuntur undecim mille virgines, Legio Thebæa, &c. 5. *Quia*, ſi qui ex dictis

ctis ipſorum virginibus, ſive maſculini, ſive fæminini generis contra cupiditates venereas & uſtiones fortiter pugnârunt, easque vicerunt; martyrii coronâ, ſint honorandi: utique præteriri non poſſent, qui avaritiam, ambitionem, vindictæ cupiditatem, qui στοργὰς omneſque alios affectus & cupiditates crucifixerunt: juxta mandatum Chriſti. *Luc.* 14. *v.* 26. *Math.* 16. *v.* 24 cum *Galat.* 5. *v.* 24. 6. *Quia* præ omnibus virginibus tanquam martyr honorandus ab illis fuiſſet, Michael Verinus: de quo nos in 4. *part. ſelect. diſpp. tit. de homicidio & læſione ſui ipſius pag.* 277. Sed hæc virginalis caſtitatis, & ſimilia interna certamina, metaphoricè & impropriè dicantur martyria. Jam vero enuntiatio impropria, propriè accepta eſt falſa. Et omnes verè converſi ac fideles, qui mundo crucifixi ſunt, qui carnem cum omnibus affectibus & cupiditatibus crucifigunt *Gal.* 5. qui cum Chriſto moriuntur, & morti Chriſti conformes fiunt *Philipp.* 3. *Rom.* 6. hac metaphoricâ alluſione dici poſſent martyres. Sed ideo ad peculiarem ordinem & dignitatem teſtium veritatis ſanguine ſuo obſignantium, primariò aut ſecundario referendi non ſunt.

XXI. *Quæſt. An omnes pſeudo-martyres; ſeu falsò dicti martyres; ſint martyres diaboli? Reſp.* Pſeudo-martyres ſunt,

1. *Qui* directè propter doctrinam aut praxin cultus dæmoniorum, aut Atheiſmum, Epicureiſmum, &c. occiduntur.

2. *Qui* directè & propriè propter blaſphemiam, idololatriam, hæreſim, parricidium, proditionem, ſeditionem, ἀλλοτριοεπισκοπὴν occiduntur. Et hi vel abſque reſipiſcentiâ ante mortem, vel reſipiſcentes.

3. *Qui* directè & propriè non causâ Chriſti, ſed pro causâ juſtâ, ſive communi & publicâ, ſive privatâ injuſtè patiuntur; ſive fideles illi ſint, ſive infideles, ſive orthodoxi ſive hæretici.

4. *Qui* ſpecialiter & tantum pro errore ſeu heterodoxiâ aliquâ aut delicto aliquo patiuntur; non pro fidei Chriſtianæ dogmatis, quæ alioqui tenent.

Prima claſſis, diaboli martyres dici debent: imprimis illi, qui ſeipſos ad cultum & honorem dæmoniorum occidunt: quales illi apud Japonios, in Jeſuitæ *Solieri hiſtoriâ eccleſiaſticâ* Japonenſium *lib.* 1. *cap.* 14. memorati; aliique *part.* 4. *ſel. diſpp. tit. de homicidio ſui ipſius.* Huc refer, qui ob liberos ſuos, alioſve homines mactatos & dæmoniis oblatos patiuntur. Idem dicendum de Julio (al. Lucio) Cæſare Vanino atheiſmi martyre. De quo ſupra, & in 1. *part. ſelect. diſpp. tit. de Atheiſmo.*

Secunda claſſis, merito diaboli martyres dicuntur: ſiquidem conſtanter placita aut facta ſua, abſque aliquâ reſipiſcentiæ profeſſione approbent. Quales Balthazar Gerardus paricida; cui Pontificii martyrii honorem tributum

Digitized by Google

tum eunt: de quo infra cap. ſeq. Idem dico de mactatis ſacerdotibus Baaliticis 1 *Reg.* 18. 2 *Reg.* 10. & 23. *v.* 16. Idem, de Godefrido à Valle Pariſiis combuſto; ſiquidem ſine reſipiſcentiâ in propoſito perſtiterit. Idem de Manichæis, Priſcillianiſtis, Gnoſticis, Valentinianis, & ſimilibus, ſi qui ob phanatiſmos ſuos paſſi eſſent. Serveto ob horrendas blaſphemias in Deum noſtrum, patienti, (quibus accedebat oppoſitio adverſus publicam poteſtatem,) martyrii honorem tribuunt nonnulli hæreſibus antitrinitariis faventes. Sed ille (ſiquidem ſine reſipiſcentiâ obiit) inter martyres diaboli, potius numerandus eſt. Nos alibi de ejus ſupplicio diſquirimus, in 3. *part. ſelect. diſpp. tit. de hæreſi.*

Tertia claſſis, nec martyres Chriſti ſunt, nec martyres diaboli. Quales Papinianus, & Calliſthenes inter Ethnicos: & multi in turbis Belgicis à conſilio turbarum (al. ſanguinis) & à particularibus tribunalibus injuſtè condemnati, ob cauſam libertatis & ſalutis Reipublicæ contra Hiſpanorum tyrannidem, verbis aut conſiliis legitimè promotam. Inter quos comites Egmondanus & Hornanus: imprimis Baro Montignius & Marchio Bergarum legati Belgarum ad Regem Hiſpan. Philippum 2. Quorum triſtem exitum deſcribunt hiſtoriæ belli Belgici; & accuratè *Joh. Dickenſonus* in Speculo Tragico Lugd. Batav. apud Lud. Elzevirium a. 1605. pag. 104.

Quarta claſſis, variant, ideoque diſtinctis concluſionibus de iis determinandum.

1. *Concl.* Si qui exſertè & tantum, aut ſaltem primariò, pro errore aliquo (e. gr. de Anabaptiſmo, aut de Pœdo-Baptiſmo, aut de illicito officio Magiſtratus ſub N. T.) patiuntur: non ſunt martyres Chriſti; nec tamen dicendi eſſent martyres diaboli, ſiquidem præcipua fidei dogmata teneant. Stipulæ enim illę fundamento inædificatæ, integritatem quidem, non vero eſſentiam Chriſtianiſmi tollunt. Pontificii, qui quemlibet errorem in fide aut circa fidem Chriſtianam, immo & dubitationem, hæreſim faciunt, & hæreticos omnes à ſalute excludunt, debebant memores eſſe Cypriani, quem ut martyrem & ſanctum colunt in ſententia illa de rebaptizandis, &c. perſtantem; quamvis propter illam ſpecialiter & exſertè paſſus non ſit.

2. *Concl.* Qui cætera boni Chriſtiani, ob delictum aliquod ἀλλοτριοεπισκοπῆς, aut zeli inordinati, aut contra legem pœnalem, propriè & tantum, aut ſaltem primariò patiuntur: Chriſti martyres non lunt dicendi; nec etiam martyres diaboli. Et tales erant illi, qui deſtruebant idola & idoleja, ut e.gr. Andas epiſcopus in Perſiâ, Marcus ab Arethuſâ, Nicomedienſis, aliique, de quorum facto diſquirimus in 3. *part ſel. Diſpp. tit. de Idololatriâ pag.* 309. & ſeqq. Antiqua eccleſia tales inter martyres numerari prohibuit, nec tamen martyres diaboli pronuntiavit. Pontificios dejectionem

imaginum in Belgio noſtræ religioni & eccleſiæ falſo imponentes, loco cit. refutavimus. Qui ex verbo Dei ſentit & profitetur, in foro poli illicitum eſſe imaginum cultum, is actu non ſpoliat templa, rapit & prædatur imagines cum pretioſis ornamentis & cimeliis; nec cuilibet hoc agendum docet aut ſuadet.

Si quis excipiat, tua iſta de imaginibus ſententia, poſſet eſſe occaſio iſtius ſpoliationis aut deſtructionis: *Reſp.* Eſſe occaſionem paſſivam ſeu per accidens. Sicuti vera & pia ſententia de abominatione impuritatum poſſet alicui eſſe occaſio, in populo & principibus populi (ſiquidem contra ſeptimum præceptum peccarent) tale quid tentandi, quale Pinehas *Numer.* 25. Ergone concludes non eſſe ſic ſentiendum, ſaltem non profitendum privatim aut publicè de abominatione impuritatum.

3. *Concl.* An Reformati martyres in Galliâ, Angliâ, Belgio paſſi veri fuerint martyres infra *cap.* ſequ. diſquiretur.

XXII. *Quæſt. An & quouſque liceat affectare martyrium, & ſe ad illud offerre, aut nemine interrogante, ſe periculis objicere? Reſp.* Varia exempla occaſionem huic quęſtioni dederunt. *Euſeb. lib. 7. cap.* 12. refert Priſcum, Malcum, Alexandrum Cæſareæ Paleſtinæ non requiſitos ultro ad judicem acceſſiſſe, & Chriſtianiſmum profeſſos eſſe. *Ruffinus lib. 2. cap.* 5. habet hiſtoriam fæminæ, quę præmonita à præfecto Chriſtianos Edeſſanos in loco conventus ſui occidendos; reſpondebat ſe ideo cum tenello filiolo, quem manu trahebat, tantopere feſtinare, ut & ibi inveniretur. *Cyprianus Negat. epiſt.* 83. (edit. Pamelii): „Ne quiſquam veſtrum aliquem tumul„tum de fratribus moveat, aut ultro ſe Gentilibus offerat: apprehenſus „enim & traditus loqui debet; ſiquidem in nobis dominus poſitus illâ ho„râ loquatur, qui nos confiteri magis quam profiteri voluit. Idem in lib. „de Mortalitate dicit, martyrium *non eſſe in noſtrâ poteſtate*, *ſed in Dei dignatione.* Et in lib. de Laude martyrii, ſub finem: martyrium *totum eſſe dominicæ promiſſionis & muneris*, &c. *nec capi niſi ejus imperio*, &c. Hujus ſententiam ſequuntur communiter Pontificii. Vide *comment. ad Thoma* 22. *qu.* 124. *artic.* 1.

XXIII. *Quæſt. Quid de fide, pietate, ſalute, quorumdam ſive non martyrum, ſive dubiorum, judicandum. Reſp.*

1. *Concl.* Omnium facta quibuſvis non imitanda.

2. *Concl.* Nec tamen omnia condemnanda, multo minus propter illa perſonam. Poſſunt enim in medio relinqui, & Dei judicio committi. Neſcimus enim quis divinus zelus & heroicus motus ipſis è cœlo impreſſus fuerit. Factum Nicomedienſis, Marci Arethuſi; immo & eorum qui ipſi in ignem aut aquam inſilierunt aut manus ſibi intulerunt, Pontificii defendunt

Digitized by Google

dunt aut excuſant. De quo in 3. *part. ſel. diſp. tit. de idololatr.* & 4 *part. tit. de homicidio ſui ipſius* : Et Wigandus in tract. de confeſſione. *Difficile eſt*, inquit, *de his & ſimilibus factis pronuntiare: ſunt enim ſingularia & particularia*, &c. *Illa igitur particularia arcano Dei judicio permittimus.*

3. *Concl.* Nec etiam omnes honore martyrii privandos putamus, quorum confeſſioni, heroicæ fortitudini & martyrio, in principio, aut medio, aut fine ἄτοπον acceſſiſſet; quod plerumque irritamentum, & hoſtibus proxima occaſio eſt eos affligendi: non tamen ſola & adæquata cauſa. E. gr. ſi nullus Chriſtianus ob puram fidei profeſſionem ad ſupplicium rapitur, niſi ille qui delubrum incendit, aut idolum dejecit, & hanc ſolam aut principalem cauſam judicis ſententia exprimit; jam inter martyres non eſt numerandus; quamvis cætera pius & orthodoxus. Sin alii Chriſtiani ob fidei profeſſionem & ante & tunc temporis iſtic ſupplicio affecti ſint, & hic ipſe non tantum ob particulare illud factum, ſed etiam ob conſtantem fidei profeſſionem, neci detur, idque ferat ſententia judicis: jam martyrii honorem illi negandum, non arbitror. Si illi inter primarios locus non detur; ſaltem inter ſecundarios.

XXIV. *Quæſt. An martyres ſint omnes milites, in bello juſto Chriſtianorum contra infideles aut hæreticos, & quidem pro fidei defenſione ſuſcepto, occiſi? Reſp.* Neg. Quia milites illi ob conſtantem fidei profeſſionem non occiduntur: neſciunt inimici eorum, an ſinguli occiſi unquam fidem illam ſuſceperint, tenuerint, profeſſi ſint. Adeo ut irrationalis fuerit lex Nicephori imperatoris anno 964. quâ caverat, ut omnes milites à Saracenis cæſi inter martyres numerarentur: uti refert *Curopalates* in hiſtoriâ. Similiter pſeudologiis, aut acurologiis accenſendi ſunt honores martyrum ſi qui tributi ſint illis, qui in cruciatis expeditionibus contra Saracenos, ad recuperandam Palæſtinam aut ſepulcrum domini (de quibus nos in 2. *part. ſelect. diſpp. tit. de Staurolatriâ*, &c.); aut contra dictos hæreticos Albigenſes, & Bohemos ſive Huſſitas; aut poſt ortum reformationis contra hæreticos (quos ita vocabant) in Galliâ, Germaniâ, Belgio, Hyberniâ, Pedemontio, Rhætiâ, &c. perierunt. Præterquam quod fuerunt prædones, latrones, & innoxiorum hominum perſecutores; occiſi non ſunt propter fidem, ut verbis *Thomæ à Jeſu (lib. 5. de converſione omnium gentium*, &c. *part.* 3 *dub.* 1.) hoc determinem: „ Tertia, inquit, martyrii conditio, ut „ mortem non obeat, quaſi ex conſequenti, ut fit, quando quis intendit „ aliquid aliud, & præter ejus intentionem etiam implicitam ſequitur: Et „ ob defectum hujus conditionis mors militum in bello, etiamſi propter „ fidei defenſionem occumbant, minimè eſt martyrium; *quia potius quærunt inferre, quam ſufferre tormenta.*

XXV. *Quæſt. An dentur gradus martyrii, & unde illi ſumantur. Reſp.* Aff. Martyrium altero martyrio eſt excellentius : idque vel ob longa & immania tormenta, & atrociſſimum ſupplicii genus; vel ob fortitudinem, ἐνθυμίαν, triumphum, ſingularem in fidei confeſſione & glorificatione; in amoris divini fervore, cruciatuum & ignominię contemtu oſtenſum. Minime autem ἐξοχὴ ſeu excellentia martyrii ſumenda eſt ex rebus hujus mundi, e. gr. divitiis. Hæc enim eſt μετάβασις εἰς ἄλλο γένος à ſpiritualibus ad carnalia & terrena. Uti ἰσότιμος πίστις (2 *Petr.* 1.) gradus excellentiæ non recipit à bonis fortunæ, quæ fidelis quis poſſidet, nec æſtimanda eſt fides cum reſpectu perſonarum (*Jacob.* 2. *v.* 1.) : ſic nec martyrium. Adeo ut Jeſuita *Sylveſter Petra Sancta* in ſcripto ſuo contra Petrum Molineum plane ἀθεολόγως, immo & ſcurriliter perſtrinxerit martyrologium Anglicum Joh. Foxi, quod martyribus ſuis inſeruerit agricolas, textores, fabros ferrarios & homines de populi fæce 282. fæminas & lanificas 64. : & quod tam *multa quiſquiliæ in cœlum intrare compelluntur* : Hæc verba ejus formalia, quæ excerpta *Molineus in ſuo Hyeraſpiſte* 1636. ei ob oculos ponit. Sed oblitus erat Sylveſter, martyres veteris eccleſiæ pleroſque fuiſſe pauperes, quippe ante à perſecutoribus ſpoliatos, latitantes, extorres, incertis ſedibus vagantes. Quod ſi ad fidem & eccleſiam crucis, accedentes, plerique ſunt pauperes, tenues, imbelles (juxta 1 *Cor.* 1. *v.* 26. 27.), quomodo plerique martyres eſſent divites, nobiles, potentes in hoc ſæculo?

XXVI. *Quæſt. An quis à vera & quod ad ſummam rei orthodoxa eccleſia membris, ob conſtantem veritatis alicujus (ad primam aut ſecundam theologiæ partem pertinentis) confeſſionem martyrio affici poſſet? Reſp.* Tale quid cadere poſſe in orthodoxos & bona (ſaltem non improbos) colligimus ex exemplo Regis Aſæ Prohetam Hanani incarcerantis, & aliquos ex populo affligentis 2 *Paral.* 16. *v.* 10 & regis Joaſi Zachariam occidentis 2 *Paral.* 24. *v.* 21. Exempla hujus & ſuperioris ſæculi lectori in rerum ab anno 1517. uſque hunc præſentem geſtarum, cognitione verſato, ſeligenda relinquo, virorum Dei, quibus mundus non erat dignus; qui à verę religionis conſortibus malè & ignominiosè habiti, oppreſſi, expulſi, incarcerati, morte intentatâ, etiam mortis ſententiâ in ipſos latâ, tentati. Exſtat libellus *Joh. Pierii Valeriani* de infelicitate literatorum, cum appendice anno 1647. Amſtelodami recuſus. Ad ejus imitationem conſcribi poſſet libellus de *infelicitate theologorum*, à Proteſtantibus & reformatis (nomine ſcil. & externâ profeſſione) ob cauſam veritatis aut pietatis, afflictorum. A catalogo illo excludi deberent, qui ab infidelibus, aut apertis reformationis hoſtibus paſſi ſunt : quoſque ideo inter martyres & confeſſores numeramus. Multò

tò magis excludendi, qui ob notorium delictum aut cauſam quam politicam juſtè aut injuſtè paſſi ſunt. Exemplum unum atque alterum, ſpeciminis causâ hic indico. *Primus* ſit *Melanthon*, & ὁμόψηφοι ob cauſam de cœnâ domini in Germaniâ, præſertim in Saxoniâ & Palatinatu vexati. *Secundus* ſit *Calvinus*, ob cauſam poteſtatis & diſciplinę eccleſiaſticæ Genevâ ignominiosè ejectus. *Tertius* ſit *Nicol. Hemmingius* in Daniâ, ob cauſam de cœnâ domini, à profeſſione theologicâ remotus. *Quartus* ſit *Cartwrightus*, aliique non pauci in Angliâ loco moti; aliqui etiam carceribus, exilio, deportatione, &c. mulctati ob cauſam ceremoniarum, aut hierarchię, aut utramque. *Quintus* ſit *Andreas Melvinus*, ob eccleſiæ poteſtatem, regimen, diſciplinam aliqua paſſus; aliique ex Scotis complures ante & poſt eum. De theologis Belgis ob cauſam diſciplinę in genere, aut ob debitas adhortationes, correptiones, cenſuras indigna paſſis, quæ vel ipſe vidi, vel ex ſenibus audivi, vel ex editis ſcriptis didici, hac vice non referam: ſed aliis poſt me commemoranda relinquam, ob rationem, quâ Stella vitas Pontificum concludit. Hic monendi, qui quæſito quovis prætextu, cum Achabo rege veriloquum Micham oderunt, falſos Prophetas aut adulatores amant; videant, dum infelicitatis theologorum catalogos augent, ne ipſi aliquando augeant *ſpecula tragica*. Si quidem *juſtum eſt apud Deum*, &c. 2 *Theſſal.* 1. *v.* 5. Exhibeo verba *Lavateri* ex *commentar.* ad 2 *Paralip.* 16. *v.* 10. *p.* 145.

„ Eſt, inquit, hoc ferè ingenium principum, ut putent omnia recta „ eſſe quæ faciunt, aliquando volentes ſcienteſque mala, etiam admoniti, „ cum faciant, tamen volunt laudari: Hinc fit ut adulatores in deliciis ha„ beant. Si taxentur, putant crimen eſſe lęſæ majeſtatis, ideoque ſæviunt „ in prophetas. Similia exempla multa extant. Helias cum propter ini„ quam cędem Nabothi Achabum reprehenderet, odium ejus incurrit. „ 3 *Reg* 21. Idem rex, Micheam ut infra 18. cap. narratur, odio habebat, „ cumque de belli eventu quod ipſe & Joſaphatus reges parabant, infau„ ſta prædiceret, eum juſſit in carcerem conjici, donec è bello rediret. „ Zacharias Jojadæ ſacerdotis filius, palam Joam reprehendit, propter ido„ lorum cultus, quę cauſa fuit, ut in atrio domus Domini lapidibus obrue„ retur. Sedechias Jeremiam in deterrimum carcerem concluſit, Joachi„ mus Uriam ex Ægypto retractum interfecit, Herodes Antipas Joan„ nem Baptiſtam. Apud Gentiles quoque exempla multa ſunt regum, qui „ correptionem indigniſſimè tulerunt. Herodotus ſcribit, quod cum Pre„ xaſpes Cambyſem regem propter temulentiam reprehendiſſet, rex juſſe„ rit adduci ejus filium in convivium, & arcum intendens, cor adoleſcentis „ ſagitta transfixerit, quod patri cum oſtendiſſet, juſſit eum Perſis ſuis nun-

Digitized by Google

„ciare, quod rex etiam inter pocula non aberraret. Philo in lib. de Lega-„tione ad Cajum, ſcribit, quod Tiberius propter multas ſuſpiciones „Cajum adoptione nepotem, ter ad necem poſtularit, quodque Macro „qui in ordine equeſtri primas tenebat, ſuis obſecrationibus eum eripue-„rit, operamque dederit ut poſt obitum Cæſaris Cajus ſolus in imperio „ſuccederet, quodque nihil mali ſuſpicatus, liberè Imperatorem monue-„rit, at illum caſtigatorem non tuliſſe, ſed tandem illum cum uxore ejus, „quam ſtupraſſe putabatur, omnibuſque domeſticis interfeciſſe. Hiſtoria eſt „lectu digniſſima. Subjungit aliam de M. Silano ſenatore, illuſtri nato „familia, ſocero Cai, is, dicit Philo, jam defuncta filia, tamen non de-„ſiit generum colere paternis officiis, ſperans mutuam benevolentiam „tanquam à filio, afferebat ei ſemper ſermones pertinentes ad corrigen-„dos mores vitamque principis, nihil diſſimulans & liberè admonens „quid ejus majeſtatem deceret, fretus tum eximia nobilitate, tum fami-„liaritate domeſtica. At ille officium interpretatus contumeliam, quod „ſibi videretur prudentiſſimus, temperatiſſimus, fortiſſimus, juſtiſſimus, „oderat hominem hoſtiliter, ſicut monitores cæteros: ratus igitur hunc „quoque eſſe obſtaculum ſuis cupiditatibus, eum dolo peremit, &c. „Quid verò dicimus de principibus, cum ne cives quidem & agricolæ re-„prehenſiones concionatorum ferre velint aut poſſint? Statim enim „excandeſcunt, & dicunt ſibi injuriam, fieri. Cogitandum erat, inter „alia hoc quoque ab eccleſiarum miniſtris requiri, ut taxent ſcelera, ne-„que eos eſſe bonos viros, ſi ſuo ſilentio homines in malo confirment: item „quod faciunt, ad utilitatem pertinere illorum qui caſtigantur.

CAP. VII.

Continens quæſtiones quaſdam hypotheticas de Martyribus.

QUæſtiones illæ fiunt vel ad ſcripturam, vel ad antiquitatem eccle-ſiaſticam, vel ad novitatem.

§. 1. Quæſtiones ad ſcripturam ſunt.

I. *Quæſt: An Jobus fuerit martyr. Reſp. Chryſoſtomus hom.* 1. *in* 2. *ad Corinth.* vel 25. ad popul. Antioch. affirmantem probare conatur: inter alia aſſerens Jobum ſexcentis martyribus graviora paſſum. Eandem ſententi-am tenet Jeſuita *Raynaudus*, *tract. de martyrio* per peſtem *part.* 1. *cap.* 2. ubi *martyrium patientiæ* (uti vocat) & ſpecialiter Jobi, admodum amplifi-cat. *Pineda* in *comment. ad Job.* 2. *v.* 8. conſentit: ſolâ hâc ratione allatâ, *Quod ſufficiat*, ut quidam docti theologi exiſtimant (citat in margine *Vigue-rium*)

rium) accepiſſe vulnera lætalia, ex quibus mors naturaliter ſequeretur. Quod ad *Viguerium ibi cit.*, is *cap.* 6. Inſtitut. §. 1. *v.* 4. rationibus probat, quod „realiter ſuſtinere mortem pertinet ad perfectam rationem martyrii. Et „addit *per alias pœnas, dolores, tormenta,* &c. *non eſſe* martyres, niſi ſe„cundum quod ex his ſequitur mors: ſicut in D. Marcello Papâ, qui „ſqualore carceris mortuus eſt. Ideo ejus martyrium eccleſia celebrat. Nec „meritum martyrii eſt poſt mortem, ſed in ipſâ voluntariâ mortis ſuſti„nentiâ: licet contingat quandoque, quod aliquis poſt lethalia vulnera, „vel quaſcumque tribulationes continuatas uſque ad mortem, quas à per„ſecutoribus patitur, diu vivat. In quo ſtatu actus martyrii meritorius eſt, etiam ipſo tempore quo afflictiones patitur. *Corn. à Lapide in comment.* ad *Jacob.* 5. probat *Chryſoſtomum* ibi cit. qui Jobum facit martyrem. Idem ibid. facit eundem typum Chriſti, & 30. morbos enumerat, quibus afflictus fuerit. De multis iſtorum morborum quærit & determinat *Pineda* loco cit. inter alia etiam de morbo Gallico, ad *v.* 8. *ſect.* 5. ubi inclinat in ſententiam aff. & à dæmone potuiſſe illum morbum immitti. Hinc factum arbitror quod in hac urbe domus, ubi morbo illo laborantes curabantur, *S. Jobi hoſpitale* nominata ſit. Sicuti etiam illo morbo infecti vulgari adagio de *S. Jobi gradibus cecidiſſe* dicuntur. Colitur, ni fallor, S. Jobus & peregrinationes ad eum fiunt, in vico Brabantiæ dicto *Weſemale.* Nos diſquiſitiones de generibus morborum Jobi otioſas, de morbo Gallico indecoram, & martyrii præconium, nominis abuſum judicamus.

II. *Quæſt. An Lazarus (de quo Luc. 16.) inter martyres numerandus. Reſp.* Ita quidem *Raynaudus* loco ſupra cit. *Reſp.* 1. eſſe parabolam: & conſequenter Lazarum illum eſſe ſanctum chimæricum. Saltem certo probari non poteſt eſſe hiſtoriam. Rationes quas contra adducit *A Lapide in Luc.* 16., minimè ſtringunt. *Reſp.* 2. dato eſſe hiſtoriam, non tamen ſequitur eum fuiſſe martyrem: quia definitio martyrii à nobis ſupra, & à *Viguerio* loc. cit. aliiſque Pontificiis propoſita, ei non convenit.

III. *Quæſt. An Longinus, quem latus Chriſti lanceâ pertudiſſe putant? Reſp. Uſuardus, & Martyrologium Romanum* ad 15. Martii, & legendarii ejus martyrium affirmant. Sed militem illum innominatum (*Joh.* 19.) dictum fuiſſe Longinum, & Chriſti factum præconem, & martyrem: ferreæ legendæ fide non tenemur credere.

IV. *Quæſt. An latro in cruce? Reſp.* Affirmare velit *A Lapide in Luc.* 23. prætendens hanc rationem probabilem ab aliis allatam. Quod Judæi propter confeſſionem Chriſti, mortem ejus aggravârint, & accelerârint. Sed hoc conjicitur quidem, non probatur. „Dicamus ergo cum eodem *A La*„*pide*: ob paſſionem ſuam verè, propriè & præcisè non fuit martyr; quia „paſſus eſt pro ſuis ſceleribus, non pro Chriſto.

V.

V. *Quæſt. An B. virgo fuerit martyr. Reſp.* Communiter Pontificii tribuunt illi aureolam Martyrii *Pineda in Joh.* 2. aliique ex Pontificiis: inprimis qui ſeptem ejus dolores deſcribunt; & patrum quędam dicta adducunt. *Reſp.* Sed rectè *Thomas* 22. *qu.* 124. *art.* 4. & cum illo, *Viguerius* loco cit. reſpondet, autoritates illas loqui, de martyrio incompleto, *vel per ſimilitudinem.*

VI. *Quæſt. Cur Stephanus Actor. 7. communiter dicatur πρωτομάρτυς? Reſp.* Quia primus poſt Chriſtum in & ſub ſtatu eccleſiæ, N. T. martyrium pro Chriſto ſubiit. Inter mulieres Teclæ peculiàriter πρωτομάρτυρος titulus tributus fuit. Paſſa dicitur ſub Nerone: ſed acta ipſius Hieronymo apocrypha videntur. *Baronius* in *notis ad martyrologium* 23. Septembris, & in *annal. ad an.* 47. §. 3. & *ſeqq.*, ſtudet ea defendere. Vide de hâc aliqua δύσπιστα apud *A Lapide* in *Actor.* 14. *v.* 1. Ἱερομάρτυρες dicti, qui ſacris ordinibus initiati morte ſuâ fidem obſignârant. Μεγαλομάρτυρες, qui dignitate aliquâ civili conſpicui erant, magiſtratum ſcil. obeuntes, aut loco & genere nobiliori editi. Καλλομάρτυρες, mulieres & virgines coronatæ. Ἀγελομάρτυρες, quilibet promiſcuâ de multitudine. Μέγας ὁ μάρτυς dicitur Chriſtus, omnium martyrum dux & Imperator ſummus: qui ὁ μάρτυς ὁ πιστὸς *Apocal.* 1. *v.* 5. & 3. *v.* 14. ὁ μαρτυρήσας ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου τὴν καλὴν ὁμολογίαν 1 *Timoth.* 6. *v.* 13.

§. 2. Ad antiquitatem eccleſiaſticam pauculas has quæſtiones propono.

I. *Quæſt. An probandum quod à martyribus venia penitentibus* aut *lapſis concederetur? Reſp.*

1. *Concl.* Quod commendationem & interceſſionem à martyribus peterent, ſimpliciter improbari nequit.

2. *Concl.* Nec etiam, quod martyres animo, deſiderio, & ſtatu pœnitentis cognito, nudam interceſſionem aut cauſæ illius commendationem apud eccleſiæ Epiſcopos & presbyteros præſtarent.

3. *Concl.* ſed minime probandum, quod ad laxationem diſciplinæ & εὐταξίας eccleſiaſticæ perturbationem tam facilè lapſis veniam procurabant.

4. *Concl.* Multò minus probandum, quod veniam ipſis dabant, & communionem ipſis adjudicabant; & quidem libellis. Hoc vocabant lapſis pacem dare. Et hoc ratum erat apud eccleſiam. Nec mirum. Si enim martyres opinione eorum, *impetrant de domini bonitate, quidquid poſtulant* (ut loquitur Cyprianus *epiſt.* 16.), quidni quęvis impetraſſent ab Eccleſia, ſi modo pro lapſis petiiſſent. Sed cum peremtoriè ſtatuerent, erat manifeſta uſurpatio poteſtatis eccleſiaſticæ, & judicium de rebus non exploratis; atque adeo multorum malorum cauſa. De hoc uſu & abuſu vide *epiſtolas Cypriani* 11. 15. 21. 22. 23. 29. 30. Agit de eo ex profeſſo *Albaſpinus in obſervat. eccleſ. lib.* 2. *obſerv.* 19.

Digitized by Google

II. *Quæſt. An Vigilius Epiſcopus Tridentinus ſit martyr, qui lapidatus eſt à ruſticis, quod eorum Saturnum confregiſſet? Reſp. Uſuardus* & Martyrologium Romanum ad 26. Junii martyribus eum adſcribit. Et autor vitæ ejus, quam Caſſander præmiſit libris Vigilii contra Eutychen anno 1555. Eandem Tigurini epiſtolæ *Joachimi Vadiani* de *quæſt.* an corpus Chriſti propter conjunctionem cum verbo, &c. & Vigilii 5. libris c. Eutychen præmiſerant a. 1539. apud Froſchouerum in 8 Sed quia non ob conſtanter editam fidei confeſſionem, ſed ob dejectum & confractum Saturnum; & quidem tumultuariò ab iratâ atque irritatâ plebe; non juſſu Magiſtratus, aut ſervatâ figurâ proceſſus, interemtus eſt: meritò quæri poſſet, an propriè ſit dicendus martyr; & ſi dicendus; an non cum aliquâ diminutione. Vide quid de Marco Arethuſo, Nicomedienſi, &c. in 3. *part. ſelect. diſpp. tit. de Idololatriâ pag.* 309. & *ſeqq.* Quod ſi Vigilius ſit Martyr, ſaltem ſecundarius; non deberet à Pontificiis, aliiſque tantopere facinus iconoclaſtarum Belgii tantopere exaggerari; ut illo innoxiæ eccleſiæ & religioni noſtræ per atrociſſimam calumniam impoſito, odium conflaretur.

III. *Quæſt. An ſeptem dormientes ſint martyres? Reſp.* Aff. *Durantes* in *Rationali fol.* 227. a. Sed primo, conſtare deberet an fuerint in rerum naturâ. Vide de iis 3. *part. ſelect. diſpp. tit.* de ſanctis Chimericis.

IV. *Quæſt. An Boëthius fuerit martyr? Reſp.* Aff. *Phil. Ferrarius* in novo catalogo ſanctorum extra martyrologium ad 23. Octobr. *Petrus de Natalibus* in catalogo ſanctorum *lib.* 9. *cap.* 99. *A Lapide* in *Proverb.* 14 *v.* 13. Sed rectius *Baronius ad ann.* 525. §. 13. „Ex his intelligas non fidei causâ, „ſed regnandi jure Theodoricum eſſe commotum, ſuſpectoſque ipſi Ro„manos redditos conſpirationis occultæ cum Juſtino imperatore, &c. Idem fere habet Thomas (ſi ipſe autor ſit), in prologo ad commentarios in Boëthii lib. 5. de conſolatione. Quod hic obſervandum Pontificiis, & aliis, ſi qui ſunt ipſorum æmuli, qui martyres faciunt, qui injuſtè in bellis, præcipuè inteſtinis, & in mutationibus & tranſlationibus regnorum ac politiarum occiduntur: uti aliquando viri optimi inter contrarios fluctus opprimuntur. Hiſtoriam de Boëthii Ticinenſi carcere, & extremo ejuſdem, ut & ſoceri Symmachi ſupplicio, habet *Paulus Diaconus lib.* 17. *Sigonius* de regno Italiæ, *Baronius*, ad ann. 125. & 126. Et *Jul. Martianus* in vitâ ejus *Boëthii* libris de conſolatione (edit. *Bernartii* a. 1607.) præmiſſâ: qui conjicit, *Boëthium* ob orthodoxæ doctrinæ de Trinitate defenſionem à Theodorico Arianiſmi conſecraneo perſecutionem paſſum eſſe. Sed hic σχάτημος eſt: certa eſt δίκη politica innoxio Boëthio ſcripta, & à Theodorico præſumta. Ex recentioribus plenius vitam *Boëthii* deſcripſit *Petrus Bertius*, in editione 5. libr. de conſolatione in 24. à ſe Lugd. Batavor. procuratâ a. 1620.

V. *Quæſt. An antiqui martyres, qui primo, ſecundo, tertio ſeculis uſque ad ſuſceptum à Conſtantino M. Chriſtianiſmum pro fide obierunt ſint noſtri, an Papiſtarum? Reſp.* Papiſtæ, ut patres, ſic & martyres Papiſmi ſui profeſſores, confeſſores teſtes, communiter obtendunt. Sed ſi Papiſmi martyres ſint; oſtendendum eſſet, Papiſmi profeſſionem iis ab adverſariis fuiſſe impoſitam, à judicibus in ejuſdem confeſſionem fuiſſe inquiſitum, à reis in judicio declaratum ſe credere & tenere Papiſmum, abnegationem ejuſdem Papiſmi à judicibus poſtulatam, & reos ob non negatum ac rejectum Papiſmum, & ob conſtantem ejuſdem profeſſionem à Judicibus condemnatos, & capitali ſupplicio affectos fuiſſe. Papiſmum autem formaliter eſſe & conſtitui dicimus, per ſyſtema dogmatum ſeu articulos credendorum, quibus à Chriſtiana & reformata religione, & à reformatis ſpecificè differunt. Una enim eademque forma ſpecifica eſt diviſiva & conſtitutiva. Quomodo Ethniciſmus, formaliter non eſt cognitio & agnitio Dei, ſeu numinis & *κοινῶν ἐννοιῶν* ſeu principiorum practicorum: nec Judaiſmus formaliter eſt profeſſio unius Dei, creatoris, conſervatoris, gubernatoris, & immortalitatis animæ, reſurrectionis mortuorum, &c.: Nec Muhammediſmus formaliter eſt cognitio & profeſſio earum veritatum, quas quod ad materiam ſeu materialiter nobiſcum communes habent; ſed fides & profeſſio eorum, quæ à fide Chriſtianâ diſſident, immo ei adverſantur. In his forma & differentia ſpecifica, diviſiva & conſtitutiva quærenda eſt. Si quis Muhammedanus Ignatium, aut Irenæum, Juſtinum, &c. ſuos martyres diceret, probandum illi non eſſet, ex veritatibus de uno Deo creatore & gubernatore omnium, de Chriſto ex virgine nato, de beatitudine piorum poſt hanc vitam, de cruciatibus impiorum, de tribuendo cuique ſuum, &c. quæ materialiter ſeu ſecundum ſuum materiale conſideratæ. illis cum Chriſtianiſmo communes ſunt. Hæc enim non ſunt forma ſpecifica Muhammediſmi. Sed probandum eſſet illos martyres fuiſſe profeſſos dogmata Muhammediſmi, quę à Chriſtianiſmo abeunt eique adverſantur; & quibus Muhammediſtę à Chriſtianis, formaliter aut ſpecifice diſtinguuntur. Jam vero Papiſmus, formaliter & in ſpecie non conſtituitur, nec à genuino Chriſtianiſmo, ſeu reformatione diſtinguitur; per profeſſionem articulorum de Deo uno trino, de Chriſto Deo & homine in unitate perſonæ, de ejus nativitate ex virgine, eoque mediatore & ſalvatore, de vitâ æternâ, de pœnis infernalibus, de reſurrectione mortuorum, de judicio extremo, de invocatione Dei, de ſacramentis baptiſmi & cœnæ dominicæ, de monogamiâ, &c. Sed ſpecificè conſtituitur & à reformatione ac reformatis diſtinguitur, per profeſſionem ſequentium articulorum; de mediatoribus aliis præter Chriſtum, de aliis numinibus invocandis præter Deum unum & trinum; de cultu imaginum

Dei,

Dei, Chriſti, ſanctorum; de purgatorio & limbis, aliiſque compluribus, ex quibus decem compendii causâ, in *Deſper. causâ Papatus lib. 3. ſect. 2. cap. 2.* ſelecta antagoniſtæ meo indicavi: ad quæ ille, aut quem ille ſibi ſubſtituerat, *Froymundus* theologus Lovanienſis nihil reſpondit. Provoco Pontificiæ cauſæ patronos, ut vel unicum ex antiquis martyribus producant, qui profeſſus fuerit infallibilitatem & monarchicam poteſtatem Papæ, directam in ſpiritualibus, indirectam in temporalibus; religioſam imaginum (Dei, Chriſti, ſanctorum) adorationem; corporis & ſanguinis Chriſti ex pane & vino tranſubſtantiati ſub ſpeciebus panis & vini oblationem in ſacrificium propitiatorium pro peccatis vivorum & mortuorum, &c. quique eo nomine delatus fuerit & accuſatus coram judicio, à judicibus ſuper iiſdem examinatus, coram iis eadem conſtanter confeſſus, ac propterea ab illis condemnatus fuerit. Atqui hoc ne tentabunt quidem. Sed excipitur.

1. *Except.* Si non fuerunt Papiſtæ, nec etiam fuerunt reformati. quia in aliquibus diſſenſerunt à reformatis, & ipſis repugnantia tenuerunt. *Reſp.* 1. Si non fuerunt Papiſtæ nec tamen reformati, non debent ſaltem Papiſtæ eos pro ſuâ causâ contra reformatos allegare. *Reſp.* 2. Velim ex hiſtoriis & actis martyrum ſive antiquis ſive recentioribus, ad oculum oſtendi adverſantia illa dogmatis reformatis, quæ illi conſtanter profeſſi ſint, & pro quibus ſanguinem effuderint. *Reſp.* 3. Dato martyrem aliquem in aliquo diſſenſiſſe à doctrinâ reformatâ, inde tamen non ſequeretur, eum non eſſe genuinum martyrem, aut non eſſe noſtrum martyrem. Habet nævum & errorem aliquem Ignatius (ſiquidem ſint genuina omnia Ignatii, quæ in epiſtolis ejus cętera forte genuinis, hodie leguntur); non unum habet errorem *Ireneus*, *Juſtinus*, *Cyprianus*, in quo à reformatis diſſentiunt: inde tamen inferri non debet, eos non eſſe veros martyres, aut non eſſe martyres noſtros. Vide 1 *Cor.* 3. *v.* 11. 12. *Philipp.* 3. *v.* 15. 16. ubi de fundamentali & neceſſariâ ad eſſe fidei doctrinâ. Præterquam quod probari non poſſit, eos in errore, aut pro errore illo mortem ſubiiſſe, aut propter eundem ab hoſtibus ſupplico affectos. Confer quę *Auguſtinus* pro Cypriano piiſſimo & orthodoxo martyre errorem circa baptiſmum errante ἀπολογίζει, *epiſt* 48. „Correxiſſe autem ſententiam non invenitur, non „incongruenter tamen de tali viro exiſtimandum eſt, quod correxerit, „& fortaſſe ſuppreſſum ſit ab iis, qui hoc errore nimium delectati ſunt, &c. Similia habet *lib. 2. de baptiſmo c. Donatiſt. cap.* 4.

„ *Idem lib. 2. c. Creſconium cap.* 38. „b. Cyprianus de baptiſmo repetendo ſi quid aliter ſapuit, pro tantis meritis flagrantiſſimæ caritatis „corrigendum procul dubio dominus revelavit, *quia in eâ vite permanſit*,

„*manſit* , tanquam ſarmentum tanto fructu pacis & dilectionis opulen-„tum, &c.

„ *Idem epiſt.* 255. Si quid S. Cyprianus habeat , purgandum glorioſà „martyrii falce purgatum;non quia pro Chriſti nomine occiſus eſt, *ſed quia* „*pro Chriſti nomine in gremio unitatis occiſus eſt.*

„ *Hieronymus adv. Lucifer.* Sciant illum (Cyprianum) hæc non cum ana-„themate eorum , qui ſe ſequi noluerant , edidiſſe , ſiquidem in commu „nione eorum permanſit, qui ſententiæ ſuæ contrarii erant , &c.

Vincentius Lyrinenſis in commonitor. 1. *cap.* 11. damnato errore Cy-priani , de illo ſic judicat : „ Nam quis illud ſanctorum omnium & epi-„ſcoporum & martyrum lumen , beatiſſimum Cyprianum , cum cæte-„ris collegis ſuis in æternum dubitet regnaturum eſſe cum Chriſto.

§.3. Sequuntur quæſtiones ad novitatem eccleſiaſticam.

I. *Quæſt. An martyres ſint clerici Papales, qui vel à Gentilibus , vel à dictis Chriſtianis ſuperiori & hoc ſæculo occiſi ſunt. Reſp.*

1. *Concl.* Qui ob ἀλλοτριοεπισκοπίαν , aut proditionem, aut conſpirationem , aut ob turbatam pacem publicam paſſi ſunt, ad pſeudo-martyres relegandi. Quales e. gr. Jeſuita Garnetus in Angliâ anno 1605. Cujus prætenſum martyrium à Pontificiis decantatum , peremtoriè refutatum eſt à *Johanne Donne* decano Londinenſi libro Anglico anno 1610. tit. *Pſeudomartyr* ; & à *Roberto Aboto* theol. in Academiâ Oxonienſi profeſſore, peculiari tract. latino tit. *Antilogia adverſus apologiam Andr. Eudemon-Joannis Jeſuitæ pro Henrico Garneto proditore* anno 1613. Huc etiam faciunt *Caſauboni Epiſtola ad Frontonem Ducæum* , & *Joh. Prideaux defenſio* Caſauboni contra Jeſuitam Eudęmon-Johannem tit. Caſtigatio cujuſdam circulatoris , &c. 1614. *Androſii* epiſcopi Elienſis *Tortura Torti* ; ipſius ſereniſſ. & potentiſſ. regis Jacobi monitoria præfatio , apologiæ pro Juramento fidelitatis præmiſſa ; Proceſſus contra proditores pulverarios, aliaque ſcripta Anglicana alibi indicata. Et tamen inter martyres uſque in hunc diem Jeſuito-Anglicani proditores , numerantur & martyria eorum in Italiâ , & Galliâ , depicta oſtentari non deſinunt. De quo vide *Petri Molinei Hyperaſpiſten* contra *Sylveſtrum de Petrâ ſanctâ. cap.* 8.

2. *Concl.* De illis qui in bello caſu inter alios cives aut milites cæſi ſunt;abſque præcedente exploratione aut conſtanti religionis Papiſticę confeſſione , ac propter eam condemnatione : non magis martyres ſunt dicendi, quam quivis alii laici ſive cives ſive milites , in bellis Gallicis, Belgicis , Germanicis, Polonicis, Bohemicis , &c. Nos Chamierum in obſidione Montalbanenſi , & concionatores non paucos in expugnatione Cæſareo-Lutreæ (Keyſers Lautern) in Palatinatu , unà cum literatiſſimo *Daniele*

Digitized by Google

le Pareo Philippi Parei filio Davidis Parei nepote, occiſos, non referimus inter martyres; quamvis bello injuſto crudeliter cęſos, & veræ Chriſtianę fidei præcones ac promachos. Idem dicimus de concionatoribus Anglicis ac Scoticis, quos inteſtina bella Britannica anno 1644. 1645. & deinceps perdiderunt. Idem de noſtratibus concionatoribus claſſiariis, qui poſtremo hoc bello Anglo Belgico anno 1664. & ſeqq. una cum ſociis navalibus & militibus Belgicis igni, aut aquâ, aut armis exſtincti ſunt. De Zwinglio infra peculiariter diſquiremus.

3. *Concl.* Nec clerici illi, fuerunt martyres, prę ſertim ex ordine Jeſuitico, qui ob proditionem, aut perduellionem juſto ſupplicio ſubjecti ſunt. De quibus mox infra ſpecialiter agetur.

4. *Concl.* Nec etiam illi, qui partem pugnæ faciunt, aut uti tubicines & tympano tribæ, celeuſmatis & præitione ſuâ cient viros & Martem accendunt. Qualis e. gr. monachus ille, qui anno 1597. in obſidione civitatis Bommelienſis, copiis Hiſpanicis vallum aliquod Belgarum in vico Herwaerden exſtrui cœptum, oppugnantibus, crucem geſtans præibat, & primus aut inter primos vacerras ſeu palos (vulgo Paliſſaden) aliquot, quibus vallum præmunitum erat, validè extrahebat, ut oppugnatoribus aſcenſus in vallum pateret: cum quibus extractis vacerris quaſi martyrii teſſeris paulò poſt repertus eſt, grandine plumbeâ defenſorum confoſſus; una cum centenis aliquot oppugnatoribus, ejuſdem martyrii ſociis.

II. *Quæſt. Quid ſtatuendum de Thoma Moro, Joh. Fishero epiſcopo Roffenſi, & monachis quibuſdam Carthuſianis, juſſu Henrici* VIII. *in Angliâ interemtis? Reſp.* Factum regis in præſenti nec probo nec improbo; minimè tamen martyrium paſſis tribuo. Non enim propter cauſam fidei Chriſtianæ, nec ob confeſſionem religionis Papiſticæ (ob quam oppugnatam, & reformatam non ejuratam *Robertus Barns* aliique in martyrologiis memorati, ſub Henrico tunc paſſi ſunt); ſed ob improbatam irritationem conjugii regii cum viduâ fratris Arthuri & ob improbationem remotæ monarchię Papalis in regno Anglicano, ſupplicio affecti ſunt. Vide de illo dicto martyrio *Surium in commentar.* rerum in orbe geſtarum ad ann. 1535. & *Hiſtoriam aliquot noſtri ſæculi martyrium*, &c. anno 1550. Moguntiæ à Dulken & Zittart Carthuſianis editam in 8.

Idem judicandum de præſumto & celebrato martyrio *Thomæ Becket* archiepiſcopi Cantuarienſis, anno 1170. De quo *Baronius in annal. an.* 1170. & in Martyrologio Romano 19. Decembr. ex noſtris *Molineus in Hyperaſpiſte contra Sylveſtrum cap.* 8. *p.* 146.

III. *Quæſt. Quid ſtatuendum de Papiſtarum martyribus Belgicis ex ordine clericorum celebratis, ab Opmeer Delphio tract. peculiari, & Molano in Na-*

Digitized by Google

talibus ſanctorum Belgii. Et Rayſſio in appendice ad Molanum, Coquetio de martyribus Dominicanis, Henrico Sedulio de martyribus Minoribus, Chryſoſtomo van der Sterre de martyribus Ciſtercienſibus. Et Gul. Eſtio de martyribus Gorcomienſibus. Reſp. Illos ſive jure ſive more militari ſive licentiâ militari, aut modo aliquo ſupra ad 1. *quæſt.* indicato, aut ob cauſas ſuas, aut amplexus partium & factionum politicarum, perierunt: & ſi aliqui ob conſtantem Papatus defenſionem peculariter paſſi eſſent (quamvis illegitimè & injuſtè hoſtes eorum propterea morte eos mulctaſſent): minime tamen veri nominis martyrium iis tribui poſſet. Quia non erat cauſa Chriſti & fidei, ſed apoſtatici & idololatrici Papatus, quam perſecutor aut perſecutores eorum prætendebant.

IV. *Quæſt. Quid de martyribus Gorcomienſibus anno 1572. in Belgio interfectis? Reſp.* Hiſtoriam & præconium martyrii eorum libris quatuor deſcriptam anno 1603. edidit *Gul. Eſtius Heſſelus* theologiæ in Acad. Duacenſi profeſſor, quem librum in Belgicum ſermonem tranſtulit *Wilhelmus Spoelberch* Guardianus Minoritarum Mechlinienſium a. 1604. Sed totâ hâc hiſtoriâ ab Eſtio deſcriptâ lectâ & relectâ, crudeles perſecutiones, & ſupplicia inflicta invenio; cauſam autem non invenio, conſtantem fidei Chriſtianæ confeſſionem, ob quam à militibus partium Hollandicarum interemti eſſent. Ita ut martyrium hic nullâ ſpecie ſtatui poſſit. *Deinde* non invenio conſtantem Papiſticæ religionis profeſſionem, & conſtantem reformatæ religionis rejectionem, cujus receptio & profeſſio tanquam unicum vitæ conſervandę medium, ipſis propoſita fuiſſet. Ita ut ne quidem Papiſmi martyres, ſeu teſtes ſanguinum dici queant. *Tertio*, pugnantium, defenſive aut offenſive, adhæc perduellium, proditorum ſive laicorum ſive clericorum occiſio aut ſupplicium, non facit martyrium: ſive illi juſti ſive injuſti belli partes juſtè aut injuſte ſequantur, & conſiliis, ac factis ſuis eaſdem promoveant; aut ſaltem ſententiâ hoſtium promovere putentur. Supra ex *Thoma à Jeſu lib. 5.* de converſione omnium Gentium, oſtendi non eſſe martyres, qui in bello, quamvis pro bonâ cauſâ, immo & pro fide, geſto, occiduntur. Idem lubet audire ex *Arnoldi Rayſſii Hierogazophylacio Belgico, pag.* 46.

„ Eodem, inquit, in oppido (*Amſtelodamenſi* ſcil.) Wolpherdus Michaëlius & Socii ejus XL. anno Dominicæ incarnationis ∞. IↃ. LXXVI. Nono „Kalendas Decembreis vitam amiſerunt in Amſtelrodamenſi proditione, quando ſtudio urbis liberandæ à duro hæreticorum ſervitio, & „Chriſto lucrandæ, arma in Geuzios & perduelles hæreticos ſumſerunt, „urbemque ſuam emtam ſanguine ab hoſtili invaſione liberarunt. Judicio „eccleſiæ inter martyres non cenſebuntur, quia pugnando ceciderunt, tamen

„men inter ſanctos recenſeri poterunt, de quibus loquitur Apoſtolus ad „Hebræos, *qui fide verterunt caſtra exterorum*, præcipuè iſte Wolpher-„dus, Vide martyrium ejus apud Opmeerium. Ubi nota *Raiſſium Opmeerio*, & ſibi contradicere.

Cauſæ ergo, quas à militaribus dictorum martyrum Gorinchemenſium occiſoribus prætenſas fuiſſe, aut prętendi potuiſſe, hic recenſebo. Quæ an omnes, an aliquæ fuerint juſtæ, aut injuſtæ juris fecialis ſeu juris pacis & belli conſultis, hâc vice diſceptandum relinquo.

1. *Quia* clerici illi, ut fere omnes alii, partibus Hiſpaniçis favebant; eaſdem verbis, conſiliis, factis, ubicumque poterant, ſive palam ſive clam promovebant.

2. *Quia* clerici illi in defenſione caſtelli Gorinchemenſis, non tantum ſtrenuè pugnârant; ſed & unus illorum tormentum majus in obleſſores exploſerat, cum jam ceſſantibus tantiſper actibus hoſtilibus obſeſſi cum obſidentibus agerent de deditione & deditionis conditionibus; quod technologemate militari appellant *Parlementeren*. Qui ſolecíſmus militaris ſolet plerumque obſeſſos extra omnem parcentis gratiæ, temperamenti, aut moderationis ſtatum conſtituere.

3. *Quia* eos tanquam hoſtes, ac proditores, omniſque hoſtilitatis & exterminii adverſus ſe & patriam, incentores, duces, anteſignanos, & tyrannidis Ducis Albæ & Hiſpanicę proxenetas, miniſtros, fautores ducebant: uti etiam inchoato & ſtante bello Belgico, experientiâ hoc comprobatum fuit; & hoc ipſis objectum fuit, apud *Eſtium lib. 1. c. 27.*

4. *Quia*, cum cives & milites Belgici, ſi qui in poteſtatem hoſtium Hiſpanorum devenerant, infamibus ſuppliciis paſſim ſubjicerentur: voluerunt hi militares, quaſi per jus talionis aut retorſionis ſibi & ſuis conſulere; ut & ipſis captis parceretur, & lutro perſoluto aut permutatione captivorum liberarentur. Et hoc illâ tempeſtate ſignificabat Belgarum axioma militare: **Hangen met Hangen betaelen**. Quod autem inter alios captivos ex hoſtibus, etiam clericos captivos ſubjectum facerent talionis aut retorſionis, putabant id promtiſſimum fore medium, æquitatis & moderationis erga ſe & ſuos obtinendæ: quod in partibus Hiſpanicis tanti fierent clerici, & tantum ibidem apud præfectos tum politicos, tum militares poſſent. Et certè utriuſque partis cives & milites, quamvis peregrini & ſolâ ſtipendioli ſpe militiæ conſecrati, hanc retorſionis aleam, in bello Belgico (etiam omnibus circa captivos optimè ordinatis) ſubire cogebantur. Hinc factum, ut a. 1603. in obſidione Sylvæ-ducenſi, undecim ex 200 præter propter captis apud noſtros militibus Hiſpanicis per ſortitionem deſignati ſuſpendio vitam finierint; quod Hiſpanici Oſtendam obſidentes paulo ante

noſtros

noſtros aliquot milites in crucem egiſſent; qui nec pugnantes nec hoſtiliter eoſdem aggreſſi, ſolo venti infortunio, dum navi Oſtendâ exibant, in manus eorum conjecti erant. Et hæ quidem & ſimiles cauſæ feroces illos militares impulerunt ad clericorum iſtorum vexationes & ſupplicia: minime vero in Papiſticę religionis confeſſione, conſtantia, aut reformatæ religionis non admiſſio, ſeu rejectio. Ut videre eſt in *apologiâ* comitis Lumei, quam integram Petrus Borr hiſtoriæ ſuæ inſeruit. Ut jam non dicam per ferociam & licentiam irritatorum & vindictam ſpirantium militum (quos non tam milites, quam prædones & pyratas fuiſſe, *Eſtius* alicubi contendit) hoc commiſſum eſſe: non per ſententiam & conſenſum Celſiſſ. Principis Arauſonienſis gubernatoris & archiſtrategi Belgici, aut Ill. ac potent. Ordinum Hollandiæ: qui factum illud quam maximè improbarunt, & eo nomine captivitati ac reatui comitem Lumæum ſubjecerunt, ægre ob præcedentia in patriam merita, tandem dimiſſum & exauctoratum; quin & œconomum ſeu aulæ ipſius præfectum, tanquam præcipuum in hâc cauſâ actorem & conſiliarium, ſuſpendio multârunt.

Unum obſervo ab *Eſtio lib. 2. cap. 13. 14. 15.* ſcriptum de ſollicitationibus per duos concionatores factis ad religionem reformatam amplectendam, & Papalem deſerendam; & de collationibus ſuper negotio religionis: unde tacitè inferri velit, eos propter cauſam religionis Papiſticæ, ſupplicio affectos. *Reſp.* Minime hinc ſequitur, eos martyres fuiſſe Papiſmi; nedum ut veri Chriſtianiſmi eſſent. Nam quicumque apud nos captivi ſunt, ſive clerici ſive laici ſive Papiſtæ, ſive Anabaptiſtæ, &c. imprimis ad mortem condemnati, viſitantur à concionatoribus & in verâ religione ac viâ ſalutis inſtruuntur, & ſi erroribus Papiſticis, aut aliis quibuſcumque occupati deprehendantur, ab illis, pro virili abducuntur. Quod ſi abduci nolint, aut nequeant, etiam pro ſuâ illâ religione proteſtentur; hoc ipſis, coram judicio fraudi non eſt, nec ſententiam aut ſupplicium ipſorum acceſſit aut mitigat, aut intendit. Exempli gr. ſuperiori anno famulus quis ex Belgio Hiſpanico propter nefarium homicidium hic decapitandus, poſt omnem adhibitam inſtructionis operam, clamabat in pegmate. *Ego morior Catholicus.* An ille ergo Papiſmi martyr?

V. *Quæſt. Quid de Cornelio Muſio confeſſario Delfenſium monialium S. Agathæ, juſſu comitis Lumæi anno 1572. ſuſpenſo? Reſp.* Pontificii paſſim buccinant ejus martyrium: *Eſtius lib. 4 de martyr.* Gorcomienſ. cap. 12. & ſeqq *Valerius Andreas Deſſelius in* Bibliothecâ Belgicâ, *Aubertus Miræus,* in Elogiis Belgicis, Idemque in Faſtis Belgicis ad 8. Septembr. pag. 521. *Laur. Surius in commentar.* rerum in orbe geſtarum ad ann. 1572. pag. 823.

Ar-

Arnoldus de Raiſſe, auctario ad Molani Natales ſanctorum Belgii ad 10. Decembr. *Poſſevinus in appar.* ſacro, in voce *Cornelius Muſius*. Atqui ille propter ſenſum & conſtantem fidei Chriſtianæ profeſſionem interemtus non fuit; nec etiam propter Papiſticæ religionis profeſſionem: itaque nec martyr Chriſtianiſmi, nec Papiſmi. Nec etiam à Principe Arauſonienſi aut à Magiſtratu, propterea morti adjudicatus fuit: nec ipſe comes *Lumeus* ob hoc, aliaque injuſtè facta in cuſtodiam traditus, & exautoratus, in apologiâ ſuâ (inſertâ hiſtoriæ *Petri Borr*), nec qui ab illo ſtabant, religionis Papiſticæ profeſſionem cauſam hujus facti obtendebant; ſed proditionem, cum hoſtibus colluſionem, ad hoſtes tentatum transfugium. Hinc etiam torturæ eum ſubjiciebant, non ut de Papiſticâ religione confeſſionem ei exprimerent, ſed de perduellione, proditione, hoſtium conſiliis, &c. Ipſe *Eſtius* ſatis innuit, quę cauſæ fuerint comiti *Lumæo* hujus perſecutionis, *lib.* 4. *cap.* 13. *pag.* 171. 172.

„ Quibus peractis ex urbe natali ſubducit ſeſe, & Hagam Comitis inde „ duarum ferme horarum itinere diſtantem pervenit. Sed indicio cujuſ- „ dam Delfenſis ac propinqui ſui proditum, prædones Geuſii inſequun- „ tur & capiunt. Orangius ea re cognita, Delfos eum per literas publi- „ cas revocat, ſive quod hominis clariſſimi & apud omnes gratioſiſſimi „ cæde (quam ei captivo à ſævo milite metuebat) factionem ſuam gravari „ nollet; ſivè quod ejus indicio reconditas opes monaſterii ſe conſequi „ poſſe ſperaret. Ea revocatio Comitem Lumnium, qui tum ad eas partes „ acceſſerat (ut ad eum tandem, de quo ſermo erat inſtitutus, ex longo di- „ verticulo revertamur) malè habuit, & ad vexandum atque perdendum „ Muſium incendit. Neque vero tantum virum aliter, quam Lumnii opera „ perire oportuit. Hic igitur tribus ſtimulis incitatus, ſuperba adverſus „ Orangium indignatione (quod & Brilæ vidimus) odio adverſus ſacerdo- „ tem (quod ei perpetuum) & auri cupiditate (nam ad monaſterii the- „ ſaurum etiam ipſe anhelabat) eam prædam abeuntem, omnino ſibi per- „ ſequendam ſtatuit.

Crudeliter & injuſtè illum vexatum, afflictum, & mactatum fuiſſe nulli Belgæ reformati, quamvis Papalem & Hiſpanicam tyrannidem maxime deteſtantes, tunc ſenſerunt: imprimis Celliſſ. princeps Arauſonienſis & Ill. Hollandiæ Ordines tam graviter factum hoc Lumæi comitis tulerunt, ut in illum ſtatuerint, quæ ab hiſtoricis noſtratibus Meterano & Petro Borr referuntur. *Grotius lib.* 2. *annal.* ſic comitem Lumæum deſcribit: *Animi ferox: idque illi unum pro virtute erat, & comitum pleriſque conſilium, aut animus non niſi in prædam.* Aderat etiam vindictæ cupiditas, ob comites Egmondanum, & Hornanum, alioſque nobiles Belgas, quos Dux Albano

 cru-

Digitized by Google

crudeli ſupplicio affecerat, & adhuc in omnes noſtrates, quos nanciſci poterat, *ut in rebelles jura majeſtatis exerceret. Ubi*, inquit Grotius lib. cit. *ultio, & apud adverſas partes feritas nullo diſcrimine, donec quæ olim inimicas Gentes, illos quoque docuit neceſſitas, parcere ſanguini in ſummam belli nihil profuturo.* De facto Lumei & de Papiſtis ob religionem ſuam non affligendis, quid judicârint concionatores Belgici, conſtat ex epiſtolis Illuſtr. Belgarum *centur. 2. epiſt. 70. p.867.*

Sunt tamen, qui Lumeum ſi non in totum ſaltem in tantum excuſandum, putant; quod Muſius clandeſtinâ fugâ ſuâ, de tranſitu ad hoſtes Hiſpanos Harlemum, & de proditione ſuſpectum ſe redderet; ſaltem violati hâc ratione juramenti (quod objicit *Lumeus in apologiâ*) quaſi manifeſtus eſſet. Quod etiam teſſeræ multę plumbeæ in monaſterio & civitate Delfenſi inventę fuiſſent, alicujus conſpirationis & proditionis, atque intentatæ lanienæ haut obſcura indicia. De quo in *epiſt. Illuſtr. Belgarum centur. 2. epiſt. 1.* Quidquid ſit, negat Lumeus exſertè in ſuâ apologiâ, ſe ob Papiſticam Muſii religionem aut monachatum de illo ſupplicium ſumſiſſe; ſed ob male facta & flagitia ipſius.

Quidquid ſit, & utcumque hiſtoria rei geſtæ à noſtris & Hiſpanicarum partium hiſtoricis referatur, colligi non poterit eum ob Papiſticam religionem tam crudeliter habitum fuiſſe.

VI. *Quæſt. Quid judicandum de Balthazare Gerardo, qui ob parricidium Celſiſſ. Arauſionenſium Principis Wilhelmi I. Delphis paſſus eſt? Reſp.* Ejus martyrium peculiari libello Gallico in 8. deſcriptum & laudatum extat, tit. *le glorieux & triumphant martyre de Balthazar Gerard avenu en la ville de Delft en Hollande le luy de Juillet* 1584. &c. A Douay chez Jean Bogard imprimeur jure, ubi pag. 33. appellatur *grand & excellent martyr (lequel ſera cy apres noſtre Patron)*; ſubjiciuntur varia epigrammata in deteſtationem Celſiſſ. Principis Arauſonienſis, & in laudem ac defenſionem Balthazaris Gerardi; Quæ omnia coronat ſequens approbatio: *Digna ſunt hæc quæ typis excuſa evulgentur, Gulielmus Eſtius S. Th. Doctor.* Idem *Eſtius in hiſtor. martyr. Gorcomienſium lib. 4. cap. 6.* ejuſdem factum & martyrium extollit, eundemque alterum *Joh. Nicomedienſem* (de quo *Euſeb. lib. 8. cap. 5.* & *Martyrolog. Rom.* ad 7. Id. Septembr.) indigitat: ac refert, eum die anniverſario Martyrum Gorcomienſium (ante annos 12. paſſorum) in templo Delfenſi per horam aut amplius flexis genibus oraſſe pro ſucceſſu intenti parricidii; & animoſitatem, conſtantiam, & glorioſam victoriam à Deo obtinuiſſe per preces & merita martyrum Gorcomienſium. Eundem martyrem prædicat *Michaël ab Jiſſelt* Amersfortius in *hiſtoriâ* ſui temporis ad annum 1584. Eundem martyribus adſcribit *Arnoldus Rayſſe* in

in Hierogazophylacio pag. 187. Ejuſdemque laudes grandiſonis modis pompat, idem *Arn. Rayſſe in append.* ad *Molani Natales* ad 14. Julii. *Becanus* Jeſuita *tom.* 4. *Opuſculor. theolog. opuſc.* 2. tit. de primatu eccleſiæ regio examen, &c. *pag.* 206. §. 10. ab omni martyrii titulo, etiam ab omni parricidii defenſione abſtinet, ſimpliciter hæc narrando: quia Balthazar Prin„ cipem Auriacum à Philippo Hiſpaniarum rege tanquam perduellem & „ patriæ hoſtem proſcriptum eſſe nôrat, *putavit* ſe gratum regi & patriæ „ facturum, ſi illum è medio tolleret. Itaque datâ opportunitate aggreditur „ accubantem ad menſam, & ſclopo trajicit.

Theodoricus Gualterus van den Borſche verſu heroico non infeliciter luſit de cęde Gulielmi Naſſavii & tormentis Balthazaris Gerardi tyrannidis Auraicæ vindicis Lovanii apud Maſium 1589. in 8. Sunt verba *Val. Andreæ Deſſelii in Bibliothecâ Belgicâ.* Puto eſſe eundem libellum quem in 8. præmiſsâ cum approbatione Henr. Cuyckii, poſtea Epiſcopi Ruræmondenſis olim lectum amico alicui ante annos præter propter quadraginta quinque donavi. In quo memini parricidæ martyrium miris præconiis extolli, cives Delfenſes moneri ut ſanctiſſimum martyrem à ſe cruciatibus & crudeli morte affectum, venerentur tanquam interceſſorem, patronum, & tutelarem ſuum; etiam commemorari, à Duce Parmenſi hoc agi apud ſummum Pontificem, ut martyr hic canonizetur. Quidquid de eo fuerit; ſaltem non auſus fuit Parmenſis externum ſuper cæde Arauſonienſis triumphum per ignium incendia, aliaque publicæ & ſolemnis lætitię ſigna celebrare; quamvis aulici hoc expeterent: referente *Grotio hiſtor. lib.* 3. Sed quo colore fidei aut Papiſmi martyrem Balthazarem ſalutabunt, in quem ſententia à judicibus lata fuit ob perpetratum parricidium, non vero ob Papiſmi profeſſionem. Quod ſi milites in bello cæſi, qui alios obtruncant, aut obtruncatum veniunt, non ſunt martyres, fatentibus *Thomâ à Jeſu* & *Arnoldo Rayſſe* ſuprà citatis: Cur hic percuſſor viciſſim percuſſus martyris coronâ decorabitur? Qui ſanguinem hominis fundit, ejus ſanguis per hominem effundetur. *Geneſ.* 9. coll. cum *Numer.* 35.

Quod ſi excipiant: Balthazar juſtè fudit ſanguinem; ergo ejus ſanguis injuſtè fuſus eſt: Dato hoc, non conceſſo, non ſequitur tunc fore martyrium; niſi dicas omnes injuſtè in bello, aut ab homine privato, aut per ſententiam judicum cęſos, eſſe martyres. Repetant definitionem aut conditiones martyrii à ſuis poſitas, & videant an huc applicari poſſint. Egregios ſane habebunt martyres, Jacobum Clementem, Campianum, Perry alioſque parricidas Anglos vitæ reginæ Elizabethę inſidiantes. In imagine primi ſæculi ſocietatis Jeſu anno 1640. editâ *lib.* 4. *cap.* 11. & 12. celebrantur martyres ſocietatis, in Indiâ Orientali & Japoniâ, Ant.

Criminalis, Rudolphus Aquaviva, Piacecus, Bernus, aliique complures. *cap.* 13. in Æthiopiâ, Indiâ Occidentali, Braſiliâ, Floridâ, Mexicâ, Paraquariâ, Abrahamus Georgius, Bened. Caſtrius, Georgius Scribanus, Alvarus Mendez, Simon Acoſta, Franciſcus Caſtrius, &c. *cap.* 14. in Angliâ regnante Elizabethâ, Edmundus Campianus, Cottamus, Walpolus, Garneti duo, &c. De Henrico Garneto, videatur *Roberti Aboti Antilogia* aliique ſupra citati; & de reliquis regnante Elizabethâ paſſis, *Rob. Aboti antilogia cap.* 6. 8. Jeſuitæ *Imaginis primi ſeculi lib.* 6. *cap.* 4. *pag.* 842. ſupplicium de ſociis Joh. Baptiſtâ Boddens, Gerardo Paſman, Philippo Notting Trajecti ad Moſam ſumtum ob proditionem, appellant *martyrium* pag. 843. lin. 22. Sed aptent illis, ſi poſſint, definitionem & requiſitas conditiones martyrii, à ſuis conſtanter traditas. Dato jam, non conceſſo, Papiſmum quem noſtri ductu verbi divini averſantur, eſſe veram fidem ac religionem Chriſtianam: an ex rei geſtæ hiſtoriâ, ex actis & ſententiâ Judicum, ex typis editâ narratione Philippi Ludovici Trajectenſis Eccleſiaſtæ, qui Jeſuitis illis in carcere & in extremâ horâ adfuerat, ex ullis teſtimoniis Papiſtarum Trajectenſium, ex cujuſvis alterius indicio, immo ex ipsâ epiſtolâ emortuali Joh. Baptiſtæ Boddens ad Ducem Boullionium (quam ibidem inſerunt) probant, aut probare conati ſunt, illos ob conſtantem Papiſmi profeſſionem ac confeſſionem condemnatos ac paſſos eſſe, & non ob horribilem civitatis illius proditionem? Et cur reliquis clericis & laicis religione & profeſſione Papiſtis ob eandem proditionem ſupplicio affectis, ſimilem martyrii coronam minus imponunt, quam Jeſuitis? Quod ſi excipiant Joh. Bapt. Boddens non fuiſſe conſcium, aut cooperatorem iſtius proditionis (uti in emortuali epiſtolâ ſuâ proteſtatur), & huic proteſtationi fides adhibenda ſit, procul habitis omnibus allegatis & probatis, quæ judicibus innotuerunt: quomodo ex hoc purgati & innocentes judicabuntur Paſman & Nottingh? Et dato de trium innocentiâ conſtare, quid aliud inde exibit, quam injuſtè condemnatos & ſupplicio affectos? Ubi nunc martyrium? An omnes ſive reformati, ſive Papiſtæ, ſive Anabaptiſtæ, ſive Ethnici, ſive Judęi, ob impoſitam & prętenſam proditionem, aut aliam quam cauſam prætenſam furti, homicidii, rebellionis, perduellionis, conſpirationis, adulterii, calumnię, ſtellionatus, &c. injuſtè paſſi, dicendi erunt martyres? An confeſſores aut quaſi martyres Papiſmi dicendi erunt Jeſuitę, qui tam multa paſſi ſunt à clericis, & Magiſtratibus Papiſticis: uti ipſi memorant in Imagine primi ſæculi *lib.* 4. *cap.* 1.-9. Et quid de illis, qui ob prętumtum & impoſitum crimen Magiæ Atrebati anno 1459.-1462. injuſtè condemnati erant, & poſtea à ſupremâ curiâ Pariſienſi anno 1491. juſtificati. Hiſtoria Gallicè deſcripta eſt

eſt à *Jacobo du Clercq*; & Belgicè edita Lugduni Batavorum 1609.

Cur Jacobum Clementem, Joh. Chaſtellum Jeſuitarum diſcipulum, Timmermannum monachum Dominicarum parricidii Celſiſſ. Principi Arauſionenſi Wilhelmo I. intentati conſultorem, Johannem Ottonem Decanum Embricenſem ante annos aliquot ob conceptam proditionem munimenti Schenckiani capite plexum, Ravaillacum parricidam Galliarum regis Henrici IV. alioſque iſtius commatis, martyribus non annumerant; æque ac alios parricidas, proditores, rebelles, ἀλλοτριο-ἐπισκόπους, perduelles, transfugas, Anglo Jeſuitas (quos *Baronius in notis ad Martyrolog. Rom.* 29. Decembr. tam magnificè prædicat), alioſque omnes iſtius ſocietatis ultra 270., à *Philippo Alegambe in Bibliothecâ Societatis Jeſu* a. 1643. *pag.* 559.-580. ordine deſcriptos & enumeratos. Ubi pag. 575. trium Trajectenſium torturas & ſupplicium deſcribit, eorumque immunitatem à crimine proditionis ex propriâ affirmatione an negatione vindicat. Sed longe aliud ſonat apologia judicum, quam à viro doctiſſ. concinnatam M. S. vidi, aliquando forte edenda.

VII. *Quæſt. An virgo illa dicta* Maria doloroſa (Belgicè **Allendiger Marie**) *quam quieſcere dicunt Wolva in agro Brabantico, non procul à Bruxellâ, ſub altari Baſilica parochialis, ſit martyr? Reſp.* Aff. Papiſtæ & cum illis *Aubertus Mireus* in faſtis Belgicis & Burgundicis *pag.* 329. Sed refutatur hoc commentum ibidem ab ipſo *Miræo*, cum nullam aliam cauſam paſſionis allegat, quam quod falſo de furto per impium hominem caſtitatis inſidiatorem accuſata, innocenter circa annum 1290. in terram defoſſa & ſude tranſverberata fuerit. An ab homine privato, aut hominibus quibuſdam, an à tumultuante turbâ, an vero à loci illius judicibus hoc factum, non explicat: quamvis primum aut ſecundum innui videatur. Sed *Auguſt. Wichmans lib.* 1. Brabantię Marianæ *cap.* 13. pluribus hoc martyrium & religioſum martyris hujus cultum ac miracula pingit; & à toparchâ ſeu prætore, apud quem argentei ſcyphi furto ablati accuſata erat, neci datam dicit? præterea triplicem coronam à domino conſecutam canit, voluntariæ paupertatis, caſtitatis, & martyrii. Citat inſuper Molanum in Natalibus ſanctorum Belgii, Chronicon Brabantiæ, *cap.* 36. *part.* 1. Addit *Miræus loc. cit.* Acta MSS. *Ferrarius in catalogo ſanctorum* ad 18. Junii ex Molano mortis genus aliter, ut & locum paſſionis enarrat. Quidquid autem pictores & poëtæ illi pingant & fingant, manet hoc, cauſam cædis fuiſſe furtum ipſi falſo impoſitum. Unde exſculpi nequit, propter Chriſtianæ fidei aut Papiſmi conſtantem profeſſionem ab hominibus iſtius loci & temporis profeſſione Chriſtianis & Papiſtis tam crudeliter interemtam. Quod ſi omnes; qui per privatorum ἀταξίαν, aut tumultum popularem,

aut per iniquos judices, aut per bella injuſta ſeu mavis latrocinia, injuſtè pereunt, adſcribendi eſſent martyribus, qui libri ſufficerent?

VIII. *Quæſt. An Maria Scotorum Regina quæ anno* 1587. lamentabilem (*loquor verbis Camdeni in annalibus rerum Anglicarum*, &c. *part*. 3. *pag*. 491.) vitæ finem habuit; *martyr dicenda ſit*? *Reſp. Sanderus in Concertatione eccleſiæ Catholicæ in Angliâ part*. 2 *pag*. 207. *martyrium* ejus deſcribit. Et in ſubjectâ brevi deſcriptione rerum à Catholicis in Angliâ geſtarum, vocat eam *ſanctiſſimam Chriſti martyrem*.

Sed, quamvis uſque ad finem vitæ religionis Papiſticæ profeſſionem præ ſe tulerit, immo proteſtata fuerit, ſe in religione illâ mori; illud tamen nullum pro religione illâ martyrium evincit. Quia nec ſententia in eam lata, & publicè ante executionem lecta, nec totus proceſſus contra eandem inſtitutus religionis Papiſticæ conſtantem confeſſionem, facit cauſam paſſionis ſeu pœnæ, ſed alia, quæ à *Camdeno part*. 3. *hiſtor*. referuntur. An autem juſtè de iis, quæ obtendebantur, convicta fuerit, & propter illa condemnata, atque adeo totus ille contra illam proceſſus legitimè inſtitutus fuerit, & conſequenter an innocens paſſa fuerit, ego non dicam: ſed judicium de eo, cuique hiſtorias, acta, & apologias legenti relinquo. Suffecerit hic theologicè determinare, non fuiſſe eam Chriſtianæ fidei, aut Papiſmi martyrem: quamvis hunc conſtanter profeſſa ſit. Nos reformatæ religionis martyrem non facimus Comitem Eſſexium, quamvis *piiſſimè & verè Chriſtianè* (ſunt verba *Camdeni part*.4. *pag*.805.) vitam cum morte commutaverit. Nec Wilhelmum Love concionatorem, comitem Hollandum, Marchionem Hamilthonum, generoſum Dominum Capel, alioſque ab a. 1647. uſque ad annum 1657. ſtante bello inteſtino in Angliâ, capite plexos, omnes in reformatæ religionis profeſſione uſque ad vitæ finem perſeverantes. An autem omnes illi aut aliqui juſtè aut injuſtè paſſi ſint, in præſenti non diſquirimus. Quod ad Johannam Grajam (de quâ ſupra), ei martyrium ſecundarium aut analogicum tribuendum putamus: quod cum veniam, vitam, dignitatem, opes obtinere poſſet, ſi à religione reformatâ deficere, & Papiſticam amplecti voluiſſet, oblatam hanc conditionem conſtanter recuſârit, & mortem elegerit.

IX. *Quæſt. An orandum pro iis, qui nunc martyres moriuntur? Reſp. Molanus in Reſponſione quodlibeticâ* (quæ edita eſt cum libro de picturis ſacris) *cap*.6. affirmat, & ſuorum praxin allegat. Ad illud quod opponitur ex *tit*. de celebratione miſſarum *lib*. 3. Decretal. *quod injuriam faciat martyri, qui orat pro martyre* reſpondet, quod hoc intelligendum ſit de iis, qui judicio eccleſiæ declarati ſunt eſſe martyres aut ſancti: hodiernos autem martyres plerumque eſſe *valde imperfectos martyres*, nec *judicio eccleſiæ eſſe de-*

declaratos martyres. Sed nos hanc quæſtionem ejuſque determinationem ineptam arbitramur.

X. *Quæſt. An noſtri martyres poſt ortam reformationem ſpecialiter in Belgio paſſi, fuerint verè martyres? Reſp.* Aff. contra Pontificios: qui ſubinde muſſitant eos aut per militares in bello cæſos, aut propter rebellionem in Principem, aut dejectas imagines & direpta templa ad ſupplicium condemnatos? *Reſp.* Non oſtendent, tales in martyrologiis noſtris recenſeri. *Deinde,* ex actis & ſententiis judicum in Belgio, quæ errorem vel hæreſim (ſic appellant reformatam religionem) allegant tanquam cauſam ſupplicii; conſtat eos, quos nos indigitamus martyres, ob crimina illa, quæ ex malitiâ aut ex ſtolidâ ſive conjecturâ ſive credulitate nunc finguntur, neutiquam paſſos eſſe. In archivis cameræ rationum Hollandiæ, aliarumque Provinciarum, ſententiæ tales legi poterunt. Vidi librum MSS. continentem autentica ejuſmodi ſententiarum exempla. In ſupremâ hujus Provinciæ curiâ anno 1568. 24. Auguſti ſcriptum eſt, veniſſe commentarienſem Ducis (Albani ſcil.), ut ſententias Gerardi van Renes, Adriani de Wael, Henrici Alberti, Elizabethæ van Dyemen, executioni daret, &c. poſtridie (25. Auguſti) tres ex iis gladio, Henricum Albertum vivicomburio ſublatum; quod obſtinatè errori ſuo inhæreret. *Tertio,* obſervandum, ipſos theologos eorum judicare de martyribus noſtris tanquam cœcos de coloribus. Exemplo ſint *Molanus,* & *Corn. Janſenius:* quorum prior profitetur, ſe nolle legere martyrologia noſtra (uti ſupra indicavimus): poſterior *Illyrici catalogum teſtium veritatis* arripit tanquam martyrologium Gallicum reformatorum; & teſtes quoſdam ibidem allegatos excutit: ſicuti librum *Pleſſai de Miſſâ, ibid.* arripit tanquam *Myſterium Iniquitatis* ejuſdem *Pleſſai* à nobis citatum. Hoc grande ſphalma, ſeu mavis craſſam ignorantiam promachorum Papatus in iis rebus, de quibus diſceptare audent, detexi in *Deſper. causâ Papatus lib. 3. ſect. 2. cap. 9.*

XI. *Quæſt. An Ulricus Zwinglius in prælio cæſus, fuerit martyr? Reſp.* Non magis, quam alii fideles & verbi miniſtri in præliis, aut oppugnatione & expugnatione oppidorum cæſi? Sed quod odio religionis & reformationis, cadaver ejus ferro & igni tam malè & ignominiosè habitum fuerit, (latâ prius ſententiâ) id aliquam martyrii ſpeciem aut analogiam conſtituere videtur: uti effoſſio & violatio cadaverum Wiclefi, Buceri, &c. *Beza in Epitaphio Zwinglii*, quod exſtat in *Epigramm.* fol. 90. edit. in 8. accuratè hoc diſtinxit:

„ *Zwinglius arderet gemino cum ſanctus amore*
„ *Nempe Dei imprimis, deinde etiam patriæ:*
„ *Dicitur in ſolidum ſe devoviſſe duobus:*
„ *Nempe Deo imprimis, deinde etiam patriæ.*

Quam

„ *Quam bene perſolvit ſimul iſtis vota duobus,*

„ Pro patriâ exanimis, pro pietate cinis.

Fruſtra ergo *Wigandus in tract. de Martyrio* contra martyrium Zwinglii contendit hac ratione, quod non fuiſſet ei neceſſe cum armis occurrere hoſtibus inter alios milites, eoſque ad arma concitare, ſeſeque ipſum cruentis gladiis immiſcere?

Idem ſed pluribus perſtringit *Joh. Dietericus in Refutatione & abſterſione calumniarum*, &c. *Joh. Lampadii*, &c. anno 1629. pag. 39.40.41.

Nos breviter iſta reponimus 1. *Non* facimus Zwinglium martyrem, non magis quam alios religionis noſtræ conſortes in bello ſive juſto ſive injuſto cæſos. In martyrologiis & catalogis noſtris nomen ejus non comparet. Fruſtra ergo Dietericus hanc ſchiomachiam exercet. 2. *Fabulam* iſtam de Zwinglio milite & acri ac temerario bellatore à Pontificiis quibuſdam buccinatam, ſatis ſuperque difflavit *Gualterus in apologiâ pro Zwinglio*, aliique poſt illum, & *Melchior Adamus in Vitis Germanorum theologorum*: Nec neceſſe eſt ea hic repetere; cum liber Melchioris in manibus ſit. 3. Quinam illi ſint ex deſignatis in martyrologio noſtro martyribus, qui propter *vaſtationes eccleſiarum*, *graſſationes*, *ſeditiones & ſimilia facinora paſſi ſunt* (ut loquitur *Wigandus pag.* 204.), velim indicari. Nos tales in martyrologio noſtro notatos, non novimus. 4. Quid ſi Dieterico in memoriam revocemus arma à Suecis ſumta contra regem ſuum Sigiſmundum, & à principibus proteſtantibus fœderis Smalcaldi contra Carolum V. & ab iiſdem contra Ferdinandum II. anno 1632. an dicerent de Proteſtantibus, quod Wigandus pag. 204. de reformatis: *Nam is ſpiritus valdè turbulentus eſt, ut hiſtoria teſtantur.* Meum non eſt bella in Germaniâ, Bohemiâ, Galliâ, Belgio geſta, hic examinata, juſtificare, aut condemnare. Lectionem ſcriptorum utriuſque partis, alibi indicatorum, & inde judicium cuivis relinquo. Hic ſolummodo ſcriptis hactenus à me indicatis, addo *Bernardi Zieritſii* JC. Brandeburgenſis Diſcurſum apologeticum pro celebri fœdere Smalcaldico, & principibus ſociis, &c. anno 1625.

Quod autem apud *Dietericum lib. cit. pag.* 39. contra Zwinglii tanquam paſtoris, animarum curatoris, & præfecti ſacrorum (non tanquam militis aut præfecti militaris) in bellum profectionem, excipitur: Potuiſſet Zwin-
„ glius qui *miſſas alioſque veteres patriæ ritus abrogarat, hunc quoque bellige-*
„ *randi morem in eccleſiæ miniſtris auferre.* Et paulo poſt: *Si in decutiendis*
„ rubeis pileis, quibus milites Helvetii aliquamdiu uſi erant, *tantum potuit, potuiſſet utique conari aliquid, ut ſe & reliquos eccleſiæ miniſtros, quorum* 16. *unâ cum ipſo Marti communi ſe crediderant, unaque occubuerant, ab ipſo belli-*

gerandi

gerandi more funeſto liberaret. *Reſp.* λόγον, Unde probabit, eum potuiſſe morem Gentis illius antiquitus receptum abrogare? Unde probabit eum debuiſſe hoc agere, ne ulli eccleſiæ miniſtri in caſtris, in obſeſſis & oppugnatis civitatibus in expeditionibus navalibus, præſentes ſint? An hoc agunt miniſtri Lutherani? hoc ſe teneri agere credunt? In bellis Germanorum, Suecorum, Danorum, Bohemorum, Auſtriacorum, contra exteros aut ſuos, hoc ſcilicet egerunt, aut etiamnum agunt miniſtri Lutherani? Quid? an Ducis Hoſſati auxiliares copias miniſtri Lutherani deſtituerunt? Non arbitror. Eos tamen copiis illis Regi Hiſpaniarum & Duci Albano contra Belgas tam gravia paſſos tam tyrannicè afflictos militantibus permixtos, ſclopi & tormenta bellica, immo & gladii atque haſtæ (in caſu irruptionis in caſtra, aut cæſorum caſtrorum) poterant *conſumere:* ut utar phraſi 2 *Sam.* 11.*v.*25. Sereniſſimus rex Suecorum Guſtavus, aliique poſt obitum ejus in bello gerendo ſucceſſores, & Sereniſſ. reges Daniæ, hactenus ſingulis legionibus miniſtros dederunt: An dices de miniſtris, ſi qui cæderentur, quod de Zwinglio (ibid. *pag.* 39.) verbis 1 Machab. 5. *v.*67. *In die illa occiderunt ſacerdotes in bello, dum volunt fortiter facere, dum ſine conſilio exierunt in prælium.* An de ſacerdotibus, per Philiſtæos cæſis 1 *Sam.*4. *v.*4.11. *Pſal.*78. *v.*64. dices, eos debuiſſe, à bellicis & periculoſis expeditionibus abeſſe? An idem de omnibus concionatoribus qui bello Smalcaldico, anno 1546., qui bello sereniſſ. electoris Mauritii a. 1552. contra Imperatorem Carolum V., qui bello Principum Proteſtantium a.1632. & ſeqq., contra Ferdinandum 2. interfuerunt?

Except. Atqui excipient, bellum Tigurinorum erat injuſtum, & *Zwinglius* concionibus ſuis ad illud Tigurinos accenderat? *Reſp.* De *priori* hic non agam. Fuerit tale, inde tamen non ſequitur, miniſtros qui ex officio, & legibus patriæ bellatoribus in ſpiritualibus miniſtrant, procul ab eo abeſſe & fugere debere. Quod ad poſterius, tantum abeſt, ut Zwinglius incentor hujus belli fuerit, ut contra ſibi maxime illud diſplicere oſtenderit. Uti diſcimus ex *apologiâ Gualteri*, & Vitâ Zwinglii apud *Melchiorem Adamum*, & *Hottingeri hiſtoriâ Eccleſiaſticâ*, ſæculi XVI. *part.* 2. *pag.* 660. uſque 733. qui pleniſſimè contra obtrectatores apologiam Zwinglii executus eſt. Ita ut fruſtra unius forte atque alterius extranei à locis & temporibus illis remoti inconſideratum teſtimonium, tam claræ factorum luci obtendatur. De Lutheri geſtis & obitu ex remerario ſive adverſarii ſive ignorantis teſtimonio, nollent judicium fieri; & quidem jure meritoque. Ab iniquis ergo de Zwinglio judiciis abſtineant, & Deum memorem fandi atque nefandi timeant.

XII. *Quæſt. An ſint Chriſti martyres, qui in ſpecie propter dogma refor-*

 ma-

matorum de cœnâ Domini, patiuntur? Reſp. Negat *Wigandus lib. cit. pag.* 204. Alii de martyribus reformatis ſatis iniquè & contumelioſè loquuntur, immo non defuerunt, qui diaboli martyres appellaverint, præſertim Belgas, tum propter ſententiam de cœnâ, tum etiam propter *vaſtationes eccleſiarum, graſſationes, ſeditiones, & ſimilia facinora. Nam ii ſpiritus valde turbulentus eſt, ut hiſtoria teſtantur:* ſunt verba *Wigandi pag.* 204. Quod ad *prius*, cum conſtet complures martyres Belgicos fuiſſe in illâ ſententiâ, & de eâ ſpecialiter ac præcipuè ab inquiſitoribus & judicibus fuiſſe examinatos, eamque conſtanter ex ſacrâ ſcripturâ profeſſos, & ob eandem divinam veritatem tanquam hæreticos injuſtè fuiſſe condemnatos & ſupplicio affectos: hinc vel minimâ ſpecie iis abjudicari nequit, verum martyrium. Et dato, non conceſſo, eos in hoc uno erraſſe in reliquis veritatibus fundamentalibus Papatus idololatriæ, & hæreſi, oppoſitis, ſcripturæ adhæſiſſe, unde probarent illos fore pſeudo-martyres, aut diaboli martyres? Quomodo tuebuntur inſulſum, nec minus horrendum illud judicium *Conr. Sluſſelburgii lib.* 2. *theologiæ Calviniſticæ artic.* 1. *fol.* 10. b. „ *Simlerus*, (in vitâ „ *Petri Martyris*) addit, Martyrem in hæreſi ſacramentariâ mortuum eſſe, „ atque dixiſſe ad Bullingerum & alios, paulo ante mortem; *Se non velle* „ *eſſe in cœlo Brentii, quod nuſquam ſit.* Ergo manendum tibi erit Martyr, „ in cœlo Cingly cum Hercule & Socrate, id eſt, in inferno, ubi tu Martyr „ perpetuus diaboli Martyr eris. Aliter certè de reformatis martyribus, quamvis præſentiam & manducationem Chriſti corporalem in cœnâ non admittentibus, aliqui ex Lutheranis judicârunt; idque oſtendit Principum Proteſtantium interceſſio apud Regem Galliæ pro reformatis, perſecutionem deprecantibus. Piiſſima & doctiſſima Olympia Morata, quæ ex Italiâ in Germaniam delata, in communione eccleſiæ Lutheranæ (ni fallor) primum vixit, ab Annâ Eſtenſi Principe Guiſianâ anno 1554. interceſſionem pro reformatis Gallis petebat; quod *tot illi homines qui jam iſtic comburuntur, innocentiſſimi eſſent, & propter Chriſti Euangelium tot ſubirent cruciatus.* lib. 2. epiſtol. epiſt. 1. pag. 132. An de Melanthonis in ſententiâ reformatâ piè defuncti ſalute tam ſiniſtrè judicabunt? An de omnibus martyribus in Galliâ, Belgio, Hiſpaniâ, Italiâ, & de Waldenſibus, Pedemontanis, Bohemis, quos conſtat nec præſentiam & manducationem Chriſti corporalem in cœnâ, nec ubiquitatem Corporis Chriſti credidiſſe: uti videre eſt in Waldenſium explicatione articulorum ſymboli apud *Joh. Paulum Perrinum, part.* 3. *hiſtor. Waldenſ. lib.* 1. & in Confeſſione fratrum unitatis Bohemicæ *artic.* 14. Quid *Sleidanus* ad ann. 1545. Et *Math. Flacius Illyricus in catalogo teſtium veritatis lib.* 15. *p.* 1498. & ſeqq. edit. in fol. de iis judicet, lector ipſe cognoſcat.

LIBRI PRIMI
TRACTATUS IV.
Qui eſt
DE MULIERIBUS.

SUpra *tract.* 2. membra eccleſiæ per varias qualitates tum intrinſecas tum extrinſecas diſtinximus : Inter eas una eſt quæ ſecundum ſexum diſtinguit in viros & mulieres. Quâ occaſione cùm de mulieribus nonnulla ſint conſideranda in ordine ad corpus & ſtatum eccleſiaſticum: operæ pretium, ſaltem nihil alienum facturi videmur, ſi uti de hominis naturâ, partibus, eſſentialibus, affectionibus agunt theologi tum ſcholaſtici tum noſtri locorum communium ſcriptores ; ſic de mulieribus ſelectas ſaltem aliquot quæſtiones hic explicemus : pertinentes ad

Mulierum ſtatum & conditionem {
I. *Naturalem.*
II. *Sæcularem & Politicum.*
III. *Spiritualem & Eccleſiaſticum.*

CAP. I.

Quæſtiones circa mulierum ſtatum & conditionem naturalem.

I. QUæſt. *An Mulier ſit homo ? Reſp.* Ante 64. annos præter propter anonymi libellus editus eſt , in quo probare contendit mulieres non eſſe homines , locorum quorundam ſcripturæ adhibito. Sed abſurdis & ſtolidis ejuſmodi quæſtionibus & diſceptationibus applicandum illud Apoſtoli 1 *Timoth.* 6. *v.* 20. ἐκτρεπόμενος τὰς βεβήλους κενοφωνίας, καὶ ἀντιθέσεις τῆς ψευδωνύμου γνώσεως. 2 Timoth. 2. v. 23. *Stultas autem & ineruditas quæſtiones devita.*

Plato non quidem apertè negavit mulierem eſſe hominem, ſed in *Sympoſio* indignè philoſopho dubitavit, an in genere rationalium an irrationalium animalium collocanda eſſet. Nec philoſophicè & accuratè in *Sympoſio* tria ab illo enumerantur hominum genera, mas, fæmina ; & tertius ex utroque compoſitus.

 Sed

Sed hæc ſive dubitatio ſive ψευδώνυμος γνῶσις ex ſcripturis & rationibus profligatur,

I. Geneſ. 1. v. 27. *Et creavit Deus hominem in imagine ſuâ*, &c. *marem & fæminam creavit eos.* Geneſ. 5. v. 1. 2. *In die, quo creavit Deus hominem, in ſimilitudine Dei fecit eum. Marem & fæminam creavit eos.*

II. *Ex* Incarnatione Chriſti, qui homo & filius hominis eſt & dicitur, qui factus eſt ex muliere *Galat.* 4 *v.* 4. Ergo ſanctiſſima virgo Maria mater ejus, quæ mulier erat, fuit homo.

III. *Ex* mediatoris Chriſti ſalvatione, quæ fuit hominum, non aliarum creaturarum. *Unus enim mediator Dei & hominum*, &c. 1 Timoth. 2. v 5. cum *Tit.* 3. *v.* 4. Jam vero mulieres per Chriſtum mediatorem ſalvantur 1 *Tim.* 2. *v.* 15. *Actor.* 16. *v.* 14. 15. & 17. *v.* 34.

IV. *Quia* nullæ creaturæ ſunt membra eccleſiæ aut myſticum Chriſti corpus conſtituunt, nullæ ſunt ſubjecta baptiſmi & cœnæ, niſi homines. Atqui mulieres ſunt membra eccleſiæ, & myſtici corporis Chriſti; quia ſunt ſubjecta baptiſmi & cœnæ. *Actor.* 14. *v.* 14. & ſunt pars & membra eccleſiæ viſibilis ſeu cœtus externè congregati 1 *Corinth.* 11. *v.* 5. & 14. *v.* 34.

V. *Ex* eo, quia ut mas & fæmina non ſunt ſpecies animalis, ſic nec vir & mulier ſunt ſpecies hominis, aut ſpecie inter ſe differunt. Hæc ex philoſophiâ & à philoſophis probata hic ſumimus.

VI. *Quia* eædem ſunt partes eſſentiales mulierem conſtituentes; quæ virum: anima ſcil. humana & corpus humanum: Ergo idem eſſentialiter & ſpecie compoſitum, humanum ſcil., ſeu homo, ex partibus illis eſſentialibus conſtitutum. De animâ humanâ mulieris non eſt dubitandum, cum mulier dicatur creata ad imaginem Dei *Geneſ.* 1. *v.* 27. Et per Chriſtum renovata ad imaginem Dei, fidem habere, ſanctitatem, &c. 1 *Tim.* 2. 1 *Petr.* 3. Quæ nullo modo de eâ dici poſſent, niſi anima illi eſſet humana, intellectu & voluntate prædita. De corpore humano eodem eſſentialiter cum corpore viri, ex hiſtoriâ anatomicâ pateſcit; ubi accidentalis ſolummodo differentia, quod ad partes generationi deſtinatas, & quod ad qualitates quaſdam obſervatur. Atque hæ rationes ſufficiant. Inter rationes, autor libelli anno 1595. & Hagæ-comitis anno 1638. recuſi, tit. *Diſputatio perjucunda, mulieres non eſſe homines*, hunc quaſi Achillem opponit, quod mulier ad imaginem Dei creata non ſit 1 *Cor.* 11. *v.* 7. *Ergo.* Sed de hoc infra, peculiari quæſt.

Ex vocis *Adam* variis acceptionibus nihil efficitur. Aliquando enim tanquam nomen proprium ſignificat individuum aliquod, primum ſcil. hominem *Geneſ.* 4. *v.* 1. Aliquando tanquam appellativum notat communiter ho-

hominem, cujuſcunque ſexus, ſtatus, conditionis. Et ſic neceſſario accipienda *Geneſ. 1. v. 26. 27.* & *5. v. 1. 2.* Aliquando ſtrictè notat vulgares homines, communis ſortis & conditionis, quos Latini dicerent plebejos: contradiſtinctè ad איש *iſch* & בני איש *bene iſch.* Vide *Pſal. 49. v. 1. 2.* Alia quamplurima quæ malitiam & animi morbos in mulieribus depingunt (apud autores infra indicandos) tantum valent ad negandam earum naturam humanam, ac infiniti pœne morbi & defectus corporis valerent ad virorum naturam humanam, & venena multorum animalium aut ſævitia belluarum ad negandam naturam animalem valerent.

II. *Quaſt. An mulier ſit ἁμάρτημα erratum naturæ, & mas occaſionatus, & per accidens generetur, atque adeo ſit monſtrum? Reſp.* Tale quid excidit *Ariſtoteli lib. 2. de generat. animalium cap. 3.* & *lib. 4. cap. 2.* Hanc opinionem adoptavit *Thomas part. 1. qu. 92. art. 1.* & *lib. 3. c. Gentes cap. 94.* Ejuſque ſequaces, *Viguerius Inſtitut. cap. 21. §. 2. v. 4.* Et commentatores ad Thomæ ſummam *Cajetanus*, *Medices*, *Alagona*, Et *Ferrarienſis ad 3. c. Gentes cap. 94.* Inſuper ex ſententiariis *Bonaventura*, *Ægidius*, *Richardus ad 2. diſt. 20.* Sed panacæâ diſtinctionis emolliri putant crudam hanc opinionem, Quod fæmina ſit occaſionativè, non per ſe, reſpectu agentis particularis, (quod intendit ſimile) & fit propter debilitatem virtutis agentis, diſpoſitionem materiæ, & propter tranſmutationem ab extrinſeco: ſed quod fæmina ſit per ſe, ex intentione agentis univerſalis, & naturæ. Sed hæc diſtinctio præſupponit & ſumit quod probandum erat: quaſi mas ſolus generaret, & non fæmina (de quo mox infra), atque adeo generans particulare ſemper intenderet perfectius, id eſt, marem: cum intendat hominem, id eſt, generare ſibi ſimile; non autem hunc aut illum ſexum hominis: Et perfectionem intendat, eſſentialem ac integralem; non vero accidentalem.

Monſtroſa hæc opinio refutatur ex ſcripturâ & ratione.

Ex ſcripturâ,

I. Ex Math. 19. v. 4. *Non legiſtis opificem ab initio feciſſe maſculum & fæminam* Geneſ. 1. v. 27. Et creavit Deus hominem, &c. maſculum & fæminam creavit eos. Si Deus ab initio per creationem immediatè produxit mulierem æque ac virum: Ergo per providentiam mediatam æque poſtea producit mulierem ac viros & quidem per ſe quod ad cauſas ſecundas.

II. *Quia* in ſtatu integritatis, juxta benedictionem Geneſ. 1. v. 28. geniti fuiſſent homines, tam fæminæ, quam mares, in ſuâ naturali debitâ perfectione; & continuatum fuiſſet in operibus Dei, illud primigenium, *Et ecce bonum valde.* Geneſ. 1. v. 31. Abfuiſſet ergo omnis defectus, imminutio, inordinatio, monſtroſitas. Omnia enim illa ἁμαρτήματα, & omnes impotentiæ ingreſſæ ſunt per peccatum. Rom. 8. v. 20. *Nam vanitati mundus hic*

 con-

conditus eſt, &c. *v.21. mundus liberabitur ex ſervitute corruptionis*. Geneſ.3. v.17. *maledicta terra propter te*, &c. Deuter.28. v.23. *& erunt cœli tui*, &c. *ærei, & terra*, &c. *ferrea*.

III. *Quia* in mundi παλιγγενεσίᾳ & reſtitutione Deus benedixit Noacho & filiis ejus: *creſcite & multiplicamini & replete terram* Geneſ.9. v.1. hoc eſt, ut ex viris & mulieribus generarentur viri & mulieres; ſecundum ordinem & legem naturæ poſitam in primâ creatione *Geneſ.1.v.28.* Ita ut nullus ordo, nulla lex, nulla intentio particularis agentis ſeu generantis hic fingi debeat, diſtincta à lege, ordine, & intentione agentis univerſalis ſeu naturæ tum naturantis tum naturatæ.

Ex ratione I. *Quia* generalis definitio monſtri non competit fæminæ: Ergo non eſt ἁμάρτημα naturæ, ſeu monſtrum. Definitio, quam formavit, explicuit, & probavit *Fortunius Lycetus* (*lib.1. de Monſtris cap.11.12.13.*) „ hæc eſt: Monſtrum eſt ſubcœleſte movens membrorum enormi conſti„ tutione videntibus horrorem, cum admiratione incutiens, raro admodum „ naſcens, ex ſecundario naturæ inſtituto genitum propter aliquod impedi„ mentum in principiis ſuę conformationis.

II. *Quia* quod ordinariò fit, non eſt aberratio naturæ: atqui non minus fæminæ ordinariò generantur, quam mares; immo plures generantur fæminæ quam mares. Ergo non eſt caſûs, aut aberratio ἁμάρτημα, aut monſtrum.

III. *Quia* ſi natura non raro producit mulieres, quæ *viragines* dicuntur, qualitatibus & donis tum animi tum corporis perfectiores multis, ſi non pleriſque, viris: ergo mulieres illæ non ſunt ἁμαρτήματα, ἡττήματα defectus naturæ.

IV. *Argumentum* ad hominem, contra Ariſtotelem eſt, quia quod ab æterno fuit, illud non eſt caſus, aberratio, ἁμάρτημα. Sed generatio fæminarum, cum mundo & rerum naturâ ab æterno fuit, juxta Ariſtotelem. Ergo non eſt caſus, aut naturæ ἁμάρτημα.

V. *Argum.* Ad hominem, contra *Thomam* & ſequaces. *Quia* mulier debuit produci in primâ productione *part.1. quæſt.92. artic.1.* Atqui in primâ conſtitutione naturæ omnia opera intentione Dei erant perfecta & valde bona: ergo & mulier tunc producta. Et conſequenter ſecundum ordinem tunc in hominibus conſtitutum *creſcite & multiplicamini*, mulieres æque ac mares per generationem & ſucceſſionem individuorum continuandę & perpetuandæ erant.

Quod contra à nonnullis adfertur, de fæminis in mares mutatis; unde ſequeretur fæminam, imperfectum & ἧττημα quid eſſe, ideoque à naturâ generante non intendi, ſed marem: illud tantundem valet, ac ſi dicas, mares

res eſſe imperfectum & ἥττον naturæ, ideoque ab eâ non intendi, ſed fæminam: quod mares aliquando ſint mutati in fæminas. Sed de hâc mutatione, infra.

Rejicitur *Cajetani* figmentum in *commentar. ad Geneſ.* 2. tam facile, ac ab illo ſine probatione adfertur. Verum (inquit *Pererius lib.* 4. *in Geneſim cap.* 2. *v.* 23.) „ audi quemadmodum Cajetanus ſuæ quam ſupra expoſui„ mus inſiſtens commentationi ac ſententię, hæc verba interpretatur: Ma„ niteſte, inquit, Moſes his verbis mulieris naturam ſimul & productionem „ indicavit. Mulier enim quelibet cum ſit vir læſus, eſt os de oſſibus viri„ libus, & caro de carne virili. Intendit enim virile ſemen producere vi„ rum: ſed defectu interveniente, cum non valeat facere virum integrum, „ facit virum læſum, hoc eſt, mulierem: quare mulier eſt os de oſſibus viri „ intentis, & caro de carne virili intenta. Dicitur autem pluraliter *Ex oſſi*„ *bus*, ut ſignificetur, quamvis imperfectior ſit caro mulieris quam viri, „ non tamen minorem eſſe carnalem ejus affectum: immo verò tanto ma„ jorem, quanto minori corporis robori conjunctus eſt. Verùm hęc, prę„ ter falſitatem & abſurditatem ſententiæ unde fluxerunt, etiam ipſa tam „ obſcura, perplexa, dura, & violenta eorum tractatio, męras eſſe nugas & „ Cajetani figmenta declarat.

III. *Quæſt. An mulier activè concurrat ad generationem prolis? Reſp.* Negat *Ariſtoteles lib.* 1. *de generat. animal. cap.* 19. & 20. nixus præcipuè hoc argumento, quod ſemen non habeat: nec illud ad generationem conferat: uti *cap.* 20. diſputat. Secuti ſunt Ariſtotelem, *Averroes*, *Albertus*, *Durandus*, *Paludanus*, *Capreolus*, *Herveus*, *Thomas*, cum *Cajetano part.* 3. *qu.* 32. *art.* 4. Ex recentioribus *Caſp. Bartholinus* mediam ſententiam probat, quod mulieres habent quidem ſemen, ſed tamen activè non concurrant ad generationem: in controverſiis ſubjectis Inſtitut. Anatom. 1632.

Sed affirmans omnino tenenda eſt, tum ob ſcripturæ autoritatem tum ob rationes.

Quod ad ſcripturam 1. illa mulieri generationem tribuit per ſemen ſeu vim ſeminariam. Levit. 12. v. 2. *Mulier ſi ſeminificaverit, & pepererit maſculum, immunda erit ſeptem diebus. Secundum dies ſeparationis menſtrui ſui, immunda erit.* Ubi ſeminificatio à partu, & ſemen à ſanguine menſtruo, ejuſque expurgatione ſatis clarè diſtinguitur. Adde Hebr. 11. v. 11. *Sara vim ad ejaculationem ſeminis* (εἰς καταβολὴν σπέρματος) *accepit.*

2. *Ex incarnatione* Chriſti: λόγος enim caro factus eſt Joh. 1. v. 14. *pueri participes ſunt carnis & ſanguinis, ipſe quoque conſimiliter particeps factus eſt eorundem* Heb. 2. v. 14. Ergo per generationem & ſemen mulieris, ſanctiſſ. ſcil. virginis Mariæ, quæ Deum genuit, quę eum in utero concepit, & pe-

perit,

perit, ut eſſet fructus ventris ejus *Luc.* 1. *v.* 31. 32. 42. fructus lumborum Davidis, quod ad carnem *Actor.* 2. *v.* 30. quique eo reſpectu ex patribus eſt. *Rom* 9. *v.* 5. & conſequenter filius Davidis, filius Abrahę, filius Adami *Math.* 1. *v.* 1. cum *Luc.* 3. *v.* 38. Atque adeo frater noſter, ex uno ſanguine nobiſcum *Actor.* 17. *v.* 26. coll. cum *Hebr.* 2. *v.* 11. - 17. Hęc ſcholaſtici imprimis conſiderare debuiſſent, nec autoritati Ariſtotelis graviter hic errantis inhærere. Rectius ergo *Scotus*, *Bonaventura*, *Ochamus*, *Marronis*, *Baſſolus*, *Biel*, *Lichetus*, *Maior*, deſerto Ariſtotele affirmantem amplexi ſunt; & ex recentioribus, deſertis Ariſtotele & Thomâ, *Conimbricenſes* ad *c. de Gener. & corrupt. cap.* 4. *quæſt.* 27. quamvis ibid. honori Ariſtotelis & Thomæ cum ſuis quodammodo velificentur, dicendo ſententiam eorum magnam habere probabilitatem, *Petrus Wadingus in tract. de incarnatione* à veritate hujus quæſtionis ſive medicæ ſive philoſophicæ ſe pro tunc abſtrahere dicit, & ſupponere argumenti gratiâ, quod plerique recentiores jam ſentiunt, mulieres activè concurrere, *Zwarez ad Thomæ* 3. *qu.* 32. *artic.* 4. ſe huic diſputationi ſubducit: „ Huic articulo, inquit, exiſtimavi non addendum „ eſſe commentarium. Nam multa philoſophica, quæ D. Thomas in eo attingit, ſi diſcutienda eſſent, longam requirerent diſputationem à noſtro „ inſtituto ſatis alienam.

II. *Rationes* pro affirmante ſententiâ à phyſicis & anatomicis deſumuntur, ex partibus quæ in muliere reperiuntur, vaſis ſcil. ſemen præparantibus, teſtibus, vaſis ejaculatoriis ſeu ſemen deferentibus, eorumque duplici ductu, quorum alter in fundum uteri, alter in cervicem uteri fertur. De quibus vide Laurentii, aliorumve poſt ipſum anatomias.

IV. *Quæſt. An fæmina verè in virum mutetur? Reſp* Fieri aliquam mutationem contra experientiam negandum non eſt. Vide exempla apud *Plinium lib.* 7. *cap.* 4. *Gellium lib.* 9. *cap.* 4. Citantur etiam à recentioribus *Luſitanus*, *Donatus*, *Torquemada*, *Volaterranus*, *Fulgoſus*, *Jov. Pontanus*, *Ambroſius Pareus*. Vide hanc quæſtionem tractatam à *Caſp. Bartholino in controv. anatom. Laurentio lib.* 7. *anatom. cap.* 12. *quæſt.* 8. *Fortunio Lyceto lib.* 2. *de Monſtris cap.* 54. De causâ & modo mutationis diſſentiunt philoſophi & medici. Quid ſi dicatur fuiſſe hermaphroditos, & virilis ſexus partes latuiſſe, ac poſtea erupiſſe.

Porro de Hermaphroditis eorumque diverſis generibus *Ambroſius Pareus*; & poſt omnes pleniſſime *Caſp. Bauhinus tract. peculiari.* Quidquid ſit de modo mutationis mulierum in viros (quem à *Laurentio*, *Lyceto*, *Bartholino* explicatum probo); non tamen probatur eſſe mutationem ſpeciei in aliam ſpeciem; nec inde infertur mulieres eſſe ἁμαρτήματα naturæ, & mares imperfectos ſeu occaſionatos. Uti loc. cit. bene diſputat. *Bartholinus quæſt.* 12. 13.

Quia

Quia uti ex viris etiam mutatis in fæminas, (apud *Laurentium, Lycetum, Bartholinum* loc. cit.); ſolidè non infertur, viros eſſe mulieres occaſionatas & ἁμαρτήματα naturæ: ſic viciſſim ex fæminis in viros mutatis concludi nequit, eas eſſe mares occaſionatos.

V. *Quæſt. An vir & mulier ſimul ſint creati; & quidem, duabus ipſarum perſonis conjunctis; ſed poſtea à Deo diſciſſis ac ſeparatis? Reſp. Prius* aff. *Cajetanus*; qui hanc hiſtoriam creationis viri & mulieris facit parabolicas & allegoricas deſcriptiones. Sed à *Pererio, Corn. à Lapide, Mario*, aliiſque Pontificiis interpretibus commentum ejus rejicitur. Perſpicua & peremtoria ejus refutatio habetur ex 1 Timoth. 2. v. 13. *Adamus enim prior formatus eſt, deinde Eva.* 1 Cor. 11. v. 8. *Non enim eſt vir ex muliere, ſed mulier ex viro.*

Poſterius aff. aliqui ex Rabbinis, qui hominem androgynum creatum dicunt: non quod in eodem corpore eſſet uterque ſexus, ſed in diverſis continuis corporibus, quæ vel ita diſpoſita ut unum eſſet à dextra, alterum à lævâ; vel, ut unum eſſet ante, alterum retro. *Aben Ezra in commentar.* ad Geneſ. 1. v. 27. *Et Adam in principio creatus fuit duabus perſonis* פרצופין. Inter Romano-Chriſtianos *Franciſcus Georgius* Rabbinicis & Cabaliſticis furfuribus non raro paſtus *tom. 1. problemat. ſect. 1. fol. 4. 6. qu. 29.*

„ Cur ſcriptum eſt, quod non inveniebatur homini adjutorium. Cum à „ principio geminus, id eſt, maſculus & fœmina creatus fuerit? An forſi- „ tan (ut Plato docet) fuerunt à principio conjuncti mas, & fœmina per „ dorſum poſtea ſecti: ut è regione conjungerentur, ad prolem procrean- „ dam? Et in hoc, ſicut & in aliis, fuit edoctus ipſe Plato ab integerrimo „ philoſopho Moſe. Quod apertè diſcere poſſumus ex iis, quæ docet „ Zohar: & ex Scriptura ipſa: ubi habetur, quod ex ſecto latere, vel coſta „ Protoplaſti formata fuit mulier. צלע Zelah enim utrumque ſignificat, „ coſtam videlicet & latus. Hinc (ut ipſe Plato proſequitur) alter alterum, „ tanquam dimidium ſui, appetit. Facta verò ſectione mulier fuit adjuto- „ rium viri, videlicet tanquam coram eodem ſcilicet ſtans. Sicut habet veri- „ tas Hebraica. Pro quo communis editio habet, ſimile ſibi.

Sed figmentum hoc evaneſcet lecto textu *Geneſ. 2. v. 20. 21. 22.* coll. *v. 15. 16. 17.* ubi Deus Adamo jam creato & in Eden collocato, dicit v. 18. *Non eſt bonum eſſe hominem ſolum; faciam ei adjutorium, quod eſſet coram eo. Et cadere fecit dominus Deus ſoporem*, &c.

VI. *Quæſt. An mulier ſit creata ad imaginem Dei. Reſp.* Aff. ex *Geneſ. 1. v. 27. & 5. v. 1. 2. Secundo*, quia mulier eſt homo: jam vero homo factus ad imaginem Dei *Geneſ. 9. v. 6. Jacob. 3. v. 9.* Quæ loca nullam patiuntur exceptionem. *Tertio*, quia per regenerationem, recreantur ac renovantur

Digitized by Google

mulieres æque ac viri ad imaginem Dei *Epheſ.4.v.24. Coloſ.3. v. 10.* cum 2 *Petr.1.v.3.4.* Sunt enim fideles mulieres in Chriſto: & per Chriſtum ſervantur 1 *Tim.2.v.15.* cum *Actor.4.v.12.* Jam vero qui in Chriſto ſunt, *nova* ſunt *creatura 2 Cor.5.v.17.*

Sed opponitur 1 Cor.11. v. 7. ubi vir dicitur, *imago & gloria Dei* eſſe: *mulier* vero *gloria viri. Reſp.* Eſt fallacia à dicto ſecundum quid ad dictum ſimpliciter. Neque enim univerſaliter & excluſivè vir dicitur imago Dei: ſed certo aliquo reſpectu, quatenus vir primò conditus eſt, & poſt atque ex eo mulier; & conſequenter quatenus vir ἐξοχῇ ſuperiorate majoritate ſuâ ſupra mulierem Dei primi & ultimi primitatis & ſuperioritatis ſimilitudinem atque imaginem gerit. Hoc patet ex verſibus ſeqq.8. & 9. *Non enim eſt vir ex muliere: ſed mulier ex viro. Neque enim conditus eſt vir propter mulierem, ſed mulier propter virum.* Et 1 Tim.2.v.11.12.13. *mulier cum ſilentio diſcito cum omni ſubjectione. Mulieri vero docere non permitto, neque autoritatem uſurpare in virum*, &c. *Adamus enim prior formatus eſt, deinde Eva.* Breviter, vir eſt origo & principium ex quo mulier, & eſt finis propter quem producta eſt mulier: conſequenter eſt caput, & habet ἐξοχὴν ſuperioritatem, dominium ſupra mulierum: quamvis uterque habeat ſuperioritatem & dominium, ſupra reliquas creaturas Geneſ.1.v.26.27. *faciamus hominem ad imaginem noſtram*, &c. *ut præſit piſcibus maris*, &c. *Et creavit Deus hominem ad imaginem ſuam*, &c. *maſculum & fœminam creavit eos.* Sed mulier non habet ſuperioritatem ſupra virum, ſicuti vir habet ſuperioritatem ſupra mulierem; & hoc reſpectu peculiariter eſt & dicitur imago Dei, & gloria Dei: quatenus vult Deus in ipſo velut imagine quâdam ſplendere & radiare ſuæ majeſtatis & dominationis gloriam. Sic communiter interpretes ad *Geneſ.1.v.26.27.* & 1 *Cor.11.v.7.* mulierem conditam ad imaginem Dei affirmant; hoc tamen particulari reſpectu negant eſſe imaginem Dei. *Grotius* ad 1 *Cor.11. v. 7.* ubi cum ex *Iſidor.* rectè affirmaſſet virum ad *Dei effigiem factum, nempe imperio etiam in uxorem*, mox ſubdit hanc rationem: *Ideo de muliere non dici, conditam eam ad Dei imaginem* Geneſ. 1. v 26. 27. Quod ſphalma mnemonicum eſt. Exſertè enim loco cit. *Geneſ. 1. v. 27.* dicitur eam conditam eſſe ad imaginem Dei.

VII. *Quæſt. An mulier ſexto die producta ſit? Reſp.* Negat Thomas pag. 1. qu. 73. art. 1. ad 3. aſſerens eam ſeptimo die creatam: *Nihil poſtmodum* (poſt ſex dies) *à Deo factum eſt totaliter novum, quin aliqualiter in operibus ſex dierum præceſſerit. Quædam præexſtiterunt materialiter: ſicut quod Deus de coſtâ Adæ formavit mulierem.* Thomæ opinionem haut obſcurè ſequitur *Hieronymus Medices*, in *explicatione formali Thomæ.*

Et

Digitized by Google

Et *Catharinus in commentar.* in *Geneſ.* 2. (uti referunt & improbant *Suarez cap.* 11. *num.* 1. *Ariaga* ad 1. *Thomæ, tract. de opere ſex dierum*, *A Lapide* in *Geneſ.* 2. *v.* 18.) eandem ſecutus eſt. Sed oppoſitum tenent autores cit., & Lipomanus, *Pererius*, *Marius*, *A Lapide, in commentar.* & *Bonaventura* 2. *diſt.* 18. *qu.* 2. Et noſtri communiter, in notis & commentariis.

Rationes ſunt 1. *quia* Geneſ. 1. v. 67. dicitur *marem & fœminam creavit eos.* v. 28. *benedixitque illis Deus*, *& ait*, *creſcite & multiplicamini*, &c. 2. *quia* Deus hoc ultimo operum creationis abſoluto, vidit *cuncta quæ fecerat*, *& erant valde bona. Et factum eſt veſpere & mane dies ſextus.* Et poſt cap. 2. v. 1. *Igitur perfecti ſunt cœli & terra & omnis exercitus eorum. Complevitque Deus die ſeptimo opus ſuum quod fecerat*, *& requievit die ſeptimo ab univerſo opere*, *quod parârat.* Adde Exod. 20. v. 11. *Sex enim diebus fecit dominus cœlum & terram, & mare*, *& omnia quæ in eis ſunt*, *& requievit in die ſeptimo.*

Ratio quæ movit eos paradoxum hoc contra ſimplicem ſcripturæ hiſtoriam comminiſci, videtur ipſis duplex fuiſſe.

Una, quod poſt relata opera ſex dierum *cap.* 2. *v.* 21. 22. 23. demum referatur creatio mulieris.

Altera, quod rationale aut conceptibile non ſit, omnia illa, quæ referuntur *cap.* 2. de viro ſolo, de collocatione ejuſdem in Eden, imprimis de cunctis animalibus ad Adamum adductis, &c. potuiſſe tam brevi tempore geri.

Reſp. ad 1. Similiter dici poſſet, quod in ſerie hiſtoriæ, poſt opera ſex dierum & ceſſationem diei ſeptimi demum referatur creatio Adami ex terra, & inſufflatio halitus vitæ in nares ejus. Non fuiſſe ergo Adamum creatum ſexto die, ſed ſeptimò aut aliquo ulteriori. Similiter de Paradiſo, de vapore ex terrâ, &c. poſt ſex dies demum productis concludi poſſet. Quod abſurdum.

Reſp. ad 2. Sic infideles, athei, ſeu Epicurei, Libertini, hiſtorias ſcripturæ ad rationis ſuæ libellam expendunt; & τὸ ὅτι negant; quia τὸ διότι ſeu cur & *quomodo* non capiunt; atque adeo abſurdum, irrationale ἄτοπον, impoſſibile aut contradictorium in eo deprehendi putant. Specimina habes in *Simplicii oppoſitionibus* contra hiſtoriam creationis, quas refert & refutat *Fr. Junius* in πρωτοκτίσεις. Similiter ceſpitârunt aliqui in Geneſ. 2. v. 2. *& perfecit Deus die ſeptimo*, &c. unde alii ſubſtituerunt *die ſexto*; alii commenti ſunt (*Hieronymus tradit. in Geneſ.*) Deum ſeptimo die opera ſua compleviſſe & *benedixiſſe*. Vide de hoc *Galatin. de arcanis cathol. verit. lib.* 11. *cap.* 10. *Sixtum Senenſem lib.* 5. *biblioth. annot.* 23. Ex recentioribus Judæis *Menaſſe*

ben Iſrael in Concil. qu. 13. *in Geneſin.* Et τὸ ויכל *Geneſ.* 2. *v.* 2. rectè transſferri poſſe, & *compleverat*, juxta *Mercerum in comment. Druſium* ad illum locum, *Amama in Cenſurâ vulgatæ verſionis.* Contra hiſtorias diluvii, plagarum Ægypti, tranſitus per mare rubrum & Jordanem, Simſonis, &c. ſimiliter nodi nectuntur.

Sed expendamus objectiones, diſtinctiones, exceptiones, quę pro rancidâ hâc opinione alicubi allatæ ſunt, aut adferri poſſent.

I. Objicitur, quod poſt opera ſex dierum, & quietem ſeu ceſſationem Dei, demum referatur creatio mulieris: ergo poſt opera ſex dierum, die ſcil. ſeptimo, aut poſt eum, mulier creata fuit. *Reſp.* Continetur *cap.* 2. uberior & ſpecialior explicatio operum quorundam creationis; quæ jam intra ſex dies facta erant, & quæ capite 1. ſub generalibus titulis (ita loquar) intelligenda ſunt. Hic autem generaliter repetuntur, Geneſ. 2. v. 4. 5. *Iſtæ ſunt generationes cœli & terræ, quando creati ſunt*, &c. *Et omne virgultum agri*, &c. *& omnem herbam agri, antequam oriretur*, &c. Quâ recapitulatione ſeu concluſione præmiſſâ, tranſitur *v.* 6. ad explicationem operum pertinentium ad tertium diem, & ad ſextum diem. Ad *tertium* diem pertinent. 1. vapor, qui humectabat univerſam terram. 2. *Productio* arborum & plantarum. 3. *horti* ſeu paradiſi exornatio. 4. *fluviorum* Paradiſi diſpoſitio. Ad *ſextum diem* pertinent, 1. formatio Adami *v.* 7. 2. Ejuſdem conſtitutio in horto Eden. 3. Animalium adductio ad Adamum, & nominum impoſitio. 4. *Creatio* Evæ *v.* 18.-23. 5. *Inſtitutio* conjugii. *v.* 23. 24. 6. *Præceptum* de arbore ſcientiæ boni & mali. Ad *quintum diem* pertinet, productio animalium terreſtrium & volatilium *v.* 19. 20.

Hæc omnia poſt opera ſex dierum, die ſeptimo aut ſequenti aliquo eſſe facta, æque dicendum eſſet, ac mulierem creatam: quod in ſerie textus ſacri poſt hiſtoricam narrationem creationis ſex dierum, & ceſſationis diei ſeptimæ (*Geneſ.* 2. *v.* 1. 2.) æque referantur, ac creatio mulieris. Atqui illud abſurdum eſt: ergo & iſtud.

II. *Except.* Quod Geneſ. 1. v. 27. dicitur, *maſculum & fœminam* creatos eſſe: illud ſolum indicat quid Deus voluerit, ut homo eſſet, aut ſuo tempore fieret, ſeu potius eſſet, nempe maſculus & fæmina: non vero indicat, Quod mulier tunc ſit condita. *Lyranus in poſtillâ*, notat hoc dici per *anticipationem*: ſed anticipationem non refert ad creationem mulieris *cap.* 2. *v.* 21. 22. 23. ſed ad commixtionem maris & fæminæ in generatione, de quâ mox dicturus eſſet *cap.* 1. *v.* 28.

Reſp. 1. Repugnat textui. Quia voluntas ſeu conſilium Dei de creatione hominis ad imaginem ſuam *v.* 26. proponitur: Et opus ſeu executio ſecundum iſtam voluntatem *v* 27. *Deinde* ſi voluntas Dei *v.* 27. de futurâ crea-

eatione fæminæ ad imaginem Dei, tantum referretur, & non actualis eatio fæminæ ſeu actuale opus Dei: cur idem æque de Adamo, dici on poſſet? *Marem*, &c. *creavit* eos, hoc eſt, Deus voluit, quid de viro, ſuo tempore futurum eſſet, & qualis futurus eſſet. Ita ut hoc veritatem ſuam aberet, ab eo tempore, quo Deus Adamum *formavit ex pulvere terræ, & iſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ, & fuit homo in animam viventem.* ienef. 2. v. 7. *Tertio*, Quod contra mulieris creationem, intra ſextum diem, d textum *Geneſ. 1. v. 27.* excipitur, diſtinctè & ſeparatim enarrari *Geneſ. 2.* .8. 15. 16. - 23. quæ antea compendio propoſita fuerant: id facit pro noois. Sicuti ergo viri creatio *cap. 1. v. 27.* compendio propoſita, diſtinctè enarratur *cap. 2. v. 8. 15.* &c. ſic & mulieris creatio *cap. 1. v. 27.* compendio propoſita, diſtinctè enarratur *cap. 2.* Ubi primo conſilium ſeu voluntas Dei *v. 18. 20.* deinde ejuſdem executio *v. 21. 22. 23.* hoc eſt, formatio mulieris, ejuſque modus. Addo, ſicuti opera tertii & quinti diei *cap. 1.* compendio propoſita, fuſius & diſtinctius enarrantur, *cap. 2. v. 6.* ubi de vapore, *v. 8. - 16.* ubi de paradiſo, ejuſque arboribus, fluminibus, ſitu, incolis. *v. 19. 20.* ubi de productione jumentorum, beſtiarum, volatilium.

Reſp. 2. De *anticipatione* ſeu *prolepſi Lyrani*, quam etiam alii reſpectu creationis mulieris, poſt ſextum diem ſecuturæ, in verbis Geneſ 1. v. 27. *marem & fæminam creavit eos*, reperiſſe ſe putant: non eſſe à propria locutione recedendum & ad figuratam confugiendum; niſi analogia contextus, aut ſcripturæ nos cogat. Atqui talem neceſſitatem hic minime videmus: non magis, quam in verbis denotantibus creationem viri intra ſextum diem. *Deinde*, obſervandum ex præceptis Rhetorum, prolepſios poëticæ (quam ita vocant diſtinctè à grammaticâ & Oratoriâ) exempla quæ inveniri putantur in Poëtis ea dici, quando loca aut ritus, eâ appellatione inſigniunt, quæ tunc temporis, cum ſcriberent obtinebat quidem; minimè vero tunc temporis, cum res illę, quas narrant, geſtę erant. Quamvis philologi autores iſtos ἀνιστορησίας & confuſionis temporum accuſent, aut aliâ aliquâ interpretatione, citra prolepſin excuſent. Vide de hoc Voſſium lib. 5. Inſtitut. Orator. cap. 11. §. 7. qui pag. 399. ait, *hujuſmodi Poëtarum* ἀναχρονισμῶν *ſi perſequi velim, ex ſolis illis volumen fiat.* Et adducto ibidem inſigni teſtimonio *Velleji Paterculi*, doctè monet. „Hæc ſatis oſtendunt, non „debere nos poëtarum reverentiâ omnia hujuſmodi per prolepſin excuſa„re, ſed fatendum eſſe, quędam per ἀναχρονισμὸν ab iis peccari. In ſcripturâ exemplum prolepſios in appellationibus locorum inveniri, concedit *Auguſtinus in quæſt. in Leviticum quæſt.* 23. & citat locum *Exod. 19. v. 22.* Sed in eo fallitur, pręſupponens non fuiſſe ſacerdotes ante Aaronem. Contra ac rectè obſervant & aſſerunt recentiores, *Lipomanus*, *Cajetanus*, *Corn. à Lapide*,

Digitized by Google

pide, *Marius*; & ex noſtris *Fr. Junius*, *Deodatus*, *Piſcator*, *Willetus*, *Chriſtoph. Cartwrightus*, notæ Belgicæ & Anglicæ, *Rivetus*. Et ſic ex Rabbinis Aben Ezra & Sel. Jarchi: quibus cum primum adſtipularetur Menaſſe ben Iſrael in *Conciliat. quæſt* 29. in Exodum, poſtea tamen labaſcens, relatam expoſitionem probat, quæ eſt in *Mechilta* (Commentarius eſt in Exodum), de filiis Aaronis, qui erant ſacerdotes potentiâ; & hic dicuntur *ſacerdotes*, *per anticipationem* ſcripturis uſitatam, *qua nomina huic vel illi imponuntur*, *qua poſtea demum accepere*. Sed talis expoſitio textui allato minimè convenit, qui ſic habet: *Et etiam ſacerdotes*, *qui accedunt ad dominum*, *ſanctificabunt ſe*, *ne ſorte in eis diviſionem faciat Dominus*. Hieronymus in commentar. ad Ezech. 30. v. 15. 16. *No* Hebræum, dicit ſe vertiſſe *Alexandriam*, per anticipationem ſeu prolepſin. Sed illam prolepſin non immeritò refutat *Bochartus part. pr.* geographiæ ſacræ *lib. 1. cap. 1. pag.* 6. Quidquid autem eſſet de illa *Hieronymi* prolepticâ appellatione: *non* tamen hic haberetur exemplum prolepſios ſcripturariæ. Prolepſis in ſcripturâ inveniri putatur *Exod.* 3. *v.* 2. ubi *Horeb* vocatur *mons Dei*: qui ſic poſtea dictus partim ob viſionem illam, de quâ ibi ſermo, partim ob deſcenſum Dei ferentis legem, in illum montem. Sed per Hebraiſmum, citra prolepſin, hunc locum exponi nihil vetat, uti Pſalm. 36. v. 7. *montes Dei.* Pſalm. 80. v. 11. *cedri Dei.* Cantic. 8. v. 6. *flamma Dei.* Jon. 3. v. 3. *civitas magna Dei.* Jerem. 2. v. 31. *terra caliginis Dei.* 1 Sam. 14. v. 15. *pavor Dei.* Obſervatum jam à R. Davide Kimchi in commentar. ad Pſal. 36. v. 7. ſicut *montes Dei*, *montes excelſi.* Et *ſic conſuetudo linguæ*, *quando vult rem magnificare*, *apponit ei* אל *el.* Judic. 15. v. 9. Philiſtæi dicuntur caſtrametati eſſe in *Lechi*; qui locus *v.* 17. demum appellatus fuit *Lechi*: ubi aliqua prolepſis admittenda cum Martyre, & Mariana. In eâdem ſingulari narratione quâ rem in illo loco geſtam & nomen *lechi* inde impoſitum, refert, initio ejuſdem narrationis vocat *lechi*.

Similiter initio ſingularis narrationis *Judic.* 2. *v.* 1. locus vocatur *Bochim.* Sed ex uno alterove prolepſios exemplo, in quorumlibet locorum aut hominum nominibus, prolepſis non fingenda: nedum ut integrarum enuntiationum & aſſertionum prolepſis fingenda ſit: e. gr. *Deus fœminam creavit*; quæ tamen poſtea poſt diem ſextum creata ſit. Et Geneſ. 2. v. 3. *Et benedixit Deus diei ſeptimo*, *& ſanctificavit illum*: qui, opinione illorum prolepſin prætendentium, poſt annos 2453. (præter propter) demum ſanctificatus & inſtitutus eſt; cum ſcil. Deus legem daret per Moſem *Exod.* 20. Ejuſmodi prolepſios exempla in ſcripturis exſtare, cum Riveto in diſſert. de origine Sabbathi cap. 2. negamus; & cum Walæo ibid. cit. dicimus *periculoſum eſſe tales prolepſes comminiſci.* Et ſi quæ iſtius generis in profanis ſcriptoribus

bus inventa, per prolepſin nonnulli, excuſare conati ſunt; nos juſtius, erroris, paroramatis, confuſionis temporum arguenda judicamus. Vide *Voſſii Inſtit. orator. ſupra cit.*

III. *Object.* Atqui admodum dubitatur quomodo uno die omnia peragi potuerint. 1. *Productio* ferarum & quadrupedum *Geneſ. 1. v.* 24. 25. 2. *Productio* hominis, benedictio, & datio præcepti de cibis, *Geneſ. 1. v.* 26 - 30. 3. *Collocatio* viri in Paradiſo, & datio præcepti, *Geneſ. 2. v.* 15. 16. 17. 4. *Adductio* animalium ad virum, eorumque per hominem luſtratio & nominum impoſitio *Geneſ. 1. v.* 18. 19. 20. 5. Immiſſio ſoporis alti, adeoque proculdubio longi, & ædificatio fæminæ ex ejus latere *v.* 21. 22. Hæc *Geneſ. 2.* diſtinctè & ſeparatim enarrantur, quę antea compendio propoſita fuerant, & quidem tali modo, ut unius diei ſpatio illa peracta eſſe videri non poſſint.

Reſp. 1. Ex hâc dubitatione, aut ratione dubitationis, certò concludi non poteſt cum *Abulenſi*, illud Geneſ. 1. v. 27. *marem & fœminam creavit eos*, veritatem ſuam habere ab eo tempore, quo fæmina è latere viri producta fuit; non ante. Ex dubio enim & incerto, certum ritè non concluditur. Quod ſi omiſſo τῷ *non videtur*, & τῷ *dubito*, quis dicat, ſe certo ſcire & credere illa peracta non eſſe, aut non potuiſſe peragi intra anguſtias unius diei: jam iſtius certæ ſive ſcientię ſive fidei rationem aut demonſtrationem poſtulo, cui innitatur: ſive ex verbo Dei, ſive ex ratione, ſive ex utroque. Hoc ni fiat, fruſtra ex dubio, aut ignoto, aut falſo, aut veriſimili, aut conjecturali, certum & neceſſarium infertur.

Quod ſi inſtantia fiat, Eſſe argumentationem âb abſurdo conſequenti: jam rurſum petimus, ut abſurdum, contradictorium, & impoſſibile illud perſpicuè probetur. 1. *Productio ferarum* & quadrupedum per creationem, quidni potuiſſet fieri? Neque enim ſingula individua ſpecierum, ne quidem ſingulas ſpecies ſucceſſivè creari neceſſe fuit. Quid repugnat, ſi individua ſpeciei cujuſque (mares ſcil. & fæminas) uno temporis inſtanti ſimul; immo & ſpecies ſi non omnes, ſaltem pleraſque aut complures, ſimul creatas eſſe dicamus. Cogita quot ſpecies volatilium, imprimis aquatilium quinto die creatæ ſint? Ad hoc ſatis temporis ſuppetit uno die. 2. *Productio* hominis & datio pręcepti, longam temporis extenſionem non requirit. 3. *Nec collocatio* viri in paradiſo. Sed 1. *adductio* animalium ad Adamum, 2. eorundem luſtratio, & nominum impoſitio, 3. ut & alti ac longi ſoporis immiſſio, aliquod tempus requiſiviſſe videntur.

Reſp 1. Sit ſane? quis negabit, illud temporis ſpatium intra ſextum diem potuiſſe haberi? Neque enim præſupponendum multum temporis requiſitum fuiſſe, ad animalia Adamo exhibenda; quaſi ſcil. ex omnibus

orbis

orbis partibus greſſilia pedeſtri itinere, aut omnia reptilia ſerpendo (uti nunc fit), etiam tardigrada & domiporta teſtudo, ad Adamum venire debuiſſent? Poterat Deus ſive immediatè ſive miniſterio angelorum, animalia illa in Paradiſo aut non procul à Paradiſo exiſtentia, congregare, & conſpectui Adami exhibere; & ille quâ erat ſcientiâ, & ἀγχινοίας promtè & in ἀσκέπτῳ χρόνῳ ea luſtrare, eorumque naturam contemplando percurrere. Si enim ut nunc ſunt homines, iis tribuatur ἀγχίνοια, id eſt, *ſagacitas*, quæ eſt (definiente *philoſopho 1. poſter. c. 34.*) *bona quædam medii conjectatio* (εὐστοχία) breviſſimo (ſeu inconſiderato) tempore? quid dicemus de Adamo? Plus fateor, temporis requirebat Ariſtotelis contemplatio animalium, & hiſtoriæ animalium conſcriptio: ad quam Alexander M. dicitur piſcatores, venatores, paſtores, veterinarios, &c. evocaſſe ut ex illis de ortu, natura, affectionibus animalium exquireret. Sed inſtinctu divino animalia ad Adamum adducta, dici poteſt (uti omnia ad Noachum *Geneſ. 7.*) & Adamum ſcientiâ (neque enim imago Dei ſinebat eum eſſe raſam tabulam) rerum naturalium præditum. Ad naturam ergo animalium perſpiciendam & contemplandam non indigebat præviis multis obſervationibus, experimentis, hiſtoriis (uti nunc homines) ut digna & congrua nomina ipſis imponeret. Cogitemus, eundem Adamum, abſque multis & præviis ἐμπειρίαις, obſervationibus, experimentis, oculi quaſi jactu ad mulieris naturam & proprietates attendere, eaſque perſpicere & contemplari, & dignum ac congruum nomen eidem imponere potuiſſe. *Geneſ. 2.* Sane ſi Adamus tali modo & methodo, ac hodierni phyſici ad certam & evidentem rerum naturalium, nominatim pecudum, ferarum, volatilium, ſcientiam graſſari debuiſſet, utique non tantum plures dies, ſed & hebdomades, immo anni fuiſſent requiſiti.

Reſp. 2. Soporis alti immiſſio, & mulieris formatio, tantum temporis non requirebat, ut ſexto die fieri non potuerit. De תרדמה, id eſt, *ſomno gravi & profundo* lego in textu: ſed non de *longo.* Hoc itaque ad neceſſitatem extendendi temporis nihil conferet. Quid ſi quis ad hiſtoriam hanc negandam, aut eam in fictionem parabolicam, transformandam, dubium moveret, an & quomodo tam brevi tempore potuerit conſolidatum fuiſſe corpus Adami immiſsâ novâ coſtâ cum carne; an curioſum & ineptum illud dubium non poſſe tolli, aut potius diſſlari putabimus?

IV. *Object.* In iſtas temporis anguſtias opera Dei cogenda non ſunt: uti circa angelorum & hominum primævum ſtatum facere ſolemus; uti etiam in anguſtias locorum ferè cogimus in cœlorum & mundi dimenſione. Atqui longè dignius eſt, opera Dei tam ampla ac anguſta concipere, ac rerum ipſarum circumſtantiarumque ratio ſinit.

Reſp.

Reſp. 1. Quid ſi ergo quis hâc ratione motus, dies ſex creationis interpretaretur ſex tempora ſatis longa aut ſex annos; ne in tantas temporis anguſtias cogeret ampla & auguſta Dei opera. Quid reſpondendum? Quomodo probari poſſet rerum ipſarum, circumſtantiarumque rationem id non ferre? præſertim cum vox diei in ſcripturâ aliquando ſynecdochicè notet tempus indefinitum: quidni ergo Exod. 20. v. 11. exponatur *ſex temporibus fecit Deus*, &c. quomodo Daniel. 4. v. 13. 20. 29. *ſeptem tempora*. Et 7. v. 25. *uſque ad tempus & tempora & dimidium temporis*. Aliquando annum *Apocal.* 11. *v.* 3. uti communiter interpretes noſtri ita exponunt. Ut & maximus Chriſtianorum Rabbino-Hebraizantium *Buxdorfius* pater in Lexico Geneſ. 24. v. 55. &c. ימים *annum aut decem menſes*, exponit. Et ſic Levitic. 25. verſ. 19. ימים *annus erit redemtio ejus*. Exod. 13. verſ. 10. מימים ימימה *de anno in annum*. Tales conjecturæ ſi circa hiſtoriam ſacram, & dogmata fidei infinitæ, & quidem aliquo quæſito colore, & adhibitis veriſimilibus ac probabilibus, fabricentur: quid tandem aliud erit theologia, quam ars ſeu facultas τεχνικὴ, qualem nonnulli faciunt rhetoricam, & poëticam.

Reſp. 2. Ad ampla & auguſta hominum opera pro dignitate concipienda, non ſemper facit extenſio temporis; nec ad eadem infra magnitudinem & excellentiam concipienda ſemper facit contractio temporis. Non minus admirandum & excellens erat opus Apellis, cum ex tempore, carbone hominem depingeret, qui paulo ante ipſum convenerat: & admirabiles illos linearum ductus ex tempore in Protogenis tabulâ duceret; de qua *Plinius*. Et quomodo extenſio & amplitudo temporis faceret ad excellentiam & amplitudinem operum divinorum? 46. annis templum ædificatum erat. *Joh.* 2. *v.* 20. & Dianæ templum 220. annis factum à totâ Aſiâ, teſte *Plinio lib.* 36. *cap.* 14. Ut de pyramidibus Ægyptiacis, Mauſoli ſepulcro, aliiſque operibus nihil dicam. Atqui opifex mundi, omniumque eo contentorum tantum temporis ſibi non ſumſit; nec propter anguſtiam temporis, minus amplum, auguſtum, admirandum eſt illud opus. Vide modo auguſta & admiranda opera in mari, balænas, & infinita fere aquatilium & volatilium genera: quæ intra anguſtias (ita loqui liceat) unius dieſ, quinti ſcil., omnia producta ſunt.

Reſp. 3. Ne quidem in operibus hominum ſemper præſtantia & excellentia eorum ex magnitudine ſeu quantitate molis deſumenda eſt. Præterquam, quod ad mechanicam & architecturam humanam, exigenda non eſt operum Dei perfectio, magnitudo, amplitudo. Vide mihi hominem μικροκόσμον. An minus excellentia & admiranda erunt opuſcula Myrmecidis & Callicratis (de quibus *Plinius lib.* 7. *c.* 21. & *lib.* 36. *c.* 5.), quia minuta? Cum artifices minuto-

Digitized by Google

nutorum *etiam inter Deos fuiſſe viderentur*, apud *Ciceronem lib.* 4. *Acad. quaſt.* Quidni maximè auguſta & admiranda concipiamus Dei opera, extra imaginariam quantitatem molis, & ſpacii immenſam quaſi extenſionem? Verba *Plinii lib.* 1. *cap.* 1. & 2. „ agentis de inſectis, notatu digniſſima: Nuſquam „ alibi ſpectatiore naturæ rerum artificio. In magnis ſiquidem corporibus, „ aut rectè majoribus facilis officina ſequaci materiâ fuit. In his tam parvis „ atque tam nullis, quæ ratio, quanta vis, quam inextricabilis, perfectio? Ubi „ tot ſenſus collocavit in culice, &c. *Cum nuſquam magis rerum natura tota ſit, quam in minimis.*

Sed velim ſcire, ſi Geographi & Uranometræ accuratè menſurando decuplo aut centuplo majora nobis exhiberent, terram, mare, aërem, cœlum; an putarent, amplitudini eorum dignè concipiendæ ſatisfactum fore? An vero ex ipſorum imaginatione mundus infinitus, ſeu indefinitus eſſet dicendus, ut operibus Dei dignè concipiendis ſatisfiat? De menſuratione cœli & terræ, manum injicit Jeremias cap. 33. v. 37. *ſi menſurari poterint cœli ſurſum, & inveſtigari fundamenta terræ deorſum*, &c. *Nicolaus Mulerius* matheſios & medicinæ in Acad. Groning. profeſſor. in præfat. ad epitomen Aſtronomicam improbat, quod quidam neoterici ſecundum ſuam dimenſionem tam vaſta & immenſa faciant cœlorum ſpatia, ut quaſi alterum infinitum ſtatuant, præter Deum. Sed de recentiorum quorundam *Carteſii* ſectatorum mundo indefinito, philoſophi diſſerant: & jam acutè diſſeruerunt doctiſſimi theologi D. *Stuartus* & D. *Joh. Schulerus*, ille in Academ. Lugduno-Batavâ, iſte in Illuſtri ſcholâ Bredanâ philoſophiæ profeſſores.

V. *Except.* Fæmina, ſicut duodecima quaſi & curva viri fuit pars, ſic quoque inter ſex dierum opera non videtur recenſenda; ſed operum quaſi appendix habenda, utpote quæ non opus principale, ſed ut viri adjutorium à Deo producta eſt. *Reſp.* Nova & inaudita philoſophemata, ideoque admiranda.

Primò, quâ ratione dicetur pars viri? cum nec eſſentialis, nec integralis, nec ſubjectiva, nec formalis ejus pars ſit? Et vir reſpectu fæminæ nec ſit totum eſſentiale, nec integrale, nec univerſale, nec formale. Fæmina Eva erat ſubſtantia prima, compoſitum humanum, individuus ſeu ſingularis homo, & quidem perſona: de cujus definitione eſt, *non pars alterius.*

Secundo, Quomodo erit *duodecima quaſi & curva viri pars*, quæ erat perſona; hoc eſt, ſubſtantia prima, intelligens, incommunicabilis, non pars alterius, nec ab alio ſuſtentata: Uti habet *Boëthii* à *Melanthone* aliiſque philoſophis & theologis recepta definitio.

In

Inſtantia: Atqui eſt caro de carne viri, & os de oſſibus ejus, & ex viro ſumta eſt. *Geneſ. 2. Reſp.* Eſt ergo vir ſeu coſta viri, reſpectu fæminæ materia ex quâ, tranſiens, tranſmutationis; non vero materia conſtitutionis ſeu immanens, quæ tanquam altera pars eſſentialis per ſe & immediatè conſtituat compoſitum illud humanum, ſeu illum hominem, Evam ſcil. Talis enim materia, & pars eſſentialis Evæ, erat ejuſdem corpus. Sicuti Adamus admodum impropriè diceretur vix milleſima pars terræ, & quidem pulverulenta, ſeu pugillus pulveris; quod ex terrâ ſumtus & ex pulvere factus fuerit. *Geneſ. 3. v. 19.* Similiter jumenta, piſces, aves, catachreſticè dicerentur partes terræ, aëris, aquæ (quia ex illis ſumta): & hinc conſequentia duceretur, quod piſces, aves, beſtiæ non eſſent principalia opera creationis; ſed tantum appendices operum creationis; & quod aquâ, terrâ, aëre creatis, perfecta fuiſſent opera creationis, ſine avibus, piſcibus, &c. quæ poſt abſoluta opera ſex dierum, ſeptimo aut alio aliquo ſequenti die demum eſſent producta.

Tertio, neſcio an epithetum illud *curva viri pars*, ſit diſtinctivum an declarativum, & emphaſim ſuam habeat ad depretiandam fæminæ creatæ valde bonæ (*Geneſ. 1. v. 31.* cum *v. 27.*) præſtantiam, ſive quod ad animam, ſive quod ad corpus, ſive quod ad utrumque. Interim verum eſt, coſtas genuinas tam in viro quam in fæminâ eſſe curvas, in modum arcus. Sed hæc curvitas eſt earum perfectio.

Quarto, Θαυμάσιον κρίνειν, nihilominus erudum, *fæminam eſſe quaſi operum Dei appendicem habendam*, ideoque inter *opera ſex dierum non videri recenſendam.* Appendix πρόσθημα notat aliquid quod alteri appenditur: In jure civili, ædificium quod alteri adjungitur, & quaſi appenditur. Apud grammaticos adjectiunculam, ſeu obſervatiunculam aliquam ad regulam. In ſcholis, corollarium aliquod quod tractatui principali additur. Quamcunque acceptionem ſive propriè ſive tropicè hic viſum fuerit aptare, ſaltem fæmina, non erit ex opinione iſtorum opus creationis principale: ſed tantum *appendix* operis poſtremi ſexto die producti, hoc eſt, hominis (viri ſeu Adami); quo creato, erat ſcil. mundus perfectus, & ſpecies illa creaturarum jam erat completa in viro, abſque fæminâ viri *acceſſorio.* Si termini illi huc adhibiti *principale*, *acceſſorium*, *appendix* accipiantur ſecundum communem & uſitatum loquendi modum (niſi peregrina & inaudita θαυμάσια ἀκουσμάτων oſtentantes, peregrinis & novis, vocum ſignificationibus ſtudeant) certè exultarent, qui volunt fæminas eſſe ἀμφοτερογενοῦς & μιξοβαρβάρους naturæ, aut qui negant eaſdem eſſe homines. Siquidem aliquod veriſimile aut σοφιζόμενον, pro ſuo paradoxo, ſe reperiſſe putarent.

Quinto, mundum perfectum fuiſſe ſine fæminâ, non tantum non probatur:

ſed eſt apertè falſum. Cum enim voluerit creare hominem per ſucceſſivam generationem continuandum, atque ideo illi benedixerit, & dixerit, *Creſcite & multiplicate vos & replete terram, & ſubjicite eam, & dominamini piſcibus maris*, &c. Geneſ. 1. v. 28. quin etiam, ex ſententiâ opponentis creaverit mulierem quę ſit tanquam coram ipſo, *ſecundum anteriora viri, & adjutorium illi ſimile;* & partes generationi deſtinatas viro tribuerit relatè ad partes fæminæ generationi deſtinatas: neutiquam dici poteſt, mundum perfectum fuiſſe ſine fæminâ. Niſi Adamum fingamus ſolum & in ſe generare potuiſſe, & utriuſque ſextus muniis defungi. Accedit quod perfectus non fuit mundus animalis in ullo genere animalium perfectorum (nam quorundam inſectorum ex putredine genitorum alia ratio eſt) ſine fæminâ cujuſque ſpeciei. Et quomodo perfectus fuiſſet mundus hominum ſine muliere?

VI. *Except.* Excellentior eſt modus creationis viri quam fæminæ. Virum enim præviâ ἐγκελεύσεως produxit Deus: fæminam autem cum ſit propter virum ex coſtâ illius deſumſit, &c. Quæ inſignis eſt viri eminentia, quod ipſe tanquam principale Dei opus pro ſe quaſi (de Deo enim nunc non agimus) ſit factus, &c.

Reſp. 1. Sed quæ conſequentia, ergo eſt *appendix* operum creationis ſex dierum, ſpecialiter operis ſexti diei, creationis ſcil. hominis; ergo eſt *acceſſorium* viri & non eſt opus principale; ergo fæmina non eſt creata ſexto die, ſed ſeptimo aut alio quo ſequente. Nos conſequentiam illam negamus, ejuſque probationem petimus.

Reſp. 2. Quod Adami creatio præviâ ἐγκελεύσεως (id eſt, *juſſione* ſeu *juſſu* aut *hortamento*) ſit facta, Evæ autem creatio abſque pręviâ ἐγκελεύσεως ſit facta, unde probatur? Nos hominis creationem, & quidem utriuſque ſexus eam præceſſiſſe diſcimus ex, Geneſ. 1. v. 26. 27. *Faciamus hominem ad imaginem noſtram ſecundum ſimilitudinem noſtram, & præſit piſcibus maris & volatili cœli*, &c. *& creavit Deus hominem ad imaginem ſuam*, &c. *maſculum & fæminam creavit eos. Et benedixit eis Deus, & dixit ad eos Deus, creſcite & multiplicate vos, & replete terram, & ſubjicite eam, & dominamini piſcibus maris*, &c. Et v. 29. *Ecce dedi vobis* (non tibi Adamo ſcil.) *omnem herbam* ſeminantem. An hanc benedictionem & hæc mandata Dei, extra opus ſex dierum, die ſeptimo aut alio ſequenti data fuiſſe dicent? Quid ſi quis Dei benedictionem, & mandatum *v.* 22. circa animalia utriuſque ſexus die quinto creata, pari στοχασμῷ *conjectatione* aut potius figmento extra diem quintum, ad ſeptimum rejiceret, quid reſpondendum eſſet? Siquidem, uti creationi hominis, maſculi ſcil. & fæminę, adjungitur benedictio & mandatum *v.* 27. 28. 29. 30. & deſignatio temporis, v. 31. *& fuit veſpera & fuit*

manè

manè dies ſextus : ita etiam creationi animalium relatæ *v* 20. 21. adjungitur benedictio, mandatum, temporis deſignatio. *Et benedixit eis dicendo, creſcite & multiplicate vos*, &c. *Et fuit veſpera & fuit mane dies quintus*. v.23.

Inſtantia, Atqui *Geneſ.*2. non refertur prævia illa ἐγκέλευσις ad creationem fæminæ.

Reſp. Quid tum? Nec refertur prævia ἐγκέλευσις, (hortatio aut juſſio) & deliberatio Dei (ita loqui liceat) ad relatam ibi *v*. 7. creationem Adami ex pulvere terræ. *Deinde* prævia & peculiaris quædam ἐγκέλευσις, ſeu deliberatio (ita loquar) refertur ad creationem Evæ v. 18. *Et dixit dominus Deus, non eſt bonum hominem eſſe ſolum, faciam ejus adjutorium*, &c. v. 20. Et *Ada non invenit adjutorium, quod eſſet coram eo*.

Reſp.2. Inſignem hanc eſſe viri eminentiam, quod ipſe tanquam principale opus creationis ſit, fæmina autem non ſit, ſed *acceſſorium* tantum, ſeu appendix: dicitur quidem, ſed non probatur. Eminentiam viri cum explicat ſcriptura 1 *Cor*. 11. & 1 *Tim*.2. non meminit hujus operis *acceſſorii*, aut *appendicis*, contradiſtinctè à principali. *Deinde*, quod vir ſit factus, *pro ſe quaſi*, ſi προσδιορισμὸν excluſivum addant (*tantum, ſolum*) & hoc velint verba illâ, *quod ipſe tanquam principale Dei opus pro ſe quaſi*, &c. *ſit factus*: utique negamus. Deus hominem creavit, non uti angelos, ſed per generationem multiplicandum *Geneſ*.1. *v*.28. & Adamum potentiâ generativâ ac partibus ad hoc neceſſariis inſtruxit; quæ fruſtranea fuiſſent, niſi reſpicerent & ordinata eſſent ad fæminam ejuſque potentiam generativam, & conceptionem, ac partes ad hoc neceſſarias: Unde ſequitur dici poſſe, virum etiam creatum eſſe propter fæminam, & non tantum *pro ſe quaſi*. Et cum Deus voluerit, ut præter unum Adamum in primâ creatione non factum ex muliere, omnes viri ſecundum perpetuam naturæ conſtitutæ legem prodirent ex muliere (unde homo univerſaliter dicitur *natus* & *genitus* ex muliere *Job* 14. *v*.1. *Math*.11. *v*.11.) quomodo abſolutè negabitur, virum creatum eſſe propter fæminam? Certè fruſtra fæminæ à creatore tributa fuiſſet potentia generativa, & conceptiva, & partes ad illud neceſſariæ: quia abſque viro nulli uſui fuiſſent. Jam vero Deus & natura nihil faciunt fruſtra. Quod autem dicitur 1 Cor. 11. v.9. *virum non conditum eſſe propter mulierem*, illud non abſolutè, ſed ſecundum quid, aut certo reſpectu intelligendum eſt: uti illud 1 Timoth.2 v.14. *Et Adamus non fuit ſeductus, ſed mulier*, &c. Et hanc limitationem textus cit. 1 Cor. 11. v. 9. ipſe Apoſtolus ibidem ſuggerit v. 11. 12. *Attamen neque vir abſque muliere, neque mulier abſque viro, in Domino. Sicut mulier ex viro eſt, ita & vir per mulierem*. Sicuti ergo mulier creata, actu eſt adjutorium viri, ſic & vir creatus voluntate & intentione

Dei erat adjutorium & concauſa fæminæ creandæ, ad opus generationis: concauſam intelligo potentiâ, non actu; Sicut philoſophus fabrum potentiâ, & fabrum actu, diſtinguit.

Et hactenus de hâc quæſtione: cujus affirmatio uti ſcripturæ repugnans; ſic aſſertiones, & hypotheſes, ſeu mavis, ſuſpiciones, conjecturæ, dubitationes, pro ejuſdem defenſione conquiſitæ, malè ſonantes & periculoſæ ſunt.

CAP. II.

De iis quæ ad mulierum ſtatum ſæcularem & politicum pertinent.

I. Quaſt. *An mulieres dignitate inferiores ſint viris. Reſp. Aff.* Ex affirmatione & rationibus ab Apoſtolo 1 *Cor.* 11. & 1 *Tim.* 2. allatis; quas hic non repetimus. Idem dictat natura (quam Apoſtolus 1 *Cor.* 11. *v.* 13. 14. 15. in quæſtione de comâ mulieris allegat); & jus naturale, omnium cordibus inſcriptum; explicitè ſcil. aut implicitè. Ne quis perperam jus naturæ, legem naturalem, naturam, reſtringat ad κοινὰς ἐννοίας ſeu principia illa practica, quorum veritatem nemo hominum ignorare, aut interiori conſcientiâ negare poteſt: & alleget oppoſita variarum legum naturæ ab hominibus aliquibus aliquando teneri. Paromata quorundam ex illo πρώτῳ ψεύδει in explicatione 1 *Cor.* 11. *v.* 14. & in explicatione legis moralis naturalis promanantia, ad examen hic non revocabo. Satis ſuperque hoc factum à clariſſ. D. *Carolo de Maets*, nunc μακαρίτῃ, cum viveret collegâ noſtro conjunctiſſ. in *Sylvâ quæſt. inſign.* a. 1650. Et ante eum præmonuerat Ameſius lib. 1. Caſuum conſc. cap. 2. §. 6. *Ad ſyntereſin latius acceptam referri debent, non tantum concluſiones generales de jure ex principiis naturalibus per certam conſequentiam deducta,* &c. & §. 7. *naturalis conſequentia eſt, quæ agnoſcit pro lege principia naturalia & concluſiones ex iis deductas.* Quod ſi alicubi errore hominum aliquorum, & malo more, dignitas mulieris ſupra dignitatem viri evecta fuerit; inde non ſequitur non eſſe juris naturalis, quod diximus: quia conſequentias ex principiis & κοιναῖς ἐννοίαις non deduxerunt; ſicuti qui mendacia aliqua, aut polygamiam, aut inceſtum, &c. probant.

II. *Quaſt. An huc uſque inferiores ſint mulieres ut in ſtatu conjugii debeant ſubditæ eſſe tanquam famulæ? Reſp.* Neg. Quia jure divino & naturali diſtinguitur poteſtas patrisfamilias in uxorem, in liberos, in ſervos. Jus divinum ſuggeritur nobis Geneſ. 2. v. 18. 20. *Eſſet coram eo.* Et Geneſ. 2. v. 24. *erunt caro una* coll. cum *Epheſ.* 5. *v.* 28. 29. 30. 31. Jus natu-

Digitized by Google

naturale hinc patet, quod non tantum *συναίτια* concauſæ ſint in operis ad rectam familiæ & rei familiaris adminiſtrationem pertinentibus; ſed & in procreandis liberis: ubi nec vir ſine muliere, nec mulier ſine viro. Jus civile diſtinguit: ad quod citantur verba Ulp. de teſtam. de injur. L. 1. *In poteſtate patris eſt filius familias, in manu uxor, in mancipio ſervus.* Adde quod pro una perſonâ reputantur, *Novell.* 22. §. *quæ vero.* Et quod authoritatem quâ maritus utitur in uxorem, appellant *quaſi patriam & tutoriam Cujacius lib.* 16. *obſervat. cap.* 33. & *lib.* 7. *c.* 11. Hinc merito, Ariſtoteles reprehendit Barbaros, qui uxoribus utebantur ad quævis miniſteria ſervilia: ut eſſent *ὄργανον*, id eſt *inſtrumentum*, tanquam gladius Delphicus. Durum ergo illud Auguſtini lib. 5. quæſt in Deuter. c. 33. *feminas viris ſuis ſecundum legem pene famulas ſubditas.* Fileſacus lib. 2. ſelect. tit. *Uxor juſta* cap. 6. confert locum Auguſtini, quæſt. in Geneſ. c. 153. *Eſt ordo naturalis in hominibus, ut ſerviant feminæ viris, filii parentibus: quia nulla juſtitia eſt, ut major ſerviat minori.* Unde ſic explicat & excuſat Auguſtinum, *quod verbum ſerviendi, quo uſus eſt, non juxta uſum Jureconſultorum explicandum ſit, ſed per morem gerere & obſequi.* Sed poſſet forte aliter excuſari Auguſtinus, ex collato loco de Geneſ. ad lit. cap. 39. *quod mulier ex ſuâ culpâ meruit ex ſententiâ Dei, ut ſub viro ſit, aliqualiter ſub conditione ſervili.* Quia ſcil. ſubjectio illa ad virum, & auxilium eidem præſtandum eſt cum moleſtiâ: qualis non fuiſſet in ſtatu integritatis, ſiquidem homo in eo præſtitiſſet. Sicuti culturus fuiſſet terram, *Geneſ.* 1. *v.* 4. 28. & 2. *v.* 15. ſed non cum moleſtiâ; uti poſt ingreſſum peccatum *Geneſ.* 4. *v.* 17.

III. *Quæſt. An ſuperioritas viri ſupra uxorem extendat ſe ad verbera? Reſp.* Hanc quæſtionem ſupra tractavimus *part.* 1. *lib.* 3. *tr.* 1. *ſect.* 3. *cap.* 3. Nec hic repetimus. Tantum autoribus pro *parte aff.* adde ex Jureconſultis *Farinacium* de *delict. carn. quæſt.* 143. *num.* 148. & ſeqq. Et *Althuſium lib.* 1. *dicaiolog. cap.* 29. qui Farinacium à ſe cit. approbat. Cum hac ſententia convenit lex Muhammedi *cap.* 9. *Alcorani*, ubi ſancit, ut ſi uxores non obſervaverint pręcepta mariti, *in domibus lectiſve detentæ verberentur.* Et autoribus pro *parte Neg.* ibidem citatis adde ex theologis *Theod. Thummium in decalogum pag.* 431. & *Forbeſium lib.* 4. *Inſtruct. hiſtorico theol. cap.* 12. qui variis rationibus ſententiam ſuam probat.

Ex Jureconſultis *Georg. Viviennium in tract. de Matre familias fol.* 3. 6. *Con. Rittershuſ. lib.* 3. *ſacr. lect. cap.* 2. Ante omnes hic addendus *Chryſoſtom. homil.* 26. *in* 1. *epiſt. ad Corinth.* qui vehementiſſimè improbat verbera. Verba ejus hic exhibeo pag. 531.

„ Neque verberandam uxorem dico: Abſit. Ultima namque ignominia „eſt, non ejus quæ verberatur, ſed qui verberat. Sed ſi caſu aliquo talem nacta

„ cta eris maritum, noli ægreferre, ſed repoſitum tibi ex his præmium in-
„ tellige, & in præſenti vita laudem, Et vos viros illud admoneo, nullum
„ ſit tam magnum peccatum, quod ad verberandum uxorem vos compel-
„ lat, & quid uxorem dico? Ne ſervam quidem verberare & manus in
„ eam injicere, viro libero eſſet tolerandum. Quod ſi ſervam verberare
„ viro maximæ ignominię eſt, multo magis contra liberam, dextram
„ extendere. Et hoc ab Gentium legum latoribus cognoſcere poſſumus, qui
„ quę vapulaverit, non amplius cum marito habitare cogunt, utpote qui
„ indignus ſit, ut cum ea amplius conſuetudinem habeat: etenim ſumma
„ injuria eſt vitæ ſociam, & in rebus neceſſariis antea tibi conjunctam,
„ tanquam mancipium ignominia afficere. Ideo hujuſmodi virum, ſiqui-
„ dem vir appellandus eſt potius quam fera, & parricidæ & matricidæ
„ ſimilem eſſe dixeris. Nam ſi patrem & matrem uxoris gratia relinquere
„ præcipimur, non ut injuriam eis faciamus, ſed divinam legem implea-
„ mus, & ipſis parentibus tam gratum hoc eſt, ut relicti gratiam habe-
„ ant, & id multo ſtudio exequantur, quonam pacto non ultimæ demen-
„ tiæ eſt eam contumelia afficere, propter quam parentes Deus dimit-
„ tendos pręcepit? Utrum hęc ſimplex eſt inſania, an dedecus quoque
„ non ferendum? quod quæ oratio poſſet oſtendere? quando ululatus &
„ gemitus per angiportus tolluntur, & ad tam turpis viri domum à vici-
„ nis & prætereuntibus concurritur, tamquam ad feram quandam omnia
„ domi vaſtantem; cui ſanè eſſet melius ut terra dehiſceret, quam am-
„ plius in foro conſpiceretur.

IV. *Quæſt. An maritus habeat jus vitæ & necis in uxorem? Reſp.* Neg. Quia ſoli poteſtati publicæ ſeu Magiſtratui jus gladii à Deo tributum: non vero poteſtati Oeconomicæ ſive maritali, ſive patriæ, ſive herili.

Probatur *Primo*, ex Rom. 13. v. 4. *Dei enim miniſter eſt*, &c. *non enim* fruſtra, *gladium gerit: nam Dei miniſter eſt vindex ad iram ei, qui, quod malum eſt, fecerit.* Conferenda loca *Deuter.* 21. *v.* 1. 2. & *ſeqq.* & 22. *v.* 15.-20. *Secundo*, Quia ſi poteſtati patriæ illud non competit; ergo multo minus maritali. Sed poteſtati patriæ illud non competit. Ergo. Majoris conſequentia probatur, quia majus eſt imperium patris in filios, quam mariti in uxorem. Illud comparat philoſophus 8. *Politic.* monarchico; iſtud civili, ſeu ariſtocratico. Adde ex qu. præced. Si maritus non habeat jus caſtigationis per verbera, multo minus jus necis in uxorem.

Minor probatur, ex *Deuter.* 21. *v.* 17. & *ſeqq.* ubi filius rebellis deferri mandatur ad Magiſtratum, qui ipſum morte mulctet. Olim apud Gentes nonnullas & *Celtas* (teſte ibid. Ariſtot.) jus illud maritis tributum: etiam apud Romanos per priſcam legem Romuleam. Dionyſ. Halicarnaſſ. lib. 1.

Uxor

Uxor ſi aliquid peccaſſet, pœnas dabat ex mariti læſi arbitrio: de hujuſmodi criminibus cognati cum ipſo cognoſcebant. Similis fere lex Gallorum, teſte *Jul. Cæſare lib.* 6. commentar. Theodoricus rex (apud *Caſſiodorum lib.* 1. *variar. epiſt.* 37.) homicidium adulteri marito, cum cujus uxore adulterium commiſſum eſt, permittendum cenſet. Verba ejus ſunt:

„ Et ideo ſi oblatæ petitionis minimè veritate fraudaris, & genialis „ thori maculam deprehenſi adulterii ſanguine diluiſti, nec ſub prætextu „ cruentæ mentis, ſed cauſa pudoris intendis: ab exilio quod tibi conſtat „ inflictum, te præcipimus alienum. Quoniam pro amore pudicitiæ por- „ rigere ferrum maritis, non eſt leges calcare, ſed condere. Ita tamen, ut „ ſi legitimus extiterit accuſator, de facti tui qualitate te noveris audien- „ dum: ut ſi innoxios peremiſti, crimen publica diſtrictione recenſetur. „ Si malè initos complexus adulterorum morte diviſiſti, æſtimetur potius „ vindicta, quàm culpa. Si quis autem tibi calumniantium damna gene- „ ravit, & Agnello, ut aſſeris, fidejuſſori tuo à vicario vel ejus officio „ extortam conſtiterit fuiſſe pecuniam, noſtra juſſione conventus, ſecun- „ dùm leges ablata reſtituat. Nolumus enim ea in cujuſquam prædam „ cadere, quos noſtra viſa eſt ſententia liberare. L. *marito* D. legem Jul. de adult. reſtringitur hæc permiſſio: *Marito adulterum uxoris ſuæ occidere permittitur: ſed non quemlibet*, &c. De antiquo Romanorum jure occidendi uxores in adulterio deprehenſas *Gellius lib.* 10. *Noct. Attic. cap.* 23. „ ex quâdam oratione Catonis: In adulterio uxorem tuam ſi deprehen- „ diſſet, ſine judicio impune necares, illa te ſi adulterares, digito non au- „ deret contingere, neque jus eſt. Apud antiquos Germanos maritus adulteram exciſis crinibus domo expellebat, & nudam per omnem pagum verbere afficiebat. Sed quæcunque conſuetudo, quæcunque lex humana prætendatur; tenendum eſt in his aliiſque delictis non ab iis, quorum intereſt, nec à marito; ſed ab iis, penes quos poteſtas publica, pœnam eſſe infligendam.

V. *Quæſt. An mulieres imperio & regimini publico admovendæ ſint? Reſp.* De hoc diſputatur à ſcriptoribus politicis, *Bodino*, *Tholoſano*, *Armiſæo*, *Canonbiero*, *Beſoldo*: qui videri poterunt.

Nos quia contra imperium fæminarum in viros, ex jure divino (*Geneſ.* 2. 1 *Cor.* 11. 1 *Timoth.* 2.) rationes adferri ſolent, reſpondemus breviter, fæminas ordinariò in regimine polyarchico non eſſe conſtituendas; nedum ut viris præferrentur. In caſu extremæ neceſſitatis, & inventæ fæminæ alicujus, viris iſtic loci prudentiâ, animoſitate, ſpiritu conſilii prævalentis, omnino ad προβουλευσιν ſive conſultationem ſive gubernationem, tales puto adhibendas. Sic Debora politicè facta &

dicta fuit, *mater in Iſrael* Judic. 5. v. 6. Et civitas Abel in caſu neceſſitatis, uſa fuit conſilio mulieris ſapientis, ejuſdemque quaſi legatione ad Joabum, & colloquio ac collatione cum eodem ſuper bello hoc finiendo 2 *Sam* 20. *v.* 15.-22. Quod ſi enim operâ & conſilio viri pauperis & ſapientis utendum eſt, qui in caſu neceſſitatis urbem poſſet eruere (*Eccleſ.* 9. *v.* 14. 15.) Quidni ſapientiâ mulieris, in ſimili caſu? In ſtatu monarchico optivo ſeu electivo, non videtur ad ſexum muliebrem declinandum, cum fieri nequeat, ut in toto regno, aut apud vicinos & confœderatos viri non invenirentur, dotibus & requiſitis ad illud imperium abunde inſtructi. In ſtatu monarchico ſucceſſivo, rationes particulares an aliquâ Republicâ ſuadere poſſent, legem ſeu ſtatutum condendi de ſucceſſione proximi hæredis, & quidem mulieris; ſiquidem maſcula proles à rege decedente relicta non fuerit. Nec putemus in jus divinum aut naturale incurriſſe Angliam, cum reginę Maria & Elizabetha ipſi imperârent: ut non dicam de reginis & principiſſis viduis gubernatricibus, voluntate tam regis aut principis defuncti, quam procerum ſeu ordinum regni aut principatus conſtitutis. In regno Galliæ, ubi mulieres à ſucceſſione excluſæ eſſe dicuntur an tale quid fieri poſſit diſceptant inter ſe *Hotomannus in Franco Galliâ*, *c.* 36. edit. quartæ, & *Matharellus Hotom. Franco-Galliam, ad cap.* 10. *pag.* 132.

VI. *Quaſt. An à mulieribus arma & bella gerenda? Reſp.* Diſtinguimus inter bellum gerere; & arma gerere ſeu militare, aut militiam ſectari. Illud omnino mulieribus & principiſſis ſive legitimè regnantibus, ſive in caſu aliquo ad tempus gubernantibus, & locum tenentibus (qualis e. gr. antehac Margareta Parmenſis in Belgio, & hodie ſereniſſ. Hiſpaniarum regina), non tantum licitum eſt, ſed poſitis ponendis neceſſarium: ſiquidem à Republicâ exitium avertere, ſubditos juſtis armis tueri jure divino, naturali, & humano obligantur. Et ſic ſereniſſ regina Angliæ & Hyberniæ cum rege Hiſpaniarum Philippo II. & cum Hybernis bella geſſit. Cui exemplum præbuerat Debora *Jud.* 4. etiam cum Barako expeditione ſuſceptâ. Sed difficultas eſt, an conveniat fœminis militare, & in bellicis expeditionibus, obſidiis, oppugnationibus, prœliis, excurſionibus partem facere.

Nos diſtinguimus: non eſt decorum, nec bene convenit pudori & pudicitię conſervandæ, ſi fœminę in luce hominum verſentur; viris nocte dieque permixtæ ſunt terrâ marique in ſtationibus, vigiliis, clandeſtinis excurſionibus, inſidiis, pugnis, paria cum viris faciant. Non tamen improbamus, ut in extremâ Reipublicę neceſſitate, & defectu virorum, depellant hoſtes impetum facientes, projectis ſaxis & picatis titionibus,

aliiſque

aliiſque inſtrumentis eos avertant; denique milites juvent colligendis lapidibus, apportando pulverem pyrium, glandulas, tela, aliaque arma ad defenſionem aut offenſionem neceſſaria. In bello Belgico in Harlemenſi obſidione, anno & in obſidione Trajecti ad Moſam, anno fęminæ haut vulgarem operam præſtiterunt: quo factum ut ab Hiſpanicis Trajectum invadentibus quamplurimæ fęminæ interimerentur. Et hæc ſententia *Martyris 4. claſſ. locor. cap. 16. §. 13.* Quem ſequitur *Scharpius* in *Symphoniâ Prophetarum & Apoſtolorum quæſt. 40. pag. 241.* Hinc videntur condemnandæ bellatrices Amazones, de quibus Plinius, *Stephanus*, *Strabo*, aliique topographi, & *Nierenbergius in hiſtoriâ naturali; comment. in Virgilii Æneid. 1.* ad illud,

Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis, &c.

Et Lib. 11. ad illud,

Pulſant & pictis bellantur Amazones armis.

Etiam mulieres Bohemicæ quę duce Valaſcâ armis ſeptennio principatum obtinuere; teſte *Æneâ Sylvio in hiſtor. Bohem. cap. 7.* qui *ibid. cap. 5.* meminit Libuſſæ virginis filiæ Croci 2. ducis Bohemorum, quæ pluribus annis rexit Bohemiam. Idem in *deſcriptione Aſiæ cap. 20.* poſt relata ex autoribus, quæ de Amazonibus tradiderunt, ſubjungit Mariam in *Hungariâ civiliter* imperaſſe; & in regno Neapolitano duas Johannas rerum potitas. De Mariâ ab Ungaris anno 1381. in regni faſtigium evectâ, ut non modo reginam, ſed regem pronuntiarent ac ſalutarent; vide Bonifinium decad. 3. *lib. 1. p. 355.* Nec probandum, quod *Plato dial. 5. de Republ.* & *dial. 7. de legibus*, vult ut mulieres cum viris communia habeant ſtudia, ſpeciatim bellica; & ut nudæ exercerentur: quod poſtremum à Platone primo & ſolo non eſſe inſtitutum; ſed jam ante à *Minoë* & *Lycurgo*, ait *Beſſarion c. calumniat. Platonis lib. 4. cap. 5.* De bellatrice puella *Johannâ Dark* dictâ *Aurelianenſi* accuſatâ ab adverſariis geſtorum armorum, & aſſumti habitus virilis, diſquiſivimus in 2 *part. ſelect. diſp. tit. de Miraculis pag. 1031.-136.*

VII. *Quæſt. An conveniant mulieribus ſtudia ſapientiæ & literarum? Reſp.* Aff. Quibus ſcil. Deus hæc otia fecit, & quarum ingenium, corporis temperies, & ſtatus ſolitarius hoc fert. Rationes nullas adferam, præter illas quas nobiliſſ. & eruditiſſ. virgo *Anna Maria à Schuerman* anno 1638. congeſſit, editis ejuſdem opuſculis inſertas. Exempla literatarum fæminarum collegit *Beverovicius in tract. de ſexus fæminei præſtantiâ lib. 2. c. 2. Cl. Hottingerus in epiſt. dedicator. parti quintæ* ſeu *ſæculo* XVI. *Hiſtoriæ eccleſiaſticæ* præfixâ, aliquem earundem catalogum exhibet. Quò lectorem remitto. *Beverovicii & Hottingeri catalogis* addendæ, *Proba Falconia* Romana cujus

Digitized by Google

cujus extant centones Virgiliani, quibus geſta veteris & novi Teſtamenti ingenioſe deſcribit. Vide de illâ *Baronium ad annum* 395. §. 2. & 410. §. 4. 7. *Sixtum Senenſem lib.* 4. *Bibliothecæ pag.* 368. *Geſnerus in Bibliotheca*, & *Voſſius lib. de poetis latinis pag.* 60. ſcribunt, eam fuiſſe uxorem Adelphii viri proconſularis. Exſtant centones Homerici, quibus vita & geſta Chriſti deſcribuntur: qui in 8. Francofurti 1541. ſimul editi cum Probæ centonibus Virgilianis & Nonni paraphraſi in Johannem. *Eudocia uxor.* Theodoſii junioris, admodum erudita; cui Fulgoſus in collectaneis, & Geſnerus in bibliothecâ in voce *Eudoxia* (legendum eſt *Eudocia*: Eudoxia enim erat filia Eudoxiæ nupta Valentiniano III.) centones Homericos de geſtis Chriſti adſcribunt; quos tamen editiones *Manutii* & *H. Stephani* incerto autori tribuunt. De hujus Eudociæ eruditione & ſcriptis, videndi *Socrates hiſtor. eccleſ. lib.* 7. *cap.* 22. *Photius in biblioth. codice* 183. & *ſeqq.* *Elpis* uxor Boëthii literata & poeticæ amans.

Heloiſa vel Eloyſa conjux Petri Abaylardi, marito *ſcientiâ haut impar*: ſunt verba Baronii ad ann. 1140. §. 12.; qui ibid. §. 10. citat epiſtolas Petri Cluniacenſis. Abailardi vitam, & amores ipſius atque Heloiſæ, mirumque γάμον ἄγαμον, ſatis accuratè deſcribit *Stephanus Paſchaſius lib.* 6. *diſquiſ. cap.* 17. Paradoxologias & hæreſiologias ejuſdem, & reſiſtentias tum privatorum tum conciliorum, recenſet Baronius loco cit.

Maria Cunitia Bicini in Sileſiâ hodie etiamnum (ni fallor) vivens; quæ eruditionem ſuam in linguis, & ſcientiis theoreticis ſatis ſuperque prodidit editione *Urania propitia*, ſive tabularum aſtronomicarum, &c. Lat. Germ. anno 1650.

Maria Lansbergia ſoror Franciſci & Philippi Lansbergiorum celebrium in Belgio concionatorum Roterodami & Goeſæ: quorum hic variis in matheſi & chronologiâ editis ſcriptis orbi innotuit. Erat illa in literis Latinis & Græcis verſata, & in poëſi ſatis felix: uti memini me deprehendiſſe ex plurimis ejus epiſtolis Latinis & variis epigrammatis (quorum aliqua ad ſereniſſ. Angliæ Reginam Elizabetham) libro alicui inſcriptis; quem filius ejus *Joh. Leur* ſeu *Leurius* (hoc enim nomen viri, cui nupta fuerat Maria), Lugd. Batavorum in ſtudiis tunc commilito noſter ante annos 60. præter propter, mihi luſtrandum, & ſpeciminis causâ partim aliqua in eo legenda dabat, partim ipſe aliqua prælegebat. Quid illi libro factum, & in quorum manibus nunc deliteſcat, ignoro. Poſſeſſor ejus Joh. Leurius aliquot annis eccleſiaſten egerat in propugnaculo dicto Sant-Andreano, in agro & diſtrictu Bommeliano: inde per rerum mutationem, quæ obtigit anno 1619. diſcedens aut dimiſſus cum aliquamdiu in privatis ſeu clandeſtinis conventiculis Remonſtranticis miniſtraſſet, è vivis exceſſit. An & qui

Digitized by Google

qui ſint relicti hæredes ipſius (uxoratum enim fuiſſe probè novi), & apud quos aut quem monumentum hoc eruditionis muliebris inter Belgas, quærendum ſit, in præſenti inveſtigare nequeo.

VIII. *Quaſt. An mulieres à viris externè diſtingui debeant; & quomodo?* *Reſp.* Diſtingui debere & internoſci in converſatione hominum, indubium eſt: ob pericula inordinatarum commixtionum. Quomodo autem diſtingui poſſint, queritur an per ſigna jure divino & naturali præſcripta: an vero per ſigna ab hominum arbitrio, aut conſuetudine locorum profecta; & per quænam ſigna?

Nos iſtis concluſionibus determinamus.

1. *Concl.* Quilibet ſingularis homo, ab aliis naturaliter diſtinguitur figura & forma faciei, quam cuilibet peculiarem Deus tribuit. Hoc eſt primarium ſignum διαγνωστικόν. Secundaria ſunt, vox, inceſſus, geſtus.

Nec obſtat, quod aliquando in quibuſdam hominibus, tanta ſit faciei, vocis, &c. ſimilitudo, ut ægre ab hominibus diſcerni poſſint: quamvis enim ex tempore & primo aſpectu non ita diſtingui queant: ubi tamen accuratius & curioſius attenderis, non tantum ad figuram & formam faciei, ſed & ad vocem, inceſſum, geſtus, corporis omniumque externarum corporis partium, longitudinem, latitudinem, conformationem; fieri non poterit ut à quibuſvis aliis in mundo viventibus non diſtinguatur. Admirandam Dei potentiam & providentiam in illâ innumerabilium hominum per diverſitatem facierum, vocis, inceſſus, diſtinctione; Epicureis & atheis inter alia opponi poſſe, antehac monuimus in 1. *part. ſelect. diſpp. tit. de atheiſmo part.* 4 *pag.* 212. ubi notamus à *Marino Merſenno in commentar.* ad aliquot capita Geneſios hanc conſiderationem urgeri. Nunc addo, à *Petro Meſſiâ part.* 1. *lection. cap.* 38. hoc unum ex magnis ſecretis & miraculis naturæ appellari: qui ibidem colligit exempla tam ſimilium ut ſubinde non diſcernerentur, ut Artemię, ex *Plinio* & *Solino*, Semiramidis & Nini filii ex *Juſtino*, Biblii, & Publicii, ex *Plinio*, &c. Exempla aliquot recentiora ibidem legantur.

2. *Concl.* Viri & mulieres membris quibuſdam externis diſtinguuntur: ſed in converſatione hominum per illa ſigna dignoſci non debent: hoc eſt, viri & mulieres, nudi incedere non debent, nec ulla lex humana aut conſuetudo licentiam hâc in parte tribuere poteſt. Vide de hoc ſupra *part.* 1. *lib.* 2. *tract.* 2. *ſect.* 3. *p.* 684. & *ſeqq.* & 4. *part ſelect. Diſpp. tit. de Excelſis Mundi part.* 4. *pag.* 404.

2. *Concl.* Externis quibuſdam ſignis, externè diſtingui debent. *Externa* ſunt vel jure divino & naturali, vel hominum arbitrio poſita. *Illa* ſunt veſtitus, & capillus. De veſtitu agimus 4. *part. ſelect. diſpp. tit. de Excelſis Mun-*

*di part.*4. *pag.*417. & ſeqq. De capillis fæminarum, & tegmine capitis à viris eaſdem diſtinguentibus, *Ibid. part.*5. *parte* 3. & ultimâ, Ibi dicta hic non repeto: niſi unum illud, excipi caſum neceſſitatis, ad finem honeſtum, quo fœmina viri & vir fæmineo ſchemate, apparere poſſet: & fæmina tonderi, immo & radi. *Externa* ſigna diſtinctiva ex θέσει hominum, variare poſſunt, pro varietate Gentium, locorum, temporum.

CAP. III.

Explicantur aliqua, ad mulierum ſtatum ſpiritualem & eccleſiaſticum pertinentia.

I. QUæſt. *An diſtinctio ſit virorum & mulierum, quod ad ſtatum eccleſiaſticum? Reſp.*

1. *Concl.* Si eccleſiam intelligis myſticam, & ſecundum unionem, communionem, habitudinem membrorum ad Chriſtum interiorem & inviſibilem, eorundem collationem Inſtituas: Neg. Quia in Chriſto nihil valet, niſi fides per caritatem agens *Galat.* 5. Et fideles omnes ἰσότιμον πίστιν ſortiti ſunt 2 *Petr.* 1. *non eſt maſculus & ſemina*, &c. Galat. 3. v. 28.

2. *Concl.* Si per eccleſiam intelligis eccleſiam inſtitutam, externam, viſibilem, eſt diſtinctio: quia mulieri in eccleſiâ loqui, eique præeſſe non licet. De quo infra.

II. *Quæſt. An mulieres ſint religioſiores viris? Reſp.* Aff. *Fileſacus lib.* 3. *ſelect. pag.* 251. Et probat ex *Exod.* 38. *v.* 8. 1 *Sam.* 2. *v.* 21. *Lucæ* 2. *v.* 22. ubi addit, *quod nullos viros video in Populo Hebræo aliquid perſimile egiſſe.* Quibus exemplis ſubjicit dictum Jamblichi. 1. De vitâ Pythagoræ cap. 11. *Quia ſexus fæmineus pietatis maximè ſtudioſus eſt.* Deinde exemplum Gentilium quarundam mulierum ex *Polybio* & *Mamertino* adjungit. Tum Julianum in Miſopog. narrantem inducit, quod anus (Chriſtianæ ſcil.) frequenter ad ſepulcra martyrum convenirent. Denique ad hoc probandum poſt adductum exemplum mulierum ad ſepulcrum Chriſti cum aromatibus profectarum, hujus rei apertiſſimam rationem eſſe dicit, quod ſequior ille ſexus ob inditam ſibi à naturâ imbecillitatem, pluribus præſidiis atque adminiculis indigeat: ideoque malis ingruentibus, facilius & alacrius ad Deum confugiat. Ego huic theſi probandæ 1. perpetuam experientiam advocarem. 2. *Dictum* apoſtoli 1 Corinth. 1. v. 26. 30. analogicè huc appellicarem: *Videtis enim vocationem veſtram*, &c.
quæ

Digitized by Google

quæ ſtulta ſunt in mundo, *elegit Deus*, &c. *& quæ ſunt infirma mundi elegit Deus*, &c. *ut ne glorietur ulla caro in ejus conſpectu*. 3. *Peculiarem* illam crucis ſcholam mulieribus aſſignatam *Geneſ*. 3. *v*. 16. eſſe ipſis ſcholam lucis, hoc eſt una cum tot Dei liberationibus ex tot tantiſque mortibus (geſtationibus ſcil. & partubus) eſſe occaſionem ipſis, devotarum precum, celebrationum, promiſſionum, ad mortem præparationum.

Quod ad hodiernam experientiam, eccleſiæ pleræque in Belgio plura habent membra ex ſexu fæmineo, quam ex virili; plures conciones, aliaque publica aut privato-publica pietatis exercitia ab illis frequentantur; plures & priores zelum pro orthodoxiâ & pietate, difficilibus temporibus oſtenderunt & etiamnum oſtendunt. In antiquâ eccleſiâ, fervente perſecutione, ſimiliter & numero & zelo prævaluiſſe mulieres, videntur innuere exprobrationes Gentilium, apud Minutium, *qui de ultimâ fæce collectis imperitioribus & mulieribus credulis, ſexus ſui facilitate labentibus, plebem profanæ conjurationis inſtituunt*. Sic Julianus apoſtata (apud *Nazianz. orat*. 2. *in Julianum*, & apud *Cyrill. Alexandr. lib*.6. *c. Julianum*) ridebat Chriſtianos, quod cum pueris & decrepitis mulierculis eccleſias frequentarent, ſimulque pſallerent, &c. Celſus apud Originem lib. 3. c. Celſum, *Hoc pacto*, inquit, *ſatis apparet*, *quod ſolos fatuos*, *ignavos*, *ſtolidos*, *mancipia*, *mulierculas*, *pueroc captent & alliciant*. Apud Prudentium, Periſtophanon in hymno Fructuoſi epiſcopi eccleſiæ Tarraconenſis, &c. judex Æmilianus ſic Formoſum compellat:

Tu qui doctor, ait, ſeris novellum
Commenti genus, ut leves puellæ
Lucos deſtituant, Jovem relinquant:
Damnes, ſi ſapias, anile dogma,
Juſſum eſt Cæſaris ore Gallieni
Quod princeps colit, hoc colamus omnes.

Ipſe Tertullianus lib. adverſus Praxeam: *Simplices*, *imprudentes & idiotæ*, *major ſemper credentium pars eſt*. Iſidorus Peluſiota lib. 1. epiſt. 125. relato facto Zipporæ (Exod. 4.) hoc vulgare dictum ſubjicit: *ſiquidem mulieres, cum neceſſitas urget, diligentioribus, quam viri, artibus* (Gr. μηχανήμασι) *uti*, *ſinceriuſque ad Deum perfugere conſueverunt*.

III. *Quæſt. An mulieres ad ſuperſtitionem provenſiores? Reſp.* Communiter hoc affirmatur. Strabo vocat eas τῆς δεισιδαιμονίας ἀρχηγοὺς, id eſt, *ſuperſtitionis ductrices*. lib. 7. Unde phraſis adagialis, *anilis ſuperſtitio*: quo epitheto Gentiles Chriſtianam religionem deſcribebant, apud *Minutium* in Octavio: apud Lactantium *lib*. 5. *cap*. 1. *aniles fabulas* inſigitant: apud Pruden-

Prudentium modo cit. *anile dogma.* Quid quod apoſtolus devitare docet *aniles fabulas* 1 Timoth. 4. v. 7. Ab aniculis *περίαπτα* amuleta, luſtrationes ſæpe parata & applicata legimus. Quia autem ſuperſtitio vacuam obſervationem, idololatriam, magiam ſub ſe continet: videndum, an ad ſingulas illas ſpecies, mulieres dicantur propenſiores

Quod ad *primam*, experientia communis de hoc non ſinit dubitare. De *ſecundâ*, idem affirmandum videtur ſi hiſtoriam ſacram, eccleſiaſticam, Gentilium, & experientiam conſulimus. De *tertiâ*, ſi hiſtoriæ & frequentibus judicum ſententiis in ſagas latis fides ſit adhibenda, (de quo hic non diſquirimus), videntur ſane viris propenſiores, in abominandam illam ſuperſtitionem. Quod ad magiam divinatricem, ex hiſtoriis Gentilium conſtat diabolum per mulieres Pythoniſſas, fatidicas Sybillas hanc longè frequentius promoviſſe, quam per viros. His adjunge Hiſtoriam ſacram Pythoniſſæ in Endor 1 *Sam.* 28. & puellæ fatidicæ *Actor.* 16. Nec eſt de nihilo, quod *Exod.* 22. *v.* 22. lex fertur c. præſtigiatrices.

IV. *Quaſt. An mulieres ſint propenſiores in hæreſes Reſp.* Neg. Teſtante communi experientiâ, & hiſtoriis ac catalogis hæreſion. Verum quidem eſt fæminas aliquas, non tam inveniſſe quam ſparſiſſe & promoviſſe hæreſes: ſed illæ ſi cum viris hæreſiωn inventoribus, promotoribus, fautoribus, ſectatoribus comparentur, numero longè inferiores ſunt. De Jezabel (ita dictâ) habes *Apocal.* 2. *v.* 20. & de mulieribus dictis *religioſis* Actor. 13. v. 50. Et de mulierculis captivatis 2 *Tim.* 3. *v.* 6. 7. de ſeductricibus *Ezech.* 13. De *Helenâ* (quæ & Selene) Simonis Magi *Euſeb. lib.* 2. *c.* 12. *Marcellinâ* Carpocratis & Gnoſticorum ſectatrice, *Epiphan. hæreſ.* 27. *Iren. lib.* 1. *cap.* 23. *Auguſtin. de hæreſ cap.* 7. de ſeptingentis virginibus ab Ario ſeductis hæreſim ejus promoventibus *Epiphan. hæreſ.* 69. cum *Theodoret. lib.* 1. *cap.* 4. ubi *Alexander in epiſtolâ* ſuâ circulari appellat *γυναικάρια ἄτακτα*, id eſt, *mulierculas impuras* (uti vertit interpres Latinus): & paulo poſt, vocat *νεωτέρας*, quod interpres Latinus vertit, *tenellas meretriculas*: & ita exhibet *Baronius ad ann.* 318. §. 71. Sed hæc paraphraſis potius quam ſtricta vocis interpretatio. Pleraſque hæreſiωn promotrices antiquas, deſignat *Hieronymus ad Cteſiphontem tom.* 3. *fol.* 115. (edit. Eraſmi Baſil. apud Froben.):

„ Cum hæc ita ſe habeant, quid volunt miſeræ mulierculæ oneratæ „ peccatis: quæ circumferuntur omni vento doctrinæ, ſemper diſcentes „ & numquam ad ſcientiam veritatis pervenientes: & cæteri muliercula„rum ſocii, prurientes auribus, & ignorantes quid audiant, quid lo„quantur? qui vetuſtiſſimum cœnum, quaſi novam ſuſpiciunt tempera„turam: qui juxta Ezechielem liniunt parietem abſque temperamento, & „ ſupervenienté veritatis pluvia, diſſipantur? Simon magus hæreſim condidit,

„ didit, Helenæ meretricis adjutus auxilio. Nicolaus Antiochenus om-
„ nium immundiciarum repertor, choros duxit fœmineos. Marcion Ro-
„ mam præmiſit mulierem, quæ decipiendos ſibi animos præpararet.
„ Apelles Philumenen, ſuarum comitem habuit doctrinarum. Montanus
„ immundi ſpiritus prædicator, multas eccleſias per Priſcam & Maximil-
„ lam, nobiles & opulentas fæminas, primum auro corrupit: deinde hæ-
„ reſi polluit. Dimittam vetera, ad viciniora tranſcendam. Arrius, ut
„ orbem deciperet, ſororem principis ante decepit. Donatus per Aphri-
„ cam ut infelices quosque fetentibus pollueret aquis, Lucillæ opibus ad-
„ jutus eſt. In Hiſpania Agape Elpidium, mulier virum, cæcum cæca,
„ duxit in foveam, ſucceſſoremque ſui Priſcillianum habuit Zoroaſtris ma-
„ gi ſtudioſiſſimum, & ex mago eſpiſcopum, cui juncta Galla non gente,
„ ſed nomine, germanam huc illucque currentem, alterius & vicinæ hæ-
„ reſios reliquit hęredem. Nunc quoque miniſterium iniquitatis opera-
„ tur.

Cum hiſce hæreticorum mulierculis adjutricibus non malè comparari poſſent hodiernæ illæ circumeuntes garrulę (contra 1 *Timoth.* 5. *v.* 13.) dictæ **Cloppen/ Queſslen** / quarum examina inundant non tantum Papales, ſed reformatorum terras: de quibus alibi nonnulla diximus. Hic ſolummodo referam querelam Janſeniſtarum aut Lovanienſium de ejuſmodi mulierculis in anonymo libello Gallico in 4. tit. *Reſponce d'un eccleſiaſtique du Louvain*, ubi *cap.* 14. objiciunt Jeſuitis, quod opiniones ſuas ſpargant per dictas mulierculas, quę omnes domos pervolitare dicuntur.

V. *Quæſt. An mulieres aque ad ſacra exercitia, publica, privata, privato-publica admittenda ſint, ac viri? Reſp.* Aff. Quia omnia illa ipſarum ſunt, & ipſæ Chriſti. Et communio cum Chriſto capite & membrorum inter ſe illis non minus competit, ac viris. *Non eſt Judæus, neque Græcus, non eſt ſervus neque liber, non eſt maſculus ac fæmina, omnes enim vos unus eſtis in Chriſto Jeſu.* Galat. 3. v. 28. Tantum excipitur, ne loquantur in eccleſiâ 1 *Tim.* 2. *v.* 12. 1 *Cor.* 15. *v.* 34. hoc eſt, ne publico docendi munere fungantur; aut in exercitio regiminis & diſciplina eccleſiaſticę ſuffragia juxta cum viris ferant. Quod Deus extraordinariò mulierum quarundam operâ (ut Deborę, Huldę, &c., de quibus infra *lib.* 2. *tr.* 2.) uſus eſt, id regulam & ordinem non facit, nec cuivis imitandum. Interim, privatim, præfectis & matribus in familiâ ſuâ liberos ſuos, ancillas, alioſque domeſticos docere, iis in precibus aliiſque domeſticis pietatis exercitiis prçire, non tantum licitum eſt: ſed & neceſſarium; ubi deeſt paterfamilias, aut plane ad talia ineptus eſt, aut à verâ religione aut praxi pietatis alienus. Nec tantum domi ſuæ, ſed & alibi in ſociis & occaſionatis religionis & pietatis exercitiis, aut privatis colloquiis & colla-

Digitized by Google

tionibus : ubi aliqua quæ ſcientiâ & δυνάμει ἑρμηνευτικῇ prævalet, ſi res & occaſio ita tulerit, in fæmineo cœtu præire poſſet. De ejuſmodi privatis piorum colloquiis, collationibus & ſociis pietatis exercitiis, alibi ex 1 *Theſſ.* 4. *v.* 11. 14. *Rom.* 15. *v.* 14. *Hebr.* 3. *v.* 13. *Actor.* 12. *v* 12. & 16. *v.* 13. *Math.* 18. *v.* 20. alibi agendum eſt. De mulierum quarundam amicarum aut familiarium aut ἰσοψύχων privatis collationibus & exercitiis, vide ſupra *part.* 1. *lib.* 2. *tract.* 3. *cap.* 1. *quæſt.* 10.

Objiciat forte quis, mulieres publico regimini eccleſiaſtico apud reformatos prefuiſſe : uti à Pontificiis ſæpe objectum noſtris, Reginæ Elizabethæ tributum fuiſſe *ſuprematum*, ſeu eam habitam & dictam fuiſſe, ſupremum ſub Chriſto caput & gubernatricem eccleſiæ Anglicanæ. *Reſp.* Quod illi tributum fuit, & ipſa uſurpavit, non erat poteſtas formaliter eccleſiaſtica, ſed politica monarchica : quæ verſabatur etiam circa eccleſiam & eccleſiaſtica : Et talis poteſtas competit omni legitimo, tum ſupremo tum ſubalterno Magiſtratui, cujuſcunque ſit ſexus. Ita ut, ſi ſumma rerum ſit penes mulierem , eidem poteſtas circa eccleſiam & eccleſiaſtica deneganda non ſit. Sed ut mulier vocet aut eligat verbi miniſtros , claves regni cœlorum adminiſtret , diſciplinam exerceat, & ſic in eccleſiâ doceat, nec verbum Dei, nec ordo reformatarum eccleſiarum permittit. Vide *lib.* 1. *tr.* 2. *cap.* 2. & 3. ubi etiam objectioni de capite eccleſiæ Anglicanæ reſpondeo ; & titulum illum ex mente theologorum Anglorum explico. Si aliquis aliter explicet, aut aliud quid intelligi velit, hoc eccleſiæ & doctrinæ reformatæ non imputandum : quę cum Apoſtolo 1 *Timoth.* 2. *v.* 12 tenet mulieri non permiſſum eſſe in eccleſiâ docere, aut ſacramenta adminiſtrare ; nec epiſcopos aut epiſcopas epiſcoporum , nec directos aut analogicos Papas aut Papiſſas agnoſcit. Confer infra *lib.* 2. *tract.* 1.

Atque hæc quidem de mulieribus. Autores qui ipſarum laudes & vituperia proſecuti ſunt , aut hiſtorias illuſtrium ac præclararum mulierum texuerunt , ſunt *Philippus Bergomas*, *Marconville Gall.* & *Belg. Beverovicius* Belgicè, *Ludovicus Jacobus à S. Carolo* Carmelita in *bibliotheca illuſtrium fæminarum. Joh. Irenaus in apologiâ pro ſexu fæmineo* anno 1544. Qui aliis in operibus hæc attingunt ſunt commentatores ad *Eccleſ.* 7. *v.* 29. quales ex Pontificiis *Lorinus*, *Pineda*, *A Lapide* ; ex noſtris *Lavaterus*, *Fayus*, *Gejerus.* Comment. ad *Proverb.* 22. *v.* 14. Imprimis *A Lapide in Syracida cap.* 26. & 42. *Levinus Lemnius lib.* 4. *de miraculis naturæ cap.* 13. *Bongus de myſteriis numerorum num.* XI. ubi admodum contemtim & abſurdè de fæminis loquitur : pag. 379.

„ Non eſt autem hoc loco pretereundus ſacrificii veteris mos , ubi
„ maſculi vocabulo inſontem, & nulla criminis macula notatum intelligi
debere

„ debere autumant Theologi; per fœminam verò, crimen. Cyrillus enim „ in Levitico Hom. prima, ſive hujus ſit, ſive Origenis, ubi agitur de vitulo „ maſculo ſine macula offerendo, maſculum ait intelligi, qui pecca- „ tum ignorat, propterea quod fæmina ſit peccati ſymbolum: labilis enim „ mollis, & ad delinquendum proclivis admodum eſt mulier, tantæque „ infirmitatis ut Salomon dixerit, meliorem eſſe iniquitatem viri, quam „ mulierem benè facientem. Cui concinit Menandri verſiculus.

„ *Muliere nihil eſt pejus, vel etiam bona.*

„ Alter quoque.

„ *Ubicunque mulieres ſunt, ibidem mala ſunt omnia.*

„ In quibuſdam libris hanc inveni deſcriptionem: Mulier hominis confu- „ ſio eſt, continua ſolicitudo, indeficiens pugna, quotidianum damnum, „ ſolitudinis impedimentum, adoleſcentiæ naufragium, animal peſſimum, „ pondus graviſſimum, aſpis inſanabilis, humanum mancipium. Non- „ nulli fœminas monſtra eſſe hominum ajunt, & propter calorem defici- „ entem naſci. Nec id quidem injuria, cum multis placeat mulieres fermè „ rationis eſſe expertes. Nam Divinus Plato dubitare videtur, utro in „ genere ponat mulierem, rationalium animalium, an brutorum. Martia- „ nus autem ſcribit Minervam ideo ſine matre natam, quoniam in fæmi- „ na prudentia non eſt, cujus dea eſt ipſa Minerva. Verſus Martiani ſunt „ hujuſmodi in hymno Palladis.

„ *Hanc de patre ferunt ſine matris fœdere natam,*
„ *Provida conſilio quod neſcit curia matrum.*

„ Dum hæc ſcriberemus Lucretius Rotha Comes & Canonicus Bergo- „ mas optimæ indolis adoleſcens, familiæ claritate, litterarum ſtudio, & „ morum commendatione inſignis hoc epigramma nobis ſuppeditavit.

„ *Uxor, amice, tibi eſt ſemper mala, cum malè tractas.*
„ *Fit pejor, ſed fit peſſima, quando bene.*
„ *Sed bona, ſi moriatur, erit: melior tamen, id te*
„ *Si faciat vivo, aſt optima, ſi properè.*

„ Porro mulierem omnem eſſe malam, per quam venuſtè ſignificavit & „ Democritus, qui cum percunctaretur, cur cum magnus eſſet, uxorem „ duxiſſet puſillam: Ego (inquit) in malo deligendo, quod minimum „ erat, elegi. Et Protagoras interrogatus, ob quam cauſſam inimico fi- „ liam dediſſet; reſpondit ſe illi nihil dare potuiſſe deterius. Ut aliquid „ tandem à noſtris mutuemur, Blancum Bongum utroque jure Conſul- „ tiſſimum, atque in majori Bergomate Eccleſia Primicerium, patruum „ noſtrum, tantę profectò & dignitatis & auctoritatis virum, ut in hujus „ obitu totius cleri lumen, & civitatis extinctum ſplendorem magno

Digitized by Google

„Illuſtriſſimi Cardinalis Albani teſtimonio comprobatum ſit, ſæpe illum „inquam dicere ſolitum accepimus, trium maximè rerum cauſſa gratias „ſe Deo agere, primo quod homo non bellua, deinde quod non mulier, „ſed vir natus eſſet, poſtremo quod cęlibem vitam agere maluiſſet.

„ Et *Num.* III. pag. 153 Quid tandem Adam erat? Dei figmentum. „Tum quid Eva, figmenti ſegementum. Quid autem Seth? utriuſque ſo„boles. Quæ ejuſdem inter ſe ſubſtantiæ ſunt: non idem autem figmen„tum, ſegementum, & ſoboles. Eva enim & Seth ex eodem Adamo ſunt: „ex quo enim alio? non tamen ſimiliter ambo ex eo progeniti ſunt, quia „altera ſegementum eſt, alter proles. Atqui omnes inter ſe ſpecie idem „ſunt; homines enim: nemoque eſt qui inficietur. Adaperit hoc Divinæ „Triadis myſterium Joannes de Sylva, hunc in modum ſcribens Tract. de „Beneficio: Moriente aliquo companæ debent pulſari; pro Muliere „quidem bis, pro eo quod ipſa invenit alterationem: primò enim fecit „hominem alienum à Deo, quare ſecunda dies non habet benedictionem. „Pro Viro autem ter pulſatur, quia primò inventa eſt in nomine Tri„nitatis: primò enim formatus eſt Adam de terra: deinde Mulier ex „Adam: poſtea homo creatus eſt ab utroque: & ita eſt ibi Trinitas. Pro„tulit igitur Divina Mens primò humani generis Actum, Virum: deinde „ex Actu, potentiam, id eſt, Mulierem, eduxit: tertiò ex ambobus „extremis actu ſcilicet & potentiâ, viro & Muliere, eorum medium, „amborum ſcilicet, Filium, per quem humana ſpecies Trinum, totum, „perfectumque eſſe naturaliter eſt adepta. Mitto tria hominum genera „apud Platonem, Marem dico & fęminam, tertium ex utroque com„poſitum, cujus integra cujuſque hominis ſpecies, atque rotunda, dor„ſum, & latera circum habens, manus quatuor, & paria manibus crura, „vultus duos, Maſculinum genus Sole genitum dicentes, Fœmininum „Terra, Luna promiſcuum.

Plures autores de vituperio fæminarum, citat *Hotomannus in Monitoriali pro ſuâ Franco Galliâ pag.214. & 242. Canonhierus in Politicâ lib.8. cap.2.* Confer *1.part. ſel. diſpp. tit. de Creatione in paralip. partis 10. p.807.* Adde *Majolum dier. canibus coll.2. Alphabet des imperfections de femmes. Vivaldi candelabrum aureum p.621. Heidſeldii Sphingen philoſ. theol. cap.17. Guneciorum ſive de mulierum affectibus comment. Græc. Latinor. Barbarr. 3.tomis Baſileæ 1586. in 4.* Denique *Bellonium, Corbejum, Rodericum à Caſtro, Ranchinum tract. peculiar., de morbis mulierum.*

PAR-

PARTIS SECUNDÆ
LIBER SECUNDUS

Quæ eſt

DE MINISTRIS ET MINISTERIO ECCLESIASTICO.

PRæcedenti libro actum eſt de populo eccleſiaſtico: ſequitur nunc agendum de miniſtris & miniſterio eccleſiaſtico. Ubi quæritur de neceſſitate, difficultate, autoritate, dignitate, efficaciâ miniſterii; deque miniſtrorum ſacrorum generibus, gradibus, ordinibus. Eorundem vocatione, & vocandorum requiſitis, præparatione; de miniſtris & miniſteriis in Papatu, ſeu de Hierarchiâ Romanâ. Duobus poſterioribus tertio & quarto libro reſervatis, præſens hic liber ſecundus quatuor tractatus complectetur: quorum

I. *De miniſterii, neceſſitate, difficultate, autoritate ſeu poteſtate, dignitate, efficaciâ.*

II. *De ſacrorum miniſtrorum generibus, ordinibus, gradibus; deque miniſtris extraordinariis.*

III. *De miniſtris ordinariis ſub V. & N. T.*

IV. *De miniſterii & miniſtrorum tum adiutoribus, tum miniſtris.*

LIBRI II. TRACTATUS I.

DE MINISTERII NECESSITATE DIFFICULTATE, &c.

CAP. I.

De Miniſterii neceſſitate.

ANtequam neceſſitatem determinemus, præcognoſcendi duo termini, miniſteri ſcil. eccleſiaſtici, & neceſſitatis. §. 1.

Vox *Miniſtri* Gr. δοῦλος, διάκονος Hebr. עבד latiſſimè, accepta quemvis alteri ſive Deo, ſive hominibus aliqua in re miniſtrantem in ſcriptura ſignificat.

Hominum miniſtri ſunt & dicuntur.

1. *Qui* miniſterio caritatis & ſpontaneo aliis inſerviunt. *Galat.* 5. 13. *per caritatem ſervite*, &c.

11. *Qui* reſpectu aliorum hominum, ſunt homines liberi, naturali tamen neceſſitudinis & relationis vinculo ſubjecti ſunt, & ſerviunt parentibus.

3. *Qui* cętera ſunt liberi homines, ſed vi pacti civilis ſeu ſymbiotici in hoc mundo hic & nunc tanquam ſubditi hiſce hominibus ſucceſſione aut electione aut quacunque alia legitima ratione in ὑπερεχούσῃ ἐξουσίᾳ conſtitutis ſerviunt. 1 Reg. 12. v. 7. *erunt tibi ſervi omnibus diebus.*

4. *Qui* vi ejuſdem pacti quamvis poteſtate & dignitate ſuperiores, ratione regiminis & operis ſui Deo, & publico & conſequenter omnibus ſubditis inſervire dicuntur 1 Reg. 12. v. 7. 8. *Si hodie fueris ſervus populo huic, ut ſapias eis*, &c. Rom. 13. v. 4. *Dei enim miniſter eſt tuo bono.* Talem fere ſervitutem innuit Græcorum gnoma: *εἷς ἐν δοῦλος τ̃ οἰκίας ὁ δεσπότης.* Et ſic fere accipiendum, quod angeli (quamvis viribus & potentiâ majores 2 *Petr.* 2. *v.* 11. quamvis throni, dominia, imperia, poteſtates *Coloſſ.* 2. *v.* 16.) Hebr. 1. v. 14. *miniſterii munere fungentes ſpiritus* dicuntur, *qui miniſterii causâ emittuntur propter hæredes ſalutis, futuros.* Sunt ergo Dei miniſtri *Pſal.* 103. *v.* 20. 21. & fideles ſunt objectum illud circa quod Deo ſerviunt. Ita etiam Chriſtus ſingulari quadam analogiâ dicitur *diaconus circumciſionis* Rom. 15. v. 8.

5. *Qui* peculiariter ſive ex voluntario contractu, ſive ex neceſſitate inevitabili, aut per modum pœnæ aliis ſervire coguntur. De quali ſervitute ad 1 *Corinth.* 7. *v.* 21. & in explicatione legis Moſaicæ forenſis, & quinti pręcepti decalogi nonnulla à theologis conſiderantur: reliquis jura humana, mores gentium, & antiquitates ſpectantibus, ad Jureconſultos, Antiquarios, & ſcriptores Oeconomicos ac Politicos amandatis.

Dei miniſtri ſunt & dicuntur dupliciter, vel iræ, vel benignitatis. *Iræ* miniſtri ſunt, qui judicia Dei in hoc mundo ſive inſcii ſive conſcii, exequuntur. Prioris generis erant Reges Aſſyriæ *Jeſ.* 10. *v.* 5.-8. Nebucadnezar, Cyrus: quorum ille unctus Dei *Jer.* 45. *v.* 1.-6. iſte ſervus Dei *Jerem.* 25. *v.* 9. appellatur *Reg.* 9. & 10. Eodem ferè reſpectu miniſtri Dei erant Prophetæ, oneroſas prophetias & judicia Dei verbis denuntiantibus, (non re aut factis) exequentes. Hinc de Jeremiâ c. 1. v. 10. dicitur, *præficio te hodierno die gentibus ipſis & regnis ad exſtirpandum & ad demoliendum*, &c. Et *Jeſaias c.* 29. *v.* 3. propterea ſervus Dei appellatur. Poſterioris generis erat rex Jehu 2 Reg. 9. & 10. *Benignitatis χρηστότητος* divinæ miniſtri ſunt vel communis; vel ſpecialis, quæ gratia dicitur. *De illâ Matth.* 5.

v. 45.

v. 45. & tales ſunt Magiſtratus ἐυεργέται Hebr. נדיבים, qui Dei miniſtri dicuntur *Rom.* 13. & Joſua, ſervus Dei *Joſ.* 24. *v.* 29. *Gratiæ* miniſtri ſunt, qui in anuntiando, promovendo, & applicando verbo gratię & reconciliationis, conſilio Dei ſpecialiter inſerviunt: Et tales ſunt miniſtri Dei in ſacris, dicti eccleſiaſtici: qui propterea κατ' ἐξοχὴν Dei miniſtri 1 *Corinth.* 4. *v.* 1. & homines Dei 1 *Timoth.* 6. *v.* 11. 2 *Tim.* 3. *v.* 17. & appropriatis ad ſacra nominibus, διάκονοι, λειτουργοί. Quorum diverſi ſunt gradus: & unius neceſſitas ad eſſe ſalutis, & eccleſiæ inſtitutæ, cum alterius neceſſitate comparata, major aut minor eſt. De quo alibi. Nos indiſtinctè de miniſterii cujuſcunque gradus neceſſitate acturi ſumus: ſic tamen ut mens noſtra in primarium gradum, paſtoris ſcil. ſeu presbyteri laborantis in verbo, imprimis feratur.

Et hæc de termino priori. Alter terminus eſt *neceſſitas*; cujus ſignificationes à Philoſophis, & paſſim à theologis in commentariis ad ſcripturæ textus, ubi vox hæc occurrit, evolutas hic proſupponimus. Tantum pręſenti materiæ adaptandam dicimus, neceſſitatem efficientis, præcepti ſcil. divini, & neceſſitatem expedientiæ, ſeu τȣ̃ bene eſſe. Neque enim determinare auſimus neceſſitatem abſolutam, aut tanquam medii ad ſalutem, aut ad primam inſertionem in fœdus Dei, in communionem ſalutaris gratiæ Chriſti, & eccleſiæ electorum, nec etiam ad permanentiam in communione eccleſiæ viſibilis inſtitutæ; nec ad permanentiam & continuationem τȣ̃ eſſe cujuſque eccleſiæ viſibilis inſtitutæ particularis. Adeo ut non ſine diſtinctione & grano ſalis accipiendum ſit illud Hieronymi: *Eccleſia non eſt, quæ ſacerdotem non habet?* ut & vulgatum illud, *Non Deus huic pater eſt, cui non eccleſia mater.* De quo in quæſtionibus, de eccleſiâ inſtitutâ.

Neceſſitatem eccleſiaſtici miniſterii, prout à nobis nunc determinata eſt, §. 2.
probamus ſeqq. argumentis.

I. *Argum.* Ex inſtitutione & mandato Dei. Epheſ. 4. v. 10. 11. *Is igitur dedit*, &c. *alios autem Paſtores & Doctores. Ad compactionem ſanctorum ad opus miniſterii, ad ædificationem corporis Chriſti. Donec perveniamus omnes ad unitatem fidei*, &c. Johan 20. v. 20. *Sicut miſit*, &c. cum Matth. 28. v. 19. *Ite & docete*, &c. 2 Cor. 5. v. 19. 20. *Poſuitque in nobis ſermonem reconcilationis. Itaque nomine Chriſti legatione fungimur*, &c. Tit. 1. v. 5: *ut conſtituas oppidatim presbyteros*, &c. Rom. 10. v. 15. *Quomodo autem audient, abſque prædicante? Quomodo autem prædicabunt, niſi miſſi fuerint.*

II. *Argum.* Ex neceſſario opere eorum, & fructibus in Eccleſiam redundantibus, denique benignitate Dei in miſſionibus miniſtrorum relucente

cente Jeſa 52. v. 7. cum Rom. 10. v. 15. *Quam pulchri ſunt ſuper montes pedes euangelizantiu*, &c. 1 Timoth. 4. v. 16. *Et te ipſum ſervabis & eos qui te audierint.* Daniel. 12. v. 3. *Et juſtificantes multos*, &c. Jerem. 3. v. 10. *Ubi daturus ſum vobis Paſtores ex ſententiâ animi mei, qui paſcent vos ſcientiâ & intelligentiâ.* Matth. 23. v. 24. *Propterea ecce ego mitto ad vos prophetas, ſapientes & ſcribas*, &c.

Huc omnia loca ſcripturæ referenda, quæ de miniſtrorum officio, aut de ſingulis ejuſdem partibus loquuntur.

III. *Argum.* Ex damnoſis ſeu noxiis conſequentibus, quę ſequuntur carentiam miniſterii Prov. 29. v. 18. *Quum non eſt viſio, nudatur populus.* Matth. 9 v. 36. 37. 38. *Commiſeratione intima commotus eſt ſuper eis, quod eſſent diſſipati & disjecti quaſi oves non habentes paſtorem. Tunc dicit diſcipulis ſuis, ipſa quidem meſſis multa, operarii autem pauci. Rogate igitur dominum meſſis*, &c. Pſal. 74. v. 9. *Signa noſtra non vidimus, non eſt ultra propheta*, &c.

IV. *Argum.* Ex omnium ſalutem ſuam quærentium neceſſariâ obedientiâ, & ſubjectione ad miniſterium, ejuſque ſuſceptione atque uſu: & reprehenſione ac maledictione eorum qui illud non agnoſcunt, recipiunt, æſtimant, eidem ſe non ſubjiciunt. Hebr. 13. v. 17. *Obedite præpoſitis veſtris: illi enim ſunt, qui vigilant*, &c. 1 Theſ. 4. v. 11. 12. *adhortamini alii alios, & ædificate ſinguli ſingulos, ſicut & facitis. Rogamus autem vos fratres, ut agnoſcatis eos, qui laborant inter vos, & præſunt vobis in domino, & admonent vos: & eos ſupra modum caros ducatis propter opus ipſorum.* Matth. 10. v. 40. 41. *Qui vos recipit me recipit*, &c. *qui recipit Prophetam nomine Prophetæ*, &c. Hoſeæ 4. v. 4. *populus autem tuus contendit cum ſacerdote.*

V. *Argum.* Sumitur à neceſſitate miniſterii in Veteri Teſtamento, divinitus inſtituti. Quod hic tantum indicamus, in libris *Exodi*, *Levitici*, *Deuteronomii*, 1 *Paralipom.* 24. *Malach.* 2. 7.

VI. *Argum.* A neceſſitate eccleſiæ inſtitutæ, colligendæ & conſervandæ; & adminiſtrationis ſacramentorum; & uſus clavium regni cœlorum. Unde triplicatum argumentum educitur. Competere autem illa miniſtris eccleſiaſticis, alibi probatur.

VII. *Argum.* Ex titulis, qui miniſtris in ſcripturâ tribuuntur: ex multis indico nunc ſolummodo iſtos; *Angelorum Dei* Malach. 2. legatorum 2 *Cor.* 5. cooperariorum Dei 1 *Cor.* 3. & 2 *Cor.* 6. *v.* 1.

VIII. *Argum.* Ex praxi eccleſiæ Apoſtolicæ & Apoſtolorum, *Actor.* 20. *v.* 20. 28. 1 *Petr.* 5. *v.* 1. 2. 3. 1 *Theſ.* 5. *v.* 12. *Tit.* 1. *v.* 5. Et quod Deus per extraordinariam revelationem & apparitionem tractos, ad hominem miniſtrum docendos miſerit. *Actor.* 9. *v.* 6. 10. & 10. *v.* 5. 6.

IX. Ac-

Digitized by Google

IX. Accedat conſenſus antiquę eccleſiæ poſtapoſtolicæ & hodiernæ non tantum orthodoxę; Sed & cujuſque ſub nomine & aliquâ fidei Chriſtianæ profeſſione. Antiquæ hac in parte conſenſum oſtendit perpetua praxis, decreta & acta conciliorum, ſententiæ & diſſertationes Doctorum: ubi imprimis conſiderandi integri tractatus de miniſterio, ut *Chryſoſtomi*, *Ambroſii*, *Gregorii Magni*. Hodiernæ eccleſiæ proteſtanticæ & reformatæ conſenſum ſuum confeſſionibus & catecheſibus ſuis exhibent. Vide *harmoniam confeſſ.* Noſtra catecheſis ad quæſt. 103. *Quid præcipit Deus in quarto præcepto?* Reſpondet: *Primum ut miniſterium Euangelii & ſcholæ conſerventur*, &c.

Non deſunt tamen, qui ordinarium hoc miniſterium in totum, aut ex parte, directè aut indirectè, apertè aut tectè rejiciunt: Quales. §. 3.

I. Athei, Epicurei ſeu dicti Deiſtæ, homines purè carnales, & de hoc mundo (*Pſal.* 17. *v.* 14.) quorum Deus venter eſt; *Phil.* 3. 19. quique animam humanam tanquam corporis temperamentum cum Galeno, eamque ſibi ut porcis, equiſque, &c. datam putant, ut ſit loco ſalis; ne corpus putreſcat. Qui omnem cultum Dei (etiam cum pro eo contendere videntur) ſuſque deque habent; conſequenter omne miniſterium contemnunt: niſi forte alicujus miniſtri aut aliquorum miniſtrorum conſiliis, operis, auxiliis, in rebus hujus ſeculi ad rem familiarem & ventrem curandum, ad ſuam ambitionem, avaritiam, aliaſque pravas cupiditates explendas uti, aut potius abuti poſſint.

II. Enthuſiaſtæ & Libertini: quorum familiæ quamvis inter ſe in nonnullis diſcrepantes, in hoc uno tamen conveniunt.

1. *Henrico-Nicolaitæ*, ſeu Familiſtæ, fratres ſcil & diſcipuli familiæ caritatis: qui novis enthuſiaſmis, ſomniis, & revelationibus ſuis confiſi, ipſum verbum Dei per ſcriptores θεοπνεύστους in libris V. & N. T. conſignatum, & conſequenter verbi ejuſdem prædicationem, & ordinarium miniſterium in eccleſiâ contemnunt.

2. *David-Joriſtæ*, qui eodem phanatico ſpiritu dementati, eodem tendunt. Vide eos detectos, ab *Ubbone Emmio.*

3. *Zwenck-feldiani*, eandem ſerram reciprocant; apud patriarcham ſuum *Zwenck-feldium in libello de abuſu Euangelii*, & in *vol. epiſtolarum epiſt.* 74. Quamvis in multis aliis fatear, eos minus malos & abſurdos eſſe, quam Familiſtas & David-Joriſtas: Zwenckfeldium inter alios detexit & refutavit *Dan. Toſſanus tract. germanico*; & *Joh. Wigandus tract. peculiari in* 4.

4. *Sebaſtiano-Frankiſtæ*, quorum hoc dictatum eſt in libro patriarchæ ſui de *Regno Chriſti*, anno 1611. Goudæ Belgicè edito per *Herboldum Tombergium* publicum ibidem concionatorem ſectæ Remonſtranticæ ſocium,

poſtea anno 1619. ſynodali autoritate & judicio exautoratum. Lemma 13. capitis libri Franckici ſic habet: *Quomodo in regno Chriſti nulli libri, nulla ſcriptura, nulla prædicatio ſit, ſed Spir. S. ſit omnia, ſcriptura, & doctor.* Franckicum hunc Spiritum abunde detexit, Nobiliſſimus *Marnixius* montis Sanct-Aldegondis Dominus, in libro vernaculo contra Enthuſiaſtas.

5. *Weigeliani*, qui cum magiſtro ſuo in Poſtillis part. 2. & in dialogo de Chriſtianiſmo, ſolum ſpiritum, ejuſque miſſionem & inſpirationem jactando, miniſtrorum eccleſiaſticè vocatorum nullam eſſe vocationem, nullam prædicationem, & Euangelium externum à Chriſto (quem ſolum ajunt verum eſſe Euangelium,) diſtinctum, nullum eſſe contendunt. Quæ αὐτὰ vide detecta & refutata à *Joh Crocio* theologo Marpurgenſi *part. 2. Anti-Weigelii cap. 2.*

6. *Jacobus Bohmen* dictus *Philoſophus Teutonicus*, qui eccleſiam, ejuſque doctrinam, Paſtores & Doctores & omne externum eorundem miniſterium contemnendo, ad ſpiritum & inſpirationes ſuis ſimiles revocare ſtudet. Fuit is homo idiota, qui variis libellis Germanicè ſcriptis cum vix potuiſſet inclareſcere, nactus tandem idiotam quem mercatorem ſatis opulentum ſui admiratorem Amſtelodami, cujus ſtudio & expenſis libri ejus in noſtrum idioma traducti, & non paucis oblati ſunt. Iſtis conatibus opponebat ſe David Gilbertus Ultrajectinus tunc Amſtelodami reſidens, editâ anno 1643. admonitione contra libros Jacobi Böhmen. Cui cum *Joh. Theodorus von Tſcheſch eques Sileſ.* defenſionem Jac. Böhmen opponeret, David Gilbertus repoſita anno 1644. admonitionis ſuæ apologiâ phanaticam illam philoſophiam compreſſit.

7. *Neo-Enthuſiaſtæ* in Angliâ dicti **Quakers** (tremuli); qui idioticâ inſaniâ ſuâ in contemtu miniſterii, & ipſius verbi divini, & in jactatis ſuis enthuſiaſmis, ut nonnullis antiquis Libertinorum patriarchis ingenio, arte, aſtu, eruditione cedere videntur; ſic furioſâ audaciâ, & pervicaciâ omnes poſt ſe relinquere deprehenduntur. Experta hoc eſt Anglia; & aliquo modo fœderatum Belgium; in quod nonnulli phanatiſmi illius conſecranei & emiſſarii ex Angliâ ſe infuderant. Quos tamen concepta ſpes de libertate regnum enthuſiaſticum, inter alias permiſſas ſectas hic ſuſcitandi, haut parum fefellit. Sectę hujus originem, majores, ſubitam propagationem, editos libellos, dogmata inde excerpta, res geſtas, Anglico idiomate expoſuit *Thomas Underhill* tit. *Hiſtoria Tremulorum*, &c. qui idem editioni ſecundæ anno 1660. rejectiunculam adverſarii alicujus ſubjecit.

III. *Semi-Libertini*, ſeu mavis *Neutrales*, & dubiæ religionis homines; qui quamvis ſcripturæ autoritatem & uſum non negent; aliqui etiam eorum

rum omne miniſterium abolitum nolint, ordinario tamen miniſterio, ejuſque ſtabilimento minus favere videntur: ſive ex particulari faſtidio, invidiâ, contentione, ſive ex αὐθαδείας, & tranſcendentis eruditionis theologicæ, aut majoris ſanctitatis ſuæ conſcientiâ; quippe contenti naſcentibus in ſe bonis, nec extra ſe quidquam quærentibus, aut aliunde exſpectantibus. Sicuti craſſi Enthuſiaſtæ, ſe tanquam perfectos & Deificatos, ſcripturæ doctrinâ alphabetariâ (ſecundum ipſos) minime indigere opinantur: ſic & hi uſum miniſterii ad ſe non ita pertinere; cum totum illud eminenter in ſe contineant, & miniſtrorum ac theologorum omnium didaſcali & cenſores eſſe poſſint ac debeant. Quidquid enim inſtructionum, hortationum, correptionum, conſolationum ſpargi poſſet à miniſtris, ſciunt illi, nec altius ingeret Ammon. Sunt autem illi non unius generis, menſuræ, profectus. Alii enim libertiniſmi afflatu ex ſemiſſe, alii ex beſſe, alii ex quincunce, alii ex triente afflati videntur. Tales ſunt,

1. *Cornbertiſtæ*; quorum maledicus magiſter, inter omnes miniſtromiſos, miniſtro-maſtigas, aquilifer meritò cluit. Ipſe ſemi-paganus ſemi-idiota, ad ſacra theologorum magno numero libellos hunc contemtum unicè ſpirantes attulit: ſed in libello de minuendis ſectis, & in altero de eccleſiâ ſemi Libertiniſmum ſuum plenius aperuit. Poſteriori eruditiſſ. theologus *Danæus*, tunc Acad. Lugduno-Batavæ lumen anno 1582. ſe oppoſuit; priori eodem anno 1582. miniſtri Delphenſes, formâ dialogi, vernaculè.

2. *Quærentes* ſeu *exſpectantes* in Angliâ, vernaculè dicti *Seekers* & *Waiters*: de quibus Neo Scepticis *Honorius Reggius p.* 59.

3. *Affines quærentibus* (eoſdem non dico) in Belgio noſtro erant *Adami Boreel* pauculi aliqui ſectatores an admiratores, qui A.B. cœtus ſeu conventus privatos Amſtelodami frequentabant. Hujus viri opiniones ſeu dubitationes ex libello quodam ipſius tit. *Ad legem & ad teſtimonium*, & ex Cl. *D. Hoornbeeck ſummâ controverſiarum lib. 6. pag.* 463.-562. cognoſce.

4. *Theologia Germanica*, autore incerto; quæ ante tempora pertendentis reformationis germanicè prodierat. Anonymus quis eam ex Germanico in Belgicum ſermonem traduxerat, ſed admodum infeliciter: uti judicat alter anonymus R. V. S., qui ſecundis curis eandem denuo transferre, aut potius priorem tranſlationem interpolare conatus eſt; qui idem in præfatione indicat, autorem ejus fuiſſe ſacerdotem & ædituum equitum ordinis Teutonici, in domo dictorum equitum Teutonicorum Francofurtenſi. Tertia editio Belgica loco impreſſionis & nomine editoris ſuppreſſo, annum 1564. & nomen typographi *Gregorii Trauwers*, in fine indicat: præmiſſâ editoris anonymi præfatiunculâ, quâ libellum commendat &

Digitized by Google

poſt biblia & Auguſtinum omnibus aliis libris præfert. Autor hic directè & apertè non rejicit miniſterium, ſed *cap.* 31. 33. 34. 35. periculoſas & hyperbolicas acurologias ab Enthuſiaſtis ſuperioris ſeculi cupidè adoptatas inſpargit, de *homine deificato*, & de *Deo homine*, de *dolore ſuper peccatis, qui ſit proprietas Dei*, & non ſit hominis, & quod *in Deo non poſſit eſſe talis dolor ſine creaturis.* Et tales hyperbolicæ acurologiæ ac teratologiæ in theologiæ myſticæ ſcriptoribus quamplurimæ occurrunt, quibus interiorem unionem cum Deo ſupra omnia externa à Deo inſtituta, & ſine illis, delineare ſatagunt. De quo alibi, in *Exercitiis pietatis* tit. *de meditatione.* Libellum eundem puto laudari à Poſſevino in apparatu ſacro, in voce theologia: *Theologia* inquit, *myſtica à pio quodam ordinis Dominicanorum Teutonicorum ſacerdote* 200. *circiter ab hinc annis Germanicè conſcripta, & à Johanne Theophilo in latinum tranſlata. Lugduni apud Alexandrum Marſilium anno* 1580.

5. *Guil. Poſtellus*, inter quæſitores, exſpectantes, ſpiritus & peculiaris revelationis zelotas, & quidni illuminatos, & novum lumen mundo inferentes etiam numerandus videretur, ſi fides habenda eſſet libello ejus anno 1646. Amſtel. recuſo tit. *Abſconditorum à conſtitutione mundi clavis*, &c. *Guil. Poſtello ex divinis decretis exſcriptore.* Meminit ejus *Beza in notis ad Joh.* 21. *v.* 22. 23. & in epiſtolis epiſt. 1. ad Dudithium pag. 21. *Hujuſmodi*, inquit, *inter cæteros Poſtellus ille omnium hæreſium, ipſis etiam Romanis inquiſitoribus judicibus, cloaca, Lutetiæ tamen adhuc in ipſis Sorboniſtarum oculis permanens.* Aliter de illo Joſephus Scaliger, qui hominem ex colloquiis noverat, in epiſtolis, epiſt. 362. in fine: *Homo*, inquit, *quem inſania ab omni malitiæ ſuſpicione vindicare poterat: Et qui aliter de illo judicant, longè decipiuntur.*

6. *Fratres roſeæ crucis*, Neo Hermetici, & qui τὸ omne ſcire, ſæculum Spir. S. exſpectant aut jactant; inſuper qui τὸ nihil ſcire, aut τὸ dubitare de omnibus cum Scepticis & Pyrrhoniis deprædicant; quique in tenebris ſuis ſomniantes, ſe ſolos eſſe filios lucis ad inſtar *tremulorum* in Angliâ, & *illuminatorum* (ante annos aliquot in Hiſpaniâ) opinantur & proclamant. Omnes illi, quamvis inter ſe diſſidentes, ordinarium miniſterium exigui facere, ſi non apertè contemnere, deprehenduntur. Quid fratres roſeæ crucis præ ſe ferrent, ex Famâ, Confeſſione, & ſimilibus ipſorum libellis cognoſci poteſt. Libellos indicamus 1. *part. ſel. diſp. tit. de creatione part.* 6. *pag.* 678. & *ſeqq.* ubi & judicium de eâdem ferimus. Prętexunt illi quidem reformationem philoſophiæ & medecinę; ſed revera etiam theologiam & ſacras literas in alembico ſuo diſtillare velle videntur. Conferri poteſt *Andr. Libavius*, qui ſcripſit contra dictæ fraternitatis con-

Digitized by Google

confeſſionem, & judicium facultatis theol. Leidenſis de eâdem fraternitate: quod exſtat in Operibus *Ant. Walai.* Denique D. *Joh. Hoornbeek* in Summâ *controverſiar. lib. 6.*

7. *Primi Anabaptiſta*, qui ductoribus Nic. Storckio, Muntzero, &c. peculiaribus revelationibus inſiſtentes, ordinarium miniſterium rejiciebant. De quo videndus *Bullingerus lib. 1. contra Anabapt.* Hodierni Neo-Anabaptiſtæ in Angliâ, quamvis in variis religionis capitibus à noſtratibus Anabaptiſtis diſſentientes, quippe adhuc *tyrones* (ut loquitur *Georgius Hornius* ſub nomine *Honori Reggii in lib. de ſtatu eccleſiæ Britannicæ* hodierno, anno 1647. p. 60. Idemque in *hiſtor. eccleſ. & polit. pag. 267.*) de vocatione miniſtrorum, & conſequenter de ordinarii miniſterii neceſſitate minus rectè ſentiunt; ſtatuentes, eos concionari debere aut poſſe, quibus Deus dona dedit. Quin inſuper majora auſi, qui magnâ ex parte rerum illic tunc potiebantur, primo decimas, hoc eſt, ſtipendia miniſtris ſubtrahere, & mox poſtea omne miniſterium abolere conati ſunt.

8. *Non prætereundi ſunt*, qui quamvis ipſi in medio eccleſiarum reformatarum miniſterio fungerentur; Enthuſiaſtarum tamen & Libertinorum opinionibus deprehenſi ſunt favere. Quales *Ant. Daventrienſis* concionator in Leer in Friſia Orientali: de quo *Ubbo Emmius* tunc Gymnaſiarcha Groninganus in primo tract. contra David. Georgium anno 1599. Middelburgi cum præfat. Ægidii Burſii eccleſiaſtæ Middelburgenſis excuſo. *Caſparus Coolhaes* ex monacho concionator Leidenſis, qui libellis quamplurimis, & è Germanico in Belgicum anno 1598. Amſtelodami tranſlatâ ac editâ *apologia Sebaſt. Franck*, ſe ſectæ Franckiſticæ fautorem oſtendit. De geſtis illius, deque exautoratione, & excommunicatione legenda *Synodi Hollandicæ hiſtoria apologetica*, Dordraci anno 1582. excuſa in 4.

Herm. Herberts, itidem ex monacho factus concionator in vicino Germaniæ tractu; inde Dordracum, & Dordraco Goudam tranſlatus. De cujus editis libris, favorem Dav. Georgii, & aliorum Enthuſiaſtarum redolentibus, conſulendus commentar. hiſtoricus nomine ſynodi Hollandicæ anno 1592. Hagæ-comitis typis Alb. Henrici ordin. Ordinum Hollandiæ typogr. excuſus in 8. *Herbold. Tombergius*, quem ex vicino Germaniæ tractu, in collegam ſibi adſciverat Herm. Herberts; quemque editione & commendatione libri *Seb. Francks* tanquam illuminati & θεοδιδάκτου (ita habet titulus libri) ſe à Franco non alienum comprobaſſe, ſupra indicavimus.

IV. Qui autoritatem miniſterii elevando, eamque aut totam aut bonam partem miniſtris detractam aliò transferendo, aut ordinariam vocationem

tionem impugnando, indirectè ejus neceſſitatem & utilitatem elevare videntur. Quales *Socinus* de eccleſiâ c. 1. cum *Oſtorodo Inſtitut. c. 42. Sinclero* in *diſp. de miniſter. ſect. 2. Catech. Racovianâ cap. 2. de eccleſiâ Chriſti. Thomas Hobbes* in tract. Anglico tit. *Leviathan* (nuperrime in noſtrum idioma tranſlato : ne Africa noſtra novorum monſtrorum ſterilis eſſet); Idem in *elementis de Cive* cap. 18. eccleſiam in civitatem, & miniſtros in miniſtros civitatis ſeu politiæ, regum ſc. & magiſtratuum transformare videtur : adeo ut magiſtratui competat poteſtas verbum predicandi & ſacramenta adminiſtrandi (ut exſertè hoc aſſerit in ſuo *Leviathan*); & ſi ad id per ſe idonei non ſint, aut ipſi nolint vacare, per alios tanquam miniſtros ſuos id exequendi. Cum hoc ambulant, quamvis haut paſſibus ęquis, Remonſtrantes, Grallatores, Eraſtiani, aliique Cæſareo Papatus defenſores. De quibus ſupra *part. 1. lib. 1 tr. 2.* Celeberrimus Grotius quid ſibi voluerit diſſertatione *de cœna adminiſtratione, ubi paſtores non ſunt. Item*, an ſemper communicandum per ſymbola Amſtelodami anno 1638. editâ in 4. apud I. Columnam, haut ita difficile eſſet conjicere. *Simon Epiſcopius* quam procul abſit ab opinione Socinianorum, & Neo-Phanaticorum quorundam in Angliâ, diſquiri poterit ab iis, qui in quæſtionibus ipſius quæſt. 39. legunt, poſſe virum aut fęminam quamcumque anteceſſorem agere & cœnam diſtribuere, in domo aliquâ, ſi extra eccleſiæ cœtum (ubi tuto haberi non poteſt) domeſtici, aut pauculi aliqui Chriſtiani ibi conveniant. Nec prætereundi ſunt illi reformatæ doctrinæ, eccleſię, diſciplinæ novelli adverſarii, qui autoritatem ſeu poteſtatem miniſterialem muneri illi convenientem, denegant miniſtris : quaſi munus aut officium alicui impoſitum eſſet, ſine poteſtate e. gr. munus ſeu officium ſecretarii, advocati, quęſtoris, centurionis, conſulis, ſcabini, aulæ œconomi, cancellarii, &c. ſine propriâ & conveniente cuique poteſtate. Sed hæc aliaque κρυπτὰ τῆς αἰσχύνης, ubi garriendo, temere effutiendo, & chartas conſcribillando, ſe magis prodiderint δυσπίστοφοι & quaſi in tabellis compendioſe exhibita fuerint, ſpontè corruent: ſiquidem hæreticos & phanaticos detegere eſt refutare.

V. Qui præter jam recenſitos ordinarium miniſterium eccleſiaſticum palam aut clam faſtidiunt, ſunt Libertini aut *Semi-Libertini practici*, quibus ob rationes non viſum eſt ſine publicæ religionis profeſſione & eccleſiæ communione tanquam ſolitariis, independentibus, ſoliipſis in hoc mundo vivere : revera tamen ſunt independentes à paſtore aut paſtoribus, ἰδιογνώμονες, δυσπίστοφοι, animalia gloriæ, mancipia avaritiæ; & ut omnis generis φορτικοὺς atque ἀτόπους cum Apoſtolo 2 Tim. 3. complectar, ſunt φίλαυτοι, φιλάργυροι, ἀλαζόνες, ὑπερήφανοι, βλάσφημοι, γονεῦσιν ἀπειθεῖς, ἀχάριστοι,

ἀνό

ἀνόσιοι, ἄστοργοι, ἄσπονδοι, διάβολοι, ἀκρατεῖς, ἀνήμεροι, ἀφιλάγαθοι, προδόται, προπετεῖς, τετυφωμένοι, φιλήδονοι μᾶλλον ἢ φιλόθεοι. Quibus adde elogium Tit. 1. v. 12. Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί. Et Iſraëlitarum Mich. 7. v. 1.-4. *Optimus eorum ſimilis eſt ſpinæ.* &c. & cap. 2. v. 11. *Si vir ventoſus & falſus mentiatur, ſtillabo pro vino, aut pro potu inebriante, is ſtillator eſt populi hujus.* Et hi quidem inter domeſticos fidei numerari volunt. Quales ſucceſſu temporis occaſione prægnante, aut apertè contendunt cum miniſtris ſuis, aut occultas ipſis inſidias ſtruunt, aut quæſitis calumniis famæ ipſorum detrahunt, aut, ſi potentia adſit, violenter eos pellunt (uti hoc *Athanaſio, Chryſoſtomo, Hilario,* &c. evenit) aut quocumque alio modo vexant & perſequuntur. Vide mihi *Jeremiam cap.* 20. *Micham* 1. *Reg.* 22. Zachariam filium Jojadæ 2 *Paralipom.* 24. *v.* 21. Has quinque hominum claſſes, cum Judæis, aliiſque infidelibus, & cum Pontificiis, Socinianis, Remonſtrantibus, ſi connumeres, facile ſupputari poterit, quam pauci reſtent miniſtrophili. Deus det ne ὀλιγωρία miniſtrorum aliquando ad hoc faſtigium perveniat, ut ea pro notâ viri ſapientis, aut ſtrenui ſive apud τοὺς πολλοὺς, ſive apud dictos ſapientes, & ſtrenuos habeatur. Si tale quid alicubi evenerit, aut eventurum ſit: ne cogitemus aliquid peregrini evenire: juxta 1 *Cor.* 4. *v.* 9.-16. cum 2 *Corinth.* 4. *v.* 1.-12. Et Math. 10. v. 16. *Ecce ego mitto vos, ut oves, in medium luporum & v.* 22. *Et eritis exoſi omnibus propter nomen meum.*

VI. Omnes modo recenſitos, præceſſerunt olim inter antiquos hæreticos Severus, Montanus, Donatiſtæ, qui peculiaribus revelationibus & enthuſiaſmis inſiſtebant; & Pepuziani, qui promiſcuè omnibus, etiam fæminis, concionari permittebant. De omnibus illis videndus *Auguſtinus de hæreſibus.*

CAP. II.

Reſpondetur objectionibus contra miniſterii neceſſitatem.

RAtiones quæ contra miniſterii neceſſitatem adferuntur, ſunt. §. 1.

1. *Object.* Ex *Ezech.* 34. *v.* 12.-17. Ubi Deus promittit, ſe quæſiturum gregem ſuum, ut paſcat eos. Joh. 10. v. 11. *Ego ſum Paſtor bonus.* Math. 28. v. 19. *Ego vobiſcum ſum,* &c. *Reſp.* Deus in Chriſto mediatore eſt ἀρχιποίμην 1 *Petr.* 5. *v.* 4. qui immediatè & internè ſolus paſcit ſpiritu & gratiâ ſuâ: non tamen ſine verbo externo, ejuſque miniſterio, tanquam inſtrumento morali: quibus paulo ante dixerat *paſcite gregem,* &c. Principalis cauſa non tollit inſtrumentalem, quas ſcriptura con-

Digitized by Google

conjunctas teſtatur. 1 Corinth. 3. v. 6. *Ego plantavi, apollos rigavit, Deus dedit creſcendi vim.* Et 1 Corinth. 1. v. 21. *Libuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſervare credentes.* Actor. 16. v. 14. *cujus dominus adaperuit cor, ut attenderet iis, quæ dicebantur à Paulò.* Vide *Epheſ.* 4. *v.* 10. - 14. Nobis ergo non ſunt ſeparanda αἴτιον & συναίτιον, quę Deus in converſione hominum conjuncta eſſe voluit, & nos docuit. Quin per retorſionem ſolius argumenti ex *Math.* 28. *v.* 19. cauſa noſtra ſolidè probari poteſt, ſi uſque ad conſummationem ſæculi omnibus diebus futurus eſt cum Apoſtolis (non ſolis iſtis perſonaliter, ſed iiſdem in ſucceſſoribus eorum), ergo perpetuo erunt, & debent eſſe Apoſtoli & miſſi; qui prædicent Euangelium & adminiſtrent ſacramenta.

II. *Object.* Si Chriſtus poſt aſcenſionem eccleſiam ſpiritu ſuo regit, & in omnem veritatem ducit: ergo non indiget miniſtris. Sed verum prius Ergo. Hoc argumentum habet *Zwenckfeldius* in libello, de abuſu Euangelii, & in *epiſt.* 47. *Reſp.* Conſequentia negatur. Regere eccleſiam & ducere in veritatem per ſpiritum ſanctum, non eſt ἀσύστατον, cum verbo, ejuſque miniſterio. Per utrumque hoc fieri docet ſcriptura, quamvis diſtincta ſit cauſalitas phyſica (ita loquar) ſpir ſ. tanquam cauſæ principalis; à cauſalitate morali verbi & miniſtri, tanquam συναιτίων & inſtrumentorum. Ideo etiam verbo & miniſtris effectus converſionis & fidei tribuitur. 1 Corinth. 3. v. 5. *Quis igitur eſt Paulus, quis autem Apollos, niſi miniſtri, per quos credidiſtis?* & v. 9. *Etenim Dei ſumus adminiſtri: Dei arvum, Dei ædificium eſtis.* 2 Corinth. 6. v. 1. *Sed ut operam noſtram commodandantes (συνεργοῦντες) hortamur, ne fruſtra gratiam Dei receperitis.* 1 Cor. 4. v. 15. *Nam in Chriſto Jeſu per Euangelium ego vos genui.* Galat. 4. v. 19. *Filioli mei, quos iterum parturio, uſque quò formetur Chriſtus in vobis* Rom. 1. v. 11. *ut aliquod impertiar vobis donum ſpirituale, ut vos ſtabiliamini.*

III. *Object.* Quomodo Abraham pater credentium converſus eſt ad Deum, eodem modo credentes omnes converti debent. Atqui ille non fuit converſus per paſtores & miniſtros. *Reſp.* Major eſt falſa, ſi peculiaris ille modus per viſionem, extraordinariam revelationem, & oraculum immediatum intelligatur. Quia ordinarium medium verbi; & miniſterii Deus ordinavit, per quod homines doceantur & convertantur, ex locis *Rom.* 10. 1 *Cor.* 1. *v.* 21. *Epheſ.* 4. *v.* 11. 12. Et quamvis Deus circa converſionem Pauli aliquid extraordinariò & immediatè operatus eſſet, miſit tamen Ananiam, cujus miniſterio Paulus confirmaretur in gratiâ *Actor.* 9. *v.* 10. - 19. Quamvis etiam Cornelio locutus eſſet per angelicam apparitionem, noluit tamen veritatem, de adventu Meſſiæ jam præterito, illi revelare per angelum, ſed per miniſterium hominis, Petri ſcil. *Actor.* 10. *v.* 5.

Digitized by Google

v. 5. 6. Et Chriſtus exſertè utrumque poſt aſcenſionem ſuam fore conjunctum, promittit Johan. 15. 26. 27. *Spiritus ille veritatis, qui à patre emanat, ille teſtabitur de me. Sed & vos teſtabimini.*

IV. *Object.* Ex Luc. 17. v. 20. 21. *regnum Dei non venit cum obſervatione:* Ergo eſt ſine externo miniſterio. *Reſp.* Conſequentia eſt inconſequens. Senſus eſt, non venturum cum externa pompâ, potentiâ, gloriâ, inſtar regni mundani, quale illi ſomniabant: ſed fore regnum ſpirituale, quod à mundo obſervari non poſſet, quamvis eſſet inter ipſos regnum Meſſiæ jam inchoatum. Sed mundus, & quæſitores illi, audito regno, longe aliud quid imaginabantur. Locum hunc pluribus explicuit *Joh. Crocius contra Weigelium cap. 1. qu. 1. ſect. 2.*

V. *Object.* ex 2 Corinth. 3. v. 6. *miniſtri novi pacti, non literæ, ſed ſpiritus*, &c. *Reſp.* Iſte eſt *Zwinckfeldii*, aliorumque libertinorum, & cum Libertinis ſymbolizantium Pontificiorum Achilles. Eum à noſtris ſæpius profligatum videre licet in controverſiis de ſcripturâ c. Pontificios; & à *Calvino contra Libertinos cap. 9. Marnixio montis Sanct-Aldegondii* domino in ſcripto vernaculo *c. Enthuſiaſt. p. 3. c. 2.* Poſt omnes, omnium ſententiis excuſſis & collatis fusè & eruditè hujus loci explicationem vindicavit *D. Math. Nethenus*, collega noſter conjunctiſſimus. Non inhærebo ergo loci explicationi; ſed argumentum ſolummodo per retorſionem ipſis obvertam. Si ſunt *miniſtri novi pacti miniſtri ſpiritus*, ergo ſunt miniſtri ad hoc opus peculiariter ſeparati & vocati, quidquid per ſpiritum hic intelligendum ſit. Sufficit nobis diſtingui miniſtrum à ſpiritu, cujus eſt miniſter. Conſequenter non ſolum ſpiritum agnoſcendum, affectandum, recipiendum; ſed etiam miniſtrum. Idem ibid. v. 3. dixerat: *dum manifeſtum ſit vos eſſe epiſtolam Chriſti ſubminiſtratam à nobis, inſcriptam non atramento, ſed ſpiritu Dei vivi.* Ecce hic epiſtolam Chriſti in tabulis cordis ſpiritu Dei vivi inſcriptam; Et præter ac juxta eam, miniſterium Apoſtoli. Quod ad miniſterium Euangelii, illud objectivè & organicè dicitur *potentia Dei ad ſalutem* Rom. 1. v. 16. & *brachium domini* Jeſ. 53. v. 1.

Inſtantia 1. Euangelium non ſcripturam vel prædicationem, ſed eſſentiale Euangelium, hoc eſt, ipſum Chriſtum in corda noſtra ſe infundentem, ſignificat. *Reſp.* Oſtendant vocem *Euangelii* alicubi in ſcripturâ ſignificare Chriſtum. Quod cum nunquam facturi ſint, nos ex abundanti probamus, Euangelium à Chriſto diſtingui, tanquam actum ab objecto, ſignum à ſignato, continens à contento; & miniſterium Pauli diſtingui ab utroque, ut etiam à fide, quâ Euangelium recipitur. Vide ergo iſta quatuor, Chriſtum, Euangelium Dei, miniſterium Pauli, fidem, *Rom. 1. v. 1.-6.*

Digitized by Google

Inſtantia 2. Verbum Dei non eſt aliquid corporale, ſed ſpirituale quia quidquid in Deo eſt, ſpirituale eſt. Sed prædicatio verbi eſt corporis, ſeu corporale. Ergo Dei verbum propriè dici nequit. *Reſp.* Falſo aut ambiguè dicitur, verbum Dei eſſe in Deo. Si per λόγον intelligis filium Dei, ille apud Deum eſt, in Deo eſt, in patre eſt, in ſinu patris *Joh.* 1. *v.* 1. 18. & 17. *v.* 21. Sin per verbum Dei intelligis doctrinam ſalutarem à Deo variis modis revelatam *Hebr.* 1. *v.* 1. & externè vivâ voce hominum pronuntiatam, aut ſcriptam; ea eſt corporeum quid, ſicuti omnes aliæ voces hominum pronuntiatæ aut ſcriptæ. Et tale verbum, talis doctrina, propriè eſt à Deo tanquam ejus effectus, non in Deo *formaliter*; ſed *eminenter* ſeu *virtualiter*: ſicuti omnes aliæ creaturæ corporeæ, cum qualitatibus & actionibus ſuis, Actor. 17. *In ipſo vivimus, movemur, & ſumus.* Quidquid autem in Deo *formaliter* eſſe concipitur, Deus eſt: Atqui verbum per Moſen, Prophetas, Apoſtolos pronunciatum aut ſcriptum, non eſt æternus Deus, ſed effectum atque opus oris & manuum humanarum, & quidem temporale ac corporale. Ad tale autem verbum corporale, in tempore à filio Dei λόγῳ ſubſtantiali in humanâ naturâ, & ab hominibus θεοπνεύστοις pronuntiatum aut ſcriptum Deus nos amandat, per quod electos convertit, in fide conſervat, ad actus fidei & caritatis excitat Luc. 16. v. 29. *habent Moſen & prophetas*, &c. 1. Petr. 1. v 22. 23. 25. *qui animas veſtras purificaſtis, auſcultando veritati per ſpiritum*, &c. *regeniti*, &c. *per ſermonem Dei vivi*, &c. *hoc autem eſt verbum illud quod Euangelizatum eſt vobis.*

Inſtantia. 3. *Soni illi ſunt pro externo homine, nec faciunt aliquid ad animum inſtituendum* *Reſp.* Si per externum hominem intelligitur totus homo ſeu compoſitum humanum (uti hac phraſi in ſcripturis ſic denotatur, 2 *Corinth* 4. *v.* 16), abſque ſpiritus & gratiæ ſalutaris operatione; fatemur hominem, qui reſpectu rerum ſpiritualium eſt merę tenebrę *Epheſ.* 5. *v.* 8. verbum illud ſalutariter nec audire, nec per illud inſtitui poſſe. Sin vero intelligitur homo ſpiritualis ex ſpiritu genitus *Joh.* 3. *v.* 6. 1 *Corinth.* 2. *v.* 15. dicimus verbum auditum facere ad animum internè & ſpiritualiter inſtituendum tanquam inſtrumentum morale, quo utitur ſpiritus *ſanctus ut compingat nos ad omne opus bonum*, &c. Hebr. 13. v. 21. *obedite ductoribus veſtris*, &c. v. 16. *obſervemus alii alios, ut nos acuamus ad charitatem & bona opera: non deſerentes aggregationem noſtri mutuam*, &c. Hic utraque conjunguntur verbum in eccleſiâ per miniſtros prædicatum & applicatum, & Deus pacis qui compingit nos, &c. & efficit in nobis quod gratum eſt. Ut verbo dicam, ſcripturæ cum diſcuntur, *poſſunt* nos *ſapientes reddere ad ſalutem*, &c. & *hominem Dei ad omne opus bonum perfectè*

Digitized by Google

perfectè inſtruere, 2 Timoth. 3. v. 15. 17. Quod directe repugnat hypotheſi Zwènckfeldii. Addo in vocibus pronuntiatis eſſe quid *materiale*, ſonum ſcil. animalis ſeu hominis, & *quid formale*, ſignificationem, ſcil., ſeu quod ſit ſignum σημαντικὸν ex inſtituto, repreſentans animi conceptus, qui conceptus repræſentant res. Craſsè ergo philoſophantur Enthuſiaſtæ, qui voces pronuntiatas aut ſcriptas contemtim appellant ſonos corporales, corporis aures ſolummodo verberantes, qui nihil faciant ad animum inſtruendum. Cur ergo loquuntur famulis ſuis, cur liberis ſuis, ut aliquid illis mandent, & iſtos in linguis, artibus, moribus inſtituant? an tantum ferunt ſermones illos, tanquam ſonos pro externo homine, nec aliquid facientes ad animum inſtituendum? Non arbitror eos hoc conceſſuros? Saltem ſcripturam facere ad animum hominis in fide inſtituendum diſcimus ex Johan. 20. v. 31. *Hæc autem ſcripta ſunt ut credatis*, &c. *ut credentes vitam habeatis*, &c.

Inſtantia 4. Seu exceptio adverſus loca à nobis allegata; Aliud eſt miniſterium apoſtolicum, & aliud aliorum miniſtrorum. In illorum miniſterio efficaciam verbi conſpicuam fuiſſe conceditur: ſed hodie in miniſtris talem conſpici negatur. Sic *Zwenckfeld in lib. de miniſterio novi Teſtamenti. Reſp.* 1. Magis & minus ſpeciem non variant; multo minus per τὸ magis efficax tollitur aut negatur τὸ minus efficax. Magis efficax extenſivè in plantandis eccleſiis, in docendis hominibus fuit miniſterium Pauli, quam alterius cujuſcunque apoſtoli. 2 *Corinth.* 15. *v.* 10. Sed inde non ſequitur, miniſterii illorum nullam fuiſſe efficaciam. Contrarium aſſeritur *Galat.* 2. *v.* 8. De hodiernis miniſtris negari non poteſt, quin aliquos per verbi prædicationem ad fidem & reſipiſcentiam adduxerint & adducant, juxta promiſſionem Jeſ. 55. v. 11. *Sic erit verbum meum*, &c. *non revertetur ad me vacuum*, &c. Et promiſſionem extendendam ad noſtra tempora, evincitur ex perpetuitate eccleſiæ *Luc.* 1. *v.* 33. & aſſiſtentiæ ſpiritus Chriſti, *Et vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi, Amen.* Math. 28. Eadem enim arma, idem verbum habent miniſtri, quod apoſtoli prædicârunt 1 *Petr.* 1. *v.* 25. & 2. *Petr.* 1. *v.* 19. 2 *Timot.* 3. *v.* 15. Atqui arma illa ſunt ſpiritualia & potentia 2 *Corinth.* 10. *v.* 3. *Reſp.* 2. Dato non conceſſo, nullam aut fere nullam efficaciam eſſe, nullum effectum converſionis in hominibus; an inde inferri poteſt miniſterium & munus à Deo inſtitutum nullum eſſe, aut eſſe debere,

Non eſt in medico ſemper relevetur ut æger,

Præſertim cum peſtis graſſatur: ergo nulli debent eſſe medici, ergo medicina nulla eſt, nulla cura ſanitatis. Regis aut imperatoris aut ducis alicujus militaris nulla aut exigua eſt efficacia ſubditis in officio continendis,

dis, in hoſtibus debellandis, ergo nullum eſt aut eſſe debet munus regium, aut ducale, &c. Abſurdè.

VI. *Object.* Ex *Galat.* 4. *v.* 3. cum 5. *v.* 4. *Col.* 2. *v.* 17. *Reſp.* Verbum Dei, ejuſque prædicationem & miniſterium non eſſe egena elementa, nec umbras (de quibus Paulus loc. cit.) ſub N. T. per Chriſti mortem abrogatas, & minime ſervandas: ſed eſſe brachium domini, potentiam Dei ad ſalutem, verbum Dei manens in æternum, ſervandum uſque ad conſummationem ſeculi ex textibus cit. *Jeſ.* 53. *Rom.* 1. 1 *Petr.* 1. *Math.* 28. colligitur. Eſſe ordinem à Deo inſtitutum, quem omnes agnoſcere, & cui obedire ac ſe ſubjicere tenentur 1 *Theſſ.* 5. *v.* 12. *Hebr.* 13. *v.* 17. 2 *Petr.* 1. *v.* 19.

VII. *Object.* Miniſtri hodierni non poſſunt gloriari de ſublimi miſſione apoſtolicâ, nec etiam pro apoſtolis haberi volunt. *Reſp.* Ergo dices nullum hodie eſt miniſterium? Egregia conſequentia. Tantundem valet ac ſi dicas, Timotheus & Titus non erant apoſtoli: ergo non erant Euangeliſtæ. Presbyteri in Cretâ & alibi (*Tit.* 1. *v.* 5. *Actor.* 14. *v.* 23.) non erant apoſtoli aut Euangeliſtæ; ergo non erant presbyteri. Hodierni miniſtri non ſunt prophetæ, quales Moſes, Jeſaias, Jeremias, &c. ergo non ſunt miniſtri. Sunt Paſtores & doctores, quamvis non ſint prophetæ, aut apoſtoli, aut Evangeliſtæ. Paſtores tamen, quamvis non ſint in N. T. apoſtoli, inſtituti ſunt, ad ædificationem corporis Chriſti, ut paſcant gregem, ut bene præſint, ut doceant, ut exhortentur, ut contradicentes convincant *Epheſ.* 4. 1 *Petr.* 5. *v.* 2. 3. 1 *Timoth.* 5. *v.* 17. *Rom.* 12. *v.* 7. 8. *Tit.* 1. *v.* 5. 9. Et omnes fideles, eoſdem ut tales agnoſcere & honorare debent, iiſque obedire & ſe ſubjicere 1 *Theſſal.* 5. 12. *Hebr.* 13. *v.* 17.

VIII. *Object.* Fides eſt quid ſpirituale & cœleſte, ergo non poteſt per externam & corporalem verbi auditionem promoveri. Et huc allegatur à *Zwinckfeldio Luc.* 17. *v.* 20. 21. *Reſp.* Contrarium docemur locis ſupra cit. *Rom.* 10. 1 *Cor.* 1. & 3. *Johann* 20. Quod ad locum *Luc.* 17. eum ſupra explicuimus. Quid ſi Zwenckfeldianis ſimile argumentum proponamus, fides Zwenckfeldica eſt ſpirituale & cœleſte quid, ſecundum ipſos: ergo non poteſt per externos & corporeos libros (quales *Zwenckfeldius* complures ſcripſit) promoveri.

IX. *Object.* Ex loco *Johann.* 8. *v.* 47. Qui ex Deo eſt, verbum Dei audit. Debet ergo ex Deo eſſe, h. e. fidem habere antequam verbum Dei audiat: conſequenter fides non eſt ex auditu. *Reſp.* Audire ſi notet ſalutariter intelligere, & fide recipere verbum Dei: concedimus, debere quem ſpiritum regenerationis & fidei habere, antequam actu ſalutariter verbum audiat & fide recipiat. Sed inde non ſequitur ſpiritum fidei & converſionis

Digitized by Google

ſionis dari, imprimi, & implantari alicui abſque abhibito verbo tanquam inſtrumento divinitus ad id ordinato. Sed de quæſtione hac an verbum à non regenito ſalutariter audiatur, alibi agendum eſt.

x. *Object.* Si fides eſſet ex verbi prædicatione, ſequeretur, fidem & verbum Dei alligatum eſſe rebus externis, Sed hoc abſurdum. Ergo. *Reſp.* Neg. conſequentia, de Deo & verbo Dei, quod ideo alligatum eſſet verbum Dei, quia utitur mediis & miniſterio hominum concionatorum ſcil., ludimagiſtrorum, Magiſtratuum ad illius conſervationem, lectionem, interpretationem, applicationem. Deus non eſt alligatus cauſis ſecundis, quamvis ordinaria & mediata ipſius providentia utatur cauſis ſecundis. *Deinde* negamus, abſurdum eſſe, ſi fides alligata diceretur miniſterio & prædicationi; quouſque ſcil. Deus eam alligavit miniſterio tanquam medio & auxilio ordinario à ſe conſtituto. Et hoc probant loca hactenus citata, inter ea. *Rom.* 10. *v.* 17. & 1 *Cor.* 1. *v.* 21. *Libuit Deo per*, &c.

xi. *Object.* Habemus unum mediatorem 1 *Timoth.* 2. & uno opus eſt *Luc.* 10. *v.* 42. Ergo non indigemus aliis mediis. *Reſp.*, ineptiſſimum, & verè ſtramineum argumentum. Si concluſiſſet, ergo non indigemus aliis mediatoribus: rectè concluſiſſet. Jam vero opus eſſe mediis externis, eccleſiæ inſtitutæ communione, ſcholis & præceptoribus, miniſterio verbi, & ſacramentorum, cum diſciplinâ; & extra eccleſiam mediis œconomicis ad victum & amictum, Magiſtratus regimine, ac protectione: uti probatur ſuo loco de ſingulis. Et talium mediorum uſus ac neceſſitas ſpecialiter erit & manebit ſub N. T. *donec Deus ſit omnia in omnibus* 1 Cor. 15. v. 28. *& Chriſtus tradiderit regnum Deo ac patri: quum ut inane ſuſtulerit omne imperium, & omnem autoritatem & poteſtatem.* Ibid. v. 24. Retorquemus argumentum & ad hominem contra Zwenckfeldium concludimus: Si unus ſufficit mediator: Ergo non indigemus aliis mediis; libris ſcil. & epiſtolis Zwenckfeldii, aliorumque Libertinorum non exiguo numero conſcriptis.

Atque hæc Zwenckfeldica. Franckus præter ea, quæ cum Zwenckfeldicis §. 2. communia habet, objicit *Johann.* 6 *v.* 45. *Et erunt omnes docti à Deo.* Idem objicit *Weigelius. Reſp.* Sed cauſa prima ejuſque actio, non excludit media externa ſeu cauſas ſecundas, earumque actiones. Deus ergo docet, & docent illi qui à Deo ad id conſtituti ſunt, *μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη*, &c. *docentes eos ſervare* Math. 28. v. 19. 20. Et ab iis diſcunt fideles *Phil* 4. *v.* 9. 2 *Timoth.* 3. *v.* 14. Hypotheſes iſtæ Enthuſiaſtarum nituntur pſeudo-axiomate, de ſolius cauſæ primæ cauſalitate, quæ ſcil. agat ad præſentiam cujuſque creaturæ, ita ut ignis non urat, canis non latret, equus non hinniat, nec currat quatuor pedibus, ſerpens non reptet, non ſibilet, &c.

Digitized by Google

ſed omnia iſta agat (abſit blaſphemia,) Deus, tanquam unicus ſolus motor, non primus. Cui ſtultæ & impoſſibili opinioni (quam refutat *Thomas* 1. *q.* 105. *art.* 5. & *lib.* 3. *c. Gentes c.* 69.) *Weigelius* aliam non minus ſtultam ſuperinducit, Quod Deus ſit eſſentia creaturarum, & materia prima. Scriptura & recta ratio docet, *Deum adminiſtrare omnia quæ creavit, ut etiam ipſa proprios exercere & agere motus ſinat* Auguſtin. lib. 7. de civit. Dei c. 10. Sed de hoc alibi. Nunc abrumpendum.

§. 3. Enthuſiaſtarum & Libertinorum objectionibus profligatis; cadunt quæ à novis quibuſdam Socinizantibus Anabaptiſtis, aliiſque ſolis ipſis ſive neutralibus ſive Scepticis contra miniſterium ſub N. T. afferri ſolent. Quod ad ſummam rei nihil novi adferunt, quod à Libertinis antea dictum non ſit, ſive κατὰ τὸ ῥητὸν ſive κατὰ τὴν διάνοιαν: quia tamen novâ methodo novâ veſte, novo colore ſua in proſcenium protrudunt, quo primitatis & novitatis gloriolam apud indoctos & inſtabiles captent, tribus verbis præcipua hic perſtringemus.

1. *Object.* Nullum eſt, nullum debet eſſe miniſterium, nulli miniſtri verbi, niſi ſint infallibiles. Atqui tales nunc non ſunt; nec fuerunt ſub N. T. præter apoſtolos. Ratio conſequentiæ majoris eſt, quia verbum Dei infallibile tanquam miniſtri & Doctores non prædicant, nec prædicare poſſunt, qui ipſi non ſunt infallibiles. *Reſp.* Coincidit ferè cum ſextâ objectione, quam ſupra ex Zwenckfeldio collectam refutavimus. Nos negamus majorem, ejuſque conſequentiam: quam rationarii illi nullo ſcripturæ teſtimonio, nullâ ratione theologicâ, ne quidem ullo argumento ex lumine naturali & rectâ ratione deprompto probare poterunt. Et hic ſubſiſtere poſſemus, juxta regulam: *Actore non probante abſolvitur reus.* Sed ex abundanti reponimus ex ſcripturâ; Deum inſtituiſſe & ordinaſſe ordinarios & perpetuos verbi miniſtros abſque dono infallibilitatis tam ſub V. quam ſub N. T. uſque ad finem mundi. Vide *Deuter.* 17. *v.* 8. *Malach.* 2. *v.* 7. *Pſal.* 132. 16. 1. *Paral.* 24. *Math.* 23. *v.* 3. 1 *Cor.* 12. *v.* 28. 29. 1 *Timoth.* 3. *Tit.* 1. *Hebr.* 13. *v.* 17. qui omnes ab Apoſtolis & Prophetis extraordinario infallibilitatis dono præditis diſtinguuntur, & quorum errores, hæreſes, apoſtaſiæ in ſcripturâ paſſim notantur; quorumque fallibilitatem adverſarii non negant. *Deinde* reponimus, ex naturali & rectæ rationis lumine, A poſſe ad eſſe, non valere conſequentiam. Omnes homines poſſunt falli, & fallere: ergo nemo eorum unquam apprehendit, dicit, defendit veritatem infallibilem objectivè ſic dictam. Omnes homines circa quævis dubitare poſſunt: Ergo nemo unquam de ullâ re certus eſt, aut eſſe poteſt. Jam applica iſtam ſtolidiſſimam conſequentiam; ad quævis divina & humana, ad quævis theoretica, practica, pojetica, & vide quam procul abfuturus

futurus

futurus ſis à phanatiſmo Sceptico aut Pyrrhonio, cujus hoc principium: *quod nihil ſcitur.* Ergo nulli medici, nulli Jureconſulti, nulli actuarii publici, nulli teſtes in judicio aut extra judicium, nulli judices, nulli doctores in ſcholis poſthac magis conſtituendi aut tolerandi erunt, magis, quam miniſtri verbi; quia nulli eorum ſunt aut eſſe poſſunt infallibiles, ἀναμάρτητοι; niſi quis forte in novo aliquo Parnaſſo ſomnians ἀναμαρτησίαν per uſum ſui liberi arbitrii nactus eſſet. *Denique* repono illis dicta & dictata propria, eccleſias conniventiæ, aut tolerantiæ & intra aut extra eas, dictos prophetas, & collegia prophetantium, eorundemque nudas & ſimplices lectiones & auditiones textuum ſcripturæ, libellorum ſcriptiones. Hic ſe extra non quærant: quomodo enim dicent ſe habere & portare in perâ aut ſub axillis *infallibile Dei verbum*, & quidem linguâ originali, illudque in cœtu prophetantium legere, & ex originalibus idiotæ cuicunque auditori interpretari? cum & librarii, qui biblia poſt tempora Apoſtolorum ſcripſerunt ſive Judæi, ſive hæretici, ſive Chriſtiani orthodoxi, & bibliothecarii, qui exemplaria cuſtodierunt, & typographi qui poſt inventam typographiam libros excuderunt, & lectores prophetæque in collegio prophetantium, cum Pythagoris ſuis, & omnes ac ſinguli auditores, libellorum ſcriptores, non magis ſint infallibiles; quam miniſtri ſub N. T. Ergone in rerum naturâ nullum poſt Apoſtolos fuit, eſt, erit genuinum & infallibile Dei verbum, nulla ejus lectio, prædicatio audienda? Nihil ergo reſtabit miſeris mortalibus, quam præcipitium Enthuſiaſmi, aut Scepticiſmi, aut Epicureo-Atheiſmi? In primum ſtupidos quoſdam idiotas, in ſecundum aut tertium non paucos ex ſemi-literatis & ex viris de hoc ſæculo paſſim ruere videmus; protrudentibus eos profanis ejuſmodi diſceptationibus. Deus per miſericordiam ſuam eos convertat, & veritatis hoſtes reſipiſcere neſcios confundat, noſque in veritate magis magiſque confirmet!

11. *Object.* Nullum debet eſſe miniſterium, nulli haberi miniſtri verbi ſub N. T. niſi qui verè poſſint dicere ſe legatos Dei eſſe & nomine Dei prædicare: Atqui nulli fallibiles miniſtri hoc verè dicere poſſunt. *Reſp.* Qui legitime vocati ſunt ad verbum nomine Dei prædicandum, & qui convenienter muneri ac vocationi ſuæ hoc agunt, verè etiam hoc dicere poſſunt: quamvis enim ſint fallibiles, quod ad exercitium miniſterii ſui, non tamen actu falluntur aut fallunt, cum veritatem nomine Dei prædicant. Reges, principes, magiſtratus, judices, Doctores in ſcholis, conſiliarii, medici practici, advocati, actuarii publici, legati principum & Rerumpublicarum omnes falli poſſunt & fallere: quis tamen dicet ſingulos ſemper actu falli & fallere, & nunquam poſſe eos dicere aut agere nomine, & autoritate eorum, à quibus illud ipſis collatum aut impoſitum eſt? Dicant

cant ſapientes illi regibus & principibus, ipſos non habendos pro veris principibus, nec principes & principatus eſſe neceſſarios, nec verum eſſe, quod gubernent nomine Dei & tanquam ejus miniſtri (*Proverb.* 8. *Rom.* 13.): quia poſſent in exercitio ejus abuti ſuâ poteſtate, & degenerare in tyrannos *Pſal.* 82.; Et exſpectent, ſi audiant, reſponſum phanatiſmo ſuo dignum. Sed pluribus inſanias illas non perſequar. Nituntur eæ ſomnio de Eccleſiâ N. T. poſt tempora Apoſtolorum uſque in hunc diem apoſtaticâ: quod ex profeſſo refutatum vide in *D. Hoornbeeck ſumma controverſiarum lib.* 6. *pag.* 473.-562.

CAP. III.

De miniſterii eccleſiaſtici difficultate.

§. 1. DIfficultas in agendo vel recipiendo eſt, quando aliquid fit magnâ cum reſiſtentiâ. Ea merito tribuitur miniſterio eccleſiaſtico, imprimis concionatorum. De difficultate miniſterii ſeniorum & diaconum, alibi dicemus, ubi eorum requiſita & officia explicaturi ſumus. Probatur hæc difficultas.

I. Ex 2 Corinth. 2. v. 16. *Sed ad hæc quis idoneus?*

II. Ex dignitate miniſterii, de quâ infra. Fidem facit vulgaris & antiquiſſima gnoma, cujus *Plato in Hippiâ majore*, *Cratylo*, 4. *de Republ.*, & *Plutarchus in lib. de educatione puerorum* meminere, χαλεπὰ τὰ καλά.

III. Ex requiſitis miniſtri, quæ ſunt exemplaris pietatis, quæ coronam virtutum theologicarum & moralium complectitur; ſolidæ eruditionis; promtæ eloquentiæ, zeli & diligentię, in cognitione & pietate propagandâ; perſpicacitatis, εὐστοχίας; prudentiæ in converſatione cum hominibus, in dandis conſiliis, in negotiis expediendis; denique conſtantiæ & patientiæ in curſu per tot obſtacula conſummando. 2 Timoth. 4. v. 5. *At tu vigila in omnibus, tolerans eſto afflictionem, opus perage Euangeliſtæ, miniſterii tui plenam fidem facito.* Vide & expende. 1 *Timoth.* 3. *Tit.* 1. ubi aliqua requiſita enumerantur. Et conferat, cui & quando vacaverit, *Chryſoſtomum de ſacerdotio*, *Nazianzenum in apologiâ pro fugâ*, *Gregorii Magni paſtorale*: unde hoc monitum hic enoto, *paſce verbo*, *paſce exemplo*, *paſce ſubſidio. Paſce verbo prædicationis doctè*, *paſce exemplo converſationis ſanctè*, *paſce ſubſidio caritatis piè.* Recentiorum tractatus, *Hemmingii*, *Toſſani*, *Thom. Halli*, *Oliv. Bowles* de miniſterio dicta requiſita innuunt; & *Danæus in comment. in* 1. *epiſt. ad Timotheum*, *Joh. Crocius in epiſt. ad Titum*, &c. Inter eos, qui vulgaribus linguis ſcripſe-

Digitized by Google

pſerunt: imprimis hoc agit *Wilbelm. Teellingius in eximio tract. tit. Neceſſaria demonſtratio.*

IV. Ex hoſtibus eorumque reſiſtentiis. Stat Satan Joſuæ Pontifici ad dextram *Zachar.* 3. *v.* 1. Jeremias quaſi ſcopus in quem omnium calumniarum, inſectationum, vexationum ſpicula diriguntur *Jerem.* 10. Similiter Paulus 1 *Corinth.* 4. & 2 *Cor.* 4. & 11. Plerumque enim Diabolus, & mundus in malo poſitus, imprimis & falſi fratres ad inſtar regis Syriæ certamen hoc certant, ut ſuis mandent, reliquis tantiſper præteritis, ut pugnent contra regem Iſraëlis ſolum 1 *Reg.* 21. *v.* 31. Hinc eſt quod præter tentationes communes, propriis compluribus ad dextram & ſiniſtram exerceantur.

V. Ex diductione variarum difficultatum 1. in præparatione ad miniſterium 2. in adeptione ejuſdem 3. in exercitio.

I. *In præparatione* difficultates ſe offerunt in ſtudii theologici electione, præ alio quocunque & in ejuſdem longâ ac labriosâ ad metam deductione: cujus fructus, ſiquidem eò aliquando pervenias, non ſint divitiæ, decus, gloria, otium literarium; ſed ut plurimum, paupertas, aut res tenuis, odium mundi, ignominia, contemtus, vexationes, moleſtiæ, aſinini labores, ingratitudo diſcipulorum, invidia commilitonum, juxta illud Heſiodi: καὶ κεραμεὺς κεραμεῖ, &c. inſuper rebus turbatis, carceres, exilia, plagæ, &c. Ipſum ſtudium in curſu Academico, & poſtea in miniſterio difficile eſt: vaſta enim Oceani ſcripturarii ſpatia aſſiduò tranſeunda; & ex hoc, didacticam, elencticam, practicam theologiam hauriendam, augendam, omniaque neceſſaria ſubſidia huc advocanda complectitur. De quo in *Bibliothecâ* noſtrâ theologicâ, & in *diſp. de theologiâ, theologiâ practicâ, philoſophiâ ſacrâ, philologiâ, hiſtoriâ.* Huic perpetua comes eſſe debet ἄσκησις pietatis & ὑψηλὴ vitæ πολιτεία, juvenilium cupiditatum & ſæculi fuga, matura ad humilitatem & gravitatem compoſitio.

II. *In adeptione*, magnæ ſępe difficultates ſe offerunt. Multi apprimè idonei & zelo Dei ferventes ſtant in foro, toto die (hoc eſt triennio, aut quadriennio, aut quinquennio, aut ſexennio, aut ſeptemio, aut octennio, &c.) ut nemo eos conducat; dum alii minus idonei, ſi non omnino ob doctrinæ, aut pietatis, aut prudentiæ ſpiritualis defectum inepti, ambitu & fautoribus (utinam ſemper ſine artibus Simoniacis!) prævalent. Et ſi alicubi ſuffragia eccleſię & presbyterii pro aliquo in promtu eſſe, eundemque legitimè eligi contingat, per ſciſſuras & dividias inter aliquos de eccleſiâ procuratas; aut per brachium ſæculare in eccleſiaſticam libertatem ac poteſtatem immiſſum, aut per Simones ac Judas aliquos huc tractum; aut per ſopitos patronatus, etiam hoſtium, & clericorum Papalium ſuſcitatos, per quę-

 ſitas

ſitas juris ſubtilitatum deſceptationes; per temporis nonnunquam annorum aliquot, extractiones, & quas non artes, ita fatigantur eccleſiæ, claſſes, ſynodi, ut aut obtruſum admittere, aut de tertio cogitare cogantur. Interim præclara ingenia ad optima quęque per Dei ſpiritum ſanctificata repulſam patiuntur: quia miniſterium per ſe aut ſuos artibus Simoniacis rapere, aut paraſiticis emendicare non nôrunt. Hinc fit, ut nonnulli de ſtudio mutando deliberent, & medicinæ, mercaturæ, aut ſimili arti ſe dedant; alii exhauſtâ bonâ peculii parte, tantum non animum deſpondeant.

In exercitio miniſterii, difficultates occurrunt in initio, in progreſſu, in actu ultimo. Initia regiminis eccleſiaſtici ſemper ob *ἀπειρίαν* ſunt aſpera: & longè aſperiora eſſent, ni vires viridis juventæ Deo benedicente ad *εὐθυμίαν* opitularentur. *Progreſſus*, qui in praxi aliquod levamen pollicetur, ſuccreſcentibus de novo pluribus ſtudiis & laboribus, poſt ſe trahit novas difficultates. *Extremus* declinantis ætatis aut ſenectutis labor, qui remiſſionem aliquam poſtularet, nonnunquam pluribus moleſtiis, tanquam fæce, ex divinę providentiæ dolio, perfunditur. Hæc variè in principio, in progreſſu, in fine, pro vario eccleſiæ ſtatu evenire poſſunt & ſolent. Si Eccleſia ſerpentibus erroribus intus concutitur (*Actor.* 20. *Galat.* 3. *v.* 1.) aut foris obſidetur, *πόλεμος ἄσπονδος* gerendus, & ſemper in acie ſtandum: ut oves ab erroribus præſerventur, errantes reducantur, heterodoxi validè convincantur, ſi non paſſivè, ſaltem activè. Quod ſine excitatâ eruditione, ſine multis ſtudiis & vigiliis, ſine inſidiarum, calumniarum, vexationum tolerantiâ fieri nequit. Imprimis amaritudo amariſſimo fortiſſimo cuique veritatis promacho parata eſt, cum brachium ſęculare per fiſtulam dulce canentem (quem ſextum Remonſtrantium articulum appellare ſolemus) ad partes vocatur. Quis autem ſit ille articulus articulorum, & quomodo hoc quaſi Archimedis euchariſtio terra moveri queat, experientia docuit, & teſtantur hiſtorię Remonſtrantiſmi. De dicto articulo, nos ſupra ex profeſſo, *part.* 1. *lib.* 1. *tr.* 2. Si eccleſia corruptis moribus & multitudini ſcandalorum infecta eſt, fide cuique miniſtro certandum eſt legis genuinâ explicatione & practicæ theologiæ, ſeu quęſtionum moralium & caſuum (à quo nomine, nedum ab opere, nonnulli abborrent) deciſione, hortationum, correptionum, cenſurarum & diſciplinæ applicatione. Quam difficile hoc ſit, ex iis quæ de lege & Euangelio in 4. *part. ſelect. diſp.* de correptione fraterna, in *Exercitiis pietatis cap.* 24. de clavibus regni cœlorum antehæc diſſeruimus; & ex hiſtoriis rerum tum alibi tum in Belgio præſertim Ultrajecti & Leidæ ſuperiori ſæculo geſtarum, percipi poteſt. *Vitæ Nazianzeni*, *Chryſoſtomi Calvini*, atque exempla Jeremiæ & Joh. Baptiſtæ, docent quam ſępe mercedem ingrati

Digitized by Google

grati filii & falſi fratres benefactoribus ſuis rependant, παλίγκας ſcil. ἀῖλε εὐσρων. Peculiarem difficultatem experiuntur miniſtri, cum agrum eccleſiæ ſuæ à prædeceſſoribus relictum, aut juxta ſuum inveniunt agrum & agros cum agro viri pigri & vineâ dementis (*Proverb.* 23. *v.* 30. - 34.) comparandos. Hic ſi apponant animum, ſi ſomno, dormitationibus, complicatione manuum poſthabitis, ad zizania exſtirpanda, ad cognitionem & pietatem ſerendam, plantandam ſe accingant, illico catapultæ pilo ſe exponunt, quod Epheſii olim (teſte *Cicer.* 5. *Tuſculan.* & *Strabone lib.* 14.) in Hermodorum emittebant: *Nemo noſtrum melior* (vel frugi ὀνήϊστος, ſic Strabo) *eſto, aut alibi id eſto, & inter alios.* Quam difficile opus ſit reformatio doctrinæ, morum, diſciplinæ, alibi nobis dicendum erit. Interim audi Nazianzenum in vitâ Baſilii: *Reliquis poſtremo Apoſtolis ac diſcipulis Chriſti non inferior dici poterit, verus poſt eos Apoſtolus ad orbem moribus ac fide collapſum reſtituendum miſſus, tanto difficiliorem provinciam adminiſtrans, quanto reficere quam de novo condere difficilius ſæpe numero putatur.*

Nec caret difficultate *conſolatio afflictorum*: reſpectu recipientium opus quidem ſuaviſſimum, gratiſſimum; ſed reſpectu miniſtrorum turbidiſſimum (ita loquar) & afflictiſſimum. Adſunt & conſolationes ſuggerunt, quibuſvis ſub onere clandeſtinæ paupertatis gementibus; infortunio rei familiaris dejectis & pæne ad deſperationem redactis; ob Chriſti nomen extorribus, omni preſidio & auxilio deſtitutis; cruciatu aut dolore intolerabili excarnificatis; cum ultimo hoſte miſerandum in modum luctantibus, morbo incurabili tabeſcentibus, & lento ſed certo gradu ad mortem euntibus; viduis, pupillis, parentibus, aliiſque ob mortem ſuorum lugentibus; abſque culpâ ſuâ infamiam, bonorum ablationem, carceres, exilia, aliaſque injurias ſuſtinentibus; tentationes varias, diaboli injectiones, ejuſdemque externas apparitiones, & plagas, aut poſſeſſiones, corporales, preterea deſertiones ſpirituales, uſque ad crepidinem quaſi deſperationis, omniaque omnipotentis ſpicula excipientibus; denique ob delicta ſua in pædore carcerum detentis, & tandem extremo cujuſcunque generis ſupplicio affectis. Quis vel fortiſſimus & exercitatiſſimus athleta, animo, & per ſympathiam corpore non commoveatur? quis omnibus aliis ob metum hoſtium, ob odia aliorum, ob ſtructas inſidias, ob pericula morbi θείου, aliorumque contagioſorum, ob proximè imminentem rei familiaris jacturam, prætereuntibus aut caſſantibus, Samaritanum (Luc. 10) & Paulum imitari non debet? 2 Corinth. 11. v. 29. *Quis infirmus eſt, quin ego ſim infirmus? quis offendiculo afficitur, quin ego urar?* Prætereo nunc difficultates in progmatiâ eccleſiaſticâ correſpondentiali *tum* in propriis

 ſync-

ſynedriis, Claſſibus, Synodis, *tum* cum vicinis & exteris, ejuſdem aut diverſę confeſſionis; in excogitatione, collatione, ſcriptione conſiliorum, de diſperſis colligendis; de ſciſſis uniendis; de infidelibus & ſectariis convertendis; aut inſultibus atque inſidiis eorum avertendis, præveniendis; de perſecutionis vexâ licitis mediis redimendâ. De quibus omnibus in 3. *part. politic. eccleſiaſt.*, agendum. Sufficit ex inſpecto hoc difficultatum ſceleto, veritatem Apoſtolicæ exclamationis perſpici: *Et quis ad hæc idoneus?*

§. 2. Satis jam querelarum: quæ ne ſint ἄεργοι λόγοι, & βαρυκεφαλίας incitamenta ac fomenta, quæſtiones iſtas ſubjicimus.

I. *Quæſt. An bonum opus miniſterii hoc tempore deſiderandum, & poſcendum ab iis, quibus Deus ingenium, ſublimis diffuſæque diſciplinæ theologicæ, & eloquentiæ ac pragmatiæ eccleſiaſticæ ſtudiis aptum contuliſſe deprehenditur? Reſp.* Aff. Virtus enim in arduo conſiſtit: ſi quis præclari quid amore Chriſti, ad gloriam Dei in corrupto hoc mundo, his temporibus difficilibus, diſcere, capeſſere, gerere cupit, atque unà propriam ſalutem in timore & tremore operari; à ſtudio & miniſterio ſacro ne abhorreat. Bonum nunquam nimium deſideratur, habetur, acquiritur. At vide mihi boni cœleſtis eminentem gradum, veris eccleſiæ Doctoribus promiſſum Daniel. 12. v. 3. *Et intelligentes fulgebunt, ſicut ſplendor firmamenti, & juſtificantes multos ſicut ſtellæ in ſæculum, & in æternum.* Si quæ ergo prærequiſita in te ſint dona, ſi caritas Chriſti te conſtringit & ſtimulat ad peculiare hoc ejuſdem ſervitium, quo inſtar legati & paranymphi, animas illi lucrifacias: ne ea ſupprime, aut in herbâ opprime.

1. *Object.* Jeremias, Nazianzenus, Calvinus, alii refugerunt? *Reſp.* Sed Paulus, quamvis perturbatiſſimo rerum ſtatu non refugit *Actor.* 9. Quod ad Jeremiam, quamvis antea inſtar Moſis ineptitudinem ſuam cauſaretur *Jerem.* 1. *v.* 6. ſuſcepit tamen, uti conſtat ex ſeqq. *cap.* 1. & *cap.* 2. Haut aliter ac Jeſaias *cap.* 6. *v.* 5. conſcius ſuæ, quam confitetur, infirmitatis, nihilominus v. 8. ad vocem, *quem mittam*, &c. reſpondet, *Ecce ego, mitte me.* Quod autem Jeremias cap. 20. v. 8. *Non recordabor ejus, nec ultra loquar in nomine ejus:* Illud ad cogitationes, voces, atque objectiones, tentationes carnis, & puſillanimitatis iſtic hiſtoricè relatas referendum eſt; non ad determinationem, peremtorium reſponſum, ſolutionem, & victoriam fidei. Quomodo nonnulla verba Jeremię, Jobi, Davidis *Pſalm.* 116. & 73. accipienda ſunt: quæ infirmitates candidè ab ipſis relatæ, authentiâ normæ nobis non ſunt autenticæ, ad eas imitandas, & ſimiliter committendas; non magis, quam quæ ſcriptores ſacri Moſes, David, aliique peccata propria aut aliorum ſanctorum verbis aut factis commiſſa,

per

Digitized by Google

per modum confeſſionis coram Deo, aut hiſtoriæ coram hominibus referunt. Quod ad Nazianzenum, excuſari quidem poteſt in tantum, non tamen in totum: ſi rationes in apologiâ adductas conſideres. De Calvino non facile judicare auſim: quod in ſe nondum tunc ſentiret & agnoſceret παῤῥησίαν & δύναμιν ac facultatem ἑρμηνευτικήν. Quamvis enim in concionibus ſuis ſolidam ac profundam ſcripturarum intelligentiam abunde probârit exercitatis, perfectis, eruditis: an tamen rudis plebecula erudito, abbreviato, & cryptico ipſius dicendi genere, nec non actione & voce; ita affecta fuerit, ac Farelli, Vireti, Bezæ, certò pronuntiare nequeo:

II. *Object.* Nimis operoſæ præparationes, & in ipſo miniſterio aſſiduę lectiones, meditationes, obſervationes ad dogmaticæ, elencticæ & practicæ theologiæ, ſcientiarumque ancillantium conſervationem & augmentum requiruntur. *Reſp.* Propterea miniſterium magnoperè expetendum: quod pulcram occaſionem ſuppeditet, aut ſuavem quam neceſſitatem imponat ſemper aliquod pręclari cogitandi, ſcribendi, agendi tuo ac publico bono; ad Dei gloriam. Dum enim miniſter permanet in lectione 1 *Timoth.* 4. *v.* 13. dum attendit ſibi & eccleſię, *Actor.* 20. *v.* 28. & 1 *Timoth.* 4. *v.* 16. inſidioſo otio, & multis peccatorum occaſionibus ſubtrahitur; & conſequenter tanto melius per fidei & virtutum exercitia cum timore & tremore ſalutem ſuam operatur, juxta illud, *Virtus eſt vitium fugere.* Si quis autem falſam libertatem ab aſſiduo ſpiritualis cognitionis & praxios labore affectat, is miniſterium ne deſideret; multo minus illud ſuſcipiat, ne incidat in diaboli, & malæ conſcientiæ cruciatus. Novi alicujus in præparatione ad miniſterium infelicem curſum, in ipſo miniſterio infeliciorem, ſub finem vitæ & in exitu ex eâ infeliciſſimum; qui mihi familiariter dicere ſolet: parentem malè feciſſę, quod ſe promoviſſet ad ſtudium theologicum & miniſterium; quippe quod minimè ingenio ſuo conveniret: ſe enim non eſſe proclivem ad ſtudiorum labores, (Belgicè **tot blocken**), nec poſſe iis ſe dedere. Sic autem miſer ille otii libertatem amans, ad mundanas voluptates prolapſus, & aliquoties relapſus, tandem ex miniſterio ejectus eſt: Quamvis alioquin ingenii felicitate minimè deſtitutus eſſet. Sapientiæ & rerum præclarè gerendarum cupido omne otium maximè negotioſum & moleſtum eſt; juxta illud *Nazianzeni*, quod olim ab eruditiſſ. & laborioſiſſ. quo viro quamplurimis ſcriptis celeberrimo uſurpatum memini: μεγίστη πρᾶξις ἡ ἀπραξία. Qui idem inſignem hanc gnomam alicubi ſcriptis ſuis inſertam reliquit: *Hominis mens cogitando & diſcendo ali debet, ſemperque aliquid aut inquirere, aut agere, aut loqui præclarum, quo ſe teſtetur & natum eſſe & vivere ad inveſtigationem & veri & boni.*

III. *Object.* Nimiam in miniſtris eorumque uxoribus & liberis præciſitatem

ſitatem populus requirit : ita ut multa ipſis illicita ſint, quæ aliis quibuſvis licent ; & omnium obſervationibus & cenſuris perpetuo obnoxii ſint? *Reſp.* Si præciſitatem requirunt verbo Dei preſcriptam (de quâ nos in 3. *parte ſelectar. diſpp.*) & ſponte miniſtris affectandam : tanto magis miniſterium deſiderandum, quippe occaſionem & auxilium talis preciſitatis, hoc eſt, ſtudii inoffenſam conſcientiam habendi apud Deum & homines *Actor.* 24. *v.* 16. & talem ſe preſtandi in omnibus, qualis deſcribitur 1 *Timoth.* 2. *v.* 15. 22. & 4. *v.* 5. *Tit.* 1. *v.* 6.- 10. 1 *Petr.* 5. *v.* 1.- 5. Cum miniſter eo in loco conſtitutus eſt ut civitati in monte ſitæ, & luci mundi, ac ſali terræ comparetur *Math.* 5. ubi magis ſe judicandum ſcit, quam judicaturum : videt ſibi majorem neceſſitatem incumbere, ad ſeipſum attendendi, & in omnibus ſe tanquam exemplar præbendi (1 *Timoth.* 4. *v.* 12.- 16. in ſermone, &c. Sin vero alieni à fide, aut ejuſdem domeſtici præciſitatem aut ſingularitatem requirant, quæ ſuperſtitionem ſaperet, aut in aliquo adiaphororum uſu Chriſtianam libertatem circumſcriberet: de utrâque melius informari debent, & in poſteriori factum aut abſtinentia miniſtri tantiſper lege prudentiæ & caritatis ligari poteſt, juxta 1 *Cor.* 10. *v.* 28. 29. & 1 Corinth. 9. v. 19. 24. *Omnibus factus ſum omnia*, &c. 1 Corinth. 6. v. 12. *Omnia mihi licent, ſed non omnia conferunt : omnia mihi licent, ſed non omnia ædificant.* Iſta ergo nubecula, quam è mari illo quidam orientem aut orituram vident, præclara & Deo devota ingenia à ſanctiſſimo hoc opere abſterrere non debet.

IV. *Object.* Nihil aliud fidis miniſtris, qui nolunt φιλιωπίζειν, ab ingratis domeſticis exſpectandum, quam mala gratia. *Reſp.* Non eſt aptus ad regni Chriſti propagationem, qui ſibi gratiam & mercedem ad hominibus promittit ; & hâc intentione ac conditione epiſcopatum deſiderat. Sufficiat miniſtro, quod Deus ſit illi ; clypeus & merces valde magna *Geneſ.* 15. *v.* 1. quod coronam gloriæ immarceſcibilem adepturus ſit ; 1 *Petr.* 5. *v.* 4. quod fulgebit tanquam ſplendor expanſi, &c. *Daniel,* 12. Cogitet illud Jeſa. 49. v. 4. in perſonâ Chriſti loquentis, *In vacuum laboravi, in vanum & vanè fortitudinem meam conſumſi, veruntamen judicium meum cum Johovâ, & opus meum cum Deo meo.* Lege etiam mercedem hujus ἀρχιποιμένος *Zachar.* 11. *v.* 12. 13. & *Jeremiæ* in prophetiâ ejuſdem *capp.* 18. 20. 26. 37. *Athanaſii* & *Chryſoſtomi* in vitis eorum. In poſteriorem imperatrix, aula, nobiles, epiſcopi, clerici, certatim inſurgebant, quod pietatem & mores caſtigatos tanto zelo urgeret. Memorabile eſt *apopthegma Calvini*, cum à duobus illius anni ſyndicis, & aliis duobus ſenatoribus factionum ducibus (poſtea tamen exemplariter à Deo punitis) ejectio ejus & *Farelli* ac *Coraldi* ex urbe apud populum convocatum procurata, eidem renuntiata eſſet:

Digitized by Google

eſſet: *Certè ſi hominibus ſerviiſſem, malæ mihi merces perſolveretur, ſed bene eſt, quod ei inſervivi qui nunquam non ſervis ſuis rependit, quod ſemel promiſit.* Prætexebatur huic violentiæ & injuſtitiæ, quod teſtati eſſent, ſe cœnam domini civibus tunc inter ſe tam diſcordibus & ab omni diciplinâ eccleſiaſticâ alienis ritè celebrare non poſſe; nec panem communem illic in cœna hactenus uſitatum, in azymum mutare, antequam in *Synodo Tiguri* hanc ob cauſam indictâ miniſtri Genevenſes audirentur. Quamvis autem Calvinus cum ejuſdem ſententię collegis, ad omnium rationem reddendam ſe offeret: majori tamen parte meliorem ſuperante, tres illi intra biduum illinc juſſi excedere.

v. *Object.* Per miniſterium parum conſulitur rei familiari & educationi liberorem: quod reditus paſtorales per manifeſta ſacrilegia, aut occultas artes Achanicas (de quibus Papatus categoriæ & noſtrorum querelæ) imminuti ſint, & ubi conſtituta certa ſtipendia, ea multis in locis tam exigua ſint, nonnunquam difficulter exſolvantur, ut ſi miniſtri hæreditate aliquâ aut dote uxoris non juventur, vix decorè familiam ſuſtentare queant: cum nulla ex officiis eccleſiaſticis emolumenta ipſis obtingant. Non poſſe autem rem familiarem eorum, ut privati alicujus civis aut ruſtici geri, vel inde conſtat, quod in beneficentia, eleemoſynis, hoſpitalitate, aliis prę-ire debeant. 1 *Tim.* 3. *v.* 2. 4. *Tit.* 1. *v.* 8. *Reſp.* Reponimus, miniſtrum quam maxime alienum eſſe debere à cupiditate divitiarum, à φιλαργυρίας & πλεονεξίας. *Tit.* 1. *v.* 7. 1 *Timoth.* 3. *v.* 3. cum 1 *Timoth.* 6. *v.* 9. 11. Inter bona externa, divitiæ ſunt minima. Si res familiaris per ſtipendia non tantum augeri queat, *ſed* contra multum minuenda putatur ab iis, qui propriâ hęreditate & uxoris dote gaudent: tantum expenſarum libenter faciant ex amore Chriſti, (ſi ille ipſos συνέχει) ad promotionem regni ipſius: cętera, fiduciæ in providentiâ Dei paternâ, fortiſque ſuæ αὐταρκείας, laudabilis parſimoniæ, humiliſque frugalitatis antidota his præſagitis incommodis opponant. Pauli exemplum ἀδάπανον inter Corinthios præſtantis Euangelium 1 Cor. 9. v. 18. ſibi proponant. Si nullum ipſis ſit peculium, in cœlibatu conſtituti, facile ſibi proſpiciunt: conjugium ſi mediten-tur, (quod neutiquam illicitum 1 Corinth. 9. v. 5.) videant, ut ſuo tempore piam quam & ſtatui miniſterii maximè convenientem, ſibi quærant uxorem, non tamen aliis qualitatibus deſtitutam, juxta verſiculum quinque uxoris qualitates circumſcribentem:

Sit pia, ſit prudens, pulcra, pudica, potens.

Ita effatum Philoſophi in topicis, & hic locum habebit: *Bonum bono additum facit majus bonum.* Quod ſi nec cœlibatus nec conjugium miniſtri à πενίᾳ ipſum ſervare queat, cogitet illud Apoſtoli Philip. 4. v. 11. - 14.

Ego

Ego enim didici, &c. Et ſervatoris noſtri, *qui dives cum eſſet propter nos pauper ſactus eſt*, &c. 2 Corinth. 8. Inſuper honeſta tali in caſu licita eſſe media, quibus tamem & nuditatem arcere, & in miniſterio perſeverare queat. Apoſtolus manibus ſuis laborábat 1 *Corinth.* 4. *v.* 12. *Actor.* 20. *v.* 34. Et quidni privatâ majorum aut minorum ſtudioſorum inſtitutione, aut librorum, præſertim ad linguarum, Philoſophiæ, hiſtoriarum, theologiæ ſtudia pertinentium correctione, aut tranſlatione, aut indicum collectione; aut praxi medicinæ, aut aliquo minoris mercaturę alteriuſvę artis per ſe aut per ſuos exercitio (qualia miniſteriis clandeſtinis maximè convenirent), paupertati occurreret: bonâ ſcil. cum eccleſię ſuæ veniâ; quæ forte pauperior, non ita in omnibus bonis externis eidem communicare poſſet *Galat.* 6. *v.* 6. Et quid ſi vel mendicandum eſſet propter Chriſtum, ne infidelium & errantium converſionem, & fidelium confirmationem, in caſu neceſſitatis cogamur deſerere? Miniſter omnia ſuſtinet propter electos 2 *Timoth.* 2. *v.* 10. Non poſſumus non recordari moleſtiam & paupertatem *Caſpari Carleri*, qui de eâ Monaſterio ad Calvinum 9. Junii 1550. „ſic ſcribebat: Præſum duabus eccleſiis, quarum templa disjunctiſſima „ſunt. Iter hyeme potiſſimum ob injuriam temporis permoleſtè conficitur. Non raro mihi accidit, ut equo inſidens frigore pæne aſtrictus „fuerim, & quandoque aquâ pluviali totus madens ſuggeſtum conſcenderim, &c. Accedit hoc ad labores reliquos, quod mihi fere, verum „fateor, mortis inſtar eſt, hoc eſt me oſtiatim, quæ ad victum neceſſaria „ſunt, totâ hyeme quærere neceſſe ſit, cogarque nunc eandem domum „hujus rei gratiâ, haud ſemel, ſed decies, adire.

VI. *Object.* Viles & deſpecti ſunt in oculis hominum, non tantum alienorum, ſed & ſuorum; præcipuè eorum, qui opibus, potentiâ, dignitatibus, populique applauſu aliis pręcellunt. Hinc eſt, quod audacter & impune quilibet, cum ipſi ita libet, miniſtros omnis generis dicteriis, calumniis, ſarcaſmis quaſi impune laceſcat, alii à cavillis ad calamos, alii à calumniis & calamis ad deturbationes & carceres deveniant. *Reſp.* Calumniis opponi debent. 1. *Beatitudo* promiſſa Matth. 5. v. 11. 12. 2. *Exemplum* Chriſti 1 *Petri* 2. *v.* 23. 3. *Teſtimonium* Bonæ conſcientiæ 1 *Corinth.* 4. *v.* 3. 4. & 2 *Corinth.* 1. *v.* 12. 1 *Petr.* 4. *v.* 16. 17. Si *Lutherus*, *Zwinglius*, *Calvinus*, *Melanthon*, *Bucerus*, &c. tantum de famâ ſuâ ſolliciti fuiſſent, nunquam reformationem inchoaſſent, aut huc uſque produxiſſent. Quam indignis modis illi theatrizati fuerint, ex infinitis fere Pontificiorum libris, præſertim ex conſarcinatis *Cochlæi*, *Bolſeci Laingæi* fabulis conſtare poterit. Cogita benignè tecum agi, ſi tantum verbis, non chartis patentibus, aut ſi tantum chartis & libellis privatorum, non publicis judiciis, ſeu

Digitized by Google

ſeu judicum promulgatis atque editis ſententiis innocentia tua commaculetur, inſuper carceribus, exilio, plagis, infamibus ſuppliciis non opprimatur; lege hiſtorias martyrum. Scio imprimis viros Dei affici, ſi à domeſticis, ab ejuſdem fidei conſortibus, ab æmulis aut malè affectis fratribus, imprimis ſi communes quaſi præceptores à viperinâ diſcipulorum progenie crudeliter proſcindantur: quod evenit piiſſimo Melanthoni; (de quo legenda vita per *Joach. Camerarium*, & ipſius poſtrema quædam ſcripta.) Sed animus adverſus illa obfirmandus eſt iis, qui laudem apud Deum ſuum quærunt, eâque contenti ſunt *Rom.* 2. Non advocabimus huc omnia, contra famæ læſionem prophylactica, & antidota etiam miſeris Gentilibus non ignota, quale illud, *regium eſt benefacere & malè audire.* &c. Sufficiat nunc illud Apoſtoli: διὰ δόξης καὶ ἀτιμίας, διὰ δυσφημίας καὶ εὐφημίας *2 Cor. 6. v. 8.*

VII. *Object.* In eccleſiis reformatis, quę ἰσοτιμίαν miniſtrorum hierarchiæ pręferunt, nullæ exſpectandę dignitates? *Reſp.* Tanto melior earum, & miniſtrorum in iis conditio, quanto proprius ſimplicitati eccleſiæ Apoſtolicæ conformantur. Simulac typhus ſæculi in eccleſiam ingreſſus eſt, religionis puritas adulterari cœpit, & pietas ſęcularizari; ſimulac religio peperit divitias, filia matrem paulatim devoravit. Cum animalia gloriæ, ſtudio ſacro applicantur, nihil aliud exſpectandum, quam ut ex deſperatâ ambitione & vindictâ, in miniſterio conſtituti, turbas dent; aut ab *ordine candidatorum* apoſtatæ facti, ordinem illum, miniſtros, & eccleſias odio Vatiniano proſequantur, & protervè inſectentur: quia ſcil. primi, præ aliis omnibus promoti non ſunt; aut quia in oppido aut vico promotione obtinenda minime contenti, promtam ad celebrioris alicujus eccleſię miniſterium promotionis occaſionem videre vix poſſunt. Hoc autem putant grande nefas, ſi tam præclara ingenia & dona (uti de ſe ſine populi ſuffragiis judicare ſolent) tamdiu in occulto lateant. Qui ergo opes, honores, dignitates, magnatum gratiam, mundi ſplendorem & applauſum venantur, hinc faceſſant. Procul ô procul eſte profani. En opum honorum, dignitatum illicias delicias & ſpes Paulo in capeſſendo miniſterio oblatas Actor. 9. v. 16. *Oſtendam illi quam multa ob nomen meum pati debeat..* Si quis tam lautis conditionibus allici nequit, à miniſterio abſtineat. Aliter enim ejus ſacra non conſtant. Quæ ſplendida munera, quas eximias dignitates, quas dominationes eccleſiaſticas, quos celſiſſimos principatus, quæ regalia ſacerdotia tenuerunt theologi crucis? quales primi in eccleſiâ poſt-apoſtolicâ miniſtri, poſt illos in convallibus Pedemontanis, inde Waldenſes, in Bohemiâ, denique ipſi Apoſtoli? Si dicas jure talia ad illos pertinuiſſe, quamvis ob hoſtium & temporum iniquitatem de facto iis gaviſi non ſint:

regero, præſumtum illud jus ipſis negari. Luc. 22. &c. *Reges gentium dominantur iis.* Illos ergo erectis ad cœlum animis imitentur theologiæ ſtudioſi; omnemque mundi ſplendorem ac pompam pro ſtercoribus ducant *Philip.* 3.

§. 3. Hęc hactenus de primâ quæſtione ſeu potius de conſultatione, An miniſterium hâc tempeſtate ſit deſiderandum & capeſſendum, ſufficiant. Accedimus ad quæſtionem ſecundam circa miniſterii difficultatem.

II. *Quæſt. An miniſterium ſit otium, ſive ignavum ab omni labore, ſive literarium? Reſp.* Neg. Tale quid Anabaptiſtæ apud *Bullingerum l.* 3. *c.* Anabapt. p. 9. noſtris exprobrant. Quibus ibid. reſpondetur, eſſe laborem, „quamvis non ſervilem & corporeum, qui corporis viribus exerceatur. „Eccleſiarum, inquit, miniſtros otioſos eſſe dicunt: hoc autem illis cum „multis aliis commune eſt, qui nullum alium laborem eſſe cenſent, quam „cum manibus laboratur, ligone, aut ſecuri, aut aliâ re in manus ſumtâ. „Ita agricolę opificum labores, reſpectu ſuorum laborum, &c. otium eſſe „reputant: & inter ipſos opifices, qui in duriori labore verſantur, alios, „&c. otioſos eſſe dicunt. Omnes autem operarii, eos qui in adminiſtrandâ Republicâ verſantur? item ſcribas, & qui in ſcholis laborant, otioſos „eſſe judicant. Qui inter Anabaptiſtas praxin medicam, aut artem pingendi, aut mercaturam exercent, nollent audire otioſi. Diſtinguendum eſt inter miniſterium à Deo inſtitutum, & inter degeneres quoſdam miniſtros. Illud in ſcripturâ vocatur labor, miniſtri dicuntur *operarii Math.* 9. *v.* 37. 2 *Tim.* 2. *v.* 15. & in miniſterii functione κοπιᾷν 1 *Cor.* 4. *v.* 12. 1 *Theſſ.* 5. *v.* 12. 1 *Tim.* 5. *v.* 17. Qui ab aliis laboribus abſtinent, ut in hoc uno toti eſſe poſſint. *Iſti* dicuntur vigiles, cœci, canes muti, &c. *Jeſa.* 56. *v.* 10. 11. 12. Tales ſuô tempore multos fuiſſe cap. cit. fatebatur, & dolebat *Bullingerus* De noſtris temporibus præſtaret forte tacere, quam nimis pauca dicere. Optimus ille eſt, qui minimis urgetur. Eos, qui de diligentiâ in ſtudiis & praxi eccleſiaſticâ non admodum ſollicit? ſunt, inter utrumque volare putamus; ſi modo omnium, quæ ante inchoatum miniſterium didicerunt, non obliviſcantur; aut ſi nihil agendo contra doctrinæ puritatem, vitæ ſanctitatem, regiminis & diſciplinæ eccleſiaſticæ integritatem, malè agere non diſcant. Extremè ignavus non eſt, qui æquo animo aliorum labores fert; quamvis ipſe laborem refugiat. In Papatu ſolent complures μισόπονοι affectare ſacerdotia: uti *Eraſmus in colloquiis* tit. *Echo*, *ſacerdotium* quærentes dicit quærere *otium*. Hoc quidem verè, ſed in eo turpem nimis ſimulationem & adulationem prodit, quod addat ibidem, *Epiſcopos* habere πόνους. Audi *Iſidorum Clarium*, qui in notis ad 1. *Timoth.* 3. *v.* 1. veritati hoc teſti„monium perhibet: Quum vero epiſcopatum cogitas, ne referas animum

ad

„ ad hæc tempora, quibus epiſcopi nihil minus nôrunt, quam eas partes, „ quæ illis à Paulo aſſignantur ; neque quidquam aliud nunc intelligitur „ appellatione epiſcopi, quam fructus, & vectigalia, & immanes honores. „ Sed tempora illa ante oculos propone, quum Paulus ipſe, qui alios in- „ ſtituebat epiſcopos, peragrabat orbem terrarum in fame & ſiti, in frigo- „ re, & nuditate, in verberibus in plagis, in carceribus, atque quotidianis „ mortibus.

III. *Quæſt. An ſtudio theologico applicandi, & ad miniſterium educandi ſint, aut educati promovendi, qui ingenii aut memoriæ, aut eloquentiæ donis deſtituuntur. Reſp.* Neg. Tales enim ſibi & eccleſię ſunt oneri. Antehac ſub tenebris Papatus filios ingenio, prudentiâ, ſolertiâ deſtitutos in monaſteria detrudebant; aut aliquo quiden ingenio, ſed minimè theologico præditos inter clericos adſcribi curabant. Sed talis mos nunc reduci, aut rebus noſtris applicari non debet. Aliud enim eſt facilitas monachatus, & aliud miniſterii eccleſiaſtici difficultas. Rurſum alia eſt facilitas canonicatus, epiſcopatus, abbatiæ, aliorumque regalium ſacerdotiorum, qui ſive non reſidentes, ſive reſidentes per vicarios qualiacumque ſacra peragunt : & alia difficultas miniſterii ; ubi publicè privatimque cuique in precibus, in doctrina, in ſacramentis, in conſolatione, in adhortatione, in elenchis, in correptione, in conſiliis & reſponſis, in cenſuris & diſciplinâ vigilandum & miniſtrandum eſt. Non Poteſt ergo pueris ſive ætate (ut fit in Papatu), ſive ingenio, eruditione, prudentiâ, tam arduum munus committi : non magis quam arte & experientiâ diſtitutis gubernatio navis, aut præfectura exercitus.

Sed excipitur pro promotione minus idoneorum.

1. *Except.* Eſt corpore infirmus aut mutilus ; ita ut aliquo labore & opificio vitam ſuſtentare nequeat : ergo ſtudio theologico, & miniſterio conſecrandus. *Reſp.* Si ſingularibus ingenii, eloquentię, prudentiæ, pietatis, modeſtię, &c. donis præ aliis polleat, de promotione ad ſtudium theologicum & conſequenter ad miniſterium deliberari poſſet. Nam promiſcuè & ordinariò tales non eſſe promovendos, ubi alii abſque tali defectu haberi poſſunt, docet nos miniſterii dignitas & autoritas, & analogicè ſeu quod ad genus colligitur ex *Levitic.* 21. *v.* 17. &c. Imprimis autem vix admittendi videntur, quamvis ingenio, eloquio, pietate egregii, eo defectu laborantes, qui in publico privatove muneris exercitio impedimentum poneret. Sed de corporis, aliiſque defectibus, quos vulgò vocant irregularitates, ſuo loco agetur. Hic ſaltem tenendum, ad defectum animi non eſſe connivendum, ob defectus corporis ; quaſi defectus ſecundarii primariis additi aliquem miniſterio propiorem facerent. Ut enim §. 4.

bonum bono additum facit majus bonum: ſic malum malo additum facit majus malum. Et tota hęc excuſatio nititur falsâ & mercenariâ hypotheſi: quod officium & opus ſit minus principale, acceſſorium, medium; conſequens ſeu connexum beneficium aut ſtipendium ſit principale, & finis; adeoque officium ſit conferendum propter beneficium, non contra.

II. *Except.* Eſt pauper, eſt pupillus, eſt viduæ filius, eſt uxoratus & ἔντεκνος, & familia ipſius egena ſtipendiolo illo, ſaltem tenuiter, ſuſtentari poſſet. *Reſp.* Omnia iſta effugia nituntur hypotheſibus merè carnalibus, mundanis, culinariis, mercenariis, proſopolepticis; quæ à regno Chriſti, à rebus ſpiritualibus, à curâ animarum procul habendæ.

III. *Except.* Eſt alumnus alicujus eccleſiæ aut Reipublicę, aut euergetæ I. benefici alicujus domini, & impenſæ in ſtudia ipſius fruſtra factæ eſſent. *Reſp.* Tantum eſt perditio nummorum; quæ tamen cedet in lucrum eccleſiæ, cum talibus inutilibus ponderibus, numeris & fruges conſumere natis non gravatur. Quod ſi primo peccatum eſt à patronis aut parentibus in delectu ingeniorum; id ſibi imputent, & ipſi inconſulti (ita loquar) conſilii ſui pœnas ferant, non Chriſti eccleſia. Sin delectu tunc temporis non ita malè habito, poſtea in curſu aut fine ſtudiorum evaſerunt & deprehenſi fuerunt bliteì, ſtupidi, abſurdi, leves, improbi, otioſi, mundani, melancolici & fanatici, rebus tam arduis & ſpiritualibus gerendis minimè idonei; in tempore deſiſtendum, & vertenda velificatio. Salus eccleſiæ ſuprema lex eſto. Jacturam illam nummorum facilius feret ærarium eccleſiaſticum aut politicum, aut munificus ac dives patronus; quam eccleſia animarum & ædificationis. Corporalia ſpiritualibus minimè adæquanda, nedum ut præferenda ſint. Math. 16. v. 26. *Quid prodeſt homini*, &c. Merito etiam diſquiri poſſet, an alumnus cęteris paribus aliis candidatis non alumnis, in commendatione & promotione ad miniſterium illic loci, ubi fuit alumnus, pręferendus eſſet: de quo alibi. Hic tantum agimus de illis, quos ob doctrinę, aut eloquentiæ, aut piæ atque inculpatæ vitæ, aut prudentiæ, aut diligentię defectum promoveri nefas eſt. Si qui ex eccleſiaſticis aut politicis patroni, fautores, conſanguinei, neceſſarii, emti, redemti, tales fungos artibus Simoniis & Simoniacis, aut violenta ἀταξίᾳ intrudunt: illi videant, in quæ mala ſe præcipitent, juxta 1 Timoth. 5. v. 22. *Manus cito ne cui imponito, neque communicato peccatis alienis.*

IV. *Except.* Eſt mihi commendatus ab aliquo amico, aut ab eo cui obligatus ſum; aut ab eo qui mihi viciſſim in his illiſve negotiis meis operam ſuam ſpondet; aut à quo viciſſim beneficia & auxilia exſpectare licet; aut quamvis non admodum aptus ad opera miniſterii, mihi tamen in rebus

meis

meis ſæcularibus ſive publicis ſive privatis & domeſticis perquam aptus erit? *Reſp.* Tales commendationes factæ & receptæ, perque eas ineptorum (etiam aptorum, aptiorum, aptiſſimorum) in ſacro ſanctum miniſterium intruſiones, à ſimoniâ magis minuſve craſsâ aut palliatâ, directâ aut indirectâ excuſari non poſſunt. Quid ſit ſimonia, & quantum malum, peculiari diſp. antehac docuimus in 4. *part. ſelect. diſp.* Sufficit fundamentalem illam diviſionem muneris *à manu*, *à linguâ*, *ab obſequio*, hic propoſuiſſe. De ambitu, de prenſationibus, de ſubreptione, obreptione, de magiſtratu venali, de δωροφαγίᾳ, de circumventione conſulendi Politici, Jureconſulti, theologi, & ipſorum benè dicta his negotiis inſuper & hodiernis, (qualia ſubinde audiuntur) factis applicanda Ut multa ſunt, quæ fatalem quandam criſin, & rerum in eccleſiis reformatis inverſionem, aut gravem ſaltem concuſſionem minari videntur: ſic & pragmatia in ineptis candidatis per quoſcunque & quocunque modo commendandis, promovendis, nihil boni nos præſagire jubet.

v. *Except.* Si parum nunc aptus, poterit cum tempore aptus fieri: nunc ſaltem gaudeat hoc beneficio, & occaſionem fronte capillatam ipſe, aut parentes, patroni, benefactores ipſius prehendant. *Reſp.* Aptitudo quod ad ingenium, memoriam, eloquentiam, vitam & mores, non eſt miniſterii conſequens, nec ſperandum & exſpectandum, ſed antecedens præ-requiſitum. Ita habent tabulæ juris divini; quod nefas eſt à quo quam mortalium violari. Vide & expende, quiſquis es, 1 *Tim.* 3. *Tit.* 1. In Papatu ſolent beneficia (uti iſtic vocant:) eccleſiaſtica præſertim regalia ſacerdotia pueris, aut etiam infantibus Principum, procerum, &c. conferri aut promitti. Et quidni aſello? quem ob bonam operam tot annis aſinino ſuo labore eccleſiæ navatam olim Argentorati ad vacantem præbendam in capitulo commendatum, refertur apud *Himmelium in tract. de canonicatu cap.* 10. *pag.* 403. & *cap.* 11. *pag.* 479. De horrendis Papatus abuſibus ineptorum & indignorum ad canonicatus & ſacerdotia promotione, ex Pontificiis conqueſti ſunt quamplurimi. Vide *conſilium delectorum Cardinalium*, & *Vivem ad lib.* 27. *Auguſtini de civitate Dei cap.* 5.; 100. Gravamina nationis Germanicæ: ubi gravam. 7. ſic loquuntur: Romanæ *minus dignis* committuntur, qui *ad mulos magis, quam ad homines paſcendos regendoſque ſint idonei.* Ex noſtris Althuſius in Orat. de ſcholis, quæ cum Politicâ ejuſdem edita eſt. *Ex hiſce collegiis* (Canonicorum ſcil.) *prodeunt tanquam ex equo Troiano, ignorantiæ & Bacchi fratres, porci ſaginati, Epicurei*, &c.

vi. *Except.* Miſericordiâ tangor; hoc unicum eſt, quod me movet: & immiſericordes puto omnes illos, qui in ſynedriis, claſſibus, ſynodis (ubi

de negotiis & cauſis illis agitur) mihi non cooperantur, aut conſentiunt. *Reſp.* Crudelis illa miſericordia an miſericors crudelitas ergo Eccleſiam Dei vivi, ſponſam Chriſti, quæ miſerè ſub talibus curatoribus & curatis contabeſcit. Vide an huic crudeli miſericordiæ aliquo modo aptari non poſſet, illud Proverb. 12. v. 10. *miſerationes autem impiorum crudeles.* Et quod alio in caſu dicebatur Jonæ, cap. 4. v. 10. *Tu pepercisti cucurbita, in quâ non laboraſti*, &c. *& ego parcam Ninive*, &c.

VII. *Except.* Mediocria ingenia regunt mundum, ut habet proverbium; ergo & eccleſiam. *Reſp.* Subintellige, ſiquidem ſingulari & aſſiduâ diligentia morumque pietate, gravitate, modeſtiâ defectum illum compenſent. Sed nolim in hunc cenſum venire, aut ignavos fucos, qui labore, & ſibi ipſis atque eccleſiæ attendere nec volunt nec poſſunt; aut tam ſtupidos atque omni judicio deſtitutos, ut conceptus theologiæ ſcripturariæ, & didacticæ ſimplicis, ſeu mavis catecheticæ formare nequeant: quid dicam de conceptibus elenchorum, caſuum, conſiliorum, concionum? Quam largè illi de theſauris ſuis promturi ſint vetera & nova, quam feliciter verbum Dei auditoribus doctis & indoctis, rudibus & exercitatis propoſituri, & applicaturi, intelligentes facile judicabunt.

Inſtantia: facile idoneus quis erit, qui in eccleſiis agrariis nove plantatis aut plantandis, aut in clandeſtinis, aut in caſtris & caſtellis inter milites, aut in navibus, aut inter noſtrates in utraque Indiâ, Moſcoviâ, &c. commorantes, concionetur. *Reſp.* Sic perperam multi judicant. Sed experientia docet, majorem prudentiam, eruditionem, morum & converſationis ἀκριβείαν, dicendi vim & gratiam illic plerumque requiri; quam in veteranis & bene ordinatis eccleſiis, aliquo miniſtrorum nûmero, & compoſito ſynedrii regimine inſtructis.

VIII. *Except.* Eſt nobilis, aut viri honorati, aut eximii paſtoris aut theologi de eccleſiâ optimè meriti filius. *Reſp.* Quamvis ſtantes in curribus Æmilianos oſtentare quis poſſet, aut patris, avi, majorumque merita, erudita monumenta & ſcripta proferre, ipſe tamen craſſâ ignorantiâ ſuâ, aut vitâ male actâ, aut pudendâ ignaviâ, aut eloquii paupertate, nimis nobilis; ignobilem & tam nobili ſacrâque functione indignum ſe redderet: quid parentum nobilitas, celebritas, eruditio, pietas, merita, ſcripta, conferrent ad ædificationem eccleſiæ, cui præficeretur? Si per μετεμψύχωσιν Pythagoricam præſtantiſſimorum & piiſſimorum theologorum animæ cum omnibus ſcientiis & virtutibus ſuis in filios aut nepotes migrarent: aliquid forte dicerent. Sed cum hoc fieri nequeat; & in contrarium ſæpe videamus, heroum filios eſſe noxam, & acetum (juxta Rabbinorum parœmiam) eſſe vini prolem: in curâ ſpirituali, cognationi carnali

nali parum fidendum eſt. Nolim etiam eccleſias noſtras Sinenſium morem imitari; ut, ſicuti filii parentum ſuorum opificium exercent; ſic omnes concionatorum filii, etiam invitâ Minervâ, paternam artem diſcant, & profiteantur. Quando tales nonnunquam, quamvis inepti & indigni, cathedras, excluſis melioribus, præoccupant; famæ paternæ & meritorum memoriâ non magis paſcuntur eccleſiæ, quam vento.

CAP. IV.

De autoritate ſeu poteſtate miniſterii.

AUtoritas Gr. αὐθεντία *activè* ſumta notat jus, ἐξουσίαν, poteſtatem, facultatem agendi; *paſſivè*, venerationem & dignitatem, cui credendum eſt. Quæ Gr. ἀξιοπιστία dicitur. Utroque modo miniſtris tribui poteſt. §. 1.

Priori modo autoritas & poteſtas ex divinâ ordinatione illi tribuenda eſt non ſuprema ſed inferior: miniſterialis; non dominans ſeu αὐτοκρατορικὴ: non corporalis, carnalis, ſæcularis aut mundana, coactiva; ſed merè, ſpiritualis: non profana; ſed ſacra. Ut ergo à verâ poteſtate & autoritate maritali, patriâ, herili removetur majeſtas; ſic etiam à poteſtate miniſterii. Et hoc contra primatum Papæ & hierarchiam Cardinalium, Epiſcoporum uſque ad ravim à noſtris ita eſt inculcatum: ut aut profundo ſtupore, & brutali ignorantiâ, aut inſigni malitiâ & calumniandi libidine eos ſideratos eſſe oporteat, qui hierarchiam in miniſtris reformatis ſe odiſſe & velle perſequi haut obſcurè profitentur. Si uſum vocis hierarchię, ab aliis forte auditæ, in ſcholis theologicis aliquo modo intelligunt (de quo tamen valde dubito), improbè ſanè & odioſè de miniſtris reformatis eam uſurpant; qui nullam autoritatem aut poteſtatem niſi verbi prædicandi, ſacramenta & diſciplinam adminiſtrandi ſibi tribui volunt: idque juxta *catecheſin* cum *liturgiâ*, & *confeſſionem* & *ordinem eccleſiaſticum*; quę in eccleſiis Belgii tanquam ſcripturis conformia non tantum recepta & à miniſtris ſubſignata, ſed & per poteſtates politicas ſolemniter confirmata ſunt.

Poſteriori modo autoritas ipſorum denuntiationi, directioni, inſtitutioni, hortationi, correptioni, cenſurę tribuenda eſt: non abſoluta, ſed conditionata; ſi ſcil. credenda & facienda imponant quæ verbo Dei non repugnant. Si poteſtate ſuâ abutantur, extra & contra Dei verbum quidquam credendum aut agendum proponendo; illud eo loco habendum, quo talia mandata parentum, herorum, præceptorum, Regum & Principum,

pum, juxta *Actor.* 4. & 5. *Daniel.* 3. & 6. Ubi agnoſcitur autoritas & ordo à Deo conſtitutus, ſed improbatur ejus abuſus. Applica ergo analogicè omnibus ſuperioribus & præfectis, vulgatam diſtinctionem politicorum, inter tyrannum titulo & exercitio, ſeu inter uſurpantem & abutentem. Diſtinguant ergo in miniſtris, quod Deus ipſos fecit, & illud quòd illi ſe ipſos faciunt. In *illud* ſi quis vilipendio, odio, calumniis, convitiis peccet, is ſciat ſe θεομαχεῖν: *Iſtud*, ſi quis improbet; is digito miniſtros illos, nòn enuntiatione indefinitâ (e. gr. miniſtri tales ſunt, miniſtri talia faciunt, &c.); nec phraſibus individui vagi, (*aliquis, quidam*), ſed ſignati, monſtret ac deſignet, eccleſiaſticas omnes cenſuras in eos inclamet, quin & nomine poteſtatis politicę Advocatum fiſci aut prætorem agat, arma omnia expediat: ſiquidem delictum ejus tale ſit, contra quod in Republicâ pœnæ ſancitæ habentur, quale eſt adulterium, furtum, raptus, perjurium, proditio, ſeditio, &c. *Aliud* enim eſt rumuſculis, ſuſurris, cavillis, calumnioſis conſequentiis, mendaciis, autoritati miniſtrorum in tenebris detrahere, ipſorumque miniſterium apud Libertinos, Epicureos, viros de hoc ſæculo, alioſque profanos, imprimis apud apertos religionis noſtrę hoſtes proſtituere: & *aliud*, ubi & quando decet, eos monere aut corripere; inſuper ipſis dicam ſcribere, eos juſtè accuſare, & ſecundum allegata & probata contra ipſos legitimè auditos, judicium poſtulare. Non minus iniquum & ſacrilegum eſt, contra legitimos Dei miniſtros hoc modo agere, blaterando de hierarchiâ, de novâ Papali tyrannide, de novâ inquiſitione, quæ Hiſpanicam imitetur; aut eam proximè aſſequatur. Quam ſi quis perduellis, aut clandeſtinus Reipublicæ hoſtis contra eam & legitimum fidelem Magiſtratum res novas moliretur, ſuſurrando ac blaterando de ejuſdem Magiſtratus tyrannide? An hunc agendi modum probarent?

§. 2. Nos ſtatu controverſiæ ita conſtituto, & exercitio ſingulari poteſtatis, ſeu factis ſingularibus hic & nunc ſive utentibus, ſive abutentibus ad legitimum judicium remiſſis, ipſam poteſtatem miniſterialem & autoritatem ſic demonſtramus.

I. *Argum.* Ex Hebr. 13. v. 17. *Obedite ductoribus veſtris, & obſecundate: excubant enim ipſi pro animabus veſtris*, &c. Adde 1 Theſſal. 5. v. 12 *Petimus autem à vobis, fratres mei, ut agnoſcatis eos, qui laborant inter vos*, &c. *ut ſint in pretio vobis per caritatem abundantem; & propter opus eorum*, &c.

II. *Argum* Ex titulis munus eorum deſignantibus. Dicuntur enim angeli Dei *Malach.* 2. *v.* 7. cum *Apocal.* 2. & 3. viri Dei 2 *Timoth.* 3. *v.* 17. Dei miniſtri & diſpenſatores 1 *Cor.* 4. *v.* 1. 2. *Ductores & præfecti* 1 *Theſ.* 5. *v.* 12. 1 *Timoth.* 5. *v.* 17. legati 2 *Cor.* 5. *v.* 20. &c. atqui talibus competit poteſtas & autoritas.

III.

Digitized by Google

III. *Argum.* Quia Divina autoritas indirectè ſeu interpretativè in illis contemnitur & rejicitur: juxta illud Luc. 10. v. 16. *Qui vos audit, audit me: & qui vos dedignatur, me dedignatur.* Et non minus de miniſtro dici poteſt, ac de Samuele quâ judice populi 1 Sam. 8. v. 7. *Non enim te ſpreverunt*, &c. Et hinc non minus judiciis ſuis vindicavit ſpretam poteſtatem & autoritatem Aaronis & conſequenter ipſius Dei, ac Moſis Numer. 16. v. 3. 11. *Tu & omnis congregatio tua, quæ congregata eſt contra Dominum & Aharon.* Immo magis inſolito & terribili judicio vindicavit oppoſitionem contra autoritatem Aharonis *Numer.* 16. *v.* 20. 31.-36. quam Moſis *Numer.* 12. *v.* 10. Et cum Spiritus Sanctus exſuperantem & clamantem tranſgreſſionem ac rebellionem, divinitus vindicandam innuere vult, vocat eam contentionem cum ſacerdote, Hoſ. 4. v. 4. *Populares tui ſimiles ſunt contendentibus cum ſacerdote* (vel, *ſunt tanquam contendentes*, &c.) quaſi diceret, ſunt incorrigibiles; ideo ne arguito; perdes operam. Et, ut Rivetus noſter „ in comment. ad locum cit. amplificatur & exaggeratur crimen, quod non „ modo correctiones non admitterent, ſed præterea inſurgerent in monito- „ res, expoſtularent, minarentur.

His ita poſitis, rejicimus errores eorum, qui vel in exceſſu peccant, nimium poteſtatis, aut omnem; vel in defectu minus poteſtatis, aut nullam miniſtris tribuendo. §. 3. 1. *In exceſſu peccant* fanatici & furioſi Anabaptiſt. Prophetæ Storck, Munter, Joh. Bucholts, Knipperdollinck, &c. quibus præluxerat utrumque gladium arripiens Muhammedus.

Hierarchiæ Romanæ defenſores, qui Papæ & Papal. Epiſcopis poteſtatem eccleſiaſticam ſupremam ὑπερέχουσαν (*Rom.* 13: *v.* 1.) & dominantem tribuunt. *Papæ* quidem ſupra univerſalem eccleſiam militantem. Inſuper ſupremam poteſtatem temporalem & coactivam; ſive indirectam in ordine ad ſpiritualia, ut communiter theologi ipſorum definiunt; ſive directam, juxta Canoniſtar., & vivæ vocis oracula Gregorii 7. Bonifacii 8. Julii 2. De quo vide peculiarem *diſp. in 2. part. ſelect. diſput. tit. de Temporali poteſtate Papæ.* Ubi ſcriptores eorum Canoniſtas & Theologos recentiores indicamus; inter quos merito ſuo eminet *Franciſcus Bozzius* congregat. Orator. presbyter, cujus liber Clementi 8. dedicatus hoc titulo ſuperbit; *De temporali eccleſiæ monarchia & juriſdictione.* „ Ubi *pag.* 7. hæc „ concluſio ponitur: poteſtatem illam per ſacerdotium & regnum divino „ revelato & naturali jure eſſe omnino ſuper ſæcularem, eamque à Ponti- „ fice (ſalvo legitimo ſæcularium principum dominio & recto uſu, hæc „ enim ſine juſtâ causâ auferri & impediri non debent) exerceri poſſe in „ foro exteriore, facultate etiam punitiva, cum quis ſubeſſe noluerit & „ contumax fuerit, non ſolum ratione lethalis criminis, ſed ad virtutum

„quoque naturalium & ſupernaturalium conſervationem & progreſ-
„ſum uſque ad moralem quandam cautelam, &c. Comparent jam miſadelphi & falſi fratres cum hâc Papali poteſtate ſeu uſurpante tyrannide, poteſtatem miniſterialem ejuſque executionem, quæ publicis religionis & eccleſiaſtici conſenſus formulis per ſupremas Fœderati Belgii poteſtates anno 1651. denuo comprobatis & confirmatis deſcribitur. Sed nondum hic ſtat Monarchia Romana: ad eccleſiam laborantem in purgatorio, immo & ad triumphantem fimbrias ſuas extendit. De purgatorio, docet Indulgentiarum negotiatio alibi à nobis exhibita in 1. *part. ſelect. diſpp.* De triumphante, *Clementis* V. *bulla edictalis*, quâ Angelis imperabat; & totum apotheſios choragium: de quo vide 3. *part. ſelect. diſpp. tit. de Canonizatione Sanctorum.* An etiam ad infernalem & deſperatam malignantium eccleſiam? Non videtur negandum. Huc facit *pragmatia exorciſtica*, quâ dæmonibus imperant, eorumque operâ utuntur: De quo 3. *part. ſelect. diſpp. tit. de Magiâ*, & de *Exorciſmo*. Adde & preces ac ſuffragia pro animabus damnatis, ad refrigerium earum: de quo vide *Miſſale novum* ſeu reformatum, cum antiquo edit. Pariſ. in 8. anno 1506. collatum. Mitto fabulam tot ſæculis creditam & receptam de animâ Trajani ex inferno liberata; cujus fidem nonnulli Doctores eorum hodie ſollicitant. Interim tantiſper ſervivit ætati ſuæ, ante pertendentem reformationem. De quo commento peculiari *diſp.* egimus. Quin ipſe Pontifex (uti memini me alicubi legiſſe) cuidam ſacerdoti petenti, ut tabula celebris pictoris continens judicium extremum publicè in templo ſuſpenſa, in quâ ipſe depictus erat inter damnatos in inferno, illinc tolleretur, reſpondebat, ſe non habere poteſtatem in infernum, nec inde poſſe quemquam liberare.

Epiſcopis vero tribuunt, omnem poteſtatem in & ſupra ſuæ diœceſios eccleſias. Inſuper poteſtatem externam, temporalem, coactivam, gladio armatam. Adeo ut epiſcopus quiſque dicatur eccleſia illa diœceſiana (hoc eſt, 200. aut 300. eccleſiæ partim topicæ ſeu parochiales, partim collegiatæ) *virtualiter* (apud *Viguerium in Inſtit.*) hoc eſt, ut unus dicatur multitudo, communitas, populus, eccleſia, grex, caſtrorum acies ordinata, &c. Poteſtatem coactivam, temporalem, non tantum ipſo opere & exercitio per vincula, carceres, prætores (dictos *officiales*) mulctas pecuniarias, jejuniorum afflictiones, flagellationes, verbera, torturas, damnationes ad triremes; ſed & ſcriptis ſibi vindicare epiſcopos, compendio diſce ex *Diaz. practicâ criminali canonicâ*, *c.* 117. 125. aut ex *Piaſecii praxi Epiſcopali part.* 2. *cap.*4. *art.*14. ubi complures canoniſtæ & theologi citantur. Obſerva *ibid.* §.4. non tantum clericos, ſed & laicos per judicem eccleſiaſticum poſſe incar-

car-

Digitized by Google

carcerari, condemnari & pœnis ſubjici ſive per ipſos, ſive per magiſtratum ad ipſorum nutum infligendis in criminibus ſcil. eccleſiaſticis; juxta *jus canonicum*, eodem *cap. 1. art. 3.* allegatum. Caſus, in quibus laici in foro epiſcopali judicantur, his verſiculis complecti voluerunt:

Hæreticus, Simon, ſævus, perjurus, adulter,
Pax, privilegium, violentus, ſacrileguſque.
Si vacat imperium, ſi negligit, ambigit an ſit,
Suſpectus judex, ſi ſubdita terra, vel uſus,
Ruſticus, & ſervus, peregrinus, feuda, viator,
Si quis pœniteat, miſer aut ſit, cauſaque mixta,
Si denuntiat eccleſiæ, quis judicat? ipſa.

Mixti autem fori eſſe uſuras, concubinatum, adulterium, ſodomiam; *ibid.* indicatur. De regularium poteſtate coactivâ per carceres, verbera, &c. habet *Rodericus* in vaſto opere *de Regularibus tom. 4. tit. 16. 17. 22. 26.* *Henricus Ludovicus Caſtaneus Epiſcopus Pictavienſis in apologiâ* anno 1615. Gallicè editâ jus armorum in caſu neceſſitatis capiendorum eccleſiaſticis vindicare conatus eſt: adductis ex eccleſiaſticâ hiſtoriâ exemplis quamplurimis.

In defectu peccant, I. *Æquatores*, qui exemplo Corah, Datan, Abiram, in poteſtatem Aharonis & Moſis inſurgunt, & ochlocratiam in eccleſias ac politias invectam velint: dicentes; *Omnis congregatio univerſi ipſi ſancti ſunt, & in medio eorum eſt Dominus* Numer. 16. v. 3. Quorum opinioni affines ex parte, qui olim in Galliâ agitabant dicentes poteſtatem miniſterio in regimine eccleſiarum illic tributam ad corpus eccleſiæ ſeu ad multitudinem pertinere: quibus nomine eccleſiarum a. 1556. reſponſum eſt edito libro Gallico tit. *Confirmatio diſciplinæ eccleſiaſticæ obſervatæ in reformatis eccleſiis regni Galliæ.* Scriptor ejus putatur *Anton. Zadeel.* Vide ibi *part. 4.* quæ incipit *pag. 68.*

II. *Omnes profani & carnales* ſub Chriſtiano nomine doctrinâ aut vitâ minimè Chriſtianâ profeſſionem ſuam & Chriſti eccleſiam dehoneſtantes. Quibus poteſtas miniſtrorum formidoloſa & odioſa eſt. Si enim eâ aliquando uterentur miniſtri, uti eam in eccleſiâ docent & jure ſibi vindicant, non quidem ad deſtructionem, ſed ad ædificationem (2 *Corinth. 10. v. 8.*) non vanè ſuſpicantur, ſe primum fore adhortationis, deinde correptionis, tum cenſuræ, poſtremo & excommunicationis ſubjectum: juxta præſcriptum *catecheſ. qu.* 85. & ordinis eccleſiaſtici *artic. 71.-81.*) Hinc illæ lachrymæ; hinc querelæ de miniſtrorum nimiâ poteſtate & nimio magiſterio; hinc terricula...

III. *Omnes Cæſareo-Papatus aſſertores*; quales Eraſtus cum ſequacibus (hodiernis ſcil. Eraſtianis) & Remonſtrantes tum aperti tum Cryptici. Qui dum Cæſari poteſtatem non-Cæſaream perversè tributum eunt, non poſſunt non detrahere ſacroſancti miniſterii autoritati. Alii tamen aliis paulo contractius loquuntur. Exorbitant maximè, qui per omnia oppoſitè ad Papæ-Cæſarem Antichriſtum ſcil. Romanum utroque gladio armatum fingunt Cæſareo-Papam, unicâ (*ὑπερεχούσῃ Rom.* 13. *v.* 1.) poteſtate ſuâ omnem & politicam & eccleſiaſticam poteſtatem formaliter continente: & in utriuſque executione, miniſtros pro arbitrio ſuo & pro varietate rerum ac negotiorum pariter ſubordinante, conſtituente, deſtituente, mittente, ad operas quaſque ſuas, applicante. Ita ut miniſtri eccleſiaſtici quâ tales, non aliter quod ad ortum & actum directè & immediatè dependerent à Principe, aut præfecto; quam ipſius curſores, apparitores, quæſtores, janitores, præcones, actuarii, prætores, centuriones, milites, navales ſocii, piſcatores, venatores, chomarchi, advocati fiſci, &c. Et ſic demum obtineatur decantatum illud Homeri: εἷς κοίρανος ἔστω. Aliter ſi fiat aut ſi quis ſentiat, collateralitatem introduci & imperium in imperio ædificari. Quidni addunt, per duas diſtinctas poteſtates, Manichaiſmum duo ſtatuentem principia reduci: uti conſequentiam talem formabant Canoniſtæ pro unicâ ſuprema in mundo poteſtate Papæ pugnantes. Inverſis iſtis Canoniſtis, inverſum Papam haut obſcurè in cerebro ſuo parturientibus, nos *lib.* 1. *Polit. eccleſ.* eas rationes, eamque eccleſiarum noſtrarum, & omnium antiquarum conſenſum oppoſuimus; ut æquo cuivis lectori præjudiciis, aut peculiaribus conſiliis atque agitationibus non excæcato, ſatisfactum fore confidam.

Tantum nunc addo, non tantum tempore turbarum Remonſtranticarum *Politicum Papam* in novo illo commento ab eccleſiis fuiſſe deprehenſum, digito monſtratum, & technologicè ita appellatum; ſed etiam ab ipſis Magiſtratibus & dominis politicis pro reformatâ religione & cauſa conſtanter decertantibus (*Jud. v.* 3.) Videat, ſi quis antehac non viderit, in *lib.* a. 1618. edito Amſtelodami typis Martini Johannis Brant in 4. cui tit. *Juſtificatio curſus ſervati à civitatibus Dordrac., Amſtelod., Schiedam. Enckhuſ. Edamenſi, Purmerend. pag.* 15. *lin.* 11. ubi formationem & executionem dicti *Ordd. Holl. Decreti pro pace eccleſiarum*, tendere & facere ajunt 1. *ad Politicum Pontificem, hoc eſt, mundanam dominationem in eccleſiâ erigendam.* 2. *Eccleſiæ jus ſuum, & libertatem eripiendam.* 3. *Veritatem cum falſitate miſcendam.* Confer pag. 6. lin. penult., *Magiſtratus conſtituti ſunt nutritii eccleſiæ, ut jus ejus & libertatem conſervent, & non (ſicuti Papa Romanus fecit), illa ad ſe trahant, & mundanam dominationem in eccleſiis erigant.* Vide

de etiam *pag.* 8. ubi dicunt electionem miniſtrorum, qualem ex ſuggeſtione Remonſtrantium ſeducti & ... nonnulli Magiſtratus tunc moliebantur, repugnare 1. *Praxi V. T.* 2. *Praxi N. T.* 3. *Praxi primitivæ Eccleſiæ.* 4. *Legibus Cæſareis.*

CAP. V.

Ad obiectiones contra divinitus collatam autoritatem miniſtrorum, ordine reſpondetur.

OBjectiones ſunt vel in exceſſu peccantium; vel in defectu. *Priorum ſunt*, § . I.

1. *Object.* Ex Math. 23. v. 2. 3. *In Cathedrâ Moſis ſedent Scribæ & Phariſæi: omnia ergo, quæ dixerint vobis ut ſervetis, ſervate & facite.* Hoc argumento uſi ſunt Pontificii, ut abſolutam obedientiam, immo & cœcam, paſtori & Epiſcopo à laicis ſuis, quos ita vocant, præſtandam, evincant. *Reſp.* Obediendum eſt, quando & quamdiu ſedent in Cathedrâ Moſis, id eſt, legem prælegunt & interpretantur. Eſſe autem hæc verba Chriſti cum hâc limitatione accipienda colligitur ex Math. 16. v. 6. *Videte & cavete à fermento Phariſæorum*, &c. Math. 15. v. 3. - 10. *Quare & vos transgredimini*, &c. *vos autem dicitis*, &c. v. 14. *Omittite illos: duces ſunt cœci cœcorum*, &c. Matth. 23. v. 13. - 36. ubi appellantur cœci duces, ſtulti, qui proſelytos faciendo faciebant filios gehennæ, &c. *Corn. à Lapide in commentar. ad Matth.* 23. primum bene exponit & probat τὸ *omnia* deſignare legi & Moſi non contraria. *In his*, inquit, *ſequi non poterant doctrinam ſcribarum, nec illis obedire.* Sed hæc bene dicta mox evertit, cum ibidem ſubdit: Omnia
„ alia ſcribarum dogmata, legi non repugnantia, etiamſi vana & futilia, ac
„ proinde non obligantia (lex enim ut obliget, debet præcipere rem hone-
„ ſtam & utilem, non futilem, ut docent Juriſperiti, & theologi tract. de le-
„ gibus ac *D. Thomas* 1. 2. *qu.* 95. *art.* 3.) uti erant crebræ manuum corpo-
„ riſque ablutiones & purificationes; illa tamen ſervet ad obedientiæ cœ-
„ cæ (*Nota*) & ſimplicis meritum, ac ordinis ſacerdotalis & doctoralis re-
„ verentiam. *Reſ.* ex eo quod doctoribus & eos ſequentibus dicitur. *Qui loquitur, loquatur eloquia Dei*, 1 Petr. 4. *Fruſtra me colunt*, &c. Math. 15. v. 9. cum *Coloſſ.* 2. v. 21. 23. Ergone in ſuperſtitioſis tanquam ad cultum Dei & religionem, & ad conſcientiæ Dei curam ac cuſtodiam pertinentibus, obediendum illis; & tali obedientiæ pretium potius, quam demeritum tribuendum? Adde, Quod Doctores omnis verbi otioſi rationem reddituri ſunt *Math.* 12. v. 36. Atqui vana & futilia præcepta ſunt plus quam

verba otioſa? quippe etiam pernitioſa. Otioſa verba Math. 12. v. 36. exponit A Lapide, *vanum, frivolum, ludicrum, quod nec dicenti nec audienti utilitatem adſert.* Nec prætereundum, quod *Maldonatus*, qui nonnunquam in commentariis ſuis propria, aut ſociorum ſuorum vineta cædit, hic τὸ *omnia* ad ſola illa, quæ à Moſe in lege præcepta ſunt, reſtringit. Sed pluribus commentum hoc non premam: alibi de traditionibus, de ceremoniis, de ſacramentalibus, de cœcâ obedientiâ diſputamus; quæ huc applicanda.

II. *Object.* Ex Deuter. 17. v. 16. *Juxta ſermonem legis quem docebunt te, & ſecundum judicium, quod dicent tibi, facies.* Ergo abſoluta ſacerdotibus autoritas, & populo obedientia competit. *Reſp.* In ipſo textu allato limitatio additur, *juxta ſermonem legis.* Et ſi caſus & dubii alicujus moralis, ceremonialis, forenſis determinatio difficilis eſſet v. 13. judex politicus ſacerdotes triplicis legis divinæ interpretes conſulebat (*Malach.* 2. *v.* 7. *Pſal.* 122. *v.* 4. 5. 2 *Paral.* 19. *v.* 8. *Numer.* 27. *v.* 21.); ſi vero in lege ſcriptâ tale quid determinatum non eſſet, conſulebatur Dei oraculum *Levit.* 24. *v.* 12. *Num.* 15. *v.* 34. *Deuter.* 21. *v.* 5. & 24. *v.* 8. *Ezech* 44. *v.* 24. Ex dictis conſtat, abſolutam autoritatem, & cœcam populi obedientiam, aut implicitam ſeu carbonariam fidem, tunc temporis minimè obtinuiſſe. Multo minus ſub N. T. locum habere; ubi locum habet promiſſio illa, de ſpiritus effuſione *Actor.* 2. *v.* 16. - 19. & mandatum 1 Cor. 10. v. 16. *judicate vos*, &c. 1 Theſſal. 5. v. 21. *omnia probate*, &c.

III. *Object.* Poteſtas temporalis & ſpiritualis reſedit in Chriſto, & illam exercuit *Joh.* 2. *v.* 25. *Math.* 22. *v.* 12. ab illo immediate in Apoſtolos derivata, & conſequenter in Papam Petri ſucceſſorem, & in epiſcopos apoſtolorum ſucceſſores; atque adeo, laici utrique eorum gladio ſubjecti ſunt; iidemque & omnes alii clerici in temporalibus Magiſtratui ſæculari non ſunt ſubjecti, &c. Quin & tempore primitivæ eccleſiæ, & Caroli M. Epiſcopi judices erant cauſarum civilium in primâ inſtantiâ, & in gradu appellationis ſi actor reus epiſcopum appellaret. Sic poſt craſſos Canoniſtas, & *Bellarminum*, *Mariana*, *Santarellum*, *Swareſium*, *Becanum* (quorum libri præeunte cenſurâ Sorbonæ Pariſienſis à ſupremâ curiâ ad ignem condemnati), *Joh. à Chokier* vicarius Epiſc. Leodienſis in libro cui tit. *Vindiciæ libertatis eccleſiaſticæ* anno 1630. edito, ubi quibuſcunque poteſt armis oppugnat *caſſatoria cameræ Spirenſis decreta adverſus decreta inter laicos de re profanâ ab officiali Leodenſi lata.* *Reſp.* Magnum illum putatitiæ liberatis, poteſtatis, autoritatis paſtoralis ſeu clericalis hiatum jam toties obſtruxerunt, non tantum proteſtantes theologi & Jureconſulti, ſed etiam ex ipſis Pontificiis theologis *Widdingthronus* Anglus, theologi Sorbonici,

bonici, theologi Veneti; & ex Jureconſultis *Marſilius Patavinus* ſeu de *Menandrino*, *Georgius Haywartus* conſiliarius Bavaricus, *Barclayus*, ejuſdemque hypetaſpiſtes filius, c. impugnationes Bellarmini. Sed harum concertationum indicium fecimus in 2. *part. ſel. diſpp. tit. de Papæ poteſtate temporali*; de donatione Conſtantini; de translatione imperii. Unum tantum addo ex *Pyrgopolinice Choquiero part.* 2. *c.* 1. §. 11. ubi ad objectionem, quod Conſtantinus non potuerit bona imperii abdicare & tam profusè eccleſiæ Romanæ conferre, ſic reſpondet: Cæſarem nec quenquam „ aliorum principum abdicare à ſe bona imperii & dominii ſui: cum ni- „ hil aliud præſtent, niſi quod reddant Deo & eccleſię, quod ſuum eſt. „ Quotus enim quiſque non credat regio prophetæ aſſerenti, domini eſſe „ terram & plenitudinem ejus? Neſcio an quis inter recentiores Gnathones Romanos tam confidenter hanc cauſam egerit. Per dominum ergo, à Pſalmiſta *Pſal.* 24. denotari volunt dominum Papam (qui eſt eccleſia virtualiter): quod quomodo probaturi ſunt, videbimus.

Objectiones eorum, qui peccant in defectu, ſunt iſtæ. §. 2.

1. *Object.* Omnes fideles ſunt ſacerdotes ſpirituales: *Rom* 12. *v.* 1. 1 *Petr.* 2. *v.* 5. 9. *Apocal.* 1. *v* 5. ergo ſupra illos nulla autoritas tribuenda eſt miniſtris? *Reſp.* conſequentia non valet. Omnes quidem tam fæminæ quam viri ſunt ſacerdotes metaphoricè, non proprie, ita dicti, ſecundum vocationem communem: ſed omnes non ſunt ſacerdotes Deo officia aliqua peculiaria offerentes, eique donis ſuis particularibus quique inſervientes. Sic ſacerdotium ſpirituale Deboræ, Huldæ, Annæ, Moſis, Samuelis, Joſiæ, J. Baptiſt. Apoſtolorum ad officium ſacerdotale, propheticum & cujuſcunque particularis vocationis, quæ communi adjuncta erat, extendebatur, ad Deo ſe ſuaque illa dona offerenda, eique peculiariter inſerviendum. *Num omnes Apoſtoli? num omnes Prophetæ? num omnes Doctores?* &c. *num omnes interpretantur? Sed affectate dona potiora*, &c. 1 Cor. 12. v. 30. 31. Sicuti non valet conſequentia, omnes fideles liberi & parentes, mariti & uxores, domini & ſervi, principes & ſubditi, doctores & diſcipuli ſunt gens Deo ſancta, ſunt regales ſacerdotes: ergo in familiâ marito prę uxore, parentibus præ liberis, dominis prę ſervis; in ſcholâ doctoribus prę diſcipulis; in ſocietate civili principi prę ſubdito, nullus ὑπεροχῆς, ſuperioritatis, autoritatis, poteſtatis gradus competit.

Excipiunt forte, non inſtitui comparationem in eodem genere poteſtatis, eccleſiaſticæ ſcil. *Reſp.* Immo in eodem genere, ut e. gr. maritus & uxor tanquam membra Chriſti & eccleſiæ ſunt pariter ſacerdotes ſpirituales (in Chriſto enim *non eſt maſculus ac fæmina: omnes enim vos unus eſtis in Chriſto* Gal. 3. v. 28.); inde non ſequitur Aaronem, Samuelem, Ezechielem,

lem, Zachariam, Petrum munere, autoritate, vocatione ordinariâ aut extraordinariâ Apoſtolicâ, Propheticâ, ſacerdotali, non eſſe gradualiter diſtinctos ab uxoribus quique ſuis, nec iis ſuperiores. Uti etiam non ſequitur quia omnes mulieres fideles tam V. quam N. T. erant communiter ſacerdotes ſpirituales; ideo Huldam, Deboram, Annam, quatuor filias Philippi non fuiſſe Prophetiſſas, à reliquis mulieribus ſacerdotibus diſtinctas, iiſque hoc dono ac munere extraordinario ſuperiores. Sicuti omnia membra corporis humani ſunt membra: ſed omnia non ſunt oculus, aut cerebrum, &c. Nec omnia omnibus ſubordinantur, atque ab iis in functione ſuâ particulari immediatè ac principaliter dependent. Omnia animalia ratione prædita eſſentiali paritate ſunt homines: ſed paritas illa non excludit diſtinctiones qualitatum & relationum. Deformis enim non eſt formoſus, indoctus non eſt doctus, filius non eſt pater, uxor non eſt maritus, ſervus non eſt dominus: nec vice verſâ.

11. *Object.* Autoritas ſeu poteſtas miniſtris tributa, præjudicat libertati, aliiſque populi privilegiis. *Reſp.* Nec libertati civili, nec eccleſiaſticæ præjudicat. Eſt enim poteſtas miniſterialis, non dominans; nec eſt coactiva ſed ſpiritualis caritativa perſuaſione caritatis, precatione, petitione, admonitione agens, 1 *Corinth.* 3. 2 *Cor.* 1. *v.* 24. 1 *Petr.* 5. *v.* 3. 2 *Cor.* 5. *v.* 20. & 10. *v.* 3. Populus Dei eſt populus ſpontaneus, qui lege libertatis regi vult, eique legi libertatis per miniſtros propoſitæ parere, veram libertatem ſuam exiſtimat. *Jacob.* 2. *v.* 12. & 1. *v.* 25. Si miniſtri, etiam cum libertatis externæ, bonorum, honorum, ſanitatis, amicorum, vitę ſuæ jacturâ (occaſione ita ferente) ſanctis ad exemplum Pauli 2 *Corinth.* 11. tanquam miniſtri eorum propter Chriſtum, aſſiduò inſerviant; an tum præjudicant libertati eorum? Chriſtus factus ſervus *Philipp.* 2. *v.* 7. *Math.* 20. *v.* 28. ut nos in libertatem vindicaret, non poteſt abſque turpi contradictione dici libertatem noſtram tollere: ita dici non poteſt Paulus libertati fidelium præjudicare; cum ipſe *quamvis liber* eſſet *ab omnibus*, *omnibus ſeipſum ſervum fecit*, *ut plures lucrifaceret* 1 Cor. 9. v. 19. ut omnes ad veram libertatem adduceret, inque eâ confirmaret, & à ſervitute vindicaret. *Galat.* 5. *v.* 1. 13. Odioſa & calumnioſa eſt ſuggeſtio virorum de hoc ſæculo, qui leve onus & ſuave jugum Chriſti, per miniſtros hominibus commendatum, nomine ſervitutis, tyrannidis, & inquiſitionis traducunt: quin etiam aliis ſuavitatem domini guſtantibus, atque ideo pulcros pedes Euangelizantis (*Jeſa.* 52. *v.* 7.) æſtimantibus, exprobrare audent, quod faciant aut fecerint ſe ſervos concionatorum. Quare quæſo? Quia cum Libertino-ſervis, ambitionis, avaritiæ, voluptatum, aut aliorum quorumcunque dominantium affectuum ſerviliſſimis mancipiis, jugum domini non

non perſtringit, viam domini cum profanis noſtrorum temporum & locorum hæreticis non balphemant; nec alios blaſphemantes, æquo animo ferunt? Talibus reponendum elogium illud Pauli Galat. 4. v. 14. *Me ut Angelum Dei, ut Chriſtum Jeſum excepiſtis.* Et v. 15. *Teſtimonum enim reddo vobis, vos, ſi fieri potuiſſet, oculos veſtros effoſſos daturos mihi fuiſſe.* Quam ſtolidi ergo, quam ſerviles habiti fuiſſent Galatæ, ſi in tales judices, *Libertiniſmi*, aut *ſpiritus fortis* ſeu *Epicureiſmi*, aut *theologiæ veræ & meræ in-*
„ *fantium & lactentium Chriſto* ſectatores, diſcipulos, incidiſſent? *Nam quæ*
„ prætumida vanitas ipſis dictavit loquendo, *eos ineſcant per carnis cupi-*
„ *ditates laſcivas*, &c. *libertatem eis pollicendo, quum ipſi ſervi ſint corrupte-*
„ *læ, ſiquidem à quo quis ſuperatus eſt, huic etiam in ſervitutem eſt addictus*
„ 2 Petr. 2. v. 18. 19.

111. *Object.* Si autoritas ſeu poteſtas jam deſcripta jure divino miniſtris competit; ſequeretur ergo hoc reſpectu quemlibet principum, procerum, ſenatorum, conſulum, nobilium, &c. ſubordinari paſtori ſuo. Sed poſterius videtur abſurdum, ut major ſcil. minori, princeps ſubdito, publicus præfectus privato civi, honoratus & prudens ſenex juveni alicui Timotheo, &c. ſubordinaretur *Reſp.* minor negatur, cum iſta limitatione: Non eſt abſurdum, ſed conſonat ordini divinitus ſancito, ſi prior & ſuperior qui eſt in ſæculo, in Republica, in Oeconomia, quatenus eſt membrum eccleſię, & ovis, miniſtro legato Chriſti, ductori, præfecto, paſtori, patri, angelo domini exercituum, &c. in ſpiritualibus ſubordinetur, eum audiat, eique obediat *Luc.* 10. *v.* 16. *Hebr.* 13. *v.* 17. Quibus ordo hic non placet à Chriſto eccleſiæ rege & capite ſtatutus, procul ô procul eſte profani; in carnali ſoli ipſia veſtra & Libertinica independentia, aut in Papali ſomnio Monarchico (juxta illud Canoniſticum, *judicat omnes, judicatur à nemine*) tandem perituri (*Proverb.* 1. *v.* 22.-23.); niſi reſipiſcatis. Quia autem nonnulli, præ paupere ingenio ſuo, aut paucis literis, non videntur capere, quomodo quis ſupremus, aut ſubalternus dominus, tanquam membrum eccleſiæ voluntariè factum, ſubordinari poſſet miniſteriali paſtoris ſui poteſtati, & nihilominus idem paſtor tanquam civis ſubordinaretur ſupremæ & dominanti principis poteſtati: ſimilibus quibuſdam exotericè hoc docebo. Si ex gr. filius fiat rex, qui patrem habeat nec regem nec conſortem imperii; aut ſi mulier fiat regina, eaque nubat viro, ſed nec regi nec conſorti iſtius imperii vi pacti conjugalis, aut alterius cujuſdam factæ conventionis: an non filius patri & patriæ poteſtati ſubordinaretur, quà filius; & viciſſim idem filio quà majeſtatis jure præfulgenti ſubordinaretur, tanquam ſubditus? Sic arbitror. Idem dico, de viri poteſtate maritali, in & ſupra reginam, quatenus uxor eſt (neque enim jus divi-

 num,

num permittit uxori αὐθεντεῖν, &c. 1 *Timoth.* 2. *v.* 12.) & viciſſim de poteſtate regiâ uxoris, quatenus regina eſt, in & ſupra maritum ſuum tanquam ſubditum. Demus adhuc exemplum in ſpiritualibus: Deborę & Huldæ quà prophetiſſis ſubordinabantur mariti eorum, tanquam fideles & membra eccleſiæ: ita ut nec mariti, nec univerſa eccleſia iis dicere poſſet, illud 1 Corinth. 14. v. 24. *Mulieres veſtra in conventibus ſileant*, &c. *Quod ſi quid diſcere volunt, domi ſuos viros interrogent*, &c. An non ipſe Chriſtus tanquam ſummus propheta, ſacerdos, & rex in ſpiritualibus ſubordinatos habuit omnes, etiam parentes: idque ipſo facto oſtendit *Luc.* 2. *v.* 49. *Johann.* 2. *v.* 11. & tamen alio reſpectu, aliiſque in rebus *ſubjectus fuit* parentibus *Luc.* 2. *v.* 51. non quà Deus, aut quà Mediator; ſed quà Filius hominis, filius Marię. Si quis legerit *Agellium*, obſervavit proculdubio *l.* 2. *c.* 2. Tauri Philoſophi diſtinctionem ſuper dignitate patris civis privati, & filii Magiſtratum populi Romani gerentis. In publicis, in„quit, locis atque muneribus atque actionibus patrum jura cum filiorum, „qui in Magiſtratu ſunt, poteſtatibus collata, interquieſcere paululum & „connivere; ſed cum extra Rempubl. in domeſticâ re atque vitâ ſedeatur, „&c. tum inter filium magiſtratum & patrem privatum publicos honores „ceſſare, naturales & genuinos exoriri. Ibidem Fabii Maximi exemplum adducit: quod legat, cui vacat. Agmen claudat, ſimile medici, cui tanquam vitæ ac ſanitatis miniſtro (alii Imperatorem dixerunt), Princeps, Senator, præfectus, &c. volens ſe ſubjicit, qui poteſtatem ſuam pharmaca & diętam pręſcribendi, etiam, neceſſitate ita poſtulante, urendi & ſecandi, pro virili exercet: nec tamen poteſtati principis aut præfecti in ſubditos & in ipſum medicum tanquam ſubditum, quidquam decedit. Si quis ægrotare malit, quam medici curæ ſe ſubjicere, & ſanitatem per ipſum conſequi: medicus ſpectatorem ageret; donec exitus acta probaret. Compara paſtorem medico ſpirituali, qui neminem cogit ut ſe curæ ipſius ſubjiciat; ſed ſponte ſe ſubjicientes ſuſcipit & curat tanquam medicus.

IV. *Object.* Si miniſtris autoritas ſeu poteſtas ſub Chriſti ſupremâ poteſtate competit, ergo dicendi erunt miniſtri ſeu paſtores *Dei gratiâ*: Sed hoc abſurdum. Ergo. Hoc plumbeo pugione profani quidam irriſores contra ordinem ab eccleſiæ magiſtro conſtitutum in ἐγκυκλίοις & ſympoſiis ſuis pugnare deprehenduntur. *Reſp.* Sed errant ignorantes ſcripturas & virtutem Dei. Sacrum miniſterium quod ad primam inſtitutionem, quod ad applicationem ad τὸ εἶναι, & ejuſdem qualificationem ſeu ἱκανότητα, quod ad continuationem, atque exercitium dependet à gratiâ Chriſti; immo vocatur, gratia, chariſma, donum gratuitum. Vide Ephel. 4. v. &

12.

Digitized by Google

11. 12. *dedit dona hominibus*, &c. *igitur dedit alios quidem Apoſtolos*, &c. *alios autem Paſtores & Doctores, ad compactionem ſanctorum, ad opus miniſterii*, &c. Rom. 1. v. 5. *per quem* (ſcil. Chriſtum) *accepi gratiam & apoſtolatum.* Rom. 12. v. 3. 6. & 15. v. 15. 1 Cor. 3. v. 10 loqui ſe dicit & apoſtolatu fungi, *ſecundum gratiam, quæ ipſi data eſt.* Hinc eſt quod dicit 1 Corinth. 15. v. 10. *GRATIA DEI SUM ID QUOD SUM:* quod omnes genuini miniſtri in ſolo Domino (non in libero arbitrio, viribus ſuis, meritis ſuis) gloriantes imitari tenentur: apoſtolicam explicationem loc. cit. additam pręferendo: *Gratia Dei quæ in me eſt, non fuit inanis*; &c. *laboravi: non ego, ſed gratia Dei, quæ eſt in me.*

Ne quis autem excipiat, hæc convenire apoſtolo Paulo, aliiſque extraordinariis iſtius temporis miniſtris: inſpici velim *Epheſ.* 4. *v.* 8. 12. cum *Roman.* 12. *v.* 6. 1 *Corinth.* 12. *v.* 28. - 31. Math. 28. v. 19. *Ite & docete*, &c. *baptizantes*, &c. *& ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſeculi, Amen.* En Chriſtum, Chriſti gratiam, Chriſti miniſtros, Apoſtolis uſque ad finem mundi ſuccedentes. Quod ſi ingrati quidam cuculi vitiorum mancipia, τὰ ἐπίγεια φρονοῦντες (*Philipp.* 3. *v.* 19.) miniſtros per Dei gratiam datos, Dei gratiâ inſtructos, Dei gratiâ laborantes faſtidiunt, ii videant ne aliquando dentur miniſtri in irâ, quales antehac ſub Papali tyrannide dominari ſolent, & *Ezech.* 34. *Philipp.* 3. *Apocal.* 9. *v.* 1. - 13 deſcribuntur. Interim genuini & fidi miniſtri Chriſti, qui per ſolam *Dei gratiam* ſunt quod ſunt, & faciunt quod faciunt, certum reddentes ſuum miniſterium (2 *Timoth.* 4. *v.* 5.) ad Dei gratiam, bonitatem ſe ſuaque referunt, non ad liberi arbitrii ſui impotentiam, nec ad malum Deum Manichaicum, nec ad apoſtolicæ (h. e. Romano-Papalis) ſedis gratiam: uti hoc titulis ſuis Epiſcopi & archidiaconi Papales oſtentant. *N. Dei & apoſtolicæ ſedis gratiâ* epiſcopus N.

Sed inſtant. 1. *Inſtantia.* Soli Monarchæ, & ſupremi regionis, aut territorii alicujus domini, titulo *per Dei gratiam*, ab aliis poteſtatibus & dominis non-ſupremis diſtinguuntur; quia illi à nemine dependent, nec ſupra ſe quendam aut quidquam ſe habere dicunt, niſi Deum & ſolem. *Reſp.* Tales opponentes terreni nil niſi terrena ſapiunt, & ſomniant. Miniſtri regnum cœleſte & regem ſpiritualem Chriſtum prædicant; ſeque miniſtros regis Chriſti in ſpiritualibus per ejuſdem ſolius gratiam agnoſcunt; non miniſtros ſeu officiarios alicujus regni aut regis in temporalibus; neque etiam eorundem quà regum aut principum miniſtros in ſpiritualibus, niſi quatenus illi ſunt aut fiunt ſubditi regni Chriſti, & membra eccleſiæ: pari ratione ac miniſtri omnium membrorum ſunt, quocunque in ſtatu & gradu ſæculari, etiam viliſſimo & infimo, conſtitutorum. 1 *Cor.* 4. *v.* 5. cum

 2 *Cor.*

2 *Cor.* 1. *v.* 24. In Chriſto enim nihil valet præter fidem per caritatem, &c. & novam creaturam *Galat.* 5. & 6. *Coloſſ.* 3. *v.* 11. Omnis proſopolepſia hic abeſſe debet *Jac.* 2. *v.* 1. 2. 3. Omnes conſiderandi ſunt tanquam reges & ſacerdotes ſpirituales 1 *Petr.* 2. *v.* 5. 9. *Apoc.* 1. *v.* 5. & 5. *v.* 10.

Inſtantia 2. Cum tamen à ſupremâ Magiſtratus poteſtate, quod ad electionem, ſanctificationem, ſeparationem, vocationem ad ſacrum miniſterium, & quod ad ejuſdem miniſterii functionem intrinſecè & in ſe conſideratam per ſe, directe, & immediatè dependere ſe negant; videntur affectare aut tribuere ſibi eandem aut parem poteſtatem, cum ſupremis populorum aut terrarum dominis, qui nihil ſupra ſe agnoſcunt, niſi Deum & ſolem. *Reſp.* 1. Præmoneo hic, Remonſtrantes, cum res ipſorum ſtarent, tantum ſupremis poteſtatibus poteſtatem eccleſiaſticam vindicaſſe, ut videre eſt in libro *Joh. Wttenbogardi*, *Grotii pietate*, &c. Erant enim Magiſtratus civitatum Dordrac. Amſtelodam., Enckhuſ., &c. qui Remonſtrantium factioni velificare nolebant. Illis ergo tunc nihil competebat: ſed tantum ſupremo Magiſtratui, hoc eſt panegyri Ill. Ordd. Hollandiæ; ubi potioribus ſuffragiis in favorem factionis Remonſtanticæ tunc concludere poterant. Sed hanc fidem fuiſſe temporum, non Euangeliorum (ut loquar verbis *Hilarii*) anno 1619. pateſcebat, cum illuſtr. & potentibus Hollandiæ Ordd. & aliarum provinciarum nihil poteſtatis, præter tyrannicam aut uſurpantem tribuerent: uti hoc docent quiſquiliæ libellorum ab illis tunc editorum, tit. *Nullitates Synodi*, *Achabi jejunium*, &c. In ipſa tamen praxi antea, vel agrario cuivis aut oppidano conſuli, prætori, toparchæ inferiori [Ambachts-Heer], militari præfecto, nihil non tribuebant; modo intruſionem Remonſtrantium, & excluſionem aut ejectionem orthodoxorum miniſtrorum pro viribus promoverent.

Quid rurſum verſâ velificatione anno 1626. 1627. 1628. tribuere cœperint unius civitatis Magiſtratui, quem in favorem ſuum tunc aliquid movere putabant, ex libellis tunc editis conſtat. Quamvis non ignorarent, quid Ill. Hollandiæ Ordines contra decernerent. Sed illorum decreta & mandata apud ipſos, nullo tunc numero erant, quia non pro ipſis. *Reſp.* 2. toto genere diſtat miniſtrorum poteſtas ἐνδιάθετος & intrinſeca, à poteſtate ſupremâ Magiſtratus. Hic enim nullum regem, principem, Magiſtratum agnoſcit ſuperiorem: poteſtatem ſuam ſupremam: dominatum ſecularem nulli poteſtati ſubordinatum, à nullâ dependentem ſtatuit. Miniſter quiſque ſuam poteſtatem ſtatuit purè miniſterialem, eccleſiaſticam, & ſpiritualem (uti antè dictum eſt); non dominantem, coactivam, ſuperiorem, aut ſupremam, qualem Papa, & *Epiſcopi* atque archidiaconi *Dei & Apoſtolicæ ſedis gratiâ* ſibi tribuunt. Idem miniſter in poteſtatis illius exercitio, &

Digitized by Google

& collatione ſeu applicatione ad ſuam perſonam, agnoſcit ſe dependere *primum* à Chriſti regis ſuprema poteſtate in ſacris, & quidem abſolutè: deindè à poteſtate ſociali & eccleſiaſtica, quam habent presbyteria, claſſes, ſynodi; eidemque ſuam poteſtatem, quod ad adeptionem & exercitium directè & per ſe ſubordinari, juxta illud *Spiritus prophetarum prophetis ſubjectus eſto* 1 Cor. 14. *Et viſum eſt Spiritui S. & nobis*, &c. Actor. 15. Non tamen abſolutè, ſed hypotheticè, quouſque juxta verbum Dei decernunt & ordinant. Quæ omnia antehac in *diſpp. de claſſibus, ſynodis*, explicata ſunt, *infra* 3. *parti inſerendis*. Quatenus vero miniſter civis eſt, aut homo eſt in ſocietate humanâ vivens, ſatis novit illud Apoſtoli, Rom. 13. v. 1. *Omnis anima*, &c. Pii quique mariti ſibi ſolis poteſtatem maritalem (intrinſecam ſcil. & formalem) quiſque in uxorem ſuam vindicant; nec ulli alteri aut in totum aut ex parte illam ſive dictam ſuperiorem, ſive ſubalternam, ſeu collateralen concedunt. Quis ſanus ac ſobrius hinc inferret, abſolutam eorum à Magiſtratu independentiam ſupremam, aut collateralem in Republica poteſtatem, aut imperium in imperio erigi? Sed vertiginoſas illas & toties totieſque recoctas φλυαρίας, ſupra *part.* 1. *lib.* 1. *tr.* 2. ſatis ſuperque confudimus.

v. *Object.* Autoritate miniſtris aſſertâ, nova hierarchia hierarchiæ Papalis ęmula, introduci videtur. *Reſp.* Nihil ineptius dici poteſt. Nec Papale, nec noſtrum regimen intelligunt; & in reformatorum liturgiâ, confeſſione, ſtatutis eccleſiaſticis, praxi eccleſiaſticâ plane hoſpites ſe oſtendunt, qui ſic cornicantur. Apud nos juxta morem & praxim primitivam (referente *Hieronymo ad Tit.* 1.) communi conſilio presbyterorum eccleſiæ gubernantur. Si quis inter paſtores difficilibus temporibus Remonſtranticis in hâc & in vicinâ provinciâ fuerit ἄδικος aut Diotrephes φιλοπρωτεύων, à miniſtro aliquo politico ſubordinatus, aut brachio ſæculari ſuffultus; illud totum Magiſtratuum quorundam abuſibus, non ordini & juri divino imputari poteſt, quippe qui ſalvum conductum ac protectionem contra εὐταξίαν, concordiam, & pacem eccleſiaſticam ἀπαιτοῦσι illis peculiari remonſtrantiâ (unde dicti *Remonſtrantes*) hoc petentibus, præſtabant: atque ita novam profano ſacram, politico eccleſiaſticam, Cæſareo Papalem hierarchiam, introducebant. *Lutheri reſponſio in epiſtolâ ad Melanthonem parti* 1. *conſil. Melanthonis inſertâ pag.* 118. epiſcopatui & Cæſareo Papatui non malè opponitur.

„ Epiſcopus ut Epiſcopus, nullam habet poteſtatem ſuper Eccleſiam „ ſuam ullius traditionis, aut ceremoniæ imponendæ, niſi conſenſu Ec„cleſiæ, vel expreſſo vel tacito. Quia Eccleſia eſt libera, & Domina, & „ Epiſcopi non debent dominari fidei Eccleſiarum, nec invitas onerare

 aut

Digitized by Google

„ aut opprimere. Sunt enim miniſtri & œconomi tantùm, non Eccleſiæ „ domini. Si autem Eccleſia conſenſerit, ceu unum corpus cum Epiſcopo, „ poſſunt ſuper ſe imponere quidquid volent, ſalva pietate. Rursùm etiam, „ pro arbitrio, omittere. Sed hanc poteſtatem Epiſcopi non quęrunt, „ volunt dominari, & in ſuo arbitrio ſolo omnia habere. Hoc nobis non „ eſt concedendum, nec ullo modo participandum huic iniquitati, & in-„ juriæ, ſeu oppreſſioni eccleſiæ & veritatis.

„ Epiſcopus, ut Princeps, multò minùs poteſt ſupra Eccleſiam impone-„ re quidquam, quia hoc eſſet prorsùs confundere has duas poteſtates, „ & tùm verè eſſet allotrioepiſcopus, & nos ſi admitteremus eum, tùm „ eſſemus paris ſacrilegii rei. Hic potius eſt moriendum, quàm hanc im-„ pietatem, & iniquitatem committere. Loquor de Eccleſia, ut Eccle-„ ſia, diſtincta jam à civitate politica.

„ Epiſcopus ut princeps poteſt ſuis ſubditis ut ſubditis imponere, quid-„ quid viſum fuerit, modò pium ac licitum ſit, & ſubditi tenentur obe-„ dire. Obediunt enim tunc, non ut Eccleſia, ſed ut cives.

VI. *Object.* Inter viros non-eccleſiaſticos inveniuntur, qui multos preſbyteros tam docentes quam gubernantes, ſtudio ac zelo pietatis, prudentiâ in rebus, etiam eccleſiaſticis, agendis, longè ſuperant: ergo non deberet autoritas, in præjudicium eorum, paſtoribus & presbyteris alligari? *Reſp.* Antecedente conceſſo, conſequentia negatur. Si intercedat legitima vocatio, optimam operam tales viri eccleſiis præſtare poſſent. Sed quandoquidem nemo ſumit ſibi hunc honorem, niſi qui vocatus eſt *Hebr.* 5. *v.* 4. cum *Rom.* 10. *v.* 15. 1 *Timoth.* 4. *v.* 14., ordo ſervandus eſt. Poſſent inveniri mulieres quod ad ſcientiam, pietatem, zelum magis idoneę animabus lucrandis, quam ignavus & indoctus aliquis miniſter: ſed hinc conſequentia contra legitimam autoritatem miniſterialem edolari non debet. Multi ſunt miniſtri, qui rebus politicis & judicialibus tractandis, magis idonei eſſent, quam aliqui Scabini (inter quos ego novi, qui nec alphabetare nec ſcribere nôrant): ſed quis inde conſequentiam nectat: *Veteres migrate coloni, & miniſtro locum veſtrum concedite.*

VII. *Object.* Miniſtri nullam autoritatem & poteſtatem Paſtoralem habent: quia ſoli Epiſcopi ſunt Paſtores eccleſiarum, & concionatores eorum adjutores ſolummodo & miniſtri. *Reſp.* Sic fere *Andrews Epiſcopus* Elienſis *in Epiſtolâ ad Petrum Molineum*; quæ exſtat in ejus opuſculis poſthumis anno 1629. editis. Hinc argumento *infra part.* 3. *in diſputatione de Epiſcopatu & presbyterio* reſpondetur. Vide interim *Epheſ.* 4. *v.* 11. cum 1 *Petr.* 5. *v.* 2. 3.

CAP.

by Google

CAP. VI.

Quæſtiones aliquot circa Miniſterii autoritatem explicantur: quarum aliæ concernunt naturam & proprietates poteſtatis & autoritatis, in ſe; aliæ ejuſdem exercitium.

PRioris generis quæſtiones ſunt. §. 1.

I. *Quæſt. Quomodo quis autoritatem paſtoralem ſeu majus autoritatis æſtimationem & agnitionem apud majores & minores in populo ſuo, etiam aliquo modo apud neutrales & extraneos ſibi acquiret? Reſp.* Media ſunt triplicia: quorum prima pertinent ad præparationem ad miniſterium: ſecunda ad vocationem: tertia ad ipſam miniſterii functionem. Inter primi generis media eminet; ſi in delectu & curſu ſtudii theologici, ita vitam moreſque inſtituat; eaſque zeli, pietatis, modeſtiæ, gravitatis ſcintillas oſtendat, ut *ſacerdos inter Chriſtianos etiam ante ſacerdotium* (quod de Baſilio in ſtudiis verſante *Nazianzenus*) merito videri poſſit. Neſciunt ſæpe juniores, quantum abſit autoritati, vitæ ante-actæ vanitas, levitas, turpitudo; ſiquidem ea eccleſiæ innotuerit. Accedit etiam infantiæ & pueritiæ honeſta, & minus vilis ac ſordida, per honeſtos & non per nimis contemptos (ne dicam, infames) parentes aut tutores educatio. Ea ubi non adfuit, præſtat ut plurimum (non ſemper) eminus & prudenter miniſterium illic loci obeundum declinare. Non fruſtra dixit ſervator *Marc. 6. v 4.* (coll. cum *Math. 13. v. 57. Luc. 4. v. 24. Joh. 44.*) *Non eſt propheta inhonoratus, niſi in patriâ ſuâ, & inter cognatos, & domi „ſua. Calvinus in commentar. ad Joh. 4. v. 44.* Eſt enim hoc vitium univer„ſale, ut quos in cunis vagientes, quos pueriliter ineptientes vidimus, „ii totâ vitâ nobis deſpectui ſint, quaſi nulli profectus pueritiam ſecuti „ſint; accedit & alterum malum, quod inter cognatos magis regnat æ„mulatio. Hieronymus ad Math. 13. *admodum*, inquit, *naturale eſt, cives ſemper civibus invidere; non enim conſiderant præſentia fidei opera: ſed fragilitatem recordantur infantiæ.* Chryſoſtomus homil. 34. in Joh. hanc addit rationem: *conſuetudo contemtum parere conſuevit.* In quam ſententiam Cyrillus in Joh. *Solemus enim quod tritum eſt ac quotidianum, etiam ſi magnum ſit, parvi pendere.* Tertiam rationem addit *Theophylactus in Math. 13. & Luc. 4.* Quod per perverſitatem hominum, etiam præſtantiſſima, ſi ſint conſueta, & non ſint σπάνια & ξένα, i. *rara & peregrina*, contemnuntur. Experientia hoc docet teſte Plutarcho de Exilio: Ex *prudentiſſimis*, inquit, & *ſapientiſſimis paucos admodum reperias, in patriis ſuis*

ſuis κεκαλλωπισμένους curatos. Hæc inculcata velim iis, qui nimis impotenter & importunè, ſi non ἀπίκτως, affectant miniſterium, ubi nati, & educati fuerunt: cum potius ad autoritatem & fructum majorem miniſterio ſuo conciliandum, temperare deberent illud, *Neſcio quâ natale ſolum dulcedine cunctos ducit*, &c.

Secundi generis media ſunt, ſi in vocatione & promotione ad miniſterium talem ſe præſtiterit, ut nemini obnoxius ſit factus, nec exprobrationi immemoris beneficii nudum latus expoſuerit. Hoc eſt, ſi abfuerint importunæ curſitationes, impudentes emendicationes, adulatoriæ inſinuationes & prenſationes, magnatum per miniſtros ipſorum corrogatæ commendationes (quas illi inſtar mandatorum eſſe velint), dictorum patronorum (imprimis à religione alienorum, aut moribus profanorum) invocationes, ſuſcitationes, incitationes; artes denique omnes Simoniæ & Simoniacæ. Si quis violenter intruſus ſit; aut ſeniores & Diaconi tali in caſu circumventi tanden ceſſerint, ut volentes nolente animo inſtrumento vocationis ſubſignaverint (quamvis tota aut potiori parte eccleſiæ reclamante); jam cogita an hàc viâ ad autoritatem iſtic obtinendam, miniſter graſſari poſſit.

Tertii generis media ſunt, ſi in curſu functionis, diligentiam in ſtudiis, & in agro eccleſiæ publicè privatimque excolendo adhibeat; ſi humili familiaritate, & familiari humilitate, nec minus gravitate in dictis, conſiliis, factis, geſtibus domi, foris, publicè, privatim, ſe exornet; ſi eruditionis, prudentiæ, pietatis, conſcientiæ, patientiæ lucem ita præferat, & lucere faciat coram hominibus, ut omnium fautorum oculos recreet, & invidorum ac malevolorum perſtringat. Cum familiaritatem, facilitatem, & ſuavitatem in moribus, in converſatione requiro, non intelligo aliam, quam quæ ſit pro veritate & pietate, non contra eam; nec eam, quæ eſt in rebus vilibus, & futilibus, aut negotiis de hoc ſęculo, aut in conviviis & ſacris culinariis captandis, affectandis, ſectandis. Minimè. Non ſunt validioris arietes autoritati paſtorali elidendæ, & ſubvertendæ. Otio abundantibus, & ſtomacho ac complexione validis, offas illas deglutiendas, cyathos evacuandos, popinas luſtrandas (ſi aliter nolint) relinquant. *Hic meus cibus eſt*, &c. ajebat ſervator, Joh. 4 v. 34. Si qui viri lautioris conditionis, urbanos ſcurras (*bouffons*), moriones, thymelicos, geſticulatores, jocularios, gelaſinos, dapibus, deliciis, & convivis ſuis adhibere velint, ſaltem in foro eccleſiaſtico eos non quærant; nec miniſtri aut odio, aut amore cujuſquam ſe huc trahi patiantur.

II. *Quæſt. An autoritas & poteſtas miniſtrorum apud populum obtineri nequeat, ſine gradibus & excellentiis hierarchicis, & ſplendore ac potentiâ mundanâ?*

Digitized by Google

danâ? Reſp. Pro affirmante ſubinde differere audias homines *ὑπέρμεγα φρονοῦντας*; etiam aliquos cætera nec heterodoxos nec malos, ſed tacito Diotrephicæ ambitionis œſtro tentatos. Obtinuit ab omni ævo, etiam inter ipſos Chriſti diſcipulos, illud Lucani poëtæ:

------ nec ferre poteſt Cæſarve priorem.
Pompeiuſve parem ------

Supra fratres illicitè ſe efferre ſtudent, qui ſæpe de eruditionis, pietatis, zeli, diligentiæ licitâ & laudabili ἐξοχῇ & exſuperantia minimè laborant. Quidquid prudentia carnis olim in antiquâ eccleſiâ, forte non malâ omnium intentione, malo tamen conſilio & peſſimo eventu ſuggeſſit; gladio verbi profligandum, igni ſpiritus exurendum. Luc. 22. *Reges gentium*, &c. *vos autem non ſic*, &c. Ubi ſemel ab hac ſimplicitate deflectitur, quo tandem torrentem hunc ſiſtent? Aut nulla ἐξοχὴ & poteſtas, aut tota tot eccleſiarum, atque unà poteſtas gladii in epiſcopos conferenda videbitur: ut poteſtate eminente, dominante, coactivâ ſibi & rebus ſuis eccleſiaſticis autoritatem conciliare, mundum in eccleſiam invehere, ab epiſcopis ad archiepiſcopos, ab his ad patriarchas minores, & majores, & ſic deinceps ad primum Patriarcham, Primatem, Monarcham, Papam Antichriſtum aſcendere poſſint.

Tanta molis erat Romanum condere Papam.

Vide quæſo progreſſionem hanc, ſed non Arithmeticam, apud *Calvinum lib. 4. Inſtit. cap. 2. - 8.* Si paſtores eruditione, pietate, diligentiâ, fidelitate, abnegatione ſui ipſius, humilitate, ſanctæ converſationis exemplo, caritatis ſubſidio autoritatem apud populum ſibi conciliare neſciunt: careant ergo eâ. Sed de his ſuo loco; ubi de Epiſcopatu. Ego principibus & Magiſtratibus ſuggererem, ut ſi quis ex theologis clam inſuſurret ipſis graduum in poteſtate miniſteriali diſtinctionem introducendam, eum tentandi cauſa interrogent, an prius ſpondere velit exemtionem ſui & ſuorum ab illo novè conferendo majoris poteſtatis onere?

III. *Quæſt. An autoritas & poteſtas miniſtri cujuſque ſit abſoluta; hoc eſt, tum in actu tum in exercitio independens ab omni correſpondentiali, ſociali, & aggregata poteſtate? Reſp.* Neg. eſt enim contra jus adæquationis, correſpondentiæ, confœderationis, concorporationis, communitatis, unionis, ſocietatis, à pluribus eccleſiis & miniſtris, juxta præſcriptum verbi divini, initę. Ita ut ἄτακτοι deprehenſi ſint miniſtri illi, & cenſuris poſtea ſubjecti, qui articulos ordinis eccleſiaſtici a. 1591. in Hollandiâ infeliciter conceptos, ſed abortivos, & nunquam ab eccleſiis receptos, aut doloſam illam ſyncretiſmi Remonſtrantici formulam anni 1614. ſub nomine *de-*

Digitized by Google

creti Ordinum Hollandiæ pro pace eccleſiarum (verè, pro turbatione eccleſiarum, & heterodoxiæ intruſione, ſi finem operis ſpectes) editam, & immediatè ſigillatim miniſtris per Satrapas, Ballivos, prætores, alioſque inferiores ſenatores inſinuatam, recipiebant. Quaſi ſcil. fuiſſent ſoli ipſi independentiſſimi; nec ſubſcriptione ſolenni & certis ſtipulationibus in ſuſceptione miniſterii ſynedriis quique ſuis & claſſibus, ac ſynodis incorporati: quorum communi conſilio eccleſiæ, quod ad doctrinam & diſciplinam, gubernari debeat. Quidquid doctrinæ profeſſionem, aut publici cultus modum & ordinem communem, aut regiminis & diſciplinę ductum communiter in eccleſiis receptum & hactenus ſervatum concernit; de eo unius non eſt ſigillatim & ſeorſim decernere, nec in eo de facto quidquam mutare, ſed unitatis. Excipitur.

1. *Except.* Princeps, præfectus, Magiſtratus imponit, & immediatè inſinuat, abſque admittenda aut concedendâ, ullâ cum collegiis eccleſiaſticis communicatione: ita ut illi nihil præter parendi gloriam, aut neceſſitatem reſtare videatur. *Reſp.* Non tam neceſſario patiens patitur, quam agens agit: Cœca obedientia nulli convenit, ſed minimè omnium miniſtris. Omnia probanda, &c. 1 *Theſſal.* 5. Quicunque ipſis loquitur, ſuadet, &c. præſertim in iis, quæ ſunt fori eorum, & ubi illi ſunt ἐγχώριοι, &c. debet illis loqui tanquam prudentibus judicaturis, & omnia probaturis 1 *Corinth.* 10. *v.* 16. Si qui illos tanquam fungos, aut nervis mobile lignum habere velint; ipſi ſaltem dona & poteſtatem ſuam divinitus collatam ignorare & negligere non debent. Omnem ordinem perturbabant infelices illi miniſtri, qui ad ſuaſionem aliquam clandeſtinam, aut magnatum impulſum, ſuæ confœderationis, incorporationis, promiſſionis, ſubſcriptionis & receptionis ad miniſterium obliti, alii quinque Remonſtrantium articulis, alii ſyncretiſmo ſeu moderationi poſt anno 1614. in Hollandiâ, extra communicationem & communionem presbyterii, claſſis, ſynodi ſeorſum & ſigillatim ſubſcribebant; aut ſe addicebant. Laxatis illis unionis eccleſiaſticę compagibus, & quolibet privatim ac peremtoriè decernente, immo & diruente, ædificante, quadrata rotundis mutante, quid tandem de incremento, concordiâ, ſubſiſtentiâ eccleſię futurum, quid ſperandum? Memini prudenter monitum & decretum in ſynodis Hollandicis ab anno 1617. & deinceps, (etiam in hac noſtrâ, ni fallor) ne quis privatim in conſilia ſyncretiſtica de admiſſione Remonſtrantium (quæ tunc agitabantur) conſulendo, aut ſcribendo ſe immitteret.

2. *Except.* Atqui ſi res dicatur purè politica, quid reſtabit collationis cum & in ſynedrio eccleſiaſtico, aut claſſe? *Reſp.* An res talis ſit, adminimum perſpiciendum eſt. In quo nemo debet ſolus ſapere, nemo debet

eſſe

Digitized by Google

eſſe multi magiſtri *Jacob.* 3. *v.* 1. Cogitet ſub illo ſchemate multa latere poſſe, & oculos plus videre quam oculum. Et dato eſſe aliquod ſuo genere politicum, ſerio conſiderandum miniſtro, an tutum aut decorum ſit, aut ipſe in conſcientiâ teneatur tali negotio ſe immiſcere. Prudentiores quique judicant, theologos & miniſtros rectè negaſſe ſolennem receptionem & ſubſcriptionem in Anglia formulæ vulgo dictæ *engagement*: quamvis ea à poteſtate tunc dominante urgeretur.

IV. *Quæſt. An eccleſia & miniſtri poteſtatem & autoritatem eccleſiaſticam, cujus partem quiſque miniſter tanquam anteceſſor, in ſacris & eccleſiaſticis tenet ac poſſidet; in principes aut ſenatum ad fidem jam converſum jure divino transferre, aut ipſis cedere debeant: & rurſum, ſi eundem illum principem aut eius ſucceſſorem à religione abalienari contingat; an eadem eccleſia, iidemque miniſtri aut ſucceſſores eorum antiquam ſuam poteſtatem ſeu claves ſuas tranſlatas reſumere, aut de novo ſimiles ſibi aptare, earumque κτῆσιν & χρῆσιν ſibi vindicare debeant? Reſp.* Hoc aureum ſomnium eſt, & muſteum commentum Neo-Eraſtianorum, inſtar phanaticorum Tremulorum ſine juris Divini tabulis dictantium. Illis dum incumbit probatio, nihil aliud reponendum eſt, quam *nego*, & cedo textum ſcripturæ. Qui cum adferri non poſſit, & ipſi cum pontificiis nondum dicere velint, eſſe dogma ἄγραφον, quod per traditionem habetur: tam facile illud rejicimus, ac ab illis adfertur. Hic ergo terminus eſto. Si à ſcripturis depulſi, confugiant ad patres totamque antiquitatem eccleſiaſticam cum corporis utriuſque juris (cujus myſtæ multi noſtrates Eraſtiani audiunt) tantundem inde auferent.

V. *Quæſt. An partes poteſtatis paſtoralis quod ad poſſeſſionem & uſum divelli ac ſeparari poſſint: ut poteſtas ſacramenta confirmationis, & ordinis adminiſtrandi diſciplinamque exercendi, canones condendi, in conciliis ſuffragandi, epiſcopo; poteſtas concionandi & eccleſiam ſub Epiſcopo regendi, atque ibidem ſacramenta adminiſtrandi, parocho; ſacramenta baptiſmi, pœnitentiæ, unctionis, matrimonii adminiſtrandi, ſacerdotibus tribuatur? Reſp.* Neg. Rationes à nobis adductas vide *lib.* 1. *polit. eccleſ. tract.* 2 *cap.* 5. *quæſt.* 14.

VI. *Quæſt. An & quomodo diſtinguatur poteſtas eccleſiaſtica, cujus ſubjectum eſt corpus eccleſiaſticum, à poteſtate, qua paſtori contradiſtinctè ad populum competit? Reſp. lib.* 1. *Polit. eccleſ. tract.* 2. *c.* 5. *qu.* 11. ita diſtinximus: ut poteſtas ſit in ſolis miniſtris quod ad partes quaſdam, diſpenſationis ſcil. verbi & ſacramentorum, & in miniſtris ac ſenioribus ſolis quod ad ductum, directionem, executionem regiminis & cenſuræ. Ita ut hoc reſpectu ſint *ſubjectum & principium quo*, ſicuti oculus eſt ſubjectum & principium viſus; & ſicuti manus eſt pars totius hominis, & nihilominus

Digitized by Google

nus inſtrumentum, ὄργανον ὀργάνων (ut philoſophus appellat), ſubjectum & *principium quo* facultatis apprehendendi. Totum vero corpus eccleſiaſticum eſt *ſubjectum & principium quod.* Huic diſcrimini explicando inſerviret forte ſimile animæ: quæ juxta *Albertum Magnum lib.* 1. *de animâ tract.* 2. *cap.* 7. quod ad eſſentiam ſuam, & ut forma corporis, eſt in toto corpore: ſed ut motor, & ſecundum has aut illas particulares facultates corporeas, eſt ex. gr. in ſolo oculo tanquam ſubjecto, principio quo, & organo, ſecundum facultatem videndi.

§. 2. *Quæſtiones de exercitio poteſtatis miniſterialis ſunt iſta.*

I. *Quæſt. An ſolus aut unus eccleſiæ Paſtor ſeu parochus poteſtatem ordinandi eccleſiam, cenſuras exercendi & applicandi uſque ad excommunicationem minorem aut majorem incluſè; in cultu publico partem aliquam mutandi; tempora cœnæ diſtribuendæ; vocationem & electionem alterius miniſtri ſive futuri collegæ ſive ſucceſſoris ſibi ſumere & uſurpare poſſit? Reſp.* Neg. cum Apoſtolo 2 Corinth. 2. v. 6. *ſufficit illum à pluribus*, &c. 1 Timoth. 4. *per impoſitionem manuum presbyterii. Actor.* 20. 28. ubi presbyteri eccleſiæ Epheſinæ dicuntur inſpectores iſtius eccleſiæ conſtituti eſſe. Vide liturgiam noſtram tit. de confirmatione ſeniorum, & de excommunicatione: ubi collegio alicui, non uni ſoli concionatori, regimen commiſſum dicitur.

In *ſtatutis eccleſiaſt. art.* 15. extraneo concionatori concedi non debet concionem habere, aut cœnam adminiſtrare abſque ſynedrii conſenſu. Tantum abeſt, ut ulli uni tanquam parvo Papæ aut epiſcopo totum regimen, tota poteſtas clavium, totum diſciplinæ exercitium committeretur.

II. *Quæſt. An novitius concionator aut ætate juvenis, temperamentum aliquod in uſu autoritatis ſuæ paſtoralis, præ grandævo ſene, aut veterano ejuſdem eccleſiæ paſtore, piè & prudenter adhibere debeat? Reſp.* Aff. ex 1 Timoth. 5. v. 1. *Seniorem ne increpaveris, ſed adhortare eum tanquam patrem*, &c. Si hominum infirmitatem ſpectemus, hic etiam locum habet illud poëtæ:

Intererit multum Davuſne loquatur, an herus;
Maturuſve ſenex, an adhuc florente juventâ.

Quod tamen ſic accipiendum eſt, ut res ipſa tanquam muneris pars neceſſario non omittatur: Aliud enim eſt adhortatio, correptio, elenchus; & aliud tempus ac modus ea publicè privatimve diſpenſandi atque applicandi. Sunt enim auditores alii magis obſequentes, alii magis rebelles; alii magis intelligentes, alii plane aut magis rudes, alii magis pueri & carnales, alii magis ſpirituales. Juvenis adhibeat ſenilem prudentiam, & ſic applicet ſibi 1 Timoth. 4. v. 11. 12. *Hæc denuntia & doce. Nemo con-*

contemnat juventutum tuam, *ſed eſto exemplar fidelium*, &c. Quod ad ipſam rem, æque juvenis Jeremias (*Jerem.* 1.*v.*6.7.) propheta, ac Samuel ſenex; æque juvenis Johannes Apoſtolus, ac Petrus aut Paulus ſeniores; ęque juvenis Timotheus Euangeliſta, ac alii ipſo ſeniores. Quod ſi Deus contentionem, increpationem, & redargutionem ipſorum miniſtrorum cuivis ex populo non tantum concedit, ſed & præcipit Hoſ. 2: v. 1. 2. *Litigate cum matre veſtrâ*, &c. quidni miniſtris peculiari poteſtate inſtructis; quamvis ætate juvenibus, aut miniſterio novitiis? Non malè in hanc ſententiam Ignatius in epiſtol. ad Magneſianos, *non eſt contemnenda juventus, cum Deo adhæſerit.* „ Verùm is contemnendus qui pravo eſt animo, „ tametſi malorum dierum plenus conſenuerit.

„ Et ſupra: Et vos decet non contemnere ætatem Epiſcopi, ſed juxta „ Dei Patris arbitrium omnem impertiri illi reverentiam, quemadmodum „ novi facere ſanctos presbyteros, non reſpicientes ad eam, quæ videtur, „ adoleſcentiam, ſed ad prudentiam quam habet in Deo. Nec enim anno- „ ſi, ſapientes continuò ſunt, neque ipſi ſenes intelligentiam poſſident, „ ſed ſpiritus qui in hominibus eſt.

III. *Quæſt. An omne exercitium poteſtatis miniſterialis ceſſare debeat, & miniſter à poteſtate illâ onerosâ divinitus impoſitâ, in conſcientiâ ſe abſolutum & liberatum judicabit; cum mandato eorum, qui potentiam habent, miniſterium impeditur ſive directè, ſive indirectè per prohibitam in loco illo commorationem. Reſp.* Abſque Conſilio & judicio Eccleſiæ hic nihil agendum. Si perſecutio particularis excitetur contra miniſtrum; eccleſia illum ad tempus inde migrare, & injuriæ temporum cedere jubebit. Sin contra communem cauſam & eccleſiam aut exercitium religionis: jam ille ab exercitio ſive publico, ſive privato publico, ſive plane clandeſtino deſiſtere non debet, quamvis cum periculo: multo minus ipſum miniſterium deponere. 1 Cor. 9. v. 16. 17 *Væ autem mihi niſi euangelizem*, &c. *diſpenſatio credita eſt mihi*, Johan. 10. v. 12. 13. *Mercenarius autem*, &c. *ſpectans lupum venientem relinquit oves & fugit*, &c. *mercenarius autem fugit, quia mercenarius eſt*, & *non eſt illi cura ovium.*

Sed videor mihi audire objicientes. §. 3.

1. *Object.* Poteſtas nulla eſt, aut ſaltem nullus uſus eſt, cum poteſtas ſæcularis eam abrogat aut impedit. *Reſp.* Negatur: quia per ſe, & directè non pendet à poteſtate ſæculari: ſed tantum quod ad circumſtantias tolerati exercitii, aut toleratæ habitationis. Si exercitium publicum aut privato-publicum non toleret; ad latebras confugiendum: ſin ne habitationem quidem toleret, alio migrandum, & de loco in locum fugiendum. Hoc Chriſtus, apoſtoli, & primitiva eccleſia & doctrina & praxi ſua nos docuerunt.

 2. *Object.*

II. *Object.* Atqui tunc reſiſtitur poteſtatibus. *Reſp.* Negativam hanc reſiſtentiam ab iiſdem edocti ſumus: quibus addimus orthodoxos tempore graſſantis Arianiſmi, & Waldenſes, Huſſitas, Reformatos, jam inde à pertendente ſuperioris ſæculi reformatione; præſertim Belgas noſtros ſub tyrannide Papatus gementes, & ſub contentione Remonſtrantium uſque ad annuum 1618. in hâc & viciná provinciâ laborantes. De quo legendæ *hiſtoriæ Triglandii* & *Baudartii.*

III. *Object.* Tali in caſu opponitur poteſtas eccleſiaſtica ſæculari; & conſequenter non eſt toleranda, ſed tota abroganda, quippe [illegible] cum poteſtate ſæculari & regimine Reipublicæ, in quâ eſt eccleſia. Quod enim in caſibus & exêmplis propoſitis prohibebat poteſtas politica; hoc ſuadebat miniſterialis ſeu eccleſiaſtica, & vice verſa. *Reſp.* 1. Imperium, edictum, ſenatus conſultum miniſtrorum hic nullum agnoſcimus. Non eſt, nec aſſeritur ulla miniſtrorum aut eccleſiæ (quà talis) juriſdictio cum imperio, aut poteſtas ſuprema, ſęcularis, dominans, coactiva; ne quidem ſubalterna. *Arma militiæ noſtræ non ſunt carnalia*, &c. 2 Cor. 10. v. 3. *Non dominamur veſtræ fidei*, &c. 2 Cor. 1. *Non dominantes*, &c. 1 Petr. 5. Sed ſolummodo ſpiritualis, miniſterialis, & (ita loquar) verbalis, denuntians & ligans in conſcientiâ per hortationes & dehortationes, precationes, obteſtationes, comminationes, cenſuras nomine Chriſti factas, & pronuntiatas 2 *Cor.* 5. *v.* 20. & 6. *v.* 1. *Epheſ.* 4. *v.* 1. 2. *Actor.* 20. *v.* 26. *Galat.* 5. *v.* 3. „ *Bezæ epiſt.* 52. *ad Carpentarum* J. C. poſtea apoſtatam, Sed illud, quod „ tu *bello ſane nomine* vocas *presbyterii noſtri Senatuſconſultum*, quomodo „ tandem coram Deo, immo coram hominibus excuſaveris? Sed ipſe me „ continebo. Similiter virulentis calumniatoribus, [illegible] reformati Carpentarii imitatoribus, ambitioni & avaritiæ ſub religionis ſchemate explendę unice ſtudentibus, aut aliam miſcellę ſeu neutralis religionis profeſſionem molientibus, ſi qui ſint, aut fuerint, aut in poſterum futuri ſint, reſpondendum eſt. *Reſp.* 2. Non opponitur hic poteſtas poteſtati, nec exercitium poteſtatis exercitio poteſtatis: ſed materia exercitæ & abutentis ſupremæ poteſtatis ſæcularis, opponitur materiæ ſeu objecto poteſtatis miniſterialis ritè & debitè exercitæ ex. gr. materia exercitæ & abutentis poteſtatis ſupremæ Daniel. 3. eſt, *adoranda eſt imago*, mandatum eſt, *adorate imaginem.* Et Dan. 6. Deus nullus 30. dierum ſpatio adorandus, præter regem. Mandatum ẞ Sanhedrin erat, ne prædicarent fidem Chriſti, aut illam profiterentur *Joh.* 7. & 6. & 11. *Actor.* 4. & 5. Pariter erat mandatum regis Herodis *Actor.* 12. & Imperii Romani per aliquot ſæcula, ut Chriſtiani thurificarent idolis, ut Chriſtum abnegarent & blaſphemarent; ne fidem prædicarent aut profiterentur: uti conſtat ex *martyro-*

tyro-

tyrologiis, hiſtoria eccleſiaſticâ, *Plinii epiſtolis*, & *apologiis Athenagoræ*, *Juſtini*, *Tertulliani*. Similiter mandatum erat Imperatorum Conſtantii & Valentis, ne prędicarent & urgerent orthodoxi, ſervatoris noſtri τὸ ὁμοούσιον. Similia mandata contra veritatem fidei, ejuſque profeſſionem Waldenſibus, wichleſiſtis, Huſſitis, Pedemontanis, Proteſtantibus & reformatis à ſupremis poteſtatibus in Germaniâ, Galliâ, temporibus Marianis in Angliâ, nominatim in Belgio à Carolo V. & Philippo II., & tempore graſſantis Remonſtrantiſmi per Ordinem pſeudo-eccleſiaſticum hujus Provinciæ 1612. & decretum ſub nomine Ordinum Hollandiæ anno 1614. impoſita fuerunt. In omnibus illis exemplis videmus, non pugnare per ſe aut directè poteſtates illas, alioquin toto genere diſtinctas; ſed per malitiam hominum fieri aliquando, ut poteſtatis ſæcularis abutentis materia ſeu objectum, mandatum ſcil. coactivum contra veritatem, pietatem, honeſtatem, pugnet cum materia ſeu objecto poteſtatis miniſterialis, hoc eſt, cum inſtructione, hortatione, precatione & obteſtatione; ne fideles illud faciant quod mandat, aut illud omittant quod prohibet poteſtas ſęcularis, ſed hac in parte abutens & θεομαχοῦσα. Vide exemplum *Daniel.* 3. *Actor.* 4. & 5. Et Chriſtianorum primis ſæculis fidem Chriſti, & orthodoxorum poſt annum 330. τὸ ὁμοούσιον, ut & Waldenſium, Huſſitarum, Reformatorum, nominatim, majorum noſtrorum in Belgio, etiam in hâc urbe veram religionem profitentium; & ubicunque poterant, prędicantium, propagantium: quamvis Belgarum principibus eorumque miniſtris invitis & repugnantibus.

Inſtantia 1. Hinc tamen ſequitur duas diſtinctas poteſtates eſſe incompatibiles; & utramque in unam conflandam, aut in uno ſubjecto collocandam: ſive præfecto eccleſiaſtico; (uti volunt Janizari Papæ-Cæſariatus); ſive ſęculari, uti malunt Cæſareo-Papatus patroni. *Reſp.* 1. Siquidem ex jure divino tale quid evinci poſſet, audiendi eſſent: ſed cum nihil tale ſit, quin & eidem juri repugnet, tale τοῦ ἰδίου κοιμώντος ſomnium, ad regnum ſomniorum ablegandum. *Reſp.* 2. Poſſe utramque poteſtatem unâ in gente conſiſtere, oſtendit ordo & praxis ſub V.T. jam inde à Moſe & deinceps divinitus ſancita & probata. Similiter ſub N.T., ubi Imperatores Romani, facti Chriſtiani, utramque poteſtatem ad ſe & in ſe non contraxerunt, ut inſtar Numæ Pompilii (cujus exemplum infelix quis Remonſtranticus ante hac, una cum exemplo Melchizedeki infeliciſſimè allegabat) regiam & Pontificalem poteſtatem ſibi ſumerent. Quid? quod in regno Galliæ concordia ſacerdotii & imperii, ſpiſſo volumine anno 1641. defenſa, à *Patro à Marcâ* ſupremo Navarræ pręſide. Quin & in eodem regno poteſtas miniſterialis reformatorum non pugnat cum majeſtate regis;

nec

nec una alteram tollit; ut nec in imperio Turcico eccleſiarum & Epiſcoporum Græcorum: quamvis approbatio publicæ religionis in Galliâ, & in imperio Othomannico non conveniat cum dehortatione miniſteriali & eccleſiaſticâ à talium religionum, tanquam falſarum, profeſſione & exercitio, nec cum adhortatione ad veræ religionis conſtantem profeſſionem; cui adhortationi occaſione ita ferente, accedit exercitium clavis ſeu poteſtatis diſciplinaris.

Inſtantia 2. Dato in rebus fidei hoc obtinere ſaltem in civilibus & moralibus eſt ἀσύστατον: ut una poteſtas eadem improbet, quę altera aut maximè probet, aut ſaltem permittat. *Reſp.* Neg. ex. gr. polygamiam probat poteſtas ſęcularis, in imperio Turcico; eandem tamen improbat ibidem Chriſtianorum poteſtas eccleſiaſtica; & non tantum dehortatione, correptione, ſed & diſciplinâ eam apud ſuos impedit. In regno *Conchino* rex eandem polygamiam probabat & volebat quam maximè: Jeſuitæ in concionibus ſuis auditores ſuos ab eâ avertere ſtudebant. Quo intellecto, rex illico omnem favorem in permiſsâ prędicatione hactenus liberaliter exhibitum retraxit, atque eos inde exegit. Similiter judicandum eſt de crudeli uſurâ, de pyraticâ Tripolitanâ, Aligerienſi & Tunetanâ (cui ſuprema poteſtas implicata eſt, & quâ pręcipuè ſtant ac florent iſtę Reſpublicæ), de concubinatu, de ſacrilegio, de furto Reipublicæ Lacędemonicæ, &c. Ubi diſtinguendum forum ſoli, à foro poli ſeu conſcientiæ: quid in hoc licitum aut illicitum, poteſtas miniſterialis tantummodo judicat, & conſcientias ſuorum de eo informat. Vide *in* 4. *part. ſelect. diſp. tit. de Foro poli & ſoli.*

Inſtantia 3. Quidquid diſtinguatur; tamen opponunt ſe miniſtri poteſtate ſuâ utentes, decretis, judiciis, mandatis publicis: quibus tamen in conſcientiâ ſe ſubmittere tenentur. *Reſp.* Leges illæ ſunt pœnales: quas ſuo periculo ſi quis, neceſſitate ita ferente, tranſgrediatur, non peccat in conſcientiâ. Non magis quam Chriſtus, qui poteſtatem ſuam ſpiritualem (ſed ſupremam) legitimè exercere non deſiit; quidquid contra indebitè & abuſivè moliretur poteſtas politica. Vide quęſo *Luc.* 13. *v.* 31. 32. 34. Et *Actor.* 4. & 5. Sed de lege pœnali antehac monuimus in 4. *part. ſelect. diſp. tit.* de cœcâ obedientiâ Papiſtarum: *Aliæ ſunt leges Cæſaris & aliæ Chriſti*, &c.

IV. *Quæſt. An privatis fidelibus contra poteſtatem, aut potius exercitium poteſtatis miniſtrorum contendere liceat? Reſp.*

1. *Concl.* Veris miniſtris bene monentibus & peccata redarguentibus ſine graviſſimo peccato non reſiſtitur: ſed iis obediendum. 1. *Quia* obedientia & ſubjectio ad verbum, Quod ex Dei ore loquuntur, exſertè pręcipitur; & laudantur, qui hoc fecerunt: contra reprehenduntur, qui rebelles

belles fuerint. *Hebr.* 13. *v.* 17. 1 *Theſſal.* 2. *v.* 13. *Hoſea* 4. *v.* 4. 2 *Paralipom.* 25. *v.* 16. 17. *Jerem.* 44. *v.* 16. *Actor.* 6. *v.* 9. 10. Adde *Geneſ.* 19. *v.* 9. 2. *Quia*, qui contra miniſtros vera & bona ex Dei verbo depromentes contendunt, ſunt γνήσιοι θεομάχοι, qui contra ipſum Deum contendunt, & iram Dei in ſe concitant. *Math.* 10. *v.* 14. 15. 40. & 23. *v.* 29. 39. 2 *Reg.* 17. *v.* 13. 14. 15. 2 *Paralip.* 36. *v.* 15.

2. *Concl.* Cum pſeudo-prophetis, lupis, mercenariis vias ſuas corrumpentibus, & alienam fidei morumque doctrinam adferentibus, fideles contendere poſſunt & debent. 1. *Quia* hoc Deus pręcipit Hoſe. 2. v. 1. *Contendite cum matre veſtrâ, contendite*, &c. 2. *Quia* ſi gloriæ Dei & ſalutis hominum intereſt, licet contendere cum parentibus; quidni cum miniſtris. Antecedens probatur ex *Deuter.* 33. *v.* 9. ubi Levitæ laudantur, quod dixerint patri ſuo & matri ſuæ, neſcio vos. 3. *Quia* in genere jubentur cavere pſeudo prophetas, & ſeductores; eos denuntiare, accuſare, alios contra eorum ſeductiones præmonere, &c. *Deuter.* 13. *Math.* 7. *v.* 15. *Philipp.* 3. *v.* 18. 19.

Excipitur. 1. *Except.* Monſtroſum & abſurdum eſſe, ſi oves arguant, convincant, doceant, dirigant, reforment paſtorem, diſcipuli præceptorem, ſubditi ſuperiorem. *Reſp.* 1. Eſt ordinatum & maximè conveniens, in tali neceſſitatis caſu, rerum turbatione, ordinis & poteſtatis abuſu: ut patet ex textibus cit. In ipſos ergo & ipſorum facta retorquendum τὸ præſumptum monſtroſum & abſurdum. Cum quo alterum monſtroſum, & abſurdum abſurdiſſimum compingere videntur, quod privati fideles debeant judicare omnes (etiam paſtores ſuos), à nemine autem judicari, moneri, corripi: quaſi textus juris canonici *c. ſi Papa* diſt. 40. poſtliminio revocandus eſſet.

2. *Except.* Atqui hâc ratione vileſcit autoritas miniſterii àpud populum, & ordo à Deo ſtatutus contemnitur? *Reſp.* Hoc totum eſt per accidens, ſi ipſam monitionem aut correptionem, & ſi intentionem monitoris conſideres. Jam vero propter τὸ malum aut incommodum per accidens: bonum per ſe neceſſarium, & à Deo mandatum omitti non debet. Alioquin ne quidem Chriſtus & Euangelium prædicari deberet: quod ille poſitus ſit in caſum multorum *Luc.* 2. *v.* 34. & iſtud multis fiat odor mortis ad mortem 2 *Cor.* 2. *v.* 16.

Deinde non eſt hoc correptioni, denuntiationi, præmonitioni imputandum, ſed correpti & denuntiati abuſibus; ſeu ipſi abutenti. Si vis amari, amabilis eſto; ſi vis honorari, honorabilem te præſta.

Tertio, Monentes, denuntiantes, corripientes, accuſantes, noſſe debent & aliis inculcare diſtinctionem, inter ordinem Dei & inordinatio-

 nem

nem hominis, inter ſubſtantiam & uſum rei bonæ, & inter abuſum ac malitiam hominis. Illa agnoſcenda, honoranda, amanda: iſta contemnenda. Habet hanc diſtinctionem Matth. 23. v. 1. In *Cathedrâ Moſis,* &c. *omnia ergo*, &c. *ſervate & facite: ſed ſecundum opera eorum ne facite*, &c.

Quarto, Chriſtus *Math.* 23. & alibi, & prophetæ paſſim ex mandato Dei, etiam Apoſtoli & viri Apoſtolici (*Actor.* 2. & 6.) miniſtros eccleſiaſticos arguerunt; eos ſecuti antiquę eccleſiæ, & intermediæ ætatis Doctores, quin & ſub ipsâ novitate Papatus & Antichriſtianiſmi ἀκμῇ quamplurimi teſtes veritatis, quorum excerpta vide in *Illyrici catalogo*, & *Mornai Pleſſiaci myſterio iniquitatis.* Ex & de hodierno Papatu teſtes quamplurimi produci poſſent *Baptiſta Mantuanus*, *Eſpencæus*, *Ferus*, &c. ſed nunc unus, alioqui matris Romanę ſordibus intimè adhæreſcens, ſuffecerit à *Lapide in Hoſ.* 2. *v.* 3. *in collegiis clericorum & monachorum*, *dominantur ambitio*, *avaritia*, *gula*, *libido*, &c. *Ita* Zanchez. Quid hoc aliud eſt dicere, quam mundum eſſe in eccleſiâ, & eccleſiam eſſe mundum, juxta 1 *Joh.* 2. *v.* 16. Ex noſtris *Calvinus in libro de ſcandalis* imaginem reformati ſui in Galliâ ſæculi & noſtri longè pejoris tam graphicè depingit, ut optandum ſit, librum illum ſeorſim denuò excuſum & in linguas vernaculas transfuſum, à multis poſſe legi. Ubi ad Paſtores ventum eſt 92. (edit. *tom.* 7. *operum Calvini in fol.* Genev. 1617.), ſic loquitur: Sed aliud eſt eccleſiæ ulcus „magis deplorandum: quod paſtores, ipſi, inquam, paſtores, qui ſuggeſtum, hoc eſt, ſacrum Chriſti tribunal eâ lege conſcendunt, ut vitæ puritate præ aliis omnibus excellant, interdum ſunt turpiſſima vel nequitiæ, vel malorum aliorum exempla. Ita fit, ut nihilo plus fidei ac gravitatis obtineant eorum conciones, quam ſi fabulam in ſcenâ ageret hiſtrio. Et tales ſcil. contemtui ſe eſſe apud plebem, aut etiam ludibrii causâ digito ſe monſtrari conqueruntur. Ego autem potius vulgi miror patientiam, quod non eos luto & ſtercoribus mulieres ac pueri operiunt, „&c. Charta non patitur quaſi vivam noſtrorum temporum picturam inde uſque *pag.* 99. hic exhiberi.

3. *Except.* Privati fideles videntur hâc ratione inſtar viperini fœtus matris viſcera corrodere, magiſterium ſibi aſſumere, rebellionem & ſeditionem concitare, &c. *Reſp.* Ubi de animę & eccleſię ſalute agitur, nemo talibus intortis conſequentiis abſterreri debet. Huc conferenda, quę pro ſeceſſione à Papatu à nobis in *deſperat. causâ Papatus lib.* 3. *ſect.* 3. contra *Corn. Janſenium* tunc theologum Lovanienſem, poſtea epiſcopum Iprenſem diſputata ſunt.

V. *Quæſt. An miniſtri poteſtas & authoritas ſe extendat ſolummodo ad ho-*

hominum inferioris & infimæ ſortis, ſeu privatorum animas verbo inſtitutionis, adhortationis, conſolationis, correptionis curandas, & ad ſalutem promovendas, *Reſp.* Movetur quæſtio à *Riveto in Hoſea cap.* 5. *v.* 1. 2. & *in Exod.* 22. *v.* 28. & à *Melchiore Sylveſtro Eckhardo* in tract. tit. *Paſtor conſcientioſus claſ.* 2. *ſect.* 1. *quaſt.* 25. & *Balduino in caſibus lib.* 4. *c.* 7. *c.* 6.

An miniſter magiſtratus vitia publicè privatimque arguere & corrigere poſſit? Illi affirmant; & nos cum illis debito ſcil. modo & prudentiâ adhibitâ. Bonum enim omne debet bene fieri. De modo antehac nonnulla diximus in *diſp. de correptione fraterna*, quæ poſtea *Exercitiis pietatis cap.* 24. inſerta eſt. Res ipſa probatur.

1. *Probl.* Ex regulis ſcripturæ & mandatis generalibus 2 *Timoth.* 3. *v.* 16. 17. & 4. *v.* 3. 4. *Jeſa.* 58. *v.* 1. *Jerem.* 7. *v.* 1. *Ezech.* 2. *v.* 3.-9. & 3. *v.* 17.-27. Hic nulla additur exceptio, nulla exemtio, nullum privilegium. Nec aliunde exceptio accerſi poteſt. Qui ergo ſtudet excipere, ſtudet decipere.

2. *Probl.* Ex regulis & mandatis ſpecialibus. *Jerem.* 1. *v.* 10. 13. *v.* 19. *Ezech.* 31. *v.* 1. *Hoſea.* 5. *v.* 1. 2.

3. *Probl.* Ex laudatis ſcripturæ exemplis 1 *Sam.* 15. *v.* 19. 2 *Sam.* 12. *v.* 9. 1 *Reg.* 18. *v.* 18. *Jeſa.* 39. *v.* 6. *Jerem.* 33. *v.* 4. *Mich.* 3. *v.* 1. *Math.* 14. *v.* 4. Quibus junge exempla antiquæ eccleſiæ Doctorum, *Juſtini Athenagoræ*, *Tertulliani* in ſuis *apologiis*, *Chryſoſtomi*, *Baſilii*, *Hilarii*, &c.

4. *Probl.* Ex neceſſitate; quæ gemina, una ratione Magiſtratuum, quorum ſalus promovenda, & pœnę temporales ac æternæ (quæ ſunt peccatorum ὀψώνια *Rom.* 6. *v.* 23.) ab iis avertendæ. *Altera* neceſſitas eſt ratione conſcientiæ & animę miniſtri, quam ſervare & à perditione præſervare nequit, ſi huic officio ſuo deſit. Vide quæſo *Ezek.* 3. *v.* 17.-22.

5. *Probl.* Ex Officio precum pro regibus, &c. 1 *Timoth.* 2. *v.* 1. 2. Atqui pari paſſu eunt verbum & precatio, & utraque miniſtro commiſſa ſunt, in utroque anteceſſorem agere tenetur. Si quis princeps & Magiſtratus admittat immò requirat preces, una admittat verbum: ſin minus, exſpectet Dei in ſuo malo glorificationem.

6. *Probl.* Speciali argumento, de illis regibus & Magiſtratibus, qui traditi ſunt & ſe tradiderunt in τύπον doctrinæ *Rom.* 6. *v.* 17. qui retinent hypotypoſin ſaniorum ſermonum 2 *Timoth.* 1. *v.* 13. qui nomen Chriſto & eccleſiæ dederunt, qui illi & iſti ſe inſertos profitentur, qui peculiari de hoc ſalutis medio & peccatorum remedio ſtipulatione intercedente inter fideles adſcripti & eccleſiæ incorporati ſunt. Si quis nolit eſt fœdifragus, fidem in receptione ad communionem ſolenniter datam ſervet: Sin quis extra communionem poſitus, ſoli-ipſam, & abſolutam ac Papalem in-

 de-

dependentiam (juxta *c. ſi Papa diſt.* 40.) ſomniet, ut miniſtros Dei audire nolit; omnes judicare velit, judicari à nemine, & putet nemini ipſi, quidquid agat, poſſe dicere, *Domine quare facis ſic*? is emaneat, nec ſanctam Dei eccleſiam fœdo contactu ſuo polluat.

7. *Probl. Ex*, triſti exemplo eorum regum & magiſtratuum, qui ſalutari hortationi, inſtructioni, correptioni miniſtrorum ſe ſubduxerunt, aut ei ſe oppoſuerunt; Joas ſcil., Amazia, Zedekiæ, Achabi, cum ſuis purpuratis & munerariis. Quibus adde, cætera probum regem Aſa 2 Paral 16. Exempla infinita, ex antiquâ & recenti hiſtoriâ, ſi charta, & tempus ferrent, enotari poſſent. Videamus nunc quid excipi poſſit & ſoleat.

1. *Except.* Qui ſubſunt non debent arguere principes aut Magiſtatus: Miniſtri ſubſunt. Ergo. *Reſp.* Major non eſt univerſaliter vera. Ad minorem reſpondeo verbis *Riveti in Hoſ.* 5. Id quidem verum eſt perſonas „ & res miniſtrorum ſubeſſe magiſtratui: ſed ratione officii ſui nullum „ dominum agnoſcere debent, præter Chriſtum, pro quo legatione funguntur 2 *Chron.* 5. *v.* 20. Ergo quod doctrinam attinet, & miniſterium „ arguendi peccata, ſoli Deo ſe ſubeſſe noſſe debent; & quandoquidem „ opus eſt Spiritus S. arguere peccata *Johan.* 16. *v.* 8. meminiſſe per eos „ ſpiritum loqui *Matth.* 10. *v.* 20. Ideo ſerio & imperterritè agendum eſſe. „ *Paulo poſt ſubjicit*: In ſummâ, errant magnates qui ſibi ſumunt immunitatem aut privilegium contra cenſuras eccleſiaſticas, quaſi vita eorum „ non eſſet verbo Dei ſubjecta, &c. Quin graviore cenſurâ quam alii „ ſunt digni, &c.

2. *Except.* Sacrilegium eſt improbare decreta principum ac magiſtratuum. *Reſp.* Propriè ſecundum ſcripturas *Rom.* 2. *Joſ.* 7. *Proverb.* 20. *Malach.* 3. Et *Jus Civile L.* 6. *L.* 9. *ff. ad L. Jul. pecul.* cum *Novell.* 7. Sacrilegium dicitur, quando injuſtè auferuntur bona quæ ad cultum Dei, & alendos pauperes ſive per tributum juſtitiæ, ſive per ſpontaneas oblationes collecta ſunt. Si quis ſcientiam legum Romanarum oſtentans, hic alleget catachreſticam illam ſignificationem quam *I C C.* habent ad *L.* 3. *C. de crim. ſacril.* quâ ſacrilegii non crimen, ſed inſtar ſacrilegii eſſe dicitur ſi quis *diſputet de principali judicio & dubitet an quis ſit dignus, quem elegerit Imperator.* Quod alii largè extendunt, ad omnes ſcil. qui imperatorum conſtitutiones, præcepta, ſcita neglexerint, aut violârint: ei reſpondemus, multo magis talis ſacrilegii crimen poſſe irrogari patronis illis, immo & ipſis Imperatoribus, regibus, principibus, qui ſcita omnipotentis Dei negligunt, aut violant, aut iiſdem contraria ſanciunt; exemplo Nebucadnezaris, *Daniel.* 3. aut Imperatorum Romanorum Neronis, Trajani, Hadriani: de quibus vide, ut compendio ſtudeas, aliquam hiſtor. eccleſ. epitomen, aut

Digitized by Google

aut *annales Baronii*, aut *epiſtolam Plinii* & edicta Cæſarum adverſus Chriſtianos, cum commentar. *Gerh. Joh. Voſſii.* Non dicam nunc de legibus, ſtatutis, edictis, reſcriptis, quæ contra juſtitiam & bonos mores jure divino præſcriptos ab iis unquam dimanârunt, aut dimanare poſſent: ex gr. de polygamiâ, de concubinatu, de furto, de pyraticâ, de crudeli uſurâ, de repudiis, &c. Saltem in foro conſcientiæ & Chriſtianâ religione ſacrilegia ſacrilegiis addunt, qui *Dei cultores oderunt* (uti hoc ſacrilegii quoddam genus eſt, juxta *Salvianum lib. 7. de gubernat. Dei p.* 305. (edit Ritterſhuſii in 8.)); immo qui eos verbis, ſcriptis, factis perſequuntur. Ut verbo dicam, ſi calumniatorium hoc dictatum ſit autenticum, à crimine ſacrilegii in hoc foro abſolvi non poterunt Chriſtus, apoſtoli, primitivæ eccleſiæ doctores, fideles, confeſſores, martyres; nec Waldenſes, Proteſtantes, reformati, qui edictis Spirenſi & Interminiſtico Imperatoris Caroli V. edictis regum Galliæ, Philippi 2. in Belgio, &c. non paruerint.

3. *Except.* Taxationes, præſertim publicæ, talium vitiorum, quibus aliqui ex primoribus, proceribus, Magiſtratibus forte obnoxii aut affines ſunt; non poſſunt non vergere in autoritatis & exiſtimationis illorum apud ſubditos diminutionem; & conſequenter in fertilem ſeditionum occaſionem. *Reſp.* Sic nonnulli videntur λιβερτινίζειν, aut ſi mavis ἀθεΐζειν. Et hinc τῶν ἀσεβῶν καὶ βεβήλων paraſiti, cum ſpontaneis aut conductis mundanæ religionis proxenetis, conciones tales proclamant *ſeditioſas*. Quid ſibi velint, & quo tendant, divinet, qui poteſt. Debebunt ne ergo miniſtri omnes nequitiarum angulos, omnia occulta dedecoris ſolicitè perluſtrare, perreptare: & ſimulac odorati fuerint, vel præſumpſerint, eſſe alicubi aliquem principem, aut ſenatorem, aut eorundem miniſtrum, ſive primarium ſive ſecundarium, aut virum honoratum, aut primi cenſus civem, compotationibus, impuritatibus contra 7. præceptum, mendaciis, dolis, fraudibus, peculatui, ſacrilegio, nominis divini abuſibus, pugnis, duellis, choreis, ſpectaculis, ſabbathi profanationibus, vanitati & luxui in veſtibus & conviviis, ambitioni denique, ſuperbiæ, avaritiæ aliquando aut ſæpe indulgentem; ilico interciſionem facere concionum catecheticarum ad decalogum, aut moralium ad varios libros V. T. ad 5. 6. 7. 23. capita *Mathei*, ad *Rom.* 12.-16. *Galat.* 5. & 6. *Coloſſ.* 3. & 4. ad epiſtolas Jacobi, Petri, Johannis, Judæ; ad omnes alios textus, qui aliquid illorum vitiorum, aut oppoſitarum virtutum tangunt? Ἐν δοίῃ μάλα θυμός. Neque enim omnes unius cerebri, & labii ſunt.

Fiant ergo inſtantiæ.

Inſtant. 1. Refutatio hæc non tollit difficultatem: quia potiſſima exceptio eſt de non tangendis vitiis politicis, in adeundâ aut exercendâ publicâ regi-

Digitized by Google

minis aut juriſdictionis poteſtate. *Reſp.* Ergo capitalia vitia in regimine malorum, aut mediocrium, aut etiam bonorum regum ac Principum commiſſa, & in libris Judicum, Samuelis, Regum, Paralipomenωn; in Euangeliſtis, Actis, præſertim in hiſtoriâ paſſionis, etiam in Apocalypſi deſcripta, & tota explicatio iſtorum librorum, ut & pentateuchi, Joſiæ, Eſther, Ezra, Nehemia, Proverbiorum, Eccleſiaſtæ, Prophetarum, majorum & minorum, tali in caſu & tali tempore prætereunda erit; aut ſaltem textus aliqui ex illis libris ſeligendi & pro concione explicandi, qui nullam occaſionem contra dicta vitia diſſerendi objiciunt. Velim videre, quomodo quis, ſervatis præſumtis hypotheſibus, conciones Chriſti, Prophetarum, antiquæ eccleſię Doctorum *Chryſoſtomi*, *Baſilii*, &c. Et *Lutheri*, *Calvini*, *Bezæ*, &c. à ſeditione abſoluturus ſit. Quæro inſuper an propter Achabi, Izebelis, Athaliæ tyrannicum regimen, Jeroboami ſtratagema in ſtabiliendo novo regimine, Magiſtratus Sodomitici & Gibeonitici corruptionem in fovendis facinoroſis, Doëgi Edomitæ & malorum quorundam procerum atque aulicorum temporibus Saulis, Jorami, Joaſi, Menaſſis, Zedekiæ, florentium malas artes, nunquam tunc privatim publicè ſimilia flagitia in generalibus terminis perſtringi debuiſſent? An & quid ad peccatorum illorum converſionem & aliorum commonefactionem fieri debuiſſet?

Inſtantia 2. Quorumvis librorum & textuum explicationes fortè nonnulli admitterent (quamvis plerique tepidi aſſiduas textuum dominicalium explicationes præferrent): ſi modo eorundem explicationi inhæreatur; abſque deductis uſibus, applicationibus, & digreſſionibus. *Reſp.* Non eſſet tunc concio eccleſiaſtica, homilia, Prophetia, cujus anima eſt uſus & applicatio ad conſolationem, adhortationem, redargutionem, &c.: ſed tantum lectio, prælectio & nuda ſcripturæ explicatio; qualis fere in antiquis eccleſiis eccleſiaſticâ, & hodie in Academiis methodo ſcholaſticâ haberi ſolet.

Inſtantia 3. Dato, uſus & applicationes explicationi textuum ſubjiciendas: manet tamen difficultas de modo. *Reſp.* 1. Explicari velim *modum* illum requiſitum. Nam ſub illa diſtinctione veritatis adulteratores, frequenter latitare ſolent. Exemplum dabit *Vorſtius in ſuis apologeticis explicationibus*, implicationibus, pro infelici libro de Deo. Prætexebat ſe non diſputare contra rem ipſam aut rem ſimpliciter intellectam; quam concedebat: ſed tantum contra modum rei; ſimplicitatis ſcil. divinæ, immenſitatis, æternitatis, immutabilitatis; unionis perſonalis, &c. Interim prætenſus ille modus, erat res ipſa: quo oppugnato res oppugnabatur. Concedatur ob ſolidiſſimas rationes ex ſcripturis allatas res ipſa, & rei uſus; atque una modus, & ratio prudenter hoc agendi commonſtretur. Antehac in *diſpp.*

de

e correptione fraternâ (inſertis *cap.* 24. *Exercit. pietatis*) cautelas quaſdam & egulas prudentiæ attigimus. Suggerit pleraſque *Rivetus* locis cit. quas omnes mplectimur. Sed nihil ſatisfaciet illis, qui quamvis primò quid de ipſâ re concedere videantur; nunquam tamen eam agi volunt: quæcumque neceſſitas urgeat. Concludimus, nullum principem, nullum honoratum, nullum ſuperiorem in ſæculo eſſe, cui in communione fidei & eccleſiæ conſtituto miniſtri ex muneris ſui conſcientiâ (*Ezech.* 3. 2 *Timoth.* 3. *v.* 16. 17. & 4. *v.* 1.-6.) non debeant officia inſtructionis, conſolationis, adhortationis, redargutionis. Quod poſtremum ita exequetur, ut privatim & tempeſtivè eum doceat ſeipſum & defectum ſuum noſſe, exemplo Nathanis 2 *Sam.* 12. & Johan. Baptiſtæ *Matth.* 14. Eliæ 1 *Reg.* 21. *v.* 17.-27. Michę 1 *Reg.* 22. *v.* 16.-28. Hanani 2 *Paral.* 16. *v.* 7.-11. Et tamen publicè peccata illa, quibus ille adhæret aut indormit, generaliter, abſtractè, & in theſi, quavis datâ occaſione, non negligat χαρακτηρίζειν, & ab iiſdem auditores ſuos quibuſcunque motivis (quæ theologi ex ſcripturis, Ethici ex rectâ ratione & experientiâ ſuppeditant) dehortari. Quod ſi contingat aliquem aut aliquos ex auditoribus ſcripturarium ejuſmodi panem faſtidire, is ideo familiæ Chriſti ſubtrahendus non eſt. Nôrunt diſpenſatores conditionem muneris ſui. Ezech. 2. & 3. *v.* 27. *Et quando loquar, aperies os tuum, & dices ad eos. Sic dixit dominus Deus. Qui audit, audiat, & qui ceſſat ceſſet*, &c.

VI. *Quæſt. An præjudicet autoritati & poteſtati miniſtri; ſi principes aut Magiſtratus ſive Papiſtici ſive Euangelici prohibeant falſorum dogmatum refutationem; & ne Papam appellet Antichriſtum? Reſp. Melchior Sylveſter Eckhardus lib. cit. claſſ.* 2. *ſect.* 1. *qu.* 7. & 10. quærit an miniſter bonâ conſcientiâ ejuſmodi mandatis parere poſſit; & pro negante prioris membri, quinque adfert rationes, meo judicio ſolidas & evidentes. Ibidem *pag.* 85. 86. 87. egregias cautelas ſuggerit circa modum elenchi obſervandas. *Balduinus in Caſibus lib.* 4. *cap.* 7. *caſ.* 2. & 4 idem tractat. ſed malè applicat elenchis falſorum dogmatum Calviniſticorum. Quod idem facit *Eckhardus qu* 8. qui tractaverat *qu.* 7. abſtractè & in genere. Talia falſa dogmata Calviniſtica (uti iis appellare libet) nulla erant; niſi quæ ipſis graviter errantibus ita videbantur. *Eckhardus qu.* 7. Et *Balduinus caſ.* 2. 3. quærunt. An nominatim ſectæ & hæreſiarchæ refutari poſſint. Et uterque affirmantem probat. Quæ omnia probamus: exceptâ falſâ applicatione ad dictos Calviniſtas. De Papæ appellatione tanquam Antichriſti non omittendâ, ſpeciatim in Imperio Germanico, optimè *Eckhardus qu.* 10. θεολογεῖ καὶ ἱστορεῖ. Opto illi, ſiquidem adhuc vivat, & omnibus ejuſdem confeſſionis ſociis, perfectum amorem Chriſti, & perfectum odium Papæ: quo voto *Lutherus* valedixiſſe dicitur fratribus in *Synodo Smalcaldicâ* congregatis. Sed de his aliiſ-

aliiſque ab *Eckhardo* & *Balduino* motis quæſtionibus alibi & ſuo loco agendum. Proximè ſequens quæſtio, hic non omittenda, quæ propriè poteſtatem miniſtrorum attingit.

VII. *Quæſt. An miniſter ob conciones, quæ vel in totum vel ex parte aliquâ, contra communem orthodoxiam, aut privatam alicuius perſonam & cauſam peccare putantur, coram Magiſtratu in jus vocari poſſit? Reſp.* Quæſtionem hanc movet, quod ad poſterius membrum, *Balduinus lib. & cap. cit.* „ *caſ.* 5. & determinat: ſi peccavit, & correptione dignus eſt; cognitio „ cauſæ non pertinet ad magiſtratum politicum, quod ſine contemtu mi„ niſterii non fieret; ſed referatur negotium ad miniſterium, aut pro gravi„ tate exceſſus ad conſiſtorium, ut puniatur exceſſus, & miniſterio nihilo„ minus ſua autoritas relinquatur. Anno 1606. *Jeremiæ Ferrerio* Paſtori & Profeſſori Nemauſenſi (annis aliquot poſt apoſtatæ) lis movebatur coram curiâ Politicâ, quod in theſibus ſcholaſticis Papam probaſſet Antichriſtum. Quod ſi hodie in Galliâ, in Ducatibus Juliacenſi & Montano, concionibus & ſcriptis reformatorum dica læſæ Majeſtatis divinæ aut humanæ, aut utriuſque ſcribatur & omnia ſacra atque eccleſiaſtica ſchemate ſeculari aut politico illis aptato aut affficto, ab illis judicibus terminentur, quem tandem ſtatum eccleſiæ & religionis noſtræ iſtic fore putamus? Si aliquis aut aliqui inter toparchas, aut conſules reformatam religionem profitentes hac procedendi methodo præirent, & non tantum dicta quædam pro concione in curia immediatè & primo examinarent, & auditum ſuper iis concionatorem, nec ipſorum judicio ſatisfacientem, condemnarent ad ſolum vertendum, aut ad ſilentium ſeu abſtinentiam ab omni publico miniſterii exercitio, aut ad ſtipendii privationem: quantam ex horum exemplo occaſionem ſibi datam putabunt, toparchæ & Conſules Papiſticæ religioni, aut Libertiniſmo, aut Epicureiſmo addicti, ſimile quid circa reformatorum miniſtrorum conciones tentandi. Præſertim ſi diſtinguere velint inter juſtitiam politicam, & forenſem; & concionatores in jus non vocent, nec in foro contentioſo cauſam examinari & agitari ſinant; ſed ipſe toparcha aut ipſi conſules de plano judicent, & ſententiam ferant: ita ut inde nulla relinquatur provocatio. Hoc ergo privilegium eſſet concionatorum; quod ipſorum accuſatores toparchæ aut conſules (quibus ſcil. diſplicet aliquod pro concione dictum) eſſent judices, qui judicio peremtorio eos condemnarent. Quo certè privilegio, fures, latrones, proditores, parricidas, &c. non gaudere novimus: quippe quorum accuſatores diſtinguuntur à judicibus, quique ipſi ſatis ſuperque audiuntur, & ſi ita velint, advocatorum operâ utuntur, & in quos non niſi antecedente propria confeſſione, capitalis ſententia ordinariò aut plerumque fertur.

Sed

Digitized by Google

Sed quid ſi ob dictum aliquod, dictave aliqua pro concione, methodo *juſtitiæ* (quam diſtinctè ita appellant) *politicæ* coram toparcha, aut in collegio ſeu conventu conſulum nunquam auditus eſſet concionator: ne quidem prætenſa dicta concionatoris illic loci, ubi politica autoritas præſto eſt, unquam examinata eſſent; ſententia tamen à toparcha aut conſulibus ferretur, migrandum eſſe ex illo loco, ubi miniſterio fungitur, aut abſtinendum à miniſterii functione, &c. Quæritur an hęc juſtitia politica bono publico tum civitatis tum eccleſiæ, convenienter naturali æquitati & Chriſtianæ caritati ubique & ſemper ſic exercenda ſit? Si quis excipiat immediatè & à ſolo magiſtratu cognitionem, examen, judicium illorum *dictorum pro concione*, capeſſendum eſſe, quæ ſunt ſeditioſa aut politiam tangunt. *Reſp.* 1. Multa de ſubjecto dicuntur, quæ in ſubjecto non ſunt: Veritatem & pietatem Chriſtianam, ejuſque ſinceram prædicationem, *ſeditionis* accuſari eſt proprium ejus externum, non minus ac eclipſis lunæ. Hanc ſortem nacta eſt prædicatio Chriſti *Luc.* 23. *v.* 9. Pauli *Actor.* 24. *v.* 5. & ſuper hâc accuſatione Paulus appellabat Cæſarem *Actor.* 25. *v.* 10. 11. Vide apologias antiquorum, *Athenagoræ, Juſtini, Tertulliani*, & recentiorum *Juelli, Innoc. Gentileti*, aliorum contra accuſationes Papiſticas. Quos ſcripturæ libros, quæ tmemata, quæ commata, quas materias dogmaticas, aut practicas concionibus explicare & applicare poterit concionator; ut animus partibus ſtudens, aut exulceratus, aut œſtro domeſtici teſtis turbatus, inde non fingat aut imaginetur politiam, politica, majeſtatem, autoritatem publicam, reges, principes, toparchas, conſules, eorumve miniſtros, ſecretarios, ſcil. ſyndicos, advocatos, &c. tangi? *Victor Uticenſis lib.* 1. *de perſecutione Vandalicâ*, inſigne refert exemplum. „ Nam, inquit, & diverſæ calumniæ non deerant quotidie etiam illis ſacerdotibus, qui in his regionibus verſabantur, „ quæ regiones palatio tributa pendebant. Et ſi forſan quiſpiam, ut moris „ eſt, dum Dei populum admoneret, *Pharaonem*, *Nabuchodonoſor*, *Holofernem*, aut aliquem ſimilem nominaſſet. *Objiciebatur illi, quod in perſonam „ regis ita dixiſſet, & ſtatim exilio tradebatur.* Hoc enim tempore perſecu„ tionis genus agebatur hic apertè, alibi occultè, ut piorum nomen tali„ bus inſidiis interiret. Quare plurimas ſacerdotum tunc novimus relega„ tos, &c.

Quid quęſo in concionibus, aut precibus non poſſit dici tangere reges, præfectos, munerarios, Conſules, publicam poteſtatem, potentiam, regimen jurisdictionem, leges, ſtatuta: implicitè aut explicitè, directè aut indirectè; vel per decimam conſequentiam, ſaltem per imaginationem alicujus μισοκήρυκος. Aut enim Genſericus & præfecti ac miniſtri ejus non auditos ſacerdotes (uti non videntur auditi fuiſſe) expellerent: aut dicis cauſâ acci-

 tos

tos & auditos, minus expellerent. Quidquid enim ſe purgarent, & verba à ſe ſic prolata teſtium nube probarent, conſequentiam quam inde imaginatio alicujus duceret, præſcinderent: Reſponderent Genſerici præfecti ſe ſic clarè & diſtinctè percipere, ſic rem ſe intelligere, & ſecundam rem à ſe ſic intellectam, ſententiam ferre. Si qui ergo hoſtes doctrinæ reformatæ, aut pietatis, aut utriuſque, toparchæ, præfecti, conſules ſive papiſtici, ſive libertini, ſive neutrales (quales in Galliâ, in Hungariâ, in Poloniâ, in ducatu Juliacenſi, Montenſi, &c. non deeſſe certum eſt); ob aliqua concionatorum dicta ſiniſtrè ab ipſis accepta ſaltem ipſis ingrata, concionatorem ad judicum ſubſellia trahant; aut ipſi de plano ex methodo *juſtitiæ* Genſerico-Vandalicæ, concionatorem ſive auditum ſive non auditum peremtoriè condemnent & mulctent: quid conſilii? Dices, ad ſuperiores judices, aut ad regem provocet, exemplo Pauli, *Actor.* 25. Sed quid ſi rex aut ſupremus princeps nullus eſſet? Aut religionis reformatę adverſarius; aut ejus nutu, inſtinctu, impulſu, & mandato hoc egiſſent Magiſtratus inferiores. Ill. Hollandiæ ordines aut ipſorum deputati potioribus ſuffragiis Remonſtranticæ factioni tunc faventes Adrianum Smoutium ob tract. in Remonſtrantes editum, quo contra ipſos probare conabatur errores Remonſtranticos tangere fundamentum, condemnatum in inſulam Graveſandam deportabant: cum tamen cauſa illa purè theologica & eccleſiaſtica eſſet. Remonſtrantes variis in libellis contenderant, controverſias nullius aut parvi momenti eſſe, nec tangere fundamentum. Smoutius edito libello contrarium aſtruere conatus, ilico condemnabatur. Quò confugeret, aut ad quem provocaret? Qui judicium ferebant, omnes fere erant atheologi, & de controverſiâ aut querelâ hâc ad illos delatâ, debuiſſent dicere, quod Innocentium X. dixiſſe ferunt cum controverſia Moliniſtarum & Janſeniſtarum de libero arbitrio & gratiâ, illi primum proponeretur: *Jo no ſo theologo.* Erant præterea omnes ferè Remonſtranticis partibus addicti. Erant iidem accuſatores, & judices. Synodorum celebratione ſequeſtratâ, eccleſiaſticâ inſtructione, conſilio, interceſſione, Smoutio ſuccurri non poterat. Dicaſterio ſeu curiæ Provinciali Hollandicę manus tunc clauſa, non tantum quod ad concionatores, ſed etiam quod ad alios cives reformatos, qui ſe à conſulibus ſuis indebitè gravari conquerebantur. Quid tali in caſi miniſtris agendum? Nihil, niſi ut confugiant & provocent ad eum, qui omnia noſtra operatur *Pſal.* 37. *v.* 5. - 14. apud illum cauſam ſuam agant *Habac.* 1. *v.* 2. - 5. Si vigeret alicubi judicium Weſtphalicum dictum *Frydingh* (de quo nos in 4. *part. ſelect. diſpp. tit. de foro poli & ſoli*); aut concionator aliquis ſub imperio Genſerici Arriani, aut Turcico, aut Japonico miniſtraret, & nuntium illi deferretur, ob prætenſa aliquapro concione dicta, Genſericum jubere

bere ipſi exulare, aut *Magnum Dominum petere ejus caput* : nihil ſane reſtaret illi, niſi pro veritate & pietate patiendi gloria.

CAP. VII.

De Miniſterii dignitate.

ABſolutâ neceſſitate, difficultate, auctoritate; reſtat explicanda miniſterii dignitas. Ubi I. præmiſſis præcognitis. II. Dignitas ejus probabitur. III. Adjuncta & Oppoſita aliqua hujus dignitatis indicabuntur. IV. Ad quæſtiones aliquot reſpondebitur. §. 1.

Dignitas ſeu dignatio, gr. ἀξίωμα à Juriſconſultis deſcribitur, quod ſit honor alicui propter merita, ſpecialiter principis, vel legis beneficio impenſus. Dignitatum genera quatuor à poſtremis Imperatoribus facta ajunt. Ut alii perfectiſſimi : alii clariſſimi : alii ſpectabiles : alii illuſtres dicerentur. Sed ut ſtabile nihil ſub ſole, ſic tituli iſti inſtar lunæ, & ſublunarium variant; ut de illis dici debeat quod de vocum ſignificatione Horatius:

Multa renaſcentur, quæ nunc cecidere, cadentque,
Quæ nunc ſunt in honore vocabula, ſi volet uſus :
Quem penes arbitrium eſt, & jus & norma loquendi.

Edidit *Barthol. Chaſſaneus catalogum gloriæ mundi*; alii etiam de præcedentiis digladiati ſunt : ſed iſtius ætatis, ne quidem partis ætatis iſtius terminis, tales denominationes heraldicæ reſpondere, aut circumſcribi potuerunt. Eccleſiaſtici Papales τῦφȣ ſæcularis zelotæ & æmuli etiam ſuas *dignitates*, *illuſtritates*, *clementias*, *eminentias*, *majeſtates* edolârunt. Exſtat liber *Iſidori Moſconii* Vicarii Archiepiſcopatus Mediolanenſis anno 1602. editus hoc titulo : *De majeſtate militantis eccleſiæ libri duo, quibus eccleſiæ majeſtatem ex religione Chriſtiana prodire demonſtratur.* Noti ſunt tituli *divinæ majeſtatis*, *Papis*; *illuſtriſſimi*, *& ſua eminentia*, *Cardinalibus*; *illuſtriſſimi & reverendiſſimi*, *Archiepiſcopis*; *Dei & apoſtolicæ ſedis gratiâ*, Archidiaconis; *Principum* inſuper, *procerum*, & *dominorum ſpiritualium*, aut *eccleſiaſticorum*, aliis in hierarchiâ Romanâ tributi. Quem typhum alii aliqui, quamvis ejuratâ religione & communione Romanâ, aliquâ ex parte imitati ſunt. Ut extranea præteream, meminimus ante pauculos annos archidiaconos & præpoſitos (καταχρηστικῶς ita dictos) præſcripſiſſe hunc titulum N. *Dei gratiâ præpoſiti & Archidiaconi eccleſiæ ſeu capituli cathedralis*, &c. Atqui titulus *Dei gratiâ* juxta communem artem heraldicam & praxin politicam, non tribuitur, niſi ſupremis (ſouveranis) in hoc ſæculo poteſtatibus. Sed de hoc typho ſæculi in eccleſiam ingreſſo, alibi

 agen-

Digitized by Google

agendum, ubi de hierarchia Papatus. Nos illis miſſis, ex ſcripturâ honorem à Deo miniſtris aſſignatum & populo Dei imperatum, ejuſque annexa & conſequentia ſpectabimus. Deus miniſtris ſacrorum à ſe miſſis, & rite munere ſuo fungentibus, honorem attribuit 1 Sam. 2. v. 28. *Honorantes me honorabo.* Eoſdem à populo honorari præcipit Deuter. 17. v. 17. 18. *Et vir qui fecerit per ſuperbiam, ut non obediat ſacerdoti*, &c. *& omnis populus audient, & timebunt, & non ſuperbè agent amplius.* Ex quibus locis inter ſe collatis colligimus dupliciter dignitatem & honorem miniſterii conſiderari poſſe, vel ut ad Deum, vel ut ad homines refertur. *Priori modo*, dignitas & honor miniſtris legitimè vocatis & fideliter miniſtrantibus à Deo confertur ex merâ gratiâ & Dei dignatione, non ipſorum dignitate. Quia, *tum* miniſterium ipſis collatum χάρις eſt & χάρισμα *Rom.* 1. *v.* 5. & 12. *v.* 6. - 9. *tum* executio ejuſdem miniſterii, gratiæ tribuitur 1 *Cor.* 15. *v.* 9. 10. 11. Nec hoc reſpectu gloriari licet 1 *Corinth.* 4. *v.* 7. & 2 *Corinth.* 12. *v.* 9. *Poſteriori modo* competit ipſis dignitas, & confertur ac tribuitur ipſis honor, non ex gratiâ, ſed ex merito. Et hoc reſpectu in domino ipſis, neceſſitate ita ferente, gloriari licet, exemplo Pauli 2 Corinth. 11. v. 10. 16. 17. 18. 23. An autem & quomodo etiam ignavis aut ἀτάκτοις, atque adeo in ſe indignis miniſtris, dignitas & honor competat, infra in quæſtionibus videbitur.

§. 2. Duo ergo de miniſterii dignitate nobis probanda ſunt: prius de eâ reſpectu Dei & apud Deum: alterum reſpectu hominum, & apud homines.

Prius probatur 1. *ex* textu modo cit. 1 Sam. 2. v. 28. *honorantes me honorabo.* 2. *Ex* analogiâ fidelium quorumcunque: de quibus dicitur, *digni enim ſunt*, Apocal. 3. v. 4. Et *cujus laus eſt ex Deo*, Roman. 2. v. 29. Quod ſi hoc convenit omnibus hominibus Dei; non minus ergo, immo & magis, hominibus Dei κατ' ἐξοχὴν ita dictis.

Quod *ad alterum*, Dignitatem & τιμὴν miniſtris competere, eoſque præ aliis fidelibus eſſe τιμίους, id eſt, honorabiles, ob miniſterium & opus eorum, ſeqq. argumentis probatur.

1. *Argum.* Ex 1 Theſſal. 5. v. 12. 13. *Rogo autem vos fratres, ut agnoſcatis eos*, &c. *& eos ſupra modum charos ducatis propter opus eorum.* Phraſis *agnoſcendi* rectè à Beza exponitur ex collatione *Math.* 7. *v.* 23. 2 *Cor.* 5. *v.* 16. *ut agnoſcatis eos tales eſſe, quales ſunt, dignos videlicet quos in maximo pretio habeatis.*

2. *Argum.* Ex 1 Timoth. 5. v. 17. *Qui bene præſunt presbyteri, duplici honore digni habeantur: maximè qui laborant in ſermone & doctrinâ.*

3. *Argum.* Ex Dei inſtitutione. Si enim omnis ordo à Deo inſtitutus eſt ho-

honorabilis eſt (conjugium ſcil. *Hebr.* 13. *v.* 4. Politica gubernatio 1 *Petr.* 2. *v.* 13. 17.) ergo & ordo miniſterii non minus eſt honorabilis; immo & multò magis: quia eſt inſtitutus à Deo, & quidem quà redemtore; & eſt ordo ſacer qui verſatur circa ſacra, & ſpiritualia, ad æternam ſalutem ducentia; non circa τὰ βιωτικὰ, & temporalia.

4. *Argum.* Ex titulis, qui ſacrorum miniſtris in ſcripturâ tribuuntur. Dicuntur enim *angeli Jehova exercituum* Malach. 2. v. 7. cum *Apoc.* 1. *v.* 20. & *cap.* 2. & 3. *diſpenſatores* 1 *Cor.* 4. *v.* 1. *viri & ſervi Dei*, aut Jeſu Chriſti. κατ' ἐξοχὴν. 2 Timoth. 3. v. 17. Rom. 1. v. 1. *Amici Chriſti* Joh. 15. v. 15. *Cooperarii* συνεργοῦντες Chriſti 2 Corinth. 6. v. 1. *ſtellæ* in manu Chriſti Apocal. 1. v. 20. *lux mundi*, & *ſal terra* Math. 5. v. 13. 14. *juſtificatores*, Daniel 12. v. 3. *ſalvatores* σωτῆρες 1 Timoth 4. v. 16. ubi dicuntur auditores ſuos σώζειν ſervare. *Nuncii*, *legati* Chriſti 2 Corinth. 5. v. 20. cum *Jeſa.* 52. *v.* 7. & *Rom.* 10. *v.* 15. Quæ ſit dignitas legati à rege, principe, Republicâ miſſi, diſces ex experientia, & compendio ex editis inſtitutionibus politicis; quales Clariſſ. collegæ noſtri *D. Berckringeri lib.* 2. *cap.* 12. 3. cui adjungi poteſt, ſi vacat πολυμαθίας ſtudioſis, lectio ſcriptoris alicujus, qui peculiari tractatu legatum deſcripſit: qualis *Albericus Gentilis*, *Herm. Kirchnerus*, *Marſelaer*; &c. Adde titulos *anteceſſoris*, *ducis*, *præfecti*, &c. denique *patris* 1 *Reg.* 13. *v.* 14. *Gal.* 4. 20.

Quærat forte quis, An etiam titulus *conſiliarii Dei* aut *Chriſti* miniſtris tribui poſſit: reſpondeo, poſſe: *quia* Dei οἰκονόμοι dicuntur, & ipſis concreditum eſt Euangelium ejuſque diſpenſatio 1 *Cor.* 9. *v.* 17. *Gal.* 2. *v.* 7. 1 *Theſſ.* 2. *v.* 4. *v.* 2. 1 *Tim.* 1. *v.* 11. Jam verò Euangelium dicitur conſilium Dei *Luc.* 7. *v.* 20. Adde quod Chriſtus ait Joh. 15. v. 15. *Non voco vos amplius miniſtros*, &c. *ſed vocavi vos amicos*, *quia quæcunque à patre meo audivi*, *vobis nota feci.* Dicuntur autem conſiliarii Dei, non quod Deo conſilia ſuggerant (quo ſenſu negatur quemquam eſſe Dei conſiliarum *Rom.* 11. *v.* 34), ſed quod conſilii divini conſcii ipſis à Deo peculiari ratione communicati ac concrediti, conſulta prudentum nova & vetera ex theſauro ſuo depromant, ac hominibus ſuppeditent.

5. *Argum.* Deſumi poteſt, ex neceſſitate miniſterii ſupra à nobis deſcriptâ.

6. *Argum.* Ex difficultate, ſupra à nobis explicatâ. Atqui difficilia ſunt pulchra, præſtantia, honorabilia.

7. *Argum.* Ex poteſtate & autoritate; eique reſpondente obedientiâ: de quâ ſupra. Atqui ut omni poteſtati & ſuperioritati à Deo ordinatæ in ſocietate eccleſiaſticâ, politicâ, œconomicâ, ſcholaſticâ, militari, &c. tribuenda & obedientiâ, dignitas, honor, (juxta præſcriptum quinti præ-

cepti ab omnibus theologis communiter ex ſcripturis ita explicati) : ita & poteſtati miniſtrorum, Hebr. 13. v. 17. *Obedite ductoribus veſtris, & obſecundate : excubant enim ipſi pro animabus veſtris tanquam rationem reddituri : ut cum gaudio hoc faciant, & non ſuſpirantes : id eſt enim vobis inutile.* De honore Hebr. 5. v. 4. *Neque ſibi ipſi quiſquam ſumit hunc honorem, ſed qui vocatur à Deo, ſicut & Aaron.*

8. *Argum.* à conſequentibus pręmiis, quæ Deus promittit honorantibus, & pœnis, quas minatus eſt atque immiſit miniſtros ſuos contemnentibus. Huc advoca promiſſionem additam quinto præcepto. Et judicia exercita in Corah, Datan, Abiram, eorumque complicibus. *Numer.* 16. ob contemtum tum Moyſis pręfecti politici & prophetæ, tum Aaronis ordinarii ſacrorum præfecti. Adde Hoſeæ 4. v. 4. *Verumtamen nemo contendat, nemo arguat: quum populus tuus ſimilis ſit contendentibus cum ſacerdote.* Ad quem locum ſic commentatur Mercerus: *Inſignis amplificatio, quod quum à ſacerdote reprehenditur, movet ei litem, & cum eo expoſtulat, quod eſt impia invertere : nam populi eſt audire, ſacerdotis docere. Doctrina reprehenſionem includit.* Idem ibid. in notis ad textum Hebræum : *Uſque adeo ſunt omnes corrupti, ut reprehendi ſe non patiantur, qui morbus eſt incurabilis, ut monet Heſiodus. Imo & ſacerdoti, quem docentem & monentem ferre & audire oportebat, contradicunt, rerum ordine mutato.* Et Oecolampadius ad eundem textum. *Tum maximè ſævit ira Dei, cum veri ſacerdotes contemnuntur, & admonitiones prophetarum : tum abiecto fræno liberè peccat populus*, &c. Et paulo poſt : *ſit nobis liberum peccare. In Pſal. dirumpamus vincula eorum. Oderunt admonitiones : ſi etiam ſacerdos arguere velit, contradicunt. Etiam prophetas occidunt.* Dignitatem & autoritatem miniſterii, etiam ſupra reges & principes qua eccleſiæ membra & Chriſtianos, *Rivetus* ibidem *in commentar.* ſuis doctè ex ſcripturis defendit : inter alia aſſerens, miniſtros ratione officii ſui in tradendâ doctrinâ, & arguendis peccatis; *nullum dominum debere agnoſcere, præter Chriſtum, pro quo legatione funguntur* 2 Cor. 5. v. 20.

Exempla judiciorum divinorum, quibus contemtum miniſtrorum ſuorum vindicavit, vide *Numer.* 16. per totum. 1 *Reg.* 13. *v.* 5. & 2 *Reg.* 1. *v.* 9. 13 & 2. *v.* 23. 24. & 6. *v.* 11.-19 2 *Paral.* 16. *v.* 10.- 13. Martyr ad 1 *Reg.* 13. *v.* 4. ſic commentatur : Quanti Deus faciat miniſtros ſuos, ex hoc facto plane liquet. *Dum enim rex immolabat, & ſuffitum idolo faciebat, non exaruit ejus manus : ſed tum demùm obriguit, cum illam in prophetam extendit. Prius ulciſci voluit ejus injurias, quam ſuum ipſius cultum depravatum.* Idem ad 2 Regum 1. *Eximia Dei bonitas non tantum Eliam tutata eſt, ſed ultionem graviſſimam ſumſit de illius hoſtibus. Et quidem juſtè : non*

enim

Digitized by Google

enim par eſt , ut propheta Dei verbi miniſter à milite vel ſatellite regis terreni violetur. Adeſt Deus, & ſæpe non patitur hæc fieri. Et paulo poſt: *Non eſt itaque poteſtatis humana divexare prophetas, ſed patientia Dei*, &c. Lavaterus ad 2. Paralip. 16. v. 10. *Eſt hoc ferè ingenium principum, ut putent omnia recta eſſe, quæ faciunt , aliquando volentes ſcienteſque mala , etiam admoniti, cum faciant, tamen laudari volunt : hinc fit ut adulatores in deliciis habeant. Si taxentur, putant crimen eſſe læſæ majeſtatis, ideoque ſæviunt in prophetas.* Et addit iſtic exempla Achabi, Joaſi, Zedekiæ, Joachimi, Herodis, *Actor.* 12. Sed quam gravia Dei judicia in iſtos miniſtrorum contemtores, oppreſſores incubuerint, teſtatur hiſtoria ſacrâ. Adde hic comminationem divinitus factam Doëgo Edomitæ delatori & accuſatori ſacerdotum Pſal. 52. v 5. *Etiam Deus deſtruet te in ſæculum, tollet te, evellet te è tabernaculo, & eradicabit te è terra viventium.* Quævis ſæcula, ut & hoc noſtrum tragicas hiſtorias de infelici exitu aut ſaltem capitis diminutione, aut depreſſione contemtorum, depreſſorum, oppreſſorum ſacroſancti miniſterii, & fidelium miniſtrorum ſuppeditant. Legatur *vita Calvini*; & annales Belgici anno 1618. 1619. Sed quotuſquiſque eſt, qui ad eas attendit: etiamſi vel patris ſui, aut avi, aut proximi agnati aut cognati, aut prædeceſſoris ſui detractam pellem tribunali ſibi commiſſo ſuperinductam quotidie oculis ſuis uſurparent, aut uſurpare poſſent.

Felix quem faciunt aliena pericula cautum.

Cogitet quiſque Deum non irrideri *Gal.* 6. *v.* 7. eumque eſſe ignem conſumentem, *Hebr.* 12. v. 29.

Adjuncta ſeu conſequentia dignitatis miniſtrorum iſta potiſſimum indicamus , ſtipendium , immunitatem, invidiam & inde obtrectationes ac calumnias. §. 1.

I. De *primo* egimus ſupra *part.* 1. *lib.* 4. *tr.* 3. Et 1 *Timoth.* 5. *v.* 17. metonymicè nomine τιμῆς *honoris*, deſignatur: uti ex verſu proximè ſequenti colligitur: & alibi in ſcripturâ, atque ab aliis ſcriptoribus hâc ſignificatione vix aliter accipitur: uti *Grotius* & *Pricæus* ad locum obſervârunt.

II. De *ſecundo*, itidem ſupra egimus *lib. cit. tr.* 1. Ubi etiam de privilegiis miniſtrorum. Quæ in politiis à religione alienis, raro exſpectanda aut petenda ſunt : niſi rationes eccleſiæ ferant, ut iſtas miniſtrorum aliaſque ſuas immunitates donariis aut pretio redimant. De immunitatibus & privilegiis à politiis orthodoxam religionem amplexis, non admodum ſuaderem talia aut prece emendicare , aut pretio captare : ne magno eccleſiarum præjudicio, feneſtra contractibus innominatis , *do ut des*, *facio ut facias*, &c. aperiatur. De hoc potius laborandum putem , ut claves regni cœlorum, & cura ſpiritualium miniſtris pro parte & vocatione ſuâ

com-

commiſſa (*Math.* 16 *v.* 19. *Joh.* 20. *v.* 20. 1 *Corinth.* 5. *v.* 4. unde *catecheſis noſtra quæſt.* 84. 85.) relinquatur; nec ſectatores Corah, Dathan, &c. munus eorum involent. *Beza in epiſtolâ ad Sibrandum Lubertum* anno. 1592. ſcriptâ, quæ anno 1663. cum tribus centuriis à Simone Abbes Gabbema edita eſt pag. 305. *Tantum dico ſtare eccleſiam (niſi quatenus extraordinario Dei robore fulcitur) non poſſe juriſdictione eccleſiaſticâ vel abolitâ, quod contendit Eraſtus, vel ad civilem Magiſtratum tranſlata*, &c. Eſſentialem hanc & propriam miniſtris poteſtatem à ſupremo magiſtro Chriſto tributam, ſi ſartam tectam tenere poſſint, multum præſtiterint. In negotiis & cauſis eccleſiaſticis, hoc ſeriò agant, ne plane antiquetur illud Apoſtoli 1 Tim. 5. v. 19. *adverſus presbyterum*, &c. Ubi vide eruditam explicationem *Bezæ in notis*, & *Danæi commentarium* ad locum. In negotiis & cauſis de hoc ſæculo, cum civilibus tum criminalibus ſatis ipſis ſit ſi paribus privilegiis, cum concivibus ſuis, & paribus juribus cum omnibus inquilinis, advenis, etiam cum viliſſimis ſcurris per popinas, tabernas, ganea pervagantibus, quin & furibus aliiſque crucis candidatis gaudere queant, ut ſcil. audiantur, ut cauſam dicant, ut nonniſi propriâ confeſſione aut legitimâ probatione convicti judicentur; nec fraudi ipſis ſit ſacroſanctum miniſterium, aut propter illud aliquam capitis diminutionem patiantur. Quod *Tertullianus in apologetico cap.* 2. (legatur quæſo) pro omnibus Chriſtianis à Senatu Romano petebat; id pro miniſtris eccleſiarum pari, immo & majori quâdam ratione petiiſſe intelligendum eſt.

111. Invidia ut inter miſeros mortales, excellentiam ſapientiæ, virtutis, ſedulitatis, poteſtatis, dignitatis comitatur, haut aliter ac umbra corpus; ſic etiam maximè idoneos ac fideles miniſtros. Vide mihi exempla *Moſis*, *Pauli*, *Athanaſii*, *Nazianzeni*, *Chryſoſtomi*, &c. Sed de invidiâ in genere à *Cypriano*, *Alexandro*, *Hales*, *Peraldo*, *Nider*, &c. *Joh. Spinæo* Andegavenſi dicta, huc applicanda. Sunt tamen miniſtri in multis nonnunquam extra invidiam. Vix enim homines aut ſaltem non ita miniſtris invidere ſolent Herculeos labores, & vigilias pro animabus; aut ferream quorumvis & hominum & morum tolerantiam; aut aſſiduam ſollicitudinem (2 *Cor.* 11. cum 1 *Corinth.* 4. *v.* 9. - 14.) aut corporis infirmitates & morbos, ex ſtudiis, vigiliis, laboribus, clamoribus in concionando contractos; aut quorumvis etiam viliſſimorum in ipſos incurſationes, obtrectationes, calumnias, libellos famoſos; aut magnatum à pietate alienorum inſidias, perſecutiones, depreſſiones, oppreſſiones.

De obtrectationibus, calumniis, libellis famoſis aliiſque furioſi mundi, & falſorum aut ingratorum filiorum ac fratrum vexationibus, vide 1 *Corinth.* 4. & 2 *Corinth.* 11. *Jerem.* 12. & 15. Sunt ea non tantum divina

Digitized by Google

na providentia ita diſponente, ſalubria miniſtrorum medicamenta, ſed & quotidiana ferè alimenta; ita ut illis applicari poſſet illud Pſalm. 80. v. 6. *cibaſti eos pane lacrymarum*, &c. De convitiis, calumniis, &c. ad nonum decalogi præceptum, quæ theologi commentati ſunt, & *Taffinus lib. 2. cap. 21. de emendatione vitæ*, Et nos *diſp.* peculiari, *ad 9. decalogi præcept.* miniſtris tanquam primario eorum ſubjecto applicari poſſunt.

Oppoſita ſeu pugnantia ſunt vel in exceſſu vel in defectu. *In exceſſu* §. 4. *ſunt.*

I. *Majeſtas Papalis*, cum triplici coronâ, oſculis pedum, vicedeiſmo, Pontificia omnipotentia, &c. quæ in *diſp.* de Pontifice Romano ex Ceremoniali Romano, ex Canoniſtis, aliiſque probatis illic ſcriptis, quaſi in tabellâ antehac exhibuimus. Hic ergo non reponemus.

II. *Eminentiæ*, illuſtritates (ita loquar), principatus eccleſiaſtici Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiſcoporum, Archidiaconorum, tanquam clericorum gubernantium. De quibus *infra lib.* 4.

III. *Dignitates* κατ' ἐξοχὴν & peculiariter ſic dictas, inter Canonicos (quas à muneribus ſeu officiis diſtinguunt) ſcriptores de capitulis & canonicis nobis explicant, inter eos perſpicuè & plenè poſt multos alios *Auguſtinus Barboſa in lib. de Canonicis.* Et tali in cœtu dignitas miniſtrorum eccleſiaſticorum quæritur, ubi nulla poteſtas, nullum munus, nullum opus miniſteriale: niſi opus, munus, poteſtatem ſacram appellare velint, ſtallum in choro & vocem in capitulo; in quibus duobus eſſentiam hodierni muneris canonicalis, dictus *Barboſa* conſtituit.

IV. *Dignitas præſumpta*, cujuſcumque ſtupidiſſimi, ineptiſſimi, viliſſimi ſacrificuli, ordinatione epiſcopali & titulo ſine re gaudentis: idque ex falſa hypotheſi, de tranſubſtantiatione & corporali oblatione Chriſti in miſsâ. Editus eſt libellus olim in Papatu celebris dictus *Stella Clericorum*, qui quamplurima ſalubria continet monita ad ſacerdotes & paſtores, ſcripturæ & patrum teſtimoniis munita; reprehendit etiam flagitia iſtius temporis ſacerdotum. Inter alia eos ad *dignè & ſacerdotaliter* vivendum excitat ſequentibus motivis: quatern. Fol. 8. litera c. *Conſiderate ergo mirabilem veſtræ excellentiæ dignitatem, quod vos Deus non ſolum præ cætero genere honoravit: ſed etiam præ cunctis creaturis* (N. B.) *quas ad laudem & gloriam nominis ſui creavit.* Et Paulo poſt: *Salvâ reverentiâ angelorum (quorum infinitus eſt numerus) dico quod majores eſtis, quam angeli: & præcellitis dignitatem eorum: largo modo loquendo. Cui namque angelorum tradidit Deus, quod datum eſt ſacerdoti, ſcil. quodcunque ligaveritis ſuper terram*, &c. Et quaternione 6. Fol. 1. verſo lit. c. *Cum ergo tantæ dignitatis ſit ſacerdos*, *quod* CREATOR SIT SUI CREATORIS, *& totius*

 crea-

creaturæ: ipſum perdere & damnare inconveniens eſt. Admirabilem hanc ſacerdotis poteſtatem, potentiam (*virtutem* vocat *Biel lect.* 4 *fol.* 8. 6. *col. a.*) & dignitatem ſic intonat celebris theologus Scholaſticus *Gabriel Biel* (cujus tale elogium præſcribit libri titulus, *ſacræ theol. licentiati noſtræ ætatis profundiſſimi*) in Expoſitione canonis miſſæ *lect.* 4. *fol.* 8. a. *Qui creavit me (ſi fas eſt dicere) dedit mihi creare ſe, & qui creavit me ſine me, creatur mediante me.* Quæ gemmula Romano-Papalis, etiam ſplendebat in *Breviario Pariſienſi*; apud Odin Petit; ex cujus exemplari à noſtris producta eſt. Sed ſufficit mihi *Gabriel Biel*: qui ibid. *lect.* 38. *fol.* 88. 6. in terminis dicit, *corpus Chriſti creari.* Et quod Chriſtus *verbis illis* (quinque ſcil.) *contulit vim conſecrativam.* ibid. *lect.* 4. *fol.* 7. 6. *Propter quam* (conſecrationem ſcil.) *merito ſacerdotium venit extollendum: cujus dignitas eximia nullis verborum pompis venit extollenda: Quoniam & linguas vincit oratorum diſertiſſimas culmen eminentiæ cujuſlibet creaturæ.* Paulo poſt, ſupra angelos & B. Mariam ὑπὲρ eoſdem extollit. Omnia verba ut excerpam prohibet chartæ anguſtia. Non poſſum tamen, quin aliqua hic exhibeam: Tranſgrediendo, inquit, perinde agmina angelica, ad ipſam cœli reginam & mundi dominam veniamus. Hæc etſi in gratiæ plenitudine creaturas ſupergrediatur univerſas: tamen cædit eccleſiæ in commiſſi myſterii executione. Illa nempe prolatis octo verbulis: Ecce ancilla Domini fiat mihi ſecundum verbum tuum, ſemel concepit Dei filium & mundi redemptorem. Iſti à Domino conſecrati, quinque verbis contextam conſecrationis formam cum debita intentione proferentes: eundem Dei virginiſque filium advocant quotidie corporaliter in ſacrificium & criminum purgationem: illa perpetua virginitate ſervata ſummum cæli principem de ſe incarnatum, mortalem atque paſſibilem mundo edidit ſalvatorem. Iſti conſecratione divina eundem cæli terræque principem in ſacramento veriſſime contentum impaſſibilem glorioſumque contrectant, victorem mortis & baratri deſtructorem. Hæc benedicta, à cujus laude deficit omnis lingua; natum dominum virgineis lactabat uberibus: contrectabat manibus: brachiis geſtabat puellaribus, ac mille talia & infantibus Chriſti membris impendit obſequia, quibus educavit beatorum gloriam & terræ cibatorem. Iſti cæleſtem cibum in crucis frixorio charitatis igne coctum ore ſumunt condunt cæteris, angelorum videlicet panem ac dulciſſimum cordis confirmatorem.

v. *Dignitas* regularium ſeu monachorum præſertim mendicantium; quam ipſi ſupra omnes alios clericos ſæculares & olim, & ante paucos annos in Hyberniâ extollere conati ſunt. Quibus Sorbona Pariſienſis ſuperioribus ſæculis, & nuper ſtrenuè ſe oppoſuit, condemnatis propoſitionibus quibuſdam

dam tanquam erroneis, ſcandaloſis, &c. Quâ occaſione enata ſcripta theologorum Sorbonicorum *Nicolai le Maiſtre de autoritate Epiſcoporum*, &c. pro cenſura Sorbonæ, contra Spongiam ſub nomine *Loemelii* editam. Ante hunc celebris & per quam eruditus theologus Pariſienſ. *Joh. Fileſacus* de ſacra epiſcoporum autoritate commentarium conſcripſerat anno 1606. Quomodo faſtui & inſolentiæ monachorum, nominatim mendicantium, *Gulielmus de S. Amore*, aliique cum ipſo ſe oppoſuerint vide in *Pleſſei myſterio iniquitatis*. Memini in præfatione editoris libelli Latini *Savanerolæ de ſimplicitate vitæ Chriſtianæ* in 8. referri dictum Alexandri VI. quod mallet potentiſſimum in Europâ aut in Chriſtianiſmo Monarcham offendere, quam unum aliquem ex fraterculis Minoritis ſeu Franciſcanis. Sed αἰὼν non tam ὄφεις quam βδελυγμάτων ἐρημώσεως. Accedimus ad pugnantia in defectu.

Repugnantia dignitati miniſterii in defectu ſunt.

I. Faſtidium & inſectatio omnium eorum, qui miniſterium omne ſublatum velint: quales in primâ parte hujus capitis recenſiti.

II. Ἐξουθενισμὸς & vilipendium dignitatis miniſterii; apud pleroſque viros in mundo honoratos, & fidem Chriſti profitentes; quos minimè hoc decet. Quid ſubinde aliqui terræ filii, qui inſtar cucurbitæ Jonæ quaſi unica nocte ſuccreverunt, aucto paululum, per mercaturam, aut artes fœnebres, aut peculatum, peculio, familię ſuæ (regibus ſcil. atavis editæ) dignitati ac ſplendori immane quantum præjudicatum putarent, ſi ex eâ ſacrorum antiſtes, prodiret, aut illi inſereretur.

Radicem hujus faſtidii partim in ipſis, partim in miniſterio (quod poſterius tamen per accidens) quærendam arbitror. In ipſis contemplare duo omnium malorum elementa, avaritiam & ambitionem. De *priori*, cogita illud Hieronymi: *In meâ patriâ Deus venter eſt, & in diem vivitur; & ſanctior ille qui ditior eſt.* De *poſteriori* judica ex proprio ipſorum indicio: cum ſubinde prætexunt, in eccleſiâ noſtrâ nullos eſſe gradus, nullas promotiones, idque communi reformatorum profeſſione & perpetuâ conſuetudine ac lege eccleſiaſticâ præjudicatum eſſe. Et verum eſt, ἰσοτιμίαν & æqualitatem miniſtrorum apud nos obtinere, hierarchiam omnem exulare. Deus noſtris eccleſiis id perpetuum eſſe velit! Sed in Papatu longe aliter ſe res habet, ex puero mendico domum fratrum inhabitante, & ſtipem cantillando oſtiatim quærente, ſi aliquando cucullo ſe induat, poteſt fieri prior, Guardianus, abbas, (& per concomitantiam, inter proceres, & ordines territorii, immo & inter principes imperii adſcribi) Provincialis, Generalis, immò & Epiſcopus, Archiepiſcopus, Cardinalis, Papa. Ex ſacerdote ſæculari itidem, decanus Chriſtianitatis, Plebanus, Vicarius Epiſcopi, Epiſcopus titularis ſed realibus ſacerdotiis & præbendis decoratus, etiam Epiſcopus in formâ, Cardinalis,

dinalis, Papa; atque una per concomitantiam Imperii Princeps, Elector, & ſol mundi ſupra omnes Imperatores, Reges, Principes. Ex canonico in herbâ, conſummatus capitularis, decanus, theſaurarius, ſacriſta, præpoſitus & & archidiaconus *Dei gratia*. Ferrea illa ſæcula ſi redirent, plures ex divitibus, nobilibus, potentibus accurrere videres ad gradus & titulos eccleſiaſticos, idque familiæ ſuæ illuſtrandæ atque opibus & honoribus augendæ cauſa: uti tale quid refert *Paulus Jovius in vita Pompei Columnæ à militiâ* equeſtri ad cardinalatum tranſeuntis. Scilicet qui de terra ſunt terrena ſapiunt. Vide *Phil.* 3. *v.* 19. 20. cum *Pſal.* 17. *v.* 14.

Radicem in miniſterio ipſo ſi quæras, invenies depoſitum veritatis cœleſtis: quod diſpenſare tenentur, non tantum thetice docendo, aut hiſtoricè referendo quæ in bibliis legerunt, ac ſi tantum anagnoſtæ eſſent; ſed & arguendo errores, ac peccata tum publicè tum privatim 2 *Timoth.* 3. *v.* 16. *Actor.* 20. *v.* 20. 27. & per claves regni cœlorum totum Dei conſilium applicando conſcientiis hominum, tum alloquio, tum conſcientioſis in ſynedrio, claſſe, ſynodo, ſuffragiis. Hinc illæ lachrymæ. Mare hoc malorum nunc non ingredior. Tantum hac vice avido lectori commendo epiſtolam querulam & expoſtulatoriam *Franciſci Junii* eruditi, pii, & pacifici, ſi quiſquam, theologi, anno 1599. ad Senatum urbis N. ſcriptam; quam illuſtrium & clarorum virorum epiſtolis nuperrimè editis inſeruit *Simon Abbes Gabbema pag.* 61.

III. *Vilipendium miniſtrorum* apud complures plebeios: Cujus cauſæ ſunt tum generales, 1. Faſtidium præſumtum, 2. Factiones & diſſidia quæ gliſcunt in eccleſiâ; cum ſcinditur incertum ſtudia in contraria vulgus: ubi omnes turbationes plerumque tandem in miniſtros redundant: haut aliter ac plagæ in illum, qui inter partes contendentes & pugnantes intercedit. Vide 1 *Theſſal.* 5. *v.* 12. 13. 3. Prædicatio & applicatio legis. 4. Correptio & cenſura 5. Exempla eorum, qui eruditione, verſutiâ, autoritate præ aliis pollere videntur, & in hoc vilipendio primi ſunt; dictis, conſiliis, factis; in circulis, conviviis, ſympoſiis, navibus, averſum & exulceratum animum ſuum prodentes.

IV. *Stratagemata vulpium* quarundam, qui hoc unicè agunt, ut miniſtri ſint contemtui & ludibrio; atque adeo ad nutum eorum agant, quieſcant, loquantur, ſileant, canant, bibant, ludant, planupedes exultent, choreas cum ipſis ſi non ducant, ſaltem earum ſpectatores, & teſtes ſint, ac toti dramati ſuum plaudite apponant; ut ſint tanquam nervis mobile lignum, Gnathones, moriones, ſcurræ urbani & plus ſi vellent. Sicuti in Imperii Machiavellici arcanis numeratur, Regum & Principum, præſertim juniorum, per delitias & voluptates corruptio, ut Sejani dominentur:

Digitized by Google

tur : ſic ferè res ſe habet in infatuatione miniſtrorum : ſi heterogenea heterogeneis componere licet. Quibus boni ſolent ſuſpecti eſſe, & quibus formidoloſa eſt aliena virtus : nihil minus ferunt, quam ut miniſtri eruditione, pietate, & morum gravitate venerabiles cluant. Hoc unicè agunt ut aut favore ac ſimulatâ amicitiâ, aut terrore & minis prætenſis eos in illam formam redigant, quâ longè extra omnem venerationem & dignitatem collocentur; aut ſi in virtute conſtantes eſſe velint, rei familiaris anguſtiâ, & excitatis in ipſos adverſariis & contentionibus, dignitas eorum obſcuretur.

CAP. VIII.

Varii prætextus vilipendii miniſterii & miniſtrorum excutiuntur.

ADjiciamus ſpecioſos aliquos vilipendii prætextus. §. 5.

I. *Prætextus eſt*, quia nimis facile eſt miniſterium, & ignavum otium: tantum diebus dominicis quid clamant & garriunt: uti ſubinde auditum eſt, conciones appellari **Sondaghs-Praetjens**/ & concionatores, **Schreeuwers**. *Reſp*. Si negotioſum hoc otium, tali nomine inſignire libeat, non refugimus : modo eo ſenſu accipiatur, quo græco ſchola nomine dicta eſt. *Deinde* exiguam partem laborum, curarum & moleſtiarum miniſterii eſſe in unâ atque altera concione κατ' ἑβδομάδα habendâ. Vide difficultatem miniſterii ſupra à nobis delineatam. *Denique* uti nolo otioſos ventres venerabiles eſſe : ſic nolo ex fucis apes, ex aſinis equos, ex Judâ ſacrûm Apoſtolorum chorum æſtimari.

II. *Prætextus* : *ſunt indocti*. *Reſp*. Viri docti ſi ita judicant, abſque delectu, ſuum ordinem injuriâ afficiunt : quandoquidem omnes Jureconſulti, medici, philoſophi, poëtæ, oratores, aliquos indoctos doctis permiſtos habent : ſed quid hoc ad doctos, & ordine ac titulo ſuo dignos?

III. *Prætextus*: Ut ut docti, pii, fideles & in munere ſuo diligentes audiant : ſunt tamen imprudentes in actionibus ſuis? *Reſp*. Nullus ſtatus, nullus hominum ordo eſt, qui in πολυποικίλῳ hujus vitæ & muneris ſui pragmatiâ æque omnibus horis ſapiunt. Ut ergo illi in ſuis quique negotiis; ſic & miniſtri, experientiâ ſtultorum magiſtrâ quotidie proficere debent : ſin minus adhibitis ſecundùm canones eccleſiaſticos παιδείαις, meliora docendi ſunt; non vero ſacer & θεοπρεπὴς ordo paralogiſmis à particulari dignitate ſuâ ſpoliandus; multo minus tanquam ſal infatuatum miniſtri violenter de ſtatione ſua deturbandi. Quod ſi ordinis & dignitatis

Digitized by Google

cujuſcunque ſæcularis homines, verbulo in liberis ſuffragiis ſuis ferendis, transgredientes (quod non paucis, nec tam infrequenter evenire veroſimile eſt) de ponte dejiciendi eſſent: utique quotidie multos canentes audiremus illud Boëthii;

Quid me felicem toties jactaſtis amici:
Qui cecidit, ſtabili non erat gradu.

Lege ſis in *hiſtoriâ Thuani* factum minimè regium Henrici II. tres ſenatores (inter quos Annas Burgius) ob libera ſuffragia, ordine & loco ſuo, conformiter juribus divinis & humanis lata, violenter inde abripi & in carcerem compingi jubentis. Lectu digniſſima eſt epiſtola magni ſuo tempore theologi *Franciſci Junii* ſupra *cap.7.* à me indicata: ubi per Deum immortalem conteſtatur contra Senatum Ultrajectinum, quod reverendum virum *Joh. Urſinum* ex eccleſiâ Franchotalenſi à ſe intercedente, ad ipſorum poſtulatum, in urbem ſuam accerſitum, ex eadem non ita diu poſt ejeciſſent, ne quidem auditum: idque ob delatum ad ipſos (per neſcio quem delatorem & Judam) ſuffragium in conventu conſiſtorii ſecundum ſcripturam & ex conſcientiâ, ex legitimâ muneris ſui poteſtate latum, ſuper illegitimâ vocatione non-vocatione, verè obtruſione & intruſione cujuſdam hominis ἀλίπτα, nec doctrinâ nec moribus ſani: quem poſt annos aliquot conſiſtorium volente & probante eodem Senatu coactum fuit deponere: uti conſtat ex ejuſdem conſiſtorii actis. Quod ad eruditione, pietate, prudentiâ ſpectabilem *D. Urſinum*, is ab Amſtelodamenſibus paulò poſt vocatus, ibidem & miniſterio & vitâ, in domino functus eſt.

IV. *Pretextus:* Nimis ſunt ἐμπαθεῖς, hoc eſt, concitatis affectibus nimium indulgent? *Reſp.* Si pravos carnales, inordinatos, & furioſos affectus intelligis: jam rurſus deprecor paralogiſmos à particulari. Quod Judas indulgebat avaritię ſuæ: inde contra pios & ſpirituales affectus, Petri, Pauli, Johannis, aliorumque Apoſtolorum non erat inſcribendum. Sin affectus intelligis doloris, & indignationis contra peccata; & amoris ac zeli pro gloriâ ſervatoris ſui, & pro ſalute proximi: ita ut cum Paulo dicere poſſint, *Caritas Chriſti nos conſtringit*; 2 Corinth. 5. v. 14.: jam demum honore digni ſunt; non vituperio. Ad tales affectus hortatur eos ſervator *Apocalypſ.* 3. *v.* 19. Abſque talibus affectibus eſſent ſal inſulſum, evertendum & proculcandum *Math.* 5. *v.* 13. eſſent aqua tepida ex ore Chriſti exſpuenda *Apocal.* 3. *v.* 16. Fidelis illius & fervidi religionis in Angliâ reformatoris Latimeri, poſtea ſanctiſſimi & fortiſſimi Chriſti martyris duo feruntur apothegmata, quę fervori in miniſtris excitando apprimè mihi facere videntur. Unum erat; *Non eſt ignis.* Alterum, *diabolus eſt diligentiſſimus in ſuâ diœceſi epiſcopus.* Omnes ergo, qui dominum Jeſum ex corde

Digitized by Google

de diligunt, incendant potius miniſtros, quam ſufflaminent; exemplo ſervatoris, *habete ſalem in vobis.* Marc. 9. v. 50. Viri de hoc ſæculo, & qui prudentes ac conſulti in hoc mundo audiunt, ſi diligere & laudare nolint, tolerent ſaltem æquales, aut paulo majores, doloris, amoris, zeli, motus in aliquo ad Pauli exemplum concitatiori (2 *Cor.* 11. *v.* 29. &c. *c.* 5. *v.* 13. 14) ob ſalutem populi, ob gloriam magni Dei, & dilectiſſimi ſalvatoris ſui: quandoquidem hi viciſſim alios in ipſis motus, alias procellas, alios fluctus verbales, chartaceos, reales, armatos, ob ſtillicidium, apertionem feneſtræ, ductum canalis, teruncii damnum, ob honoris ſæpe imaginarii titivillitium aut potius punctum mathematicum, concitatos, & ad ſydera ſublatos ſpectare coguntur.

v. *Prætextus*: Sunt ardeliones, πολυπράγμονες, ἀλλοτριο-ἐπίσκοποι. *Reſp.* Tales non deeſſe fateor: ſed illi ſunt paſtores, qui opus proprium & gregem ſuum deſerunt *Zachar.* 11. *v.* 17. Qui bonam militiam non militant: atque adeo otioſè implicantur hujus vitæ negotiis, patinas inſpiciunt, menſarum & hortorum delicias frequentant, carnalibus allocutionibus diem comburunt: ſuſurris, garritibus, maliſque conſiliis aures aliorum implent: juxta illud Syri Mimi: *Homines nihil agendo malè agere diſcunt.* Quidquid à talibus fiat aut non fiat, non deſinam deprecari paralogiſmos à particulari: Nec deſinam precari obteſtari omnes talibus prætextibus pro vilipendio miniſtrorum Chriſti certantes; ut ipſi ſaltem, ſiquidem ipſis melior ſententia menti, tales, per quorum latus omnes miniſtros vituperari videntur, tales, inquam, ἀλλοτριο-ἐπισκόπους, & in demandato ſibi munere ceſſatores, præ aliis longè dignioribus non protrudant, promoveant, commendent.

vi. *Prætextus*: Demagogi ſunt, qui plebis gratiam captant, attrahunt, lucrantur: quo fit, ut illi præ aliis in honore, & omnium oculis ſint: aliis nihil relinquatur, niſi faſtidium, aut puſilla æſtimatio. *Reſp.* Si ſolidis, piis pſychagogicis concionibus, ſi privatis inſtitutionibus, ſi fidelibus adhortationibus, ſi efficacibus ſuaviſſimarum conſolationum cardiacis, ſi vivo pietatis & virtutum exemplo, tale quid, quamvis minime affectantes, conſequantur: eſt quod ipſi Deo omnium largitori gratias agant, & omnes alii Deum in iiſdem celebrent *Gal.* 1. *v. ult.* Si quis alius alio in opere, aut etiam in eodem ſacro conſtitutus, putat luminibus ſuis obſtrui, & per alium majori gratiâ florentem ſecuritati ſtatus & honoris ſui, aut ſuo αἰὲν ἀριστεύειν καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων nimis aut ſaltem aliquantulum præjudicari: is noſſe debet hoc totum eſſe per accidens; & propterea bonum per ſe neceſſarium & à Deo mandatum non eſſe deſerendum; nec optima dona, quæ zelare debemus, eſſe abjicienda, aut ad ἀργίαν redigenda.

Bar-

Barbarorum eſt non ferre ut aliquis, in flagranti populi gratia ſit, idque abſque artibus malis. Hiſtoria Turcica Baſſarum, etiam propriorum fratrum, immo & filiorum, hanc ob cauſam crudeliter ab Imperatoribus ſublatorum exempla dabit.

VII. *Prætextus:* Sunt ſeditioſi, ſeditionum flabra, poteſtatis politicæ, & pacis publicæ perturbatores.

Reſp. 1. *Hac* crimina ſunt, non clandeſtinis ſuſurris aut blaterationibus, in opiparis conviviis, in ebrioſorum & aleatorum ἐγκυκλίοις, nec libellorum famoſorum in tenebris ambulantium chartaceis armis, & inde depromtis Mercuriis non raro à mendaciorum Deo Mercurio (hoc eſt, diabolo *Job.* 8. *v.* 42. cum 1 *Corinth.* 10. *v.* 20.) dictatis, nec infamium hiſtrionum ſcenis, agitanda: ſed ſacro juſtitiæ tribunali, cui Deus præſidet 2 *Paralip.* 19. *v.* 6. 7. cognoſcenda; juxta leges & mores: quæ docentur à Jureconſultis; & inter eos, à πάντων ἀριζήλῳ ἄλλων Clariſſ. *Anton. Matthæo* τῷ μακαρίτῃ, collega noſtro, cum viveret, honorando; in *libro de criminibus*. Hoc ergo agant, quibus jure divino & humano id incumbit. Prodeat modo larvatus quiſque miniſterii contemtor, & miniſtrorum accuſator, jure merito in libello quodam anonymo anonymis oppoſito, *Doëgi Edomitæ accuſatoris ſacerdotum* titulo inſignitis.

Reſp. 2. Si accuſaſſe ſufficiat, nemo erit innocens. Fideles miniſtri negant, & Deum orant, ut miſeris hominibus tam calida mendacia & atroces calumnias efflantibus clementer ignoſcat; ne eveniat ipſis judicium *Apocal.* 21. *v.* 27. deſcriptum. Confer miniſtris reformatis, & per eorum latus communi religioni & eccleſiarum cauſæ ſimilia objecta à nobis retuſa in 2. *part. ſelectar. diſp. tit. de temporali poteſtate Papæ*, & de *ſede Romana incompatibili*, &c.

Reſp. 3. Indefinitè & in genere multa miniſtris imponere, eoſque in odium & contemtum adducere, ob alicujus aut aliquorum ſive imprudentiam, ſive improbitatem, ſive flagitia, quæ μισοκλήρονες prętendunt: tantundem eſt, ac ob Judę proditionem & avaritiam, Apoſtolos, & ob Hymenęi ac Philæti apoſtaſiam, reliquos miniſtros & fideles, indefinitè & quaſi univerſaliter θεατρίζειν. Et tamen eâdem hac chorda, eâdem methodo oberrant Remonſtrantes in ſua *Campana incendiaria*; *Staterâ orationis Carletoni* legati Britannici ad Belgas, *Barlei Philippicâ in miniſtros Contra-Remonſtrantes* à Damio doctore medico, anatomicè exoſſatâ; Ejuſdem *Bogermanno* ἐλεγχομένῳ; *Grotii Pietate*, quam *Sibrand. Lubertus*, & *Sopingius* κατὰ πόδας ſic examinarunt, ut ipſe & cohortes ejus nihil reponere potuerint, præter libri Sibrandiani, publicam per deputatos Ill. Ordd. Hollandiæ (cujus tunc partem, ni fallor, faciebat ipſe Grotius) prohibitionem, ſeu mavis proſcri-

ptionem.

Digitized by Google

ptionem. De ejuſdem Grotii notis vindicantibus, quas *notis in 4. Euangeliſtas ſubjecit*, ejuſdemque epiſtolâ, quâ contra *Jacobi Laurentii* theologi Amſtelodamenſis *librum tit. Grotii Papizantis* furiosè rugire voluit, ſimiliter judicandum eſt. Quid ſi procerum, magnatum, nobilium, Magiſtratuum Belgicorum ordini hodie quis in Belgio indefinitè & in genere imponeret, perfidiam, proditionem, ad hoſtes defectionem, Libertiniſmum aliaque crimina; quod aliqui ex illo ordine iſtorum criminum manifeſti ſint: quid reſponderent noſtri μισοκλήρουσ?

VIII. *Prætextus:* Quia dentatis ſcriptis, ſi alicubi in doctrina, praxi, diſciplina, in quæſtionibus juris aut facti, diſſentiant, in ſe mutuo incurrunt? *Reſp. Melchior Sylveſter Eckhardus tract. de paſtore conſcientioſo claſſe 2. quæſt.* 24. inter ſcriptorum eriſticorum damnoſa conſequentia non malè numerat, *ipſius miniſterii, quod multis præter meritum ſudes eſt in oculis, contemtum; dum alter alterum acrius vellicat, incogitantius dicta odiosè exaggerat*, &c. Sed quid hoc ad illos, qui libros non edunt? quales plerique miniſtri. Quam pauci inter illos ſunt polygraphi? Et inter ſcriptores, quam pauci ſcripta eriſtica, in fratres ejuſdem fidei conſortes, emittunt? Si forte quis eſſet, qui legiones ſcommatum, & ſarcaſmorum, cum prætorianis mendaciorum & perſonalium calumniarum cohortibus in aliquem aut aliquos ex fratribus ſuis immitteret; utique nemo, niſi improbus, factum laudaret. Si orthodoxiæ, pietatis, eutaxiæ eccleſiaſticæ zelus in iis eſſet, in quibus eſſe debebat, aut ſi conſortio Apoſtolorum non intereſſet Judas; nunquam hic laboraremus. Sed nihil ab omni parte beatum: oportet enim *inter vos ſectas eſſe*, &c. 1 Cor. 11. v. 19. Utinam inter ipſos miniſterii contemtores, non invenirentur, qui certaminum incentores eſſent, ut colorem aliquem pro contemtu ſuo dicere, aut miniſterium ſupplantare queant, juxta ἄγραφον axioma: *Si vis imperare, divide.* Sed aggreſſio Titii, & Mævii & inculpatæ tutelæ moderamen ſine diſcrimine habenda non ſunt: ut nec juſta tutela cum neceſſariâ retorſione, & injuſta ac calumnioſa retorſio: adhæc tutela communis orthodoxię, pietatis, eutaxiæ eccleſiaſticæ; & particularis cauſæ, aut perſonalis innocentiæ. Vivum miniſtromachię in Belgio noſtro exemplum dederunt tempora Remonſtrantica: ubi tamen dignitati miniſterii, ſaluti eccleſiarum, ſuęque conſcientiæ, & gloriæ Dei optimè conſulebant, qui pro fide ſemel datâ ſanctis contra nimbos librorum & libellorum editis ſcriptis uſq; ad annum 1618. decertabant: quales *Gomarus, Ruardus Acronius, Mebnius, Feſtus Hommius, Dammannus, Revius, Bogermannus, Lubbertus, Sopingius, Hillenius, Walæus, Ameſius, Triglandius, miniſtri Dordraceni, Claſſis Walachrica, Miniſtri Leovardienſes*, &c. Quos antehac in *diſpp.* meis, & in *catechizatione*

tione catechiſmi Remonſtrantici , & ſupra in *1. part. Politicæ Eccleſiaſticæ* indicavi. Porrò de neceſſariis apologiis tum publicis tum privatis infra. *part.* 3. agendum.

IX. *Prætextus:* Quod aliqui indigni ad miniſterium promoventur ; indigni ſcil., quibus doctrina, aut pietas, aut boni mores, aut prudentia, aut eloquentia, aut diligentia, aut aliqua iſtorum, aut omnia deſunt : & quod indigni in eo ſæpe retinentur ? *Reſp.* Factum non nego, & ex animo doleo. Quicunque hoc agunt, judicium ſuum ferent : niſi reſipiſcant. Sed quæri hic poſſet, an ſemper aut ſoli miniſtri promotionum & defenſionum iſtarum architecti ſunt? An nulli ſunt aperti aut clandeſtini orthodoxæ religionis, pietatis, eutaxiæ adverſarii, miniſterii contemtores; qui ſtudio hoc agunt, nullo alio fine, quam ut minus honorabile ſit miniſterium ; & ipſi tali indigno miniſtro, operi ſuo, inſultare, eoque ut naſo cereo uti poſſint? An non ſi quis miniſter ἀνθρωπάρεσκος, hoc ſaxum aliquando volviſſe dicendus eſſet, ab actoribus illis actus eſt ? Quidquid ſit : tanto digniores ſunt miniſtri, qui nec indignos ad miniſterium promovent, aut in eo retinent; nec ipſi indigni promoti ſunt, aut etiamnum per crudelem & hypocriticam miſericordiam in miniſterio retinentur. Quis honoratiſſimis in Republicâ, in militiâ, in ſcholâ gradibus & muneribus quidquam detractum velit, quod aliquando intercurrerint aliqui gradu & munere haut ita digni? An non ex contemtoribus ilico inclamaret quis: Crimen ſacrilegii eſſe, ſi quis de principis poteſtate dubitaret.

X. *Prætextus:* quod multa præclara ingenia, & bonæ mentes, honeſtæ ſuæ familiæ, & majorum memores à ſacro miniſterio abſterrentur ; aut cum jam magno impetu huc aliquamdiu contenderunt; ſub ipſum promotionis punctum reſiliunt ? *Reſp.* Per tales ὑποστέλλοντας, ſive nimiæ puſillanimitatis, ſive infirmæ aut dubiæ conſcientiæ, ſive alicujus faſtus afflatu, alio agantur ; non magis debet contemptibile reddi miniſterium : quam honorabile per illos, qui omnibus illis montibus remotis, & carnis ac mundi tentationibus ſuperatis rectâ ad ſuum Chriſtum iverunt, unicè & peculiariter in lucrandis animabus ipſi inſervituri. O quam felices animę, quæ exemplo Pauli gloriationem illam affectare audent, *1 Corinth.* 4. *v.* 8.-16. *2 Cor.* 11. *v.* 11.-33. *Actor.* 21. *v.* 12. 13. Quibus in præparatione ad miniſterium, & in ſacrâ ejuſdem functione, inter omnes inſanientis mundi vanitates, inter circumſonantes turbationum tempeſtates fixum inſidet illud Apoſtoli *Philipp.* 3. *v.* 20. *Noſtrum vero* πολίτευμα *in cœlis eſt*, &c. & piiſſimi *Nazianzeni*, ὦ θυμὲ βλέφον ἄνω χθονίων δ᾽ ἐπιλήθεο πάντων. Interim illis qui donis à Deo inſtructi συχναῖς tentationibus infeſtantur, hoc ſuggero ; ut quo plures videre ſe putant indignos, eo animoſius epiſcopatum deſiderent & labo-

Digitized by Google

laboranti hac in parte Chriſti & eccleſiarum cauſæ fortiter ſuccurrant, ſeque digniores præſtent, atque adeo à loco illo, quem occupaturi ſunt, indignos arceant. Non ſufficit defectum videre, eumque cum Heraclito deplorare, aut cum Democrito ridere; ipſo opere ipſâ re emendandus, ac ſupplendus eſt. Ita miniſterii dignitas per indignos diminuta, ad debitam dignitatem magis magiſque aſſurget.

XI. *Prætextus* eſt: quod ſint homines infimi cenſus aut tenuis conditionis, ſi non pauperes, in hoc mundo.

Reſp. 1. Omnes tales eſſe, aut ubivis terrarum, non credo.

Reſp. 2. Dato hoc, non conceſſo: non tamen ſunt mendici, nec magis ex ſtipe, quam ex rapto aut ſacrilegio vivunt: uti ſupra *part.* 1 *lib.*4. in quæſtione de ſtipendiis miniſtrorum, docuimus.

Reſp. 3. Si ſint, quibus anguſta res familiaris, in eo de ſocietate cum Apoſtolis, immo cum ipſo ſervatore ſuo gloriari poſſunt: ſiquidem propter Chriſtum & propter electos omnia ſuſtineant; abſque quo lautiorem in hoc mundo conditionem quærere, & juxta cum aliis fortunæ ſuæ fabri eſſe poſſent. Apoſtolis enim nec aurum nec argentum erat *Actor.* 3. illi pauperes erant & multos ditabant 2 *Corinth.*6. *v.* 10. illi in fame & ſiti, in frigore & nuditate gloriabantur 2 *Cor.* 11. *v.* 27. Chriſtus rex regum & Dominus mundi propter nos pauper factus, non habebat ubi caput reclinaret 2 *Cor.*8. cum *Math.*8. *v.*20.

*Reſp.*4. Quid bona fortunæ; ad cœleſtis ſapientiæ, ad Euangelicæ legationis, ad regni Chriſti dignitatem? Quid heterogenea illa & toto cœlo diſtantia junguntur? Sed iis, qui terrena ſapiunt, quibus oculi ſunt carnei, quorum manus oculatæ ſunt, & non credunt niſi quod vident, quorum Deus venter eſt (*Philip.* 3. *v.* 19.), quibus ſanctior ille qui ditior eſt, inviſibiles theſauri fruſtra proponuntur. Deus oculos eorum aperiat! Deus det ipſis intelligentiam in omnibus 2 *Tim.*2. *v.*7.

Reſp. 5. Non eſt quod *μισουργοι* aut miniſterii contemtores hoc prætextant, per fallaciam non cauſæ ut cauſæ: cum ipſi ſint, qui præcipuè paupertatem miniſtrorum, immo & mendicitatem miniſtrorum intendunt ac pro viribus promovent; ut infra equiſonum aut atrienſium ſortem depreſſi, nullâ autoritate & dignitate in populo Dei præfulgeant. Tantundem illi facere videntur, ac degeneres filii per fas per nefas ditati, qui parentes ſuos in tenui conditione aut paupertate detinerent; ut ſcil. ipſi independentiſſimi independentes, tanto facilius à quinti præcepti dictato, *honora patrem & matrem*, &c. abſoluti vivant. Idem legiſlator qui dixit *honora patrem*, &c. dixit, *obedite præpoſitis veſtris*, &c. Hebr. 13.v.17. Sint pauperes de Lugduno, ſint mendici (uti ſaturis hominibus ſubinde eos appellare libet) in hoc

 mun-

Digitized by Google

mundo: ſunt tamen patres ſpirituales in regno Chriſti: ſunt doctores, ſunt legati Chriſti; ſunt œconomi & diſpenſatores, quibus claves regni Cœlorum commiſſæ ſunt.

XII. *Prætextus* : Ex infimâ plebe aſſumuntur; ſunt tales, quorum miſertum eſt; qui ſub maxillis aliorum edunt; qui aliorum liberalitate ſuſtentati, ſtudia ſua abſolverunt.

Reſp. 1. Hoc univerſaliter verum eſſe negat experientia. Poſſemus longâ inductione inſtantiam noſtram firmare: ſed alteri occaſioni hoc maluimus reſervare *Reſp.* 2. Si hàc ex parte, inhonoratum ſit miniſterium, illud ſibi tribuant plerique contemtores: qui hoc pro viribus agunt, ne ex nobili aut honoratâ ſuâ familiâ, propriis expenſis ſtudia theologica capeſſant, & ad ſacram hanc functionem aſpirent: uti antehac contrarium obtinuit in Papatu, ubi regalia ſacerdotia, & pinguia beneficia, ambitu, aut ſimoniâ prævalentibus expoſita erant.

Reſp. 2. Exploret quiſque contemtorum conſcientiam ſuam, an non ipſe Jeroboamicæ hujus πολιτείας (1 *Reg.* 12. *v.* 31.) pars magna fuerit? An non ipſe viliſſimorum mancipiorum filios, quamvis ſæpe nec ingenio, nec moribus, nec eloquentia, nec diligentia ſacro huic ſtudio & miniſterio pares; præ melioribus promoverit, & protruſerit? ut ſcil. eos tanquam pilas haberet (hâut aliter ac Dii homines, juxta theologiam Plauti in Captivis); aut præpoſitis illis ſuis inſidere queat; uti ranæ regi ſuo, trabi.

Reſp. 3. Quidquid ſit de alienâ liberalitate ſive publicâ ex reditibus eccleſiaſticis, ſive privatâ piorum benefactorum (qualem à multis annis ex propriis quique ærariis, & loculis plurimi Brabanticæ, Flandricæ, Wallonicæ originis mercatores Amſtelodamenſes, exercuerunt): dico eos primum Deo ſe dediſſe, & eccleſiæ Chriſti; ut illi de idoneis miniſtris ſemper proſpectum eſſet. Quod huic juveni præ aliis digno, effectum ſuæ liberalitatis applicârunt: id ipſi, ſi dignè ſe gerat, in curſu ſtudiorum, multo minus in miniſterio, fraudi & præjudicio eſſe non debet. Neque enim alitur tanquam telluris inutile pondus: ut in Papatu titulares, ſive Non-reſidentes, ſive Non-operantes, epiſcopi, ſacerdotes, parochi, Vicarii, Canonici, Præpoſiti, Abbates, æditui, cantores, &c. Debent enim ſtudioſi theologiæ inter *minores* (uti in antiquâ eccleſiâ appellabant) *clericos* numerari; quibus quarta pars redituum eccleſiaſticorum aſſignabatur.

Reſp. 4. Dato, tales inter filios prophetarum, hoc reſpectu, inferiores eſſe; quid hoc ad miniſterium, quo legitimè funguntur: præſertim ſi & in ſtudiis, & in miniſterio aliis ſint pares, immo & pleriſque ſuperiores. Perpetua lex eſt in eccleſiis noſtris & in regimine presbyteriali, *Miniſtrum*

non

Digitized by Google

non eſſe ſupra miniſtrum. Qualis olim fuerit, quod ad τὸ βούλημα & ſtatum œconomicum, id ad autoritatem & dignitatem miniſterii (imprimis ſi in ejuſdem executione ἀριστεύῃ & ἄλλων ὑπείροχος ᾖ) elevandam, non magis conſiderari debet, quam antiqua profeſſio Rhetoris jam facti conſulis (juxta illud): *Si fortuna volet, fies ex Rhetore conſul*); aut opificii figulini Agathoclis, jam facti regis. Antehac in eccleſia Chriſti inauditum fuit illud commentum χθὲς καὶ πρώην ab aliquo proditum, de aliquâ miniſtrorum, qui propriis ſuis aut parentum, & non publicis eccleſiarum, aut aliorum ſumtibus ſtuduerunt, à communi poteſtate, ordine & regimine eccleſiarum exemtione. Sed nec ſcriptura, nec antiqua, nec hodierna reformatorum politia & diſciplina, tales exemtiones & independentias agnoſcit.

XIII. *Prætextus*: Dignitas miniſterii obſtruit luminibus Majeſtatis & autoritatis politicæ: quia enim rex, princeps, præfectus, conſul, &c. neceſſario honorandus eſt *1 Petr. 2. v. 17.* & mundus non fert duos ſoles; ergo miniſtrorum & miniſterii autoritas ac dignitas deprimenda, minuenda? *Reſp.* Monſtroſa vanorum ingeniorum phantaſmata. Quaſi ſapientiſſimus mundi gubernator duas poteſtates, authoritates, ἐξοχὰς, dignitates, ſed heterogeneas, ordinaſſet, quæ per ſe ſint ἀσυστάτως, & quaſi vita unius neceſſario ſit mors alterius; ac vice verſâ: haut aliter, ac in Republicâ Venetâ ante annos aliquot de morte & vitâ Marci & Ignatii judicabatur. Quod ſi publica autoritas, majeſtas, εὐταξία & pax politiæ formaliter in irreligioſitate, aut hęreſi, aut divini nominis abuſu, aut veritatis exterminio, aut eccleſię perſecutione, aut quovis alio crimine, aut arbitrario & extraneo eccleſiæ regimine, aut abſolutâ cujuſque in ἀρχῇ ab omni jure & ordine divino independentiâ conſiſteret: ſane fateri cogerer, non magis majeſtati & autoritati politicæ ejuſque poſſeſſoribus convenire, autoritatem & dignitatem miniſterii & miniſtrorum; quam mulieri cum ſerpente, & ſemini mulieris cum ſemine ſerpentis *Geneſ. 3. v. 16.* Sed minorem omnes ſani, ſobriique negabunt. Quippe qui diſtinguere nôrunt inter particularia & perſonalia peccata, τὸ ἴδιον, ſeu quod ſeipſum fecit; & inter publicam ejuſdem poteſtatem, quæ penes ipſum eſt; ſeu quod Deus ipſum fecit. Iſto reſpectu & quà talem omnes tenentur honorare: illo vero minimè, nec cum illo communionem habere; ſed potius eum pro re natâ redarguere, aut contemnere, aut fugere, aut odio habere *Epheſ. 5. 1 Corinth. 5. v. 14. Galat. 6. v. 14.*

Simul ergo eundem honorant, & non honorant: ſicuti Auguſtinus ait diligi in homine quod Deus ipſum fecit, & odio haberi, quod ſe ipſum fecit, ita ut odium poſterioris non tollat dilectionem prioris. Quomodo

autem ſacerdotii & imperii concordia (ut celebris ſcriptoris Pontificii terminis utar) abſque calumnioſâ collateralitate, Reſpublicâ in Republicâ, Imperio in Imperio haberi & ſervari poſſit ſupra *part. 1. lib. 1. tr. 2.* oſtendimus. Sed hinc omnis fundi eccleſiaſtici & politici calamitas, quod hominibus diſpliceat partitio ſervatoris *Math. 22. v. 21.* date Cæſari quæ Cęſaris, & Deo quę Dei.

XIV. *Prætextus*: Sunt miniſtri hominum non Chriſti: potentiorum quippe mancipia, & ditiorum κόλακες ac paraſiti. *Reſp.* hic prætextus apud plurimos plebeios & tenuiores vilipendium miniſterii haut parum promovere ſolet. Sed reponendum. *Reſp. 1.* De omnibus negare nolim, quod dicitur; ſed ex aliquorum exemplis inductio formari non poteſt. Fateor vix unquam defuiſſe viles animas, quæ quia lucro, honori, incolumitati, ſecuritati ſuæ velificantur, eos adorant, & toti ad nutum eorum ſe componunt, qui imprimis obeſſe aut prodeſſe poſſunt, juxta illud: *Non ſunt aſpernanda Deorum munera.* Et,

Ipſa ſonant arbuſta, Deus Deus ille Menalca.

Qui vivorum apotheoſes & idololatriam politicam contemplari cupit, hùc oculos aureſque convertat; & conciones quaſdam aulicas & funebres, nonnunquam magis principem benefactorem ſuum quam Chriſtum Crucifixum ſonantes, præterea quorundam librorum dedicationes, aliquâ ex parte mendacibus panegyricis haut abſimiles, curſim inſpiciat. Lectu digna ſunt, quæ eruditus ille theologus Pariſienſis *Fileſacus* in opuſculis ſuis *de idololatriâ politicâ*, & *lib. 3. ſelect. p. 67.* de apotheoſi vivorum commentatus eſt. Tales tempore motuum Remonſtranticorum celſiſſimus Princeps Arauſionenſis Mauritius, noſtrate linguâ Hop-Predikers (q. d. offarios ſeu offę-predicatores) jure merito appellabat. Non ſic factitabat Paulus, qui negabat ſe velle hominibus placere *Galat. 1. v. 10.* Qui τὴν χρηστολογίαν non ſervis Chriſti, ſed ſectariis, & heterodoxis ἰδίαν eſſe tradebat *Rom. 16. v. 17. 18.* Nec ſic factitabant illuſtres illæ animæ, quæ non ſine pulvere & ſudore, etiam ſanguine ſuo doctrinæ & eccleſię repurgationi ſe tradiderunt. Quales *Lutherus, Swinglius, Farellus, Calvinus, Crammerus, Latimerus, Knoxus, Martyr, Bucerus,* &c. Quorum vitas non ſine fructu legimus. Memorabile eſt dictum Calvini, cum agitantibus duobus ſyndicis factionum & diſcordiarum ducibus (quos ultio divina poſtea impunitos non ſinebat) una cum fideliſſimis Chriſti ſervis Farello & Coraldo non auditus, & fruſtra ſe ad rationem reddendam offerens ex urbe Genevenſi ejiceretur: *Certe*, inquiebat, *ſi hominibus ſerviviſſem, mala mihi merces ſolveretur: ſed bene eſt, quod ei inſervivi, qui nunquam non ſervis ſuis rependet, quod ſemel promiſit.* Beati qui Chriſto tam fideli domino ſerviunt, non hominibus?

Digitized by Google

bus? Quorum *levior plumâ eſt gratiâ, ſi quid recte feceris; qui plumbeas iras gerunt, ſi quid peccaveris. Reſp.* 2. Uti contraria juxta ſe poſita magis eluceſcunt: ſic Chriſto ſuo devoti miniſtri, qui ſua non quęrunt, ſed cum Moſe reſpiciunt retributionem mercedis *Hebr.* 11. *v.* 26. omnibus piis tanto honoratiores ſunt.

XV. *Prætextus:* quod nulla ſit poteſtas, autoritas, dignitas miniſtrorum niſi precaria, & largitione principum collata, ad nutum eorundem auferenda. Et quod miniſtri ſint ſervi mercenarii Principum ac Magiſtratuum, pariter ac alii quicunque civiles miniſtri, ſatellites, apparitores, janitores, curſores, &c. telonæ, præcones, amanuenſes, &c. aut domeſtici ſervi, ancillę, pædagogi, agaſones, cloacini, &c. *Reſp.* Multa hic præſupponuntur falſa: qualia tamen ab imperitis aut iniquis rerum æſtimatoribus ſubinde jactari novimus; etiam ab Anabaptiſtis aliiſque extra eccleſiam noſtram conſtitutis ſubinde ſcopticè (expertus loquor) nobis exprobari. Negatur, 1. ſtipendia paſſim miniſtris exſolvi à Principibus aut Magiſtratibus, ex ſuo peculio aut ex ęrario publico: quamvis fateamur ſtipendia exſolvi ex bonis eccleſiaſticis: quorum cuſtodia, cura, etiam adminiſtratio (alicubi ſcil. non pleriſque in locis, nedum ut ubique) eſt penes Principes & Magiſtratus ſæculares; de quo ſupra *part.* 1. *lib.* 4. *tit.* de ſtipendiis miniſtrorum, & de bonis eccleſiaſticis. 2. *Neg.* Miniſtros gradum & dignitatem eccleſiaſticam ſive quod ad inſtitutionem & originem, ſive quod ad applicationem ad Titium aut Hermachum, habere à principibus aut à magiſtratu: uti apparitores, amanuenſes, janitores, aliique omnes inferiorum aut ſuperiorum graduum munerarii, qui ideo merito dici poſſunt κτίσις ἀνθρωπίνη 1 *Petr.* 2. Omnes formæ miniſterii & muneris eccleſiaſtici à Deo redemptore & Chriſto eccleſiæ capite ac rege ſpirituali immediatè ſunt conſtitutæ: applicatio vero muneris ad Titium aut Hermachum mediatè per eccleſiaſticum vocationem perficitur. Dignitates, privilegia, immunitates in hoc ſæculo & ſocietate politicâ miniſtris inter & ſupra reliquos ipſorum concives à principibus collata, *eodem jure ab ipſis adimi poſſunt, quo ab iiſdem donata ſunt:* ut optimè *Daneus part.* 4. *Iſagogæ lib.* 1. *cap.* 9. Sed de dignitate, pręcedentiâ, privilegiis, immunitatibus in & de hoc ſæculo, hic propriè non quæritur 3. *Neg.* miniſtros aut in ortu aut in actu ſeu executione miniſterii directè & per ſe à principe aut magiſtratu dependere; ſicuti alii ipſorum ſervi; aut ſicuti ſervi, ancillę, pædagogi, operarii domeſtici à patre familias: ita ut ex ſpeciali ipſorum arbitrio & pręſcripto in publicis precibus, concionibus, ſacramentorum diſtributione, diſciplinæ executione, miniſtrorum electione, confirmatione ſeu introductione; ſuffragiis in ſynedrio aut ſynodo ferendis, aliiſque agendis pri-

vatis

vatis ac publicis inſtar heliotropii ad illum ſolem ſe convertere, aut ab illo ſole lucem omnem fœnerari; aut inſtar Protei in omnes formas ſe convertere, aut inſtar chamæleontis quomodocunque illi varient, aut quemcunque religionum aut opinionum colorem illis induere placuerit, eodem illico miniſtri fulgere debeant: juxta vulgatum noſtratium diverbium: **Wiens broot ick eete / diens woort ick ſpreecke.** 4. *Neg.* Principi aut Magiſtratui competere in eccleſiâ, quod patri familias in familiâ ſuâ: ut pro mero arbitrio inſtituat & deſtituat miniſtros; non aliter ac pater familias mero arbitrio ſuo ſervos, ancillas, pædagogos, ſartores, agaſones, muliones, bajulos, foſſores, alioſque mercenarios conducit, dimittit, mittit, mutat; iiſque penſa atque operas, modo has modo illas præſcribit. Sed tam infelicis & monſtroſi heurematis abortum paſſi, non adverterunt, ſi eccleſia ſub forma familiæ concipitur, nullum ejus eſſe dominum, nullum eſſe patrem familias in eccleſiâ, nullum domus Dei & vineæ dominum preter Chriſtum *Math.* 23., à quo omnis *πατρία* denominatur *Epheſ.* 3. Eccleſia eſt domus, arvum, grex, familia, corpus, uxor, ſponſa, Chriſti, ſicuti & ſpirituale regnum Chriſti eſt: non regis, Principis, Magiſtratus. Eccleſiis jam olim ſe imponere voluit, Papa pater patrum, & cœpit conſervos ſuos verberare, &c. *Math.* 24. Hujus jugo apud reformatos excuſſo, de alio homogeneo aut heterogeneo capite, vicario ſponſo, patre familias, rege, primate & monarchâ ſpirituali ſubſtituendo, aut admittendo, aut tolerando minime cogitandum eſt: ne poſteriora prioribus fiant deteriora.

Equo ne credite Teucri.

Atque ita pleroſque contemti miniſterii prætextus profligavimus.

CAP. IX.

De conſtituendâ & conſervandâ Miniſterii dignitate.

I. QUæſt. *Quibus mediis dignitas miniſterii potiſſimum promoveatur & conſervetur? Reſp.*

1. *Primum* eſt, ut rite miniſtri præparati, ſecundum præparationem ſanctuarii, legitimè ad miniſterium accedant. Si enim cum præjudicio ignorantiæ, aut vitioſæ converſationis, aut intruſionis, per mendicationem, ſimoniam; violentiam, ingrediatur; fieri vix poteſt, ut aliquo apud populum in honore ſit. Quamvis enim progreſſu temporis aliquid emendaret, ſemper tamen aliquid hæret. Ita ut applicari huc poſſit illud Medicorum: quidquid peccatum fuit in primâ concoctione, non corrigitur in ſecundâ aut tertiâ. De præparatione, & de requiſitis vocandorum & ipſius vocationis infra *lib.* 3. dicemus.

11. *Se-*

Digitized by Google

II. *Secundum* eſt, ut commendationibus & ſuffragiis bonorum, imprimis miniſtrorum; delectu ingeniorum habito, meliora ad ſtudia theologica, debitam præparationem, & tandem ad miniſterium promoveantur: contra inepta & profana arceantur.

III. *Tertium* eſt, ut debitè & fideliter miniſterii ſui partes exequatur, & doctrinâ & moribus publicè privatimque ædificando. Quænam ſint officia miniſtrorum, infra *tract.* 3. explicabitur. Si in doctrinâ, aut vitâ ac converſatione, aut utrâque miniſtri deficiant, dignitate & honore fulgere nequeunt.

Calvinus in lib. de ſcandalis (*tom.* 7. operum) pag. 92. *ἀνάξιους* ejuſmodi miniſtros, ſic graphicè deſcribit.

„ Ita fit, ut nihilò plus fidei ac gravitatis obtineant eorum conciones, „ quàm ſi fabulam in ſcena ageret hiſtrio. Et tales ſcilicet contemptui ſe „ eſſe apud plebem, aut etiam ludibrii cauſa digito ſe monſtrari conque- „ runtur. Ego autem potius vulgi miror patientiam, quòd non eos luto „ & ſtercoribus mulieres ac pueri operiunt. Miniſterii dignitatem extollunt „ plenis buccis: at illis non venit in mentem, ideo non haberi ſuum mi- „ niſterio honorem, quia ipſum ſua turpitudine conſpurcant. Nam ſicu- „ ti verè olim à quodam dictum eſt, Ut ameris, amabilis eſto: ita mo- „ rum gravitate & ſanctimonia reverentiam ſibi acquirant, oportet, qui in „ pretio haberi volunt. Atque utinam tali hominum colluvie exonerari „ purgarique poſſet Eccleſia. Sed longè aliter ut plurimùm contingit. Nam „ quum ſe meritò contemptibiles eſſe norint, mala conſcientia liberta- „ tem illis adimit. Denique, quum propter inhoneſtæ vitæ probra, ſen- „ tiant omnibus ſe obnoxios, vel pudore metuque retenti, hiſcere non au- „ dent, quoties ſeverè exigendum foret, quod ipſi minimè præſtant: vel „ parcere delinquentibus coguntur & adulari. Adde quòd ignavi ſunt ven- „ tres, qui ut moleſtia omni valere juſſa, otio deliciiſque ſuis conſulant, „ cœlum paſſuri eſſent terræ miſceri. Eorum etiam nonnulli, virtutum odio „ ſuis peræquè & aliorum vitiis libenter indulgent.

IV. *Quartum* eſt, ut ſe mutuo fraternè excitent, moneant, & ubi opus, corripiant, monitiones libenter admittant. Et ſi privatis monitionibus nihil efficitur methodum illam ſervent à Chriſto *Math.* 18. præſcriptam ut vigens diſciplina cleri. Hâc enim ratione dignitas & exiſtimatio miniſterii optimè promovetur. Efferam verbis Calvini meam, quæ ab initio ſtudii theologici in hunc uſque diem mihi inſedit, ſententiam: *Monachis* (ait in lib. de ſcandalo, tom. 7. operum pag. 98.) *ſolenne fuit quidquid in ſodalibus flagitiorum erat, in honorem ordinis tegere. Morem hunc in eccleſiam Chriſti invehere multi cuperent: ego autem non melius Chriſtiani nominis honori con-*

Digitized by Google

ſuli poſſe contendo, quam ſi à ſordibus Dei templum repurgetur. Sed deſideranda potius quam ſperanda aliquorum per fraternas adhortationes, correptiones, cenſuras emendatio & reformatio. Utinam nullis theologiæ ſtudioſorum, proponentium, concionatorum applicari poſſent verba Joh. Gerſon (1. parte operum opuſc. 18. quod eſt epiſtol. ad ſtudentes in collegio Navarræ:) *Credite*, inquit, *mihi, amariſſima eſt veritas: ſed neſcio quo pacto apud nullos eorum amplius, quàm apud* LITERATOS, *qui ſapientes ſunt in oculis ſuis, apud quos omnis vel* ADMONITIO CARITATIVA: vel FRATERNA CORRECTIO *contumelioſa* & *vindicanda deputatur injuria.*

V. *Quintum* eſt, Ut Magiſtratus, optimates, & honorati in hoc ſæculo, qui quidem fidei conſortes & filii ſunt eccleſiæ, in æſtimio & honore miniſterii præeant. Notum eſt illud, *Regis ad exemplum totus componitur orbis.* Et alterum, *Non ſic inflectere ſenſus humanos edicta valent, quam vita potentum.* Si per facta & exempla eorum ſacrum viléſcat miniſterium, contemtui, ludibrio, contumeliis exponantur fideles Chriſti legati, hoc eſt pii zelotæ, verbis & opere potentes miniſtri: cogitent peccata ſua gravia eſſe & quaſi publica, iiſque graviſſimam iram Dei in ſe concitari, vindictam ſibi metuendam ab illo, qui non irridetur, qui eſt ignis conſumens, qui dixit, *Qui vos audit me audit, qui vos dedignatur, me dedignatur* Luc. 10. v. 16. Nihil addam, niſi emortuale monitum pii & eximii inter Scotos theologi Rob. Rolloci, quod 1598. lætaliter decumbens ſereniſſ. Scotorum regi Jacobo ſexto per Gallovidium & Lindeſium ſubjiciebat, teſte ſcriptore vitæ apud
,, Meliorem Adamum: Rogavit interim ſuo nomine regem adeant, horten-
,, turque religionis orbitam, quam inoffenſo curſu eo uſque preſſiſſet, gra-
,, du non vacillante ad ultimum uſque vitæ ſpiritum calcaret: neque ſpe
,, amplificandi regni, aut nefariorum tacitis technis ab eâ ſe divelli patia-
,, tur. De eccleſiæ paſtoribus, quâ par eſſet reverentiâ, ſentiret & loquere-
,, tur. *Illud*, inquit, *Chriſti miniſterium, quantumvis humile atque abjectum*
,, *humano judicio, illuſtri gloriâ tandem fulgebit.*

II. *Quaſt. An dignitati miniſterii optimè conſulatur, ſi miniſtri cum honoratioribus, aut cum potentioribus in hoc ſæculo familiariter converſentur?* *Reſp.* Diſtingue honoratos; & familiaritatem, cum iis. Sunt enim alii vere pii & pietatis zelotæ, alii μόρφωσιν pietatis habentes, alii diſſolutè viventes, aut ſaltem intercutium vitiorum, quibus ſcatent, ſatis ſuſpecti; alii à verâ religione alieni, & falſam apertè profitentes. Familiaritas, haut aliter ac amicitia, alia eſt utilis; alia jucunda; alia honeſta. Hæc eſt, quæ inſtituitur, exercetur, & obſervatur pietatis ſcil. promovendæ, & mutuo ſpiritualibus chariſmatis communicandi, aut ſaltem negotia ac cauſas eccleſia-

cleſiarum, pauperum, afflictorum commendandi cauſâ. Sint ergo ſequentes concluſiones.

1. *Concl.* Cum honoratis & potentibus, qui ſunt amici Dei & zelotæ pietatis honeſta familiaritas experi, & coli poteſt, ad παροξυσμὸν caritatis & bonorum operum *Hebr.* 10. *v.* 21. & ad μετάδοσιν ſpiritualium chariſmatum *Rom.* 1. *v.* 11. Hac tamen cum reſtrictione, ne in monopolium tranſeat, & in præjudicium aliorum piorum in ſæculo minus honoratorum aut etiam pauperum: quorum aliqui ſubindè, ſi non frequenter, magis indigent alloquio, conſolatione, conſilio, confirmatione miniſtrorum, quam multi honorati, quamvis piiſſimi. Non tantum à morbo proſopolepſiæ aut contemtus pauperum, *Jac.* 2. *v.* 1. 2. 3. ſibi cavere debet miniſter, ſed etiam à ſpecie iſtius mali. Audiamus prophetam Pſal. 16. *v.* 3. *In ſanctis qui in terrâ ſunt, & fortibus, omnis voluntas mea eſt.*

2. *Concl.* Honorati aut potentes religionem noſtram profitentes, aut ſaltem ei faventes, ſive rarius ſive frequentius, pro re natâ, conveniri poſſunt; quamvis diſſolutè vivant; aut vitii alicujus ſuſpecti ſint, aut μορφώσει pietatis illudant: ſiquidem occaſio eos melioribus imbuendi, aut ad reſipiſcentiam adducendi, aut etiam cauſa & negotia eccleſiarum & pauperum iis commendandi, ſe offerat. Sic Johannes Baptiſta non abſtinuit à viſitatione & alloquio Herodis. Cum talibus tamen familiaritas colenda non eſt; quamdiu tales manent. Si enim quiſque fidelium à fratre ἀτάκτως ambulante ſe tenetur ſubducere, 1 *Cor.* 5. 8. 2 *Theſ.* 3. 6. quomodo miniſtri familiariter talibus utendo, dignitati miniſterii ſui conſulent? cum potius ſcandalis, pravis ſuſpicionibus, & infamationibus illud exponant, juxta adagia: *ſimilis gaudet ſimili: pares cum paribus facillimè congregantur.*

3. *Concl.* De profitentibus falſam religionem ſive extra nomen, ſive ſub nomine Chriſtianiſmi, eodem ferè modo determinamus.

4. *Concl.* Familiaritatem utilem à mercatoribus, & à Rerumpublicarum legatis, reſidentibus, agentibus politicis bono publico exerceri & coli poſſe, concedimus: modo fiat abſque ullâ religionis, pietatis, ac bonæ conſcientiæ læſione. Miniſtris tamen non convenit, qui facti piſcatores hominum, negotiis hujus ſæculi implicari non debent 2 *Tim.* 2. *v.* 4. Aliam nacti ſunt ſpartam, quam exornent; Lucrandis ſcil. Chriſto animabus, aperiendo cœlum, & theſauros cœleſtes. An tam ſublimis politię miniſtri, ad tam vilia metalla ſe damnari paterentur?

5. *Concl.* Familiaritas jucunda cum honoratis & potentibus in hoc ſæculo, nulla ratione miniſtro convenit. Familiaritas nimia ſi contemtum parit; certè jucunda maximè: ſiquidem vacuarum confabulationum, aut deliciarum ac cupediarum menſalium, aut paraſiticæ aſſentationis, aut

venationum, piſcationum, aucupiorum, aut luſuum pręſertim aleæ, fritillorum, chartarum, glutine cohęreat: ita ut talis miniſter ipſis vice thymelici aut hiſtrionis, aut paraſitaſtri, aut ſcurrę urbani, aut morionis in actione fabularum, magis fungi videretur, quam angeli Jehovæ exercituum. Dices miniſtrum debere apud omnes eſſe moribus & converſatione ſuavem, facilem, amabilem, ab omni faſtu & auſteritate alieniſſimum. Sic eſt: ſed hac conditione, ne prudentiam, & gravitatem ſuam dilapidet *Epheſ. 5. v. 15. Phil.* 4. 8. nec honoratos ac potentes in vanitatibus, temporis fallaciis, luxu, aliiſque vitiis confirmet. Non inſolens eſt, ſi miniſtri alicujus præſentiam ac familiaritatem, ab ebrioſis, ſacrilegis, peculatoribus, injuſtis diſpenſatoribus, fœneratoribus, inſidiatoribus, clandeſtinis adulteris aut ſcortatoribus, perjuris, fraudulentis, tanquam ſalvum conductum, ſi non contra infernum, ſaltem contra pravam populi de ſe opinionem, ſubinde quæri contingat. Viri Dei inſidias has caveant; & Deum orent cum pſalte *Pſal. 141. v. 4. Ne inclines cor meum*, &c.

III. *Quæſt. An faciat ad dignitatem miniſterii tuendam & conſervandam, ſi miniſter inteſtinis factionibus & turbis in Republicâ obortis, ilico partes faciat & ſequatur; conſiliis & agitationibus partis illius, quam elegit, ſe immiſceat, ſi non præſit? Reſp.* Neg. Tutiſſimum eſt, ſi judicio ſuo ſibi reſervato, privatim apud Deum pro bonâ causâ oratorem, publicæ contentionis ſpectatorem, & in generalibus terminis ad juſtitiæ, bonæ conſcientiæ, glorię Dei, pacis publicæ ſtudium monitorem agat. De quo pro variantibus circumſtantiis varia prudentiæ conſilia ſuppeditari poſſent. Vide & confer *ſupra part. 1. lib. 2. Tract. 2 ſect. 1.*

Rationes ſunt 1. *Quia* miniſter in cauſis & negotiis eccleſiaſticis anteceſſor eſt & publicus judex: ſed non ita in cauſis & negotiis merè Politicis. Non debet ergo *μεταβαίνειν εἰς ἄλλο γένος*, nec ſacra cum profanis, claves regni cœlorum cum gladio, cauſas Jehovę cum cauſis regis aut regni (*2 Paralip. 19.*) poteſtatem eccleſiaſticam ſpiritualem, miniſterialem, cum poteſtate ſæculari, coactiva, dominante miſcere, aut illam in iſtam transformare. Vide quæ ſupra de diſtinctione iſtarum poteſtatum commentati ſumus *part. 1. lib. 1. tr. 2.*

2. *Quia* in genere omnes ſibi cavere debent ab *ἀλλοτριοεπισκοπῇ*, *1 Petr. 4. v. 15.* Ergo multo magis miniſtri.

3. *Quia* ſi partes diſſidentes aliquando inter ſe conveniant, aut ea ſuperetur, cui miniſter palam adhęſit; tandem faba in ipſum magis quam in quemquam alium cuditur, juxta vulgatum illud: *Seps calcatur, ubi pronior eſt.* Eſt enim inermis (arma carnalia intelligo *2 Corinth. 10. v. 3.*) nec

Digitized by Google

nec in regimine ſæculari partem aliquam facit; ut infenſis ſibi eorumque amicis & neceſſariis ἀμοιβαίως obeſſe aut prodeſſe poſſit, juxta formulam contractus innominati, *do ut des, facio ut facias.* Quin & aliquando evenire poſſet, ut in capite, ſtatu, & fortunis miniſtri aut miniſtrorum partes diſſidentes reconciliationem, ſyncretiſmum, pacem invenirent: uti olim principes Philiſtei De Davide ſuſpicabantur 1 *Sam.* 29. *v.* 4. Cogitatur enim miniſtros alibi poſſe miniſtrare, & alibi poſſe meliores eſſe, ſi velint. Et hinc dictum factum, Imò abſque dicto dejectio & ejectio ipſorum molliter ſequitur.

4. *Quia* ſæpe pars illa, pro quâ miniſter, aut miniſtri, ſuo periculo laborârant, cum ſua, ut plerumque fieri ſolet, quæreret, minimè vero publicum populi aut eccleſiæ bonum, quod prætenditur: eam gratiam refert miniſtris, quam rex Joas filio Jojadæ, 2 *Paral.* 24. 22. & reges Ægypti poſteris Joſephi. *Exod.* 1. 8. 9. Recentia exempla odioſum eſſet referre: lectori in hiſtoriis verſato facile ea in mentem venient.

5. *Quia*, quod omnium deterrimum eſt, vindicta & iræ plumbeę non tantum in miniſtrum aut miniſtros incumbunt, ſed & in totam eccleſiam, & veræ religionis, ac Dei cauſam, quam eccleſia profitetur.

Ne procul abeamus, an non Leiceſtrianæ contentiones in Belgio Fœderato autoritati & dignitati miniſterii, atque una libertati poteſtati eccleſiaſticæ magnam præjudicandi occaſionem præbuerunt. Ex illo enim tempore Libertini, Semi-Libertini, Cornhertiſtæ, neutrales, aliique ſectarii noſtrates, præſertim Remonſtrantes, ſibilis & libellis in religionem, eccleſiam, & miniſterium emiſſis, omnia complerunt; nec defuerunt inter ipſos throni juſtitiæ inſeſſores; qui graſſante factione Romſtranticâ anno 1610. & ſeqq. orthod. miniſtris neſcio quæ infelicitur geſta in Flandriâ, in Hollandiâ, & alibi imputarent. Memini talem exprobrationem indefinitè more ſolito miniſtris à quopiam olim in Flandriâ ſyndico factam, unicâ interrogatione à veterano Dei ſervo Petro Plancio miniſtro Amſtelodamenſi ad ſilentium redactam, *An nulli fuiſſent ſyndici quorum culpâ Flandria in hoſtium poteſtatem deveniſſet?* Uti ipſe cum aliis pluribus Leidę a. 1619. tempore ſynodi venerandum ſenem tunc ſynodi Noorthollandicæ correſpondentem hoc referentem audivi. *Feſtus Hommius* paſtor Leidenſis anno 1610. alteri delegato ex collegio Deputator. Illuſtr. Hollandiæ Ordinum, univerſę claſſi Leidenſi, ſpeciatim *D. Feſto* claſſis nomine tunc verba facienti, Flandrica & Leiceſtriana acerbè exprobranti, reſpondebat, *quod ad ſe, hoc eſſe falſum*; offerebat ſe ad manus ſubſcriptionem in eâdem chartâ, cui exprobrator accuſationem illam inſcribere auderet; atque hâc ratione ad publicum judicium ſubeundum. Hac methodo ex uno atque al-

altero particulari pſeudo-inductionem, & ex pſeudo-inductione pſeudo-demonſtrationem de miniſtrorum quaſi *ἰδίῳ πάθει* ſeu proprio quarto modo, *ἀλλοτριεπισκοπῆς*, fabricandi, ſi calumniæ uti libeat, & liceat: non video, quid tandem contra ſuprema & ſubalterna regiminis politici collegia à malè feriatis ſycophantis evomi non poſſit. Nimis enim notum eſt, ex hiſtoria noſtrate, quam perfidè Ordines Arteſiæ & Hannoniæ (potioribus ſcil. ſuffragiis) pacificatione Gandavenſi & ſociis provinciis poſthabitis, ad hoſtem Hiſpanum tranſierint: quamque deſultoriè plurimi, ſi non plerique fœderatorum nobilium Illuſtres heroas Brederodium, Cuylenburgicum, Ludovicum Naſſavium aliosque in fide perſiſtentes unà cum fœdere deſeruerint *Grot. lib. 1. annal. p.* 34. 35. edit. in 16. Nec ignotum eſt, ex Proceribus non paucos, etiam illos, quibus ſumma rerum committebatur, cauſam patriæ Hiſpanis prodidiſſe, aut ad eos transfugiſſe. Quære modo in hiſtoricis noſtratibus *P. Borrio*, *Meterano*, *Petito*, *Reydio*, *Grotio* nomina Domini de Ville ſeu comitis Rennebergii, Wilhelmi comitis Bergenſis, Principis Chimaici, Caroli comitis Egmondani filii comitis Egmondani Bruxellis archonte duce Albano decapitati, Vicecomitis Gandavenſis, Proto-ſcabini Gandavenſis Imbiſii, Caſpari Scheti ab Ordd. Generalibus delegati ad pacificationem Colonienſem, Senatorum in variis civitatibus & præfectorum militarium, &c. An non potius dicendum eſſet tanto majori honore dignos eſſe omnes alios Proceres tum coævos, tum ſucceſſores, qui ab ordinis ſui maculis illis quam longiſſimè recedentes, fidem erga patriam ſervarunt. Sed velim nominari miniſtros, non qui zelo erga patriæ & eccleſiæ ſalutem contra tyrannidem ferventes, à vafris quibuſdam politicis ineſcati, circumventi, concitati, infelici alicui quadruplatorum conſilio conſenſerunt: ſed qui volentes ſcientes patriam hoſtibus prodiderunt, aut ad eos transfugerunt.

6. *Quia* exempla & veſtigia aliorum terrere nos debent. Vide mihi Abjatharem 1 *Reg.* 1. & 2. inter recentiores *Johan Funcium* concionatorem aulicum, & poſtea conſiliarum Boruſſicum, ſcriptione chronologiæ ſuæ ſatis celebrem. De quo *Thuanus in hiſtoriâ*, *Cythræus in Saxoniâ*, & ex iis *Melch. Adamus in vitis theologorum Germanorum.* Ad hanc claſſem referri poſſent illi ex miniſtris Remonſtrantibus, qui a. 1618. & 1619. mutatis rerum vicibus, ante judicium *ſynodi Nationalis Dordr.* & poſt, deſerto miniſterio ſuo, ex toto Belgio noſtro profugiebant, aut latitabant; cum nemo perſequeretur *Prov.* 28. *v.* 1. Quod propter errores in theologia & *ἀταξίαν* eccleſiaſticam, ſi quam commiſerant, minimè opus fuiſſe nôrunt illi, qui nôrunt Belgii noſtri ſtatum & libertatem; & ſatis ſuperque oſtendit reliquorum ejuſdem cauſæ ſociorum fiducia, qui pedem loco non movebant. Tales

les erant *Job. Wttenbogardus* theologus πολιτικώτερος ἢ θεολογικώτερος, *Nicolaus Grevinckhovius*, *Adolphus Venator*, *Jacobus Taurinus*, &c. quorum nomina actis ſynodalibus, & hiſtoriis Belgicis celebrata ſunt.

Ex hactenus dictis concludimus autoritatem & dignitatem miniſterii optimè aſtrui & conſervari, ſi miniſter rerum ſuarum ſatagat; à fabis abſtineat; & homines de hoc ſæculo pro cabalis ſuis, pro privatis intentionibus, pro punctulis honoris, pro præcedentiis, pro δωροφαγίαις & πρωτοφαγίαις tanquam pro aris & focis digladiantes ex imo ſpeculetur, ex alto deſpiciat, plorando cum Heraclito, ridendo cum Democritico.

Suave mari in magno turbantibus æquora ventis,
De terra alterius fruſtra ſpectare laborem.

Forte quis exemplum Jojadæ 2 *Reg.* 11. contra miniſtrorum ἀπραγμοσύνην, quam hic ſuadeo, allegaret. Cui reſponſum volo, tria in hoc peculiari facto conſideranda eſſe 1. Athaliam non fuiſſe legitimum Magiſtratum, ſed tyrannum uſurpantem, ſeu titulo; ac talem judicatum eſſe à panegyri Ordinum ſeu Statuum regni. 2. Jojadam non tanquam Pontificem autoritate ſacerdotali, ſed tanquam avunculum & tutorem infantis regii Joaſi, legitimi in regnum ſucceſſoris, & quidem non ſuâ, ſed publicâ ordinum autoritate munitum, manum operi admoviſſe, & tantam liberationem patriæ, eccleſiæ, & legitimo regi præſtitiſſe. Non diſquiram nunc de poteſtate ſupremi concilii dicti *Sanhedrin*, etiam ſupra & contra reges uſurpantes aut abutentes. Hujus partem non exiguam, ſed principalem fuiſſe Pontificem, à Rabbinis non tantum diſputatur, ſed etiam ex hiſtoria N.T. *Joh.* 11. *Math.* 26. *Act.* 23. colligitur. 3. In tanto diſcrimine, in extremo neceſſitatis caſu, & turbato rerum ſtatu, hæc acta eſſe. Unde conſequentia duci non debet, ad jus aut mores miniſtrorum; qui nec regum tutores ſunt, nec à volentibus & jubentibus regni ordinibus ad talem pragmatiam excitantur.

IV. *Quæſt. An miniſterii dignitati conſulatur, ſi ad illud promoveantur, aut ad tempus remoti denuo in illud reſtituantur, qui aliquid commiſerunt quod hominem civiliter reddat infamem?* *Reſp.* Neg. Et ratio peremtoria nobis ſuppetit ex 1 Timoth. 3. v. 7. *Oportet eum bonum habere teſtimonium ab iis qui extra ſunt*, &c. Si quis dicat reſipiſcentiam ejus ſpectandam: reſpondeo facere eam ad propriæ conſcientiæ pacem & tranquillitatem, ad ſalutis certitudinem & ſpem; ſed non ſufficere ad bonum nomen, dignitatem, exiſtimationem; apud domeſticos & extraneos, firmos & infirmos, ignorantes & ſapientes, obtinendam. Cum ergo alii haberi poſſunt, tali maculâ non notati: imprudenter dignitatem miniſterii periculoſæ huic aleæ ſubjicimus. Qui tales opportune importunè ſine ullâ urgente neceſſitate ad ſacrum miniſterium promovere ſatagunt, plerumque aut carnali miſericordiâ

erga

Digitized by Google

erga tales, ob rem anguſtam domi, & panem lucrandum, aut cœco erga dona eorum affectu, aut aliis ἰδίοις & mundanis reſpectibus moveri deprehenduntur. Ordo noſter eccleſiaſticus a. 1586. miniſtros ob talia delicta removendos ſtatuit, *artic.* 72. 73. Quâ ratione maculatos illos jam remotos, reſtitui vellet, ut ut reſipiſcentes? Quid opus eſſet exautoratione? An non commodius reſipiſcentiâ ſatis cognitâ in miniſterio continuarentur; quam privati, quaſi poſtliminio in illud reſtituerentur? Nolo tamen diffiteri, tales poſſe neceſſitatis caſus incidere, ut præſtaret reſtitutionem concedi, etiam in ejuſdem eccleſiæ miniſterium: ad præſentanea ſciſmatis aut perſecutionis pericula avertenda.

V. *Quæſt. An prudenter factum, quod miniſtris dignitates, poteſtates, munera ſecularia, & poteſtas gladii ſeu iurisdictio cum imperio adjuncta fuerint: ut tanto melius à contemtu vindicari poſſent? Reſp.* Neg. Exitus docuit imprudenter hoc factum fuiſſe: quamvis zelo forte bono, aut potius ob proprias ſuas rationes ſtatus, à Carolo Magno, aliiſque principibus hoc factum fuerit. Eccleſiaſtici ſequiorum ſæculorum non tantum hæc libenter admiſerunt, ſed guſtu deliciarum iſtarum percepto, impotentiſſimè quavis occaſione emendicârunt. Quid dico de ſequioribus ſæculis? Simulac per Conſtantinum à perſecutione reſpirarent epiſcopi, ſæcularem & coactivam poteſtatem aliqui ſubinde uſurpare cœperunt; adverſarios ſuos ex urbibus pellendo, delubra & ſacra Gentilium evertendo, etiam in principum Gentilium ditionibus, & quidem invitis illis, ſuccidendo. Celebre temeritatis illius exemplum dabat Audas epiſcopus in Perſiâ, τὸ πυρεῖον. i. templum igni ſacrum incendens. De quo ejuſque triſtiſſimo eventu vide *hiſtor. Theodoreti lib.* 5. *cap.* 39. Pontificii ſibi & principibus admodum ob hanc liberalitatem applaudunt: ut videre eſt in tract. *Gretſeri de liberalitate principum erga eccleſiam Romanam,* & tract. *Johan. de Choquier* vicarii epiſcopi Leodienſis, de libertate eccleſiaſticâ. Sed ſapientior illis Bernardus in conſideratione, ad Eugenium tunc Papam Romanum, cui lib. 4. lit. F. inter alia ſuggerit, *conſulo toleranda pro tempore, non affectanda pro debito*, Temporalis poteſtatis apparatum & pompam deſignans. Et paulo ante, *ſcilicet ſic Factitabat Petrus, ſic Paulus ludebat.* Ex recentioribus *Joh. Fileſacus lib.* 3. *ſelect. tit. clerici pauperes*, oſtendit quomodo olim prohibitæ fuerint donationes & legata, quibus clerici ditarentur. Sed an abſolutè illicitum ſit, vel quovis neceſſitatis caſu aliquam dignitatem & poteſtatem ſæcularem miniſtro inter conciues ſuos conferre, illique collatam ſuſcipere, quærendum eſt: ut etiam, an ubi jam juxta legem, & mores in eam ſuccedit, eandem repudiare aut abjicere teneatur? Non eſt quod tam rigidè de talibus in hanc aut illam partem determinetur: ſed ſufficit hic conſiderari, ſpirituale miniſterium à ſæculari

culari munere & poteſtate plerumque abſorberi: & ἔργα à παρέργοις; atque adeo damnum emergens longè ſuperare ſperatum lucrum: uti hoc experientia aliquot ſæculis oſtendit in Epiſcopis, Papis, Cardinalibus, Abbatibus, Canonicis, &c. nec reticuerunt teſtes veritatis ſub ipſo Papatu de Epiſcopis (inter eos *Iſidorus Clarius in notis ad 1 Tim.* 3.) munera non tantum politica & regni & regis, ſed & militaria gerentibus, ut nec de capitulis & canonicis nihil minus quam ſacra, theologica, eccleſiaſtica tractantibus. De quibus infra *lib.* 4. Hic ergo aliiſque quam plurimis in quæſtionibus ad regimen eccleſiæ pertinentibus locum inveniat illud Bernardi lib. 3 conſider. lit. E. *Spiritualis homo ille qui omnia dijudicat, ut ipſe à nemine dijudicetur; omne opus ſuum trinâ quâdam conſideratione præveniet. Primum quidem an liceat: deinde an deceat: poſtremo an expediat.* Quæſtionem hanc, de temporalibus privilegiis in miniſtros conferendis, aut non conferendis, tractat *Danæus* 4. *part. Iſagog. lib.* 1. *cap.* 9. & 10.

VI. *Quæſt. An miniſter dignitati miniſterii ſui conſulat, ſi criminis alicujus inſimulatus, famam ac innocentiam ſuam publicè defendat? Reſp.* Movet hanc quæſtionem *Melchior Sylveſter Eckhardus* in ſuo *paſtore conſcientioſo claſſ.* 2. *quæſt.* 18. Qui per diſtinctionem reſpondet: ſi inſimulatio ſit *privata*, quæ privatim quaſi intra privatos parietes & inter paucos fiat; non eſſe conſultum ut publicè adverſus obtrectatores ſe defendat. Sin *publica*, quâ quis paſſim traducitur, & in omnium ore verſatur: famam ſuam oblatâ textus occaſione tueri, & coram Deo & electis angelis proteſtari poſſe, ſibi injuriam fieri: ſi ſcil. probris inceſſatur ab orthodoxæ religionis hominibus: quia fruſtraneum fere eſſe putat quidquid fiat, ſi quis à diverſæ religionis hominibus traducatur.

Rationes adfert iſtas: quod ejuſmodi obtrectatio, non tantum *perſonam*, ſed etiam *officium* concernat: *unde*, inquit, *fama debito modo tuenda, ne hoc prorſus vileſcat.* Addit exempla Pauli *Actor.* 21. *v.* - 27. & ipſius Salvatoris, *Joh.* 5. & 8. & 11. Hactenus *Eckhardus*.

Nos iſtis concluſionibus controverſiam determinamus.

1. *Concl.* Non eſt conſultum, ut miniſter publicè pro concione, aut ſcripto evulgato, aut denuntiatione facta eccleſiæ *Matth.* 18. aut actione apud judicem inſtitutâ, aut publicâ provocatione ex l. *diffamari*, garritibus mulieſcularum, aut ſatyris, libellis famoſis tenebrionum, Muſas in Parnaſſo ἐγκυκλίων, popinarum, tabernarum, inter aleas & cantharos, ad carmina ſua vocantium, occurrat. Quamvis enim innocentiſſimus, & minimè dubius de victoriâ: vix tamen impuros illos homines tractare poterit, ut non aliquo modo à fœdo illorum contactu commaculetur, haut aliter ac illi qui luto cum lutulentis certant, aut qui Harpalos de Como

 (vide

(vide *Eraſmum in colloq. Ementita nobilitas*) ſacro illo morbo laborantes improvidè tractant.

2. *Concl.* Minus tamen conſultum eſt, ut ſemper famam ſuam ſine fine ſine modo violari, & conſequenter dignitatem miniſterii, ac communem religionis atque eccleſiæ cauſam laborare patiatur. Præſertim cum larvâ detractâ archicalumniatores & comœdiæ veteris choragi in luce ambulant, & apud ſuos aliquid eſſe videntur. Quo autem ex ſupra poſitis antidotis potiſſimum utendum ſit, in genere haut ita præſcribi poteſt. Variant enim caſus. Si alieni à religione noſtra hoc agant, atque in eo glorientur, & noſtris eo nomine inſultent: publicâ oblatâ collatione, aut edito ſcripto, in caſu exprobratæ hæreſeos, blaſphemiæ, calumniæ religioni ſtructæ, miniſtris agendum eſt. Et hic præluxerunt miniſtris, Doctores antiqui & reformati. De quo infra *part. 3. tit. de confeſſ. & apolog.* Sin perſonalibus calumniis vita, aut functio eccleſiaſtica ab extraneis gravetur: vix ullum aliud expeditius remedium adhiberi poteſt, quam actiones apud judices quibus calumniatores ſubſunt: ſiquidem tales ſint, qui ſtudii partium manifeſti, aut ſuſpecti non ſint. Sed ſi calumniatores ejuſdem cum miniſtro religionis ſint, & volaticis verbis hoc tantum agunt, jam remedium *Matth. 18. v. 15.* quærendum erit. Iidem ſi editis ſcriptis diffamationes ſuas in theatro totius orbis exhibuerint, aut coram judicibus conſignarint; vix aliter quam coram tribunali politico, cui ſubjecti, aut publico ſcripto, reprimi poterunt.

VII. *Quæſt. An miniſter in religionis certamine ab adverſario graviſſimè læſus ac injuriâ affectus, bonâ conſcientiâ poſſit ſolenniter retorquere? Reſp.* Quæſtio hæc in terminis ſic proponitur à *Melch. Sylveſtro Eckhardo in ſuo paſtore conſcientioſo claſſ. 5. qu. 17.* qui negantem miniſtro ſuadet: ex *1 Petr. 3. v. 9.* ex exemplo Chriſti *1 Petr. 2. v. 21. 23.* & ſcandalis inde excitandis. Nos hanc ejus ſententiam probamus: nullæ enim ἀντιλοιδορίαι per modum ultionis emiſſæ (quales ab *Eckhardo* iſtic deſignantur) quamvis in veræ religionis adverſarium, ſunt licitæ. Debent enim fideles malum vincere bono *Rom. 12. v. 17. 21.* Et quamvis aliquid non eſſet ſimpliciter illicitum, tamen cum non ædificet, non conducat, nec miniſtro conveniat, ab eo potius abſtinendum eſt. Hoc tamen in caſu retorſio licita eſt & aliquando neceſſaria: quando per latus miniſtri dignitas miniſterii, immo & communis religionis atque eccleſiæ cauſa læditur; & quando iſta fidem inveniunt non tantum apud communes adverſarios, ſed etiam apud neutrales, aut in medio poſitos, aut proximè cum religione illâ convenientes; immo quodammodo apud veræ religionis conſortes.

Ut ergo adverſarii fides in mendaciis & calumniis efflandis labefactetur, nec ulterius innocentia & juſtitia laboret, & ut ſcandalis occurratur, retorſiones

torſiones adhibendę. Harum iſtæ ſint conditiones 1. Ut non fiant niſi in caſu neceſſitatis; qualis jam deſcriptus eſt. 2. Ne omnes adhibeantur, quę adhiberi poſſent: ſed ſolummodo tot ac tales, quæ inſtituto huic ſufficiant. Moderatio ergo & diſcretio hic adhibenda: ut famæ ejus, ſi non in totum; ſaltem in tantum conſulatur. Quod intelligi volo de retorſionibus in depulſione calumniæ perſonalis. Aliter enim ſe res habet in depulſione calumniarum, quibus communis religionis & eccleſiæ cauſa directè petitur. 3. Ut omnes ſint veræ. Nefas enim adverſus hominem vel mendaciſſimum, & re ac facto infamem, craſſiſſima mendacia & atrociſſimas calumnias in innocentiam alicujus evomentem, mendaciis & calumniis retaliare. Nedum ut fas eſſet, in fratrem ejuſdem religionis conſortem, qui prior nec aggreſſorem egit, nec in juſtâ communis veritatis ac pietatis defenſione mendaciis aut calumniis adverſarium ſuum gravavit, mendaciorum & calumniarum copias immittere: & quidem ſub proteſtatione, quod non niſi moderamine inculpatæ tutelę utatur. Quaſi moderatio ſit, & inculpata tutela calumniis & mendaciis (hoc eſt operibus diaboli propriis ſecundum noſtram *catecheſin quæſt.* 112.) fratri injuriam inferre, & orbem ſcandalis implére. Quidquid prætexatur, qualecumque commentum excogitetur, manet legis divinæ pręceptum, *Non dices falſum teſtimonium contra proximum.* Et illud Apoſtoli *Rom.* 3. de non faciendis malis, ut eveniant bona.

Retorſiones ergo in his & ſimilibus caſibus miniſtro ad Dei gloriam, eccleſiæ ędificationem, & adverſariorum converſionem aut confuſionem non eſſe illicitas; probatur, exemplo Chriſti, qui in adverſarios ſuos ſeductionem *Math.* 23. 16. dæmonis commercium *Joh.* 8. 42. legis corruptionem & tranſgreſſionem *Matth.* 5. & 15. & 23. retorquebat: quæ illi falſo & blaſphemè Chriſto imponebant. Adde exempla Pauli 2 *Cor.* 11. *Philipp.* 3. & *Tertulliani*, qui in apologetico ſuo ſuperſtitionem, idololatriam, ſeditionem, perfidiam in adverſarios Gentiles retorquet; quorum illi Chriſtianos falſo accuſabant. Similiter *Juellus in Apologiâ Eccleſiæ Anglicanæ*, aliique reformationis Apologiſtæ in Papatum hæreſes, novitates, ſeditiones, rebelliones retorquent; quorum ipſi reformatos paſſim inſimulant. Adverſus perſonales accuſationes, quibus memoria *Lutheri*, *Zwinglii*, *Calvini*, *Buceri*, *Bezæ*, &c. commaculantur, vix unquam ſcribitur ſine retorſionibus iſtorum criminum in armigeros Papatus, ut lectores & auditores, atque ipſos accuſatores recordari faciant iſtius:

Quis tulerit Gracchos de ſeditione quærentes?

Hinc eſt quod nemo orthodoxorum culpaverit eruditum & celebrem *Grotii Papizantis* autorem, *Jac. Laurentium*, quod contra omnem factorum

 lucem

lucem, perſonalem calumniam de ſeditione aut rebellione, loco realis reſponſi, ſibi à *Grotio* objectam, in accuſatorem retorſerit; digitum intendendo ad ea, quæ in angulo geſta non erant. Ut nec celeberrimum Rivetum, qui exprobrationibus, convitiis, & calumniis Grotii, ſubinde quid reponit; quo ſecum habitare, & ſua ſuorumque facta potius intueri diſceret, quam præſtantiſſimos viros θιατρίζειν.

Sed objiciat quis.

1. *Object.* Sufficere ſimplicem & nudam criminum falsò impoſitorum negationem; oblatâ inſuper, aut præſtitâ, ſi neceſſitas ita ferat, purgatione, quam vocant, canonicâ per juris jurandi religionem. *Reſp.* Juſtum bellum ſine ſpecie, formâ defenſivum, geri vix poteſt ſine particularibus, & defenſioni ſubordinatis atque inſervientibus offenſionibus. Similiter moderamine inculpatæ tutelæ non ſemper contra imperterritum & furioſum aggreſſorem uti quis poteſt, ejuſque exitialem violentiam à cervice ſuâ avertere, ſine aliquâ ejuſdem læſione: quam ſibi imputare debet. Eadem ratio eſt defenſionis cum retorſione in injuſtum accuſatorem ſive ejuſdem, cujus innocens inſimulatur, ſive alterius criminis reum: ut veracitatis, fidei, juſtitiæ, Zeli, autoritatis, & dignitatis præjudicium, quo innocentia apud nimium ſimplices, aut credulos, aut malevolos premitur; tollatur, aut ſaltem minuatur. In tali caſu imprimis hoc adhiberi poſſet, cum accuſatores eorumque aſſentatores ſimplici inculpatorum miniſtrorum per negationem & oblatam, ſi opus ſit, purgationem defenſioni, Priſcillianiſmum verſiculo vulgari occinere audent,

Jura, perjura, ſecretum prodere noli,

Et quando toties totieſque repetitis mendaciis & calumniis publice triumphant; nec ullum aliunde, unde proficiſci debebat, remedium adhibetur: quo quidem non fieret innocenti, aliqua reſtitutio; ſed curſus mendaciorum, & calumniarum ſolummodo abrumperetur, aut ſiſteretur.

2. *Object.* Dato ad moderamen inculpatæ tutelæ ſubinde facere retorſionem eorundem criminum falſo alicui impoſitorum: non videmus tamen, cui bonæ rei faciat retaliatio per aliorum criminum recenſionem, qualia innocenti ab illo non fuere objecto. *Reſp.* Eundem uſum habent, quem in proceſſu coram judice, objectio & probatio criminum (ex. gr. adulterii, blaſphemiæ, peculatus, ſacrilegii, perjurii, criminis falſi, calumniæ, &c.) quo falſi teſtes, præſertim jurati, infamiæ convincantur & tanquam inteſtabiles, à teſtimonio contra innocentem ferendo rejiciantur. Velim videre quid aliud innocentiæ in proceſſu civili aut criminali reſtaret: quam ut duobus aut tribus teſtibus (quales *Math.* 26. *v.* 59.) ſuccumbat ad condemnationem.

Sed

Digitized by Google

Sed inſtabis, hoc fieri non poſſe ſine læſione proximi, & gravi ipſius incommodo. Sic eſt: ſed cum aliter fieri non poteſt, nec quis propriam carnem odio habet; patiatur nocens potius quam innocens, condemnetur Barrabas dimittatur Chriſtus; infamia induatur Doegus Edomita ſacerdotum accuſator *Pſal.* 52. & fulgeant doctores (מצדיקי רבים) ut ſplendor expanſi & ſtellæ *Dan.* 12. Depulſio mendaciorum & falſarum accuſationum per ſimplicem negationem aut abſterſio calumniarum per theticam factorum & dictorum explicationem, ſubjunctâ per argumenta & teſtimonia probatione, nemini negari poteſt: quamvis hinc accuſantis, cujuſcumque deprecatio, & mendacii aut calumniæ convictio non poſſit non ſequi.

VIII. *Quæſt. An miniſtris defenſione tum privata tum publicâ unquam uti liceret contra calumnias, & injuſtas criminationes regum, principum, judicum, & quarumcunque poteſtatum? Reſp.* Præmittimus diſtinctiones 1. *Inter* τὸ ſimpliciter, abſolutè non illicitum; & τὸ conducens, decorum, opportunum: 2. *Inter* præceptum divinum obligans ſemper, & obligans ad ſemper: 3. *Inter* defenſiones ſimplices; & defenſiones cum retorſione. 4. *Inter* criminationes communes communem cauſam & eccleſiam, & inter perſonales ſolum miniſtrum aut miniſterium tangentes. 5. *Inter* criminationes privatim in privatâ converſatione effuſas, & inter publicis decretis, aut latis ſententiis buccinatas. 6. *Inter* defenſionem vivâ voce coram accuſatore, aut alibi, ubi accuſatio refertur, factam; & inter defenſionem publicè editam. 7. *Inter* principem aut poteſtates in cujus politiâ miniſter cum eccleſiâ ſuâ vivit; & inter poteſtates alienas. 8. *Inter* poteſtates alienas abſolutè & ſemper; & inter alienas, quibus olim ſubfuit, nunc non ſubeſt: ſive quod inde aut ſponte aut coactus diſceſſerit miniſter, ſive quod princeps exautoratus ſit, ut in Belgio Philippus II. in Sueciâ Sigiſmundus, &c. 9. *Inter* Principem aut magiſtratum ejuſdem religionis conſortem; & inter religionis adverſarium 10. *Inter* inſanabilem & induratum quaſi Pharaonem; & inter ferum quidem, ſed non adeo, ut non miteſcere poſſit. 11. *Inter* defenſionem directè & apertè oppoſitam principi aut poteſtati: & inter directè, apertè oppoſitam Doëgo, aut Sejano alicui, aut principis in eccleſiaſticis aut ſæcularibus miniſtro, qui ipſius credulitate & facilitate abutitur; quæ tamen naſutioribus quibuſdam indirectè aut tacitè principis factum tangere videtur. 12. *Inter* defenſionem publicam præſcripto autoris nomine editam; & inter publicam ſuppreſſo nomine editam. 13. *Inter* defenſionem, conſcio & conſentiente, ſaltem non diſſentiente eccleſiaſtico conventu, aut fidis quibuſdam fratribus, editam; & inter defenſionem iiſdem non conſciis, aut conſciis ſed diſſentientibus hic

& nunc editam. 14. *Inter* defenſionem factam ab injuſtè accuſato, ſed vivente nunc in terrâ, ubi favore erga cauſam ſuam, aut ſaltem libertate eandem defendendi fruitur: & inter defenſionem in terrâ aliquâ ſine favore aut ſine libertate, ſuſcipiendam.

Secundum iſtas diſtinctiones conſilia prudentiæ & recta judicia, de quibuſvis particularibus defenſionum caſibus, ferenda ſunt. Nobis hic ſuffecerit in genere determinaſſe, non eſſe ſimpliciter quocunque in caſu illicitam. Illuſtre eſt exemplum Eliæ, etiam cum retorſione in regem Achabum, innocentiam ſuam à perſonalis criminis aſperſione purgantis 1 *Reg.* 18. *v.* 18. Adde exempla Apoſtolorum & Stephani *Actor.* 4. 5. 7. 24. 26. Jeremiæ, aliorumque: de quibus infra *part.* 3. *tit.* de confeſſionibus & apologiis. Inter antiquæ eccleſię ſcriptores *Juſtinus Martyr in apologiâ ad Senatum*, & *Tertullianus in apologetico* non tantum ſimpliciter defendunt, ſed & ſenatus ac judicum abuſum contra juſtitiam & jus Romanum directè & apertè arguunt. Non dicam jam de retorſionibus apologeticis Nazianzeni in Imperatorem Julianum, Hilarii in Conſtantium. De Lutheri defenſione contra Henricum VIII. Angliæ regem & Georgium Saxonię Ducem (vide *Sleidan. l.* 6.) Quid occaſione controverſiæ ſacramentariæ decretis, edictis, & principum quorundam proceſſibus contra orthodoxos tanquam heterodoxos ac pacis publicæ turbatores, reſponſum ſit, docent ſcripta publica; quorum catalogum invenies in *Hoſpiniani hiſtoriâ ſacramentaria*, & in ejuſdem *hiſtor. de lib. concordiæ*: imprimis hic legenda *Caſp. Peuceri Hiſtoria carcerum.* Tempore contentionis Remonſtranticæ tres *Cornelii*, *Hillenius* ex miniſterio Alckmariano, *Geſelius* ex Roterodamenſi, *Dunganus* ex Jutphaſiano in provinciâ Ultrajectinâ ejecti, innocentiam ſuam publicis ſcriptis defenderunt; ne viderentur paſſi tanquam malefici 1 *Petr.* 4. *v.* 15. Quorum ille Groningam, iſte Edamum, hic Santedamum, & non diu poſt Arnhemum vocabantur. Anno 1628. deputati Synodorum Hollandicarum & Cl. Theologi Leidenſes (*Polyander*, *Rivetus*, *Thyſius*, *Walæus*) contra publicatam Senatus N. accuſationem apud Ill. ac præpot. Hollandię Ordines ad defenſionem ſe obtulerunt; & Cl. Profeſſores publicâ apologiâ contra libelli anonymi criminationes, ſe defenderunt. Ubi enim accuſatione quis gravatum ſe ſentit, ibi debitæ defenſioni locus aliquis relinquendus eſt. Videnda hic *Remonſtrantia deputatorum Synodi* Illuſtr. Hollandiæ Ordinibus a. 1628. exhibita; & apologeticus Cl. Profeſſorum Leid. cum operibus Walęi, denuò editus *Sibrandus Lubbertus* theologus Franequeranus graviter à *Grotio in pietate Ordinum* accuſatus cum eſſet, & edita juſta ac neceſſaria defenſio ipſius à deputatis Ill. Hollandiæ Ordinum proſcripta; non veritus fuit eruditus theologus

Gode-

Digitized by Google

Godefridus Sopingius Lubberti quondam diſcipulus, præceptoris ſui editam defenſionem defendere; & ipſe Lubbertus per provocationem à Magiſtratu malè informato ad melius informatum dictæ proſcriptionis abolitionem petere; quam etiam anno 1619. obtinuit.

Ne autem adverſarii Remonſtrantes, qui more ſolito ungues in ulcere, hic occlament, principum ac Magiſtratuum fidem, autoritatem, & exiſtimationem hac ratione minui, & contemtui ſubditorum exponi: illis regero, 1. Laudata exempla, etiam ipſius Chriſti, hâc ratione ex effectibus per accidens deductâ, improbanda eſſent: quod abſurdum. 2. Præterea jure naturali (etiam præſumto Hobbeſiano de conſervatione ſui ipſius) ſolos viros Dei, Euangelii præcones privari; quo tamen viri quivis extra miniſterium eccleſiaſticum conſtituti hactenus uſi ſunt; etiam contra accuſationes decretis, aut latis ſententiis ſuperiorum inſertas. Exſtant Apologiæ Celſiſſ. Principis Arauſionenſis Wilhelmi I. contra proſcriptionem Philippi II. Sereniſſ. regis Bohemiæ Frederici contra Ferdinandum II. &c. Et hæ quidem apologiæ politicæ contra ſuperiores. Apologię Eccleſiaſticę contra accuſationem Regis ſui decreto implicitam exemplum dedit, declaratio eccleſiæ Gallicæ in *Synodo Nation. Provacenſi* a. 1612. congregatæ, typis tunc evulgata: quam infra *part.* 3. exhibemus. Ne procul eamus, ipſi Remonſtrantes oſtendant quæſo, quantum ſuis *nullitatibus Synodi Dordr. Achabi jejunio*, & ſimilibus libellis, autoritatem & exiſtimationem Celſiſſ. Principis Arauſon. Mauritii, Illuſtr. DD. Ord. Generalium & Provincialium, Magiſtratuum urbicorum, apud populum promoverint aut promovere conati ſint. Idem applicatum velim Vitę Joh. Wtenbogardi ab ipſo conſcriptę, ejuſdemque hiſtoriæ eccleſ.

IX. *Quæſt. An miniſtri ſint digniores aut digniſſimi in mundo, in ſæculo, in politiâ? Reſp.* Qua miniſtri, Neg. Quamvis aliquando eveniat, ut propter aliquod aliud ſæculare adjunctum jure numerentur aut numerari debeant inter digniores aut digniſſimos in politiâ. Sed hoc eſt accidens. Ut enim medico, theologo, jureconſulto, pictori alicui accidit eſſe præſtantiſſimum muſicum; qui inde concludi non debet eſſe inter medicos, theologos, jureconſultos, pictores præſtantiſſimus: ſic prę̨ſtantiſſimus concionator reſpectu eruditionis, pietatis, & ſacro-ſancti muneris ſui primus & primarius in eccleſiâ, inter eccleſiæ cives, eo ipſo & quà talis non eſt primus aut primarius in ſæculo, in Republicâ, inter concives ſuos. Nimis puerile ſophiſma accidentis committitur in Papatu, cum regale ſacerdotium ſacrificulorum. ob creationem ſui creatoris, & oblationem Chriſti in miſsâ, in eccleſiâ primę dignitatis (ſecundum ipſos; de quo ſupra), pari paſſu in hoc ſæculo, ubi tanquam cives Reipubl. conſiderari debent, ad primę dignitatis gradum evectum volunt. Similem fallaciam committere

vide-

Digitized by Google

videtur *Grotius lib.* 2. *de Jure pacis & belli cap.* 9. §. 11. & in *appendice de Antichriſto cum notis in Euangeliſtas editâ pag.* 83. cum Epiſcopum Romanum Leonem 3. vocat *primum aut primarium civem*, in populo Romano: niſi probari poſſet eum cenſu, privilegio, genere, collatâ poteſtate politicâ in illâ urbe *primum aut primarium* tunc fuiſſe. Ex primitate enim in eccleſiâ, ob munus miniſterii, aut etiam epiſcopatus (ut jure humano tunc obtinebat), politica primitas; aut primatus per ſe derivari & concludi non debet: Neque enim epiſcopi Romani, ut ut fimbrias plurimum extenderent, ſupremam poteſtatem politicam, ſeu dominium directum & ſupremum urbis Romanæ, & dicti patrimonii Petri tunc tenebant. De quo vide, quæ diximus in 2. *part. ſelect. diſpp. tit. de Donatione Conſtantini*, & *de tranſlatione imperii.* Sicuti è contra ex primitate & primatu in politiâ e.gr. principis, comitis, baronis, toparchæ, equitis, prætoris, conſulis, &c. derivari non debet primitas & excellentia in eccleſiâ inter cives eccleſiæ quà tales: ut pariter diceretur primaria, ac præſtantior & excellentior eccleſiæ pars, quia talis eſt in politiâ.

X. *Quæſt. Quem gradum & locum miniſtri inter cives obtinebunt, primum, ſecundum, tertium*, &c. *Reſp.* Hoc communiter de omnibus miniſtris eodem modo pronuntiari non poteſt. Quia, quod ad ſęculares conditiones & qualitates, minimè pares ſunt; ut nec eadem gradum in omnibus politiis ſive lege, ſive conſuetudine, ſive privilegio ęſtimatio ac ſupputatio ſervatur. Ubi ſecundum cenſum aut familiæ antiquitatem, dignitatem atque honorem, aut locum habitationis in hâc aut illâ regione civitatis, aut annos habitationis, ęſtimatur pręſtantia & ἐξοχὴ civica: ibi pari cum ejuſdem ordinis, ſortis & conditionis civibus dignitate ſęculari gaudebit. e. gr. ſi medii, aut primi inter concives ſuos ſit cenſus, non debet hoc reſpectu ad claſſem imfimorum referri. Sin infimi ſit, non debet hoc reſpectu ad ſupremum referri. Si antiquæ & nobilis familię ſit, non debet ad claſſem civicam plebeiorum & opificum, aut ditiorum, aut mercatorum referri: ſiquidem in illâ civitate aut pago bene nati aliquâ honoris & immunitatis prærogativâ gaudeant. Si patricius ſit; debet ad claſſem patriciorum referri: ubicunque ſcil. aliqua patriciatus ratio, quod ad immunitates, aut præcedentias inter concives habetur ratio. Si literatus ſit (uti eſſe debet) & aliqua dignitas, immunitas, præcedentia in hoc caſu aliis omnibus literatis, præ civibus illiteratis tribuatur: quidni iiſdem pariter gaudeat. Si alicubi Magiſtri & Doctores in quibuſcunque facultatibus, peculiari quodam immunitatis, aut præcedentiæ honore præ aliis civibus fulgeant: utique miniſtri, aliquâ in facultate promoti, ab illo honore excludi non debent. Si miniſter quis hæreditatis; aut

alio

alio quocunque juſto titulo, alicujus oppidi aut pagi dominus ac toparcha ſit, eundem gradum ſupra reliquos cives ac incolas ibidem obtinebit; quem alii in ſuis quique ejuſdem ditionis toparchiis; ſive alibi ſacro miniſterio fungatur, ſive eodem in loco: uti alicubi factum memini.

Concludimus, uti politia non eſt eccleſia, nec eccleſia eſt politia; ſic una alteram nec ponit nec tollit. Quod miniſter jure tenet & poſſidet in ſæculo, in ſocietate politicâ tanquam mundi incola, tanquam civis; illud non tollitur, nec ab eo tolli debet, propter ſacrum miniſterium: & viciſſim, quem gradum quam ἐξοχὴν non habet nec tenet in mundo, in civitate inter cives, is per ſe à miniſterio, quà miniſterio, aut à primitate & dignitate in eccleſiâ eidem non confertur. Privilegium reale & perſonale an & quomodo hic valere poſſit, alibi diſquiretur. Sumamus ſimile ex ſocietate œconomica; Titius miniſter verbi filius Mævii primogenitus in familia paternâ degens, per miniſterium non perdit jus & honorem primogeniti; uti in eâdem, ſiquidem fratrem haberet natu majorem, jus illud per miniſterium non acquireret. Idem quamvis in eccleſiâ & rebus eccleſiaſticis inter reliquos eccleſiæ cives etiam ſupra patrem ſuum primitatem aliquam obtineat; ideo gradum & dignitatem patrisfamilias ſibi vindicare non debet. Sicuti ſi miniſter familiam aleret, & aliquis ex filiis familias prætoriâ aut conſulari dignitate ornatus eſſet, atque hoc reſpectu ſupra patrem æque ac ſupra alios cives in ſæculo & in politiâ emineret: ideo in familiâ filius ille dignitatem patris familias ſibi aſſumere, & pater eâdem excidere non deberet. Idem dicendum de patre illiterato, aut literato quidem, non tamen miniſtro eccleſiaſtico, cujus filius miniſter iſtius loci in familiâ & contubernio vivit. Ille hujus primitati eccleſiaſticæ, & hic illius primitati patriæ & œconomicæ præjudicium aliquod adferre non debet; nec alter in alterius poteſtatem & gradum involare; nec œconomicam primitatem ac dignitatem cum politicâ, aut viciſſim confundere; aut heterogenea compingere ac congregare: uti philoſophus de frigore commentatur. Talis enim μετάβασις & confuſio pugnat cum regula philoſophandi, *qui bene diſtinguit bene docet*; & cum juſtitia, *quæ ſuum cuique tribuit*. Alibi adhibuimus ſimile de poteſtate maritali. Sed quamvis hæc tam perſpicuè à nobis in quæſtione de poteſtate eccleſiaſticâ, & ab aliis ibid. citatis explicata ſint, ac ſi ſolis radiis ſcripta eſſent: nihil reſtat, quam ut hominum iſtorum miſereamur, qui aut per ſacram juris divini ignorantiam, & paupertinum ingenium abſtractionem facere, & ſecundum eam diſtinguere non norunt poteſtatem politicam & ſecularem à ſacrâ & eccleſiaſtica; aut per injuſtitiam atque improbitatem diſtinguere nolunt: ne ſuum cuique tribuere, & πλεονεξίᾳ ac φιλοξενίᾳ ſuæ renuntiare cogantur. Sed forte objiciat quis.

1. *Object.* Ut poteſtas eccleſiaſtica, ſic & dignitas tota per ſe & directè derivatur & dependet, quod ad ortum atque actum à poteſtate politica: haut aliter ac libertas, poteſtas, dignitas miniſtri cujuſque ſæcularis & civici, inter concives ſuos: (e. gr. apparitoris, curſoris, lictoris, viatoris, ſcopatoris, orbilii alphabetarii, &c.) & miniſtri cujuſcunque militaris (e. gr. centurionis, ſigniferi, decurionis, commentarienſis, tympanotribæ &c.) inter comilitiones ſuos. Probatur quia reſpublica eſt inſtar familiæ, in qua ſolus princeps aut Magiſtratus eſt paterfamilias. Jam verò eccleſia eſt in Republica (juxta Optatum Milevitanum, & propriam noſtram confeſſionem) hoc eſt in familiâ illâ; uti princeps eſt paterfamilias; per conſequens religionis formam, eccleſiaſtici ordinis & regiminis miniſterium, miniſtros pro arbitrio mutare, inſtituere, conſtituere, deſtituere, aliò transferre poteſt; modo miniſtrorum operâ uti, modo ipſe opere illo miniſteriali, cum vacat, aut cum libet, aut cum adeſt & agitat ſpiritus ſcientię, defungi. Eſt enim jus & fas patrifamilias in familiâ ſuâ quęſtorem, amanuenſem, pædagogum, ciniflonem aut focarium, Dromonem, janitorem, atrienſem, aurigam domeſticum, &c. pro arbitrio deligere, conſtituere & ſtatuto tempore deſtituere, dimittere, alioſque dimiſſis ſubſtituere: iis hic & nunc agenda, modum & tempus agendorum præſcribere; & quotieſcunque vetera ac propria ſua faſtidire ipſis libet & novis mutare; & vice verſâ veteribus nova, malis bona, mala bonis. In quo caſu miniſtri illi in utrumque, immo & in omnia parati eſſe debent; & ſi non interiori animo, ſaltem verbis & factis polypos, chameleontes, cothurnos præſtare: juxta illud vulgatum noſtratium circa miniſtrorum aut ancillarum operas uſitarum: **Doet mijnen ſin / ende doet qualijck.** Hæc πρότασις ſimilitudinis, audiatur nunc ἀπόδοσις: quamvis non facile ſupplebunt δοκησίσοφοι; uti ſuppleri deberet; ne in nidum Antichriſti Romani recidere viderentur. Ille enim audit Papa pater patrum: cujus unius ſit univerſam eccleſiam & mundum tanquam familiam ſuam regere, leges ferendo, abrogando, mutando, regna transferendo, omnem poteſtatem eccleſiaſticam & politicam in ſe uno reſidentem (per concomitantiam ſc. aut per continentiam virtualem & per eminentiam) à ſe in alios derivando, ortum & exercitium ejus à ſe ſuſpendendo: ita ut omnes epiſcopi ſint quaſi boves ipſius, & ſacerdotes ac parochi quaſi oves, laici quaſi pecora campi. Qui poſt Remonſtrantes, Grallatores, Eraſtianos, Imperii in imperio pictores perſpectivos, portentoſum an lepidum hoc heurema *paternitatis & familiæ* ſine ſcripturâ, edificando Cæſareo-Papatui, in proſcenium produxerunt: proximę novæ editioni Polydori Virgilii de Inventoribus rerum, aut Pancirolli antiquè deperditis,

& novè repertis, fortè inferri poſſint; ſi modo nomen ſuum prodere dignentur. Tædet abſurditatem hujus heurematis multis hic perſequi. Fontes refutationum ſolummodo indico.

1. *Nullus* Rex aut Magiſtratus quamvis pater patriæ, eſt aut dici poteſt pater eccleſiæ tanquam familiæ ſuæ *Math.* 23. *v.* 9. cum Epheſ.4. v. 15. *ex quo* (patre ſc. Chriſto) *omnis πατριὰ in cœlis & ſuper terrâ nominatur.*

2. In mundo, in civili ſocietate hominum in domo & aulâ principis, in hac aut illa civitate intra muros eſt, & convenit eccleſia: non tamen eſt de mundo, de ſocietate civili, de domo, de civitate, de muris; non magis quam de montibus, de ſylvis, de ſpeluncis, de horreis, de navibus, de reductis vallibus, de œnopoliis, de quacunque domo privatâ; quando ibi convenit.

3. Mundus, regnum, Reſpublica, civitas, domus, templum, &c. continentia externa & locali continet homines illos, qui ſunt eccleſia: non vero eſſentiali, ut genus continet ſpecies; nec formali, ut res quælibet continet formam ſuam, & per ea eſt quod eſt; nec virtuali, ut cauſa efficiens continet effectum, ſive homogeneum, ſive heterogeneum: quomodo ſolus Deus tanquam cauſa univerſalis omnes creaturas eminenter in ſe continet.

4. Qui mundo, regno, civitati, &c. præſunt tanquam patres familias, imò tanquam ſupremi domini; propter externam illam eccleſiæ, adjunctionem, conjunctionem, continentiam in illo regno, in civitate, &c. cui præſunt; eo ipſo non habent, non continent in ſe eccleſiaſticam poteſtatem ſive ſupremam ſive miniſterialem, pariter ac ſuam poteſtatem politicam: non magis quam poteſtatem maritalem, quamvis omnes mariti in civitate aut territorio, aut regno ipſorum contineantur cum omnibus requiſitis, proprietatibus, & adjunctis ſuis. Sed adferam aliud ſimile, quod facilius intelligetur & applicabitur. Princeps, Magiſtratus, præfecti politici, & militares ſunt membra eccleſiæ, & hoc reſpectu ſunt in eccleſia tanquam domo & familiâ Dei, tanquam Chriſti corpore myſtico, eoque continentur. Illius autem continentis domus & familiæ præfecti ſunt Paſtores: non quidem ut Domini, aut patres familias; ſed ut ſervi (qualis ille *Math.* 24. *v.* 45.) ut miniſtri Chriſti & diſpenſatores (1 *Cor.*4. *v.*1.2.) quos Chriſtus conſtituit & quibus familiam ſuam, & rerum in ea diſpenſationem & claves committit. *Matth.*16. cum 18. *Joh.*20. 2 *Cor.*5. Quibus etiam obedire tenentur omnes qui ſunt de illâ familiâ, qualeſcunque ſint in ſæculo *Hebr.*13. *v.*17. Atqui Principes, Magiſtratus, præfecti non ſunt in eccleſiâ ſine ſuis qualitatibus & poteſtatibus in & de hoc ſæculo. Quid ſi quis ex iſta continentiâ, attingentiâ, & coordinatione formet argumentum Papale pro poteſtate tempo-

rali Papæ, pro tranſlatione ejuſdem à principibus ad Papam, pro directâ ejuſdem & per ſe ſubordinatione ad Papam. Velim videre quid pictores & fictores Imperii in Imperio ſolidè reſponſuri ſint, ut vitulo diſtinctionum & hypotheſium noſtrarum ex jure divino deſumtarum non arent.

Commentum hoc de patre familias, & argumentum à ſimili, minimè apodicticum, ſupra exploſimus. Ut evanidæ, & Bœoticæ ſubtilitatis figmentum, quaſi in tabellâ depictum intueri queas, en tibi argumentum:

Ut ſe habet pater familias in ordinandis rebus, officiis, actionibus in fafamiliâ ſuâ, etiam in ordinandis actionibus & exercitiis ſacris: ita ſe habet Princeps aut Magiſtratus, in eccleſiâ. Sed pater familias, &c. Ergo & Magiſtratus, &c. Ratio conſequentiæ majoris eſt, Quia Princeps aut Magiſtratus eſt pater familias in Eccleſiâ & relatè ad eccleſiam, quæ eſt ejuſdem familia. *Reſp.* 1. Dato Magiſtratum dici metaphoricè patrem familias, & eccleſiam ejus familiam: inde tamen non ſequeretur per omnia ſimilem eſſe patrem familias in ordine ad familiam ſuam, Magiſtratui in ordine ad eccleſiam in ipſius ditione exiſtentem: aut vice verſa, Magiſtratum in ordine ad eccleſiam per omnia ſimilem eſſe patri familias in ordine ad familiam ſuam. Norunt tyrones dialectici metaphoram eſſe contractam ſimilitudinem; & ſimile non eſſe idem; & argumentum à ſimili, non eſſe demonſtrativum. *Reſp.* 2. Probatio conſequentiæ, majoris propoſitionis, ducitur ex eo, quod Magiſtratus ſit pater familias, ſeu quaſi pater familias in eccleſiâ illâ, quæ eſt in ipſius terrâ, ditione, Republicâ. Atqui hæc hypotheſis, toti huic ædificio tanquam baſis ſubſtrata, ſecundum methodum Mathematicorum ſeu mavis admirandæ novæ philoſophiæ, ſumitur non probatur. Nos eam negamus. Probetur ex ſcripturis Principem metaphoricè ſeu analogicè dici *patrem-familias*, & *Dominum* (*Matth.* 24. *v.* 45. 46. 48. 50.); eccleſiam vero correlatè dici ipſius *familiam*, ipſius *domum*. Solus Chriſtus pater familias eſt, *Math.* 13. *v.* 25. qui ut filius domui ſuæ præeſt *Hebr.* 3. *v.* 6. ſicuti ſolus eccleſiæ caput, ſponſus, rex ſpiritualis, fundamentum, hæres: & eccleſia ejus ſolius corpus *Epheſ.* 1. *v.* 23. arvum & ædificium 1 *Cor.* 3. *v.* 9. ejus domus 1 *Timoth.* 3. *v.* 15. *Hebr.* 3. *v.* 6. 1 *Petr.* 2. *v.* 5. ejus ſponſa & uxor *Joh.* 3. *v.* 19. 2 *Cor.* 11. *v.* 2. ejus regnum ſpirituale, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus περιούσιος (*quem ſibi Deus ut proprium vendicat*) 1 Petr. 2. v. 9. Ejus grex, hæreditas 1 *Petr.* 5. *v.* 2. 3. Qui inſerviunt huic familiæ & famulitio, huic populo περιουσίῳ, huic ſponſæ, &c. ſunt conſtituti à domino & patre familias *Epheſ.* 4. *v.* 11. 12.: qui non ſunt reges, Principes, Magiſtratus; dicti miniſtri & diſpenſatores 1 *Cor.* 4. presbyteri & paſtores 1 *Petr.* 5. *v.* 1. 2. πρεσβῦται, ἡγούμενοι, epiſcopi; fideles ſervi quos Dominus conſtituit ſupra famulitium ſuum, ut dent ipſis alimentum in tempore præſtituto

ſtituto *Math.*24.*v.*45. quibus dedit claves regni cœlorum *Math.* 16. cum *Joh.*20. *v.*20. qui legatione funguntur pro Chriſto 2 *Cor.*5. qui paſcunt gregem 1 *Petr.*5. Qui mittuntur ut doceant gentes, baptizantes in nomine patris, &c. *Math.*28. qui diſpenſant myſteria, &c. Concludendo concludimus, Magiſtratum quâ talem; nec miniſtrum, nec epiſcopum, nec paſtorem, nec curatum aut curionem, nec anteceſſorem, nec patrem eccleſiæ eſſe, nec eccleſiæ matrem. Confer ſupra *part.* 1. *lib.* 1. *tr.* 2. *cap.*2. & 3. ubi omnia pro prætenſâ poteſtate Magiſtratus objici & excipi ſolita, abunde profligata ſunt.

Occaſione hujus ſomnii de eccleſiâ Magiſtratus familiâ, & Magiſtratu patre familias, ejuſque poteſtate ordinandi illam familiam, & in illâ familiâ: non poſſum non impartiri lectori conſectarium, quod ex aureo hoc ſomnio educebat quis ex Doëgi Edomitę (*Pſ.*52.) proſapiâ, μισάδελφος: Liberum eſt, ajebat, hero ſeu patri familias famulum ſuum aut ancillam ſuam, aut filii ſui pædagogum domeſticum, dimittere: ſeu operâ ejus non amplius uti; & vel abſque famulo, aut ancilla, aut pædagogo, poſthac rem familiarem curare; vel alium ſibi quærere, ejuſque operâ hoc ſemeſtri, aut hoc anno, aut quamdiu viſum fuerit, uti: etiam abſque cauſę dictione; quia ita placet. Ergo & Magiſtratui liberum eſt, verbi miniſtrum, aut profeſſorem cujuſcunque facultatis, præſertim theologum, etiam abſque cauſâ & cauſæ dictione dimittere, quandocunque aut quoties viſum fuerit, ejuſque operâ in inſtituendâ eccleſiâ, aut juventute ſcholaſticâ, non amplius uti. Bella ſane conſequentia. Quaſi miniſter eccleſiæ, eſſet miniſter (οἰκέτης οἰκεῖος) domeſticus, & privatus toparchæ, aut conſulis; aut eſſet miniſter eorundem publicus in curiâ, quales, janitores, curſores, ἐκδόχοι, pediſſequi, ciniflones, &c. Et quaſi profeſſores Academiarum aut Illuſtr. Scholarum (de quibus in Authent. habitâ) ejuſdem eſſent conditionis, cujus ſervi, ancillæ, pædagogi mercenarii, qui vel in familiâ, vel oſtiatim pro menſtruo aut hebdomadali Minervali deſignatis horis & diebus aliquos in linguâ Latinâ aut Gallicâ, aut in Muſicâ vocali & inſtrumentali inſtituunt. Hos enim hebdomade quâque, aut menſe quoque finito, quiſque paterfamilias pro arbitrio dimittit: uti & ſervos, aut ancillas domeſticas, finito quoque ſemeſtri. Quomodo viciſſim ſervi & ancillæ finito quoque ſemeſtri, herum aut heram deſerere, eorumque ſervitio renuntiare poſſunt: modo tempeſtivè præmoneant, ad quod etiam heri & heræ obligantur. Jam cogitent miniſtri eccleſiaſtici, & profeſſores Academici, qui aliunde (præſertim ex Germaniâ, Galliâ, Helvetiâ, &c.) magnis promiſſis & ſtipendiis evocati; quale hoc ſit privilegium, quam lubrico loco, ſecundum novam hanc juriſprudentiam, ſtarent: ſi ex tempore, & functio & ſtipendium ſolo nutu & verbulo toparchæ aut Magiſtratus auferri poſſet.

 XI.

XI. *Quæſt. An miniſterii dignitati & exiſtimationi conſulatur, ſi mi-ſter ſcribat libellos Almanachicos, aut ſuſpensâ hederâ vinum vendat, aut in toparchæ alicujus, alteriuſve nobilis negotiis œconomicis & politicis ſe involvat? Reſp.* Movet has quæſtiones *Eckhardus tract. cit. claſ. 3. qu.* & *claſſ. 4. qu. 5. claſſ. 5. qu.* 8. Et negat miniſtris hæc licita eſſe. Cui aſſen-tior, ut & rationibus ibidem allatis.

Nihil excipi hic poſſet, quam neceſſitate indigentiæ huc adigi poſſe mi-niſtrum: ob eccleſiaſtica à ſacrilegis harpyis iſtic devorata; & eccleſiæ ſuæ paupertatem, quæ ne mediocri quidem ſubſidio ipſum ſublevare poſſet. *Reſpondendum* eſt minimè omnium convenire miniſterio, hos alioſque ſimiles acquirendi modos, e. gr. pragmaticam forenſem, vectigalium re-demtionem, cauponarium mercaturam, &c. Magis convenit tali in caſu exemplo Apoſtoli Pauli manibus laborare; diſcipulos privatim publiceque in linguis, artibus, immo & in alphabeticis inſtituere; ex ſcriptionibus librorum ad prœlum parandorum, tranſlationibus præſtantium librorum, correctionibus ad prœlum, indicum ad libros collectionibus; medicinæ praxi occupari: quæ tamen, meo judicio, non niſi in hoc, & inſuper in uno alterove caſu à miniſtris capeſſenda, & ab eccleſiâ iiſdem permit-tenda eſt. *Agobardus* Epiſcopus Lugdunenſis (qui floruit tempore Ludo-vici imperatoris, filii Caroli M.) in epiſtola ad coëpiſcopum quendam Bernardum, in quâ agit de privilegio & jure ſacerdotii, conqueritur de indi-gnitate eorum per vilia & minimè decora miniſteria: „Hæc pauca, inquit, „pag. 128. veteris ac novi Teſtamenti collegimus teſtimonia, in quibus „quaſi in ſpeculo contueri valeamus, fœditatem noſtri temporis omni „lacrymarum fonte plorandam, quando increbuit conſuetudo impia, ut „penè nullus inveniatur anhelans, & quantulumcumque proficiens ad ho-„nores & gloriam temporalem, qui non domeſticum habeat Sacerdotem, „non qui obediat, ſed à quo inceſſanter exigat licitam ſimul atque illici-„tam obedientiam, non ſolùm in divinis officiis, verum etiam in huma-„nis. Ita ut plerique inveniantur qui aut ad Menſas miniſtrent, aut ſa-„crata Vina miſceant, aut canes ducant, aut caballos, quibus fœminæ ſe-„dent, regant, aut agellos provideant. Et quia tales de quibus hęc dici-„mus, bonos Sacerdotes in domibus ſuis habere non poſſent, nam quis „eſſet bonus clericus qui cum talibus hominibus dehoneſtari nomen & „vitam ſuam ferret; non curant omnino quales clerici illi ſint; quanta „ignorantia, ceu quantis criminibus involuti, tantum ut habeant Presby-„teros proprios, quorum occaſione deſerant Eccleſias, ſermones, & Offi-„cia publica. Quòd autem non habeant eos propter Religionis honorem, „apparet ex hoc, quòd non habent eos in honore, unde & contumelio-

sè

„ ſè eos nominantes, quando volunt illos ordinari Presbyteros, rogant „ nos aut jubent, dicentes: Habeo unum Clericionem, quem mihi nu- „ trivi de ſervis meis propriis, aut beneficialibus, ſive Pagenſibus; aut „ obtinui ab illo, vel illo homine, ſive de illo, vel illo pago, volo ut or- „ dines eum mihi Presbyterum. Cùmque factum fuerit, putant ex hoc „ quòd majoris ordinis Sacerdotes non eis ſint neceſſarii, & derelinquunt „ frequenter publica Officia & Prędicamenta.

XII. *Quæſt. An miniſter dignitati optimè conſulat, ſi audiat bonus politicus? Reſp.* Habet hanc quæſtionem *Eckhardus claſ.* 3. *quæſt.* 6. eamque in partem negantem determinat.

Nos ſic diſtinguimus. Bonus politicus notat 1. *Aliquando* aulicum paraſitum. 2. *Aliquando* ſimulatorem & diſſimulatorem omnium. 3. *Aliquando* Pſeudo-Politicæ Machiavelli methodo & arti regendi populos incoctum. 4. *Aliquando* in honeſtâ arte & progmaticâ politicâ apprimè exercitatum & expertum. 5. *Aliquando* in ſcriptoribus & hiſtoriis politicis antiquis ac novis, verſatum & eruditum. Quem politicum umbraticum appellare ſoleo. 6. *Aliquando* politicum contemplativum; qui ἀπράγμων & tanquam κωφὸν in dramate illo πρόσωπον ſpeculativè & extrinſecus videt, audit, legit, hiſtoricè cognoſcit, perſpicit, privatim diſcernit ac judicat, ductus, motus, agitationes, artes, circumvolutiones in hoc mundo politicas, præſertim in Patriâ ſuâ & vicinis politiis. Et inde per ſpiritualem ſublimationis artem, uſus ſpirituales ad ſuæ & alienæ conſcientiæ informationem extrahit. Si *tres priores* acceptiones reſpicias, nullus miniſter talis catechreſticè dicti politici nomen, multo minus rem ipſam, affectare debet. Si *quartam*, hanc miniſter affectare non debet: non quia in ſe mala, ſed quod illi mala, in quam ſine uſurpatione & ἀλλοτριοεπισκοπῇ ſe immittere non poteſt. Si *quintam*, omnibus eam ſuadeo, & hactenus ſemper diſcipulis noſtris ſuaſi. Sed doleo quod multi eorum, quorum rationes hoc ferunt, in curſu Academico privatis publiciſque ſtudiis & exercitiis nobilem hanc & ἀρχιτεκτονικὴν diſciplinam penitius non imbibant; & alii, quorum rationes id non ita ferunt, ad minimum eandem non deguſtent, eaque ejus fundamenta non jaciant, quibus poſt finitum curſum Acamedicum, paulatim & tutò ſuperſtruere queant.

Uſum ſi quærant, oſtendo eum in explicatione pentateuchi, Joſuæ, Judicum, Samuelis, Regum, Ezrę, Nehemię, Danielis, Paralipomenon, Proverbiorum, plurimorum capitum & commatum in Prophetis, in Euangeliſtis, in Actis; ad hæc in pleniori intelligentiâ & explicatione Theologiæ didacticæ & elencticæ, e. gr. de poteſtatis eccleſiaſticæ à politicâ diſtinctione, & utriuſque limitibus, de temporali poteſtate Papæ, de

do-

donatione Conſtantini, de tranſlatione imperii, de privilegiis & immunitatibus clericorum, de formâ regiminis eccleſiaſtici, &c. Quid dicam de cognitione theologię moralis ſeu decalogicæ, præſertim ad quintum præceptum, & totius politicę eccleſiaſticæ? Mitto nunc, quod tam eximia & decora ſimilia ex politicâ generali, & ſpeciali ſeu hiſtorica peti poſſunt, quibus theologia didactica & elenctica illuſtretur. Vide aliquot ſpecimina in *ſyntagmate Danielis Tileni*. Si *ſextam*, quam maximè ſuadeo. Quamvis enim miniſter in proprio ſuo elemento occupatus rebus ſęcularibus & mundo mortuus eſſe debeat, non tamen mortuus in mundo; ut non videat, non audiat, quæ ipſum mundi hujus & politiæ incolam quotidie circumſonant & circumſtant; ut inſtar Jonæ in navi in medio mari πανύχιος dormiat, nec ullo proſpero aut adverſo communis, quâ vehitur, navis curſu afficiatur, eumque piis meditationibus & precibus ſuis proſequatur, & mirabiles providentiæ divinæ ductus in eodem contempletur. Talis cognitio inſuper inſignem uſum præſtabit, in praxi eccleſiaſticâ, ubi ſæpe ad caſus politico-theologicos reſpondendum, cum politicis noſtris aut alienis, religioni addictis aut adverſantibus ſuper negotiis & cauſis eccleſiaſticis agendum. Sed de ſtudio & apparatu politico conſilium dedi in noſtrâ *Bibliothecâ*: ubi etiam de collegiis Inſtitutionum juris ſuſcipiendis, & audiendis publicis ad inſtituta lectionibus, aliquid attigi, nec hic repeto. Non puto aliquos ex diſcipulis noſtris, quorum rationes hoc ferebant, conſilium noſtrum ſecutos, facti ſui pœnitere: Quidquid nonnemo ſarcaſmis & cavillationibus ſuis me ideo inſectetur; quaſi panſophiam & juris ſcientiam mihi tribuiſſem & diſcipulos triennii ſpatio futuros πανσόφους mihi promiſiſſem. Cum nunquam jus civile publicè prælegere nec auſus fuerim nec potuerim: quod tamen cenſorem meum aliquando feciſſe audio. Sed de his alibi.

XIII. *Quæſt. An miniſter dignitatem ſui miniſterii, contra contemtores, & adverſarios quoſvis tueri, & ſuper eo in domino gloriari poſſit ac debeat: conſideratâ ejuſdem miniſterii ſanctitate, & ſanctâ ad illud vocatione. Reſp.* Aff. *Lutheri* verbis *tom. 4. oper. latinor. fol. 9.* immoto ſcripturæ fundamento innixis, hoc exprimo, *Noſtra*, inquit, conſolatio, qui ſumus in „Miniſterio verbi, hæc eſt, quòd habeamus officium ſanctum & cœleſte, „ad quod ritè vocati gloriamur contrà omnes portas inferorum. E contra „horrendum eſt, cùm conſcientia dicit, Hoc ſine vocatione feciſti: Ibi „tantus terror concutere animum ſolet, ut non vocatus optaret ſe nunquam audiſſe verbum, quod docet. Quia inobedientia facit omnia opera „mala, quantumvis bona, Ita ut etiam maxima opera & labores fiant „maxima peccata. Vides itaque quàm bona & quàm neceſſaria ſit hæc jactan-

Digitized by Google

„jactantia & gloriatio Miniſterii noſtri. Olim cùm eſſem novus Theologus
„ & Doctor, videbatur mihi Paulus ineptire, quod in omnibus Epiſtolis
„ toties gloriaretur de ſua vocatione. Non intelligebam ipſius conſilium.
„ Ignorabam enim tantam rem eſſe miniſterium verbi. Nihil ſciebam de
„ doctrina fidei & conſcientiâ verâ: Quia nihil certi docebatur, neque
„ in Scholis, neque in Templis, ſed omnia plena erant Sophiſticis Per-
„plexitatibus & nugis Canoniſtarum & Sententiariorum. Ideo nemo
„potuit intelligere dignitatem & vim iſtius ſanctæ & ſpiritualis jactan-
„tiæ de vocatione. Quę primùm valet ad gloriam Dei, Deinde ad hono-
„ rem Miniſterii noſtri, Item ad noſtram & populi ſalutem. Non enim
„ambimus per iſtam jauctantiam aliquid eſſe in mundo, non quærimus
„gloriam apud homines, non pecuniam, non voluptates, non favorem
„mundi, &c. Sed quia ſumus in vocatione divinâ & opere Dei, & po-
„pulus maximè opus habet certitudine noſtræ vocationis, ut ſciat no-
„ ſtrum verbum eſſe Dei verbum, ideo ſuperbè eam jactamus. Quare non
„ eſt vana, ſed ſanctiſſima ſuperbia contra Diabolum & mundum, & ve-
„ ra humilitas coram Deo.

Quod ad τὸ *ſanctum & cæleſte* Lutheri, ne quis invideat aut rideat, notandum duplicem eſſe ſanctitatem, unam ſpecialem, alteram communem. *Communis* eſt omnium verè fidelium qui 1. *Ob* ſanctitatem Chriſti imputatam 2. *Ob* ſuam inhærentem per ſpiritus ſanctificationem 3. *Ob* ſeparationem à communi hominum ſorte; dicuntur *gens ſancta*, & *ſancti* 1 Petr. 2. v. 9. 1 *Cor.* 1. *v.* 2. *Pſalm.* 16. *v.* 3. *Hebr.* 3. *v.* 1. *Specialis* ſeu propria eſt miniſtrorum, quę talis eſt & dicitur, quod vi muneris ſui res ſacras tractent, & quod ad tale opus cœlitus à Deo ſanctificati ac ſeparati ſint ex divino inſtituto & mandato: ſive immediatè; ſive mediatè per ſanctam eccleſiæ electionem, vocationem. Hâc ratione non tantum ob miniſterium extraordinarium Prophetæ & Apoſtoli dicuntur ſancti *Actor.* 3. *v.* 21. & κατ' ἐξοχὴν viri ſeu homines Dei, 2 *Reg.* 7. *v.* 17. ſed & quilibet legitimi ac fideles miniſtri, ob ordinarium ſuum miniſterium 2 *Timoth.* 3. *v.* 17. dicuntur *homines Dei*, & à *Chriſto dati* Epheſ. 4. v. 11. 12. à Spiritu Sancto conſtituti *Actor.* 20. *v.* 28. Et in liturgiâ noſtrâ tit. de confirmatione miniſtrorum, in primâ interrogatione, quæ miniſtris proponitur, vocatur *ſanctum miniſterium*, & paulo ante *ſacrum munus*. Unde liquet, quam imperitè & calumnioſè *anonymus autor Grallarum* contra eruditiſſ. theologum *Wilhelmum Apollonium*, ſanctitatem (relativam ſcil.) & ſpiritualem functionibus eccleſiaſticis ineſſe neget, & merum eſſe hoc figmentum & fermentum Papiſticum affirmet: Quod tamen poſtea in reſcriptione contra *Judocum Larenum*, ad ſacrum & ſanctum functionum eccleſiaſticarum, quæ & quales tunc erant (ex.gr. in claſſe Wa-

 lachricâ)

lachricâ) reſtringendum contendit Sed ſi ſcripturam, ſi confeſſiones & liturgias reformatorum, & ſcripta didactica atque elenctica modo inſpexiſſet, videret nihil novi dici ab illis, qui ſanctitatem miniſterio tribuunt. Ut ſaltem præſumtuoſi fratres ignorantes, quęſtionis hujus terminos pręcognoſcant, autor ipſis ſum, ut conſulant lexica theologica & Juridica in vocibus *ſacrum* & *ſanctum*. Nos antehac 3. *part. ſelect. diſp. tit. de benedictionibus* & *ſacramentalibus*, voces illas explicuimus & diſtinximus.

XIV. *Quæſt. An dignitati & exiſtimationi miniſterii coram Deo & hominibus conſulatur novis dogmatis, aut ſaltem καινοφωνίαις excogitandis, oſtentandis, in plebem eccleſiaſticam & juventutem Academicam, ſubdolè & clam, aut ſubinde audacter ac palam ſpargendis: quandocunque aura favoris & auxilii ſæcularis aſpirat. Reſp.* Neg. Quia hæreticorum, hypocritarum, & ſciſmaticorum eſt, domos irrepere, captivare mulierculas, dubiis & exceptiunculis rudiores aut imprudentiores præoccupare; lucem tantiſper odiſſe, & ſua concelare coram iis, quibus potentia & poteſtas judicandi adeſt. Vide *Math.* 23. *v.* 14. 2 *Timoth.* 3. *v.* 9. *Tit.* 1. *v.* 10. 11. Hac methodo meminimus uſum fuiſſe *J. Arminium*; qui ſuis quibuſdam confidentibus (ita loquar) inter ſtudioſos aſſeclis ſcedulas & novorum, ut putabat, heurematum MSS. diatribas communicabat, & in collegiis privatis eadem heuremata, aut ſaltem hypotheſes & præcognita eorum inculcabat: cum facultati theologicæ, Synodis Hollandicis, earumque ad ſe delegatis fraternè hoc petentibus, quidquam opinionum ſuarum aperire detrectaret; & in publicis lectionibus Academicis ac diſputationibus præter textuum quorundam ſcripturæ, & conſequenter orthodoxæ ſententiæ hypotheſeωn vellicationes aut enervationes, vix quidquam proderet. Donec tandem volens nolens gravaminibus & querelis eccleſiarum & fidelium paſtorum in lucem protractus, ipſam theſin heterodoxam de libero arbitrio, primum in Academiâ ab opponente quodam theologo Pontificio Gandenſi iſtac forte tranſeunte (contra diſputationem de Vocatione hominum ad ſalutem) conſtrictus; poſtea in collatione cum *D. Gomaro* coram delegatis Illuſtr. Ordd. Hollandiæ declararet ac defenderet. Utinam infelici ipſius & *Conradi Vorſtii* exemplo, petulantia, & ambitioſa quorundam ingenia à temerariis & deſultoriis ſive rerum ſive vocum novitatibus abſterreri poſſent! *Melanthon* cum Bonnæ reformatione eccleſiarum unà cum Bucero occupatus, in ripâ Rheni ambularet, Belgium reſpiciens ſuper eo ingemuiſſe dicitur, his verbis: *væ Belgio ab horrendo ſanguinis balneo, & ingeniorum petulantiâ.* Ita refert piè eruditus theologus *D. Henricus Antonides* in lectu digniſſimâ præfatione *fol. c. verſo*, quam ſyſtemati theolog. præmiſit. Quod ille anno 1611. gliſcentibus tunc novitatibus & contentionibus Remonſtran-

Digitized by Google

ſtranticis jure merito applicabat : utinam nos aut ſaltem proximè nos ſecuturi ſuis difficilibus temporibus aliquando non cogantur hoc applicare. Theologiam, religionem, pietatem, eccleſiam ubi paulatim viderint ſæcularizari, cogitent non procul abeſſe tempus periculoſæ alicujus criſeos aut notabilis concuſſionis. Deus noſter omnes fideles miniſtros confirmet, ut mundo crucifixi, quamdiu in hoc tabernaculo ſunt, maturè & indeſinenter contra Satanæ ſtratagemata oves ſuas præmoneant, & omnes pariter pro fide ſanctis ſemel datâ decertent! Præclarum illud Belgicorum theologorum lumen in Academiâ Marpurgenſi theologiam Profeſſus, *Andreas Gerh. Hyperius* horis aliquot ante obitum contra novaturientes, & ἰφημέρȣ theologiæ inter adoleſcentes Academicos traditionem ſerio collegas ſuos præmonebat Narratiunculam ex *Wigandi Orthi*, theologi Marpurgenſis oratione funebri anno 1564. 27. Febr. hic exhibeo. „ Atque in hac ſua tam „ docendi quàm diſſerendi ratione, tanta ſemper fuit modeſtia tantaque „ conſtantia : ut neque temerè quæſtiones ocioſas moveret, neque ſemel „ ſuſceptam cum judicio docendi rationem immutaret. Qua de re memi- „ niſti ſine dubio, doctiſſime Domine *Chunrade Matthae*, affinis mihi plu- „ rimùm colende, quid eo ipſo die, quo obiit, utroque noſtrum præſente „ dixerit. Ego, inquit, id ſemper operam dedi in Schola, ut doctrinam uti- „ lem auditoribus proponerem, & vitarem ocioſas quæſtiones : diligenter „ cavi, ne ullam darem contentionum occaſionem, eandemque docendi „ formulam ſemper retinui : ac, dùm vixero, retinebo. Hęc ferè ipſius „ verba fuerunt : quæ cum non ſine lachrymis audiviſſemus, affirmavimus „ nos ejus rei teſtes eſſe : eandemque etiam nos docendi rationem & te- „ nuiſſe huc uſque ſemper, & poſthac retenturos.

Sed dicis, antequam hæ inſidiæ, hæc ſtratagemata, hæ novitates adverſus orthodoxiam, pietatem, eccleſiarum regimen & diſciplinam matureſcant, pateſcant : tutius eſſet tantiſper tacere; ne præmonendo & immaturè curando, crabrones irritentur, & curando vulnera fiant pejora. Quaſi vero exſpectandum ſit, donec Hannibal ad portas immo & intra portas : quaſi morbo nondum erumpente & ſæviente, nullis prophylacticis, nullâ diætâ utendum eſſet : quaſi nullum apparatum incendio reſtinguendo conclamare liceret, niſi flammam ex tecto erumpentum videamus. Quo in ſtatu ſubinde ſit res theologica, omnes, qui polypo non laborant, facile odorabuntur ex lectâ graviſſimâ & fideliſſimâ monitione, quam *Cl. D. Hoornbeeck* antehac collega noſter honorandus *dedicationi ad 3. partem Anti-Socini* nuperrimè inſeruit.

Principiis obſta : ſero medicina paratur ;
Cum mala per longas invaluere moras.

 Si-

Silentium, pacem, moderationem primum fiſtula Remonſtrantica dulce canebat; quæſtiunculę unius forte atque alterius diſquiſitionem, meris unguium raſuris, meris periſpematis, meris titivillitiis comparabant: interea non ſegniter incendium inferebant & promovebant; pro viribus autoritati, dignitati, exiſtimationi veteranorum miniſtrorum detrahebant. Alibi, qui orthodoxam & reformatam doctrinam de omnimodâ Dei gratiâ per cuniculos ſubvertere videntur, palliant ſua *methodi accuratioris*, aut *quæſtionis de nomine* prætextu. Alibi dogmata heterodoxa ſub titulo rituum, decori, *εὐταξίας* in eccleſiâ ſervandæ deliteſcunt. Alibi orthodoxiæ publicè receptæ integritas, & communis in eâdem concordia, non ita, ſaltem non aperte, videtur ſollicitari: interim laboratur de ſexto Remonſtrantium articulo (ut illo tempore appellari ſolet) quod ad theoriam & praxin introducendo.

Si quis omnium antehac geſtorum ignarus, quærat quis qualiſve ſit ille articulus: ablego illum ad hiſtoriam illius controverſiæ breviter à me contextam *lib. 1. polit. eccleſiaſt. tract. 2. cap. 2.* Sin quis præ faſtidio aut averſione à veritate metuat, ne talia legendo, quod ad interiorem conſcientiam in nidum ejus incidat: ei commonſtro *ſeſſ.* 38. 144. 147. 148. & *præfat.* Ill. DD. Ordd. General. celebris *Synodi Dordr.*; ubi Confeſſio & catechiſmus lecta & relecta, una cum canonibus de 5. articulis tanquam communis profeſſionis & eccleſiaſtici conſenſus formulæ recipiuntur, & à ſupremis Belgii poteſtatibus approbatione & autoritate publicâ muniuntur; poſtea anno 1646. ante inchoandum tractatum Monaſterienſem de pace inter potentiſſ. Hiſpaniarum Regem, & Fœderatum Belgium, inter prçliminaria ab Ill. & Præpot. Ord. Generalibus approbatio illa repetita ac præſuppoſita fuit; poſtremo anno 1651. Hagæ-Comitis in illuſtri Ordinum Fœderati Belgii panegyri tanquam columna, firmamentum, vinculum, & requiſitum repetitæ unionis ac confœderationis belgicarum Provinciarum de novo confirmata fuit. Jam vero pacta præſertim tam ſolennia & tam fundamentalia ſtatus ſervanda eſſe, nemo non dico Chriſtianus, ſed conſcius modo juris Gentium negabit. Quid autem ferant illæ formulæ de poteſtate, regimine, & diſciplinâ eccleſiarum, docebunt te *Confeſſio* noſtra *artic.* 29. 31. *Catechesis qu.* 82.-85. *Liturgia* in *capp. de confirmatione concionatorum*, *ſeniorum*, *diaconorum*; de excommunicatione, & reconcilatione. Statuta ſeu canones regiminis eccleſiaſtici in *Synodis Nationalibus* in Belgio habitis *Dordraci ann.* 1578. *Middelburgi* 1581. *Hagæ-Comitis*, 1586. *Dordraci* 1619. eccleſiaſticè conditi & eccleſiis dati, inſuper ab Ill. hujus atque aliarum quarundam provinciarum Ordinibus approbati & publicâ autoritate muniti. Si qui homines de eccleſia noſtra, aut

aut extranei infelicia illa tempora, annos ſcil. 1612. & 1614. 1617. & decreta Remonſtranto-politica hujus & Hollandicæ Provinciæ (quibus dictus ille ſextus articulus è diametro formulis publicis modo cit. oppoſitus, erat intextus) reſtituta velint; atque eo nomine ſupremas poteſtates privatim publicèque compellent: nobis, præmiſſis & oblatis ex ſcriptura inſtructionibus, ad renovatam aut reſumtam anno 1651. Provinciarum unionem ac confœderationem, verè ſtatus publici ſeu liberæ Belgarum Reipublicæ fundamentum, non minori, quin & multo majori jure provocare licebit, quam eccleſiis Gallicis ad edictum Nannetenſe.

XV. *Quaſt. An etiàm ſtatus familiæ ad conſervandam, aut minuendam miniſtrorum exiſtimationem quidquam conferat? Reſp.* Omnino. Et probatur ex 1 Timoth. 3. v. 4. *Qui ſuæ domui*, &c. v. 11. *uxores itidem* (oportet eſſe) *venerandas, non calumniatrices, ſobrias, fideles in omnibus.* Memini alicubi aliquando duos in eadem eccleſia miniſtros collegas, judicii eccleſiaſtici prudentia, inde debuiſſe aliò transferri ob perpetuas uxorum æmulationes & rixas aliaque ἐπίμετρα ac dependentia. Experientia docet quantum deſtruant, & exiſtimationi miniſtrorum detrahant uxores, quæ piæ, prudentes, moratæ non ſunt. Et quam graviter impinguant miniſtri, qui tales ſibi eligunt, quæ nihil minus ſunt quam paſtorales. Caveant ergo ſibi à primo hoc malo domeſtico.

Secundum malum domeſticum eſt liberorum inobedientia, & mores diſſoluti.

Tertium malum domeſticum eſt mala rei familiaris adminiſtratio, & inde ejuſdem anguſtia; hinc æris alieni contractio, mutuatio abſque redditione & ſolutione: quæ hominis impii characterem facit *Pſal.* 37. v. 21. Excipio tamen illos miniſtros, qui non ſua culpa, ſed calamitate θεηλάτῳ, aut aliorum injuriâ ad tales anguſtias rediguntur. Illis ergo character improbi jure merito adſcribendus, qui fideles miniſtros mendicorum titulo condecorant; interim ipſi paſtorales alioſve eccleſiaſticos reditus, ad ſuſtentationem eorum fundatos turpiter abliguriunt, aut ſacrilegè in privatos ſuos uſus convertunt: nuditatem ſuam tegentes effugio & heuremate novè reperto, quod bona paſtoralia tum ante ἀκμὴν tum ſub ἀκμῇ Papatus non ſint eccleſiaſtica Deo & Chriſti eccleſiæ ad cultum divinum data; ſed quod omnia ſint diabolica, diabolo, idolis, ad cultum idololatricum, & abominandas miſſas dicata. Vide ferale carmen ſacrilegis illis cantatum. *Malach.* 3. 6. *Prov.* 20. v. 8. 9. 25. *Joſua* 7. v. 11. *Actor.* 5. v. 2. 5. Sed de hoc ſupra *part.* 1. *lib.* 1.

Denique ad mala domeſtica refer, rixas, jurgia, quærelas inter maritum & uxorem: Quæ à familiis paſtoralibus non ſemper exulare experientiâ

Digitized by Google

comprobari videtur: unde ortam arbitror candidam confeſſionem *Eckhardi* in ſuo *paſtore conſcientioſo claſſ.* 4. *quaſt.* 4. Adverſus ejuſmodi intolerabi-
„lem Xantippen (*moroſam* ſcil. *& rixoſam, quam paſtor nactus eſt, uxorem:*
„qualem in quæſtione propoſuerat) honeſtior quandoque maritus irâ in-
„flammatur, & effervelcit, ut manu ulciſcatur, & pro verbis reddat verbera,
„donec poſitâ ferociâ, nonnihil miteſcat, ſeque magis tractabilem præſtet.
Sed rectè ibidem determinat, paſtori haut licitam eſſe uxorem, ut ut Xantippen, verberare. Quia non debet eſſe πλήκτης *percuſſor : quia* ſcandaloſum eſt: quia remedium hoc irritum & fruſtraneum eſt, &c.

Nos ſupra *part.* 1. *lib.* 3. *tr.* 1. *ſect.* 3. *c.* 3. & *part.* 2. *lib.* 1. *tr.* 4. *c.* 1. *tract.* 1. *ſect.* 3. probamus marito talem proteſtatem non competere: minimè omnium paſtori. Si ergo nactus ſit Xantippen, ipſe agat Socratem, & domi patientiam diſcat, quæ illi in functione miniſterii maximopere neceſſaria eſt. Si accedant intolerandæ exſuperantiæ, aut inſuper malitioſa deſertio, aut flagitium adulterii, &c. jam ipſi cum piis & eruditis theologis deliberandum, an in primo caſu ſeparatio, quod ad cohabitationem; aut in ſecundo, tertiove caſu, ſententia divortii ſive activi ſive paſſivi à Magiſtratu petenda ſit.

XVI. *Quaſt. An miniſterium apud adverſarios, neutrales, fratres falſos aut infirmos, plerumque in contemtum adducatur & vileſcat, per ipſos miniſtros, aut non ſine illis? Reſp.* Aff. Diverbium illud virorum militarium, *qui agricolam ſeu ruſticum plagis affecturus eſt, neceſſe eſt ruſticum adducat*, huic rei analogicè applicari poteſt. Ut Chriſtus à diſcipulo & apoſtolo (Judâ ſcil.) proditus eſt; ſic & miniſtrorum miniſteriique opus, cauſa, autoritas, dignitas, plerumque ductu, aut conducti miniſtri alicujus auxilio, in diſcrimen adducitur, ſi non evertitur. Contingit aliquando, ut ubi unus ædificabat, promovebat, commendabat, alter deſtrueret, removeret, vituperaret; & qui ignorantiæ, aut ignaviæ, aut invidiæ, aut vanæ & ſtolidæ ſuperbię ac Diotrephicæ (3 *Joh. v.* 9.) elationis ſpiritu afflantur, plerumque technis & excogitatis commentis aliorum laboribus & virtutibus detrahant: ut ſcil. ſoli ipſi canere poſſint illud, Αἰὲν ἀριστεύειν καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων. Curſim nunc indicabo ſolum aliquot Satanæ & mundi ſtratagemata, quibus per aliquem aut aliquos ex miniſtris contra miniſterium uti ſolent. Contra deliberationes, decreta, & optimos quoſque fidelium Chriſti ſervorum conatus ſuſcitant aliquem aut aliquos de familiâ Iſcarioticâ, qui ſcenæ mundi ſubſerviant; & ad eos, qui conſilia hæc diſſipare & volunt & poſſunt, omnia deferant, ſæpe non ſine mutationibus: ut tempeſtivè præveniri atque impediri poſſint. Hoc etiam ad arcana & ſimulacra hujus πολιτείας pertinere credendum eſt, quod aperti aut

Digitized by Google

aut clandeſtini miniſterii hoſtes aliquem Sinonem, ſeu mavis procuratorem ſive ad cauſas ſive ad lites iſtic habeant, qui non tantum omnia acta & agenda exploret, ſed & in omnibus plus minus obloquatur, dubia injiciat, variis ſophiſmatum coloribus acies oculorum obtundat, & conſultores dividat ac confundat, ſaltem negotium ipſis creet, & ſic à principali opere tantiſper abducat. Qualium operâ hoſtes aliquando uti non eſt ἀπίθανον in diminuendo præſtantium concionum & concionatorum æſtimio; ſive apud populum, ſive apud quoſdam honoratiores & potentiores. Quod triplici modo fieri poſſe, plurium annorum experientia me docuit.

Primus modus eſt, per ſuſurros partim in aurem κατ' οἶκον, partim in ἐγκυκλίοις, partim in conviviis; aliquando etiam in viſitationibus notorum, familiarium, quidni etiam ægrotantium, aliorumque afflictorum.

Secundus modus, ſed longe pejor eſt per breves notulas & ſcedulas amicis & talium amatoribus in memoriæ ſubſidium oblatas: juxta regulam, *Vox audita perit, litera ſcripta manet.* Poſſunt autem notulæ eſſe duum generum, vel hiſtoricæ vel elencticæ. *Illa* ſunt, quæ exhibent nuda excerpta, exaggerationis, aut enuntiationis alicujus, aut phraſis & voculæ; ſi quæ ipſis tanquam duriuſculæ, aut inſolitæ, aut impropriæ, in pejorem partem accipi poſſe videntur: ut ex illo ſpecimine judicent omnes, tanti non eſſe conciones illas, & concionatores. *Iſta* ſunt, quę anaſceuaſticè aut cataſceuaſticè delineant doctrinam doctrinę pro concione traditæ oppoſitam: ut conſcientiæ umbone illo chartaceo munitæ, ictum, & vulnus inferendum declinent: gratiora enim ſunt remedia anodyna, quam cauſtica.

Tertius modus eſt, & quidem peſſimus, per libellos publicè editos plerumque ſuppreſſo nomine: quibus phraſes, aut enuntiationes, aut methodus concionum, aut modus precandi, aut geſtus precantis & concionantis, atque una iſtarum concionum admiratores, proprio nomine ſuo aut individuo ſignato deſignati in theatro orbis proſtituantur, & riſui adverſariorum, ſcurrarum per tabernas ambulantium, per popinas latitantium prodigaliter objiciantur: ut fabula narretur toto lepidiſſima cœlo; *circo*, aut *mundo*. Hoc ſcilicet γνώμων Poëticum eſt:

Aut prodeſſe volunt, & delectare Poëta:
Aut ſimul & jucunda & idonea dicere vitæ.

Si Jeſuitæ *Landsheer*, Antwerpiæ ante paucos annos gelaſinum, thymelicum, pantomimum ſtrenuè agentis luſus poëtici typis editi eſſent, videremus ad eundem ferè modum conciones, ritus, actiones reformatorum concionatorum & auditorum in proſcenium productas fuiſſe. Nolo tamen diffiteri, ut diſtinguatur comœdia à tragœdia & ridens Democritus à

quæ-

Digitized by Google

quærulo & gemente Heraclito; hunc tamen ſæpe apud homines non planè ſcurriles & ſaturos, ſacro miniſterio & fidis miniſtris nocentiorem eſſe. Venit nunc in mentem comœdiæ anno 1629. in Belgio alicubi actæ & typis editæ, tit. *Kalſs-val*, id eſt, *Caſus vituli*; hoc eſt Calvini, Calviniſtarum: quo nomine à Remonſtrantibus, poſt annum 1619. ornatæ fuerunt eccleſiæ reformatæ in Belgio. Sed quocunque modo miniſterium ab ingrato mundo indignè habeatur; miniſtri per bonam per malam famam inſtent operi ſuo: Deus eſt, eritque clypeus eorum & merces valde magna.

CAP. X.

De Miniſterii efficaciâ, & potentiâ.

EFficaciam & potentiam miniſterio tribuendam conſtat ex 2 Cor. 10. v. 3.-7. *Nam in carne ambulantes militamus, (arma enim militiæ noſtræ non carnalia ſunt, ſed divinitus valida ad deſtructionem munitionum) Ratiocinationes evertendo*, &c. *& paratum habendo quo ulciſcamur omnem obedientiam*, &c. Jerem. 1. v. 10. *Vide conſtitui te hac die ſuper gentes, & ſuper regna, ut evellas, & diruas, & diſperdas, & excutias, ut ædifices, & plantes.* Johann. 20. v. 23. *Si quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*, &c. Math. 16. v. 19. *Et tibi dabo claves regni cœlorum: & quidquid ligaveris in terrâ*, &c.

Probatur inſuper hoc argumento, ſi efficacia & potentia verbo & precibus tribuitur; ergo & miniſterio ſeu miniſtris, tribuenda eſt. Sed verum prius. Ergo,

Verbi & precum efficacia & potentia probatur ex loco 2 *Cor.* 10 *v.* 3.-7. Arma enim militiæ miniſterialis ſunt verbum & preces, quorum armorum geſtatio & tractatio miniſtris peculiariter commiſſa eſt. *Actor.* 6. *v.* 4. De verbo ſingulariter probatur, quod ſit *potentia Dei ad ſalutem* Rom. 1. v. 17. Et quod peculiari ratione, *poſitus* ſit in miniſtris *ſermo reconciliationis* 2 Cor. 5. v. 19. qui *nomine Chriſti legatione funguntur, & velut Deo* homines *precante* per illos, &c. v. 20. De precibus itidem ſingulariter probatur, quod ſint arma militiæ ſpiritualis, ex Epheſ. 6. v. 13.-19. *Propterea aſſumite univerſam illam armaturam Dei*, &c. *Et gladium ſpiritus, hoc eſt, verbum Dei. Omni oratione & deprecatione, orantes*, &c. *& ſupplicatione pro omnibus ſanctis.* Jacob. 5. v. 16. *Multum enim valet deprecatio efficax.* Scitè Ambroſius. *Arma noſtra* (paſtorum ſcil.) *ſunt preces & lachrymæ.* Quod miniſtris peculiariter ſumenda, expedienda, tractanda ſint

hæc

hæc arma, probatur ex Numer. 6. v. 23. *Loquere ad Aharon & ad filios ejus dicendo, ſic benedicetis filiis Iſrael*, &c. Joël 2. v. 17. *Inter veſtibulum & altare plorent ſacerdotes, miniſtri Domini, & dicant, Parce Domine populo tuo*, &c. Pſal. 99. v. 6. *Moſeh & Aharon inter ſacerdotes ejus, & Semuel inter invocantes nomen ejus, invocabant Dominum, & ipſe exaudivit eos.* Jeſa. 37. v. 4. Ubi Hiskia petit à Propheta Jeſaia: *& leva orationem pro reſiduo quod invenitur.* Geneſ. 30. v. 6. Deus loquitur de Abrahamo: *quia Propheta eſt, & orabit pro te, & vives.*

Sed contra efficaciam miniſterii objici poſſet ex 1 Corinth. 3. v. 7. *Reſp.* De efficientia principali & phyſicâ (ita dictâ) hoc accipiendum eſt; quæ ſoli ſpiritui ſancto tribuitur: non vero de efficientiâ morali & inſtrumentali, quæ verbo, ſacramentis, miniſterio & miniſtris competit. Quod ibidem innuitur v. 5. *miniſtri, per quos credidiſtis* v. 8. *Is vero qui plantat, & is qui rigat, unum ſunt.* v. 9. *etenim Dei ſumus adminiſtri, Dei arvum, Dei ædificium eſtis.* Et v. 6. *Ego plantavi, Apollos rigavit, ſed Deus dedit incrementum.* Confer 2 Cor. 6. v. 1. *Sed & operam noſtram ei (Deo) accommodantes, hortamur ne fruſtra gratiam Dei receperimus.* Et 1 Cor. 1. v. 21. *libuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſervare credentes.*

Hac ergo ſub diſtinctione potentia, efficacia, & effectus miniſterii accipiendus eſt, cum miniſtri dicuntur ſervare, remittere peccata, juſtificare, convertere peccatorem 1 *Tim.* 4 *v.* 16. *Joh.* 20. *v.* 22. *Danielis* 12. *v.* 3. *Luc.* 1. *v.* 16.

LIB. II. TRACT. II.

DE

SACRORUM MINISTRORUM GENERIBUS, ORDINIBUS, ET GRADIBUS.

CAP. I.

De diviſione Miniſtrorum in ordinarios & extraordinarios; & de miniſtris extraordinariis V. T., Patriarchis ac Prophetis.

MIniſtri dividuntur in ordinarios & extraordinarios. Utrique conſiderari poſſunt in ſtatu integritatis aut lapſus. §. 1.

In ſtatu integritatis ſi conſiderentur, occurerent forte ſequentes quæſtiones.

1. *An aliquod actuale fuerit miniſterium.*

2. *An ſi non interveniſſet lapſus, eccleſia viſibilis & inſtituta fuiſſet, & quidem organicè integrata*; hoc eſt, *an in eâ aliquod fuiſſet miniſterium.*

3. *An illud fuiſſet ordinarium, an verò extraordinarium.*

4. Si ordinarium, *an illud alicui collatum, fuiſſet* ἀπαράβατον, ut ſcil. *nunquam à poſſidente fuiſſet tranſlatum in alium: niſi cum ille in terris eſſe deſiiſſet, & hinc tranſlatus ac in termino completæ beatitudinis conſtitutus fuiſſet?*

Ad 1. quæſt. Reſp. Diſquiri poſſet, an duo homines Adamus ſcil. & Eva, in ſocietate œconomicâ uniti, propriè dici poſſint eccleſia, hoc eſt, collectio, multitudo, ſocietas ſpiritualis, hoc eſt, eccleſia externa, viſibilis, inſtituta, organicè integra: quorum ille fuiſſet miniſter & anteceſſor, iſta populus. In uno ſingulari homine reſidere & conſervari miniſterium non repugnat: ſed in uno homine conſervari poſſe populum Dei, gregem ſacrum, hoc eſt multitudinem, collectionem, pluralitatem, non minus mihi implicare videtur, quam unum ſingularem epiſcopum dici eccleſiam diœceſianam (uti vult *Viguerius in Inſtitut.*), aut unum ſingularem Papam ex gr. hodiernum Alexandrum 7. dici eccleſiam catholicam; uti philoſophantur *Bellarminus.* Quamvis enim σόφον φάρμακον τοῦ *virtualiter* adhibeat: certum tamen eſt unum numero, unum ſingulare, unum individuum, crudè & craſsè contradicere multo. Quod patet ex definitione unius, *quod eſt indiviſum in ſe.* Tutiſſimum ergo hic ἐπέχειν, aut otioſam aut curioſam hanc quæſtionem non determinare.

Ad 2. quæſt. Reſp. Non repugnat tale quid futurum fuiſſe. Uti fere de ordine politico & Magiſtratu determinari ſolet.

Ad 3. quæſt. Reſp. Si τὸ extraordinarium reſpiciat vocationem immediatè à Deo factam, & ſingulis futuris miniſtris inſinuatam, fateor me doctè hoc ignorare: interim non negare, quin ita fieri potuiſſet. Sin τὸ extraordinarium reſpiciat infallibilitatem in ſalutaris doctrinę prędicatione; utique de memine hoc negare auſim, quippe imagine Dei, hoc eſt perfectâ ſapientiâ & juſtitiâ prædito. Sed hoc tum fuiſſet ordinarium, non minus quam ordinaria in omnibus & ſingulis tunc fuiſſet imago Dei.

Miniſteri poſt lapſum ſub fœdere gratiæ ſunt vel extraordinarii vel ordinarii. *Illi* ſunt vel veteris Teſtamenti ſeu veteris diſpenſationis, vel novi Teſtamenti, vel inter utrumque medii. Vet. T. extraordinarii ſunt, 1. Patriarchę. 2. Prophetæ. 3. Prophetiſſę.

** De V. T. Patriarchis.*

§. 2. Patriarchę vox ambigua eſt: tribuitur enim quibuſdam miniſtris eccleſiaſticis ſub V. & ſub N. T. & alicui nec ordinario nec extraordinario ſive

V.

V. ſive N. T. miniſtro. Quorum illi jure divino tales ſunt & in ſcripturis dicuntur: iſti & hi mero hominum arbitrio, inſtituto, & nuncupatione. Tale quid cœptum in antiquâ eccleſiâ, cum eccleſias orbis Romani in quatuor tetrarchias aut ſatrapias dividerent, & quatuor Patriarchis ſubjicerent, ad imitationem typhi ſęcularis, contra mandatum Chriſti Luc. 22. v. 25. 26. *Vos autem non ſic*, &c. & 3. epiſtol. *Johannis v.* 9. ubi notatur Diotrephes φιλοπρωτεύων. Quatuor illis Patriarchis dictis univerſalibus ſeu Oecumenicis uſque in hodiernum diem, Romano ſcil., Conſtantinopolitano, Alexandrino, Antiocheno (quibus dicis causâ additus fuit Hieroſolymitanus) poſtea creſcente corruptione & eccleſię regimine magis magiſque ſæcularizato, proximè & immediate ſubordinati fuerunt patriarchæ particulares ſeu nationales, qui primi ſeu mavis primates ſunt inter nationalis cujuſque eccleſiæ archiepiſcopos ſeu metropolitanos. Talis primas in Germaniâ erat Magdeburgenſis, in Angliâ Cantuarienſis, in Galliâ Senonenſis, &c. De talibus Patriarchis hic non agimus, ſed *lib. 4. ubi de hierarchiâ Papali.* Multò minus de Joſepho Chriſti ſecundum humanitatem putato patre; inſuper in ſcripturis (*Luc.* 2. *v.* 48.) nuncupato patre: quem nuper Pontificii novo *Patriarchæ* titulo, & novâ devotionis ac religioſi cultus methodo honorare cœperunt; eum tanquam intercesſorem & mediatorem apud B. virginem adhibendo. Ita teſtantur libelli ab ipſis editi. De quo in controverſiâ de idololatriâ Papatus diſceptandum.

Eſt & alia catachreſtica appellatio Patriarcharum, cum inſtitutores ordinum monaſticorum (e. gr. Benedictus, Bruno, Franciſcus) *Patriarchæ*; & monachi iſtius regulæ & inſtituti, eorundem *filii*, & *familia* dicuntur; atque adeo ex hoc fundamento legitimi hæredes bonorum cujuſque monaſticorum (e. gr. Benedictini, Benedicti) ſalutari volunt. De quo *Schioppii Aſtrum inexſtinctum*, contra Jeſuitarum ingluviem, qui monaſteria Benedictinorum cum reditibus in Germaniâ Principibus & Statibus Proteſtanticis erepta, non ſpe ſed re, ex donatione Imperatoris & approbatione Pontificis devoraverant.

Patriarchæ V. T., de quibus hic propriè agendum, fuerunt partim uſque ad diluvium; à diluvio, uſque ad Abrahamum; ab Abrahamo uſque ad Moſem. A condito mundo uſque ad diluvium numerantur decem, quos iſtis verſiculis memorialibus complecti ſoleo.

Adam, Sethus, Enoſch; Kenan, Machaleel, Jared.
Chanochus, cum Methuſalah, Lamechque, Noachus.

A diluvio uſque ad Abrahamum itidem decem his verſiculis compræhenſi.

Semus & Arphachſad, Scelach, Eberque, Phelegus;
Inde Rehou, Seroug, Nachor, Therachus, Abramus.

Ab Abrahamo uſque ad Moſen Iſaacus, Jacobus & duodecim filii Jacobi, Ruben, Simeon, Levi, &c. qui exſertè 12. Patriarchæ vocantur, *Actor.* 7. *v.* 29. De Patriarchis hęc quęri poſſunt.

I. *Quæſt. Quare peculiariter dicti ſint Patriarchæ?* *Reſp.* Non tantum quia communes quaſi ſtirpes erant, & capita gentium, aut tribuum inde deductarum & denominatarum: ſed etiam & præcipuè, quia vera religio, & eccleſię in familiis & poſteris eorum ſub eorundem ductu conſervatę & propagatæ ſunt. Unde eccleſiæ iſtorum temporum tam ante, quam poſt diluvium rectè dici poſſent *Patriarchales.*

II. *Quæſt. An omnes fuerint Prophetæ, & Doctores θεόπνευστοι, extraordinario ſuo miniſterio, ordinariis miniſtris præfecti & aſſiſtentes?* *Reſp.* Aff. Sic Abraham *Geneſ.* 20. *v.* 7. à Deo appellatur Propheta. Et *Hebr. v.* 1. cum *Luc.* 13. *v.* 28. nomine Prophetarum comprehenduntur. Et in Epiſt. *Judæ v.* 14. Enoch dicitur Prophetaſſe. An autem omnibus donum prophetiæ ſeu prædictionis futurorum æquè adfuerit, non puto ita liquere. Saltem de Noacho *Geneſ.* 6. *v.* 13. cum *Hebr.* 11. *v.* 7. Iſaaco *Geneſ.* 27. cum *Hebr.* 11. *v.* 21. Jacobo *Geneſ.* 49. cum *Hebr.* 11. *v.* 20. Joſepho *Geneſ.* 40. *v.* 8. 12. & 41. *v.* 16. 32. cum *Hebr.* 11. *v.* 22. negari non poteſt.

III. *Quæſt. An ſoli Patriarchæ, quique ſui ætate, eccleſiarum miniſtri erant.* *Reſp.* De miniſtris extraordinariis & θεοπνεύστοις diſtingui poſſet: quod ſcil. ſoli fuerint tales, cum per omne aut per aliquod patriarchatus ſui tempus nulli alii eſſent Prophetæ aut Doctores θεόπνευστοι: quod an, quando, quoties factum ſit, nobis non conſtat. Hoc ſaltem conſtat, non fuiſſe omnes Patriarchas per omne tempus Patriarchatus ſui ſolitarios Prophetas, Noacho ante obitum ex. gr. Semum in Prophetico & extraordinario munere coadjutorem, & Abrahamo Iſaacum, & Lothum, non magis abſurdum eſt; quam uno tempore plures fuiſſe in eccleſiâ Iſraeliticâ prophetas, ex. gr. Davidem & Gadum cum Nathane, Eliam cum Micha, &c. Quid? quod tempore Abrahami extra familiam & gentem Abrahamicam fuerit Melchizedek: de quo mox infra. Sed de miniſtris ordinariis omnino negandum puto. Neque enim poſſibile erat ut quiſque tempore patriarchatus ſui ex gr. Sethus omnes & ſingulas particulares eccleſias, ex poſteris ſuis collectas, publicè privatimque verbo, ſacramentis, ſacrificiis, cenſuris paſceret: non magis, quam Moſes, reliquique prophetæ ſoli abſque ordinariis ſacerdotibus & Levitis in tabernaculo, templo, ſynagogis omnia ſoli egerunt, aut agere, potuerunt. Ut enim extraordinarium propheticum miniſterium non tollit ſed ponit ac præſupponit ordinarium miniſterium ſacerdotum ac Levitarum, illudque juvat, dirigit, confirmat, corrigit; ſic & patriarchale.

IV. *Quæſt.*

Digitized by Google

IV. *Quæſt. An omnes patriarcharum filii dicantur aut dicendi ſint patriarchæ? Reſp.* Strictâ & propriâ acceptione, Neg. ſed tantum tales filii, per quos tanquam ſtirpes & capita ſive gentium ſive tribuum numeratur & deducitur ſucceſſio viſibilis eccleſiæ in hoc mundo, uſque ad Judam. *Geneſ.* 49. *v.* 8. 9. 10.) incluſè: à quo ſolo deinceps deducitur genealogia uſque ad Chriſtum *Math.* 1. *Luc.* 3.

V. *Quæſt. An Lothus inter patriarchas numerari debeat? Reſp.* Quamvis vir Dei eſſet, non tamen ita, ut alii, patriarcha dici poteſt: neque enim populi Dei veram religionem exercentis ab ipſo propagati, ſtirps & pater erat; ſed Ammonitarum ac Moabitarum. Sicut Japhet, Cham, Iſmael, Eſau, & filii Abraham ex Ketura non dicuntur patriarchæ; quia in ipſorum familiis, & poſteris religio & eccleſia conſervata & propagata non fuit.

VI. *Quæſt. An Melchizedek propriè dici poſſit Patriarcha. Reſp.* Orthodoxum & ordinarium Dei miniſtrum fuiſſe conſtat ex *Geneſ.* 14. & extraordinarium Chriſti typum *Hebr.* 5. & 7. Nec puto negandum, eum fuiſſe extraordinarium ac θεόκλητον infallibilemque eccleſiæ doctorem: propriè tamen dici nequit eum fuiſſe patriarcham; quia cum ἀγενεαλόγητος fuerit *Hebr.* 7. *v.* 3. dici nequit, in ejus familiâ & poſteriis ſub ductu ſuccedentium patriarcharum ſucceſſionem eccleſiæ continuatam fuiſſe.

VII. *Quæſt. An Jobus fuerit Patriarcha. Reſp.* Videtur negandum: ſiquidem ex poſteris Abraham ex Ketura, aut Eſau fuerit. Nullam enim Dei familiam & eccleſiam ex illo & in ipſius poſteris propagatam & conſervatam fuiſſe, aut per illam ſucceſſionis Patriarchalis lineam ductam fuiſſe, legimus.

VIII. *Quæſt. An Joſeph maritus B. Virginis à Pontificiis rectè dicatur patriarcha? Reſp.* Neg. aut enim phraſi eccleſiaſticâ aut ſcripturariâ dicitur Patriarcha. *Non illa*, quia ab illo tanquam ſtirpe nullus Dei populus, deſcendit; per quem vera religio ſub V. T. cuſtodita & propagata eſſet: ne quidem publicus, extraordinarius, infallibilis & quaſi univerſalis eccleſiæ iſtius temporis doctor fuit; quales Prophetæ Moſes & reliqui poſt illum. Adde, quod patriarchæ omnes propriè dicti fuerunt ante Moſen, reliquoſque prophetas priores & poſteriores; ut & eccleſiæ patriarchales, ante eccleſiam Moſaico Iſraeliticam: atqui tunc Joſephus non erat in rerum naturâ. Nihil aliud reſtaret, quam ut diceretur ejus patriarchatus fuiſſe aut in præcurſu ad Eccleſiam N. T. formandam, ſicuti miniſterium Joh. Baptiſtæ: aut ſub N. T. in eccleſiâ N. T. ſive apoſtolicâ, ſive poſt apoſtolicâ. Sed nihil iſtorum dici poteſt: quia ὑπεροχὴ patriarchalis ab apoſtolicâ & præcurſoriâ Baptiſtæ diſtincta eſt; eadem cum alterutrâ fingi nequit. Miniſterium enim præcurſorium in V. T. prædictum, nullum erat, niſi

Joh. Baptiſtæ. Apoſtoli nulli erant, niſi duodecim *Math.* 10. *Luc.* 6. *v.* 13. *Joh.* 6. *v.* 70. Poſt Chriſti aſcenſionem pręter ſubſtitutionem Mathiæ *Actor.* 1. *v.* 26. nulla mutatio incidit, niſi per acceſſionem. Pauli tanquam apoſtoli decimitertii *Rom* 1. *v.* 1. 5. 1 *Cor.* 9. *v.* 1. 2. & 15. *v.* 7. 9. 2 *Cor.* 11. *v.* 5. & 12. *v.* 11. *Galat.* 1. *v.* 1. 12. 15. 16. 17. & 2. *v.* 6. 7. 1 *Timoth.* 1. *v.* 12. Pręterquam quod ex nullis indiciis conſtet, Joſephum poſt Pentecoſten in exercitio miniſterii apoſtolici & in inchoatione ac plantatione eccleſiæ apoſtolicæ fuiſſe pręſentem: quin contra ſi non certò, ſaltem probabiliter ex *Johann.* 19. *v.* 26. 27. colligi videtur, eum ante mortem Chriſti hinc exceſſiſſe. Sic paſſim interpretes Pontificii: & hoc veriſimilius judicat. *Corn. à Lapide ad loc. cit.* Quod ad ſtatum eccleſiæ poſt-apoſtolicę, uti Joſephus, ſic ὑπεροχὴ patriarchatus ſive univerſalis ſive particularis tetrachicus (quem ad imitationem typhi ſæculi, & imperii Romani *Oecumenicum* vocant) ſive particularis nationalis, tunc non erant rerum naturâ: uti ſuo loco probandum erit. Ex hactenus dictis manifeſtum eſt, nec ſcripturæ, nec antiquę in imperio Romano eccleſiæ, nec ipſius Papatus phraſi Joſephum poſſe dici *Patriarcham.*

IX. *Quaſt. An ſub Veteri Teſtamento, alii prater nominatos hoc peculiari titulo Patriarcharum appellati ſint? Reſp.* Neg. Quod enim David *Actor.* 2. *v.* 29. appellatur Patriarcha, id de tali intelligendum non eſt, qualem nos deſcripſimus. Erat enim ille à prioribus & poſterioribus in iſtis diſtinctus 1. *quod* ſine verbo Dei ſcripto eccleſiis verum Dei cultum infallibiliter traderent: David vero tanquam Propheta eundem infallibiliter traderet; ſed non ſine verbo Dei à Moſe ſcripto, & deinceps à Prophetis prioribus *Pſ.* 19. *v.* 8.-13. collato cum *Pſal.* 103. *v.* 7. & 174. *v.* 19. 20. 2. *quod* capita & ſtirpes eſſent alicujus gentis, aut ad minimum diſtinctarum tribuum in unâ gente, in quâ vera religio & eccleſia ſub ductu Patriarchali propagata & conſervata fuit: David vero ſolummodo ſtirps, caput, & pater fuerit unius familiæ inter familias tribus Judæ; ex quâ proditurus eſſet Meſſias; qui peculiariter dicitur filius Davidis, filius Abrahami *Math.* 1. *v.* 1. Sic 1 *Paralip.* 8. *v.* 28. dicuntur multi Benjamitæ iſtic enumerati ראשי אבות, id eſt, *capita*, ſeu *Principes Patrum.* Ne autem vulgata verſio voce *Patriarcha* alicui ſcrupulum moveat, notandum omnem ambiguitatem tolli, ſubjectâ voce *ad generationes ſuas:* pro quo cap. 9. v. 9. *omnes iſti viri capita patrum ſuorum.* Et quod utrobique Gr. vertit ἄρχοντες πατριῶν. Ipſe vulgatus *cap.* 9. *v.* 9. ſecutus Gręcum transfert *Principes cognationum.* Quin etiam cum cap. 1. v. 28. ubi habet vocem *Patriarcha*, immediatè addit, *& cognationum Principes*; ſatis innuit, quid per Patriarchas intelligi velit. Hi enim ſimul plurimi erant in quâque tribu, (uti ex locis citatis apparet:) ſed Patriarchę,

Digitized by Google

archę, quales nos deſcripſimus, & per quos tanquam capita univerſalia gentium & tribuum, ſucceſſio eccleſiæ Patriarchalis ducitur, uno tempore tam multi non fuerunt.

X. *Quæſt. An omnium Patriarcharum filii fuerint Patriarchæ propriè dicti, aut ſaltem Doctores extraordinarii & infallibiles? Reſp.* Neg. Capita gentium fuerunt, ut ex *Geneſ.* 10 & 11. colligimus, non tamen Patriarchæ propriè dicti, per quos rectâ linea genealogiæ ſacræ ducitur, aut in quorum poſteris conſervata & propagata fuit vera religio & eccleſia Dei, uſque ad adventum Meſſiæ. Familię aliquæ fideles per poſteros eorum ſparſę (quales aliquas fuiſſe haut negandum) non faciunt corpora nationum, nec eccleſiam catholico-Nationalem, qualis erat Iſraëlitica. Quo reſpectu dicitur *Actor.* 14. *v.* 16. quod Deus ſiverit præteritis ætatibus omnes gentes ire, &c. & *Rom.* 11. *v.* 12. 13. 15. gentes mundi opponuntur Iſraëli. Et *Pſalm.* 147. *v.* 19. 20. quod Iſraëli dederit, &c. non autem ſic fecerit omni nationi. Quod ad Patriarcharum filios Cainum, Iſmaëlem. Eſauum, & ſimiles; quis dicet eos fuiſſe aut Doctores *θεοπνεύστους*, aut in familiis & poſteris eorundem veræ religionis & eccleſiæ ſucceſſionem conſervatam fuiſſe?

XI. *Quæſt. An neceſſario in ordinem Patriarcharum ſucceſſerint primogeniti. Reſp.* Ut plurimum ſic factum fuiſſe non nego: cum ſcil. nullum impedimentum canonicum (ita loquar) interveniret. Aliquando tamen aliter eveniſſe conſtat in ſequentibus Patriarcharum primogenitis Caino Adami, Japheto Noachi, Harane aut Nachore Terachi, (de duobus his vide notas & commentar. ad *Geneſ.* 10. *v.* 2. 21. & 11. *v.* 27.) Eſauo Iſaaci.

XII. *Quæſt. An aliquando in eccleſias Patriarchales idololatria, ſuperſtitiones, & errores irrepſerint; & illa ad tempus, ſecundum potiorem & tunc prævalentem partem deformata fuerint; atque adeo vera eccleſia in his terris ſucceſſio tunc interrupta fuerit? Reſp.* pr. Aff. 1. *Ex Geneſ.* 31. *v.* 30. 34. Ubi Laban dicitur, ad cultum Dei adhibuiſſe *teraphim.* 2. *Ex Joſua* 24. *v.* 2. ubi dicitur majores Iſraëlitarum, nominatim Therachum, Nachorem, Abrahamum ſerviiſſe idolis. 3. *Ex* receſſione Abrahami ab iis, & religionis reformatione per ipſum in familiam introductâ & ad poſteros tranſmiſſâ. Adde hic collapſi cultus reformationem per Sethum *Geneſ.* 4. *v.* 26. & Noachum *Geneſ.* 6. cum 2 *Petr.* 2. *v.* 5. *Poſter. Neg.* Nunquam enim eccleſiæ & populi Dei ſucceſſio, jam inde à novi fœderis poſt lapſum doctrina, fide, diſpenſatione, in his terris abrupta aut totaliter interrupta fuit; nec in poſterum erit uſque ad finem mundi. Prius membrum probatur ex *Geneſ.* 3. *v.* 16. cum *Hebr.* 1. *v.* 1. & *cap.* 11. *v.* 4.-23. ab Abel uſque ad Moſen. Poſterius membrum probatur ex *Luc.* 1. *v.* 33. cum

Math.

Digitized by Google

Math. 28. *v.* 19. Succeſſio autem illa eccleſiarum Patriarchalium ad eum fere modum explicanda & defendenda, quo ſucceſſio eccleſiæ Iſraëliticę ſub judicibus & regibus: ubi in maximâ & totali corruptione ſemper reliquiæ aliquæ in ſynagogis aut clandeſtinis conventibus, aut familiis fidelium conſervatæ ſunt. Vide *Jeſa.* 8. *v.* 18. & 53. *v.* 1. cum *Rom.* 11. *v.* 3.-6. Quo reſpectu in ipſiſſimâ corruptionis ἀκμῇ à ſervatore dictum, *ſalus eſt ex Judæis* Joh. 4. v. 22. Conferenda quæ de ſucceſſione eccleſiarum in occidente in maximis tenebris Papatus 11. & 12. ferreis ſæculis per teſtes veritatis partim ſub ipſo Papatu Romano, partim extra Papatum tum in Oriente tum imprimis in Occidente inter Waldenſes & Pedemontanos, diſceptamus in *Deſper. causâ*, &c. *lib.* 3. *ſect.* 1. & 2. Difficillima objectio contra eccleſiæ Patriarchalis ſucceſſionem (quam referimus in *Deſperat. cauſa Papatus lib.* 3. *ſect.* 1. & 2.) formari videtur ex corruptione eccleſiæ & familiæ patriarchalis Terachi: ad quam reſponderi poteſt non probari ex textibus ſupra citatis, omnes cœtus ſive apertos, ſive à ſuis ſuperioribus defenſos aut toleratos, ſive clandeſtinos aut omnes particulares familias, aut omnes & ſingulos miniſtros ordinarios, aut omnia & ſingula eccleſiæ membra à communi fide & profeſſione, & quidem fundamentalium, totaliter defeciſſe: non magis quam de eccleſiâ ſub judicibus, & regibus Juda & Iſrael hoc probari poteſt. Inſuper dato ipſum patriarcham Therachum idôlolatriæ implicitum fuiſſe: illud non tam de decretoriâ ipſius cognitione, profeſſione, ac traditione intelligendum eſſet; quam de conniventiâ, aut aliquâ praxios συγκαταβάσει; & participatione. Haut aliter, ac de praxi idololatricâ θηλυμανοῦς Salomonis 1 *Reg.* 11. *v.* 4.-9. & de Petri ſimulatione *Gal.* 2. judicamus.

XIII. *Quæſt. An patriarchæ & eccleſiæ patriarchales eandem doctrinæ, fidei, religionis formam, cum Moſaicâ ſub. V. T. & cum Chriſtianâ ac apoſtolicâ ſub N. T. habuerint & exercuerint, & habere atque exercere debuerint.* *Reſp.* 1. Aff. convenientia ejus cum Moſaicę ſub V. T. tum quod ad legis moralis & Euangelii doctrinam, tum quod ad Oeconomicam utriuſque traditionem uſque ad tempus correctionis. Adde quæ partim ad legem moralem, partim ad ceremonialem referri poſſunt, qualia ſunt *vota*, Geneſ. 28. v. 20. *decimæ*. ibid. v. 22. *benedictiones* Gen. 14. & 27. & 48. & 49.

Sed forte objiciat quis.

1. *Object.* Non fuit talis lex ceremonialis nec tales fuerunt typi: *Reſp.* typi fuerunt ſive facti, ſive deſtinati: ut e. gr. Iſaac *Geneſ.* 22. aut arca Noachi *Geneſ.* 7. cum 2 *Petr.* 3. Fuit etiam lex & cultus ceremonialis: quamvis non quod ad omnia particularia & circumſtantialia; ſaltem quod ad

ad potiores ejus partes: qualia erant ſacrificia *Geneſ.* 4. & 9. & 15. Quibus adde obſervationem ſabbathi *Geneſ.* 2. cum *Exod.* 16. & circumciſionem, quæ ſub Abrahamo demum acceſſit *Geneſ.* 17.

2. *Object.* Non videtur probari poſſe convenientia patriarcharum & patriarchalium in doctrinâ, fide, religione cum eccleſiâ N. T. Ubi ſunt textus in V. T. libris hiſtoricis & dogmaticis, qui illud doceant? *Reſp.* præſuppoſitum & poſtulatum eſt plane abſurdum & iniquum. Neque enim hiſtoria ſacra quoties refert vitam & ſeriem patriarcharum e. gr. Sethi, Noachi, Abrahami, atque una meminit eorundem fidei, juſtitiæ, religionis; toties ſub formâ catecheſios, aut confeſſionis, aut locorum communium, aut ſyſtematis explicat, quæ fuerint dogmata fidei particularia, quæ ſtatuta religionis ipſorum. Ne quidem talis hypotypoſis ſeu compendioſa aut prolixa explicatio alicubi in libris hiſtoricis & dogmaticis N. T. nedum in libris V. T. commonſtrari poteſt. Omnes reformati ſentiunt tale quid abſurdè poſtulari à Pontificiis, ſcripturæ neceſſitatem, auctoritatem, perfectionem fruſtra oppugnantibus. Abſurdè ergo petitur, ut quis patriarcharum & patriarchalium eccleſiarum, fidem, doctrinam, religionem, eandem cum noſtrâ Chriſtiana & reformatâ, probet ex primis ſex capitibus Geneſios; & rurſum ſequentium patriarcharum à Noacho ad Abrahamum ex *Geneſ. cap.* 12.-26. excluſè. Sufficienter ex *Joh.* 8. v. 56. *Rom.* 4. *v.* 2. 3. 9. 13. 23. 24. *Galat.* 3. *v.* 6. 8. & *v.* 22.-29. *Hebr.* 11. *v.* 8.-20. Abrahami fides & religio, quod ad eſſentiam, eadem cum noſtrâ probatur. Similiter de aliis patriarchis, prophetis, & fidelibus ſub V.T. judicandum eſt; uti conſtat ex *c.* 11. ad *Hebræos*, coll. cum *c.* 1. *v.* 1.

3. *Object.* Quæ inſtantia eſt objectionis ſecundæ. Si pentateuchus Moſis ante edita & in canonem repoſita ſcripta prophetarum, unica fidei & religionis fuerit regula: ſequitur omnia quę ad veram fidem & religionem pertinent, plenè, explicatè, perſpicuè illic ſcribi debuiſſe; ut fideles tunc viventes ex pentateucho, & poſteri eorum ex eodem unà cum additis ſcriptis prophetarum illa percipere potuiſſent, non minus ac populus Dei ſub N. T. ex libris V. & N. T. Atqui in ſolo pentateucho, aut in pentateucho cum Prophetis fundamentalia & neceſſaria fidei ac religionis ſcripta non exſtant. *Reſp.* 1. *Majoris* conſequentiam negamus. Longè enim diverſa ratio fuit fidelium ſub patriarchis & prophetis, quam ſub N. T. *Illis* enim præſto erat aſſiſtentia ſpiritus prophetici & ductus doctorum θεοπνεύστων; ad quorum traditionem per vivæ vocis oraculum in caſu ignorantiæ, dubitationis, obſcurationis, deformationis, eccleſia poterat recurrere: ut ex. gr. ad θεοπνεύστων inſtauratorem & reformatorem Sethum, Noachum, Abrahamum, Moſen, Samuelem, Jeremiam, Eliam, &c.

qui omnes ante abſolutum V. T. canonem floruerunt. *Iſti* θεόπνευστοι doctores ſive prophetæ ſive apoſtoli non ſemper aſſiſtunt : nec hoc Deus promiſit, poſtquam ultimo locutus eſt per filium *Hebr.* 1. *v.* 1. ejuſque apoſtolos; & canonem per tot hiſtoricos ac dogmaticos, atque unum propheticum N. T. libros adauxit. *Reſp.* 2. Minorem negamus. Eſſentialia & fundamentalia fidei & religionis Chriſtianæ in Moſę & prophetis ſcripta eſſe, invictè probatur ex *Luc.* 24. *v.* 25. 27. *Actor.* 10. *v.* 45. & 26. *v.* 22. *Rom.* 1. *v.* 2. *Epheſ.* 2. *v.* 19.-22. 1 *Petr.* 1. *v.* 10. 11. quibus junge tot particulares citationes locorum V. T. à Chriſto & apoſtolis factas & dogmatis fidei in libris N. T. perſpicuè propoſitis applicatas.

Non poſſint ergo Sociniani, Remonſtrantes, & quicunque eos hac in parte ſequuntur, nobis inſultare, ſi ſub V. Teſtamento ſalvandis mandata fuit fides in Chriſtum, *cedo locum.* Quod ſi illi, ſi ego inſpectis ſolis V. T. locis, abſque collatione cum textibus N. T. tam ἀνόητοι & βραδεῖς eſſemus, ac diſcipuli illi *Luc.* 24. 25. quomodo amplius in ignorantiæ aut dubitationis ergaſtulum nos compingi patiemur, poſtquam ipſe ſervator & apoſtoli tum indefinitè dixerunt omnia illa libris V. T. contineri, tum definite tot particularibus textibus apud ignorantes aut errantes Judæos allegatis, eoſdem convicerunt. *Actor.* 2. *v.* 16.-42. & 13. *v.* 43. 48. & 14. *v.* 21. & 15. *v.* 15. 21. & 17. *v.* 11. 12. & 18. *v.* 28.

Hic nihil excipi poteſt, niſi dicatur, Chriſtum & apoſtolos pervertiſſe ſenſum ſcripturæ V. T., & malè inde theſin & cauſam ſuam probaſſe, aut ſcripta N. T. tum hiſtorica tum dogmatica non eſſe authentica.

4. *Object.* Quæ ſecundę objectionis ſecunda inſtantia eſt : Atqui Deus non ſimul, ſed ſucceſſivè per ſęcula patriarchis & per eoſdem eccleſiis patriarchalibus neceſſaria fidei & religionis dogmata ac ſtatuta revelaſſe videtur: eo modo & ordine, quo Moſes *Geneſ.* 3. - 9. & rurſum *Geneſ.* 12. 18. aut 19. hiſtoricè de patriarchis ſcribit. *Reſp.* Nititur hæc objectio falſa hypotheſi : quaſi ſcil. Deus ex. gr. Setho, aut Noacho, aut Abrahamo, & per eos eccleſiis iſtorum temporum aut nulla aut non plura particularia & neceſſaria fidei dogmata ac religionis ſtatuta revelâſſet, quam quę Moſes hiſtoricè & exſertè capp. cit. deſcripſit. An ergo Sethus aut Noachus & eccleſiæ fidelium ab illis collectæ ac reformatæ ignoraſſent, aut non credidiſſent capita de Deo uno & trino, de lapſu Adami & peccato originali, de novo fœdere gratiæ & promiſſionibus Euangelii, de Chriſti θεανθρώπου perſonâ, ſtatibus, officiis, impetratione & applicatione ſalutis, de reſurrectione mortuorum, beatitudine cœleſti, pœnis infernalibus, judicio extremo, de præceptis decalogi, de lege ceremoniali, & cultu œconomico uſque ad tempus correctionis obſervando? Quia ſcil. *Geneſ.* 4. & 5.
aut

aut *Geneſ. 6.-10.* à Moſe explicata, aut ſaltem indigitata & numerata non ſunt? Quaſi diſtingui non deberent dogmata fidei quę illis revelâta, & ab illis tradita ac credita fuerunt, ab hiſtoriâ Moſis quæ in genere pietatem, & religionem illis tribuit: ſed non addit particularia officia & facta eorum, in quibus pietas & religio eorum conſiſteret? An non ex *Hebr.* 11. *v.* 6. & deinceps manifeſtè docemur Abelem, Enochum, Noachum eandem fidem habuiſſe cum ſequentibus patriarchis ac prophetis, & neminem eorum ſine hâc verâ fide Deo potuiſſe placere *v.* 6. cum *Actor.* 4. *v.* 12. *Johann.* 3. *v.* 36. & 14. *v.* 6. & 17. *v.* 3. *Jeſa.* 53. *v.* 10. 11. 1 *Joh.* 5. 4. 10.

XIII. *Quæſt. An ſub patriarchis conventus eccleſiaſtici non tantum topici, ſed & diſtrictuales, immo & generales fuerint: & quinam iſtos potuerint conſtituere. Reſp.* Ad pr. de facto nihil certi habemus: maximè tamen probabile eſt fuiſſe. *Ad poſter.* miniſtri extraordinarii & *θεόπνευστοι*, cum ordinariis; quamvis non pari poteſtate: ut in ſynodo apoſtolicâ *Actor.* 15. ubi erant apoſtoli, presbyteri, fratres. Atque hęc de patriarchis pro inſtituto noſtro. Singulorum plena diſcriptio, prout ex ſcripturis ea haberi poteſt, ad tractationem hiſtoricam releganda eſt: quam ſi diſcipuli noſtri adhibito *Ravanelli* theſauro aut concordantiis Biblicis, proprio Marte ſubinde delineaverint, operam non luſerint. Quod ad quæſtiones & dubia, ſi quę circa proſopographiam & hiſtoriam patriarcharum oriantur, ad eorum enodationem conferri poterunt, ab iis quibus vacat, commentatores in *Geneſin*, *annales ſacri Saliani*, & *Tornielli*, *hiſtoria ſacra Jacobi Capelli*, & commentationes ad *Sulpitium Severum*, *Sigonii*, *Druſii*, *Hornii*, *Schotani*, etiam *Danæi prima ætas mundi ſect.* 3. 4. *Joh. Owenus in tract. de theologia naturâ, ortu, progreſſu* anno 1661. plurima notavit ad hiſtoriam patriarchalem pertinentia. Paradigma talis deſcriptionis, ex ſolis ſcripturis, ſed formâ ac methodo logicâ, dedit *Abrahamus Scultetus in Johanne Baptiſtâ* anno 1610. Partialem & comparativam deſcriptionem perſonarum, Adami, Melchiſedeci, Iſaaci, Moſis, Aaronis, Joſuæ, Davidis, Salomonis, Jonæ, & rerum agni paſchalis, mannæ, ſerpentis ænei inſtituit præceptor noſter *Gomarus in epitome locorum communium*, partiales deſcriptiones per quæſtiones anno 1616. in Academiâ Groningana publicis diſputationibus proponebat *Hermannus Ravensbergerus*; quarum iſti erant tituli, *Adamus proſper*, *Adamus miſer*, *Abrahamus miles*, *Iſaacus heres*, *Jacobus exul*, *Joſephus præſul.* Pleniſſimam & accuratiſſimam diſquiſitionem proſographicam *Melchiſedeki* 14 diſpp. in hâc Academiâ anno 1644. propoſitis dedit Clariſſ. collega noſter *Carolus de Maets ὁ μακαρίτης.* Cujus conſtantem veritatis ſecundum pietatem amorem ac profeſſionem, eximiam diligentiam, multiplicem eruditionem & lectionem, variarum opinionum col-

collationem & excuſſionem, ſubactum & perſpicax judicium in aliis proſopographiis & cujuſcumque hiſtoriæ ſacræ, atque univerſæ theologiæ partibus, ut φιλομαθεῖς noſtri imitari conentur, etiam atque etiam rogo. Poſt omnes alios Clariſſ. *D. Heideggerus exercitationibus ſuis* tit. ראשי אבות anno 1667. editis in *hiſtoriam patriarcharum* inquiſivit.

* *De Prophetis.*

§. 3. Quid ſit prophetia, ſeu quæ ejus natura & proprietates, & quodnam ſit munus prophetarum, quidque ſtatuendum de multis putatitiis aut affectantibus prophetis, alibi pro modulo diſquiſivimus, in 2. *part. ſel. diſp. titulis de prophetiâ*, *de probationibus ſpirituum*, de charismatis. In præſenti nobis conſiderandi ſunt, tanquam miniſtri extraordinarii, in ſalutari doctrinâ infallibiles; ſive donum prædicendi futura quædam aut quævis particularia facta & eventa, illo tempore habeant, aut exerceant; ſive non.

Diviſiones prophetarum ſint iſtæ.

I. *Alii* ſunt viri e. gr. Moſes, Samuel, David, &c. alii fæminæ, ut Debora, Hulda, Anna, filiæ Philippi *Act.* 21. *v.* 6.

II. *Alii* ſunt ſub V. T. Alii ſunt N. T.; *alii*, medii. *Illi* ſunt Moſes, David, Jeſaias, Daniel, &c. Debora, Hulda, &c. cum Patriarchis, quatenus ſcil. conveniunt cum prophetis, & munus propheticum in ſe continent. *Iſti* ſunt Agabus, & filiæ Philippi. An & quales ſint *Actor.* 13. 1 *Cor.* 14. quæſitum fuit in 2. *part. ſelect. diſp. tit. de chariſmatis. Medii* ſunt Simeon, Zacharias, & Anna *Luc.* 1. & 2. Qui viderunt Chriſti adventum & incarnationem: ſed finem Teſtamenti veteris (ita dicti, quod ad modum diſpenſandi) & principium novi, poſt pentecoſten inchoati *Actor.* 2. eoſdem vidiſſe vix veri ſimile. De Simeone expende Textum *Luc.* 2. *v.* 26. - 33. De Zacharia *Luc.* 1. *v.* 7. idem dici poſſet.

III. *Alii* ſunt extraordinarii, quod ad vocationem & miſſionem plane immediatam; quales plerique: *alii* extraordinarii quod ad donum & munus, non tamen quod ad vocationem, quippe mediatè vocati & ſanctificati per homines: qualis eſt Elizeus, cui inter apoſtolos hâc in parte ſimilis eſt Mathias *Actor.* 1.

IV. *Alii* ſimul cum extraordinario munere prophetico habuerunt ordinarium *eccleſiaſticum*, (ſacerdotale ſcil. aut Leviticum) ut Jeremias *Jer.* 1. *v.* 1. Ezechiel, *Ezech.* 1. *v.* 3. *Alii* non habuerunt, ut Daniel, qui erat ex familiâ regiâ (*Dan.* 1. *v.* 3. & conſequenter ex tribu Juda; ad quam ſacerdotium non pertinebat, *Hebr.* 7. *v.* 14.) Qui tamen munere politico functus eſt, uti & Moſes, David, Salomon.

V. *Alii* perpetui Prophetæ hoc dono à Deo ab adoleſcentiâ præditi, illud.

Iudque exercentes, ut Samuel 1 *Sam. 3. v. 4.* Jeremias *Jerem. 1. v. 5.*, & inter Patriarchas Joſephus *Geneſ. 37. v. 5.* *Alii* in confirmatâ ætate à Deo ad hoc opus vocati, ſeparati, & neceſſario chariſmate inſtructi fuerunt : ut Amos, & Elizeus. *Alii* occaſione aliquâ ſubito à Deo excitati ad hunc aut illum actum propheticum exercendum; quos probabile eſt poſtea, ſaltem ordinario & perpetuo muneris prophetici partibus functos non eſſe. Quales Jehaziel 2 *Paralipom. 20. v. 14.* & Eldad, ac Medad *Numer. 11. v. 26. 7.* fuiſſe videntur.

VI. *Alii* in toto Iſraële, ut Moſes, Samuel, Ahia Silonites, &c. *Alii* in Juda, ante captivitatem, ut Jeſaias, Jeremias, &c. poſt reditum ex captivitate ut Haggeus, Zacharias, Malachias. *Alii* in decem tribubus, ut Elias, Elizeus, Michas filius Jemla : *Alii* inter Judæos ſed in Babylonicâ captivitate, ut Ezekiel, Daniel. *Alii* extra populum Dei inter Gentiles prophetârunt, ut Jonas. An præter ipſum alius quis Propheta ex mandato Dei hoc egerit, ignoro. Inter Patriarchas credibile eſt Noachum juſtitiæ præconem non tantum hominibus de eccleſiâ, ſed etiam extraneis prędicaſſe ex *Geneſ. 6. v. 12. 13.* cum *Hebr. 11. v. 7.* 1 *Petr. 3. v. 19. 20.*

VII. *Alii*, qui vivâ voce tantum: Alii qui & voce & ſcriptis in canonem illatis eccleſiam ædificarunt. Ex prioribus ſunt Elizeus, Eldad, Medad; & in N. T. Agabus. Addunt nonnulli Prophetas 1 *Cor. 14.* qui an omnes aut aliqui inter ipſos fuerint Prophetæ, antehac quæſivimus *part. 2. ſelect. diſp. tit. de chariſmatis*; & *polit. eccleſ. tract. 3.* ſupra *part. 1. lib. 2. tr. 3. cap. 2.* Poſteriores ſunt Moſes, Samuel, David, Salomon, Heman, Aſaph, & quatuor magni & 12. parvi Prophetę; & in N. T. Johannes ſcriptor Apocalypſios.

VIII. Ex Prophetis ſcriptoribus alii involucris viſionum, actionum, phraſium ſymbolicarum prophetârunt : *Alii* de plano hiſtorias futurorum (quas liceat *Propheticas* appellare) proponunt. Ex prioribus ſunt, Jeſaias in prophetiis oneroſis inchoatis à voce *maſſa.* i. *onus*; quibus ſignatè Gentibus futura excidia denuntiat. Ex poſterioribus *Zacharias cap. 1. - 7.* Ezechiel *cap. 40. - 48.* Johannes in *Apocalypſi*: ubi per tubas, phialas, beſtias, locuſtas, mulierem amictam ſole, mulierem matrem ſcortationum, &c. varia proponit Eccleſiæ N. T. mutationes concernentia. Poterit aliquando ab illis, quibus vacat, conferri *Jeſuita Maximil. Sandeus*, qui iſta operosè in *tract. de theologiâ ſymbolicâ* explicuit.

Opponuntur Prophetis Dei, pſeudo-Prophetæ : quorum ut numerus nunquam defuit, ſic frequens eorundem mentio in V. T. *Jerem. 23.* 1 *Reg. 18. 22.* 2 *Reg. 10.* etiam in N. T. *Math. 7.* & *24.* 1 *Timoth. 4.* 1 *Joh. 2.* & *4.* 2 *Petri 2.* in epiſt. *Jud.* Dicuntur autem alii pſeudo-prophetæ,

qui veræ fidei adverſa proponant: vel ſpecialiter, qui futura falſo prædicunt, ut 1 *Reg.* 22. *v.* 21. 22. Ad quos refer pſeudo-prophetas diabolicos, ſtrictè ſic dictos, magos & divinaculos: quales Bilęam *Numer.* 22. & *Jeſa.* 8. Elymas *Actor.* 13. & Simon Magus *Actor.* 8. de quibus alibi actum. De pſeudo-prophetis in eccleſiis poſt-Apoſtolicis, ſive peculiares & extraordinarias revelationes præ ſe tulerint, ſive ordinariam & communem ſcripturæ revelationem, ſcriptores indicavimus in 3. *part. ſelect. diſpp. tit. de hæreſi.*

* *De Prophetiſſis V. & N. T.*

§. 4. 1. Sub V. T. Prophetiſſe dicuntur Mirjam *Exod.* 15. *v.* 20. Debora, *Judic.* 4. *v.* 4. Hulda, 2 *Reg.* 22 *v.* 14. cum 2 *Paral.* 32. *v.* 22. uxor Jeſaiæ *Jeſa.* 8. 3. ſub N. T. quatuor filiæ Philippi *Actor.* 21. In ſtatu inter V. & N. Teſtamentum intermedio, Anna Phanuelis. De quâ aliiſque, ut Mirjam, matre Samuelis, matre Salomonis; uxore Iſaiæ, B. Virgine, Elizabethâ in quęſtionibus ſubjectis, agendum.

Opponuntur Prophetiſſis, pſeudo-prophetiſſæ: quales Noadiah *Nehem.* 6. *v.* 14. & *Ezech.* 13. & in N. T. Jezabel *Apocal.* 2. Huc refer Pythoniſſam 1 *Sam.* 28. & puellam Pythonicam *Actor.* 16. De Helena, Philumena, aliiſque Pſeudo-prophetiſſis in eccleſiis poſt-Apoſtolicis, præſertim revelationes jactantibus (quales Mechtildis, Brigitta, Catharina Senenſis, &c.) vide 2. *part. ſelect. diſpp. tit. de Prophetiâ*, &c. Et ſupra *lib.* 1. *tr.* 3. *cap.* 23.

Quæſtiones de mulieribus prophetiſſis ſunt.

I. *Quæſt. An prophetiſſæ V. T. publicè in aut coram eccleſiâ aliquando docuerint aut locutæ ſint? Reſp.* Non videtur abſurdum ſi de Deborâ, & Mirjam hoc affirmetur. Deborę canticum publicè ab ipſa pronuntiatum & cantatum fuit Judic. 5. v. 1. 2. & v. 7. vocat ſe *matrem in Iſraele.* Mirjam item canticum euchariſticum publicè pronuntiavit & populo præivit *Exod.* 15. *v.* 20. 21. Eidemque applicandum, quod de revelatione prophetis facta dicitur *Numer.* 12. *v.* 2. Nec prętereundum eſt, quod *Mich.* 6. *v.* 4. Deus dicat ſe ante faciem populi Iſraelitici miſiſſe Moſem, Aaronem, & Mirjam.

II. *Quæſt. An præter nominatas plures ſub V. T. prophetiſſæ fuerint? Reſp.* Si ſtrictè vocem prophetiæ & prophetiſſæ accipias: non ita affirmari poteſt. Sin eâ ſignificatione, quâ 1 Corinth. 11. v. 4. 5. *quilibet vir orans aut prophetans*, &c. *quælibet mulier orans aut prophetans*, &c. (vide ibi comment.), affirmatur fuiſſe prophetiſſas conſtitutas, quæ juxta cum Levitis cantoribus publicè canerent in eccleſiâ: quales ex captivitate dicuntur rediiſſe *Ezr.* 2. *v.* 65. ducentæ, diſtinctæ à ducentis cantoribus.

Mu-

Digitized by Google

Mulierum enim voces conſtantes (aliter ac virorum, quæ ordinariò in pubeſcentibus mutantur) acutæ & ſuaves, ad ſuperioris cantum in harmoniâ præſtandum, quam maximè ſunt idoneæ. Et tales mulieres cantatrices comprehendi poſſunt ſub genere mulierum, quæ (*1 Sam. 2. v. 22.*) gregatim conveniebant ad oſtium tabernaculi. *Aliæ* ſunt mulieres cantatrices, quæ voluntario, ad epinicia & geſta heroum decantanda conveniunt, quales *1 Sam. 18. v. 5. Judic. 11. v. 34.* An loca, *Pſal. 68. v. 12. & v. 26* de voluntariis, an vero de cantatricibus publicâ autoritate ſelectis & conſtitutis intelligenda ſunt, diſquiri poſſet. *Aliæ* etiam ſunt cantatrices, quæ oblectationis causâ à potentioribus advocantur; de quibus *Eccleſ. 2. v. 8.* Porro mulieres ſub V. T. potuiſſe admitti ad ſocias & publicas hymnodias in eccleſiâ, analogicè colligere licet ex praxi ſub N. T. ad quam hortatur apoſtolus *Coloſſ. 3. v. 16.* & cum *Epheſ. 5. v. 18. 19.* quod non tantum de viris ſed etiam de mulieribus intelligendum eſt. In antiquâ eccleſiâ mulieres in eccleſiâ ceciniſſe teſtis eſt *Clemens Alexandrinus* (qui floruit anno 204.) „in protreptico ad Gentes: Hic, inquit, eſt mos Deo dilectus, &c. In „eo autem, bacchantur non fulmine ictæ Semelis ſorores Mænades, &c. „ſed Dei filiæ, pulchræ agnę, &c. pſallunt puellę, gloriâ afficiunt angeli, „prophetæ loquuntur, editur ſonus muſicus. *Iſidorus Peluſiota lib. 1. epiſt. 90.* quamvis propter abuſus, qui irrepſerant, velle ſe oſtenderet, ut mulieres deſiſterent à cantu in eccleſiâ: fateri tamen cogitur, *apoſtolos ſapienti conſilio* (σοφῶς) *permiſiſſe, ut mulieres in eccleſiâ canerent.*

CAP. II.

De miniſtris extraordinariis ſub Novo Teſtamento: & primum de Apoſtolis.

Apoſtolus eſt miniſter N. T. infallibilitate in doctrinâ, & variis chariſmatis præditus, ad primam & univerſalem quarumcunque eccleſiarum plantationem, formationem, & reformationem, à Chriſto immediatè vocatus. In hâc deſcriptione primum explicandum nomen rei deſcriptæ. In quo conſideranda, 1. Origo. 2. Synonymia. 3. Conjugatio ſeu συζυγία 4. Homonymia. §. 1.

1. *Apoſtolus* ἀπόστολος *1. Miſſus, Nuntius, Legatus*: ab ἀποστέλλω *mitto*: unde ſelecta hæc eccleſiæ N. T. ædificandæ organa, & Θεοῦ συνεργοῦντες *2 Cor. 6. v. 1.* κατ' ἐξοχὴν & appropriatè dicuntur Apoſtoli. Qui eos peculiariter adhoc elegit, *Actor. 1. v. 2.* cum *Luc. 6. v. 13. Joh. 6. v. 70.* vocavit. *Rom. 1. v. 2.* miſit *Joh. 20. v. 21. ſicut miſit me pater, & ego mitto vos.* Confer *Math. 28. v. 19.*

II. *Synonyma* ejus in linguâ Gr. N.T. ſunt ἀπεσταλμένος, *miſſus* Joh. 9. v. 7. quo explicatur vox Syriaca vel Chaldaicâ שלוחא *ſchiloucho*: quæ Græcorum more ibi ſcribitur *Siloam*. Eſt & alterum eâdem linguâ ſynonymum, ἄγγελος Nuntius Marc. 1. v. 2. ab ἀγγέλλω *nuntio* Hebr. מלאך *malach*; quo nomine omnes miniſtri verbi tam in V. quam N. T. appellantur *Malach. 2. v. 7.* cum *Apocal. 2. v. 1.* 8. &c. Tertium in eâdem linguâ ſynonymum eſt πρεσβεὺς *legatus*: quod quidem in N. T. κατὰ τὸ ῥητὸν non invenitur, ſed κατὰ συζυγίαν, ut *Luc. 14. v. 32* & *19. v. 14.* ubi abſtractum πρεσβεία *legatio*; & 2 Cor. 5. v. 20. ubi verbum πρεσβεύω *legatione fungor*. Synonymum in linguâ Hebræâ eſt שלוח *ſchalouach*, (aut שליח *ſcheliach* more Ghaldaico ex participio *pehil*) *miſſus* à rad. שלח *ſchalach* mitto: Non occurrit hoc nomen verbale in V. T. ſed analogicè à verbo שלח formatum & uſurpatum eſt apud Thalmudiſtas & Rabbinos. Eâdem *anonymus*, quiſquis eſt, autor tranſlationis Hebraicæ Euangelii ſecundum Mathæum (edit. *Munſteri*) & *Hutterus in ſuâ N. T. tranſlatione Hebraicâ*, paſſim utuntur. Synonyma in linguæ Hebraicæ filiabus ſeu dialectis Chaldaicâ, Samaritanâ, Syriacâ, שליחא *ſchelicha* aut *ſchelicho* ab eâdem radice derivata ſunt. Synonymum in linguâ Arabica eſt רסול *raſoul* & cum articulo præpoſitivo *arraſoul*: quo interpres Arabs paſſim in N. T. utitur; eodem & Perſicus: à radice רסל *raſala miſit*, *legavit*. Eo nomine Muhammediſtæ vocant Moſen, Chriſtum, Muhammedum; & hunc καθ' ἐξοχὴν רסול אללא *raſoul alla* i. *Legatus Dei* ſeu *Apoſtolus Dei*. Et ſic in communi ſymbolo ſeu fidei confeſſione, quam edere tenentur. Eundem καθ' ἐξοχὴν etiam nominant Prophetam אלנבי *annabi*. Præter מלאך *Malach*. i. legatus, *nuntius*, *angelus* eſt & alterum ſynonymum in linguâ Hebrea V. T. ציר *tſid* i. *legatus* Prov. 25. v. 13. *Jeſa. 18, v. 2.* & *57. v. 9.* quod Chald. & Syr. exponit per אזגרא *iſgaro*.

III. *Conjugata* ſunt abſtractum ἀποστολὴ apoſtolatus *Rom. 1. v. 5.* & ἀποστολικὸς Apoſtolicus, apud ſcriptores eccleſiaſticos: ubi iſtæ ſimileſque denominationes *Apoſtolica traditio*, & *ſpiritus Apoſtolicus*, *viri Apoſtolici*, *diſcipuli Apoſtolici*, *Apoſtolicæ eccleſiæ*; quas ſtrictè ita vocabant, quod ab aliquo Apoſtolorum immediatè plantatæ eſſent. Ad quas olim contra hæreticos & ſciſmaticos ſæpe provocare ſolebant. Has *Tertullianus de præſcript. cap. 21.* vocat *matrices & originales fidei*; Quales Hieroſolymitana, Antiochena, Corinthiaca, Epheſina, Philippenſis, Romana, &c. Eaſque deſcribit *ibid. cap. 36.* Sed præter illas etiam alias deputari dicit *Apoſtolicas*, *ob conſanguinitatem* (uti loquitur) *doctrinæ cum iiſdem*: uti hoc alibi (in *Deſper. causâ Papatus*) contra Pontificios oſtendimus.

IV. *Apoſtoli* nomen in ſcripturâ N. T. tribuitur. 1. *Ipſi Servatori* noſtro, *Hebr.*

Hebr. 3. *v.* 1. 2. *Euangeliſtis*, qui ad plantandam aut rigandam eccleſiam aliquam ab apoſtolo aut apoſtolis immediatè miſſi, aut ab eccleſiâ miſſi ad alias aut alios. Sic Epaphroditus vocatur Philippenſium apoſtolus *Philipp.* 2. *v.* 25. Pari ratione Silas & Judas cognominatus Barſabas ſynodales legati ad eccleſias Syriacas *Actor.* 15. *v.* 22. 27. poſſent vocari Apoſtoli. 3. *Ordinariis* miniſtris, immo & fidelibus quibuſcunque, ſi qui ad negotia aliqua expedienda ab eccleſiis miſſi ſunt: 2 *Corinth.* 8. *v.* 23. 4. *Duodecim illis*, qui etiam *diſcipuli* dicuntur: quibus poſtea ſupernumerarius acceſſit Paulus; in nullâ tamen re reliquis inferior: uti contra nonnullorum ſuſurros hoc proteſtatur 1 *Cor.* 9. *v.* 1. 2 *Cor.* 11. *v.* 5. & 12. *v.* 11. 12. Illos à domino *apoſtolos* peculiariter nominatos eſſe diſcimus ex *Luc.* 6. *v.* 13. Eorumque munus, à reliquis functionibus ſacris, diſtinctum eſſe colligimus ex 1 *Corinth.* 12. *v.* 28. uti mox ex attributis ejus patebit. In ſcriptoribus eccleſiaſticis apoſtolorum diſcipulis, & auxiliariis nomen apoſtoli aliquando tribuitur. Sic Timotheus in *Photii epitomâ Philoſtorgianâ l.* 3. *c.* 2. vocatur apoſtolus. Quin & aliis viris, qui ſæculis poſt-Apoſtolicis floruerunt, ob eximia dona & merita in eccleſiam nomen Apoſtoli impartitum eſt, imprimis ſi primi alicubi eccleſiam plantaſſent aut inſtauraſſent. Apud ſequiorum ſæculorum ſcriptores frequens uſus vocum *apoſtoli*, & *apoſtolici* (uti & Pontificis) de epiſcopis & patriarchis: & ἀποστολικὸν, pro habitu epiſcopali aut Pontificali. Quin & legati quivis dicti apoſtoli; & in *Menelogio Græcorum* Conſtantinus M. & Helena dicuntur ſancti & ἰσαπόστολοι. Plurima etiam ex ſcriptoribus latinis in hanc rem citari poſſent. In ſcriptoribus ſæcularibus *apoſtoli* dicuntur literæ *dimiſſoriæ*, à primo judice ad ſecundum; ſi ſcil. appellationi defertur: ſi non, dicuntur apoſtoli *refutatorii*: Quod ſi dubitetur, dicuntur *Reverentiales*: & ſi pars admittit appellationem, dicuntur *conventionales*. De his *Jureconſulti ad L.* 106. *de verb. ſignif.*; inter eos *Alciatus lib.* 4. *de verborum ſignificatione fol.* 246. Dicitur etiam ἀπόστολον πλοῖον, genus quoddam navigii, quod huc illuc dimittitur: cujus ibid. ex Demoſthene Alciatus meminit. Noſtrates navales vernaculè vocarent **Jachten of Berchen van Advijs**; alibi naves veredorum, vernaculè **Packet-boot**/ aut **Poſt-boot**: ſed quę naves ſunt majores. Apud *Suidam* ἀπόστολοι exponuntur per ἀποπέμψεις, δῶρα. i. *Miſſiones, dona* vel *tributa*. In *Procli chreſtomathiâ à Schotto* ſeorſim editâ, eâdemque à *Photio bibliothecæ lib.* 239. inſertâ, inter varia carminum genera numerantur ἀποστολικά, *quæ, dum quid mitteretur ad aliquem, fiebant*. Harpocration in *Lexico* in decem Rhetoras, ex Demoſthene pro Cteſiphonte, ἀπόστολος exponit τὰς τῶν νεῶν ἐκπομπάς. i. *navium apparatus, & expeditiones maritimas*. Pollux in *Onomaſtico lib.* 1. *cap.* 9. §.

i. ὁ. δὲ στόλος, κελεῦται καὶ ἀπόστολος, id eſt, claſſis, vero etiam ἀπόστολος nominatur. Sed his miſſis revertamur ad eccleſiaſtica, quæ propius nos tangunt. In miſsâ, quam vocant, Chryſoſtomi inſertâ Euchologio Græcorum, mentio fit *p.* 68. lectionis τοῦ ἀποστόλου καὶ τῆς ἡμέρας, id eſt, *apoſtoli & diei*, ubi *epiſtola*, quam in miſsâ ſuâ legunt Græci, dicitur ἀπόστολος; eo quod ex apoſtolorum ſcriptis vel actibus extracta eſt. Hanc epiſtolam apud Occidentales à ſubdiacono legendam, *Amalarius lib.* 2. *de eccleſ. offic. cap.* 11. vocat *lectionem.* In *Euchologio Græc. p.*904 lectiones ex apoſtolo & Euangelio per totum annum legendæ dicuntur ἀποστολο-ευαγγέλια. Et templum Apoſtolo alicui ſacrum ἀποστολεῖον, In *menolog. Gr.* Æthiopicè Apoſtolus dicitur *chawarja Math.* 10. *Actor.* 2. *Rom.* 2. &c. à rad. *chawra*, *choora* ivit, ambulavit, profectus eſt.

§. 2. Hactenus de vocibus, nunc ad ipſam explicationem diſcriptionis *Apoſtoli* accedamus, per ſequentia attributa: quę præſuppoſitâ functione verbi & ſacramentorum, ſeu miniſterio clavium, quod cum omnibus aliis miniſtris habuerunt commune *Math.* 16. *v.* 19. *Act.* 6. *v.* 4. ipſis peculiariter competunt.

I. Erant certo & definito numero duodecim nec plures nec pauciores: quibus tanquam ſupernumerarius poſtea additus Paulus. *Prius* probatur ex *Math.* 10. *v.* 1. 2. 5. & 11. *v.* 1. &c. Marc. 3. v. 14. & *conſtituebat duodecim, ut cum ipſo eſſent, & ut ipſos emitteret prædicatum.* Luc. 6. v. 13. *& eligebat ex illis duodecim, quos & apoſtolos vocabat*, &c. Joh. 6. v. 70. *Nonne vos duodecim elegi.* Et cum Judas Iſcariotes excidiſſet, ſubſtitutus eſt Mathias *Actor.* 1. *v.* 26. & pleno iſto numero apologiam admirandi operis à Deo in ipſis præſtiti egerunt *Actor.* 2. & pariter confeſſores facti *Actor.* 5. *v.* 29. 40. *Poſterius* probatur *Actor.* 9. cum 1 *Cor.* 9. *v.* 1. 2 *Cor.* 11. *v.* 23. *Galat.* 1. *v.* 1. 12. 16.

II. Nomina eorum partim à parentibus, partim à Chriſto impoſita recenſentur *Math.* 10. *Marc.* 3. *Luc.* 6. *Actor.* 1. Simon Petrus, Andreas, &c. De etymologia & ſignificatione ſingulorum nominum in præſenti non quęremus. Tantum noto unum fuiſſe binominem *Bartholomeum* Math. 10. v. 3. *Marc.* 3. *v.* 18. *Actor.* 1. *v.* 13. qui *Joh.* 1. *v.* 46.-51. cum *Joh.* 21. *v.* 2. dicitur *Nathanael.* Et *unum* fuiſſe trinominem, *Judam* fratrem Jacobi *Luc.* 6. *v.* 16. *Actor.* 1. *v.* 13. qui Marc. 3. v. 18. *Thaddæus* dicitur, & Math. 10. v. 3. *Lebbeus.* Ternos etiam fuiſſe cognomines, duos ſcil. *Judas*, Jacobi fratrem & Iſcariotem; duos *Jacobos*, Zebedei & Alphei; duos *Simones*, Cananitem & filium Jona, à Chriſto cognominatum Petrum *Marc.* 3. *v.* 16. & *Joh.* 21. *v.* 16.

III. Genere & gente erant Iſraelitæ, ſeu Judæi, ut tunc vocabantur. Quibus cum multi ex aliis tribubus tunc admixti eſſent, (unde δωδεκάφυλοι & δώδεκα φυλαῖς *Act.* 29. *v.* 7. *Jac.* 1. *v.* 1.) doctè ignoramus, an omnes, an

an aliqui apoſtoli, & quinam fuerint ex aliâ tribu, & ex quâ cujuſque tribus familiâ. Excepto, quod ex cognatis Chriſti (qui ejus fratres appellantur *Math.* 12. *v.* 46.) ſi qui inter apoſtolos fuiſſent, de eorum familia & tribu quæri poſſet: & quod de tribu Pauli, non de familiâ, certò conſtet ex *Phil.* 3. *v.* 5.

IV. Erant teſtes oculati & auriti vitæ, doctrinæ, reſurrectionis Chriſti *Actor.* 1. *v.* 3. 1 *Corinth.* 15. *v.* 4. - 9. cum 1 *Joh.* 1. *v.* 1. 2. & peculiariter ad tale teſtimonium ferendum electi ac conſtituti *Actor.* 1. *v.* 8. quod etiam fideliter præſtiterunt *Actor.* 8. - 33. De Pauli teſtimonio extraordinariâ Chriſti apparitione & immediatâ, θεοπνεύστῳ & infallibili revelatione, Lege 1 *Cor.* 15. *v.* 8. *Actor.* 9. *v.* 3. - 8. cum 22. *v.* 14. 15. 17. 18. & 1 *Cor.* 9. *v.* 1. Fuit ergò & ipſe teſtis auritus atque oculatus. Præterquam quod ex revelatione Chriſti certus de iis quę prædicabat, infallibiliter prædicaret, nec mediatè per ullum hominem munus apoſtolatus accepiſſet *Gal.* 1. *v.* 1. 12. & 2. *v.* 2. 6. cum 2 *Cor.* 11. *v.* 7.

V. Immediatè à Chriſto electi, vocati, miſſi, & facti mandatarii. Vide textus modo cit. *Math.* 10. *Marc.* 3. *Luc.* 6. *Joh.* 6. & poſt reſurrectionem *Johan.* 20. *v.* 21. ac ſub ipſum punctum aſcenſionis in cœlum *Math.* 28. *v.* 19. *Marci* 16. *v.* 15. *Actor.* 1. *v.* 4. 9. De Paulo vide loca præced. numero citata.

VI. Præparati ad hoc munus ſub immediatâ Chriſti diſciplinâ, cum illo familiariter, per triennium præter propter converſati: unde κατ' ἐξοχὴν dicti ipſius *diſcipuli*: quamvis & alii eſſent hoc nomine appellati, (uti colligimus ex *Luc.* 6. *v.* 13. cum 10. *v.* 1. 17. ubi 70. diſcipuli) & plures alii; ſed tecti, qualis Joſephus Arithmathenſis *Johann.* 19. *v.* 38. Et poſtquam apoſtoli ſe compoſuiſſent ad mandatum Chriſti *Math.* 28. *v.* 19. μαθητεύσατε, &c. exequendum, omnes initiati Chriſtiániſmo vocati ſunt diſcipuli *Actor.* 6. *v.* 1. 2. & 9. 26. & 11. *v.* 26. Mathias & Paulus quamvis contubernii, & familiaris converſationis cum Chriſto, conſequenter immediatæ inſtitutionis, viſionis, auditionis ęque participes non fuerint, ac reliqui undecim: tamen Deus per immediatam revelationem hoc ſupplevit, ut non minus ac alii de illo teſtati ſint, uti de Mathiâ colligimus *Actor.* 2. *v.* 14. 40. 41. 43. & 5. *v.* 12. 32. 42. Et de Paulo *Actor.* 22. *v.* 18. & 26. *v.* 16. 22. potuit etiam Mathias inter 70. familiaritate aliquâ domino propior fuiſſe.

VII. Homines Dei in ſcripturis & doctrinâ ſalutis ſufficienter inſtructi atque infallibiles Doctores facti in die Pentecoſtes, juxta promiſſionem *Johann.* 16. *v.* 13. cum *Actor.* 1. *v.* 4. 8. & 2. *v.* 33. Paulus de θεοπνεύστῳ hoc dono ſuo teſtatur 1 *Cor.* 7. *v.* 4. 40. cum 1 *Theſſal.* 2. *v.* 13. & 4. *v.* 8.

Galat. 1. *v.* 12. Vide pro apoſtolorum immunitate ab errore & pro infallibilitate certantem *Tertullianum lib. de præſcript. cap.* 21. - 30.

VIII. Inſtructi eodem die pentecoſtes quibuſvis chariſmatis; etiam poteſtate & dono per manuum impoſitionem tanquam ſigillo ſeu ſacramento extraordinario alios confirmandi de chariſmatis divinitus collatis. *Actor.* 8. *v.* 14. - 18. Confer 2. *part. ſel. diſpp. tit. de chariſmatis.*

IX. Primi eccleſiarum novi Teſtamenti Hieroſolymę, & inde per Judæam, Samariam, aliaſque nationes & orbis plagas architecti ſunt: juxta mandatum à Chriſto acceptum *Math.* 28. *v.* 19. cum *Actor.* 1. *v.* 8. Paulus hoc peculiariter de ſeipſo teſtatur 1 *Cor.* 3. *v.* 6. *Rom.* 15. *v.* 19. 20.

X. Miniſtri fuerunt *univerſales*, & miniſterium eorum univerſale: tum ratione actuum & functionum, tum ratione locorum & eccleſiarum. *Actus* ſunt prædicare, ſacramenta adminiſtrare, regimini præeſſe, ordinare & conſtituere miniſtros, tum ordinarios tum extraordinarios (Euangeliſtas ſcil.) curare pauperes *Actor.* 6. *v.* 2. cum *Galat.* 2. *v.* 10. 2 *Cor.* 8. hæreticos aut ἀτάκτους cenſurâ notare, & anathematizare 1 *Cor.* 5. 1 *Timoth.* 1. *v.* 20. 3. *Epiſt. Johannis v.* 9. 10. ſynodos convocare & celebrare *Actor.* 15. collapſa in eccleſiis inſtaurare, eaſque reformare, &c. Univerſale etiam eſt & dicitur miniſterium eorum, reſpectu locorum: quia uni loco aut peculiari eccleſiæ non erant aſtricti, ut reliqui oppidatim conſtituti presbyteri ſeu epiſcopi *Actor.* 14. *v.* 23. *Tit.* 1. *v.* 5. *Actor.* 20. *v.* 17. *Philipp.* 1. *v.* 1. ſicuti etiam Euangeliſtæ erant aſtricti tum actibus & functionibus, tum civitatibus, aut diſtrictibus, aut regionibus, ex preſcripto Apoſtolorum; qui eorum auxilio, & operâ utebantur.

XI. Miniſterium & munus Apoſtolicum τῶν δώδεκα, & Pauli ſupernumerarii, eſt ſingulare & ſolitarium, abſque homogeneis prædeceſſoribus, collegis, ſucceſſoribus; breviter, ut epithetum *Hebr.* 7. *v.* 24 huc applicem, eſt ἀπαράβατον.

§. 3. I. Ex attributis jam recenſitis ſequitur *excellentia*, *dignitas*, *efficacia hujus miniſterii*, ſupra omnia ordinaria & extraordinaria tam N. quam V. T. Prout etiam primo loco (quamvis illud per ſe non eſſet argumentum ſufficiens) ponitur 1 Cor. 12. *v.* 28. *Et alios quidem conſtituit Deus in eccleſiâ primum Apoſtolos*, &c. Confer *Epheſ.* 4. *v.* 11. Et *Apocal.* 21. *v.* 14. & *nova Hierolyma duodecim fundamentis inſcripta erant duodecim nomina Apoſtolorum agni.* Et ſalutaris doctrina ſeu fundamentum fidei ſub N. T. denominatur ab Apoſtolis, excellentiſſimis & primis ejuſdem prædicatoribus: *ſuperſtructi ſuper fundamentum Prophetarum & Apoſtolorum*, &c. Epheſ. 2. v. 20. Et exinde uſque in hunc diem doctrina, fides, eccleſia Chriſtiana, vocatur *Apoſtolica.* Hunc titulum Romana, ſed immerito, ſibi vindicat. Noſtra reſpectu doctrinæ

Digitized by Google

ctrinæ omni jure ſibi Apoſtolicam hanc denominationem tribuit. Tertull. de præſcript. adv. hæret. cap. 32. *tamen in eâdem fide conſpirantes Apoſtolicæ deputantur pro conſanguinitate doctrinæ.* Ad hanc excellentiam quidam referunt Math. 19. v. 28. *ſedebitis in duodecim thronis*, &c. quod per & ſecundum doctrinam Apoſtolorum, Iſrael convincendus & judicandus ſit.

Quomodo *Rom.* 2. *v.* 16. Deus homines judicaturus dicitur ſecundum Pauli Euangelium. Et *Joh.* 5 *v.* 45. de Moſe dicitur quod Judæos accuſet. An autem judicium in loco *Math.* 19. intelligendum ſit de judicio in hoc ſeculo, an vero de judicio diei noviſſimi, dubitatur ab interpretibus. *Joh. Lightfoot in horis Hebraicis ad Math.* 19: cenſet, non de perſonali judicio, ſed de doctrinali hoc intelligendum eſſe, & quidem in hoc mundo; quando ſcil. Chriſtus ingreſſurus eſſet in imperium ſeu regnum ſuum Euangelicum (de quo *Pſalm.* 2. *v.* 6. *Math.* 28. *v.* 18. *Joh.* 5. v. 37.); & poſt dirutas quatuor monarchias; tyrannide ſuâ orbem & eccleſiam infeſtantes, regnum Chriſti ſit oriturum; uti prædictum *Danielis* 7. v. 9. 10. & judicium ferendum in perfidum & rebellem populum Judaicum: uti pluribus hoc prædicit ſervator *Matth.* 24. cum *Rom.* 11. *v.* 16. Adde 1 *Theſſ.* 2. *v.* 15. 16. *Actor.* 13. *v.* 46. Hoc ſaltem diffitendum non eſt, per judicium in ſcripturis, non ſemper ſignificari judicium extremum univerſale, ſed aliquando judicium particulare in hoc ſæculo ſive doctrinale, ſive reale aut executorium. De *doctrinali* Joh. 5. v. 45. *Eſt qui vos accuſat Moſes*: ut non dicam jam de loco Apocal. 20. v. 4. *De reali* & executorio *Joel.* 3. *v.* 12. 13.

Rationes pro hâc ſententiâ adfert *ibid.*

Prima eſt: *Quod* deſcriptio judicii extremi repræſentet omnes tam Gentiles quam Judæos, tam bonos quam malos, etiam noviſſimo die viventes, coram judice ſiſtendos *Matth.* 25. *v.* 30. 31. 2 *Corinth.* 5. *v.* 10. 1 *Theſſal.* 4. *v.* 16. 17.

Secunda, quod ſi de perſonâli judicio duodecim Apoſtolorum hoc intelligendum eſſet, ſequeretur hoc abſurdum, Judam proditorem fore unum ex illis: ergo neceſſariò de judicio & condemnatione in hoc ſæculo intelligendum; quæ futura eſt ſecundum & per doctrinam, quam 12. Apoſtoli prædicabant.

Quæ rationes tales non ſunt, ut ſolvi non poſſint.

Ad *priorem* reſpondemus, ſi Gentiles & Judęos judicaturus eſt Chriſtus; utique abſurdum non eſt dici, à Chriſto, & ab Apoſtolis, qui ex Iſrael. Sicuti de Chriſto & Apoſtolis verè dici poteſt, quod judicaturi ſint Gentes.

Ad poſter. Reſp. Minimè ſequeretur Judam proditorem fore unum ex illis: Si non excidiſſet ſuo Apoſtolatu, fuiſſet unus ex illis: ſed illius deficientis ἐπισκοπὴν alius accepit, ſcil. Mathias *Act.* 1. *v.* 20. 26.

Bernardus in ſerm. de S. Benedicto, *Thomas*, *Zwarez*, *Platus*, *Janſenius*, *Maldonatus* & cum iis *A Lapide in Matth.* 19. volunt numerum incertum thronorum per certum quem hic denotari, monachorum ſcil. qui quia omnibus derelictis ſecuti ſunt Chriſtum 12. tribus, hoc eſt omnes gentes judicaturi ſunt; quippe qui hanc aureolam meriti ſint. Sed ridiculo hoc commento exploſo, utramcumque priorum opinionum admittimus, evincitur aliqua miniſterii apoſtolici ἐξοχή. Quod ad efficaciam hujus extraordinarii miniſterii, ea elucet in Euangelii per orbem propagatione, Gentium converſione, adverſariorum convictione, glorioſâ per martyrium (à quo unum Johannem exemtum volunt) victoriâ. De quibus *Acta apoſtolorum*, & *Euſebii hiſtoria eccleſiaſtica*, & nos 2.*part. ſel. diſp. tit. de Gentil.* & *vocatione Gentium.* Et vel unius Pauli exemplum efficaciam ejus oſtendit, qui ab Hieroſolymâ uſque ad Illyricum, &c. *Rom.* 15. *v.* 18. 19.

11. Sequuntur iſta abſurda 1. quod Epiſcopi Romani ſtrictè accepto vocabulo immerito appellati ſint *Apoſtoli & viri Apoſtolici*; *& Apoſtolicæ ſedis præſules*; & munus eorum abſolutè *Apoſtolatus*: & quod hanc catachreſticam appellationem Pontificii apud *Bellarmin. lib. 2. de Pontifice cap.* 31. advocant ad probandum primatum Papæ.

2. Malè *Baronius* Clementem VIII. appellabat *Petrum*; ut apologiæ & cauſæ ſuæ autoritatem conciliaret. *Bellarminus lib. 2. de Pontifice cap.* 12. „ exhibet quintam adverſariorum objectionem: Quidquid Petrus dixit aut „ ſcripſit, oraculum eſt Spiritus Sanctus. At id Papæ non convenit. Non „ igitur Papa habet omnes prærogativas Petri. Ad quam nihil aliud reſpon„ det, quam: *Neque id nos contendimus.* Quomodo hæc cum Canoniſticis & Papalibus Papæ elogiis conveniant, & quam validè objectionem iſtam ſolvant, quibuſvis viris Dei judicandum relinquo.

3. Nimis etiam aſſentatoriè Conſtantinus & Helena in *menelogio Græcorum* dicuntur ἅγιοι ἰσαπόστολοι, id eſt, *ſancti Apoſtolis pares.*

4. Si Romæ Petro Chriſti Vicario, Apoſtolorum principi, & eccleſiaſtico Monarchæ, ſucceſſit Linus, aut Cletus, aut Clemens (de quo Labyrintho hiſtorico vide *Baronium ad ann.* 69. §. 18.): ergo ſequeretur eum aut eos ſuperiores fuiſſe Apoſtolis, ſi qui tunc adhuc ſuperſtites fuiſſent; ſaltem Johanne, quem ultra annum 96. & 97. vixiſſe ex hiſtoricis eccleſiaſticis *Baronius ibid.* affirmat. An autem abſurdum ſit Linum, Cletum, Clementem gradu & miniſterio ſuperiores facere Apoſtolo Johanne, judicetur ex collatione Apoſtolicæ excellentiæ ſupra deſcriptæ, cum qualitatibus Lini, aut Cleti, aut Clementis.

5. Malè ab *A Lapide commentar. in Actor.* 2. & 5. Maria vocatur doctrix Apo-

Digitized by Google

Apoſtolorum, ad quam Apoſtoli recurrerint, & quæ die pentecoſtes ſedens in medio Apoſtolorum, Spiritus Sancti chariſmata acceperit.

6. Malè *Sulpitius Severus in vitâ Martini* & *Gabriel Biel* Martinum apoſtolis parem; immo iiſdem, & ipſis angelis ſuperiorem fecerunt. *Sulpitius Severus in vitâ Martini*, & *epiſt.* 2. apoſtolis & prophetis eundem dicit conſertum, cum illis planè conferendum, ac iis per omnia ſimilem. Vide quæ in 3. *part. ſel. diſp. tit. de patronatibus*, &c. *ſanctorum*, *part.* 3. §. 2. de hoc Martino enotavimus.

7. Malè Franciſcus Aſſiſius, à *Barthol. de Piſis in lib. conformitatum* ſupra apoſtolos, immo & ipſum Chriſtum evehitur; idemque à *Bonaventura*, *Joachimo Abbate*, *Bertino*, dicitur angelus de quo Apocal. 7. v. 23. *& vidi alterum angelum aſcendentum ab ortu ſolis*, &c. apud *Petrum de Valderama in Theatro religionum tom.* 2. *ſerm.* 2. de patriarcha S. Franciſco.

8. Infeliciter epiſcopos hierarchicos ex choro apoſtolico accerſunt: quaſi ſcil. apoſtolis ſucceſſerint, & ſic presbyteris 70. diſcipulorum (uti fingitur) ſucceſſoribus, jure divino ſuperiores ſint. Cum apoſtoli quà tales, ſeu in apoſtolatu ſuo nullos habuerunt ſucceſſores. De quo infra *lib.* 4. in controverſiâ de presbyterio & epiſcopatu. *A Lapide in Math.* 10. vix ſibi conſtare videtur, cum ait per analogiam & accommodationem tantum ſucceſſionem illam eſſe intelligendam.

Et hæc deſcriptio miniſterii apoſtolici. Singulorum vitas & geſta deſcribere, non eſt politicæ eccleſiaſticæ, ſed hiſtoriæ ſacræ & eccleſiaſticæ. Non alienum eſſet collationem cum 1. ordinariis V. & N. T. miniſtris. 2. prophetis V. & N. T. 3. Euangeliſtis. 4. Johanne Baptiſta; hic inſtituere: ſed quia facile eſt ſtudioſis noſtris, deſcriptionibus apoſtolatus, prophetarum, Euangeliſtarum, Joh. Baptiſtæ, miniſtrii ordinarii inſpectis judicare, in quo conveniant aut differant; non eſt quod diutius immorer. Subjicimus ergo ſequentes quæſtiones. §.4.

I. *Quæſt. An numerus duodenarius myſtici quid contineat ac ſignificet?* *Reſp.* Neg. Thomas in catenâ ad Math. 10. ex Rabano Mauro ſic philoſophatur: *Duodenarius conſurgens ex ternario & quaternario deſignat eos per quatuor mundi clymata fidem ſancta trinitatis prædicaturos. Iſte etiam numerus per multas figuras in veteri Teſtamento præſignatus eſt. Per* 12. *filios Jacob per* 12. *Principes filiorum Iſrael per* 12. *fontes viventes in Helium per* 12. *lapides in rationali Aaron per* 12. *panes propoſitionis*, *per* 12. *exploratores à Moyſe miſſos*, *per* 12. *lapides unde formatum eſt altare*, *per* 12. *lapides ſublatos de Jordane*, *per* 12. *boves quod ſuſtinebant mare æneum. In novo etiam Teſtamento*, *per* 12. *ſtellas in corona ſponſæ per* 12. *fundamenta*

Hie-

Hieruſalem quæ vidit Johannes, & per 12. portas. A Lapide in Geneſ. 29. dicit 12. patriarchas figuras fuiſſe 12. apoſtolorum; & Math. 10. *cauſa cur præcisè 12. eligeret apoſtolos, non plures nec pauciores, eſt, ut ipſi reſponderent 12. patriarchis*, &c. Sed quid tum fiet 13. apoſtolo Paulo? Sed venationes myſteriorum in numeris & aitiologias omnium quæ Deus in cultu inſtituto, & in eccleſiâ ordinavit, aut omnium quæ in ſcripturis hiſtoricè referuntur; ad vanas curioſitates, ſuperſtitiones, aut otioſa facta referendas ducimus. Ubi Deus non loquitur, nobis tacendum eſt. Confer 3. *part. ſel. diſpp. tit. de ſuperſtitione.*

II. *Quæſt. An Petrus ſecundum ſcripturas Apoſtolorum Princeps fuerit, & talis dici poſſit. Reſp.* Si principatus notet primatum, monarchiam, poteſtatem eccleſiaſticam ſupremam & Catholicam in ſolo Petro totaliter & adæquatè reſidentem? Neg. Sin principatum in collegio apoſtolico; quomodo Auguſtus Princeps Senatus appellari volebat, ut regis & Monarchæ odioſum nomen declinaret: Neg. Si denique notet, præſidem collegii iſtius perpetuum à Chriſto deſignatum, aut liberis Apoſtolorum ſuffragiis ad hoc electum; nec tale quid Pontificiis concedere tenemur, abſque ſcripturis. Ita ut antiquorum quorundam nimiam liberalitatem ac facilitatem hac in parte imitari nolimus, & vel minimum Diotrephicorum ſpirituum (quorum ſatis fertilis omni ævo proventus) ambitioni velificari. Ad viginti prærogativas Petri *Bellarmino lib. 1. de Pontifice cap. 17.-25.* ex ſcripturis, & alias octo ex aliis ſcriptoribus allatas, abunde ab antagoniſtis ipſius reſponſum eſt.

III. *Quæſt. An Barnabas fuerit apoſtolus? Reſp.* Neg. Quia non eſt unus ex duodecim, quos Chriſtus elegerat, qui *Math.* 10. recenſentur. Jam vero non plures nec pauciores fuiſſe; quam duodecim, conſtat ex *Luc. 6. v.* 13. ubi dicitur elegiſſe duodecim. Joh. 6. *v.* 70. *Nonne vos duodecim elegi.* Loco Judę electus fuit Mathias, qui *communibus calculis electus eſt* cum undecim Actor. 1. v. 26. Solus Paulus, qui poſtea acceſſit, appellatur Apoſtolus, & hunc gradum ipſe contra adverſarios defendit *Gal.* 1. *v.* 1. cum 1 *Cor.* 9. *v.* 1. 2. & 2 *Corinth.* 11. *v.* 5. & 12. *v.* 11. 12. *Epiphanius in Panario lib. 1. tom. 1. in fine*, & *Euſebius lib. 1. hiſtor. eccleſ. cap.* 12. ajunt Barnabam unum ex 70. diſcipulis fuiſſe. Quod quàm certum ſit, neſcio. Saltem Euangeliſtis ſeu adjutoribus Apoſtolorum eum annumerandum, concedo.

IV. *Quæſt. An Nathanael unus ſit ex duodecim Apoſtolis; idemque cum Bartholomeo? Reſp.* Utrumque affirmant *Rupertus Abbas* & *Corn. Janſenius in concordiâ.* Sed *Baronius ad ann.* 31. §. 28. ait ſe illis non aſſentiri, quod levibus ducti ſint conjecturis. Ego ipſum, cum *Maldonato* & *Ribera*, leviſſimâ conjecturâ in negantem concedere arbitror, Quod

Digitized by Google

Quod cum *Auguſtino tract. 17. in Joh.* Nathanaelem fuiſſe legis peritum fingant, Chriſtum vero non vocaſſe ad Apoſtolatum legis peritos, ſed tantum piſcatores.

Prius membrum ſe invenire putant Joh. 1. v. 46. 47. ubi dicitur, *Quem ſcripſit Moyſes & Prophetæ*, &c. *Reſp.* Sed tum pariter, immo magis ſequeretur Philippum fuiſſe legis peritum, qui allegat Moſen & Prophetas. Deinde, quam inepta hæc conſequentia, Philippus aut Nathanael aliquam notitiam habuerunt legis & prophetarum, & ex iis in doctrinâ ſalutis quid tenuerunt & allegarunt: Ergo fuerunt gradu & vocatione νομικοὶ *legis periti.* Quidni idem pronuntiant de Samaritanâ *Joh.* 4. *v.* 25. Et de turbâ *Joh* 12. *v.* 24. Per omnia Sabbatha coram populo (& non tantum coram legiſperitis) legebantur in Synagogis Prophetæ *Actor.* 13. *v.* 27. & quid mirum, ſi Philippus & Nathanael aliquam inde notitiam ſibi acquiſiviſſent: cum de politicè ſeu mundanè religioſo rege Agrippa hoc non negetur *Actor.* 26. *v.* 27. Nec tunc inſolens erat, nedum ut prohibita eſſet ſcripturæ lectio *Joh.* 5. *v.* 39. *Actor.* 17. *v.* 11. Adde & exempla Aquilę, Priſcillæ, Apollos *Actor.* 18. quos omnes gradu & vocatione Doctores ac legiſperitos fuiſſe non facile evincent.

Poſterius membrum, quod omnes Apoſtoli fuerint piſcatores, neſcio ubi invenerint. De Mathęo ſaltem falſum eſt. De Mathiâ, Judæ Iſcariotæ ſubſtituto, unde probaturi ſint, non video. Decimum tertium ſeu ſupernumerarium Apoſtolorum Paulum non fuiſſe piſcatorem, conſtat ex *Actor.* 18. *v.* 3. quem ſi non promotione, gradu, & vocatione νομικὸν legiſperitum (quod nunc non inquiro), ſaltem literatum & legis ſtudioſum fuiſſe, conſtat ex *Actor.* 22. *v.* 3.-6. Pluribus pro parte affirmante agit *Barthol. Gavantus* peculiari diatriba, quam *tom.* 2. *theſauri ſacrorum rituum* ſubjecit. Sed multa ibi adducta fabuloſa aut incerta ſunt, quippe conjecturis & ſcriptis ac ſcriptoribus minimè probatis ſubnixa. Nos pro ſententiâ affirmante hoc ipſius argumentum militare poſſe concedimus: Quod Nathanael in primâ Apoſtolorum vocatione *Joh.* 1. memoretur: hos enim quatuor Andream, Petrum, Philippum, Nathanaelem vocatos tunc fuiſſe ad Apoſtolatum, non puto quenquam negaturum. Adde quod *Johann.* 21. *v.* 2. Nathanael cum aliis quibuſdam diſcipulis (hoc eſt, Apoſtolis) numeretur, quibus poſt reſurrectionem Chriſtus tertiâ vice conſpiciendum ſeſe præbuerat. Nomine diſcipulorum ut alibi, ſic & hoc loco, non quoſvis diſcipulos, ſed κατ' ἐξοχὴν illos deſignari, qui prę aliis ad gradum Apoſtolatus evecti erant, colligimus ex *cap.* illius *v.* 1. 2. 14.-18. Quod autem, ubi Apoſtoli numerantur, & nomina eorum exprimuntur (*Math.* 10. *Marc.* 3. *Luc.* 6. *Actor.* 1.) *Nathanaelis* nomen non compareat,

ſed *Bartholomei* : id indicio eſt, fuiſſe illum binominem, ſeu mavis nomen ejus fuiſſe *Nathanael*, & cognomen בַּר־תַּלְמַי *Bartolmai* : uti in Hebraicâ ſuâ tranſlatione ſcribit *Hutterus*. In Mathei Euangelio Hebraico editionis Munſteri ſcribitur בַּרְתְ לְמַי *Bartolmi*. Eſt autem cognomen illud dialecto Syrâ ſeu Syrochaldaicâ, tunc Hieroſolymæ & in Judæâ vulgari, expreſſum : uti cognomina *Bartimei*, *Bar Jona*, *Barrabas*, *Bar Jeſu*. Syrus interpres ſcribit ברתולמי *Bartoulmai*. *Munſterus ad Math.* 10. notat τὸ Thalmai (ſic ibi ſcribit) idem eſſe quod Ægyptiis & Græcis *Ptolomaus*. Ubi addit, non inſolens tunc fuiſſe Judæis nomina Grȩcorum aliorumque extraneorum aſſumere; uti patet ex nominibus Philippi, Nicanoris, Prochori, Stephani, Alexandri, &c. quæ in libris N. T. occurrunt. Et uti binomines fuiſſe aliquos ex libris V. & N. T. conſtat, & quidem aliquos ex Apoſtolis (*Math.* 10. *v.* 3.), ſic aliquando cognomine ſuo vulgò appellari potius ac frequentius, quam nomine, patet in exemplo Bartimei, *Marc.* 10. *v.* 46. & Bar Jeſu *Actor.* 13. *v.* 6. Quomodo apud *Arabes*, *Averroes*, *Avicenna* (uti à linguâ illa extranei vulgo ſcribunt) *Ibn-Rois*, *Ibn-ſina*, id eſt, *filius Rois*, *filius Sina*; præcedente nomine proprio; & apud Judæos in Africâ aut Hiſpania Arabicantes, *Aben Ezra*, *Aben Tiblon*. Quidquid ſit de lectione & uſu nominum iſtorum, ſaltem neceſſe eſt Nathanaelem, aut non fuiſſe vocatum & electum à Chriſto ad Apoſtolatum; aut eundem fuiſſe cum Bartholomeo : cum tantum duodecim fuerint Apoſtoli, & duodecim nominibus ſuis *Math.* 12. *Luc.* 6. deſignentur; & *Actor.* 1. cum Judas defeciſſet, undecim. Apud *Joſephum lib.* 20. *antiquit. cap.* 1. occurrit Θολομαῖος : & 2 *Sam.* 13. *v.* 3. Rex Geſſur dictus Hebr. תלמי *Thalmai*, à Gr. interprete ſcribitur *Tolmi*, & à Syro *Thoulmai*.

Corn. à Lapide in Joh. 1. ſententiam affirmantem tenet, & nos eam ad minimum tanquam longè probabiliorem amplectimur. Præter rationes ex *Joh.* 1. & 21 ſupra allatas, *Corn. à Lapide* ex *Abulenſi*, *Ruperto*, & *Janſenio in Math.* 10. ſequentes ſuggerit. 1. *Quia* Euangeliſtæ Bartholomȩum jungunt Philippo. 2. *Quia* Bartholomæi vocationem à Chriſto factam nuſquam legimus; niſi ſit hæc Nathanaelis. 3. *Quia*, Euangeliſtæ in recenſione Apoſtolorum non meminerunt Nathanaelis, & Johannes *cap.* 1. & 21. non meminit Bartholomȩi : quaſi hi duo unus eſſent. 4. *Quia* Bartholomæus non videtur eſſe nomen proprium : ſed ſignificare filium Tholmai : Proprium ergo nomen ejus fuiſſe, Nathanael. 5. *Quia*, Chriſtus de Nathanaele ait, *Ecce verè Iſraelita*, &c. eique viſiones Angelorum promittit *Ioh.* 1. *v. ult.* Videtur ergo Chriſtus eum ſelegiſſe in ſuum familiarem & Apoſtolum. Quȩ rationes omnes non ſunt improbabiles, duæ ſupra ex *Ioh.* 1. & 21. allatæ probabiliorem efficiunt ſententiam affirmantem : Ratio pro negante ex Auguſtino allata, plane nulla eſt.

V.

Digitized by Google

V. *Quæſt. Quid de Martiale Lemovicenſium (uti teſtatur Gregor. Turonenſis lib.2. hiſtor. cap.28.) epiſcopo ſentiendum; qui in epiſtolâ ad Burdegalenſes ſeipſum nominat ſervum Dei, & Apoſtolum Jeſu Chriſti? Reſp.* Epiſtola illa an pſeudepigrapha ſit, & ſuppoſititia, vide in *Coci cenſurâ patrum*, & *Riveti critico lib. 1. cap. 7.* De ipſius geſtis *Baronius* (*ad annos* 34. 14. 74.) more ſuo; ut non tam annales eccleſiaſticos conficeret, quam ut hiſtoriam aſcenſus & primatus Papæ ex quibuſcunque pannis & ſcrutis conſarcinaret. Si vera ſunt, quæ de ipſo narrant, fuit is Apoſtolorum diſcipulus, & Gallorum dictus Apoſtolus: quod in aliquot Galliæ partibus Euangelium prædicaverit. Et ſic plures alii etiam ſequioribus ſæculis dicti Apoſtoli, ſed reſtrictè, alicujus gentis; ubi primi paſſim Euangelium prædicaverant, aut ante prædicatum inſtauraverant. In his aliqua cum Apoſtolis ſimilitudo erat: quod uni eccleſiæ topicę, aut uni civitati prædicatio eorum aſtricta non erat. Abſolutè, abſque ullâ reſtrictione, tales nominari Apoſtolos, nec moris erat, nec etiam tutum fuiſſet: multo minus veriſimile eſt, ipſos in ſubſcriptione epiſtolarum ſuarum titulo, *Apoſtoli Jeſu Chriſti*, ſe venditaſſe: uti dictus *Martialis ad Burdigalenſes*; & titulo: *ſervus Dei, Apoſtolus autem Ieſu Chriſti Martialis Kephas*; uti idem in *epiſt. ad Tholoſanos*. Ex his aliiſque conjiciat lector; quam antiqua & Apoſtolica ſint ejuſmodi ſcripta, quæ in bibliotheca patrum à Pontificiis compacta ſunt. Miror quid in illis epiſtolis viderit eruditiſſ. *Elmenhorſtius* in patrum lectione tam inſigniter verſatus, quod duas illas epiſtolas Gennadio Maſſilienſi ſubjunctas anno 1614. denuo ederet. Si quis noſſe cupiat, quomodo non tantum in παρακμῇ ſeu declinante eccleſiarum ætate, ſed & ante ſæculum quintum titulis ſe mutuò honorârint, an onerârint ſcriptores eccleſiaſtici; is adeat modo *Sidonium Apollinarem Avernenſem epiſcopum*, qui floruit circa annum 440. qui epiſcopis *Apoſtolatum & venatum Apoſtolicum* tribuit lib. 6. epiſt. 4. 7. 12. & 7. epiſt. 4. Epiſcopos ſalutat *Papas*, lib. 7. & 8. & 9. ſæpiſſimè *antiſtites*, *pontifices*, *ſummos ſacerdotes*, *Pontifices maximos*, lib. 7. epiſt. 6. & 8. epiſt. 14. Si tunc typhus ſæculi tam apertè ſe oſtendit in templo Dei, quid de ſeqq. ſæculis, quinto, ſexto uſque ad undecimum aut duodecimum erit dicendum?

Digitized by Google

CAP. III.

De Novi Teſtamenti Euangeliſtis & Prophetis.

§. 1. EUangeliſtæ ſpecialiter & ſtrictè ita dicti fuerunt *miniſtri Novi Teſtamenti extraordinarii, qui tanquam ſubſidiarii & cooperarii Apoſtolorum ab iiſdem conjunctim, aut ab aliquo aut aliquibus eorum ſeorſim mittebantur, ad eccleſias plantandas aut rigandas.* Deſcriptionem hanc per partes ſic explicamus.

I. Dicuntur in ſcripturâ *Euangeliſtæ* à prædicatione Euangelii, quæ ipſis impoſita *Epheſ.* 4. *v.* 11. 12. *Actor.* 21. *v.* 8. coll. cum 1. *v.* 5. De voce & definitione Euangelii, agunt ſcriptores locor. commun. & accurate quondam præceptor noſter *Gomarus in diſp.* de Euangelio.

II. Erat vocatio & gradus eorum peculiaris, diſtinctus ab Apoſtolico *Epheſ.* 4. *v.* 11.

III. Erat miniſterium & munus eorum extraordinarium diſtinctum ab ordinario paſtorum ſeu presbyterorum, Doctorum, Diaconorum. *Epheſ.* 4. *v.* 11. & Tito Euangeliſtæ imponitur, ut oppidatim conſtitueret ordinarios ſingulârum eccleſiarum presbyteros ſeu epiſcopos *Tit.* 1. *v.* 5. 7. non vero, ut juxta ſe plures Euangeliſtas conſtitueret.

IV. Quidquid ordinarii paſtores, presbyteri, epiſcopi, in ſuis quique eccleſiis, circa prædicationem verbi, adminiſtrationem ſacramentorum, regimen & diſciplinam poterant; idem poterant Euangeliſtæ, in quâque eccleſiâ aut quibuſcunque eccleſiis; ad quarum plantationem aut rigationem miſſi erant. Quod per partes probari poteſt, ex *Philipp.* 2. *v.* 22. *Actor.* 8. *v.* 5. 12. & ex iis, quæ Apoſtolus præcipit in epoſtolis ad Timotheum & Titum.

V. Vocatio & miſſio eorum erat vel purè mediata, vel ex parte immediata. *Illa* fiebat per Apoſtolos, vel ſolos; vel una cum presbyteris. *Prioris* exemplum habes in Tito, quem Paulus miſerat in Cretam, ad eccleſias illic ordinandas *Tit.* 1. *v.* 5. Poſterioris exemplum habes 1 *Timoth.* 4. *v.* 14. *Iſta* fiebat à presbyterio, ſed prævia immediatâ inſpiratione & deſignatione ſpiritus ſ., ut *Actor.* 13. *v.* 2. 3. Unde ſic miſſi dicuntur *miſſi à ſpiritu ſ.* v. 4.

VI. Munus ſuum exequebantur, vel ſoli; vel in conſortio & ſub præſenti ac continuâ inſpectione & directione alicujus Apoſtoli. Prioris exempla habes in Tito, quem Apoſtolus reliquerat in Creta *Tit.* 1. In Barnaba, quem Hieroſolymâ mittebant in terras Antiochenas & vicinas *Actor.* 11. *v.* 22. In Timotheo miſſo in Macedoniam *Actor.* 19. *v.* 22. & Corinthum

1 *Corinth.*

1 *Corinth.* 4. *v.* 17. & relicto Epheſi. 1 *Timoth.* 1. *v.* 3. & 3. *v.* 14. 15. *Poſterioris* exempla habes in Barnaba, qui cum Paulo variis in locis miniſtrabat *Actor.* 11. *v.* 30. & 12. *v.* 25. & 13. *v.* 2.-8. & 14. *v.* 1.-28. & 15. *v.* 23. In Timotheo & Sila, qui cum Paulo erant Athenis *Actor.* 17. *v.* 15. Qui tali in caſu & hoc reſpectu peculariter dicuntur miniſtraſſe Apoſtolis *Actor.* 13. *v.* 5. ſicuti alio reſpectu dicuntur miniſtraſſe eccleſiis. Et legati earum eſſe *Philip.* 2. *v.* 25. Utroque autem reſpectu vocantur *fratres* Apoſtolorum 2 Cor. 2. v. 13. *adiutores vel cooperarii & commilitones* Philip. 2. v. 25. *conſervi* Coloſſ. 1. v. 7. & 4. v. 18.

VII. *Euangeliſtas* ejuſmodi plures fuiſſe indubium eſt: quia Apoſtoli in quibuſvis particularibus eccleſiis immediatè ſemper plantare, aut rigare, aut inſtaurare, aut reformare non poterant. Et quia Paulus, ſollicitudinem habuit de omnibus eccleſiis 2 *Cor.* 11. *v.* 28. & Euangelio implevit ab Hieroſolymis uſque ad Illyricum *Rom.* 15. *v.* 19. ſequitur eum multorum Euangeliſtarum operâ eſſe uſum. Saltem qui in ſcripturâ memorantur, plerique à Paulo aſſumti & miſſi leguntur, ut *Timotheus* *Act.* 16. 20. *Rom.* 16. *v.* 20. & in ſubſcriptionibus ac inſcriptionibus quarundam Pauli epiſtolarum: quamvis illæ non ſint authenticæ. *Titus*, ex epiſtolâ ad illum ſcriptâ. *Sylvanus* ex 1 *Theſſal.* 1. *v.* 1. 2 *Theſſal.* 1. *v.* 1. *Lucas & Demas* ex epiſtol. ad *Philemon.* *v.* 24. *Tychicus* ex *Epheſ.* 6. *v.* 21. 2 *Tim.* 4. *v.* 12. *Soſthenes* ex 1 *Cor.* 1. *v.* 1. *Apollos* ex Actor. 18. cum 1 *Cor.* 3. *v.* 5. 6. *Epaphroditus* ex Philipp. 2. v. 25. & 4. v. 18. *Epaphras* Philipp. 1. v. 7. Alii Euangeliſtæ aſſumti & miſſi ſunt, *Philippus* ab apoſtolis & eccleſiâ Hieroſolymitanâ Actor. 8. *Marcus* partim ab eccleſiâ Antiochenâ & Apoſtolis *Actor.* 13. partim à Paulo 2 *Tim.* 4. *v.* 11. partim à Petro 1 *Petr.* 5. *v.* 13. *Silas* partim ab Apoſtolis & eccleſiâ Hieroſolymitanâ *Actor.* 15. partim à Paulo *Act.* 15. & 16. *Barnabas* partim ab Apoſtolis & eccleſiâ Hieroſolymitanâ *Actor.* 15. & Antiochenâ *Actor.* 13. partim à Paulo. Ad ulteriorem muneris explicati intelligentiam ſequentes quæſtiones proponimus.

I. *Quæſt. An munus Euangeliſtæ ſit ordinarium & coincidens cum ordinarii paſtoris, ſeu epiſcopi munere: ita ut Euangeliſtarum iſtorum ſucceſſores ſint κατ' ἐξοχὴν dicti ſæculis poſt apoſtolicis epiſcopi, conſuetudine & jure humano facti paſtores aut Rectores multarum eccleſiarum, immo & paſtores ac præfecti omnium diœceſios ſuæ paſtorum & presbyterorum.* *Reſp.* Neg. non magis quam munus apoſtolorum eſt ordinarium & perpetuum in eccleſiâ. Qui epiſcopatum defendunt, ſibi contradicere videntur & ὁμοῦ μίσγειν cum Pontificiis. Ut enim illi loca quædam ſcripturæ e. gr. *Zachar.* 9. in quæſt. de purgatorio, & eadem in quæſt. de limbo patrum allegant: ſic iſti ad apoſtolos confugiunt à 70 diſcipulis diſtinctos; eorumque ſucceſſores faciunt §. 2.

 dictos

dictos epiſcopos : & nihilominus ad Euangeliſtas, nominatim Timotheum & Titum ; quos faciunt *λεγομένους* epiſcopos, à reliquis presbyteris & verbi miniſtris eſſentialiter & ſpecie diſtinctos. Sed de hâc controverſiâ alibi. Hic ſuffecerit notaſſe, munus Euangeliſtarum fuiſſe extraordinarium non ordinarium ; tranſitorium & *πρόσκαιρον* in eccleſiâ, non perpetuum, aut ſucceſſivum ; eorumque jura & privilegia, quæ ſupra alios presbyteros habuerunt, fuiſſe perſonalia non realia.

Object. In ſæculis poſt-apoſtolicis, dicti ſunt quin & hodie adhuc dicuntur Euangeliſtæ.

Reſp. 1. Latè, & ſecundum etymologiam accepto hoc vocabulo, omnes Euangelii præcones poſſent dici Euangeliſtæ Hebr. מבשרים *mebaſſerim*, & illis applicari textus Jeſa. 52. v. 7. *Quam pulchri ſunt*, &c. Sed uſu ſcripturæ in N.T. *Epheſ.* 4. *v.* 11. *Actor.* 21. *v.* 8. 2 *Timoth.* 4. *v.* 5. nomen Euangeliſtæ ſtricte ſumitur & ſpecialiter notat munus extraordinarium in primâ collectione & conſtitutione eccleſiæ novi Teſtamenti quibuſdam impoſitum : uti ſupra hoc à nobis deſcriptum eſt. Atque hoc ſenſu nulli eccleſiarum miniſtri poſt illos Euangeliſtas dici potuerunt *Euangeliſtæ* : non magis, quam dici poſſunt *Apoſtoli*.

Reſp. 2. Impropriè per analogiam quam, aut ſimilitudinem dici poſſunt, & dicti ſunt, *Euangeliſtæ*; qui unius topicę eccleſiæ miniſterio addicti non ſunt; ſed multas clandeſtinas circumeunt & tranſeunt : aut qui inter infideles, idololatras, hæreticos eccleſias plantare & colligere; ſeu mavis ad eccleſiarum conſtitutionem per prædicationem publicam, aut privata alloquia & colloquia, aut per utraque, præparatoriè quædam diſponere conantur : aut qui particulari alicui eccleſiæ, tanquam ordinarii miniſtri affiicti, volente & mittente eccleſiâ, ad novas eccleſiæ aut eccleſiarum plantationes & ordinationes in vicinia aut alibi capeſſendas, operam ſuam ad tempus aliquod commodant. Qualem reſpectu ordinarii miniſterii, eccleſiæ *Heuſdanæ paſtorem*; & reſpectu operæ in plantandâ & ordinandâ eccleſiâ Sylvæ-ducenſi pro illo tempore commodatę *Euangeliſtam* Sylvæ-ducenſem, à magno quodam theologo in inſcriptione literarum, a. 1629. me appellatum memini. Sed hoc nihil ad munus Euangeliſtæ propriè ſic dictum; quale ſupra deſcriptum eſt.

II. *Quæſt. An omnes Euangeliſtæ fuerint immediatè θεοδιδάκτοι ſeu θεόπνευστοι, & infallibiles? Reſp.* Non auſim hoc affirmare : niſi forte de Marco & Luca : de quibus mox dicemus. Fuit hoc privilegium Apoſtolicum, illis promiſſum *Joh.* 16. *v.* 13. cum *Act.* 1. *v.* 4. 5. & collatum cum *Actor.* 2. *v.* 4. cum Epheſ. 2. v. 20. *ſuperſtructi ſuper fundamentum prophetarum & Apoſtolorum.* Huc conferri poſſunt Epheſ. 3. v. 3. & 5. ubi Deus dicitur

Paulo

Paulo *per revelationem notum feciſſe myſterium illud*, &c. Et, *quod aliis ætatibus non innotuit filiis hominum, ut nunc revelatum fuit ſanctis ejus Apoſtolis & Prophetis per ſpiritum.*

Ad dubia & objectiones, quę contra moveri poſſent, aut mota ſunt, reſpondemus.

1. *Object.* Quia ſcripſerunt libros canonicos: ergo fuerunt θεόπνευστοι & infallibiles. *Reſp.* Ad antecedens, hoc de Marco & Luca dici poſſet, non de omnibus aliis. Fabulæ de Euangelio Nicodemi, de Barnabâ ſcriptore epiſtolæ ad Hebræos, de Abdiæ Babylonii certamine Apoſtolico, &c. olim jactatæ, jamdudum exploſę ſunt. Vide ipſos Pontificios *Baronium*, *Poſſevinum*, *Senenſem de Nicodemi* & Barnabæ, & Abdiæ ſcriptis à *Coco* & *Riveto* citatos. *Reſp.* 2. De Lucâ & Marco quæri poſſet; an dictata ipſis fuerint Euangelia ab Apoſtolis, Marco ſcil. à Petro, Lucæ à Paulo: ita ut autentici ſcriptoris partes obiiſſent Petrus & Paulus, amanuenſis ſolummodo Marcus & Lucas. De Marco id affirmaſſe videtur *Papias*, qui id à Johanne presbytero accepiſſe ſe ajebat apud *Euſebium lib. 3. cap. ult.* Hunc ſecuti ſunt, *Tertullianus lib. 4. c. Marcionem*, *Hieronymus in catalogo ſcriptor eccleſ.* & *epiſt.* 150. *qu.* 11. Ex recentioribus de Marco & Luca idem ex antiquorum quorundam teſtimoniis affirmant *Cornel. à Lapide in argum. in Euangelium Marci*, & *Lucæ:* de Marco *Baronius ad ann.* 45. §. 30. *Grotius in notis* refert opiniones veterum; ipſe tamen nihil affirmat. Nos ſiquidem Marcus & Lucas iſtorum Euangeliorum ſcriptores ſint, uti inſcriptiones præferunt: dicendum putamus eos fuiſſe infallibiles, immediatè directos à ſpir. ſ.; & quæcunque ſcripſerunt, ab eodem ipſis inſpirata fuiſſe: juxta 2 *Petr.* 1. *v.* 21. coll. cum 2 *Timoth.* 3. *v.* 16. Quod ad dictas inſcriptiones, dicimus eas non eſſe autenticas, nec partes textus ſacri; conſequenter theſin illam, *Marcus & Lucas ſunt ſcriptores iſtorum Euangeliorum*, non eſſe de fide divinâ. Sed de titulis & inſcriptionibus librorum antehac quæſitum fuit in problematis de ſcripturâ. Saltem ſi in eccleſiis antiquis creditum fuiſſet, eſſe Euangelia Petri & Pauli, & nudos amanuenſes eorundem Marcum & Lucam, tum non magis inſcriptione publicâ dici debuiſſet Euangelium Marci aut Lucæ, quam epiſtola ad Romanos, epiſtola *Tertii*; qui Pauli amanuenſem egerat. *Rom.* 16. *v.* 22.

2. *Object.* Multi poſt tempora Apoſtolorum fuerunt Prophetæ, quibus Deus immediatè & extraordinario quædam revelavit: Et quidni ipſo tempore Apoſtolorum Euangeliſtę habuiſſent revelationes, & conſequenter fuiſſent infallibiles? *Reſp.* Cui Deus extraordinariò particulare aliquod abſens aut futurum revelat; ille ilico non eſt dicendus divinus propheta dono prophetiæ præditus & univerſaliter in rebus fidei infallibilis: uti oſten-

oſtendimus in 2. *part. ſelect. diſp. tit. de prophetiâ.* Qui autem & quales fuerint illi prophetæ, poſt tempora Apoſtolica, ibid. expendimus.

3. *Object.* Soſthenes, Sylvanus, Timotheus juxta Apoſtolum ſubſcribunt epiſtolis, ad Corinthios, & ad Theſſalonicenſes: ergo tanquam ſcriptores θεόπνευστοι fuerunt infallibiles. *Reſp.* Si ſubſcriberent tanquam ſcriptores aut conſcriptores epiſtolæ canonicæ, valeret conſequentia: ſed nos hoc negamus. Illi conſenſerunt ſcripto Pauli, haut aliter ac presbyteri & fratres in Concilio *Actor.* 15. *v.* 22. 23. 28. qui tamen non erant Apoſtoli autoritate & infallibilitate Apoſtolicâ præditi.

4. *Object.* Multi ſancti N. T. Poſt tempora Apoſtolorum habuerunt theologiam revelationis, ſeu θεόπνευστον, ſeu infuſam: ergo multo magis id tribuendum Euangeliſtis? *Reſp.* Diſtinguendum eſt inter donum infallibilitatis; & inter chariſma prophetiæ ſeu theologiam infuſam. Poſterius habuerunt aliqui dicti prophetæ 1 *Cor.* 12. *Rom.* 12. *Actor.* 13. de quo in 2. *Part. ſelect. Diſpp. tit. de chariſmatis.* Jeſuita *Maximilianus Sandeus lib.* 3. *theologiæ variæ commentar.* 16. & ſeqq. inter alios Franciſco Aſſiſio, Joachimo Abbati, Thomæ, Bonaventuræ, Ignatio Lojolæ, Balthaz. Alvares, Franciſco Riberę, Catharinæ Alexandrinæ (ſanctæ ſcil. chimericæ), Catharinæ Senenſi, Catharinæ de Bononiâ, Agneti Politianæ, Thereſiæ de Jeſu, Mariæ Ægyptiacę, Brigittę, &c. tribuit theologiam infuſam; eoſque vocat θεοδιδάκτους. Quod ipſi relinquo. Non tamen iis tribuit infallibilitatem.

III. *Quæſt. An omnes N. T. prophetæ, ita dicti, ſive extraordinariò per infuſionem, ſive per ordinaria ſtudia & exercitia, facultatem propheticam hoc eſt intelligentiam ſcripturarum & ſcientiam theologicam adepti; fuerint Euangeliſtæ?* *Reſp.* Neg. Quia quamvis multi facultate & ἱκανότητι aliquâ tunc pollerent, omnes ideo non fuerunt vocati & ſeparati ad munus Euangeliſtarum: Sicuti omnes non ſunt Doctores, aut prophetæ, aut interpretes 1 *Cor.* 12. *v.* 29. 30.

IV. *Quæſt. An 70. diſcipuli fuerint Euangeliſtæ?* *Reſp.* Neg. Quamvis enim ad analogicum quid agendum mittantur à Chriſto *Luc.* 10. ideo tamen non ſunt dicendi Euangeliſtæ, quales ſupra deſcripti ſunt. Potuit fieri, ut aliqui ex illis, quorum dona & rationes ita ferebant, ab Apoſtolis electi ſint inter Euangeliſtas: ſed omnes, eo ipſo quod eſſent diſcipuli & tranſeunte iſtâ legatione aut præcurſu functi eſſent, ab Apoſtolis habitos & adhibitos fuiſſe tanquam Euangeliſtas, probari nequit.

V. *Quæſt. An nulli iſtius gradus miniſtri Euangeliſtis perpetuo uſque ad finem mundi ſuccedant?* *Reſp.* Neg. non magis quam Apoſtoli in Apoſtolico gradu ſeu poteſtate Apoſtolica, aut quaſi Apoſtolicâ, ſuos habituri ſunt

ſuc-

Digitized by Google

ſucceſſores, ſive clericos ſive laicos (ita loquar) ad eccleſias quaſcunque plantandas, ordinandas, inſtaurandas, reformandas.

De Novi Teſtamenti Prophetis & Prophetiſſis.

Reſtant inter miniſtros extraordinarios novi Teſtamenti prophetæ. Hi §. 3.
concipi poſſent triplices.

I. *Qui dono prophetiæ* (hoc eſt intelligentiæ, interpretationis & applicationis ſcripturarum) infuſo, præditi erant; de quibus *Rom.* 12. *v.* 7. 1 *Cor.* 12. *v.* 10. 28. & 14. *v.* 1. 3. 22. 24. 20. *Actor.* 13. *v.* 1. Nos de talibus egimus ſupra *part.* 1. *lib.* 2. *tract.* 3. *cap.* 2. & in 2. *part. ſelect. diſp. tit. de chariſmatis.*

II. Qui dono prædictionis futurorum præditi erant. Qualis Agabus *Actor.* 11. *v.* 28. & 21. *v.* 10. & quatuor filiæ Philippi *Actor.* 28. *v.* 9. An alii prophetę, qui Hieroſolymas aſcendebant *Actor.* 11. *v.* 28. pariter cum Agabi dona prædictionis præditi fuerunt, ex textu cit. certo non conſtat.

III. Qui utroque dono prędidi ſunt: Quales Johannes ſcriptor Apocalypſios; & forte Agabus, aliique cum illo *Actor.* 11. *v.* 28. *Beza in notis ad Epheſ.* 4. *v.* 11. ſentit inter prophetas, (quos interpretes, aut theologos appellare liceat) fuiſſe aliquos etiam dono prædictionis prędìtos. Quid in genere ſit prophetia ſeu predictio futurorum, antehac explicuimus in 2. *part. ſelect. diſp. tit. de prophetiâ.*

I. *Quæſt. An Apoſtoli, aut ſaltem aliqui eorum ſimul fuerint prophetæ novi Teſtamenti; dono ſcil. prædictionis præditi? Reſp.* Non video hoc certo affirmari poſſe. Verum quidem eſt, Paulum 1 *Timoth.* 4. & 2 *Timoth.* 3. & 1 *Theſſ.* 4. & 2 *Theſſ.* 2. & 1 *Corinth.* 15. & Petrum, 2 *Petr.* 2. & 3. & Johannem 1. *epiſtol. cap.* 2. de futuris quibuſdam: ſed quia illa pertinent ad eccleſię ſub N. T. ſtatum, & ad communia dogmata de adventu Chriſti, fine mundi, regni Chriſti conſummatione in terris; non putem eos ideo tales prophetas magis dicendos, quam propter dogmata de futura reſurrectione mortuorum, & judicio extremo 2 *Corinth.* 5. *v.* 10. *Actor.* 24. *v.* 15. Divina revelatio & prædictio unius particularis ęventus 2 *Petr.* 1. *v.* 14. de tempore mortis ſuę, & Pauli 2 *Timoth.* 4. *v.* 6. neſcio an arguat donum prædictionis: præſertim, cum uterque ſolummodo indefinitè tempus illud prædicat. De raptu Pauli 2 *Cor.* 12. *v.* 4. & Petri *Actor.* 10. *v.* 11. dicendum, nihil particulare futurum illic ipſis revelari. Quod ſpiritus Petro *Actor.* 10. *v.* 19. indicaverit de tribus viris ipſum quærentibus, conferri poteſt cum indicio *Actor.* 8. *v.* 26. unde tamen Philippi Euangeliſtæ donum propheticum certò concludi non poſſe, ſupra monuimus.

II. *Quæſt. An B. Maria θεοτόκος inter dono prophetiæ ſeu prædictionis futu-*

rorum ſub N. T. *præditos numeranda ſit? Reſp.* In revelationibus *Brigittæ lib. 6. cap.* 61. ab ipsâ Mariâ Brigittæ revelatum dicitur, quod longo tempore poſt aſcenſionem Chriſti, in terris vixerit, ut *à patientiâ & moribus eius plures animæ ad Deum converterentur, Apoſtoli Dei, & alii electi roborarentur.* Quæ verba *Gonſalvus Durantus in notis ſuis* ibid. ſic exponit: *ipſiſque Apoſtolis dux & magiſtra eſset.* Quæ eadem à *Maximil. Sandeo lib.* 3. *theologiæ variæ*, & à *Cornel. à Lapide in commentar. ad Actor.* 1. *v.* 13. & *cap.* 2. *v.* 4. *Zwarezio ad part.* 3. *quæſt.* 37. *diſp.* 20. dicta & amplificata ſunt. A Lapide in cap. 1. v. 14. notat inter virtutes, *quibus vacabant Apoſtoli, ut ſe diſponerent ad adventum Spiritus S.*, &c. *fuiſſe familiaritatem & devotionem erga B. virginem*, &c. *Hæc enim cum ſit Dei patris filia, & filii Dei mater, & Spiritus S. ſponſa, quidvis obtinet.* Et in cap. 2. v. 4. probat Mariam donum linguarum accepiſſe, hâc ratione: *Erat ipſa Apoſtolorum, omniumque fidelium ad ſe, quaſi ad Chriſti matrem, toto orbe viſendi causâ confluentium doctrix & conſolatrix*, &c. *Addit* Zwarez *eam ante adventum Spiritus S. habuiſſe hoc donum*, &c. *Sanderus lib.* 3. *theol. variæ comment.* 9. *exercit.* 3. uberius ſic explicat, quod *drosctrix & magiſtra* Apoſtolorum dici poſſit, quia ſuâ theologiâ aliqua ipſis contulerat, quoad fidei dogmata, & ipſi multa à Spiritu S. revelata ut Apoſtolos inſtrueret, & Johannes ſingulariter ab eâ edoctus erat; & Euangeliſtæ docente & narrante eâ ſcripſerant; hinc merito *magiſtram Euangeliſtarum*, *doctricem Apoſtolorum, magiſtram Gentium*, *oraculum Spir. S. prophetiſſam Dei*, imo ut ita dicam, *Euangeliſtam*, *prophetiſſam omnium prophetiarum capacem*, partim à Pontificiis, partim ab antiquis ibi cit. doctoribus fuiſſe prædicatam. Poſtremum illud de prophetiâ habere ſe dicit ex *Ruperto lib.* 5. *in Cantic.* & *Ildefonſo ſerm.* 11. de aſſumtione. Ipſe de ſuo addit: probabile eſſe, illam in die Pentecoſtes *egregiè fuiſſe inſtructam de eccleſia Chriſtianæ ſtatu omni tum præſenti tum futuro.* Ibid. commentar. 9. exercit. 2. diſquiſ. 2. Sed hæc prophetia B. Mariç, tam certa eſt, ac ejuſdem rationis uſus perfectiſſimus, in utero matris, ut per *actum arbitrii ex gratiâ fuerit juſtificata in ipſo conceptionis momento, & in primâ ſanctificatione, cum gratiâ acceperit non tantum virtutes morales ſuapſe naturâ infuſas, verum etiam morales ſuapſe naturâ adquiſitas; quod anima ejus libero & meritorio actu tunc tenderet in Deum; unde illo tempore perfectior erat contemplatrix, quam unquam fuerit aliquis alius, cum vigilavit.* ibid. *comment.* 2. *exercit.* 2. ex *Barnardino, Swarezio, Vaſquez, Barradio, Carthuſiano*, revelationibus Brigittæ. Ut vel hinc videas non eſſe primum hodierni alicujus inventum, de infantum in utero matris ſpeculationibus; hypotheſi huic, quod anima humana ſit cogitatio, ſuperſtructum. De quo nos forte alias, & alibi. Inſpiciant interim

Digitized by Google

rim ſtudioſi *Jeſa. 7. v. 16.* qui textus adducitur à Clariſſ. theologo *Henr. Altingio* ad explicandam theologiam naturalem inſitam: in theolog. *problemat. part. 1. probl. 1.* Nos antehac alium etiam locum indicavimus *Rom. 9. v. 12.* Quibus addi poſſunt *Jona 4. verſ. ult. Deut. 1. v. 39.*

III. *Quaſt. An filiæ Philippi* Actor. 21. *tanquam prophetiſſæ novi Teſtamenti, & Anna filia Phanuelis* Luc. 2. *(quæ quaſi media inter N. & V.T.) publicè miniſtraverint in eccleſiis, aut cultui divino præfuerint? Reſp.* De ſacrificiorum oblatione & thurificatione videtur omnino negandum. Sed de aliquâ verbi prædicatione, precatione, populi benedictione, extraordinario, per occaſionem ab illis præſtitâ, concedi poſſet. Confer quę ſupra *cap. 1. de Prophetiſſis* V. T. Mirjam, & Deborah diſquiſivimus. De prophetiſſarum N. T. divinis inſpirationibus & viſionibus ſuper rebus particularibus, ſive abſentibus ſive futuris, ſacerdoti, aut regi, aut populo, aut cuivis ex illis hoc quærenti (quem Deus per ipſas hoc ſcire voluiſſet) ſive vivâ voce ſive ſcripto referendis & indicandis, atque hâc ratione eccleſiam & ordinarios miniſtros juvando ac dirigendo; nolim negare. Sicuti Deboram & Huldam prophetiſſas ſub V. T. donum & extraordinarium munus ſuum hâc ſimilive ratione exercuiſſe credo. De Mirjam anteceſſione in epinicio & hymno *Exod. 15. 20.* de cantico Deboræ *Judic. 5.* ſupra *cap. 1.* ſententiam noſtram aperuimus.

IV. *Quaſt. An Prophetæ N. T. fuerint præſtantiores Prophetis V. T.? Reſp.* Celebris quidam theologus hoc affirmare videtur: & inter prophetas N.T. longè eminere dicit Apoſtolos. Ego diſtinguerem, ſi ſtatus perſonarum in & ſub gratiâ Euangelii promiſſionis, cum ſtatu perſonarum in ac ſub gratia Euangelii impletionis, conſtitutarum, comparetur: dico, non tantum Prophetas N. T. (e. gr. Agabum) ſed & quoſque fideles N. T. eſſe præſtantiores; multo magis Apoſtolos, & inter eos Johannem, qui & Apoſtolus & Propheta. Vide *Matth. 11. v. 11.* & *13. v. 16. 17.* Sin comparationem inſtituas, in dono & munere prædicendi non tantum ea quæ in adventu & poſt adventum Meſſiæ futura erant, ſed & alia particularia ſive futura ſive abſentia: non video cur Prophetæ N. T. Agabus aut filię Philippi hoc reſpectu dicerentur præſtantiores; & vel ipſi Apoſtoli: quippe qui, aut non fuerunt Prophetæ; aut ſi fuerunt, ut ſolus Johannes; plurium particularium abſentium & futurorum prędictiones non habuerunt, ſupra Samuelem videntem, Eliam, Elizeum; Nullamque futurorum de Meſſia ejuſque adventu, doctrina, geſtis, paſſionibus, prædictionem habuerunt: quia jam præterierant.

V. *Quaſt. An eccleſia N. T. extraordinarium miniſterium, aſſiſtentiam & directionem Prophetarum, perpetuo ac continuo, ſaltem ita habeat, ut vera ec-*

cleſiæ nota, inde deſumi poſſit. Reſp. Hoc velit *Bellarminus in diſputatione de notis eccleſiæ:* ſed abſque ratione. Apparitionis enim & alloquii Angelorum, aut talis doni, & dictorum Prophetarum perpetuam ſucceſſionem, aſſiſtentiam, & directionem, non magis quam Apoſtolorum & Euangeliſtarum demonſtrare poterunt.

Nos contra ſuggerimus ſequentia 1. *Quod* Deus nuſquam promiſerit continuationem chariſmatum variis linguis loquendi, linguas interpretandi, dæmonia ejiciendi, miracula patrandi. 2. *Quod* pleræque, quæ exſtant, prophetiæ, & revelationes (quibus perpetuitatem aut ſucceſſionem hujus doni nonnulli probare intendunt) cum autoribus ſuis ita diſcuſſæ ſint: ut vix una aut altera ſuperſit, de quâ quis fortè malit ἐπέχειν. Sed dato hoc, non conceſſo; negamus unam hirundinem facere ver. 3. *Quod*, extraordinariis illis modis, per extraordinorios miniſtros Deus jam non ita loquatur populo ſuo, nec etiam neceſſe ſit, ſatis probabiliter ex *ſeqq.* colligitur. *Primo*, quia poſtremo locutus eſt per filium *Hebr. 1. v. 1. Secundo*, quia canon ſcripturæ jam magis extenſus eſt quam ſub V. T. aut in initio plantationis & collectionis eccleſiæ N. T.: quippe admodum auctus per acceſſionem librorum N T. *Tertio*, quia eccleſia jam non eſt infantilis ſub tutoribus: uti tempore V. T. *Galat.* 4. *v.* 1.-8. Ideoque, uti fulcris & adminiculis legis ceremonialis ordinariis cum Urim & Thummim non indiget: Sic nec extraordinariis Prophetarum auxiliis & miniſteriis.

CAP. IV.

De extraordinario Miniſterio Johannis Baptiſtæ.

EXtraordinarium miniſterium fuit Johannis Baptiſtæ; nec plane Veteris Teſtamenti, nec etiam novi: ſed medium inter utrumque. Vidit enim adventum Chriſti in carnem, immo etiam inchoatam publici muneris functionem: Expende *Joh. 1. v. 29.* & 3. *v. 23.* uſque ad finem, *Matth. 11. v. 2.* Sed non vidit τὸ *conſummatum eſt (Joh. 19. v. 30.)* nec ſtatum exaltationis Chriſti; nec cultus divini & eccleſiæ Novi Teſtamenti conſtitutionem. Quo reſpectu minimus in regno cœlorum dicitur major Johanne *Matth. 11. v. 11.* Qui tamen major erat omnibus Prophetis; duplici ratione: quarum una illi erat communis, cum ſanctis & fidelibus tunc viventibus, Simeone, Anna Phanuelis, & omnibus diſcipulis Chriſti: altera illi erat propria. *Prior* eſt, quod vidiſſet Chriſtum in carne Luc. 10. v. 23. *Beati oculi qui vident, quod vos videtis. Dico enim vobis, quod multi Prophetæ,* &c. *Poſterior ratio* præſtantiæ erat, quod munere quo-

Digitized by Google

quodam ſingulari & ἀπαρεγβάτῳ fungeretur, præcurſoris ſcil., paranymphi, & angeli ante faciem Chriſti. *Matth.* 11. *v.* 10. & 17. *v.* 12. *Luc.* 1. *v.* 17. *Joh.* 3. 29. Ex antiquis *Chryſoſtomus in hom. de Johanne*, *Petr. Chryſologus ſerm.* 127. Johannis prærogativas recenſent; Ex poſterioribus *Bernardus in ſerm. de Joh. Baptiſtâ* decem prærogativas; ex recentioribus *Barradius*, inſuper alias viginti octo. Nos iſtis ſuo loco relictis, de ortu, geſtis, obitu, & ſingulari ac plane extraordinario munere Joh. Baptiſtæ, ex ſolâ ſcripturâ delineandis (uti anno 1610. hoc factum ab *Abrah. Sculteto in ſpecimine topicorum theologicorum* ex ſolis ſcripturis conficiendorum, tractatu ſcil. de præcatione & de Joh. Baptiſtâ) ſequentes ſolummodo quęſtiones proponimus.

I. *Quaſt. An Johannes Baptiſta fuerit dictus ille Elias, promiſſus* Malach. 4. v. 4. ; *an vero Elias Thisbites, ante adventum Chriſti exſpectandus ſit. Reſp.* Prius affirmatur, ex invictis teſtimoniis ſervatoris noſtri Matth. 11. v. 10. *Hic enim eſt, de quo ſcriptum eſt, Ecce ego mitto angelum meum ante faciem meam*, &c. & 17. v. 11. 12. ubi diſcipulis interrogantibus, *cur ſcribæ dicerent, debere prius venire Eliam*, reſpondebat, *Dico vobis, quod Elias venit*, &c. Ubi Euangeliſta mox ſubjicit v. 13. *Tunc intellexerunt diſcipuli, quod ipſis dixiſſet de Johanne Baptiſta.* Confer *Marc.* 9. *v.* 11. 12. 13. Quod autem Johannes non fuerit Elias Thisbites, ſed *Malach.* 4. dictus fuerit Elias, exponitur ab angelo Gabriele Luc. 1. v. 17. *quod in ſpiritu & virtute Eliæ* præceſſurus eſſet, &c.

Huic ſententiæ non tantum Judęorum, ſed & Pontificiorum ſomnia adverſantur. Judæi tempore Chriſti (ut tunc multi errores in eccleſiâ Dei, præcipue in ſacerdotibus & legis Doctoribus graſſabantur) opinabantur, Eliam Thisbiten ante adventum Meſſiæ venturum: uti conſtat ex *Math.* 17. 10. Quin & ante illa tempora hanc opinionem ex malè intellecto loco Malachiæ obtinuiſſe apparet ex *Syracide cap.* 48. *v.* 10. 11. Horum poſteri completâ jam Apoſtaſia & velamine cordibus impoſito, exſpectationem Elię conſuetâ hac formulâ ſuâ profitentur: *Elias veniet*; quâ uti ſolent quotieſcunque perplexa aut ἄλυτα in theologiâ ipſorum occurrunt, à quibus ſe nequeunt expedire. Perditum ſi quis reperit, nec invenire poteſt poſſeſſorem, apud ſe reponere tenetur, *uſque dum venerit Elias.* Commentária Rabbinica in *Malach.* 4. de adventu Eliæ Thisbitæ textum explicant. *Aben Ezra* cum dixiſſet abſque controverſiâ *Eliam viſum fuiſſe in diebus ſapientum ſanctorum*; hoc voto explicationem ſuam concludit: *Et Deus ex miſericordiâ ſuâ prophetiam ſuam acceleret, atque terminos adventus ejus.* R. David Kimichi ibid. *Reſtituet Deus animam Eliæ quæ aſcendit olim in cœlum in corpus creatum inſtar corporis ejus prioris*, &c. *cum autem eum*

viviſicaverit in corpore, mittet eum ad Iſraelem, &c. Thalmudici ad tract. *Erubbim*, quærunt, quo die venturus ſit Elias, & gloſſa dicit, forte venturum veſpere Sabbathi, & Euangelizaturum ipſo die Sabbathi. Hilleliani in *Peſachim* Thalmud Hieroſolymit. concludunt certum eſſe, non venturum Eliam Sabbatho, aut die Feſto. Don Abarbaneel in Malach. 4. dicit, *verum eſſe quod Elias adhuc ſtet in loco quem definivit & ſapientia ejus, & occupetur* (מתעסק *mitaſſek*) *in oculis filiorum Adam, prout opus fuerit* (ſecundum neceſſitatem) *: & ideo apparuerit ſanctis ſapientibus noſtris.* Qui ibidem cum *Aben Ezra ex textu 2 Par.* 21. probare contendit, quod tunc epiſtolam ſcripſit & miſit. Hinc eſt, quod miſeri Judęi putent Eliam intereſſe circumciſioni, & in alterâ ſellâ ſedere, & animadvertere an ritè adminiſtretur fœdus, juxta textum Malach. 3. v. 1. *Ecce Angelus fœderis*, &c. Hinc etiam in cantionibus nocturnis multam iteratamque mentionem Eliæ injiciunt. De quo vide *Buxtorfii ſynagogam cap.* 2. & 11. Affinia his commentis habent Pontificii apud *Bellarmin. lib.* 3. *de Pontifice cap.* 6. *Malvendam de Antichriſto lib.* 9. *Zwatezium adverſus ſereniſſ. magnæ Britanniæ Regem Jacobum lib.* 5. 11.-15. & apud *A Lapide in comment. ad Syracidem cap.* 48. *v.* 10. Nota, inquit, Eliam has literas miſiſſe poſt raptum „ſuum ex paradiſo, &c. Ita cenſent Hebræi in Seder Olam cap. 17. *Lyranus, Malvenda lib.* 9. *de Antichriſto cap.* 2. & *noſter Salianus in Annal.*

„ *Ibid. paulo poſt:* Ex dictis videas Eliam, eſto paradiſi colonum, tamen „priſtinum pro Deo zelum gerere, deque ſuæ gentis ſalute eſſe ſollicitum. „Similem ſollicitudinem Hebræorum geſſit Jeremias in limbo exiſtens, „orans pro eis, & Judâ Machabeo 2 *Machab.* 15. *v.* 14.

„ *Idem ad v.* 2. Elias ergo fuit ignipotens immo cœlipotens. Idem faciet in fine mundi, quando redibit, cum Henoch ut certet contra An„tichriſtum ejuſque aſſeclas, &c. juxta illud *Apocalypſ.* 11. Quem locum in commentar. ſuis ad eum de Enoch & Eliâ exponit. Quod ante cum fuſius actum erat à *Ribera*, citatis pluribus ſuorum, etiam quorundam ex antiquis. Sed noſtri ſolidis rationibus hanc Mythologiam exploſerunt. Vide Sereniſſ. & Potentiſſ. Magnæ Bitranniæ Regis monitoriam præfat. apologiæ pro juramento fidelitatis præmiſſam; *Pareum in comment. ad Apoc.* 11. Antagoniſtas *Bellarmini, ad lib.* 3. *de Pontifice Romano*; Scriptores de Antichriſto: & ex poſtremis (anno 1620.) *Georg. Downamum de Antichriſto part.* 2. *ad* 15. contra *Leſſii demonſtrat. pag.* 905. *Raynoldum in cenſurâ libr. apocryphor. prælect.* 95. 96. 97.

Hâc fabulâ profligatâ, exciſus eſt Achilles Pontificiorum pro ſuo Papa non-Antichriſto. Si Elias cum Enocho nondum venit, ergò non ſedet nec tamdiu Romæ ſedit Antichriſtus. Haut aliter ac Judęi. Si Elias non venit,

venit, ergo promiſſus Chriſtus ſeu Meſſias non venit, & *beatus omnis* (Judæus ſcil.) *qui exſpectat*; juxta illud *Pſalm.* 2. quod huc applicare ſolent.

II. *Quæſt. Quando conceptus & natus ſit Joh. Baptiſta? Reſp. Baronius in appar. ad annales* §. 68. *ait.* VIII. Kal. Octobr. poſt æquinoctium, ſolenni jejunii tempore conceptum, & conſequenter poſt novem menſium decurſum, natum: & ſeqq. §. 69. 70. &c. de Zachariæ ſacerdotio, ejuſdemque ingreſſu in templum ad adolendum diſceptat. Et hæc quidem, ut hypotheſin ſibi faciat in quæſt. de tempore nativitatis Chriſti & concludat, uti concludit §. 131. Jeſum Chriſtum Servatorem natum eſſe 25. Decemb. Quæ quam ſolida ſint, antehac oſtendimus in 2 *part. ſelect. diſpp. tit. de tempore nativitatis Chriſti*: nec hic repetimus.

III. *Quæſt. An ab Herode in infanticidio Bethlemetico occidi juſſus in ſpeluncis à matre conſervatus, & neci ſubductus fuerit. Reſp.* Hæc ita narrat *Baronius, ann.* 1. §. 53. laudato autore ſuo *Petro Alexandrino in regulis eccleſiaſticis*; quas probatas dicit à ſextâ *Synodo cap.* 1. Quia autem videbat Johannem infantem in montanis Hebrone habitantem, non potuiſſe quæri ab Herode inter infantes Bethlemiticos; hiſtoriam aliam fabricat, de Johanne extra illos infantes ſeorſim quæſito ad necem, quod Herodes ſuſpicaretur ex auditis admirandis, quæ circa conceptionem & nativitatem Johannis evenerant, Johannem eſſe Chriſtum Regem Judæorum: & quia Johannem aſſequi non poterat, loca ipſius patrem Zachariam fuiſſe occiſum. Ita *Baronius in annalium* ſuorum conſarcinatione toties ſe Simeoni metaphraſti ſimillimum oſtendit; qui teſte *Bellarmino in lib. de ſcriptoribus eccleſiaſticis pag.* 284. *Hiſtorias ſcripſit de vitis ſanctorum, multis additis ex proprio ingenio, non ut res geſtæ fuerunt, ſed ut geri potuerunt.* Nec ipſe has artes ſuas diffitetur, cum ibid. §. 54. ſcribit: *Hæc dixerimus, quo magis nobis probetur Zachariæ necis cauſa à Petro* (Alexandrino) *allata, licet ex apocryphis accepta noſcantur.* Ibid. §. 55. *Sed quod ad effuſum ſanguinem* (Zachariæ) *ſpectat, Hieronymus ſimplicitati credentium potius tribuens, quam hiſtoriæ veritati, æque rejicit*, &c. Ibid. §. 56. *Quin inſuper Gnoſtici etiam heretici temporibus Apoſtolorum propiores, de Zachariâ Johannis patre, quod occiſus fuerit in templo, pro conſtanti affirmârunt*, &c.

Ex his aliiſque compluribus ἐν παρόδῳ concludimus Baronii annales non minus à nobis comparari poſſe, ac *Bibliotheca Vaticana* ab Annaliſta comparatur, ſagenæ miſſæ in mare, quæ concludit piſces bonos & malos.

IV. *Quæſt. An primorum reformatorum vocatio & miniſterium fuerit extraordinarium: & illud exemplo Johannis Baptiſtæ à noſtris defendatur? Reſp.*

ad

ad 1. Specie & formâ fuit ordinarium: quamvis extrinſeco aliquo reſpectu poſſet dici extraordinarium: uti pluribus hoc explicuimus; in *Deſperatâ Causâ Papatus lib.* 2. & infra *lib.* 3. *Reſp.* 2. A noſtris adduci exemplum Joh. Baptiſtæ, ut excipiant contra aſſertionem Pontificiorum, de miraculis neceſſario edendis & editis per eos, qui extraordinario vocati ſunt. Noſtri dicunt Johannem Baptiſtam extraordinario vocatum & extraordinario miniſterio functum, editis miraculis non claruiſſe. Hanc eorum exceptionem defendimus *lib.* 2. *Deſper. cauſa Papatus ſect.* 2. *cap.* 21.

V. *Quaſt. An Joh. Bapt. ab angelo in deſerto fuerit nutritus? Reſp.* Sic habet *index ad* 1. *tom. Baronii.* In ipſo textu *annalium ad ann.* 1. *§.* 56. adducit *Nicephorum lib.* 1. *cap.* 14. & *Cedrenum in compend. hiſtor.* teſtantes, Johannem in ſpelunca quadam conſervatum, ibique poſt dies 40. matrem Elizabetham mortuam eſſe, inde Johannem angelo duce uſum, in remotiores ſylvarum receſſus ſeceſſiſſe. His epicriſin ſuam ſubjicit *Baronius*, faber hiſtoriarum faberrimus: „ Sed, inquit, licet hæc tam antiqua ab eo „ (*Cedreno, qui floruit circa ann.* 1037.) ſine certo autore ferantur; tamen „ quod ait de ſuſceptâ curâ ab Angelo, haut adeo impoſſibile videri debet, „ ſi quis mente recolat, Iſmaeli à matre projecto angelum aſtitiſſe. Sane perquam affabrè: ut *Simeonem Metaphraſtem*, aut *Jacobum de Voragine*, aut *Petrum de Natalibus*, aut ſimilem quem aureatum legendarum conſarcinatorem in hoc redivivum cognoſcas: hoc tamen diſcrimine, quod illi ſine arte ſimpliciter & ruſticè fabulati ſunt: hic majorem colorum apparatum adhibuerit, nec ingenio nec arte rudis. More ſolito ſagenâ ſuâ & hîc & paſſim attrahit hiſtoricos tam malos quam bonos, tam ſuis improbatos, quam probatos: modo quid dicant, ad chartam implendam, & ad populum phaleras. *Nicephorum Caliſtum Xantophulum*, qui floruit circa annum 1303, quanti faciant Pontificii, & ipſe *Baronius*, cognoſce ex Bellarmino de ſcriptoribus eccleſiaſticis: *In hiſtoria*, inquit, *hujus autoris*, *& Græci ſciſmatici non mirum videri debet*, *ſi inveniantur errores proprii Græcorum*, &c. *Magis mirum eſt*, *inveniri non paucos errores in rebus hiſtoricis*, *ut ex annalibus Cardinalis Baronii conſtat. Poſſevinus in appar. ſacro* ſpeciatim errores ejus in theologiâ & hiſtoriâ enumerat; & ab aliis Pontificiis cenſurâ notatum, quin & indice libror. prohibitorum Clementis VIII. Latinum Nicephorum ex verſione *Joh. Langi*, inter autores primæ claſſis prohibitos, indicat. Nos ante annos 33. *in Deſper. causâ Papatus* notavimus qua fide & conſcientia Pontificii cum Jeſuita *Campiano*, in 10. rationibus, ad hiſtoricos provocent, eoſque contra nos adducant. De Georgio Cedreno, nihil aliud dicam, quam quod *Gerh. Joh. Voſſius lib.* 2. *de hiſtoricis Græcis cap.* 26.

quod

quod in centone hoc, ac pene dixerim, quiſquiliis iſtis aliquos purpuræ pannos invenire eſt, &c. Qui ibidem in hujus capitis hypotheſi tale præfigit elogium: *Georgius Cedrenus, vix treſſis ſcriptor, niſi quatenus ex Africano & Euſebio aliquos purpuræ pannos habet.*

VI. *Quæſt. An Johannes tempore miniſterii ſui habitaverit in ſpeluncâ prope Jordanem? Reſp.* Ita velit *Baronius ad ann.* 31. §. 11. & quomodo, ſcriptura tacente, fidelibus poſt multa tempora locus ille innotuerit, *ſincerâ*, ait Baronius, *atteſtatione Sophronii* (in prato ſpirituali cap. 1.), *qui ejuſmodi ſcribit hiſtoriam, enarremus.* Summa narrationis eſt, quod Johannes ſeni cuidam monacho in apparitione hoc revelaverit, eique mandaverit ut in ſpelunca illa permaneret, ſub promiſſione ſanitatis reſtituendæ: addito hoc motivo, Quod Dominus Jeſus cum ſe viſitaret, ſæpe hanc ſpeluncam ingreſſus eſſet. Quodque monachus ille Johannes toto tempore ibi perſeveraverit, & *ſpeluncam fecerit eccleſiam* (hoc eſt monaſterium) & *fratres congregaverit.* Quodque in eodem loco alius ſenex commoratus fuerit *tantæ virtutis, ut leones ſecum in eâdem ſpeluncâ ſuſciperet, atque cibum in ſinu ſuo ipſis præberet.* Ut videas non ſolum aureæ legendæ ſcriptorem (quem *Ludov. Vives* hominem, plumbei cordis & ferrei oris ſalutabat), aut conformitates Franciſci, aut vitas Dominici, &c. Antiquorum poëtarum mythologias, præſertim Metamorphoſes Ovidii, poſſe provocare. Quanti ſit aut fieri debeat hic hiſtoricus, per digreſſionem non diſquiram, ſed ſolummodo ex Poſſevini appar. referam, quanti fiat Baronio aliiſque Pontificiis. *Quiſquis*, inquit, *fuerit hujus Prati ſpiritualis autor, hic nonnunquam inſerit ea, quæ parum tutam fidem habent; quin & vel relata à non fide dignis, atque interdum aſperſa mendacio, cum delectu ſecernenda ſunt ab aliis. Quale illud quod cap.* 128. &c. *Quodque Trejum*, &c. *atque alia ejuſmodi, quæ Baron. Card. tom.* 5. *ſuorum annal. ſub ann.* 407. *explodit.*

VII. *Quæſt. An Johannes illo vitæ genere, vitæ monaſticæ fundamenta jecerit: ejuſdemque princeps fuerit? Reſp.* Prius in terminis affirmat *Baronius ad ann.* 31. §. 15. Poſterius, qui indicem ad tomum illum *Baronii* confecit. Citatur pro hac aſſertione *Iſidorus Peluſiota*, *Chryſoſtomus*, *Hieronymus*. Subjungit ibidem, *novatores eo deveniſſe ſtultitiæ, vel potius iniquitatis, ut malint corrumpere verbum Dei, & Johannem vitâ otioſa & delitioſa infamare, quam monaſticam ab eo dimanaſſe vitam*, &c. Amandat ibidem lectores ad *Petrum Caniſium*; à quo dicit novatores *imperitiæ*, *dementiæ*, *perfidiæ ſummo iure redargutos eſſe.* Sed cum nullum novatorem indicet, velim ſcire, qui ſint illi, qui Johannem vitæ otioſæ infamarunt? An ex noſtris hiſtorici Eccleſiaſtici? an commentatores? an locor. theologicor. ſcriptores? an antagoniſtæ Papatus, in diſceptatione de monachis? Si tale indicium non fecerit *Baro-*

Digitized by Google

nius, nec pro illo quis alius facere poſſit, quomodo à mendacio, aut ſaltem à grandi paroramate hiſtorico tantus ſcil. hiſtoricus, excuſari poterit? *Corn. à Lapide in Math.* 3. poſt *Baronium* allegatus (uti opinor) ex *Baronii loc.* ſupra cit. *Hieronymo*, & *Chryſoſtomo* (quibus addit *Theophylactum*, *Euthymium*, *Caſſianum*) probat Johannem dictum fuiſſe principem monachorum & anachoretarum. Idem ibid. ex *Nicephoro*, *Cedreno*, autore prati ſpiritualis exſtruit ſpeluncam Johannis, poſtea ab eremitis cultam: ſed ſpeluncam, in qua Johannes infans & mater ipſa delituiſſet, cum ea, quam miniſterio fungens incoluiſſe dicitur, confundit; quas *Baronius* diſtinctas vult. Is tamen verecundius perſtringit dictos novatores, quam Baronius, *In desertò* exponit, *de non culto & habitato: quaſi Johannes in domo paternâ, quæ in montanis Judeæ erat, commodè habitarit, uti volunt noſtri delicati novatores, & deſertores.* Utrique breviter quid reponam.

Reſp. 1. A noſtris negantibus prætenſum monachatum Johannis, verbum Dei non corrumpi, aut Johannem otioſæ & delitioſę vitę infamari: cum ex ſcriptura didicerunt, eum ſecundum vocationem & extraordinarium ſuum prædicandi, baptizandi, reformandi, Chriſto viam parandi munus, maximè negotioſum fuiſſe, & genus vitæ ipſius minime fuiſſe delitioſum: atteſtante ſcriptura *Matth.* 3. &. 11. ubi videantur notæ & commentaria noſtrorum. Ipſi Pontificii nobiſcum fateri coguntur, Chriſtum extra eremum habitaſſe, & alio vitæ genere ac Johannem (quod ad veſtes & cibum) uſum eſſe: eo ipſo tamen vitæ otioſæ & delitioſæ eundem non infamant. Dicant quæſo, an omnes ipſorum Pontifices, Cardinales, archiepiſcopi, epiſcopi, parochi, Doctores & profeſſores theologi, canonici irregulares, ſacerdotes ſæculares, aliique clerici extra regulam ſeu religionem viventes, vitæ otioſæ & delitioſæ accuſandos putent? Non arbitror. Videantur modo ſcriptores ipſorum de poteſtate Epiſcoporum, de praxi epiſcopali, & commentatores in 1 *Timoth.* 3. & *Tit.* 1. *Eraſmus in colloquio dicto Echo*, ſacerdotibus *otium*, & epiſcopis *πόνους.* 1. *labores & moleſtias* tribuebat. Ubi tamen tempori ſe temperaſſe, & auribus nimium dediſſe, docuit experientia: & quam laborioſi fuerint iſtius ſæculi Epiſcopi non diſſimulavit *Iſidor. Clarius in notis* ad 1 *Timoth.* 3.

Reſp. 2. *Cornelio à Lapide*, noſtros ideo non eſſe titulo *delicatorum & deſertorum* denigrandos, quod negent Johannem fuiſſe monachum anachoretam, ſeu eremitam. Negabunt idem, & negare debent Pontificii, de Chriſto, Apoſtolis, antiquæ eccleſiæ Doctoribus, ut *Ignatio*, *Athenagora*, *Juſtino*, *Irenæo*, *Cypriano*, *Ambroſio*, *Nyſſeno*, *Hilario*, &c. deque ſuis Pontificibus, prelatis ſæcularibus, aliiſque clericis. An ideo dicendi erunt *delicati*?

Reſp. 3. utrique; Johannem non fuiſſe monachum aut eremitam aut inſtar primorum & antiquorum, aut inſtar hodiernorum Papalium. *Non inſtar* antiquorum, quia antiqui eremitæ, aſcetæ, monachi, erant merè privati, & Laici: uti pro Sorboniſtis contra Jeſuitas ſub larva perſonati *Loemelii* deliteſcentis diſputat Nic. le Maiſtre lib. 2. *Inſtaurationis antiqui epiſcoporum principatus, & avitæ monachorum obſervantiæ* cap. 1.- 12. ubi oſtendit magnam inter illos & hodiernos monachos differentiam. Johannes vero in publico, ſublimi, & extraordinaro munere in eccleſiâ Dei fuit conſtitutus, eoque fideliter variis in locis *Matth.* 3. *Joh.* 1. & 13. etiam in aulâ aut circa aulam regis Herodis *Marci.* 6. *v.* 20. defunctus eſt. *Nec inſtar* monachorum Papalium vixit: quorum fundamentum ſeu forma conſiſtit in tribus votis, quæ emittunt & ſervant. Atqui nihil tale de Baptiſta probari poteſt. Vide *Hoſpinian. lib. de monachis cap.* 3. Nos etiam infra *part.* 2. *lib.* 4. *de monachatu & de votis monaſticis* agemus.

VIII. *Quæſt. An quis alius ante aut poſt illum, tale munus habuerit? & in quo conſtiterit peculiare munus ipſius? Reſp.* Neg. pr. Fuit enim munus præcurſoris ſingulare: cum quo munus prophetæ Eliæ magnam habuit affinitatem; non tamen ſpecie idem fuit. Ut enim unus tantum & ſingularis fuit adventus Chriſti in carnem, & unicum ac ſingulare ejuſdem munus mediatorium in his terris: ſic unus & ſingularis fuit præcurſor mediatoris, qui viam ipſi præparavit. Et hoc reſpectu non fuit ante Johannem major ipſo. *Math.* 11. nec futurus eſt poſt eum. Conſiſtebat autem munus ejus, *primo* in prædicatione pœnitentiæ *Matth.* 3 *v.* 2. *Marc.* 1. *v.* 4. 2. *Secundo*, in annuntiatione Chriſti mox apparituri in Iſraele *Math.* 3. 11. 3. *Tertio* in indicio ejuſdem in medio ipſorum jam ſtantis & publicum munus ſuum obeuntis *Joh.* 1. *v.* 27.- 36. & 3. *v.* 27. *Matth.* 11. *v.* 2. 4. *Quarto* conſequenter in viæ præparatione & eccleſiæ tum in doctrinâ tum in moribus collapſæ reformatione. *Math.* 3. *v.* 3. 5. *Quinto*, in primâ adminiſtratione baptiſmi, *Matth.* 3. *Joh.* 1. & 3. *v.* 23. & 4. *v.* 1. 2. Ex quibus conjunctis colligitur diſcrimen inter vocationem ac functionem Johannis, & patriarcharum, Apoſtolorum, Euangeliſtarum, omniumque miniſtrorum ordinariorum tum V. tum N. T.

IX. *Quæſt. An Johannes Baptiſmum primus invenerit, & inſtituerit? Reſp.* Neg. Quamvis enim ante Chriſtum publicè prædicare & baptizare cœperit tanquam ejus præcurſor, & inde κατ' ἐξοχὴν dictus ſit baptiſtes: primus tamen fuit miniſter baptiſmi; non inventor, nec inſtitutor. Hoc ipſe ſatis innuit Joh. 1. v. 33. *Qui miſit me baptizare in aquâ*, &c. Quod ego de Chriſto mediatore intelligendum puto. Illum Johannes agnovit Meſſiam, mediatorem & dominum ſuum *Johann.* 1. *v.* 15.- 37. & 3.

 v. 27.

v. 27.- 36. cum *Iohan.* 5. *v.* 33.- 39. ab illo per ſpiritum ſanctum edoctus erat de miniſterio ſuo, & baptiſmi adminiſtratione, ſecundum ipſius inſtitutionem; Ille coram Apoſtolis baptiſmi per ipſos mandato ejus adminiſtrati, (*Ioh.* 3. *v.* 22. & 4. *v.* 1. 2.) inſtitutionem ſolenniter iteravit & repetiit. *Matth.* 27. *v.* 15. Nec mirum videri debet, ſi dicatur Chriſtum, nondum palam mediatoris munus exercentem, inſtituiſſe baptiſmum & Joh. Baptiſtam ad hoc miſiſſe: cum etiam prophetas ſub V. T. miſerit, & in illis ac per illos locutus ſit. 1 Pet. 3. v. 19. 20. ubi dicitur *ſpiritu profectus prædicaſſe ſpiritibus qui ſunt in carcere, qui quondam immorigeri erant*, &c. Vide & Luc. 11. v. 49.

X. *Quæſt. An Baptiſmus eius eſſentialiter diſtinctus fuerit à Baptiſmo Chriſti & Apoſtolorum? Reſp.* Aff. Pontificii, apud *Bellarminum lib.* 1. *de Baptiſmo & confirm. cap.* 19.- 24 & à *Lapide in comment. ad Matth.* 3. & *Actor.* 19. Quibus accedit *Rich. Montacutius*; cui autoritate publicâ impoſitum fuiſſe dicitur examen annalium *Baronii*, ut à fermento Pelagiano, quo paſtus erat & alios infermentare conabatur, tantò melius abduceretur, labore illo ſatis laborioſo & prolixo occupatus. Is tamen non raro Baronii Papiſticas opiniones aut incruſtare aut apertè propugnare compertus eſt, & ſatis faſtidiosè in primæ reformationis Doctores incurrere; eoſque appellare novatores: uti antehac notavimus in 2. *part. ſelect. diſp. tit. de tempore nativitatis Chriſti.* Hic ergo in 2. *part. origin. eccleſiaſtic.* §. 58. & ſeqq. hoc agit. Grotius in notis ad Acta 19. v. 5. eodem inclinat; non ſine affectu indignationis reformatis ingerens: *Lucæ hæc eſſe verba; & ſic accepiſſe Latinum, Syrum, Arabem, & veteres omnes ante Marnixum.* Pungit Bezam, qui in notis ad Actor. 19. v. 5. ſcripſerat *ſe interpretationem hujus loci, ab Anabaptiſtis præſertim tam vexati, acceptam ferre viro tum generis nobilitate, tum pietate & doctrinâ, & plurimis virtutibus clariſſimo D. Marnixio.* Sed ante *Bezam & Marnixium, Bullingerus, Stigelius, Calvinus*; Et poſt eos notæ *Andr. Oſiandri in Biblia Latina*, & Belgicæ atque Angliceæ, & communiter Anabaptiſmi antagoniſtæ, verba illa non habent pro verbis hiſtorici Lucæ; ſed pro verbis Pauli. Adeo ut negent inde probari poſſe Anabaptiſmum eorum qui à Johanne Baptizati erant.

Rationes pro hac interpretatione deſumuntur.

1. Ex Textu: ubi particulæ relativæ (μὲν & δὲ *v.* 5. atque adeo enunciationis *v.* 4. cum enunciatione *v.* 5. collatio continuationem ſermonis Pauli indicant. Quæ particula (μὲν) ab interpretibus Latino, Syro, Arabe omiſſa eſt: & (δὲ) transfertur ab illis per copulativam (&). Hæ particulæ otiosè prætermittendæ non ſunt, aut aliter explicandæ, quaſi nihil facerent ad tranſitionem, & cohnexionem: niſi analogia contextus & ſcripturæ nos co-

cogat. Hic autem nihil tale eſt; ſed contrarium, uti mox patebit, ex ratione ſequenti. Quis autem apud Græcos iſtarum particularum ſit uſus, quæ ſignificatio, quæ emphaſis, indicat *Matth. Devarius in lib. de Græcæ linguæ particulis* Romæ anno 1588. edito, & anno 1657. in Angliâ typis Du Gardianis recuſo in 8.

2. *Ratio* eſt ex ipſo textu, quia *v*.6. verbis Lucæ Euangeliſtæ inchoatis à copulativâ (καὶ) narratur, Paulum manus impoſuiſſe, & Spiritum Sanctum ſuper eos veniſſe: hoc eſt, chariſmata illa, quæ poſtquam credidiſſent, non acceperant; & an ea eſſent, ne quidem audiverant. Nulla autem mentio aquæ, aut baptiſmi per aquam. Haut aliter ac Samaritanis, cum credidiſſent & baptizati eſſent, per Philippum *Actor*.8.*v*.12. poſtea per Petrum & Johannem manus fuerunt impoſitæ in ſignum accipiendorum chariſmatum.

3. *Ratio*, ex ipſo textu *v*.4. ubi verbis Pauli (fatentibus τῶν ἐξ ἐναντίας) dicitur Johannem dixiſſe baptizandis, non tantum ut reſipiſcerent, ſed ut crederent in Jeſum Chriſtum. Quid ſit credere in Jeſum Chriſtum, notum eſt, & alibi explicatur. Et ne exceptioni locus relinquatur conſidera Marc. 1. v.4. *Erat autem Johannes baptizans in deſerto, prædicans baptiſma reſipiſcentiæ in remiſſionem peccatorum.* Quid aliud prædicat, ſignat, & obſignat baptiſmus Chriſti & Apoſtolorum? & cur Johannis baptiſmus alius à baptiſmo Apoſtolorum, atque adeo tanquam inefficax aut inſufficiens, per Apoſtolos iterandus?

4. *Ratio*, ex analogiâ ſcripturæ: quæ docet Johannem prædicaſſe reſipiſcentiam, fidem in Chriſtum, remiſſionem peccatorum per & propter Chriſtum: eandemque ſuam prædicationem ſacramento baptiſmi, tanquam *verbo viſibili* (uti ſacramentum ab *Auguſtino lib*.2. *de doctr. Chriſt. cap*.3. & *tract*. 80. *in Johann*. appellatur) fidelibus à ſe baptizatis ſignaſſe & obſignaſſe. Qualis ergo prędicatio Johannis, talis baptiſmus. Atqui prędicatio non tantum pœnitentialis, ſed & euangelica; uti quæſtione proximè ſequenti (*quæ eſt* 10.) probabitur: ergo & baptiſmus euangelicus.

5. *Ratio*, ab abſurdis conſequentibus.

1. *Abſurdum* eſt: quod hinc ſequeretur nos non habere baptiſmum cum Chriſto, qui tantum à Johanne baptizatus erat, communem. Hanc rationem habent *Bullingerus, Calvinus, Beza*, ad *Actor*.19.

2. *Abſurdum* eſt, quod Judæi illi *Actor*.19. *v*.1. dicti *Diſcipuli* (Chriſti ſcil.) hoc eſt, exiſtentes fideles ſeu Chriſtiani (ſic enim fideles ſeu diſcipuli appellati fuerunt *Actor*. 13.) nec ante prædicationem Johannis in Judaiſmo, nec per ac poſt prædicationem Johannis unquam audiviſſent, de Spiritu Sancto, de Deo tri-uno; conſequenter planè ignoraſſent, quis ſit verus Deus.

3. *Abſurdum* eſt, tum Paulus impoſuiſſet manus ad participationem chariſmatum illis hominibus, qui nullo modo erant fideles; quippe qui verum Deum non nórant, ſimiles in eo Gentilibus 1 *Theſſ.* 4. *v.* 5. cum *Epheſ.* 2. *v.* 12. Cum tamen chariſmata ſymbolicè ſeu ſacramentaliter per manuum impoſitionem non conferantur, niſi fidelibus, qui jam crediderunt, fidemque profeſſi ſunt & baptizati. Vide *Actor.* 8. *v.* 14. 15. 16. *Galat.* 3. *v.* 2. *Marc.* 16. 17.

4. *Quartum* abſurdum eſt, quod Paulus illorum fundamentalem errorem, ſeu mavis ignorantiam; (quæ per interpretationem *Grotii* & *Montacutii* diſcipulis illis tribuitur) non reprehendiſſet; eoſque in fundamentis fidei prius non inſtituiſſet, ſed tales baptizaſſet in nomine patris, filii, & ſpiritus ſancti.

5. *Quintum* abſurdum eſt. Quod hinc ſequeretur, fideles ſub tempore V. T. multo magis ignoraſſe verum Deum Patrem, Filium, Spir. S. Chriſtum θεάνθρωπον unicum mediatorem, remiſſionem peccatorum per ſolam Chriſti ſatisfactionem, ſpiritum & gratiam regenerationis, ſanctitatis, & novæ obedientię propter Chriſtum electis collatam: ſiquidem hi fideles & diſcipuli etiam tempore miniſterii Johannis & ab illo aut diſcipulis ejus baptizati; etiam poſt illud, immo jam inchoato & hactenus conſtituto regno cœlorum, & jam jam adventante plenitudine N. T., hæc fundamenta ignoraverint. Sed quam falſo & abſurdè omnibus ſub V. T. ſecundum electionem vocatis, juſtificatis, ſalvatis, talis ignorantia & infidelitas tribuatur, contra Socinianos & affines hæreticos ſatis ſuperque à noſtris probatum eſt.

6. *Abſurdum* eſt, quod *Cyprianus* locum hunc *Actor.* 19. *v.* 5. ſic exponens, uti *Montacutius*, de baptiſmo baptizatorum à Johanne, per Paulum iterato, eumque urgens (epiſtolâ ad Jubajanum,) pro anabaptiſmo baptizatorum ab hæreticis, non tam facile atque expeditè refutari poſſet. Cujus tamen opinionem ab eccleſiâ Romano-Papali condemnatam, non puto *Montacutio* probari.

7. *Septimum* abſurdum eſt, quod omnes à Johanne baptizati (qui erant quamplurimi), à Chriſto & Apoſtolis fuiſſent rebaptizandi; præſertim diſcipuli Johannis, qui tranſibant ad Chriſtum; & ſi qui non fuiſſent rebaptizati: non habuiſſe eos, nec potuiſſe habere remiſſionem peccatorum. Sed nuſquam legitur diſcipulos Johannis à Chriſto & Apoſtolis fuiſſe rebaptizatos: cum tamen de eo dicendi occaſio fuiſſet *Joh.* 1. & 3. Poſterius, ſtatuit *Bellarminus*, ſed levibus motus rationibus. Tota hæc diſputatio ipſius præſupponit errorem de abſolutâ neceſſitate & de efficaciâ baptiſmi: quem antagoniſtæ ipſius ad *cap.* 4. & 12. 13. refutarunt. Audiamus nunc quid opponat *Montacutius*.

1.

1. *Object.* Et quidem capitalis ac radicalis (ex quâ & propter quam reliquæ omnes deductę & excogitatæ ſunt) ſumitur, ex communi judicio veterum. Teſtimonia eorum colligit *Montacutius*, & verba exhibet: quod ante ipſum partem aliquam fecerat *Bellarminus. lib. 1. de baptiſmo cap. 21.* ubi ſententiæ noſtrorum ea opponit.

Reſp. cum *Bullingero in comment. ad Actor. 19. Veterum opinio (pace ipſorum dixerim) incircumſpectior eſt.* Ne autem occlamet nobis *Montacutius* ſuum axioma, πᾶν ἀρχαῖον αἰδέσιμον. *i. omne antiquum venerandum*: remittimus illum alioſque nimios antiquorum adoratores, in eccleſiis reformatis verè novatores, ad patrum regnum millenarium ex malè intellecto *Apocal. 20.* ad euchariſtiam infantum ex male intellecto *cap. 6. Johannis*, ad pedum lotionem ex malè intellecto loco *Joh. 13.* & plura ejuſmodi; quę Pontificii, Montacutius, Grotius cum aſſeclis ſuis non magis probarent, quam reformati. Quid de patribus, eorumque præſumta autoritate tenendum ſit, explicuimus in *Deſper. causâ Papatus* & in *1. part. ſelect. diſpp. tit. de patribus part. 2.*

2. *Object.* Ex *Damaſceno* & *Cyrillo*, Baptiſmus Johannis erat rudimentarius, imperfectus & iſagogicus, ad pœnitentiam ducens, ut Chriſti fidem poſtea amplecterentur: ſicuti lex vetus futurarum rerum, ſpiritualis cultus præparatio erat. *Reſp.* Dicitur; ſed non probatur: quin & ſcripturis apertè repugnat. Johannes credebat in Chriſtum, & per illum credebat haberi remiſſionem peccatorem: ergo, auditores baptizandos, diſcipulos ſuos eandem docuit credere. Perpende ipſius conciones *Joh. 1.* & *3.* cum *Marc. 1. v. 4. Actor. 19. v. 5.*

3. *Object.* Ex Nazianzeno orat. 39. baptizabat in pœnitentiam, οὔπω δὲ ὅλως πνευματικῶς *i. nondum tamen plenè & completè ſpirituali modo.* Addit *Montacutius*: neque enim acceſſit additum illud, *in ſpiritu.* *Reſp.* reſpicitur locus *Math. 3. v. 11.* Sed ibi comparatur baptiſmus externus per hominem adminiſtratus; cum baptiſmo interno & ſpirituali quo ſolus Chriſtus ſuos baptizat: nec eo magis baptizare poſſunt Apoſtoli, Euangeliſtæ & alii miniſtri N. T., quam Johannes. Idem dicendum de Euchariſtiâ, ſeu pane domini, quem dant miniſtri: ſed ſolus Chriſtus *in ſpiritu* dat panem dominum *Joh. 6.* Paulus enim plantat, Apollos rigat, dominus dat incrementum *1 Cor. 3.*

4. *Object.* Ex *Auguſtino lib. 5. de baptiſ. c.* Donatiſtas, quo probat alium fuiſſe baptiſmum Johannis & Chriſti: quod ille dictus ſit baptiſmus Johannis; at Chriſti baptiſmus non dictus fuit Petri, Pauli, ſed ſolius Chriſti. *Reſp.* Johannis baptiſmus etiam dici poteſt, & debet baptiſmus Chriſti, non tantum Apoſtolorum baptiſmus. Quia erat ex cœlo *Matth. 21.*

a

à Chriſto miſſus erat ad baptizandum *Joh.* 1. poteſtas baptizandi & totius miniſterii, ut & potentia Johanni ſupernè data erat *Johan.* 3. Chriſtus erat ſponſus & Dominus: Johannes ejuſdem paranymphus, miniſter, præcurſor, præco, διακονοδιάκτης.

5. *Object.* Ex *Auguſtino c. literas Petiliani lib.* 2. *cap.* 56. Quia per Chriſti baptiſmum peccata actu remittebantur, non remittebantur actu per baptiſmum Johannis; nec dabatur Spiritus S. nec pœnitentia infundebatur, ſed per prædicationem pœnitentiæ via præparabatur ad pœnitentiam & Spiritus S. ſuſceptionem. *Reſp.* Remiſſionem peccatorum, & Spir. S. collationem ſi intelligit ex opere operato, aut ex vi baptiſmi: jam incidit in ſententiam Pontificiam, quam ab omnibus reformatis eccleſiis rejectam, & à Belgicis in *catechesi quæſt.* 67. 72. 73. & ex 1 *Petr.* 3. *v.* 21. 1 *Corinth.* 3. *v.* 6. 7. *Actor.* 8. *v.* 13. 21. & ex ratione noſtrę *catecheſios quæſt.* 72. & ex analogiâ ſacramentorum V. T. abunde refutatam hic præſuppono. Sin intelligat adultis verè reſipiſcentibus & credentibus divino illo ſigillo obſignari gratiam juſtificationis & ſanctificationis per ſanguinem & ſpiritum Chriſti (1 *Cor.* 6. *v.* 11. 1 *Joh.* 1. *v.* 7.) jam dicimus ejus ſigilli & obſignationis miniſtrum fuiſſe Johannem: & non tantum Apoſtolos, alioſque novi Teſtamenti miniſtros. Qui omnes hinc per metonymiam dici poſſunt מצדקים *matſdikim.* 1. juſtificantes, ſeu juſtificatores, ex *Daniel.* 12. v. 4. & מושיעים *moſchiim.* 1. ſalvantes ſeu ſalvatores (quę vox reperitur Obad. v. ult.) ex 1 Timoth. 4. v. ult. ϗ σεαυτὸν σώσεις, ϗ τοὺς ἀκούοντάς σου.

6. *Object.* Quia baptiſmus Johannis non dabat gratiam: hæc eſt ὑπεροχὴ ſacramentorum novi fœderis, hic ἴδιον & περίφανον eſt dare gratiam, quam ſignificant. *Reſp.* Ad præcedentem objectionem dictum eſt, quomodo ſacramenta dent & quomodo non dent gratiam.

7. *Object.* Johannis baptiſmus non erat idem cum Chriſti baptiſmo: quia formâ ejus carebat. Eſt autem forma, *in nomine Patris*, &c. At baptizati baptiſmo Iohannis ne fando quidem audiverant de Spiritu S. *Reſp.* Solutionem hujus invenire potuiſſet, apud *Calvinum in Actor.* 19. alioſque theologos commentatores & elencticos. Per vocem ſpiritus ſ. deſignari extraordinaria dona ſpiritus conſtat Ioh. 7. v. 34. *Nondum enim erat ſpiritus.* Ubi videat, cui vacat, commentar. *A Lapide.* Neſciebant ergo illi, an eſſent extraordinaria illa dona ſpir. ſ.

8. *Object.* In fine diſſertationis; Rhetoricè amplificat 1. Sententiam *Calvini* & noſtram à veterum quorundam ſententia diſcedentem vocat παραλήρημα 2. Comprobat anathema *Concilii Tridentini Joh.* 7. *c.* 1. his verbis *pag.* 390. §. 60. „Obtineat ergo per me, Tridentinę ſynodi ca„non. 1. ſeſſ. 7.* Si quis dixerit baptiſmum Iohannis habuiſſe eandem

vim

Digitized by Google

„vim cum baptiſmo Chriſti anathema ſit. Itane? Anathema hoc convenit ſyncretiſticæ tuę opinioni de catholicis, neceſſariis & fundamentalibus fidei dogmatis? Hoc anathema ſi verè & legitimè à Tridentinis & te pronuntiatum eſſet, quid judicandum de *Zwinglio*, *Melanthone*, *Bucero*, *Bullingero*, *Selneccero*, *Loſſio*, *Calvino*, *Chemnitio*, *Cythræo* quos citat *Bellarminus cap.* 19.; & quos ita ſenſiſſe certum eſt? Sed nos huic bruto anathematis fulmini Tridentino & Montacutiano, opponimus *examen Chemnitii*, quo & negatam efficaciam baptiſmi Iohannis valdè urgentibus ex ſcripturâ argumentis (ut ipſe ea appellat) ſolidè refutat; & momentum quæſtionis de baptiſmo Iohannis, in Tridentinis anathematizantibus merito perſtringit. De patribus, qui à Pontificiis & *Montacutio* allegantur ſic cenſet: „Et hæc cum manifeſtè ita ſe habeant, profecto non ſatis „circumſpectè olim dictum eſt à quibuſdam veteribus, &c. baptiſmum „Iohannis fuiſſe ſine agnitione Trinitatis, ſine fide in Chriſtum, ſine re„miſſione peccatorum. Ibidem ex *Auguſtino* aliquas non contemnendas, (ut loquitur) rationes adducit, quibus ſententia Auguſtini refutari poſſet. Quod ante ipſum fecerat *Bullingerus in Actor.* 19. Ibid. inter alia argumenta, urget baptiſmum Chriſti per Iohannem; atque inde colligit dulciſſimas „conſolationes, quas nobis præbet, tolli & perire; quando baptiſmus Io„hannis, quo certe Chriſtus ipſe baptizatus eſt, toto genere diverſus & „alius ſtatuitur à baptiſmo Chriſti.

Idem *Chemnitius. Trident. canon* 2. 7. 8. de ſacramentis in genere refutatis, fulcra erroris de baptiſmo Iohannis ita ſuſtulit, ut rancida Papiſtarum aſſerta per *Montàcutium* repetita ſponte corruant.

3. *Montacutius loc. cit.* ſententiam ſuam à *Tertulliano* argutè, ſolide & nervoſe, (uti ait *lib. de baptiſmo cap.* 10.) propoſitam, dicit eſſe communem omnium antiquorum: quæ revera eſt quorundam ex patribus ceſpitantium & ſibi contradicentium; uti à Chemnitio hoc oſtenſum. Oppoſitam autem Calvino & ſequàcibus tribuit; non ſine ſucco loliginis, quo totus contra Calvinum & Genevenſes turgebat, quo etiam ita impeditus fuiſſe videtur, ut in luce factorum & hiſtoriæ novellę plane cæcutiret. An non novit *Zwinglium in libro de verâ & falsâ religione* anno 1525. *cap. de baptiſmo*, & *Melanthonem in locis anno* 1543. tit. de baptiſmo, *Bucerum in cap.* 3. *Matthei*, *Brentium homil.* 21. & 29. *in Lucam*, *Bullingerum in commentar. ad Actor.* 19. alioſque ex profeſſo hanc cauſam ante aut extra *Calvinum egiſſe*? Hujus indicium ex Bellarmino accipere potuiſſet. „*Melanthon loc. cit.* non veretur dicere. Quod aliqui dicunt *baptiſmo Jo*„*hannis* tantum pœnitentiam ſignificatam eſſe, non remiſſionem, eſt „abſurdum. Nam prædicatio pœnitentiæ ſine remiſſione, eſt Ethnica: eſt-

„ 5. *Montacutius, Ibidem* ſcribis, in eccleſiæ Anglicanæ διαψηφίσμασι, ni-
„ hil extat, huc vel detorquendum, quin potius contra. Quippini, cum
„ ad antiquitatem, non autem novitatem, in concionibus & prælectio-
„ nibus remittamur; eam proponere, explicare, accuratè tueri conſtrin-
„ gamur, vinculo obedientiæ, & ſub pœnâ ſuſpenſionis. *Reſp.* 1. An do-
„ ctrinam eccleſiæ Anglicanæ, atque una antiquitatem accurate defende-
„ rit Montacutius Semi-Pelagianizando & Semi-Papizando: aliorum eſto
„ judicium. Aliud ſane colligere eſt ex ſcriptis orthodoxiæ, nec minus antiquitatis ſtudioſiſſimi *Jacobi Usheri* Armachani tum vernaculis, tum latinis; inter quæ hiſtoria Gotſchalci & prędeſtinatianæ controverſiæ, &c. anno 1631. Et Eccleſiarum Britannicarum antiquitatis anno 1639. ut *Juellos*; *Wittakeros*, *Rainoldos*, *Perkinſos*, Abotos, ſimiliaque orthodoxię, & eccleſiæ Anglicanæ lumina nunc taceam. Imprimis eccleſiæ Britannicæ, jam inde ab inſtituta illic reformatione, doctrinam à renovatis ibidem per nonnullos Pelagianizantibus opinionibus, longè diſſentientem, quaſi in tabellâ ſpectandam exhibuit *Guil. Prynne J. C. tract.* vernaculo, cui tit. *Anti-Arminianiſmus.*

Nominatim vero *Montacutii* ſpecimina Pelagianiſmum & Papiſmum redolentia collegerat ſcriptor anonymus in libelli tit. *Ad Cæſarem ibis* defenſione, quæ libello Montacutii, tit. *Appeale* ſeu *appello Cæſarem*, oppoſita erat. Poſſem etiam judicia de hoc Montacutio, ex tranſmarinis partibus ad me perſcripta, adducere: ſi operæ pretium eſſet. *Reſp.* 2. omnia antiqua ſi veneranda, & ſibi accuratè defendenda putaverit Montacutius, debuiſſet incipere ab illis, quæ ergo in antiquis conciliis ipſi deſignavi in 2. part. ſel. diſpp. tit. de *tempore nativitatis Chriſti.*

6. *Addit Montacutius Ibidem: Inde illud impium conſequitur, ſicut Johannis baptiſmo nulla gratia conferebatur, ita neque conferri per Chriſti baptiſma poteſt. Reſp.* ſi τὸ conferre implicat τὸ ex opere operato, nos illud de quorumque baptiſmo aquæ ſive Apoſtolorum ſive Johannis ex 1 *Petr.* 3. 1 *Cor.* 3. &c. (ſupra indicatis) negamus: ſimilè gratiæ juſtificationis & ſacrificationis credentibus factâ obſignatione, eandem & Johannis & Apoſtolorum baptiſmo tribuimus.

Atque hæc ad rationes & amplificationes ex *Montacutio* excerptas, hac occaſione annotanda duximus. Quibus *Grotio*, aliiſque in expoſitione loci *Actor.* 19. in notis ibidem, & in notis ejuſdem ad *Matth.* 3. *Marc.* 1. *Actor.* 1. propoſitâ, cum Montacutio facientibus unà ſatisfactum putamus.

XI. *Quæſt. An miniſterium Joh. Baptiſtæ ejuſque prædicatio fuerit legalis; an vero Evangelica; & conſequenter baptiſmus ejus fuerit ſacramentum legale*

le, *an Euangelicum*. *Reſp*. Si per legem intelligis tabulas veteris fœderis, ſeu purè putè legalis abſque Euangelio: *Neg*. Poſt lapſum enim nulla ſalutaris doctrina, nulla religio, nulla prædicatio, nulla ſalutis via; ſine Mediatore, ſine promiſſionibus Euangelicis. Jam vero Johannes fuit præco ſalutis, propheta Dei altiſſimi, ad cognitionem ſalutis in remiſſione peccatorum *Luc*. 1. 76. 77. prędicavit ergo Euangelium, & miniſterium ipſius fuit Euangelicum; & conſequenter baptiſmus illius fuit ſacramentum Euangelicum. Quale autem fuit verbum & doctrina, talis etiam fuit baptiſmus in miniſterio Johannis. *Regula etiam* (ut recte Chemnitius in Exam. concil. Trid. ad can. 1. ſeſſ. 7.) *certiſſima & firmiſſima eſt*, *de ſacramentis judicandum eſſe ex verbo*, *cui ceremonia ſacramentorum*, *mandato & inſtitutione Dei*, *adjuncta & annexa ſunt*. Nunc applica ad Johannem; qui miſſus fuit ad baptizandum, & ad prædicandum, & actu prædicavit, non tantum legem ad agnitionem pęccati & pœnitentiam; ſed & Euangelium, ac per Chriſtum remiſſionem peccatorum, & ſalutem æternam.

Probatur hoc 1. *ex* Luc. 1. v. 76. jam cit. 2. *ex* Math. 3. v. 2. *dicens*, *reſipiſcite. Appropinquavit enim regnum cœlorum*. 3. *ex* Marc. 1. v. 1. *principium Euangelii Jeſu Chriſti*, *filii Dei. Sicut ſcriptum eſt*, &c. *Ecce ego mitto angelum meum*, &c. *vox clamantis*, &c. Erat ergo prædicatio Iohannis de Chriſto domino, ad quem ſuos ducebat initium Euangelii. 4. *ex* dulciſſimis Euangelicis concionibus Iohannis, de perſonâ & officio Mediatoris. *Joh*. 1. *v*. 6. 7. 15. 19. Et *Joh*. 3. *v*. 37. 36. Si iſtæ non ſunt doctrinæ & conciones Euangelicæ, utique neſcio, quæ tandem dicendæ ſint Euangelicæ. 5. *ex* teſtimonio Chriſti *Joh*. 5. *v*. 33. 36. & Pauli *Actor*. 19. *v*. 5. qui teſtantur à Iohanne Chriſtum Mediatorem & ſalutem credentium in illum, prædicatam fuiſſe. 6. *ex* eo, quod agnovit, profeſſus eſt, & docuit Iohannes Deum Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum. Vide *Joh*. 1. *v*. 15. 18. 27. 30. 32. 33.

Sed objicit.

Object. Iohannes prædicavit & obſignavit pœnitentiam, non fidem in Chriſtum: præparationem ad Chriſtum poſtea fide recipiendam, non vero fidem, quâ præſenter tunc Chriſtum reciperent: præparationem ad gratiam Chriſti & remiſſionis peccatorum poſtea dandam aut obſignandam; non ipſam gratiam & remiſſionem peccatorum. Iſta, aut iſtis ſimilia, ex quorundam patrum fluctuationibus colligi poſſent. *Reſp*. Omnia ἀπροσφυῆ, immo directè illi repugnantia: ut ex locis citatis evincitur. Confidenter & jure merito Chemnitius ex & cum Melanthone in locis: *Num vero tantummodo in pœnitentiam*, *ſine fide Chriſti*, *& remiſſione peccatorum baptizavit*?

Digitized by Google

zavit ? Certe talis pœnitentia ſimpliciter eſt res Ethnica : immo eſt miniſterium mortis , iræ Dei , & blaſphemiarum. Addimus , æque in ſcripturâ dici baptizaſſe Iohannem in remiſſionem peccatorum *Marc.* 1. *v.*4. ac baptizaſſe in reſipiſcentiam *Math.* 3. *v.* 11. Et ſub V. T. prædicatam ac receptam fuiſſe fidelibus remiſſionem peccatorum, idque confirmatum atque obſignatum fuiſſe per circumciſionem & agnum paſchalem : erat enim circumciſio ſigillum juſtitiæ fidei *Rom.*4. *v.* 11. Quidni idem dicamus de prædicatione & baptiſmo Iohannis ? Antecedens de prædicatione & fide Euangelii, & gratiâ juſtificationis ac remiſſionis ſub V. T. alibi à nobis probatum eſt. Sin vero per Euangelii prædicationem intelligis, modum prædicandi & diſpenſandi Euangelium & fœdus gratiæ poſt aſcenſionem Chriſti ſub novo Teſtamento, qui diſtinctus eſt à modo diſpenſandi ſub veteri Teſtamento (ita dicto) : jam diſtinguendum eſt. Prędicavit enim Johannes Euangelium non plane uti N. Teſtamento : quia non poterat prædicare cum Apoſtolo 1 Timoth. 3. *ſurſum receptus eſt in gloriam !* ne quidem repetere, τὸ *conſummatum eſt* Ioh. 19. Nec prædicavit ſolam promiſſionem Chriſti venturi : ſed cum Paulo etiam prædicare potuit, Deus manifeſtatus eſt in carne 1 *Timoth.* 3. eumque jam publicè munere ſuo functurum , perſonaliter baptizavit, & jam in functione muneris verſantem digito monſtravit , & ſalvandos ad eundem duxit *Joh.* 1. & 3. Fuit ergo prædicatio, & munus ejus minus Euangelicum (ſi vocem Euangelii ſtrictiſſimè pro Euangelio perfectæ impletionis accipias quod complectitur partes & gradus omnes humiliationis & exaltationis Chriſti), quam prędicatio & munus Euangelicum Apoſtolorum & Euangeliſtarum ſub N. Teſt. Et hoc innuitur *Matth.* 11. *v.* 11. cum dicitur, minimum in regno cœlorum eſſe majorem Iohanne Baptiſtâ.

XII. *Quæſt. An Johannes fuerit Naziræus. Reſp.* Quales fuerint Naziræi ſub V. T. ex Numer. 6. potiſſimum cognoſcendum eſt. Iohannem autem talem fuiſſe colligimus ex Luc. 1. v. 15. *Erit magnus coram Domino, vinum & ſiceram non bibet.* Cum autem Naziræi alii fuerint temporarii (ex *Numer.* 6. *v.* 13. 21.), qualis Paulus *Actor.* 22. *v.* 23.-27. alii perpetui, quales Simſon & Samuel : putamus Iohannem ex ordine poſteriorum fuiſſe. Conſiſtebat autem votum Nazireatus 1. in abſtinentiâ ab omni potu inebriante. 2. in aliturâ comæ toto tempore Nazireatus : ita ut omnis tonſura vetita eſſet : niſi forte valetudo neceſſitatem imponeret , uti in caſu lepræ *Levit.* 14. *v.* 8. Ex hujus Nazireatus κακοζηλίᾳ originem ſumſit, inter Gentiles alitura comæ, religionis cauſâ. 3. in abſtinentiâ à deductione funerum. 4. in depoſitione Nazireatus, non ſine certis ceremoniis.

XIII. *Quæſt. An Johannes fuerit Doctor infallibilis? Reſp.* Aff. *quia* ordina-

dinatus eſt à Deo in prophetam hoc eſt ; extraordinarium & θεόπνευστον Doctorem, qui in ſpiritu & virtute Eliæ doceret *Luc.* 1. 15. 16. 17. cum *v.* 76. 77. *Quia* major fuit omnibus prophetis, qui ipſum præceſſerant. *Matth.* 11. *v.* 11. *Quia* magnus fuit coram Domino, & ſpiritu ſancto repletus ab utero matris *Luc.* 1. *v.* 15. *Quia* fuit præcurſor Chriſti, & viam illi paravit, per inchoatam doctrinę atque eccleſiæ extraordinariam reformationem : idque de eo per prophetas prædictum erat. *Matth.* 3. *v.* 3. & *Iohan.* 1. *v.* 23. *Quia* Chriſtus doctrinam & miniſterium ejus approbavit. *Matth.* 21. *v.* 23. 25. cum *Ioh.* 5. *v.* 33. Et hoc puto communiter à theologis ſic ſtatui.

Excepto, quod eruditiſſimus ſcriptor horarum hebraicarum ad Mathei Euangelium *Ioh. Lighfoot c.* 11. *v.* 3. aliquomodo dubitare videtur, cum dicit : *Eâ forte laborabat lippitudine, quâ cum totâ gente diſcipuli Chriſti, de ejus regno, victoriis & triumphis terrenis.* Sed potius ſtandum eſt iis, quæ „ vir eruditiſſ. paulo ante dixerat : Ratio legationis Johannis ad Chriſtum „ aliquanto eſt obſcurior. Primo, non ex ignoratione Chriſti fuiſſe, eſt „ extra omnem controverſiam, cum cœlitus de illius perſonâ eſſet edo- „ ctus, &c. Cum quibus junge, quæ ibid. notat ad v. 11. Et hęc etiam fa- „ ciunt in encomium Johannis. Nobiliſſimum illum fuiſſe prophetam, & „ miſſionis atque autoritatis non vulgaris fidem hæc faciunt, &c. *Divinam* „ *ſatis arguit & docentis & Doctrinæ autoritatem.* Quæ de illo dici non poſſent, niſi fuiſſet θεόπνευστος & infallibilis.

XIV. *Quæſt. An fuerit propheta ſeu videns, quales Samuel, Elias, Elizeus, qui particularia futura aut occulta per revelationem divinam, norant?* *Reſp.* Non videmus hoc certo affirmari poſſe. Quod ad myſteria fidei, & futura in Chriſto in his terris, propter peccata & juſtitiam noſtram (*Rom.* 4. *v. ult.*) uſque ad aſcenſionem incluſe, adhuc implenda : eorum notitiam illi revelatam fuiſſe, nolim dubitare.

XV. *Quæſt. An aliquam eccleſiæ in doctrinâ regimine, & moribus reformationem inſtituerit? Reſp.* Evenit illi, quod omnibus fere reformatoribus. Voce clamante movere voluit ; ſed parum promovit. Ita ut dicere potuerit, quod Jeſaias cap. 8. *Ecce ego & filii*, &c. & cap. 53. v. 1. *Quis credidit auditui noſtro, & brachium Domini cui revelatum eſt ?* Satis hoc exprobratur ipſis à Johanne Matth. 3. & à noſtro Servatore *Matth.* 11. & *Iohann.* 5.

XVI. *Quæſt. An miracula ediderit ? Reſp.* De eo non conſtat. Atque hinc noſtri non malè Pontificios miracula à *Luthero*, *Zwinglio* aliiſque primis reformatoribus poſtulantes retundunt. Si Iohannes, cujus miniſterium tam extraordinarium & inſolitum erat in tam corrupto eccleſiæ ſta-
tu,

tu, ſuam vocationem & doctrinam non confirmavit miraculis: quanto minus ad miracula tenebantur primi reformatores, quorum doctrina nec ſubſtantialiter nec circumſtantialiter diverſa erat à doctrinâ Apoſtolorum, tot tantiſque miraculis confirmata; & quorum vocatio erat ordinaria. Uti antehac explicuimus in *Deſper. cauſâ Papatus*; & in *2. part. ſelect. diſpp. tit. de Miraculis.*

XVII. *Quæſt. An nomen Iohannis Baptiſtæ infantibus in eccleſia Romanâ die feſto (uti vocant) Baptiſtæ natis rectè imponatur? Reſp.* Mala conſuetudo antiquitas erroris. De nomine Iohannis eccleſię reformatæ nullum unquam moverunt ſcrupulum: ſed de adjunctâ appellatione officii quod plane ſingulare eſt & ἀπαράβατον, vide *Synodor. National. Gall.* & *Belg.* decreta de nomine Baptiſtæ, indicata in 3. *part. ſel. diſp. pag.* 533. Scimus in Papatu diſtinctionis cauſa illud addi, ut diſtinguatur à Iohanne Apoſtolo & Euangeliſta, & indicetur nativitatem ejus incidiſſe in diem Feſtum Iohannis Baptiſtæ, non vero in diem feſtum Iohannis Apoſtoli; & conſequenter nomen illi inditum eſſe à Joh. Baptiſta. Nos malimus ab hâc ἀνομοθεσίᾳ abſtineri.

LIB. II. TRACT. III.

DE

MINISTRIS ORDINARIIS V. ET N. T.

CAP. I.

De V. T. Miniſtris Ordinariis.

AGendum nunc in ſpecie de Ordinariis Miniſtris V. & N.T. §. 1.

Ordinarii Miniſtri V.T. ſunt vel eccleſiæ Patriarchalis, vel eccleſiæ poſt-patriarchalis; quæ fuit à Moſe uſque ad tempus correctionis.

Ordinarii Miniſtri Eccleſiæ Patriarchalis fuerunt ſacerdotes, qui populum docebant, ſacrificia & preces pro populo offerebant. Mundum ab immundo ſecernebant. Et tales fuiſſe patres familias aut primigenitos in familia, communis ferè opinio eſt. Idque videntur colligere ex *Geneſ.* 49. *v.* 34. ubi tres Targamim, R. Sel. Jarchi, multique ex Chriſtianis interpretibus, ita exponunt. Quod tamen abſolutè & univerſaliter de omnibus primogenitis, & patribus familias intelligendum non eſt. Poterat enim canonicum

nonicum (ita loqui liceat) impedimentum aliquod, à ſacrâ hâc functiore primogenitum aliquem excludere: ut ſi e. gr. mutilatio aut παρεμφερόντα, aut mania aut hæreſis. Poterat etiam Dei ſpecialis deſignatio, (præterito primo genito), poſtgenito alicui privilegia primo-genituræ conferre: ſicuti Salomon fuit ſucceſſor in regnum paternum. Sunt qui addunt, non tantum Cainum primogenitum ſed & Abelem obtuliſſe Deo ſacrificium; & conſequenter utrumque fuiſſe ſacerdotem, ſeu habuiſſe ſacerdotalem poteſtatem. Sed hoc minus ſolidum eſt. Nam *Geneſ.* 4. *v.* 4. adhibetur verbum הביא *hebi*, quod ſignificat *attulit, adduxit* Abel ad locum ſcil. ſacrificii, aut ad Adamum ſacrificatorem: uti poſteriori rejecto, prius habet & probat Aben Ezra in commentar. ad locum cit.: Adduxit, inquit, אל המקום שקבע *el hammakom ſchekabang litphillato*, id eſt, ad locum, quem fixerat (vel ſtatuerat) precationi ſuæ ſeu ad precandum. Sed inſtabis forte, *Geneſ.* 4. *v.* 3. dicitur Cainum attuliſſe *mincha*, (id eſt, oblationem) ſeu obtulit mincha Jehovæ. *Reſp.* Sic eſt: ſed non dicitur *v.* 3. de Abele. Et quid ſi hoc exſertè dictum eſſet, aut ex *v.* 3. ἀπὸ κοινοῦ hoc ſubintelligendum eſſet: inde tamen non efficitur Abelem fuiſſe ſacerdotem & miniſtrum ſacrorum, aut miniſterialiter & ſacerdotaliter obtuliſſe. *Levitici* 1. & 2. & 4. & alibi, dicuntur fideles *adferre*, *offerre* (Hebr. *hikribh* aut *hebi*, quod *Geneſ.* 4. occurrit,) aut *higgiſch* Jehovæ *mincha* aut ſacrificium; & adferre aut offerre ad ſacerdotem, ad oſtium tabernaculi: qui tamen non erant ſacerdotes, nec ſacerdotaliter offerebant, conficiebant, nec erant miniſtri ſacrorum, uti ſupra *tract.* 1. *cap.* 1. notavimus: idque probatur ex exemplis Melchizedeki ſacerdotis *Geneſ.* 14. *Jobi c.* 1. *v.* 5. ubi dicitur holocauſta obtuliſſe, & filios ſuos ſanctificaſſe: Quos tamen non fuiſſe patriarchas ſupra *tr.* 2. *cap.* 1. oſtenſum eſt.

§. 2. Eccleſia ſub V.T. diſtingui poteſt, in eam quæ erat *ante legem*, & in eam quæ erat *ſub lege*. *Prior* etiam appellari poteſt *patriarchalis*: de cujus ſtatu plurima, ab Hiſtoricis & à ſcriptoribus ſupra *tr.* 2. *cap.* 1. indicatis, diſquiruntur. Inter alios, de *eccleſiâ ante* legem tribus libris, ex profeſſo egit *Iacobus Boulduc* Capucinus, ſecundâ editione auctis anno 1630. Pariſ. *Poſterior* ab antiquis & recentioribus nonnullis appellatur *ſynagoga*; & ab eccleſiâ N. T. ſtrictè dictâ *eccleſiâ*, diſtinguitur. *Illa* erat catholica Nationalis: Iſta eſt catholica abſoluta, nulli loco, nulli genti, nulli familiæ, quod ad cultum publicum & quod ad miniſterium aſtricta. Illius ſtatum, cultum, miniſterium delineant ſcriptores de Republicâ Hebræorum, quales *Bonav. Cornelius Bertramus* cum commentar. *l'Empereur*; *Sigonius*, *Joh. Stephanus Menochius*, & qui iis prævivit, *Arias Montanus in Antiquitatibus Iudaicis*. *Becanus in tract. de Analogiâ veteris & N. T.* a. 1620. varias circa ſtatum

ſtatum eccleſiæ ſeu ſynagogæ poſt legem, quæſtiones explicat. Aliquid etiam huc conferent *Joh. Seldeni* ſcripta; qualia de *Diis Syris*, De *Iure naturali & Gentium*, de *Synedriis*, de *Succeſſionibus*, &c. *Serrarii de ſectis Iudæorum*, cum Antagoniſtis *Scaligero* & *Druſio*, aliaque in *diſp.* de Judaiſmo, atque alibi datâ occaſione indicata.

Hic autem obſervandum, non eſſe confundendam ſynagogę ſeu eccleſiæ Iſraeliticę deſcriptionem, qualis eſſe debebat, aut in ſua integritate erat ſub Moſe, Joſuâ, Samuele, Davide, Salomone: cum deſcriptione ejus, quæ corrupta & diminuta erat, poſt reditum ex captivitate uſque Chriſti adventum incluſè. Multo minus eſſe confundendam deſcriptionem illius & iſtius, cum deſcriptione apoſtaticæ ſynagogæ ſeu eccleſiæ Judaicæ: quæ non tantum non eſt integra eccleſia Dei, aut Dei eccleſia corrupta: ſed nullo modo eſt eccleſia Dei, quippe eſſentiâ aut formâ ejus deſtituta. De quo in *2. part. ſelect. diſpp. tit. de Iudaiſmo*; & ibidem à nobis laudatus *Vedelius in tract. de Deo ſynagogæ*. Hoc monendum duxi: ut minus in iſtis exercitati cum judicio legant recentiores ſcriptores; qui aliquando ex *Ioſepho*, Thalmude, Rabbinis eum cultum, eos ritus, eas ſententias, eas legis interpretationes, tanquam à Deo in verbo ſuo traditas & à ſynagogâ ſeu eccleſiâ integrâ habitas, venditant; quæ fuerunt ſynagogæ ab integritate declinantis, aut corruptæ: ut non dicam ſubinde venditari ritus & obſervationes, quæ ſunt ſynagogæ apoſtaticæ, & populi לא עמי *lo ammi*; jam inde ab Apoſtolis, uſque in hunc diem. Vide 1 *Theſſal.* 2. *v.* 15. 16.

Ordinarii Miniſtri ſub V.T. poſt datam legem jam inde à Moſe uſque ad tempus correctionis ſunt *ſacerdotes* & *Levitæ*. Inter ſacerdotes, qui omnes ex tribu Levi & Aaronis familiâ, eminebant 1. Pontifices. 2. Principes ſacerdotum. Pontifex unus erat. Principes ſacerdotum erant 24. juxta numerum 24. claſſium ſacerdotalium: de quibus 1 *Paralip.* 24. ubi commentatores conſuli poterunt, & ad loca N. T. ubi occurrit plurale ἀρχιερεῖς.

Munera ſacerdotis cujuſque erant, tum communia cum Levitis, tum propria. *Communia* cum Levitis ſunt.

I. Publica & privata populi in fide & pietate inſtitutio *Malach.* 2. *v.* 7.

II. Judicium de cauſis & quæſtionibus circa legem *Deuter.* 17. *v.* 14. ſpecialiter de leprâ *Levit.* 13. & 14. cum *Math.* 8. *v.* 4.

III. *Portatio* arcæ *Ioſ.* 3. *v.* 14. & 6. *v.* 6. 1 *Paral.* 15. *v.* 2.

Propria ſunt vel in ſacrario, ſeu templo; vel extra illud.

Priora ſunt.

I. *Oblatio* ſacrificiorum, & donorum ſeu anathematum. *Hebr.* 5. *v.* 1. cum *Levit.* 1. *v.* 5. - 10. & 2. *v.* 2. & *ſeqq.*

Digitized by Google

II. *Incenſio* thymiamatis, *Exod.* 30. *v.* 7. cum *Numer.* 16. *v.* 6. - 11. 34. 2 *Paralip.* 26. *v.* 17. - 20.

III. *Propoſitio* panum ἐνωπίων ſeu propoſitionis, quos nemini licebat comedere niſi ſacerdotibus, *Levit.* 24. *v.* 6. - 10. cum *Matth.* 12. *v.* 4.

IV. *Accenſio* lucernarum *Levit.* 24. *v.* 1. & *ſeqq.*

V. *Oratio* pro populo, & ſolennis benedictionis pronuntiatio, *Numer.* 6. *v.* 22. & *ſeqq.*

Poſteriora ſunt.

I. Inflatus tubarum *Numer.* 10. *v.* 8. *Ioh.* 6. *v.* 6. 7.

II. Contrectatio, & compoſitio arcę, quoties portanda aut collocanda erat: uti quidam putant colligi poſſe ex 2 *Sam.* 6. *v.* 6. 7. Sed quia certum non eſt Uzzam fuiſſe Levitam, & cauſam propriam illius judicii divini fuiſſe, tactum arcæ, relinquamus hoc in medio.

Ad majorem hujus materiæ de ſacerdotibus elucidationem, ſubjicimus ſequentes quæſtiones.

I. *Quæſt. An ſacerdotio per Moſen conſtituto, licuerit aliis extra familiam Aaronicam ſive Iſraelitis ſive proſelytis, ſacrificare, aliaque propria munera ſacerdotis obire? Reſp.* Neg. Quia ſolis ſacerdotibus hanc poteſtatem contulit Deus *Exod.* 28. & 29. *Levit.* 8. & 9. coll. cum 2 *Paralip.* 26. *v.* 18. 19.

Opponi hic poſſent, exempla Gideonis *Jud.* 6. Manoah *Iud.* 13. Samuelis 1 *Sam.* 16. Davidis 2 *Sam.* 24. Eliæ 1 *Reg.* 18. *Reſp.* De Gideone. *Reſp.* quod ex textu probari nequeat eum obtuliſſe, id eſt, confeciſſe: ſed obtuliſſe, hoc eſt, produxiſſe, attuliſſe, dediſſe, quæ ſacerdotaliter offerenda ſeu conficienda erant; haut aliter ac omnes alii Iſraelitæ. In exemplo Manoah, qui erat ex tribu Daniticâ, oſtendi non poteſt *Jud.* 13. *v.* 14. Eo quod angelus (quem Manoah putabat eſſe prophetam) miraculosè accenderit ſacrificium & obtulerit: ſicuti & Gedeon ſacrificium poſuit coram angelo, qui illud accendit *Iudic.* 6. *v.* 18. - 23. Sic loca illa interpretantur *Cajetanus* & *Serrarius*; & ex noſtris *Martyr.*

Ad exempla Davidis & Salomonis reſponderi poteſt, ad 2 *Sam.* 24. *v.* 26. & 1 *Reg.* 3. *v.* 4. per oblationem intelligi donationem, & allationem rerum per ſacerdotem ſacrificandarum. Quomodo 2 Paral. 7. v. 4. 5. *Rex autem & omnis populus immolabant victimam coram domino. Et immolavit rex Salomo victimam boves viginti & duo millia, & oves centum & viginti millia.* Et dato, Davidem & Salomonem manu ſuâ ſuper altari collocaſſe & incendiſſe victimas, reſponderi poſſet eos peculiari inſtinctu & extraordinariò Dei mandato, tanquam extraordinarios ſacrorum miniſtros, ſacrificaſſe: quod idem ad exempla Samuelis & Eliæ reſpon-

ſpondetur. Præceptum ſpeciale præter legem legi non adverſatur, aut eam tollit; ſed eſt juxta legem aut præter legem: uti exemplis Abrahæ offerentis Iſaacum, *Geneſ.* 22. Pinehas mactantis ſcortatores *Numer.* 25. cum *Pſal.* 106. *v.* 30. 31. Eliæ 2 *Reg.* 1. collat cum *Luc.* 9. *v.* 54. 55. alibi oſtendimus. *Ita Deus legitima illa conſtituit, ut leges non ſibi ſed hominibus daret:* ut loquitur Auguſtinus qu. 36. in lib. Judicum.

II. *Quaſt. An omnes ex ſacerdotali familia Aaronis ſacerdotium obire potuerint? Reſp.* Neg. Neque enim à requiſito illo affirmativè procedit conſequentia: Eſt ex familià Aaronis; ergo eſt aut poteſt eſſe ſacerdos. Sed tantum negativè: Non eſt ex tribu Levi, nec ex familia Aaronis; ergo non eſt, aut non poteſt eſſe ſacerdos. Varià enim hic poterant intervenire impedimenta canonica, variæ irregularitates. E. gr. ſi quis ex familià Aaronis natus fuiſſet fatuus, aut mutus, aut corpore mutilus, aut monſtroſus; oculo ſcil. manu, pede, &c. privatus; aut ex ſcorto aut adulterà natus; aut hæreticus, & pſeudo-propheta. *Impedimenta* ergo alia erant ne fieret ſacerdos, aut in ſacerdotem conſecraretur: Alia ne conſecratus ſacerdos ſacerdotio aut operibus ſacerdotalibus actu fungeretur. *Priora* ſunt 1. vel *naturalia*, ut fatuitas, mutilatio 2. vel *acquiſita* ſeu *aſcititia*, ut e. gr. hæreſis, apoſtaſia; *Impedimenta* poſteriora, ne conſecratus ſacerdos actu fungeretur munere ſacerdotali ſunt iſta; ſi ducat in uxorem, mulierem meretricem, aut vitiatam, aut repudiatam, aut viduam *Levit.* 21. *v.* 1. cum *v.* 7. 13. 14. ſi contaminet ſe ſuper mortuo, ſi caput diſcooperiat, veſtimenta ſcindat. *Ibid. v.* 1. 5. Atque hæc exſertè de quibuſvis ſacerdotibus dicuntur; & non de ſolis ſummis ſacerdotibus v. 1. *Dicito ad ſacerdotes filios Aaron* & v. 6. *ſancti erunt Deo ſuo, & non polluent nomen Dei ſui; quia oblationes domini, panem Dei tui offerunt, & erunt ſancti.* Quinque ceremoniæ in conſecratione ſacerdotum adhibendæ deſcribuntur *Exod.* 29. *Primo* Lavabantur. *Secundo* induebantur veſtibus ſacerdotalibus. *Tertio*, Offerebatur vitulus; & duo arietes. *Quarto*, Singulis diebus per hebdomadam ungebantur. *Quinto*, oblatà manibus eorum imponebantur.

Summus ſacerdos, qui latinis *Pontifex* dicitur Hebr. כהן גדול; Gr. ἀρχιερεύς. Sed hæc vox ambigua eſt & in N. T. aliquando ſignificat unum illum Pontificem, ſucceſſorem Aaronis *Math.* 26. *v.* 57. 62. 63. *Joh.* 11. *v.* 51. aliquando principem & præfectum ſacerdotum cujuſque ἐφημερίας, *Math.* 27. *v.* 1. 6. quales ſecundum numerum ἐφημεριῶν erant viginti quatuor 1 *Paral.* 24. Propria ſummi ſacerdotis officia erant. §. 3.

I. *Expiare* (cujus modus deſcribitur *Levit.* 16.) quotannis & univerſaliter populum Iſraeliticum in die כפורים *Kiphphourim*.

 II.

Digitized by Google

II. Conſecrare ſacerdotes & Levitas, juxta ritum *Exod.* 29. *Levit.* 8. *Numer.* 8. deſcriptum.

III. In rebus majoris momenti Deum conſulere, & ab eo reſponſum accipere de eo, quid agendum aut non agendum. Ille enim ſolus ſanctum ſanctorum ingredi, & coram arcâ comparere poterat, inſuper veſtes Pontificales ſibi aptare & geſtare, in quæ iis ac cum iis τὸ *Urim* & *Thummim. Exod.* 28. *v.* 30.

IV. *Quartum* addunt Pontificii apud *Becanum tract. de analogiâ V. & N. T. c.* 11. & *Bellarmin. lib.* 3. *de verbo Dei c.* 3. judicium ferrè de controverſiis legis. Sed ex textu *Deuter.* 17. *v.* 8. quem ibi citat, probari nequit, ſolum Pontificem fuiſſe judicem, & quidem infallibilem. Nominantur enim *ſacerdotes Levitæ, & judex.* Sed nec illi, nec iſte eſt ſummus Pontifex. Hic enim in ſcripturis non vocatur *judex*, ſed Magiſtratus ſęcularis, cujus erat de particularibus controverſiis & cauſis civilibus judicare. Sed loci hujus explicationem, & Pontificiæ objectionis refutationem ex profeſſo tractant Antagoniſtæ Papatus. Et dato ſummum ſacerdotem fuiſſe in illo judicio judicem juxta cum aliis, immo & pręſidem ac directorem in illo conſeſſu: inde non ſequitur, eum ſolum fuiſſe judicem, & quidem ſummum & infallibilem, omnium religionis controverſiarum; & Pontificem Romanum eſſe talem, qui non habet Urim & Thummim.

§. 4. I. *Quæſt. An Zacharias pater Joh. Baptiſtæ, fuerit Pontifex?* *Reſp.* Neg. quia erat ſacerdos ex ἐφημερίας Abię *Luc.* 1. *v.* 5. quod de ſummo ſacerdote dici nequit. Sed falſam hanc hypotheſin rejecimus in 2. *part. ſelect. diſpp. tit. de Tempore nativitatis Chriſti.*

II. *Quæſt. An in interrupta Pontificum ſucceſſio fuerit: etiam in captivitate Babylonicâ?* *Reſp.* Aff. Lineam ſucceſſionis vide apud *Sigonium lib.* 5. *de Republ. Hebræorum cap.* 5.: ex quo, ut opinor, *Becanus tract. cit. cap.* 7. *qu.* 2.

III. *Quæſt. An patri defuncto, filius primogenitus in Pontificatum ſucceſſerit?* *Reſp.* Aff. Siquidem ſuperſtes tunc fuerit primogenitus & canonicum nullum impedimentum (ſupra indicatum) obſtiterit. Quo in caſu puto ſucceſſiſſe fratrem primogeniti: & ſi nullus Pontifici eſſet filius, aut ſi filius canonico impedimento à ſucceſſione excluderetur, ſucceſſiſſe proximum cognatum.

IV. *Quæſt. Quod ſi ſub diem expiationis morticinio aliquo pollutus fuiſſet Pontifex, aut ſuccedens ſucceſſuruſve in Pontificatum minorennis fuiſſet: an opus expiationis, intermitti; an vero per vicarium aut ſubſtitutum impleri potuerit?* *Reſp.* Inclinamus in Aff. poſterioris. An autem primus inter Principes ſacerdotum, an filius Pontificis, aut proximus cognatus ſucceſſurus

ceſſurus in Pontificatum vicariam hanc operam præſtiterit ; certò affirmari nequit.

V. *Quæſt. An ſolus Pontifex ſanctum ſanctorum ingreſſus ſit, & quidem ſemel quotannis die expiationis? Reſp.* Aff. Ex Hebr. 9. v. 7. *In ſecundum autem* (intrabat) *ſemel quotannis ſolus Pontifex, non abſque ſanguine*, &c. Quod autem Pontifici non niſi ſemel in anno in ſolennitate expiationis ingredi liceret, habemus ex Levit. 16. v. 2. *Loquere ad Aaron fratrem tuum, & non ingrediatur omni tempore ſanctuarium intra velum coram propitiatorio*, &c. *& non moriatur.* Idem affirmant *Fl. Ioſephus lib. 6. de bello Iud. cap.6.* Tertia pare templi *inacceſſa, inviolata, & inviſibilis omnibus habebatur.* Et *Philo lib. 2. de Monarchiâ in principio.* Eſt ergo *παρόραμα Auguſtini quæſt.* 133. in *Exod.* aſſerentis, Pontificem quotidie introiiſſe ad offerendum incenſum. Sed hæc opinio nitebatur falsâ hypotheſi, de altari thymiamatis in ſancto ſanctorum : quę repugnat ſcripturæ dicenti, altare illud fuiſſe extra velum *Exod.* 30. *v.* 6. & 40. *v.* 5. 25. Aberrat etiam gloſſa ordinaria marginalis, quæ ait Pontificem ſępius introiiſſe; ſed ſine ſanguine.

VI. *Quæſt. An Pontifex & ſacerdotes tenerentur noſſe & credere omnes principales & fundamentales articulos fidei de trinitate, de Chriſto θεανθρώπῳ, eiuſque ſatisfactione, humiliatione & exaltatione : plebei vero ſeu privati fideles non tenerentur? Reſp.* Poſterius vult *Becanus tract. cit. cap. 2. quæſt. 7.* ex & cum *Thomâ 22. qu. 2. art. 7.* Nos vel ex ſolo textu *Luc. 24. v. 25.* ὦ ἀνόητοι καὶ βραδεῖς, &c. oppoſitum evincimus. Atqui illi diſcipuli Emauntini non erant ſacerdotes, aut principes ſacerdotum, aut Pontifices.

Principes ſacerdotum, qui in N. T. ἀρχιερεῖς in V. T. שרי הכהנים *ſare baccohanim 2 Paral. 36. v. 14. & 1 Paral. 24. v. 5.* ושרי קדש ושרי האלהים *ſare kodeſch veſare baelohim* i. principes ſanctitatis & principes Dei. Hi numero 24. (ex Ithamaris ſcil. familiâ octo, ex Eleazari familia ſexdecim) conſtituti ſunt tempore Davidis *1 Paral. 24.*

I. *Quæſt. An hi principes ſacerdotum ſingulariter quiſque ſuæ claſſi directione, ductu, ordinatione & regimine præfuerit : an vero omnes collectivè eccleſiæ regimini, & juriſdictioni, unà cum Pontifice, præfuerint, concilium ſeu ſynedrium eccleſiaſticum conſtituerint, ibidem ſuffragia non tantum deliberativa ſed & deciſiva tulerint? Reſp.* Aff. utrumque. De priori dubium non eſt. De poſteriori probatur ex *Matth. 27. v. 1. & 5. v. 6. & 22. v. 30.* ubi ἀρχιερεῖς καὶ ὅλον τὸ συνέδριον.

II. *Quæſt. An principes illi ſacerdotum ex capitibus ſeu patribus familiarum hieraticarum ſeu Aaronicarum primum per ſortem electi ſint, & poſtea per ſimilem electionem, an vero per ſucceſſionem conſtituti? Reſp.* Certum eſt tempore Davidis per ſortem ex patribus ſeu capitibus familiarum electos

ctos eſſe 1 *Par.* 24. An poſtea cujuſque principis ſacerdotum primogenitus (nullo ſcil. obſtante impedimento) patri hinc decedenti ſucceſſerit; an vero perpetuo per ſortem ex capitibus familiarum in ſucceſſorem electus fuerit: non vanè quæritur. Illud ἐκ γένους ἀρχιερατικοῦ *Actor.* 4. *v.* 6. occaſionem cogitandi ſuggerit, ân 24. ἀρχιερέων primogeniti jam juſtam ætatem habentes, ad ſynedrium admiſſi fuerint; quippe patribus in functione archieraticâ ſucceſſuri. Interpretes quidam τὸ γένος ἀρχιερατικὸν de ſolius ſummi Pontificis γενεᾷ intelligunt. Sed cum ἀρχιερεὺς in Euangeliſtis & Actis Apoſtolorum plerumque plurali numero uſurpetur ubi de conſeſſu ac conventu eorum agitur: quidni de talibus ἀρχιερεῦσι eorumque filiis aut cognatis proximè futuris ſucceſſoribus, hunc locum accipiamus? Imprimis, cum à ſummo Pontifice Anna, & primoribus, ſenioribus, ſcribis, *diſtinguantur*. Nihil tamen hic definio, ſed aliis de ſynedriis & ſacerdotibus Judæorum ex profeſſo commentantibus ἐν παρόδῳ occaſionem ulterius cogitandi ſolummodo ſubjicio.

III. *Quæſt. An* 24. ἀρχιερεῖς *per ſortis electionem ex ſuâ cujuſque claſſe deſumti ſint? Reſp.* Cum claſſis cujuſque ſacerdotalis, ſeu ἐφημερίας numeratio & conſtitutio ex poſteris Aaronicis præceſſerit, uti colligi videtur ex 1 *Paral.* 24. *v.* 3. & 19. probabile eſt ex quâque claſſe unum conſtitutum, qui claſſis illius dux & præfectus eſſet: non vero immediatè ex univerſo numero ſacerdotum cuique claſſi ἀρχιερέα datum fuiſſe; ita ut ſacerdos Ploni Almoni ex claſſe primâ, factus fuiſſet ἀρχιερεὺς & dux claſſis tertiæ, aut octavę, &c. & vice verſâ.

§. 5. Levitę ſtrictè & diſtinctè ſic dicti, erant ex tribu Levi miniſtri ſacri, non tamen ſacerdotes; ſed adjutores & miniſtri ſacerdotum; qui arcam portabant, ſacrificantibus ſacerdotibus miniſtrabant, ſacrarium & vaſa cuſtodiebant, laudes Dei decantabant, verbum Dei populo prælegebant, & explicabant, ad caſus & quæſtiones circa legem Dei reſpondebant: breviter omnia officia ſacra juxta cum ſacerdotibus peragebant, exceptis propriis ſacerdotalibus, ſupra enumeratis.

I. *Quæſt. An omnes viri ex tribu Levi, fuerint officio & functione Levitæ? Reſp.* Neg. ubi enim erant juſta impedimenta ut e. gr. leprę, fatuitatis, μογιλαλίας, ſurditatis, cœcitatis, hæreſios, apoſtaſiæ; neceſſariò à functione Leviticâ excludebantur: ut etiam omnes, ſi qui dicerentur & vulgò haberentur Levitæ, qui genus & familiam ſuam demonſtrare non poterant. Quales memorantur ex dictis ſacerdotibus, *Ezra* 2. *v.* 61. 62.

II. *Quæſt. An* 24. *præfecti*, 24. *claſſium ſeu* ἐφημεριῶν *Leviticarum, ex ſuâ quique claſſe aſſumti ſint, ut illi claſſi tantum, non aliis præeſſent? Reſp.* Aff. ex 1 Paral. 25. v. 6. *Omnes iſti ad juſſionem patris ſui*, &c. v. 8. 9. *Et pro-*

projecerunt ſortes, &c. *Et egreſſa eſt ſors prima ipſi Aſaph. De Joſeph Gedaliahu ſecunda. Ipſe & fratres ejus & filii duodecim.*

III. *Quæſt. An Levitæ peculiariter conſecrari debeant ad functiones ſuas rite obeundas? Reſp.* Aff. Ex *Numer.* 8. ubi modus & ritus conſecrationis deſcribuntur. 1. aſperſio aquę luſtralis. 2. raſura pilorum. 3. lotio veſtium. 4. oblatio boum; unum pro peccato, alterum in holocauſtum. 5. Statio eorum in tabernaculo coram Deo. 6. Impoſitio manuum, quâ populus ipſis imponebat manus. 7. Oblatio eorum tanquam muneris populi Deo, ad ſerviendum in tabernaculo. 8. Impoſitio manuum Levitę conſecrandi, ſuper duobus bobus; quos deinde Aaron immolabat.

IV. *Quæſt. An Levitarum claſſes per vices miniſterio fungentes, per hebdomadem miniſterii ſui in loco, quem Deus elegerat, ut Siloh, aut Hieroſolymæ, tantum commorari tenerentur: an vero ſoli ipſorum præfecti? Idem quæro de ſacerdotibus. Reſp.*

1. *Concl.* Levitæ & ſacerdotes vulgares poterant quidem iſtic certas & ſtabiles ſedes figere, ſi res ipſorum ferrent; & multos hoc feciſſe, præſertim qui legi diſcendæ & docendæ intenti erant colligi poteſt ex *Pſal.* 78. *v.* 60. 64. *Nehem.* 11. *v.* 3. 10.-20. Omnes tamen ad hoc non tenebantur; fruſtra alioquin Deus civitates illis aſſignaſſet, de quibus *Joſ.* 21. Et patet ex exemplo Zachariæ, qui non Hieroſolymæ, ſed in partibus montanis habitabat, Hebrone ſcil. *Luc.* 1. *v.* 23. cum 39. 40. Et ex *Ezr.* 3. *v.* 69. ubi dicuntur ſacerdotes, Levitæ, cantores, janitores habitaſſe in urbibus ſuis. Nec omnibus Levitis & ſacerdotibus hoc licuiſſet, quia debebant populum in ſynagogis, & ſingulis civitatibus ac pagis docere, juxta *Deuter.* 33. *v.* 10. docebunt judicia tua, &c. & legem tuam Iſrael.

2. *Concl.* præfectos autem ſeu duces, ac directores tum ſacerdotum tum Levitarum, imprimis & ſummum Pontificem, ordinariò habitaſſe in loco, quem Deus elegerat ad habitandum nomen ſuum; colligitur ex locis modo cit. & ex *Pſal.* 122. *v.* 5. cum *Deut.* 17. *v.* 13. 14. Adde *Math.* 2. *v.* 4. *Marc.* 3. *v.* 22. Et cum inter adverſarios Chriſti leguntur cum illo contendiſſe *ſcribæ & principes ſacerdotum*; ſatis patet illos omnes Hieroſolymæ habitaſſe: ubi concilia ſub præſidio ſummi ſacerdotis agebantur, tum *ſtata* & ordinaria tum *occaſionata* (ita loquar), ad quæ ſæpe ex tempore conveniendum erat. Vide de ſubitaneâ convocatione concilii *Math.* 26. *v.* 3. imprimis *Math.* 2. *v.* 4. & 27. *v.* 1. ubi *omnes* dicuntur conveniſſe.

V. *Quæſt. An omnes ſcribæ γραμματεῖς dicti Math.* 2. *v.* 4. Hebr. סופרים *ſopherim? etiam νομικοὶ legiſ-periti Marc.* 7. 29. *Luc.* 7. *v.* 30. 1 *Cor.* 1. *v.* 20. *fuerint Levitæ? Reſp.* Aff. De ſcribis illis, qui legem *Dei*, & theologiam tractabant. Tria enim ſcribarum (*ſopherim*) genera in ſcripturâ occurrunt.

Pri-

Digitized by Google

Primum eorum, qui regibus ſcribendo miniſtrabant, quales hodie dicuntur *ſecretarii. 2 Sam.8.v.17.* & 20.*v*.25. 2 *Reg.*12. *v*.10. & 22. *v*.3. *Secundum*, eorum, qui privatorum contractus & inſtrumenta videntur ſcripſiſſe; quales hodie *Notarios* vocamus. De quibus 1 *Paral.*2. *v*. 55. cum *Jerem.*31. *v*.11. *Pſal.*45. *v*.2. *Tertium* eorum qui juris divini periti erant, illud ſcribebant, prælegebant, explicabant, de eo reſpondebant. De talibus nos Aff. fuiſſe Levitas, & miniſtros ſacros. Quorum officium erat legem explicare, populum docere, caſus, & quæſtiones circa legem obortas determinare. Hinc dicti νομικοὶ, quaſi dicas, *legiſtæ*; & *ſcribæ populi* Math.2. v.4. Et ſedere *in cathedrâ Moſis* Matth. 23. v. 1. Ezra titulo *ſcribæ velocis in lege Moſis*, inſignitur *Ezr.*7.*v*.5. Et v. 10. *hoc eſt exemplar Epiſtolæ, quam dedit rex Arthachſaſta Hezræ ſacerdoti ſcribæ verborum præceptorum Domini & ſtatutorum ejus ſuper Iſrael.* Ea v.11. *Ezræ ſacerdoti, ſcribæ legis Dei cœli conſummato.* Servator noſter *Math.*13. *v*. 52. officium ſcribarum ita adumbrat: *Omnis ſcriba edoctus ad regnum cœlorum, ſimilis eſt cuipiam patri familias, qui profert è theſauro ſuo vetera & nova.* Et cum Apoſtoli, Prophetæ, Euangeliſtæ, Doctores, Paſtores miſſi à Chriſto ad eccleſiæ N. T. collectionem (*Epheſ.*4. *v*.11.12. cum Actor. 13. v.1.2.) vocantur *Prophetæ, ſapientes, ſcribæ* Math.23. v.34 facile inde colligimus quodnam ſcribarum fuerit officium. Erant ego juris divini periti, etiam ad concilia vocabantur ubi de jure divino, & quæſtionibus ac caſibus circa legem, inquirendum, conferendum, deliberandum, ac determinandum erat. An autem ibi habuerint deliberativum, an etiam definitivum ſuffragium, in medio relinquimus. Certum eſt illos eo vocatos, ex Marc.15. v.1.coll. cum Jerem.26. *v*.7. 8. ubi *Prophetæ* appellantur.

VI. *Quæſt. An Nazirei, Rechabitæ, Pharizæi, Saducei, Eſſei fuerint gradus aut genera miniſtrorum ſacrorum? Reſp.* Neg. 1. *Quia* Nazirei ſive ex Levi ſive ex Judæ, ſive ex alâ quâcumque tribu eſſent, ex immediatâ ordinatione divinâ, aut ex voto ſpontaneo Deo peculiariter conſecrati ſeparabantur ab aliis hominibus, quod ad aliquas obſervationes; idque vel ad tempus, vel per omnem vitam. *Num.*6. *Iudic.*13.*v*.4 5. *Luc.*1. *v*.15. cum *Math.*3. *v*.4. Unde conſtat Simſon fuiſſe ex tribu Dan; & virum quemvis aut mulierem Iſraeliticam potuiſſe eſſe Nazireum: cum ordinarii miniſtri ſacrorum nulli eſſent, niſi ex tribu Leviticâ. Habebat ergo ſe Naziteatus, ad miniſterium ſacrum per accidens, & vice verſa. *Reſp.*2. Rechabitæ non erant ex tribu Levi, nec ex ullâ aliâ tribu Iſraeliticâ: non erant ergo, nec poterant eſſe miniſtri ſacrorum. Orti enim erant ex Jethro ſocero Moſis. De quibus vide comment. noſtros ad *Jerem.*35. *v*. 6. *Judic.* 11. *v*. 16. & 4. *v*. 11. & 1 *Paral.* 2. *v*. 55. Et Antagoniſtas Papatus in controverſiâ de Monachatu. Cum ergo Kenitę non eſſent ex tribu

bu Levi, nullum ſacri miniſterii genus ipſis tribui poteſt. *Reſp.* 3. Quod ad Phariſæos, &c. erant illæ denominationes à ſectâ, non à gradu aut genere aliquo miniſterii ſacri. Erant ergo ſectâ Saducei, aut Phariſæi, aut Eſſæi, aliqui ex cujuſvis ordinis ac ſtatus ſive politici ſive eccleſiaſtici hominibus. Et *Actor.* 23. *v.* 6. ex principibus ſacerdotum, & ſcribis & ſenioribus, qui concilium illud conſtituebant, alii ſectâ erant Phariſæi, alii Saducæi. Porro de ſectis illis notamus aliqua in 2. *part. ſelect. diſp. tit. de Judaiſmo*, in *appendice pag.* 143.

Cap II.

De N. T. miniſtris ordinariis, & de paſtoribus ſeu concionatoribus.

Miniſtri ordinarii ſub N. T. communiter numerantur Paſtores ſeu verbi miniſtri, Doctores, Seniores, Diaconi: quos etiam ſolos agnoſcit ordo eccleſiaſticus eccleſiarum Belgicarum, *cap.* 2. De Doctoribus à nonnullis diſquiritur, an iidem ſint cum paſtoribus: de quo infra ſuo loco. Pontificii apud *Lombardum lib.* 4. *diſt.* 24. Et *in ſupplemento Thomæ qu.* 36. *art.* 2. ſeptem numerantur ordines ſeu gradus, *ſubdiaconi*, *Acoluthi* (*ſeu ceroſerarii*, *ſeu accentores luminum*) *Exorciſtæ*, *lectores*, *oſtiarii*, *diaconi*, *ſacerdotes*. Durantes in Rationali *lib.* 2. *cap.* 1. Ordines iſtos dividit in *minores* ſeu *non ſacros*; & in *majores* ſeu *ſacros*. Priores ipſi dicuntur *Cantoratus*, *Pſalmiſtatus*, *Oſtiaratus*, *Lectoratus*, *Exorciſtatus*, *Acolitatus*. Poſteriores, *Subdiaconatus*, *Diaconatus*, *Presbyteratus*, *epiſcopalis ordo*. Sed cur prioribus non accenſet ſcopatores & clokatores, Cloacinos, caminopurgos, templi & utenſilium πλύντας, piſtores aut piſtrices hoſtiarum, ſartores aut ſartrices veſtium ſacrarum; architectos, aut collatores & venditores vini, olei, ſalis, cereorem, quibus in ſacris Romanis ſeu Papalibus utuntur. Et cur *poſterioribus* non annumerant. *Plebanos*, *Capellanos*, *archidiaconos*, *primicerios*, *archipresbyteros*, *Decanos Chriſtianitatis*, *archiepiſcopos ſeu metropolitas*, *Cardinales*, *Pœnitentiarios*, *Papas*, vicarios Papæ, omneſque alios cameræ pœnitentiarię, cancellariæ, conclavis, ſacri conſiſtorii, curiæ Papalis miniſtros? Piget referre Durantis mirabiles ordinum ab ipſo enumeratorum probationes ex ſacris literis, & patribus, conciliis: ut & diſceptationes recentiorum an ſinguli ordines ſint ſacramenta; quæ ſit ſingulorum materia & forma, & quæ ſubſtantialia? An e. gr. *ſacramenti Oſtiaratus* ſubſtantialia ſint clavium traditio de altari per Epiſcopum, & verba: *Sic age ſic vive redditurus domino rationem pro his rebus, quæ his clavibus recluduntur*; & cætera ſint ſolennitatis: uti dictat *Durantes cap.* 4. § 1.

 Idem

Digitized by Google

Idem Durantes, concinnè probat, Chriſtum illa officia habuiſſe e. gr. acolythi ſeu ceroforarii, ex eo quia ipſe teſtatur. *Ego ſum lux mundi, qui ſequitur me*, &c. Eundem Oſtiarii *Officium impleviſſe*, quando dixit. „*Tollite portas principes veſtras, & elevamini portæ æternales*, &c. Et quan„do ementes & vendentes de templo ejecit, quod in eccleſiâ ſpiritualiter „agit. Unde in Euangelio, dicit, *ego ſum oſtium.*

Unum ex illo *cap.* 2. diſcendum puto, quippe ſpectans antiquitates „Papales: Antiquè pridiè quam cantandum erat, cibis aliis abſtinebant, „prȩterquam leguminibus causâ vocis. Unde & cantores vulgo *Fabarii* „dicti.

Quæ de ſeptem ordinibus quȩſtiones à theologis in *Concilio Trident.* agitatæ fuerint, & quam macra ac trepida determinatio tandem prodierit, vide in *Trid. Concil. Hiſtoriâ lib.* 7. & in ejuſdem canonibus, cum *Examine Chemnitii*. Nos breviter ex ſeptenario hoc numero expungimus *ſacerdotem* miſſificum, & *diaconum* cum ſubdiacono miſſæ miniſtrum. Epiſcopum ſpecie & gradu à paſtore aut concionatore diſtinctum, & Archiepiſcopum, Patriarcham, Cardinalem, Papam. Sunt enim non entia, ſcripturis ignota. Chimæricos Exocriſtas abſque exorciſmo ejecimus antehac in 3. *part. ſelect. diſpp. tit.* de Exorciſmo. *Cantores* & *lectores* ſunt adjutores concionatorum: accenſores luminum, Janitores, ſunt miniſtri miniſtrorum ſacrorum; externi ſcil. circa externa verſantes: quales *clokatores*, *ſchopatores*, *cloacini*, *caminopurgi*, *ignium in conclavi ſtructores*: de quibus infra hujus libri *tract.* 4.

§. 2. Primum genus miniſtrorum ſacrorum ſunt dicti *Paſtores* Epheſ. 4. v. 11. & *concionatores* ſeu præcones Euangelii & ſynecdochicè *Presbyteri* 1 Petr. 5. v. 1. Tit. 1. v. 5. 9. *Presbyteri laborantes in verbo* 1 Tim. 5. v. 17. Metaphoricè *diſpenſatores Dei*, & *myſteriorum Dei* Tit. 1. v. 7. 1 Corinth. 4. v. 1. ſynecdochicè *Euangeliſtæ*. Rom. 10. v. 14. 15. coll. cum Jeſa. 52. v. 7. Et ἡγούμενοι *ductores anteceßores* Hebr. 13. v. 17. Synechdochicè *operarii* & *laborantes* Math. 9. v. 38. cum 1 Theſſal. 5. v. 14. *Miniſtri*, *adminiſtri*, συνεργοῦντες 1 Cor. 3. v. 4. 5. 9. & 2 Corinth. 6. v. 1. *Legati Dei aut Chriſti* 2 Cor. 5. v. 20. προϊστάμενοι 1 *Theſſ.* 5. *v.* 12. *Prophetæ*, *ſapientes*, *ſcribæ*, νομικοὶ Math. 23. v. 34. cum 13. v. 52. *Homines Dei* 2 Timoth. 3. v. 16. 17. 18. *Epiſcopi* Tit. 1. v. 5. cum 7. & 1 *Timoth.* 2. *v.* 1. 2. cum *Philipp.* 1. *v.* 1. & *Actor.* 20. *v.* 28.

Et hæc quidem nomina ſcripturaria: Eccleſiaſtica antehac aut nunc uſitata ſunt, *eccleſiaſtes*, *præco* ſeu *prædicans*, προεστὼς (apud Juſtinum Martyr. in apolog.) *parochus*, *rector*, *curatus* ſeu *curio*, *Papa*, (id eſt, Pater) Gr. πάπας & πάππα; quȩ eſt vox venerationis (ὑποκόρισμα πατρὸς, id eſt, blanda & ſpecioſa appellatio patris: Heſych.) Et ſic exponit Suidas, qui ſcribit πάππα &

ἄππα

ἄππα. Eſt enim à Syriaco *Abba* (quod occurrit *Rom.* 8. *v.* 15. *Marc.* 14. *v.* 36. *Galat.* 4. *v.* 4.) quod ex Hebr. *abh.* Hac voce honorificâ presbyterum ſeu epiſcopum non tantum Græci & Latini, (vide inter alia *Epiſtolas Sidonii Apollinaris*, & *Hilarii* ac *Proſperi* ad *Auguſtinum*) ſed & Germani, Ungari, Dalmatæ, Moſchi appellare ſolent. De Græcis probatur, ex uſu ſequiorum ſæculorum; quo παπᾶς (circumflexè in ultimâ) quemlibet ſacerdotem ſæcularem; πάπας vel πάππας ſupremum Pontificem (uti & in *Juſtiniani Novella* 131.), ἱερομόναχος monachum ſacerdotem; πρωτοπαπᾶς q. d. Archipresbyterum. Quæ appellationes in *Codini Curopalatæ lib. de officialibus* occurrunt; ut & παππίας nomen officii aulici. Græcum hoc πάππας etjam Alanis ſive Schytis uſurpatum: uti conſtat ex *Nicetæ lib.* 1. *de Imperio Angeli*, ubi de invaſione Theſſalonicâ. Latinis antiquis pater, *Papus* & *Papa*, *Papia* dicebatur; poſtea geminatâ litera *P. Pappus*, *Pappa*, *Pappia*. Nomen hoc apud Latinos tributum fuiſſe paſtoribus & epiſcopis eccleſiaſticis, notum eſt ex *Cypriano*, *Ambroſio*, *Hieronymo*, *Auguſtino*, *Sidonio*, in epiſtolis. Germanis & Belgis *Paepe Paep.* Ungaris *Pap.* Germani primę ſedis epiſcopum & putatitium patrem patrum (Papam ſcil. Romanum) appellant *Bapſt* vel *Pabſt* quem Angli *Pope*; Moſcovitæ ἀρχιερία ſuum appellant *Pop.* Abaſſini Patriarcham ſuum *Abouna*, id eſt, pater noſter. Vox *Papa* in partibus occidentalibus malè ſonare cœpit, ob vulgarium parochorum & ſacerdotum profligatos mores, ignorantiam, & falſam doctrinam. Albigenſes ſuos paſtores & verbi miniſtros etiam *Barbas* vocabant (in ſingulari numero cum articulo *lo Barba*): uti videre eſt in catechiſmo, apud *Joh. Paulum Perrinum part.* 3. *hiſtor. Waldenſium lib.* 1. Huſſitæ linguâ Bohemica *Knez*, id eſt, *præpoſitos*. Reformati in Galliâ, Belgio, Germaniâ, *paſtores*, *præcones* ſeu *prædicantes*, *miniſtros verbi*, *miniſtros Euangelii* appellant.

Quod alicubi apud nonnullos, qui à Papatu ſeceſſerunt, paſtores adhuc vocantur ſacerdotes, vernaculè *prieſt* & *Preſt*, illud non eſt ſine ambiguo, aut vocabuli abuſu: ſiquidem ipſorum miniſtri non ſunt miſſifici ſacerdotes qui offerre intendunt ſub ſpeciebus panis & vini. Sed de hoc infra.

Paſtor eccleſiæ deſcribi poteſt, quod ſit *miniſter à Chriſto per eccleſiam vocatus, ut populum ſibi aſſignatum & commiſſum neceſſariis mediis ad ſalutem paſcat.* §. 3.

In hâc deſcriptione notanda. I. Vocatio legitima tum interna tum externa: de quâ libro ſequenti. II. Certus populus hic & nunc converſus, aut convertendus: cujus ſpecialem curam gerit & ſuſcipit. III. Media externa ad ſalutem hominum promovendam, quæ in ſuam quiſque eccleſiam impendit paſtor, ſunt preces, verbum, ſacramenta, diſciplina, exemplum.

Sunt ergo officia paſtoris poſitivè, *quæ ſic*, & negativè *quæ non*, conſideranda.

deranda. In genere Apoſtolus ea complectitur iſtis duobus Actor. 20. v. 28. *Attendite, igitur ad vos ipſos, & totum gregem; in quo vos ſpiritus ſanctus conſtituit epiſcopos.*

Attentio ad ſeipſum ſpectat 1. *ſtudium ſapientiæ* 2. *devotionem*, pietatem & ſanctitatem erga Deum 3. *Exemplum* converſationis, circa proximum in virtutibus ethicis, politicis, œconomicis, humilitate, temperantiâ, juſtitiâ, prudentiâ, fortitudine, patientiâ, benignitate, &c.

I. Quod ad ſtudium ſapientię cœleſtis, illique ancillantium & auxiliarium ſcientiarum; ſemper illud urgendum & cum zelo tractandum. 2 Timoth. 3. v. 3. *Tu vero permane in iis, quæ didiciſti.* Nemo autem manere poteſt, niſi repetat ea quæ didicit & novit; quod ſine intenti animi meditatione & ſtudio fieri nequit. Pręterea ubi quis non proficit, ibi deficit. Adde 1 Tim. 4. v. 13. *Interim dum venio, intentus eſto lectioni, exhortationi, doctrinæ*: & v. 14. *Ne negligito donum quod in te eſt; hæc meditare, in his eſto: ut tuus profectus manifeſtus ſit inter omnes. Intentus eſto tibi ipſi, & doctrinæ & permane in iſtis*, &c. Libri quos inſpicere, legere & relegere debet ſunt tres, ſcripturæ ſcil. propriæ conſcientiæ (de quo ſequ. num. 2.), & propriæ eccleſiæ. Sibi ergo attendere debet, quod ad profectum in ſacrâ ſcripturâ, & ſapientiâ ſpirituali. De miniſtri & miniſterii candidati methodo ſtudiorum egimus in *Bibliothecâ.*

II. Quod ad devotionem & exercitia pietatis erga Deum: De ejus methodo, modo, & partibus agimus in noſtrâ *Aſceticâ*: nec hic repetimus. De virtutibus theologicis, fide, ſpe, caritate alibi, tractandum; & nos guſtum aliquem dedimus in 2. *part. ſelect. diſpp. tit. de Regeneratione, de praxi fidei*; & in 3. *part. ſelect. diſpp. tit. de theologiâ practicâ, de Amore Dei.*

III. Quod ad exemplum converſationis, ſeu exemplar gregi dandum; illud conſiſtit in actu & exercitio virtutum moralium gravitatis, humilitatis, temperantiæ, juſtitiæ, patientiæ fortitudinis, conſtantiæ, benignitatis, miſericordiæ, prudentię, aliiſque in 4. *part. ſelect. diſpp. tit. de dilectione proximi* enumeratis; necnon in virtutibus Oeconomicis & Politicis. Apoſtolus actus aliquos atttentionis ad ſeipſum recenſet 1 *Timoth.* 3. & 6. *Tit.* 1. 2 *Timoth.* 4.

Attentio ad gregem, complectitur officia circa gregem præſtanda; quæ ſunt,

1. *Verbi Prædicatio* & applicatio tum publica, tum privato-publica, tum privata & κατ' οἶκον: idque per conciones, lectiones, catechizationes, conſolationes, adhortationes, correptiones, elenchos, conſilia, reſponſiones ad caſus & quæſtiones propoſitas, apologias, ſcriptiones. De quibus ſupra in *part.* 1. *lib.* 2. & in *Exercitiis Pietatis*. Imprimis hic meditanda *capp. Actor.* 20. 2 *Tim.* 4. *Coloſſ.* 4.

Digitized by Google

II. *Sacramentorum* diſtributio, de quâ ſupra *part.* I. *lib.* 2.

III. Regiminis ſacri, & diſciplinæ adminiſtratio: de quorum actibus & partibus infra *part.* 3.

IV. Exemplaris, typi, luminaris prælatio & ſalis noſtri ſparſio *Math.* 5. *v.* 13. 14. 15. I *Petr.* 5. *v.* 3.

Attentionem hanc miniſtri ad ſe & ad eccleſiam, & ſpecialia quæque ergi ſe & eccleſiam officia, hic non diducam: cum tam facile nunc ſit ſtudioſis noſtris & miniſterii candidatis, adminiculo theſauri Ravanelli, ea ex ſcripturis colligere & explicare.

Cap. III.

De officiis paſtorum negativè ſeu de fugiendis; hoc eſt, de non attentione ad ſeipſum & ad eccleſiam.

DE Officiis paſtorum negativè, quæ ipſis ſunt fugienda, quamplurima ſunt, & vix hic enumeranda: eſt enim negatio ἄπειρος. Nos præmiſſo indicio, fugiendorum, quæ in epiſtolis Paûli ad Timotheum & Titum, & alibi in ſcripturâ leguntur, aliquem ordinem in diviſione eorum ſervare conabimur.

Primo ergo prohibet Apoſtolus ne ſit *reprehenſibilis*, ne ſit *vinoſus*, *per-* §. I. *cuſſor*, *pugnax*, *avarus*, *turpem quæſtum faciens*, *novitius*, *inflatus*, I Tim 3. Non *ſibi pertinaciter placens*, non *iracundus*, non mendax, mala beſtia, venter piger, *non attendens Judaicis fabulis*, & *præceptis hominum averſantium veritatem*, Tit. I. Non *timidus*, non *mercenarius*, *fugax* aut fugiens Joh. 10. v. 11. 12. cum 2 *Timoth.* I. *v.* 7. 8. *Actor.* 21. *v.* 13. Non *ſtudens placere hominibus* Gal. I. v. 10. non *canis mutus*, non *dormitator*, non *lurco*, non *edo*, non *bibo* Jeſa. 56. v. 10. 11. 12. Non *rapax* aut *cleptes* I Sam. 2. v. 15. Non adulator, ſimulator, *præco mendax*, *ſeductor*, χρηστολόγος, *Rom.* 16. *v.* 18. cum 2 *Petr.* 2. *v.* 3. Ezech. 13. cum *Mich.* 3. *v.* 11. & 2. *v.* 11. non *ſolvens ulla legis præcepta*, non *hypocrita* Math. 5. v. 19. cum 23. v. 16. - 32. Non φιλοπρωτεύων, non *garrulus*. 3. epiſt Joh. v. 9. 10.

Dividamus nunc fugienda: Sunt ea duum generum, vel quæ pertinent §. 2. ad non-attentionem ſui ipſius, vel quæ pertinent ad non-attentionem gregis.

Priora ſunt, Negligentia I. in ſtudiis 2. in devotione, & exercitiis pietatis 3. in virtutibus Ethicis, Oeconomicis, politicis.

I. *Negligentia* in ſtudiis. Quo fit ut deficiat, & obliviſcatur omnium fere eorum, quæ antehac didicit. Atqui debet corroborari in gratia 2 *Tim.* 2. *v.* I.

 Ergo

Digitized by Google

Ergò etiam in cognitione ſpirituali; ut ſit διδακτικὸς; depromens ex theſauro ſuo vetera & nova *Marc.* 13. Nec ſufficit, ut tantum ſtudeat, quantum ad conciones (ſæpe paucas) formandas aut repetendas neceſſe eſt: ſed inſuper ſtudendum eſt, ut poſſit contradicentes convincere, ad caſus conſcientiæ & ad quæſtiones de ſcripturâ reſpondere, conſilia practica & prudentię ex theſauro ſuo depromere. De ſtudiis tempore miniſterii tractandis aliquantulum monui *lib.* 1. *Bibliothecæ c.* 18. & 19. Et apparatus ad ſingulas ſtudiorum partes *lib.* 2. indicavi. Non quod ab omnibus miniſtris omnia illa ſtudia & quidem quovis tempore tractanda ſint, nedum ut pariter tractanda ſint e. gr. miniſtro Belgico ſtudia linguæ Italicæ, aut Hiſpanicæ, aut Perſicæ, aut Copticæ, &c. æque ac ſtudia linguæ Græcæ, & Hebraicæ cum filiabus & dialectis: aut quod ſtudia Geometrica, Optica, Mechanica, Geographica, aſtronomica, hiſtorica, poëtica, æque illi tractanda aut repetenda ſint, ac ſacræ architecturæ, Geographiæ, genealogiæ, phyſicę, politicæ, & hiſtoriæ, ut & hiſtoriæ eccleſiaſticæ. Nec indicio autorum toto *libr.* 2. à me facto, hoc volo ut omnes & ſinguli theologiæ ſtudioſi, proponentes, miniſtri abſque delectu omnes & ſingulos legant, & imprimant. Ipſa ſycophantia, ſic συκοφαντεῖν & cavillari vix auderet. Quis unquam ullos ſtudiorum methodiſtas aut conſultores, aut bibliothecarum, apparatuum, indicum materiarum ſcriptores (quorum aliquos *l.* 2. *cap.* 1. & 2. notavi) tam improbis atque ineptis cavillationibus inceſſeret?

II. Quod ad devotionem & exercitia pietatis tum privata, tum domeſtica, ea à miniſtro ſi negligantur minus apti evadunt ad officia publica precum, concionum, &c. rite peragenda. Quomodo enim rhetoricam divinam (uti artem, methodum & modum precandi appellat *Gul. Pariſienſis in tract. ſuo de præcatione*) in alloquio ad Deum coram populo promtè & accommodatè ad neceſſitates pręſentes exercebunt, qui non conſuerunt privatim pręcibus Deum ſuum compellare? quomodo ad cor hominum, & applicatè ad conſcientias concionabuntur, qui privatis meditationibus rerum cœleſtium cor ſuum non macerant? Quæ autem & qualia ſint exercitia devotionis ac pietatis, & quomodo peragenda, alibi docuimus, in tract. noſtro tit. *Aſcetica* ſeu *exercitiorum pietatis.*

III. Quod ad ſanctam & inculpatam converſationem, & mores Chriſtianos, per exercitia virtutum moralium, Oeconomicarum, politicarum; ea ſi deſit, utique officia miniſtrorum erga eccleſiam, otioſa & inutilia reddit, quod ad quamplurimos, ſi non pleroſque. De Oratore artis Oratoriæ magiſtri ſtatuunt, *Mores dicentis perſuadent, non oratio.* Unde *Nazianzenus*: ἢ μὴ διδάσκειν, ἢ διδάσκειν τῷ τρόπῳ. Et veriſſimum vulgatum illud: Tales alterâ manu deſtruere, quod unâ ædificant. Lege ſi placet *Gregorii*

gorii M. paſtorale : Et *commentar. Danei in* 1 *Timotheum* 3. & 4. & 6. & *Job. Crocii commentar. ad Tit.* 1. Decreta Conciliorum multa clericis in vita & moribus prohibent, quæ in epitomis aut canonibus Conciliorum legi poſſunt. Quorum aliqua etiam in *decreto Gratiani*, & 3. Decretalium tit. 1. *de vitâ & honeſtate Clericorum*, exhibentur aut indicantur. Recentiores Canoniſtæ & Caſuiſtæ, more ſuo ſubinde limitant, ad conſuetudinem, mores, ac ſtudia hodierni cleri, ea inflectentes. Faxit Deus, ne aliquando Papatus antagoniſtis dicatur, Væ tibi tam nigræ dicebat cacabus ollæ. Ego in præſenti ſolummodo enotabo ea quæ hodie apud multos difflari & exſibilari incipiunt tanquam ſtolida, nimis rigida & præciſa, phantaſtica, ſuperſtitioſa, libertati Chriſtianæ adverſantia. *Sexta ſynodus Conſtantinopol. in Trullo can.* 27. requirit modeſtiam, prohibet omnem faſtum & vanitatem in veſtibus. Et ſic *Ambroſius lib. de dignitate ſacerdotali cap.* 4. *Hieronymus de vitâ Clericorum ad Nepotianum.* Scitum illud *Bernardi lib.* 3. *de conſider. cap.* 11. „Forma veſtium deformitatis mentium, „& morum indicium eſt. Quid ſibi vult, quod Clerici aliud eſſe aliud vi„deri volunt : nempe habitu milites, quæſtu Clericos, actu neutrum exhi„bent : nam neque pugnant, ut milites ; neque ut Clerici Euangelizant. Comtemplationes ſpectaculorum in conviviis & nuptiis, & mandatur iis ſurgere & ſecedere, antequam thymelici ingrediantur *Concil. Laodic. can.* 54. Prohibet ſpectationes mimorum, venationum, ſaltationum in ſcenâ, *Concil. Conſtantinop.* 6. *can.* 51. Aleæ luſum prohibet VI. *Concil.* (*Conſtantinopolitanum*) *can.* 50. Eidem prohibitioni inſiſtit *Jus Canonicum in* 3. *decretal. tit.* 1. *cap.* 15. „Clerici officia vel commercia ſæcularia non exer„ceant, maximè inhoneſta. Mimis, joculatoribus, & hiſtrionibus non in„tendant. Et tabernas prorſus evitent ; niſi forte causâ neceſſitatis in iti„nere conſtituti. *Ad aleas & taxillos non ludant, nec hujuſmodi ludis interſint.* Nec metuunt aliqui ex recentiſſimis Canoniſtis, illam prohibitionem fideliter inculcare, ejuſque rationes adferre : non obſtante quod clericos minores, & majores, una cum pleriſque magnatibus & optimatibus hujus ſæculi, ludendi cacoethes & inſanabilis error, etiamnum occupatos teneat. *Zypæi verba lib.* 3. *Juris Pontificii novi pag.* 1. hic adſcribam : Magna, inquit, „etiam eſt phreneſis in aleæ luſu, &c. (*quod probat exemplo antiquorum* „*Germanorum ex Tacito.*) Quâ ex causâ, & ne eccleſiæ ſubſtantiam luſi„bus prodigant, dum temperare vel abſtinere, nec victi nec victores poſſunt, „quodque cleri ſtatum dedeceat, inhibentur eccleſiaſtici aleas tractare. „Diſtat tamen calculorum luſus longè à vetitâ legibus aleâ ; quia in hâc „exercendâ ſola fortuna, in illis autem maximè induſtria verſatur : illa „damnatur ; non hæc : quæ luſum ſchaccorum, *quem Hieronymus Vida ce-*

lebravit,

„ *lebravit*, ideo laudabilem facit. Hodie pro defenſione aleæ, aut chartarum nonnulli muſſitant, quidam apertè clamant: aut quia ipſi ludis illis utuntur, & porro uti volunt; aut quia non audent non velificari talibus ludionibus, qui prodeſſe aut nocere poſſunt; & quorum gratiam experiri malint, quam indignationem. Nos ante annos aliquot peculiari tract. luſum aleæ improbavimus. Ebrietatem & poculorum certamina idem *Jus canonicum tit. cit. cap.* 14. „ ſic prohibet. A crapulâ & ebrietate omnes clerici diligenter „ abſtineant: unde vinum ſibi temperent, & ſe vino. Nec ad bibendum quiſ„ piam incitetur (N. B.): cum ebrietas & mentis inducat exilium & libi„ dinis provocet incenticum. Unde illum abuſum penitus decernimus „ abolendum, quo in quibuſdam partibus ad potus æquales ſuo modo obli„ gant potatores: & ille judicio talium plus laudatur, qui plures inebriat; „ & calices fecundiores exhaurit. De hoc egimus in 4. *part. ſelect. diſpp. tit. de ebrietate.* Comam nutrire & relaxare. Ibidem *tit. cit. cap.* 4. clerici prohibentur. *Vivianus in Rationali Juris Canonici lib.* 3. *tit. & cap. cit.* „ Hanc rationem adfert, quia ipſa natura docet, quod vir ſi comam nu„ triat, ignominia eſt illi, &c. *Apoſt.* 1. *ad Cor. cap.* 11. Et de hoc egimus *part.* 4. *ſelect. diſpp. tit. de Excelſis Mundi.*

Plura ſpecimina non adducam: ſed hoc generali monitorio de attentione ad ſeipſum, ex *Iſidori Hiſpal. lib.*2. *de eccleſ. offic. c.*2. (quod inſertum *Juri Canonico diſt.*23. *c.* 3.)

„ His igitur lege Patrum cavetur, ut à vulgari vita ſecluſi, à mundi vo„ luptatibus ſeſe abſtineant, non ſpectaculis, non pompis interſint, con„ vivia publica fugiant, privata non tantum pudica, ſed & ſobria colant, „ uſuris nequaquam incumbant, neque turpium occupatiònes locorum, „ fraudiſque cujuſquam ſtudium appetant, amorem pecuniæ, quaſi mate„ riem cunctorum criminum fugiant, & ſæcularia officia, negotiaque abji„ ciant: honoris gradus per ambitiones non ſubeant: pro beneficiis me„ dicinæ Dei, munera non accipiant, dolos & conjurationes caveant: „ odium, æmulationem, obtrectationem, atque invidiam fugiant: non „ vagis oculis, non effręni lingua, aut petulanti, fluidoque geſtu incedant, „ ſed pudorem, & verecundiam mentis ſimplici habitu, inceſſuque oſten„ dant: obſcœnitatem etiam verborum, ſicut & operum penitus exe„ crentur: viduarum, & virginum frequentationem fugiant, contubernia „ extranearum fœminarum nullatenus appetant, caſtimoniam quoque in„ violati corporis perpetuo conſervare ſtudeant: aut certe unius matrimo„ nii vinculo fœderentur, ſenioribus quoque debitam obedientiam præ„ beant, neque ullo jactantię ſtudio ſemetipſos attollant: poſtremo doctri„ næ lectionibus, pſalmis, hymnis, canticis, exercitio jugiter incumbant.

Tales

„Tales enim debent eſſe qui divinis cultibus ſe mancipandos ſtudent exhi-„bere, ſcilicet, ut dum ſcientiæ operam dant, doctrinę gratiam populis „adminiſtrent.

Non eſt prętereunda prohibitio *Concilii Nannetenſis* inſerta *juri canonico diſt.* 44. *cap.* 7.

„ Nullus presbyterorum, quando ad anniverſarium diem, trigeſimum, „aut ſeptimum, vel tertium alicujus defuncti, aut quacunque vocatione „ad collectam presbyteri convenerit, ſe inebriare ullatenus pręſumat, nec „precatus amore ſanctorum, vel ipſius animę bibere, aut alios ad biben-„dum cogere, vel ſe aliena precatione ingurgitare; nec plauſus, & riſus „inconditos, & fabulas inanes ibi referre, aut cantare pręſumat, aut tur-„pia joca, vel urſo, vel tornatricibus ante ſe fieri patiatur: nec larvas dę-„monum ante ſe fieri conſentiat: quia hoc diabolicum eſt, & à ſacris ca-„nonibus prohibitum.

Oppoſita officiis paſtorum erga eccleſiam, aliqua quaſi digito hic indicabo.

Opponitur officio concionandi. §. 3.

1. Raritas concionum, idque ob frequentem abſentiam ab eccleſiâ; aut ob frequentem quorumvis miniſtrorum, ſi qui illac tranſeunt, & proponentium ſubſtitutionem. Huc refer conciones ſolitarias: cum numquam aut raro binæ diebus dominicis habentur.

2. Defectus in concionando, & vitia concionum: de quibus ſupra *part.* 1. *lib.* 2.

Catechizationi opponitur, 1. neglectus catechizationum earumque in alios rejectio, quaſi infra autoritatem & ſublimitatem paſtoris eſſet rudium, præſertim parvulorum catechizatio. 2. directa & aperta earum rejectio ac abrogatio: ne ſcil. laici nimiâ ſapientia onerentur; quâ ipſis minime opus eſt; niſi omnes velimus facere paſtores aut miniſterii candidatos.

3. Modus talis catechizandi, ſeu (de quibus ſupra *part.* 1. *lib.* 2.) indigna talis catechumenorum, aut inſulſa ac languida, ſi non imperita, catecheſios tractatio, ut catechizationes & exercentibus & auditoribus tandem deſtituantur; Et ſic honorificè à catechizandi onere liberentur.

Lectionibus ſcripturariis, prophetiis, piorum privatis aut privato-publicis collationibus, Caſuum conſcientiæ determinationibus, conſiliorum ſubminiſtrationibus, concionum repetitionibus, opponuntur omnium iſtorum non tantum neglectus, ſed & contemtus, inſectatio, deriſio, condemnatio, oppugnatio, perſecutio, diſturbatio. Confer 4. *part. ſelectar. diſpp. tit. de Theologiâ practicâ*; & ſupra *part.* 1. *lib.* 2.

Officiis viſitationum κατ' οἴκους, ægrorum, & internè aut externè affli-

 ctorum,

ctorum, viduarum, ignorantium, in doctrina aut vitâ fluctuantium, labentium, lapſorum; opponitur 1. Ignavi otii fruitio 2. Opinio & prætextus, de inſtructione, conſolatione, excitatione, correptione publicè pro concione ſubminiſtratis; quas frequentant omnes aut frequentare debent. Officium concionatoris eſſe, concionari: hoc peracto, ad privata illa alloquia, & viſitationes non teneri: ſed ſenioribus, ægrotorum conſolatoribus, aliiſque hæc eſſe committenda.

Hæc eadem, & ſimilia opponuntur, officiis inſpectationis & attentionis ad alios concionatores in eâdem eccleſiâ, & diſtrictuali aut ſynodicâ correſpondentiâ. Sed de officiis paſtorum in ſynedrio, claſſe, ſynodo, eorumque oppoſitis, forte infra *part.* 3. dabitur agendi occaſio.

§. 4. Ad ulteriorem hujus materiæ illuſtrationem ſubjicimus aliquot quæſtiones.

I. *Quæſt. An præcipuum officium paſtoris ſit verbi prædicatio? an vero ſacramentorum adminiſtratio? Reſp.* Pontificii aff. poſterius: ut tam multis mutis canibus, præſertim inter clericos gubernantes Papas, ſcil. Cardinales, Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos,) pulvillos conſuant. Ne autem color deſit huic aſſertioni, in auxilium has advocant hypotheſes. Quia ſacramenta ſecundum ipſos, conferunt gratiam ex opere operato: Et quia ſacramentum altaris (uti vocant) in ſacrificium ab ipſis transformatum impetrat & confert remiſſionem peccatorum pro vivis & mortuis. Qualis efficacia verbi prædicationi non tribuitur.

Sed nos rejectis falſis illis hypotheſibus, dicimus præcipuum paſtoris officium eſſe verbi prædicationem.

Primo, quia fides oritur ex auditu verbi prædicati, *Rom.* 10. *v.* 17. cum & 1 *Corinth.* 1. *v.* 21. non ex ſacramentis; quæ fidem confirmant ubi eſt, non autem introducunt, ubi non eſt. 2. *quia* verbi prædicatio poteſt tanquam inſtrumentum morale operari ſine ſacramento: ſed ſacramentum nihil poteſt operari ſine verbo. Haut aliter ac lux per ſe viſibile eſt, ſine colore, ſed color non eſt viſibilis ſine luce. Verbum neceſſarium eſt ad ſalutem neceſſitate medii: ſacramentum non eſt.

Secundo, Paulus prætulit officium prædicationis officio baptizationis. Hoc enim aliis exercendum relinquebat, illud non 1 Cor. 1. v. 14. 15. 16. *Gratias ago Deo meo, quod neminem veſtrum baptizaverim*, &c. *non enim miſit me Chriſtus ut baptizarem, ſed ut Euangelizarem*, &c. Et v. 1. Cor. 9. 16. *Væ autem mihi eſt niſi Euangelizem.* Et ſervator propheticum ſuum munus exercuit, perſonaliter prædicando: non vero baptizando *Joh.* 4. *v.* 1.

Tertio, quia paſtores, tanquam à potiori ſumtâ denominatione, dicuntur *miniſtri verbi aut miniſtri Euangelii:* non miniſtri ſacramentorum, aut baptiſmi,

Digitized by Google

baptiſmi, aut cœnæ. Dicuntur Euangeliſtę, præcones Κήρυκες: non Baptiſtę: quamvis officium ſacramenta baptiſmi & cœnæ adminiſtrandi, ipſis incumbat. *Math.*28. *v.*19.

Quarto, quia Apoſtoli, derelicto ſermone Dei, menſarum & eleemoſynarum miniſterio toti vacare non debebant *Actor.* 6. *v.* 2. Conſtitutis ergo diaconis, in oratione & adminiſtratione ſermonis perdurârunt *v.* 4.

Quinto, quia difficilius eſt prædicare verbum Dei, ſeu adminiſtrare verbi prædicationem, quam baptizare, aut cœnam diſtribuere. Jam vero, ſi difficilia, quæ pulchra; ſequitur principalius eſſe officium prædicandi, quam ſacramenta adminiſtrandi. Adeo ut vulgarium Papiſtarum diverbia hic merito reprehendenda, *Ad concionem eundum, ad miſſam currendum.* Et, *unica miſſa præſtat decem concionibus.* Et Caſuiſtarum (à nobis in 3. *part. ſelect. diſp. tit. de Sabbatho* cit.) determinatio, quod toto die dominico operibus aut honeſtis exercitiis vacare quis poſſit, modo mane ſacrum audiverit: hoc eſt, miſſæ ſpectaculo interfuerit.

II. *Quæſt. An officia paſtorum dividi aut ſeparari poſſint: ita ut paſtor eccleſiæ ſit, qui in eccleſiâ ſuâ non concionetur, aut ſit qui concionetur tantum, reliquis officiis per alium aut alios peractis aut peragendis? Reſp.* Neg. Includit enim paſtor omnia officia ſupra recenſita. Et quamvis ſeniores gubernantes in auxilium ipſi adjuncti ſint, in inſpectione & regimine eccleſię; diaconi in curâ pauperum; Doctores, in ſcripturæ explicatione, & ab adverſariorum oppugnationibus vindicatione; ludimagiſtri & catechiſtę in rudium catechizatione; Conſolatores, in ægrorum aliorumque afflictorum viſitatione: abſolutè tamen & in totum ab ejuſmodi officiis ſe liberatum eſſe ne credat. Cum omnia iſta munera in ſe quaſi contineat. Quod ad prædicationem verbi & curam pauperum, eam à munere paſtorali non ſeparari (uti fit in Papatu), docebit eos celebre illud dictum Gregorii M. in paſtorali: *Paſce*, inquit, *verbo, paſce exemplo, paſce ſubſidio. Paſce verbo prædicationis doctè. Paſce exemplo converſationis ſanctè. Paſce ſubſidio caritatis piè.* Præcedenti quæſtione oſtendimus, prædicationem eſſe primarium paſtoris officium. Unde ſequitur paſtorem mutum & quaſi κωφὸν πρόσωπον, non eſſe paſtorem. Qnid ergo de pleriſque epiſcopis Papalibus ſtatuendum? qui tamen ſoli, excluſis presbyteris & parochis, velint audire paſtores.

III. *Quæſt. An paſtores rectè vocentur ſacerdotes? Reſp.* Si vox ſacerdotis uti in V. T. ſacrificatorem notet; aut communi notione Papali accipiatur, Neg. Nullum enim in N. T. munus ſacrificandi, aut offerendi ſacrificium propitiatorium. Sin vero, ſacrorum miniſter eâ ſignificaretur, tole-

Digitized by Google

rari forte, aut excuſari poſſet. Conſuetam ſacerdotis appellationem habet *Ratio diſciplinæ ordiniſque eccleſiaſtici in Unitate fratrum Bohemorum p. 15.* „ Miniſtri eccleſiæ nobis ſunt ſacerdotes ſeu eccleſiarum paſtores, pro Chri- „ ſto legatione fungentes ad populum (2 Cor. 5. v. 20.) Quorum officium „ eſt, *verbum*, *claves*, & *ſacramenta adminiſtrare.*

„ Ubi annotat Comenius: A ſacerdotum appellatione fratres non ab- „ horrent, quatenus ea vox ſacris dicatam perſonam denotat, non ſacrifi- „ cum. Sed Bohemica vox *Knez*, mollior eſt, populi præpoſitum ſonans. Belgica appellatio *Prieſter*, Anglica *Prieſt*, Gallica *Preſtre* & *Pretre*, ex Latino *Presbyter* (Gr. πρεσβύτερος de quo infra *lib.* 4.) deflexa ſunt. Angli diſtinctionis causâ ſacerdotem miſſaticum appellant à *Maſſing Prieſt*: ut & Belgæ een Mis-Prieſter. Quia autem non tam vocis hujus Prieſter origo ſpectanda, quam communis ſignificatio, non malè faciunt, qui appellationibus ſcripturariis *Paſtoris*, *Preconis* aut *Miniſtri verbi* utuntur: non morati infrunitam detorſionem & cavillationem recentium quorundam myſtarum Papatus, qui titulum Woorden-Dienaers reformatis paſtoribus adſcribunt. A voce *tyranni* abſtinetur in compellatione regum, principum, dynaſtarum; & Deus prædicit pios à voce *Baal* abſtenturos, quâ tamen verus Deus in ſcriptura appellatus fuit, *Jeſa.* 54. Vide, quæ de uſu nominum diximus *in* 3. *part. ſel. diſp. pag.* 532.

IV. *Quæſt. An non-reſidentia paſtorum, eique inſervientes vicariatus, & pluralitas beneficiorum toleranda ſint? Reſp.*

Non-reſidentia eſt illicita, nec in paſtore toleranda: Ita paſſim determinare videntur recentes Caſuiſtæ in verbo, *non reſidentes*; & *Clericus*; & *beneficium.* Canoniſtæ Pontificii *tit. de Clericis* non reſidentibus *cap. ult.* & c. *quia nonnulli* & c. *Conquerente.* Et Scholaſtici ad 22. *qu.* 185. *art.* 5. Scriptores de Juſtitia & Jure; & ipſum *Concilium Tridentinum ſeſſ.* 23. *cap.* 1. & *ſeſſ.* 24. *cap.* 12. de reformatione: ubi ſtrictè præcipit Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis, Epiſcopis. *Azorius part.* 2. *theol. moralis lib.* 7. *cap.* 3. dicit inter omnes convenire, de reſidentiâ nominatorum à Concilio Tridentino; & addit ibi parochos & cæteros, quibus eſt cura animarum. Addit ibid. exploratum eſſe, dignitatem, vel adminiſtrationem, vel officium habentes (quales ſunt præpoſiti, perſonatus decani, archidiaconi, theſaurarii, præcentores & alii qui canonicatum, præbendam, & portionem habent) communi jure ad reſidentiam compelli. Sed *cap.*4. diſquirit an jure divino an vero canonico epiſcopi & parochi ad reſidentiam compellantur. Cauſam neceſſariæ reſidentiæ, & quidem vi juris divini ſtrenuè & patheticè egit inter alios, *Bartholomeus Carranza* de *Miranda* peculiari tract. anno 1547. Trident. tempore Concil. edito; cui ſubjecit epiſtolas Athanaſii ad

ſuæ

ſuæ dioeceſios epiſcopos, & ad Imperatorem de eâdem hâc materiâ; adhæc excerpta quædam ex libro *Martini Pereſii Ajaia Guidixenſium* Epiſcopi, de divinis Apoſtolicis atque eccleſiaſticis traditionibus. Tractatum hunc Metis excuſum indicat *Poſſevinus in apparatu ſacro.* Poſtea recuſus Antwerpiæ apud Johannem Bellerum anno 1554. in 12. quale exemplar mihi ad manum eſt. Quomodo de hâc non reſidentiæ Helena, in *Concilio Tridentino*, imprimis contra eam agentibus Hiſpanis & Gallis, certatum ſit, diſce ex *Hiſtoriâ Concil. Trid. lib.* 2. & 6. & 7. Vide imprimis *lib. 6. pag.* 450. edit. quintæ Gorinchemenſis anno 1658. Sed tam malam gratiam inde referebant qui magno ardore pro bonâ cauſâ pugnaverant, ut nonnulli Epiſcopi abitionem Tridento pararent: *tum quod ſeſe exoſos animadverterent; tum quod ſi in incepto perſiſterent, à magno malo ſibi metuerent.* Ut refert hiſtoria *lib. 6. pag.* 481. *Bartholomeus Caranza* factus Archiepiſcopus Toletanus, inde ejectus, Romæ dum cauſam ſuam proſequitur, obiit a. 1575. Prætexebatur contra ipſum conſcriptio catechiſmi in indice Romano prohibiti. Quidquid autem ad inhibendam non-reſidentiæ licentiam decreviſſe videntur, dicis causâ factum eſſe docuit eventus: quandoquidem diſpenſationes & exemtiones Pontificum ſublatæ, aut reſtrictæ non ſunt: in quarum gratiam determinationes Canoniſtarum ac Caſuiſtarum compluriam, ſi non plerorumque, additis caudis diſtinctionum, limitationum, exceptionum, ſeipſas conficiunt.

Nos probamus jure divino, & in foro poli, non-reſidentiam eſſe illicitam, hoc argumento:

Argum. 1. Qui jure divino debet curam gerere eccleſiæ ſuæ eamque paſcere verbo, exemplo, ſubſidio: is non debet abeſſe, ſed præſens eſſe eccleſiæ ſuæ. Sed verum prius. Ergo. Minor in confeſſo eſt, & ex ſcripturæ locis ſupra judicatis ſatis probata. Majoris conſequentia probatur 1. Quia qui non eſt præſens non poteſt oves ſibi commiſſas publicè privatimque docere, hortari, conſolari, corripere, ſtatum earum explorare & propius ſpectare, medecinam diſciplinę parare iiſque applicare, non ſuffragia in conſiſtoriis ferre, non ad caſus propoſitos, dubia, objectiones, exceptiones reſpondere, nec conſilia ſuppeditare, non lupos arcere & oves contra eos defendere: quod tamen paſtoribus incumbere probatur ex *Actor.* 20. *v.* 28. 29. 30. 31. cum *Johann.* 10. *v.* 11. 12. 13. Non poteſt oves paſcere exemplo converſationis ſanctę, nec ſubſidio caritatis piè. Non vident eum oves, nec audiunt vocem ejus, nec eum ſequuntur, nec ipſe antegreditur eas doctrinâ & exemplo. Nec poteſt dicere cum Paulo, *meminiſtis enim fratres, laboris noſtri ac ærumnæ, nocte enim ac die operando, &c. prædicavimus apud vos Euangelium Dei* 1 Theſſal. 2, v. 9. *Fuimus manſueti*

inter vos , &c. v. 7. 8. *Vos teſtes eſtis & Deus quomodo ſanctè* , *& juſtè & inculpate erga vos* , *qui creditis nos geſſerimus* v. 10.

Argumentum hoc contrahi poſſet in hanc formam :

Quod præcipit paſtoribus officium neceſſarium erga gregem, illud præcipit per conſequentiam medium neceſſarium, ſine quo non.

Sed jus divinum præcipit paſtoribus officium neceſſarium.

Sicuti qui nautæ gubernationem navis , militi obſidendæ aut obſeſſæ civitatis defenſionem contra hoſtes , paſtori ovium nocturnam cuſtodiam gregis , ſaulæ œconomo aut præfecto œconomiæ curam , præcipit ; ille reſidentiam & commorationem iſtic præcipere intelligendus eſt.

Argum. 11. Paſtor debet perſpectum habere profectum & defectum tum eccleſiæ , tum ſingulorum membrorum : ut approbet & laudet profectum , moneat de defectu, & remedium adhibeat convenienter cujuſque ingenio & ſtatui. Aliter enim tractandi ſunt firmi , aliter infirmi in fide , aliter dicti perfecti , ſpirituales viri ; aliter dicti infantes ſeu pueri , carnales , infirmi. 1 *Cor.* 3. *v.* 1. 2. 3. & 8. *v.* 7. 9. 12. *Rom.* 14. *v.* 1. *Philipp.* 3. *v.* 15. cum *Hebr.* 5. *v.* 11. - 14. Aliter tractandi ſenes , aliter juniores 1 *Timoth.* 5. *v.* 1. 2. 3. Defectus indicandos deficientibus eoſque monendos , profectus proficientibus eoſque laudandos docemur 1 *Cor.* 1. *v.* 11. 12. *Galat.* 1. & 3. *v.* 1. *Philipp.* 4. *v.* 10. Atqui ſine reſidentia cujuſque profectum aut defectum , *πρᾶξιν* aut *ἀπραξίαν* , lapſum aut reſurrectionem explorare ; tentatis , ſubitaneâ afflictione oppreſſis , lætaliter decumbentibus , agonizantibus promtè adeſſe nequit.

Teſtimonia ſcripturæ allegantur à *Caranzâ* ; ex quibus iſta enoto *Numer.* 18. *Ezek.* 14. *Zachar.* 11. *Joh.* 10. *v.* 11. - 16. *Actor.* 20. *v.* 18. & ſeqq. 1 *Theſſal.* 5. *v.* 12. 13. 1 *Tim.* 3. & *Tit.* 1. 2 *Tim.* 4. *v.* 1 - 6. 1 *Petr.* 5. *v.* 1 - 5.

Secunda probatio Caranzæ ducitur ex titulis Epiſcopi, ſpeculatoris, angeli, militis, ducis, patris, cuſtodis, ſcribæ docti ad regnum cœlorum.

Tertia probatio ex *decretis conciliorum, Sardicenſis can.* 4. 8. 9. 10. *Antiocheni can.* 17. *ſexti Concil. Generalis can.* 10. 18. 80. *Chalcedonenſis can.* 7. *Romani* celebrati tempore Sylveſtri *can.* 17. Generalis ſub Carolo M. *can.* 2. *ſeptimi Concil. Generalis can.* 11. *Octavi concil. Generalis can.* 17. & 19. 24. Concilior. particularum *Carthagin.* 1. *can.* 6. & 8. *Carthagin.* 4. *can.* 1. & 14. 15. 17. 18. 19. 20. 31. 33. *Carthagin.* 5. *can.* 5. *Toletani* 2. *can.* 2. *Toletani* 4. *can.* 24. 31. 32. 33. *Eliberini can.* 10. *Agathenſis can.* 30. 63. *Terraconenſis can.* 7. *Arelatenſis can.* 6. *Moguntini can.* 10. 25. *Rhemenſis can.* 14. 15. 17. *Triburienſis can.* 27.

Quarta

Digitized by Google

Quarta prob. ex doctrinâ & decretis Pontificum : quæ hic non exhibemus.

Quinta prob. ex doctrinâ patrum : ex quibus hos indico : *Hieronym.* in *epiſt. ad Oceanum,* & ad Paulinum. *Auguſtin.* in *epiſt.* 50. & 180. ad *Honoratum. Thom.* 22. *qu.* 185. *art.* 5. *Bernard.* de perſecutione ſuſtinendâ *cap.* 31. & in declamat. de verbis Petri, *Ecce nos reliquimus*, &c. Et in ſermone de adventu domini. Et in *ſerm.* 6. Qui habitat, & in *ſerm.* 77. ſuper cantic. *Ambroſ. lib.* 3. de dignit. ſacerdotali *cap.* 3. & 6. *lib.* 1. de Abraham. *cap.* 6. *Athanaſ.* in *epiſt. ad Hebr. cap. ult. Origen homil.* 2. in *Joſuam,* & *homil.* 10. in *Geneſin. Cyprian. epiſt.* 3. *lib.* 1. *Chryſoſt.* in *Mathei* 26. & in *Math.* & in *lib. de ſacerdotio Greg. Nazianz. in apologetico. Cyrill. Alexandr.* in *Levit.* 6. in *Job. lib.* 7. *cap.* 1. Addatur his *Cajetanus in* 22. *qu.* 185. *artic.* 5. cujus rationes *Caranza lib. cit. cap.* 10. exhibet. Adderem ego teſtimoniis patrum exempla eorundem. Perlege vitas *Polycarpi*, *Ignatii*, *Irenæi*, *Cypriani*, *Auguſtini*, *Chryſoſtomi*, *Nazianzeni*, *Baſilii*, *Fulgentii*, *Proſperi*, &c. & vide an aliquis eorum fuerit non-reſidens.

Sexta prob. ex rationibus humanis.

Denique ad objectiones & exceptiones pro non-reſidentia reſpondet *c.* 12. ubi ad duas excuſationes : *Una eſt* quia infinitæ multitudini epiſcoporum jam pro lege eſt non reſidere; & regulariter ſatis putant feciſſe, ſi idoneos vicarios ſubrogaverint. *Altera* eſt, Quia reſidentia non eſt neceſſaria, niſi propter curandam animarum ſalutem. Sed aliquando epiſcopus ſufficienter & ſufficientius gerit curam animarum per alium quam per ſe : Ergo tunc non tenetur perſonaliter reſidere. Addere debuiſſet, pluralitatem beneficiorum, hoc eſt epiſcopatuum aut paſtoratuum, quorum unus poſſet eſſe in Aſiâ, ſecundus in Europâ, tertius in Africa, quartus in Americâ. Atqui impoſſibile eſt unum hominem perſonaliter reſidere in ſingulis illis epiſcopatibus ſeu paſtoratibus : niſi hominem Ubiquitiſticum ſeu omnipræſentem, aut pluribus in locis præſentem fingas. Jam vero ad impoſſibile nemo obligatur.

Reſponſa Caranzę ad iſtas excuſationes ſeu exceptiones hic non deſcribemus : ſed breviter.

Reſp. Ad primum, cum Cajetano ibidem cit. *Eſſe abuſionem*, *non conſuetudinem* : nedum ut lex ſit. Legitimum & licitum non poteſt probari ex facto plurium : alioquin pari conſequentiâ τὸ νόμιμον & licitum ſcortationis, ebrietatis, mendacii, abuſus nominis divini, &c. probari poſſet.

Ad ſecundum. *Reſp.* Miniſtrum non habere poteſtatem ſubſtituendi : atqui paſtor ſeu epiſcopus eſt miniſter 1 *Cor.* 4. *v.* 1. cum 1 *Petr.* 5. *v.* 1. 2. 3. Pontificii illud 1 Tim. 3. v. 2. *unius uxoris virum*, exponunt, per unius eccleſię pa-

Digitized by Google

paſtorem. Et comparant ordinario paſtorem marito, eccleſiam uxori. Sicuti ergo maritus per ordinariam, aut perpetuam abſentiam, non poteſt ſibi ſubſtituere vicarium, qui cohabitet uxori & officia maritalia præſtet: ſic nec paſtor poteſt ſubſtituere vicarium, qui officia paſtoralia præſtet. Quod ſi nec poteſt nec vult propter perpetuam abſentiam officia eccleſiæ prӕſtare, non debuiſſet fieri paſtor iſtius eccleſię, & ſi per abuſum factus eſſet, deberet paſtoratum deponere. Præterquam quod hinc ſequeretur, quemvis qui nec natare nec literas noſſet aut linguam iſtorum hominum ignoraret, paſtorale munus legitimè ſuſcipere & gerere poſſe: modo alium quem vicarium ad id ſatis idoneum ſubſtituat. Et cur non ſubſtituit vicarium in beneficio, ſeu ſtipendio paſtoralis curæ recipiendo, & abſumendo? Ad hæc, cur non vicarium quærit, qui pro ipſo deſcendat in infernum?

Ad tertium *Reſp.* pluralitatem beneficiorum, ſeu paſtoratuum, epiſcopatuum, canonicatuum, vicariatuum, &c. tam licitam eſſe, quam non-reſidentiam: non poſſunt ergo hoc luto cœni h.e. luto lutoſiſſimo, ſordes non-reſidentiæ ablui. Vide de pluralitate beneficiorum Caſuiſtas, Canoniſtas, *Leſſium de Juſtitiâ & jure lib.* 2. *cap.* 34. *dubit.* 27. Hiſtoriam *Concil. Trid. lib.* 2. fere ſub finem. Fulcra pluralitatis ſunt diſpenſationes à Papis conceſſæ. Ita ut *Concil. Trident. ſeſſ.* 7. *cap.* 2. decretum prohibens ſimul retinere plures Epiſcopatus in titulum, aut commendam, aut alio quovis nomine; κωμῳδοληκῦθια ſit, & merus ludus: ſubintelligitur enim aut ſubintelligi debet, oraculum fundente *Leſſio: Quod*, inquit, „*intellige ſine juſtâ diſpenſatione Papæ.* Hujus enim poteſtati decretum „Concilii non poteſt præjudicare: & interdum poteſt juſta cauſa incidere. *Ibidem paulo poſt.* „Sed de hac re non oportet nos multum eſſe ſollicitos; „quia Pontificis eſt epiſcopos ordinare, qui cenſebitur diſpenſare, ſi ha„benti unum (*Epiſcopatum*) confirmet ſecundum. Nos Papam, & Papæ poteſtatem tum uſurpantem tum abutentem, cum universâ Romanæ curiæ nundinatione, toto pectore rejicimus. *Thomas in Quodlibetis, quodlib.* 9. *art.* 15. quamvis videatur fluctuare, has tamen contra pluralitatem adfert rationes,

1. *Quia* non eſt poſſibile aliquem in pluribus eccleſiis deſervire, cum quibus eſt præbendatus: cum præbendæ videantur eſſe ordinatæ, quaſi quædam ſtipendia Deo ibidem miniſtrantium.

2. *Quia* ſequitur etiam diminutio cultus divini, dum unus loco plurium datur.

3. *Quia* ſequitur etiam in aliquibus defraudatio teſtatorum: quia adhoc aliqua bona eccleſiis contulerunt, ut certus numerus Deo deſervientium ibi eſſet.

4. *Quia* ſequitur etiam inæqualitas, dum unus pluribus beneficiis abundat; & alius, nec unum habet; & multa, inquit, hujuſmodi, quę de facili patent. *Unde non poteſt contineri* (pluralitas) *inter indifferentes actiones; & multo minus inter eas, quæ ſunt in ſe bonæ, ut dare eleemoſynam.* Subjicit, ibidem pluralitatem videri eſſe in numero actionum, quę abſolutè conſideratæ *deformitatem vel inordinationem quandam important: quæ tamen aliquando circumſtantiis quibuſdam advenientibus bonæ efficiuntur, ut occidere hominem.* Sic ille in gratiam diſpenſationum Papalium, quarum paulo ante meminerat. Inter recentiſſimos Caſuiſtas *Eligius Baſſeus in voce beneficium num. 1. §. 5.* cum *Leſſio lib. cap.* & dubio cit. diſtinguit beneficia in incompatibilia, & patibilia. Quæ omnia excogitata ſunt, ut ex peccato faciant non-peccatum. Non immerito ergo notæ Belgicæ ad *Apocal. 9. v. 21.* furtum, quod ſacrilegium dicitur, hierophantis Papalibus vicariatuum, pluralitatum, non-reſidentiarum, architectis, impingunt. A quo immunes non eſſent, ſi qui reditus paſtorales, aut partem earum ſurriperent; aut ſi qui aſſumto atque ementito titulo paſtoris aut ſacerdotis, ſub illâ μορφώσει & larvâ beneficio ſeu prębendâ paſtorali fruerentur: abſque ullo officio paſtorali legitimè ipſi demandato, ſuſcepto, exercito, exercendo; abſque ullo officii & operis paſtoralis, deſiderio, (*1 Tim. 3. v. 1.*) & propoſito; denique abſque ullâ ad id aptitudine, hoc eſt, abſque eruditione theologicâ, eloquentiâ, prudentiâ, exemplari pietate, induſtriâ, patientiâ.

Nec facerent ad iſtiuſmodi hominum purgationem, ſtolida illa novè excogitata, Quod bona illa paſtoralium curatum ſint fundata & data in ἀκμῇ Papiſmi, aut ante eam tempore corruptæ eccleſiæ, ſæculo ſcil. 7. aut 8. aut 9. quod ergo non ſint bona eccleſiaſtica, aut ſacra; ſed profana, idololatrica, diabolica; non Deo, non eccleſiæ, ſed idolis, idololatriæ, diabolo data, dicata, conſecrata: conſequenter, quod ſic à quolibet ſive ſub aſſumto paſtoris iſtius eccleſiæ titulo, ſive abſque eo, uſurpari poſſint; volente modo, aut permittente, aut connivente Magiſtratu, præſertim religionem reformatam profeſſo. Quæ occulta dedecoris ſupra *part. 1. lib. 4. tract. 2.* profligavimus. Celeberrimus theologus *Joh. Raynoldus* penu eruditionis, pro controverſiis publicè legendis ſtipendium gravabatur accipere, ex fructibus, qui paſtoribus & doctoribus aliarum eccleſiarum erant aſſignati. De quo, ni fallor, *Raynoldus* alicubi in prælectionibus ad libros apocryphos. Eraſmus difficultatem inveniebat in recipiendo paſtorali aut ſacerdotali beneficio, dicens: *quâ fronte illorum pecuniis fruar, quibus concionari non poſſum, nec monendo nec conſolando adeſſe, nec boni paſtoris officium præſtare.* Cumque Waramus Archiepiſc. Cantuarienſis

 exci-

Digitized by Google

exciperet, *poſſe illum libros conſcribendo eccleſiæ utilem eſſe : fatebar*, ait Eraſmus, *amicè dictum, mihi tamen non perſuaſit.*

I. *Quæſt. An miniſter verbi profeſſione theologicâ in ſcholis fungi poſſit?* *Reſp.* Aff. Ratio eſt, quia non ſunt ἀσύστατα paſcere eccleſiam ſeu gregem Chriſti publicè privatimque docendo, & in ſchola theologiam docere. Miniſter enim debet attendere ſibi ipſi, & gregi.

Prior attentio continet 1. Diligentiam in privatis ſacræ ſcripturæ ſtudiis & meditationibus. 2. Devotionem & exercitia pietatis. 3. Exemplar ſanctitatis, juſtitiæ, temperantiæ gregi præſtandum. Atqui tria hæc optimè conveniunt profeſſori theologo.

Poſterior attentio, quæ eſt ad gregem continet 1. *verbi* divini & doctrinæ ſalutaris publicam ac privatam traditionem, & practicam *ejuſdem* applicationem. 2. precationem 3. Catechizationem 4. Ad dubia, quæſtiones, caſus reſponſionem. 4. Conſiliorum ſuppeditationem. 5. ſacramentorum & diſciplinæ adminiſtrationem. Atqui nihil iſtorum ἀσύστατον eſt cum profeſſione theologicâ : ut nec viciſſim ullum officium profeſſoris theologi ἀσύστατον eſt cum officio paſtorali. Eſt autem officium profeſſoris theologi ſcripturam in & ex linguis originalibus explicare; hypotypoſin ſaniorum ſermonum proponere; τοὺς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν & ſtudioſos in diſputationibus exercere; & urgente neceſſitate, etiam publicis ſcriptis theologiam illuſtrare ac defendere. Quidnam eſt quod concionator, cui Deus ingenium, memoriam, laboris tolerantiam conceſſit, in profeſſione præſtare nequeat? Non deſunt concionatores, qui quamvis in munere ſuo obeundo ſeduli & aſſidui ſint, omnia tamen officia profeſſorum ex originalibus ſcripturam explicando, examinando, diſputando, inſuper libros ſcribendo profeſſoribus theologis non cedunt : tantum, quod publicè in ſcholis non legunt aut diſputant; quia ad cathedram Academicam vocati non ſunt.

2. *Quia* non tantum licitum eſt, ſed ſæpe ad bene eſſe neceſſarium, ut concionatori, non νεοφύτῳ, ſed aliquandiu exercitato inſuper demandetur profeſſio theologica : ut tantò melius ad theologiam & praxin ejus ſtudioſos manuducere poſſit. Sicuti maximè convenit, ut profeſſio medica imponatur erudito medico, in praxi aliquandiu verſato, qui à profeſſione praxim numquam ſeparet. Neque enim arbitror profeſſorem jam factum, praxi ſuâ in accuratâ cognitione & dogmatizatione medecinæ hebetiorem fore.

3. *Quia* primi reformatores, eorumque proximi ſucceſſores, & profeſſoris in ſcholâ & concionatoris partibus laudabiliter functi ſunt, idque volentibus eccleſiis : quales ſunt *Lutherus*, *Zwinglius*, *Oecolampadius*, *Beza*, &c. Et quod majus eſt Genevæ & in Galliâ non niſi concionatores, ad

ca-

Digitized by Google

cathedram theologicam promovent, eoſque promotos in eccleſiæ miniſterio conſervant. Academias fœderati Belgii, ſi quis perluſtret, multos numerabit profeſſores, qui unà fuerunt eccleſiæ paſtores. Ut jam non dicam, concionatoribus impoſitas fuiſſe & imponi, præfecturas collegiorum, Rectoratus ſcholarum, profeſſiones hiſtoriarum, aut linguæ Hebraicæ, aut Græcæ, aut Philoſophiæ.

Sed objiciat quis.

1. *Object.* Concionator totum ſe, & quidquid habet aut poteſt, impendere debet in curam eccleſiæ: Ergo non poteſt aut debet ulla ex parte, aut ullo modo ſe impendere in publica & privata exercitia Academica. *Reſp.* Si materia tractationis Academiæ eſſet heterogenea, ſeu toto genere diverſa à materiâ tractationis eccleſiaſticæ, aliquid videretur dici. Sed cum una ſunt materia ſeu res conſiderata utriuſque tractationis; & methodus, moduſque tractandi, ac ſtylus ſolummodo varient; & concionator ſeu paſtor Doctorem in ſe includat; utique totum ſe impendit in curam eccleſiæ, etiam cum Academicis exercitiis occupatur. *Objectum quod*, ſeu Materia tractationis utrobique eſt doctrina ſecundum pietatem: *Objectum cui*, utrobique eſt eccleſia aut pars eccleſiæ.

Inſtantia: Atqui horas, quas impendit in inſtitutiones & exercitia Academica, ſubtrahit inſtructioni & curæ eccleſiaſticæ. *Reſp.* Neg. immo impendit eas inſtructioni & curę eccleſiaſticæ: haût aliter, ac concionator catechizans rudiores, aut exercens provectiores in cognitione ſcripturæ, aut in controverſiis, &c. inſtruit & ædificat eccleſiam.

2. *Object.* Atqui unus homo non ſufficit duplici muneri. *Reſp.* Neg. Unum enim ſuo modo includit alterum; ita ut ingenio, memoria, felici in theologicis profectu, φιλοπονίᾳ, zelo, divinitus dotatus, utroque fungi poſſit.

II. *Quæſt. An concionator ad opera profeſſionis theologica ſive privatim ſive publice peragenda idoneus, ſi ipſe ad ea poſtuletur aut eligatur, ſive à privatis, ſive à ſcholarum curatoribus, ſive à communitate & ſynedrio eccleſiaſtico, Spartam hanc ſuſcipere, aut etiam ſponte ad eam ſe offerre poſſit: abſque præcedenti judicio & authorizatione (ita loquar) ſynedrii, aut claſſis aut ſynodi?* *Reſp.* Si abſque neglectu, imminutione, pręjudicio officii & operis paſtoralis, acceſſorio hoc opere fungi poſſit & velit; Aff. nec hoc magis prejudicat autoritati ſynedrii, aut claſſis aut ſynodi, aut concionatorum collegarum in eâdem eccleſiâ; quam cum concionator quis ſive ad poſtulatum aliorum ſive ſponte ſuſcipit privata collegia theologica ſtudioſorum proponentium, examinantium, diſputantium, immo & Hebraizantium, Hellenizantium, Logica, aliave philoſophica: aut cum ſuſcipit

in contubernium ſuum ſtudioſos triviales aut Academicos, quorum ſtudia privatis ac domeſticis repetitionibus, exercitiis, collationibus promoveat: aut ſuſcipit privatas κατ' οἴκους aut in ſcholis rudium catechizationes; aut provectiorum quorundam privatas in ſcripturæ locorumve communium, aut controverſiarum (quę iſtic loci agitantur) explicatione, inſtructiones. Ubi neceſſitas ita poſtulat, & vera religio hoc modo propagari, eccleſia & regnum Chriſti ædificari ac promoveri aut regnum Satanæ deſtrui poſſit; & per nullos alios quam maxime ad hoc idoneos tale quid fiat: quidni quilibèt concionator, qui labori illi, per Dei gratiam, parem ſe ſentit, zelum domus Dei induat: juxta Rabbinicum illud Hillelis: *In loco ubi non eſt vir, tu te virum præſta.* Atqui objiciat quis.

Object. 1. Si ſit eccleſiaſticum & theologicum quod agit, videtur ille iſtâ πολυπραγμοσύνῃ collegam, aut collegas concionatores (qui illud epiſagma ſeu acceſſorium onus non poſſunt aut volunt bajulare) in contemtum adducere, & luminibus eorum obſtruere. *Reſp.* Imaginoſa hæc ſunt, ex penu pravæ æmulationis, aut vanæ philotimiæ profecta. Et dato tale quid bonum opus ſequi, hoc totum eſſet per accidens: atqui propter *τὸ per accidens*, *τὸ per ſe* bonum & ſalubre opus non omittendum. Sed omnia illa imaginoſa, & omnes adverſantium molitiones, reſolvuntur in hoc axioma: Nemo aut meliora aut plura dicat, ſcribat, conſulat, agat, quam quiſquam ejuſdem ordinis dicere, ſcribere, conſulere, agere aut vult aut poteſt. Sed hoc axioma nec in verbo Dei, nec in principiis & axiomatis ſcientiarum, nec in conſtitutionibus eccleſiaſticis antiquis aut hodiernis, nec in jure civili, nec in canonico antiquo & novo, reperitur.

Object. 2. Atqui concionatores omnes, præſertim collegæ in eâdem eccleſiâ, aut correſpondentiâ claſſicâ ſeu ſynodo diſtrictuali debent in officiis, & laboribus, pares eſſe; nec alter alterum præcurrere, aut ſupra alterum eminere. *Reſp.* Lego quidem neminem typho ſęculi aut alio quo pravo affectu turgidum debere inſtar Diotrephis (*Epiſt. 2. Johannis v. 9. 10.*) φιλοπρωτεύειν, & ſupra fratres ſe efferre; nec dominari clero, 1 *Petr. 5. v. 3.* cum 2 *Cor. 1. v. ult.* & *Luc. 22. v. 25. 26.* Sed nuſquam in ſcripturis lego, neminem debere in fide, pietate, eruditione, donis concionandi, eloquentiâ, voce ſonorâ, ejuſdemque ὑπτίᾳ & modulatione, diſputandi acumine, prudentiâ eccleſiaſticâ, & conſiliis dandis; aut catechizandi, adhortandi, conſolandi dexteritate præcurrere, & ſupra alium quemcunque concionatorem aut collegam eminere. Nec lego, omnes pari paſſu in omnibus cognoſcendis, tradendis, faciendis, omittendis, debere incedere. Et ſi quid in attentione ad ſeipſum & eccleſiam, in officiis erga ſe & eccleſiam agere intendat; quod omnes alii concionatores collegę aut vicini non egerunt, nec agunt.

agunt, nec agere poſſunt aut volunt; id primum ipſis communicandum eſſe: & conſilio aut ſententiâ ipſorum habitâ, aut deſiſtendum ab illo propoſito; aut ſi ſecus, hanc [illegible] ſibi lucrandam, quod refragrantibus & diſſuadentibus collegis aut vicinis miniſtris, tale quid cœperit, & dividiis ſtuduerit. Quid ſi concionatoribus vitio vertatur, quod inſalutato & inconſulto ſynedrio, aut collegis, aut claſſe, ſuſceperint præfecturam collegii theologici, aut collegii literarii, aut curam ſcholæ trivialis, aut ἐφορίαν ſeu inſpectionem aliquot ſtudioſorum, alumnorum ſcil., aut curam & inſpectionem ſcholarum vulgarium, aut catechizationem & inſtitutionem Illuſtris pueri: non dubito, quin ſe ſatis purgaturi ſint.

III. *Quæſt. An ad attentionem concionatoris ad ſeipſum pertineat, cura externorum tum adjunctorum tum circumſtantialium, ut veſtium, munditiei, decori,* &c. *morum ac rituum in converſatione civili? Reſp.* Aff. De decoro, deque moribus, ritibus, geſtibus, gratiâ ſermonis in converſatione, ſcriptores de civilitate morum; inter quos theologiæ & ſacrorum myſtis apprimè convenit *Henr. Althuſii* Ethica; quam ita vocat. De conviviis, & collationibus (ita dictis), deque coronis & unguentis in convivio, de tabernis, ſphæriſteriis, agimus in 4. *part. ſelect. diſpp. pag.* 396. - 401. De veſtibus. *Ibid. pag.* 418. cum *pag.* 408 - 423. De comâ, *ibid. tit. de Excelſis Mundi part.* 5. & in appendice: ubi antiquiorum patrum & recentium theologorum teſtimonia exhibentur. *Pag.* 476. ubi cito *A Lapide* in *Levit.* 19. *v.* 27. qui barbam non tollendam contendit; quod ſit inſigne viri, virtutis, perfectionis, fortitudinis, ſapientiæ: excipit ibi clericos tondentes & monachos radentes. Quomodo autem raſura monachis, conveniat, oſtendere conatur *Mendoza* à nobis *ibid.* & *Mallonius p.* 475. citati. Quibus nunc jungo *Sixtum Senenſem lib.* 5. *bibliotheca, annot.* 244. cujus diſputationem integram hic exhibeo:

„ *Sacerdotes caput ſuum non radent* Ezek. 44. 20. *Hieronymi* explana-
„ tionem, huc appoſitam uſurpant noſtrorum temporum hæretici, adver-
„ ſus Traditiones eccleſiaſticas de abradendis ſacerdotum capillis & barba.
„ Ex horum numero Hortenſius quidam Landus, Auguſtinianæ profeſſio-
„ nis deſertor, libellum hujus argumenti particularem emiſit, DE PER-
„ SECUTIONE BARBARUM, titulo ſatis impiè jocoſo prænotatum:
„ in quo variis & improbis ſcommatibus, conviciis & blaſphemiis inſe-
„ ctatur Clericos, & præcipuè monachos, qui religioſum radendi verticis
„ & menti inſtitutum ſervant, detorquens in illos aliquot divinæ Scriptu-
„ ræ teſtimonia, & Catholicorum interpretum dicta, in quibus eſt propo-
„ ſitę clanſulæ explicatio, ab Hieronymo in decimotertio Ezechielis com-
„ mentario his verbis expreſſa: Quod autem ſequitur, *Caput ſuum non ra-*

 dent,

„*dent*, &c. *perſpicuè demonſtrat*, *nec raſis capitibus*, *ſicut ſacerdotes*, *cul*-
„*toreſque Iſidis*, *atque Serapis*, *nos eſſe debere*, *nec rurſum comam demit*-
„*tere*, *quod propriè luxurioſum eſt*, *barbarorumque: ſed ut honeſtus habitus*
„*ſacerdotum facie demonſtretur*, *nec calvitium novacula eſſe faciendum*, *nec*
„*ita ad preſſum tondendum caput*, *ut raſorum ſimiles eſſe videamur*, *ſed in*
„*tantum capillos demittendos*, *ut operta ſit cutis*, & poſt pauca, RASA
„*capita habet ſuperſtitio gentilis*, *vino autem non reor aliquem abſtinere Gen*-
„*tilium*, rurſum libro in Iſaiam ſexto, elucidas illud: *In cunctis capitibus*
„*calvitium*, & *omnis barba radetur*, &c. ait: SI QUID *virilitatis ha*-
„*beri videbatur in barba*, *raſum à viro eccleſiaſtico*, *effœminatum & debile*
„*comprobatur*, & iterum lib. in Iſaiam 3. edisſerens illam Dei comminatio-
„nem, *In die illa radet dominus in novacula*, &c. ERGO, inquit, *in iſta*
„*novacula acutiſſima*, *hoc eſt*, *in rege Syrorum*, *omnes capillos*, *decoremque*
„*barbæ*, *quod virilitatis indicium eſt*, *radet dominus Judææ*, *ut nihil in illa*
„*forte*, *nihil pulchrum reſideat: ſed effœminatis hominibus*, *immo ignominioſis*
„*mulieribus comparetur.* Huic Hieronymi ſententiæ altera Epiphanii, Sala-
„minæ Epiſcopi, annectitur: qui in tertio Panarii volumine adverſus Maſ-
„ſalianos decertans, affirmat, ſancitum eſſe ab Apoſtolis ex authoritate di-
„vinę Scripturæ, ne barba raderetur, ejus verba hęc ſunt: FRATRES,
„*qui in monaſteriis per Meſopotamiam degunt*, *quod pejus eſt*, *barbam viri for*-
„*mam reſecant*, *capillos autem capitis ſæpè nutriunt*, *& tamen de barba qui*-
„*dem dicit in Conſtitutionibus Apoſtolorum divina Scriptura*, *ac doctrina*, *Ne*
„*corrumpas*, *hoc eſt*, *Ne ſeces pilos barbæ*, *neque meretricio more ob comam*
„*efferaris.* Adjungitur Epiphanio Clemens Alexandrinus presbyter, Ori-
„genis præceptor, libro Pædagogi tertio, cap. 11. ſic ſcribens: VIRORUM
„*capilli ne à capite nimium demittantur in comam muliebrem dilabētes: vi*-
„*ris enim barba ſufficit*, *quod ſi quis etiam barbam nonnihil tondeat*, *ea tamen*
„*non eſt omnino denudanda: eſt enim turpe ſpectaculum*: *barbaque ad cutem*
„*uſque tonſus*, *non videtur multum abeſſe à vulſione & lævore*, *jam enim pſal*-
„*mographus*, *barbæ coma delectatus*, SICUT *unguentum*, *inquit*, *quod deſcen*-
„*dit in barbam*, *barbam Aaron*, *is cum barbæ conduplicatione decorem laudaſ*-
„*ſet*, *vis tum exhilaravit unguento domini: capilli ergo tondendi ſunt*, *non*
„*novacula: eſt enim hoc illiberale*, *ſed tonſorem forſicibus*, *barbæ autem pili*,
„*qui nihil moleſtiæ afferant*, *& quendam paternum terrorem incutiant.*
„ Hæc patrum dicta Hortenſius confirmat divinæ Scripturę autoritati-
„bus, quibus non ſolum reprobat hunc radendi morem, ſed eam quoque
„tondendi formam vituperat, qua nunc utuntur clerici, capite in coronę
„modum attonſo. Et de raſuræ quidem interdicto ſcriptum eſſe dicit Eze-
„chiele, SACERDOTES *caput ſuum non radent*, & de Samuele ſacerdo-
te,

„te, OMNIBUS *diebus vitæ ſuæ novacula non tranſibit per caput ejus.*
„& in Numeri, ei qui ſeipſum Deo conſectavit, dicitur, NOVACULA
„*non tranſibit per caput ejus omni tempore conſecrationis ſuæ*, & in Le-
„vitico pręceptum eſt omnibus. NON *radetis barbam*, *neque ſtigmata*
„*facietis vobis*, unde & in epiſtola Jeremię ex Baruch, deteſtans Propheta
„ritum Sacerdotum Babylonis, caput & barbam radentium, ait: IN *do-*
„*mibus idolorum ſacerdotes ſedent, habentes tuneas ſciſſas, & capita, &*
„*barbam raſam, quorum capita nuda ſunt.* De circulari autem capitis
„tonſura ait mandaſſe Deum in Levitico. NON *attondebitis comam in*
„*rotundam*, *neque barbam radetis*, & in Jeremia Deus, contemptoribus
„legis hujus diſperſionem comminatis, inquit: DISPERGAM *in omnem*
„*ventum eos, qui circumtonſi ſunt coma.*
„ Atque hęc ſunt, quæ excucullatus ille transfuga adverſus ſacram ton-
„dendi radendique conſuetudinem, prius à longo tempore approbatam,
„in libello ſuo induxit, jocis, dicteriis, & impuris fabellis intermiſtis,
„cui breviter reſpondemus, nec divinis legibus, neque ullis patrum decre-
„tis ſimpliciter prohiberi capitis, mentique tonſionem, vel raſuram: ſed
„contrà aſſerimus nos tondendi morem & à Dei, & ab Eccleſiæ, & ab
„ipſis quodammodo naturæ legibus accepiſſe, nam de naturali tonſionis
„lege ſcribens Paulus in priore ad Corinthios, inquit: NATURA *ipſa do-*
„*cet vos, quod vir ſi comam nutriat, ignominia eſt illi: mulier autem ſi*
„*comam nutriat, gloria eſt illi, quoniam capilli pro velamine ei dati ſunt: &*
„*turpe eſt mulierem tonderi, aut decalvari.* Quæ verba ediſſerens Chryſo-
„ſtomus, ait: NATURAM *humano generi etiam in cultu capillorum de-*
„*diſſe præſidentiæ, ac ſubjectionis ſymbola: virum enim juſſit, reſecta coma, libe-*
„*ro & adaperto capite principatus ſignum præſeferre: mulierem verò comam*
„*geſtare voluit, velut quoddam ſummiſſionis velamen, ac ſervitutis inſigne,*
„*ſicut itaque mulier ſi abſciſſa cæſarie, detectoque capite, virorum ſymbolum*
„*contra naturæ ordinem uſurpaverit, ſe ipſam deturpat: ita vir, ſi neglecta po-*
„*teſtatis ſuæ dignitate, muliebrem comam aſſumpſerit, ſe ipſum ignominia aſſi-*
„*ciet ſervitutis inſigne & effœminati animi indicium geſtans.* Cùm igitur
„naturæ inſtinctu ſuadeantur viri omnes ad comæ attonſionem: quanto
„magis conſentaneum eſt Sacerdotes, qui officii dignitate, & vitæ exem-
„plo cęteris præeſſe debent, virilis præſidentiæ inſignia, attonſo muliebri
„crine, circumferre?
„ QUOD autem comæ, barbæque attonſionem, & abraſionem ſæpe nu-
„mero Deus præceperit, docent nos ſacræ literæ, in quibus ſcriptum eſt,
„quod Nazaræi prius crine ſervato, demum poſt magnam vitæ continen-
„tiam caput radebant, & capillos in ignem ſacrificii ponere jubebantur:
ut

Digitized by Google

„ut hoc viſibili ſigno monerentur, omnia ſuperflua præſentis vitæ bona;
„quæ per capillos corporis humani ſuperfluitates ſignificantur, à ſe ipſis ab-
„ſcindere, & in obſequium Dei ſacrificare, hoc & Ezechieli Prophetæ, ac
„ſacerdoti mandatum legimus, dicente ad ipſum Deo: Tu, *fili hominis,*
„*ſume tibi novaculam acutam, radentem pilos, & duces eam per caput, &*
„*per barbam tuam*, & in Actibus Apoſtolorum Lucas memoriæ prodidit,
„Priſcillam & Aquilam, ſuſcepto Nazaræorum voto, in Cenchris, Corin-
„thiorum portu, cæſariem abraſiſſe, idemque non multo poſt Jeroſolymis
„feciſſe Paulum hortatu Apoſtoli, unâ cum pleriſque aliis Chriſti diſci-
„pulis.

„ PORRO hoc ipſum Eccleſiaſticis ſanctionibus jam inde ab initio na-
„ſcentis Eccleſiæ ſtatutum fuiſſe, teſtis eſt Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus
„in ſecundo de officiis eccleſiaſticis libro, capite quarto ſic ſcribens:
„TONSURÆ *eccleſiaſticæ uſus à Nazaræis, ni fallor, exortus, ab Apoſtolis*
„*in Eccleſiam introductus eſt, ut hi, qui in divinis cultibus mancipati, domino*
„*conſecrarentur quaſi Nazaræi, id eſt, ſancti Dei, crine præciſo innovarentur.*
„Quam Iſidori ſententiam veram eſſe comprobat Aniceti Pontificis epi-
„ſtola, non longè ab Apoſtolorum temporibus ſcripta ad epiſcopos Gal-
„liæ, in qua etiam hæc inter cætera habentur: PROHABETE *fra-*
„*tres per univerſas regionum veſtrarum Eccleſias, ut Clerici, qui laicis & ſim-*
„*plicibus, virtutis, honeſtatis, pudicitiæ & gravitatis exemplar eſſe debent, ac ſe*
„*ipſos, tanquam ſignum purioris vitæ rudioribus ad imitationem prudenter*
„*exhibere, juxta Apoſtolum, comam non nutriant, ſed deſuper caput in*
„*modum ſphæræ radant: quia ſicut diſcreti debent eſſe in converſatione, ita*
„*& in tonſura, & in omni habitu diſcreti debent apparere.* Extat etiam in
„Concilio Carthaginenſi quarto, quod anno ſalutis noſtræ 416. collectum
„fuit, canon numero quadrageſimus quartus his verbis: CLERICI
„*neque comam nutriant, neque barbam.* Habetur in quarta Synodo Tole-
„tana, annis abhinc mille celebrata, aliter canon ordine quadrageſimus,
„formam figuramque Eccleſiaſticæ tonſuræ præſcribens hunc in modum:
„OMNES *clerici, vel lectores, ſicut levitæ & ſacerdotes, detonſo ſuperius*
„*capite toto, inferius ſolam circuli coronam relinquant, non ſicut hucuſque*
„*in Galliciæ partibus facere lectores videntur, qui prolixis, ut laici, comis*
„*in ſolo capitis apice modicum circulum tondent; ritus enim iſte in Hiſpaniis*
„*hucuſque hæreticorum fuit, unde oportet, ut pro amputando ab Eccleſiis*
„*ſcandalo, hoc ſignum dedecoris auferatur, & ſit una tonſura, vel habitus,*
„*ſicut toti Hiſpaniæ eſt uſus. Qui autem hoc non cuſtodierit, fidei Catholicæ*
„*reus erit.*

„ Iſidorus Hiſpalenſis in libro, quem modò citavimus, Eccleſiaſticæ
tonſuræ

„ tonſuræ cauſas referens, ait in primis id inſtituiſſe eccleſiam, ut ſicut cle-
„ ricos à laicis vivendi ratione oportet eſſe diſtinctos, & inter eos vitæ
„ probitate conſpicuos, ita quodam diſtincto capitis cultu oportuit eos
„ à cæteris ſæcularibus diſcerni: quod & Aniceti decretum apertè indicat,
„ inquiens, *ut ſicut eſſe debent in converſatione ab aliis diſcreti, ita ſint in*
„ *tonſura & habitu diſcreti.*

„ 2. Secundò ut Clerici hoc externo attonſi capitis ſymbolo doceren-
„ tur, quod intus in mente, cujus caput ſedes eſſe dicitur, illis geren-
„ dum foret, hoc eſt, ſuperfluas carnis curas, quas capillorum ſuperfluitas
„ adumbrat, una cum capillis reſecare, & crimina cum crinibus abjicere,
„ & carnalem ac muliebrem mentem ſimul cum carnali & muliebri cæſa-
„ rie deponere, & novum ac virilem mentem viriliter attonſo capiti impo-
„ nere.

„ 3. Tertiò ut in Clericis utriuſque dignitatis, regiæ ſcilicet, ac ſacerdota-
„ lis, inſignia ſpectarentur. Sicut enim in veteri Lege Sacerdotes tiaram,
„ hoc eſt, pileolum dimidiatę ſphæræ figuram habentem capiti impone-
„ bant, reges verò aurea corona cingebant tempora, ita nunc ſuperior ca-
„ pitis portio ad ſimilitudinem hemiſphęricæ tiaræ detonſa ſacerdotalem
„ præfert dignitatem, capillorum verò ſertum in coronæ modum tempo-
„ ribus circumductum regiæ majeſtatis ſimilitudinem repræſentat: ut planè
„ illa Petri ſententia Clericis conveniat: *Vos eſtis genus electum, regale*
„ *ſacerdotium.*

„ 4. Addunt & quartam hujuſmodi ritus cauſam Germanus Conſtan-
„ tinopolitanus Epiſcopus, in explanatione divinę Liturgiæ, & Beda Preſ-
„ byter in hiſtoria, quod cum Judæi in contumeliam Chriſtiani nominis
„ Petrum, Antiochiæ prædicantem, in ſuperiori parte capitis abraſiſſent,
„ poſteriores Pontifices, & Epiſcopi, illatam Petro ignominiam capitibus
„ ſuis humilitatis gratia imponentes, eam in ornamentum & gloriam Chri-
„ ſtiani Sacerdotii commutarunt. Atque has ferunt tondendi capitis fuiſſe
„ cauſas.

„ Radendæ barbæ rationem, Beda in Eſdræ commentariis inſtitutam
„ eſſe dicit ad humilitatis recordationem, ſcilicet ne Deo dicati homines
„ magnitudine, aut multitudine virtutum ſuarum in ſuperbiam extollan-
„ tur, nam cùm barba, quæ virilis ſexus & ętatis eſt index, fortitudinem,
„ prudentiam, aliaſque virtutes ſignificet, perfecto viro dignas, idcirco
„ eam ſancti viri abſcindere, vel abradere jubentur, ut ex hoc intelli-
„ gant, oportere eos omnem proprię virtutis confidentiam abjicere, & me-
„ miniſſe virtutes ſuas, quantumlibet magnas ac multas, vitiis eſſe permi-
„ ſtas, & proinde, paucas eſſe & parvas, aut ferè nullas ſi divinę æquitatis

Digitized by Google

„examine diſcutiantur, dicente Davide: *Non intres in judicium cum ſer-*
„*vo tuo Domine, quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens*, & Job,
„*Si juſtificare me voluero, & innocentem oſtendero, pravum ne Deus com-*
„*probabit.* Ex his igitur perſpicuum eſt, tonſuram divinis & Eccleſiaſticis
„legibus non approbari ſolum, ſed etiam ob multas & juſtas cauſas præ-
„cipi.
„ Sed, ut his reſpondeamus, quæ definitionem hanc labefactare viden-
„tur, ſciendum eſt, ea quæ Hortenſius contra nos attulit, duplici ordine
„diſtingui. In primo collocantur Scripturæ teſtimonia, quâ raſuram vel
„tonſuram non omnibus perſonis, & ubique & ſemper interdicunt, ſed
„certis perſonis, locis, ac temporibus, hoc eſt, ſolis Nazaræis, donec vo-
„tum explerent, vel ſolis Levitis, donec in terra ſancta morarentur, &
„quoad templum Jeroſolymis extaret, in quo ſolo ſacrificare, & cætera
„ad ſacrificium pertinentia exercere poterant, ibi enim & pro eo tempore,
„ſoliſque Sacerdotibus præcepit Deus, ne caput barbamque raderent, ut
„quam longè abeſſent à ſuperſtitione vicinarum gentium, quarum Sa-
„cerdotes, ut in epiſtola Jeremię legitur, raſo capite ac mento idolis im-
„molabant, nunc verò nec Sacerdotes Judęorum Palęſtinâ ejecti raſura
„abſtinent, nec Sacerdotes Chriſtiani ab ea prohibentur, quos Chriſtus
„morte ſua ab antiqui Sacerdotii legibus liberavit. Ad hunc igitur ordi-
„nem ſpectant, quæ Deus Nazaræis in libro Numerorum impoſuit, & Sa-
„cerdotibus ſive per Moſem, ſive per Ezechielem, ſive per alios Prophetas
„de raſura mandavit. In ſecundo ordine ſunt oracula Scripturarum, & Pa-
„trum dicta, quæ tonſuram & raſuram prohibere videntur, cùm tamen
„neutram vetent, ſed tantùm inhibeant perverſam intentionem ac pravam
„conſuetudinem tondentium & radentium: ex quibus vana ſuperſtitione
„perſuaſi, ſeipſos radebant, ad imitationem gentilium ſacerdotum; alii,
„muliebri quadam mollitie inducti, barbam radebant, ut ſeipſos effœmi-
„narent, ſicut de quibuſdam Romanis Imperatoribus prodit Suetonius, Ju-
„lium Cæſarem ea diligentia ac moroſitate raſiſſe barbam, ut pilos etiam
„non ſine calumnia velleret: Othonem verò quotidie faciem raſitaſſe ac
„pane madido liniſſe, idque inſtituiſſe à prima lanugine, ne barbatus un-
„quam eſſet. Talem igitur impium uſum, & improbum radendi, tonden-
„dique morem damnant Hieronymus, Clemens, Epiphanius, & Apoſtoli-
„ca, immo divina lex, ab Epiphanio citata ex cap. 19. Levit. NON *atton-*
„*debitis comam in rotundum, neque barbam radetis.* Ita enim ipſam explicat
„Theodoretus, Cyri Epiſcopus, quæſt. 28. in Leviticum, inquiens: QUI-
„DAM, *quod Septuaginta verterunt, Non facietis σισόην ex coma capitis ve-*
„*ſtri, neque corrumpetis faciem barba veſtræ, interpretati ſunt, Capillos de*
in-

„ *induſtria criſpos factos. Ego verò exiſtimo per legem aliud interdici, nam mo-*
„ *ris eſt apud Græcos, in pueris, capillorum extremitates non attondere, ſed ſine-*
„ *re capillos promitti, & aliquanto poſt tempore eos Dæmonibus dedicare, con-*
„ *ſueverant etiam radere barbam, cùm aliquem elugerent, & genas incidere in*
„ *honorem defunctorum: nec non aliquas corporis partes acu perforabant, &*
„ *nigro veſtiebantur in reverentiam Dæmonum. Hæc igitur divina lege ſunt in-*
„ *terdicta.* Cæterum Thomas presbyter Cardinalis nullam hic de tonſura
„ mentionem fieri exiſtimat. Sic enim in commentariis ſcribit: JUXTA
„ *Hebræum habetur* לא תקיפו פאת ראשכם *Lo thakkiphu peath*
„ roſchem, id eſt, *Non facietis circumgyrare angulum capitis veſtri, nihil dici-*
„ *tur de tonſione, ſed de gyratione, & crediderim inhiberi ſuperſtitionem certo-*
„ *rum, qui gyrabant capita celebrantium ſacra Deorum coronati enim circulo*
„ *hederæ ſacra Bacchi celebrabant, ut refert liber Machabæorum. Nec radetis*
„ *barbam, Hebraicè* ולא תשחית את פאת זקנך *Ve lo thaſchith*
„ *eth peath zekanecha, hoc eſt, Et non facies deſtruere angulum barbæ tuæ, in-*
„ *hibetur ad literam totalis raſio angulorum barbæ, & appellantur anguli*
„ *barbæ, ut Hebræi teſtantur, ſupremæ partes barbæ, quæ junguntur tempo-*
„ *ribus & uſque hodie Hebræi piloſos ſervant hos angulos, quamvis reliquum*
„ *barbæ radant.*

Sed barbam à clericis radi vetat *canon.* 44. *Concil. Carthagin.* 4. *Clericus nec comam nutriat, nec barbam radat.* Ita habent tomi *Concilior.* editi Pariſiis a. 1524. in fol. à *Jac. Merlino* theologo Pariſienſi; qui eos dedicabat Stephano & Franciſco Poncheriis Senonenſis & Pariſienſis eccleſ. præſulibus: quæ editio mihi in manibus eſt. Idem habent M.SS. codices *bibliothecæ Vaticanæ, & biblioth. S. Victoris Gandenſis, & Codex Savaronis*, nec non *Iſidori liber* Pariſiis impreſſus: teſte *Joh. Savarone* aut *Savaro in notis* ad *Sidonii Apollinaris epiſt.* 24. *lib.* 4. ubi Sidonius ſic loquitur: *Habitus viro, gradus, pudor, color, ſermo religioſus; tum coma brevis, barba prolixa* loquitur de quodam Maximo; quem ita mutatum videbat, quod *nuper impacto ſacerdotio fungeretur.* De reipſa non diſputo, ſed tantum cum Savarone dico: eraſam eſſe vocem *radat*, à *Burchardo in decreto lib.* 2. *cap.* 174. ab *Ivone in Panormiâ (Pannomâ) part.* 6. *cap.* 265. Et à *Jure Canonico Extrav.* 5. *de Vitâ & honeſtate clericorum.* Addo ego idem factum à *Caranza in Summâ Concilior.* & *Sixto Senenſi*, mox infra citando. Sed audiamus *Savaronem*, qui
„ eraſum eſſe dicit, à quodam male geniato & malè feriato homine, qui
„ unâ liturâ maximas altercationes excitavit, barbamque ſacerdotibus ra-
„ ſit, malo exemplo. Nam ſive illud ex Concil. Carthaginenſi ſumtum ſit,
„ in illo legitur *neque barbam radat*, ſive ex decreto Aniceti Papæ, in illo
„ nulla barbæ mentio eſt 23. diſt. cap. 22. *Clerici* (ex Agathenſis Concilio

can. 20. *Clerici qui comam nutriunt, ab archidiacono, etiam ſi noluerint, inviti detondeantur:*) uti habet editio Concil. Jac. Merlini. Addit ibidem Joh. Savaro, Uſuardum xv. Kal. Maji. Pontificale c. 12. Innocentium 3. epiſt. 2. „ ad Tardiſinum, & Marianum Scotum in Chronico, inter ſanctiones „ Aniceti non numerare barbæ raſionem. Martinus quidem, inquit, Po- „ lonus & Petrus de Natalibus *lib. 4. cap. 27.* conſtitutionem, quâ coma „ & barba ſimul clericis prohibetur, Aniceto tribuunt; ſed quo autore „ neſcio. Scio quidem & liquido ſcio, ex traditione Apoſtolorum eſſe, „ barbam alere, S. Clemens Conſtit. Apoſtol. lib. 1. cap. 1. Clemens A- „ lexandrin. lib. pædag. cap. 3. D. Cyprianus lib. 3. ad Quirinum cap. 85. & „ Epiphan. lib. 3. tom. 2. hæreſ. 80. præterquam quod Apoſtolorum icones „ omnem dubitationem abſtergunt. Vide *Levit.* 19. Nihil amplius: de bar- „ bâ enim, comâ & coronâ libellum procudam Deo auſpice. Pontificale Romanum à Savarone citatum, part. 1. fol. 2. b (edit. Venetæ anno 1561. apud Juntas) habet titulum ſeu rubricam, de *barbâ tondendâ.* Et in textu: „ Statutum eſt in Concil. Carthaginenſi, ne clerici nutriant barbam (quâ „ fide hoc refertur? Græcâ?) Ideoque, quando primo illis, vel etiam laicis „ barbæ tondentur: dici debet Pontifice ſedente cum mitrâ, &c.

Officium & morem Græcorum in primâ comæ & barbæ detonſione, deſcribit ipſorum Euchologium ſeu Rituale pag. 375. quę notis ſuis illuſtrat *Jacobus Goar* Pariſ. Ord. prædicator. Ex quo ſubdolum hoc occultum de- decoris nunc ſolummodo enoto pag. 372. „ Superfluos vero & incomptos „ tam capitis, quam menti crines decutere, ut viris decus & venuſtatem „ confert, ita detonſionem ſuâ benedictione cumulare, neutra *quondam* „ eccleſia detrectabat. Vide *Gregorii ſacramentarium.* Sed cur ex *pag.* præ- ced. non refert capitis & barbæ abraſionem, quæ longè differt à ſuperflui crinis decuſſione; & cur non dicit utramque eccleſiam (h. e. Græcam & Latinam) talem abraſionem benedictione ſuâ cumulaſſe? Sed monitorem intus habuit. Sane *Sixtus Senenſis* ſupra cit. cauſam & morem Papalem a- pertè propoſitam defendere conatus eſt.

Concilium Lemovicenſe anno 1028. (apud *Bochellum decret. eccleſ. Gall. lib. 6. tit. 13. cap. 37.*) in medio relinquit raſuram barbæ Occidenta- lium, & ejuſdem alituram Orientalium: quod utrique habeant autores ſuos, quos ſequantur, & rationes. Synodus Aquenſis anno 1585. presby- teris nullam barbæ raſuram præſcribit, *ſed ad ſuperius labium ita inci- ſam; ut ſumentibus Chriſti ſanguinem nullum afferat impedimentum.* Certe ut evitent, ne ſacerdotibus in miſſæ celebratione bibentibus calicem, quid ſanguinis Chriſti (ex ipſorum hypotheſi) adhęreat barbæ, non eſt ne- ceſſe mentum radi: ſed ſufficeret, ut myſtax abradatur. *Baronius* ad ann. 57.

§. 93.

Digitized by Google

§. 93. „ Atque illud imprimis, quod Apoſtolus monuit (1 *Cor.* 11.) ne „ viri nutriant comam: quo quidem eos ab effæminato muliebri cultu „ remotos eſſe debere, ſatis apertè ſignificavit. *Proinde barbam, quod ſit vi-* „ *rorum inſigne, more androgynorum vellere, aut cute tenus radere, minus con-* „ *ſueviſſe olim Chriſtianos, facile perſuadeamur.* Et citat ibidem *Clementem Alexandr. lib.* 3. *pædag. cap.* 3. & 11. Idem tamen ad annum 58. §. 126. & ſeqq. tonſuram & raſuram clericorum antiquitus obtinuiſſe & ex Apoſtolica traditione profluxiſſe contendit, adductis conjecturis, & ſcriptorum teſtimoniis; qui alias illi eſſent inteſtabiles, cum hypotheſi & ſcenæ ipſius non ſubſerviunt.

Atque hactenus de raſurâ & tonſurâ presbyterorum aliorumque clericorum. Unde collige 1. Concordiam diſcordem Papiſtarum. 2. Ipſis non convenire cum antiquitate; quam tamen ſemper novitatibus ſuis prætexunt. 3. Ipſos omnia placita, ſtatuta, & mores ſuos defendere. 4. Inque eum finem, ubi dura neceſſitas id poſtulare videtur, artem falſi circa ſcripta autorum „ per additionem, detractionem, evaſionem, ſuppoſitionem exercere. Confer 4. *part. ſelect. diſp. tit. de Falſo ſect.* 1. §. 3. 4.

IV. *Quæſt. An convivia à paſtoribus frequentanda? Reſp.* 1. Simpliciter non eſt illicitum nec inconveniens, nec indecorum, ſi paſtor interſit convivio: quia ipſe Salvator noſter (*Joh.* 2. *v.* 1. 2.) convivio nuptiali interfuit. 2. Sed inde non ſequitur, convenire ipſis ut frequenter conviviis interſint, aut abſque delectu quibuſvis conviviis interſint. Rationes ſunt

1. *Quia*, pretioſum tempus teritur, quod ſtudiis & eccleſiæ impendi poſſet.

2. *Quia*, ſi conviviis hominum profanorum, aut ἀτάκτων interſint, videntur ipſis nimis familiares eſſe: contra monitum Apoſtoli 1 Corinth. 5. v. 18. *Si quis, quum frater nominetur, ſit ſcortator, aut avarus,* &c. *cum ejuſmodi inquam, ne edatis quidem,* &c. & Joh. Epiſt. 2. v. 10. *Si quis venit*, &c. *ne recipite eum in domum*, &c.

Excipimus tamen, ſi occaſio & ſpes ſit promovendi iſtic cauſam Dei, & e integrum ſervandi. Vide exemplum Chriſti *Math.* 9. *v.* 10-14. Sed de conviviis inſtituendis & frequentandis in genere, & de miniſtrorum frequentatione in ſpecie, antehac diſſeruimus in 4. *part. ſelect. diſp. tit. de Excelſis Mundi part.* 3. §. 3. Tantum addimus, quod tunc in mentem non veniebat, prudens Ambroſii monitum *lib.* 1. *Officior. cap.* 20.

Habet ſanè ſuos ſcopulos verecundia, non quos ipſa invehit, ſed quos ſæpe incurrit, ſi intemperantium incidamus conſortia, qui ſub ſpecie jocunditatis venenum infundunt bonis: hi ſi aſſidui ſint, & maxime in

„ convivio, ludo, ac joco, enervant gravitatem illam virilem. Caveamus „ itaque ne dum relaxare animum volumus, ſolvamus omnem harmoniam, „ quaſi concentum quendam bonorum operum. Uſus enim cito inflectit „ naturam. Unde quàm prudenter factis convenire Eccleſiaſticis, & ma- „ xime miniſtrorum officiis arbitror, declinare extraneorum convivia, vel „ ut ipſi hoſpitales ſitis peregrinantibus, vel ut ea cautione nullus ſit oppro- „ brio locus. Convivia quippe extraneorum occupationes habent, tum „ etiam epulandi produnt cupiditatem. Surrepunt etiam fabulæ frequen- „ ter de ſæculo ac voluptatibus, claudere aures non potes, prohibere pu- „ tatur ſuperbiæ, ſurrepunt etiam præter voluntatem pocula. Melius eſt „ tuæ domi ſemel excuſes, quàm alienæ frequenter: & ut ipſe ſobrius „ ſurgas, tamen ex aliena inſolentia non condemnari non debet præſen- „ tia tua.

V. *Quæſt. An miniſtro fugere & gregem ſuum deſerere liceat? Reſp.* De hoc ſupra *lib.1. tract. 3. cap.2. qu.3.*

VI. *Quæſt. An miniſtro tempore peſtis fugere, & ab omnibus officiis erga eccleſiam abſtinere, ſpecialiter à viſitatione peſte laborantium hâc ratione ſe abſolvere poſſit? Reſp.* Neg. De quo in 4. *part. ſelect. diſpp. tit. De peſte.* Ex Remonſtrantibus *Epiſcopius* in 64. *quæſtionibus* Belgicè editis in 4. *quæſt.* 49. *pag.* 323. ab hoc officio eos liberare conatur: ſed fruſtra. Eâdem enim conſequentiâ ab omni ægrotantium & agonizantium viſitatione abſolvi poſſet. Quod abſurdum. Confer ſupra *part.3. lib.2. tr.3. cap.3. §.4.* & *Aſceticam* noſtram *cap.24.*

VII. *Quæſt. An ad quæſtiones practicas & caſus conſcientiæ reſpondere poſſit, & debeat? Reſp.* Aff. De quo ſupra *part.1. lib.2. tract.3. cap.3.* Et de eodem Clariſſ. theologus *Andreas Rivetus in apologetico* pro verâ pace eccleſiaſt. *contra Grotium*, ad *artic.* 15. *num.*66. & *apologia facultatis theologicæ Leidenſis* ab eximio theologo *Ant. Walæo* conſcripta, & operibus ejuſdem inſerta: quam legant noſtrates Theologi; quorum imprimis intereſt.

VIII. *Quæſt. An negotiis ſæcularibus, mercatura, pragmatia politica & Juridiciali, aliiſque ſe immiſcere & implicare poſſit? Reſp.* Neg. Vide ſupra *lib.2. tr.1. cap.9.* & *Deſper. cauſam Papatus lib.3. ſect.2. c.ult. p.*687. ubi de militiâ clericorum.

IX. *Quæſt. An concionator, præſertim ætate aut tempore miniſterii, aliis inferior aut poſterior ab omni* ἐπιπλήξει *& correptione tum publicâ pro concione, tum privatâ abſtinere debeat? Reſp.* Neg. Hoc ſi faceret non eſſet miniſter Chriſti, nec ſcripturæ tractationem rectè inſtitueret. Eſt enim ſcriptura *utilis ad redargutionem, ad correctionem, ad diſciplinam, quæ eſt in juſtitiâ. Ut perfectus ſit homo Dei*, &c. hoc eſt, quilibet verbi miniſter, & ſpe-

Digitized by Google

ſeciatim Timotheus 2 *Timoth.* 3. cui etiam ſingulariter injungit, *prædicationem ſermonis, argutionem, obiurgationem*, &c. 2 Timoth. 2. v. 1. 2. ſicuti & Tito, ut *redargueret præcisè.* Tit. 1. v. 13. Quin & Timotheum præmonet, ne quis *contemneret ipſius juventutem* 1 Tim. 4. v. 12. Quomodo autem, quâ methodo, quâ prudentiâ, & quâ ad corripiendos accommodatione, correptionem fieri conveniat, indicare conati ſumus in *Aſceticâ* noſtrâ *cap. 24. de Correptione fraternâ pag.* 680.

X. *Quæſt. An miniſter in alienâ eccleſiâ aut aliis extra ſuam eccleſiam prædicare, & ſacramenta adminiſtrare poſſit? Reſp.* Aff. Varii enim ſunt caſus, quibus hoc licitum ſit.

1. *Cum* paſtor loci ex morbo decumbit; aut defunctus eſt.

2. *Cum* alicubi nulla eſt eccleſia inſtituta: Sed de novo per verbi prædicationem colligenda, & ordinanda eſt: & eo mittuntur, ex vicinis eccleſiis, ut ad tempus operam ſuam iſtic commodent. Ita frequenter factum in Belgio noſtro, civitatibus hoſti ereptis, in poteſtatem Frederatorum redactis, & ad unionem reductis, e. gr. Groeninganâ, Sylvæducenſi, &c. Quo in caſu poſtulabantur miniſtri à vicinis eccleſiis miſſi; ab Emdanâ ſcil. Groningam; à vicinis Heuſdanâ, Bommelienſi, Gorinchemenſi, Sylvam-ducis. Qualem miſſionem ex *Actor.* 13. *v.* 1. 2. haberi poſſit oſtendi in *Deſper. Causâ Papat. lib.* 2. *ſect.* 1. *cap.* 10.

3. *Cum* eccleſia per hæreſes & factiones diſſipata aut turbata eſt, ut iſtic nulli ſint orthodoxi concionatores, nullum orthodoxum ſynedrium, nulla ordinata eccleſia reformata ſeu orthodoxa. Ut hic Ultrajecti anno 1618. cum ab Amſtelodamenſi, Zierizæanâ, Dordracena commodatò darentur, & mitterentur miniſtri, qui ad tempus in colligendâ recolligendâ & ordinandâ Eccleſiâ operam ſuam præſtabant.

4. *Cum* eccleſia ordinata, quę unius aut plurium miniſtrorum operâ deſtituitur, per neceſſariam, & diuturnam ejus aut eorum abſentiam; ab aliis eccleſiis commodato petit miniſtrum aut miniſtros, qui tantiſper defectum ſuppleant.

5. *Cum* ordinata eccleſia turbatur in ſuâ vocatione à Magiſtratu, ſive religionis aperto hoſte, ſive putatitio ejuſdem fautore: ita ut non permittatur ipſi in locum miniſtrorum defunctorum, aut aliò vocatorum, alios ſubſtituere.

Quæ turbatio vel magis craſſa & directa eſt, cum nullam vocationem eccleſiæ permittunt; prætexendo ſui juris & arbitrii eſſe, conſtituere & dare eccleſiæ paſtorem: vel magis indirecta, cum electos & vocatos, etiam maximè idoneos approbare detrectant. Quo fit, ut miſeræ eccleſiæ ordinariis miniſtris, longo tempore cogantur carere. Uti memini ante

annos

„ *dent*, &c. *perſpicuè demonſtrat*, *nec raſis capitibus*, *ſicut ſacerdotes*, *cul-*
„ *toreſque Iſidis*, *atque Serapis*, *nos eſſe debere*, *nec rurſum comam demit-*
„ *tere*, *quod propriè luxurioſum eſt*, *barbarorumque*: *ſed ut honeſtus habitus*
„ *ſacerdotum facie demonſtretur*, *nec calvitium novacula eſſe faciendum*, *nec*
„ *ita ad preſſum tondendum caput*, *ut raſorum ſimiles eſſe videamur*, *ſed in*
„ *tantum capillos demittendos*, *ut operta ſit cutis*, & poſt pauca, RASA
„ *capita habet ſuperſtitio gentilis*, *vino autem non reor aliquem abſtinere Gen-*
„ *tilium*, rurſum libro in Iſaiam ſexto, elucidas illud: *In cunctis capitibus*
„ *calvitium*, *& omnis barba radetur*, &c. ait: SI QUID *virilitatis ha-*
„ *beri videbatur in barba*, *raſum à viro eccleſiaſtico*, *effœminatum & debile*
„ *comprobatur*, & iterum lib. in Iſaiam 3. ediſſerens illam Dei comminatio-
„ nem, *In die illa radet dominus in novacula*, &c. ERGO, inquit, *in iſta*
„ *novacula acutiſſima*, *hoc eſt*, *in rege Syrorum*, *omnes capillos*, *decoremque*
„ *barbæ*, *quod virilitatis indicium eſt*, *radet dominus Judææ*, *ut nihil in illa*
„ *forte*, *nihil pulchrum reſideat*: *ſed effœminatis hominibus*, *immo ignominioſis*
„ *mulieribus comparetur*. Huic Hieronymi ſententiæ altera Epiphanii, Sala-
„ minæ Epiſcopi, annectitur: qui in tertio Panarii volumine adverſus Maſ-
„ ſalianos decertans, affirmat, ſancitum eſſe ab Apoſtolis ex authoritate di-
„ vinę Scripturæ, ne barba raderetur, ejus verba hęc ſunt: FRATRES,
„ *qui in monaſteriis per Meſopotamiam degunt*, *quod pejus eſt*, *barbam viri for-*
„ *mam reſecant*, *capillos autem capitis ſæpè nutriunt*, *& tamen de barba qui-*
„ *dem dicit in Conſtitutionibus Apoſtolorum divina Scriptura*, *ac doctrina*, *Ne*
„ *corrumpas*, *hoc eſt*, *Ne ſeces pilos barbæ*, *neque meretricio more ob comam*
„ *efferaris*. Adjungitur Epiphanio Clemens Alexandrinus presbyter, Ori-
„ genis præceptor, libro Pædagogi tertio, cap. 11. ſic ſcribens: VIRORUM
„ *capilli ne à capite nimium demittantur in comam muliebrem dilabẽtes*: *vi-*
„ *ris enim barba ſufficit*, *quod ſi quis etiam barbam nonnihil tondeat*, *ea tamen*
„ *non eſt omnino denudanda*: *eſt enim turpe ſpectaculum*: *barbaque ad cutem*
„ *uſque tonſus*, *non videtur multum abeſſe à vulſione & lævore*, *jam enim pſal-*
„ *mographus*, *barbæ coma delectatus*, SICUT *unguentum*, *inquit*, *quod deſcen-*
„ *dit in barbam*, *barbam Aaron*, *is cum barbæ conduplicatione decorem laudaſ-*
„ *ſet*, *vultum exhilaravit unguento domini*: *capilli ergo tondendi ſunt*, *non*
„ *novacula*: *eſt enim hoc illiberale*, *ſed tonſorem forficibus*, *barbæ autem pili*,
„ *qui nihil moleſtiæ afferant*, *& quendam paternum terrorem incutiant*.

„ Hæc patrum dicta Hortenſius confirmat divinæ Scripturę autoritati-
„ bus, quibus non ſolum reprobat hunc radendi morem, ſed eam quoque
„ tondendi formam vituperat, qua nunc utuntur clerici, capite in coronę
„ modum attonſo. Et de raſuræ quidem interdicto ſcriptum eſſe dicit Eze-
„ chiele, SACERDOTES *caput ſuum non radent*, & de Samuele ſacerdo-

te,

te, OMNIBUS *diebus vitæ ſuæ novacula non tranſibit per caput ejus.* & in Numeri, ei qui ſeipſum Deo conſecravit, dicitur, NOVACULA *non tranſibit per caput ejus omni tempore conſecrationis ſuæ*, & in Levitico pręceptum eſt omnibus. NON *radetis barbam, neque ſtigmata facietis vobis*, unde & in epiſtola Jeremię ex Baruch, deteſtans Propheta ritum Sacerdotum Babylonis, caput & barbam radentium, ait: IN *domibus idolorum ſacerdotes ſedent, habentes tuneas ſciſſas, & capita, & barbam raſam, quorum capita nuda ſunt.* De circulari autem capitis tonſura ait mandaſſe Deum in Levitico. NON *attondebitis comam in rotundam, neque barbam radetis*, & in Jeremia Deus, contemptoribus legis hujus diſperſionem comminatis, inquit: DISPERGAM *in omnem ventum eos, qui circumtonſi ſunt coma.*

Atque hęc ſunt, quæ excucullatus ille transfuga adverſus ſacram tondendi radendique conſuetudinem, prius à longo tempore approbatam, in libello ſuo induxit, jocis, dicteriis, & impuris fabellis intermiſtis, cui breviter reſpondemus, nec divinis legibus, neque ullis patrum decretis ſimpliciter prohiberi capitis, mentique tonſionem, vel raſuram: ſed contrà aſſerimus nos tondendi morem & à Dei, & ab Eccleſiæ, & ab ipſis quodammodo naturæ legibus accepiſſe, nam de naturali tonſionis lege ſcribens Paulus in priore ad Corinthios, inquit: NATURA *ipſa docet vos, quod vir ſi comam nutriat, ignominia eſt illi: mulier autem ſi comam nutriat, gloria eſt illi, quoniam capilli pro velamine ei dati ſunt: & turpe eſt mulierem tonderi, aut decalvari.* Quæ verba ediſſerens Chryſoſtomus, ait: NATURAM *humano generi etiam in cultu capillorum dediſſe præſidentiæ, ac ſubjectionis ſymbola: virum enim juſſit, reſecta coma, libero & adaperto capite principatus ſignum præſeferre: mulierem verò comam geſtare voluit, velut quoddam ſummiſſionis velamen, ac ſervitutis inſigne, ſicut itaque mulier ſi abſciſſa cæſarie, detectoque capite, virorum ſymbolum contra naturæ ordinem uſurpaverit, ſe ipſam deturpat: ita vir, ſi neglecta poteſtatis ſuæ dignitate, muliebrem comam aſſumpſerit, ſe ipſum ignominia afficiet ſervitutis inſigne & effœminati animi indicium geſtans.* Cùm igitur naturæ inſtinctu ſuadeantur viri omnes ad comæ attonſionem: quanto magis conſentaneum eſt Sacerdotes, qui officii dignitate, & vitæ exemplo cęteris præeſſe debent, virilis præſidentiæ inſignia, attonſo muliebri crine, circumferre?

QUOD autem comæ, barbæque attonſionem, & abraſionem ſæpe numero Deus præceperit, docent nos ſacræ literæ, in quibus ſcriptum eſt, quod Nazaræi prius crine ſervato, demum poſt magnam vitæ continentiam caput radebant, & capillos in ignem ſacrificii ponere jubebantur: ut

„ ut hoc viſibili ſigno monerentur, omnia ſuperflua præſentis vitæ bona, „ quæ per capillos corporis humani ſuperfluitates ſignificantur, à ſe ipſis ab- „ ſcindere, & in obſequium Dei ſacrificare, hoc & Ezechieli Prophetæ, ac „ ſacerdoti mandatum legimus, dicente ad ipſum Deo: Tu, *fili hominis*, „ *ſume tibi novaculam acutam, radentem pilos, & duces eam per caput, &* „ *per barbam tuam*, & in Actibus Apoſtolorum Lucas memoriæ prodidit, „ Priſcillam & Aquilam, ſuſcepto Nazaræorum voto, in Cenchris, Corin- „ thiorum portu, cæſariem abraſiſſe, idemque non multo poſt Jeroſolymis „ feciſſe Paulum hortatu Apoſtoli, unâ cum pleriſque aliis Chriſti diſci- „ pulis.

„ PORRO hoc ipſum Eccleſiaſticis ſanctionibus jam inde ab initio na- „ ſcentis Eccleſiæ ſtatutum fuiſſe, teſtis eſt Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus „ in ſecundo de officiis eccleſiaſticis libro, capite quarto ſic ſcribens: „ TONSURÆ *eccleſiaſticæ uſus à Nazaræis, ni fallor, exortus, ab Apoſtolis* „ *in Eccleſiam introductus eſt, ut hi, qui in divinis cultibus mancipati, domino* „ *conſecrarentur quaſi Nazaræi, id eſt, ſancti Dei, crine præciſo innovarentur.* „ Quam Iſidori ſententiam veram eſſe comprobat Aniceti Pontificis epi- „ ſtola, non longè ab Apoſtolorum temporibus ſcripta ad epiſcopos Gal- „ liæ, in qua etiam hæc inter cætera habentur: PROHABETE *fra-* „ *tres per univerſas regionum veſtrarum Eccleſias, ut Clerici, qui laicis & ſim-* „ *plicibus, virtutis, honeſtatis, pudicitiæ & gravitatis exemplar eſſe debent, ac ſe* „ *ipſos, tanquam ſignum purioris vitæ rudioribus ad imitationem prudenter* „ *exhibere, juxta Apoſtolum, comam non nutriant, ſed deſuper caput in* „ *modum ſphæræ radant: quia ſicut diſcreti debent eſſe in converſatione, ita* „ *& in tonſura, & in omni habitu diſcreti debent apparere.* Extat etiam in „ Concilio Carthaginenſi quarto, quod anno ſalutis noſtræ 416. collectum „ fuit, canon numero quadrageſimus quartus his verbis: CLERICI „ *neque comam nutriant, neque barbam.* Habetur in quarta Synodo Tole- „ tana, annis abhinc mille celebrata, aliter canon ordine quadrageſimus, „ formam figuramque Eccleſiaſticæ tonſuræ præſcribens hunc in modum: „ OMNES *clerici, vel lectores, ſicut levitæ & ſacerdotes, detonſo ſuperius* „ *capite toto, inferius ſolam circuli coronam relinquant, non ſicut hucuſque* „ *in Galliciæ partibus facere lectores videntur, qui prolixis, ut laici, comis* „ *in ſolo capitis apice modicum circulum tondent; ritus enim iſte in Hiſpaniis* „ *hucuſque hæreticorum fuit, unde oportet, ut pro amputando ab Eccleſiis* „ *ſcandalo, hoc ſignum dedecoris auferatur, & ſit una tonſura, vel habitus,* „ *ſicut toti Hiſpaniæ eſt uſus. Qui autem hoc non cuſtodierit, fidei Catholicæ* „ *reus erit.*

„ Iſidorus Hiſpalenſis in libro, quem modò citavimus, Eccleſiaſticæ tonſuræ

Digitized by Google

tonſuræ cauſas referens, ait in primis id inſtituiſſe eccleſiam, ut ſicut clericos à laicis vivendi ratione oportet eſſe diſtinctos, & inter eos vitæ probitate conſpicuos, ita quodam diſtincto capitis cultu oportuit eos à cæteris ſæcularibus diſcerni: quod & Aniceti decretum apertè indicat, inquiens, *ut ſicut eſſe debent in converſatione ab aliis diſcreti, ita ſint in tonſura & habitu diſcreti.*

2. Secundò ut Clerici hoc externo attonſi capitis ſymbolo docerentur, quod intus in mente, cujus caput ſedes eſſe dicitur, illis gerendum foret, hoc eſt, ſuperfluas carnis curas, quas capillorum ſuperfluitas adumbrat, una cum capillis reſecare, & crimina cum crinibus abjicere, & carnalem ac muliebrem mentem ſimul cum carnali & muliebri cæſarie deponere, & novum ac virilem mentem viriliter attonſo capiti imponere.

3. Tertiò ut in Clericis utriuſque dignitatis, regiæ ſcilicet, ac ſacerdotalis, inſignia ſpectarentur. Sicut enim in veteri Lege Sacerdotes tiaram, hoc eſt, pileolum dimidiatę ſphæræ figuram habentem capiti imponebant, reges verò aurea corona cingebant tempora, ita nunc ſuperior capitis portio ad ſimilitudinem hemiſphęricæ tiaræ detonſa ſacerdotalem præfert dignitatem, capillorum verò ſertum in coronæ modum temporibus circumductum regiæ majeſtatis ſimilitudinem repræſentat: ut planè illa Petri ſententia Clericis conveniat: *Vos eſtis genus electum, regale ſacerdotium.*

4. Addunt & quartam hujuſmodi ritus cauſam Germanus Conſtantinopolitanus Epiſcopus, in explanatione divinę Liturgiæ, & Beda Preſbyter in hiſtoria, quod cum Judæi in contumeliam Chriſtiani nominis Petrum, Antiochiæ prædicantem, in ſuperiori parte capitis abraſiſſent, poſteriores Pontifices, & Epiſcopi, illatam Petro ignominiam capitibus ſuis humilitatis gratia imponentes, eam in ornamentum & gloriam Chriſtiani Sacerdotii commutarunt. Atque has ferunt tondendi capitis fuiſſe cauſas.

Radendæ barbæ rationem, Beda in Eſdræ commentariis inſtitutam eſſe dicit ad humilitatis recordationem, ſcilicet ne Deo dicati homines magnitudine, aut multitudine virtutum ſuarum in ſuperbiam extollantur, nam cùm barba, quæ virilis ſexus & ętatis eſt index, fortitudinem, prudentiam, aliaſque virtutes ſignificet, perfecto viro dignas, idcirco eam ſancti viri abſcindere, vel abradere jubentur, ut ex hoc intelligant, oportere eos omnem proprię virtutis confidentiam abjicere, & meminiſſe virtutes ſuas, quantumlibet magnas ac multas, vitiis eſſe permiſtas, & proinde, paucas eſſe & parvas, aut ferè nullas ſi divinę æquitatis

„ examine diſcutiantur, dicente Davide: *Non intres in judicium cum ſer-*
„ *vo tuo Domine, quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens*, & Job,
„ *Si juſtificare me voluero, & innocentem oſtendero, pravum ne Deus com-*
„ *probabit*. Ex his igitur perſpicuum eſt, tonſuram divinis & Eccleſiaſticis
„ legibus non approbari ſolum, ſed etiam ob multas & juſtas cauſas præ-
„ cipi.

„ Sed, ut his reſpondeamus, quæ definitionem hanc labefactare viden-
„ tur, ſciendum eſt, ea quæ Hortenſius contra nos attulit, duplici ordine
„ diſtingui. In primo collocantur Scripturæ teſtimonia, quâ raſuram vel
„ tonſuram non omnibus perſonis, & ubique & ſemper interdicunt, ſed
„ certis perſonis, locis, ac temporibus, hoc eſt, ſolis Nazaræis, donec vo-
„ tum explerent, vel ſolis Levitis, donec in terra ſancta morarentur, &
„ quoad templum Jeroſolymis extaret, in quo ſolo ſacrificare, & cætera
„ ad ſacrificium pertinentia exercere poterant, ibi enim & pro eo tempore,
„ ſoliſque Sacerdotibus præcepit Deus, ne caput barbamque raderent, ut
„ quam longè abeſſent à ſuperſtitione vicinarum gentium, quarum Sa-
„ cerdotes, ut in epiſtola Jeremię legitur, raſo capite ac mento idolis im-
„ molabant, nunc verò nec Sacerdotes Judęorum Palęſtinâ ejecti raſura
„ abſtinent, nec Sacerdotes Chriſtiani ab ea prohibentur, quos Chriſtus
„ morte ſua ab antiqui Sacerdotii legibus liberavit. Ad hunc igitur ordi-
„ nem ſpectant, quæ Deus Nazaræis in libro Numerorum impoſuit, & Sa-
„ cerdotibus ſive per Moſem, ſive per Ezechielem, ſive per alios Prophetas
„ de raſura mandavit. In ſecundo ordine ſunt oracula Scripturarum, & Pa-
„ trum dicta, quæ tonſuram & raſuram prohibere videntur, cùm tamen
„ neutram vetent, ſed tantùm inhibeant perverſam intentionem ac pravam
„ conſuetudinem tondentium & radentium: ex quibus vana ſuperſtitione
„ perſuaſi, ſeipſos radebant, ad imitationem gentilium ſacerdotum; alii,
„ muliebri quadam mollitie inducti, barbam radebant, ut ſeipſos effœmi-
„ narent, ſicut de quibuſdam Romanis Imperatoribus prodit Suetonius, Ju-
„ lium Cæſarem ea diligentia ac moroſitate raſiſſe barbam, ut pilos etiam
„ non ſine calumnia velleret: Othonem verò quotidie faciem raſitaſſe ac
„ pane madido liniſſe, idque inſtituiſſe à prima lanugine, ne barbatus un-
„ quam eſſet. Talem igitur impium uſum, & improbum radendi, tonden-
„ dique morem damnant Hieronymus, Clemens, Epiphanius, & Apoſtoli-
„ ca, immo divina lex, ab Epiphanio citata ex cap. 19. Levit. NON *atten-*
„ *debitis comam in rotundum, neque barbam radetis*. Ita enim ipſam explicat
„ Theodoretus, Cyri Epiſcopus, quæſt. 28. in Leviticum, inquiens: QUI-
„ DAM, *quod Septuaginta verterunt, Non facietis* σισόην *ex coma capitis ve-*
„ *ſtri, neque corrumpetis faciem barbæ veſtræ, interpretati ſunt, Capillos de*
in-

Digitized by Google

„ *induſtria criſpos factos. Ego verò exiſtimo per legem aliud interdici, nam mo-*
„ *ris eſt apud Græcos, in pueris, capillorum extremitates non attondere, ſed ſine-*
„ *re capillos promitti, & aliquanto poſt tempore eos Dæmonibus dedicare, con-*
„ *ſueverant etiam radere barbam, cùm aliquem elugerent, & genas incidere in*
„ *honorem defunctorum: nec non aliquas corporis partes acu perforabant, &*
„ *nigro veſtiebantur in reverentiam Dæmonum. Hæc igitur divina lege ſunt in-*
„ *terdicta.* Cæterum Thomas presbyter Cardinalis nullam hic de tonſura
„ mentionem fieri exiſtimat. Sic enim in commentariis ſcribit: JUXTA
„ *Hebræum habetur* לא תקיפו פאת ראשכם *Lo thakkiphu peath*
„ roſchem, id eſt, *Non facietis circumgyrare angulum capitis veſtri, nihil dici-*
„ *tur de tonſione, ſed de gyratione, & crediderim inhiberi ſuperſtitionem certo-*
„ *rum, quæ gyrabant capita celebrantium ſacra Deorum coronati enim circulo*
„ *hederæ ſacra Bacchi celebrabant, ut refert liber Machabæorum. Nec radetis*
„ *barbam, Hebraicè* ולא תשחית את פאת זקנך *Ve lo thaſchith*
„ *eth peath zekanecha, hoc eſt, Et non facies deſtruere angulum barbæ tuæ, in-*
„ *hibetur ad literam totalis raſio angulorum barbæ, & appellantur anguli*
„ *barbæ, ut Hebræi teſtantur, ſupremæ partes barbæ, quæ junguntur tempo-*
„ *ribus & uſque hodie Hebræi piloſos ſervant hos angulos, quamvis reliquum*
„ *barbæ radant.*

Sed barbam à clericis radi vetat *canon.* 44. *Concil. Carthagin.* 4. *Clericus* [n]*ec comam nutriat, nec barbam radat.* Ita habent tomi *Concilior.* editi Pari[ſ]iis a. 1524. in fol. à *Jac. Merlino* theologo Pariſienſi; qui eos dedicabat [S]tephano & Franciſco Poncheriis Senonenſis & Pariſienſis eccleſ. præſuli[b]us: quæ editio mihi in manibus eſt. Idem habent M.SS. codices *biblio[t]hecæ Vaticanæ,* & *biblioth. S. Victoris Gandenſis,* & *Codex Savaronis,* nec non [I]*ſidori liber* Pariſiis impreſſus: teſte *Joh. Savarone* aut *Savaro in notis* ad *Sido[n]ii Apollinaris epiſt.* 24. *lib.* 4. ubi Sidonius ſic loquitur: *Habitus viro, gradus, [p]udor, color, ſermo religioſus; tum coma brevis, barba prolixa* loquitur de quo[d]am Maximo; quem ita mutatum videbat, quod *nuper impacto ſacerdotio [f]ungeretur.* De reipſa non diſputo, ſed tantum cum Savarone dico: eraſam [e]ſſe vocem *radat,* à *Burchardo in decreto lib.* 2. *cap.* 174. ab *Ivone in Panormiâ* [(]*Pannomâ) part.* 6. *cap.* 265. Et à *Jure Canonico Extrav.* 5. *de Vitâ & ho[n]eſtate clericorum.* Addo ego idem factum à *Caranza in Summâ Concilior.* [&] *Sixto Senenſi,* mox infra citando. Sed audiamus *Savaronem,* qui
„ eraſum eſſe dicit, à quodam male geniato & malè feriato homine, qui
„ unâ liturâ maximas altercationes excitavit, barbamque ſacerdotibus ra-
„ ſit, malo exemplo. Nam ſive illud ex Concil. Carthaginenſi ſumtum ſit,
in illo legitur *neque barbam radat,* ſive ex decreto Aniceti Papę, in illo
nulla barbæ mentio eſt 23. diſt. cap. 22. *Clerici* (ex Agathenſis Concilio

can. 20. *Clerici qui comam nutriunt, ab archidiacono, etiam ſi noluerint, inviti detondeantur:*) uti habet editio Concil. Jac. Merlini. Addit ibidem Joh. Savaro, Uſuardum xv. Kal. Maji. Pontificale c. 12. Innocentium 3. epiſt. 2. „ ad Tardiſinum, & Marianum Scotum in Chronico, inter ſanctiones „ Aniceti non numerare barbæ raſionem. Martinus quidem, inquit, Po- „ lonus & Petrus de Natalibus *lib. 4. cap. 27.* conſtitutionem, quâ coma „ & barba ſimul clericis prohibetur, Aniceto tribuunt; ſed quo autore „ neſcio. Scio quidem & liquido ſcio, ex traditione Apoſtolorum eſſe, „ barbam alere, S. Clemens Conſtit. Apoſtol. lib. 1. cap. 1. Clemens A- „ lexandrin. lib. pædag. cap. 3. D. Cyprianus lib. 3. ad Quirinum cap. 85. & „ Epiphan. lib. 3. tom. 2. hæreſ. 80. præterquam quod Apoſtolorum icones „ omnem dubitationem abſtergunt. Vide *Levit.* 19. Nihil amplius: de bar- „ bâ enim, comâ & coronâ libellum procudam Deo auſpice. Pontificale Romanum à Savarone citatum, part. 1. fol. 2. b (edit. Venetæ anno 1561. apud Juntas) habet titulum ſeu rubricam, de *barbâ tondendâ.* Et in textu: „ Statutum eſt in Concil. Carthaginenſi, ne clerici nutriant barbam (quâ „ fide hoc refertur? Græcâ?) Ideoque, quando primo illis, vel etiam laicis „ barbæ tondentur: dici debet Pontifice ſedente cum mitrâ, &c.

Officium & morem Græcorum in primâ comæ & barbæ detonſione, deſcribit ipſorum Euchologium ſeu Rituale pag. 375. quę notis ſuis illuſtrat *Jacobus Goar* Pariſ. Ord. prædicator. Ex quo ſubdolum hoc occultum dedecoris nunc ſolummodo enoto pag. 372. „ Superfluos vero & incomptos „ tam capitis, quam menti crines decutere, ut viris decus & venuſtatem „ confert, ita detonſionem ſuâ benedictione cumulare, neutra quondam „ eccleſia detrectabat. Vide *Gregorii ſacramentarium.* Sed cur ex *pag.* præced. non refert capitis & barbæ abraſionem, quæ longè differt à ſuperflui crinis decuſſione; & cur non dicit utramque eccleſiam (h. e. Græcam & Latinam) talem abraſionem benedictione ſuâ cumulaſſe? Sed monitorem intus habuit. Sane *Sixtus Senenſis* ſupra cit. cauſam & morem Papalem apertè propoſitam defendere conatus eſt.

Concilium Lemovicenſe anno 1028. (apud *Bochellum decret. eccleſ. Gall. lib. 6. tit. 13. cap. 37.*) in medio relinquit raſuram barbæ Occidentalium, & ejuſdem alituram Orientalium: quod utrique habeant autores ſuos, quos ſequantur, & rationes. Synodus Aquenſis anno 1585. presbyteris nullam barbæ raſuram præſcribit, *ſed ad ſuperius labium ita inciſam; ut ſumentibus Chriſti ſanguinem nullum afferat impedimentum.* Certe ut evitent, ne ſacerdotibus in miſſæ celebratione bibentibus calicem, quid ſanguinis Chriſti (ex ipſorum hypotheſi) adhęreat barbæ, non eſt neceſſe mentum radi: ſed ſufficeret, ut myſtax abradatur. *Baronius* ad ann. 57.

§. 93.

Digitized by Google

§. 93. „ Atque illud imprimis, quod Apoſtolus monuit (1 *Cor.* 11.) ne „ viri nutriant comam: quo quidem eos ab effæminato muliebri cultu „ remotos eſſe debere, ſatis apertè ſignificavit. *Proinde barbam, quod ſit vi-„ rorum inſigne, more androgynorum vellere, aut cute tenus radere, minus con-„ ſueviſſe olim Chriſtianos, facile perſuadeamur.* Et citat ibidem *Clementem Alexandr. lib.* 3. *pædag. cap.* 3. & 11. Idem tamen ad annum 58. §. 126. & ſeqq. tonſuram & raſuram clericorum antiquitus obtinuiſſe & ex Apoſtolica traditione profluxiſſe contendit, adductis conjecturis, & ſcriptorum teſtimoniis; qui alias illi eſſent inteſtabiles, cum hypotheſi & ſcenæ ipſius non ſubſerviunt.

Atque hactenus de raſurâ & tonſurâ presbyterorum aliorumque clericorum. Unde collige 1. Concordiam diſcordem Papiſtarum. 2. Ipſis non convenire cum antiquitate; quam tamen ſemper novitatibus ſuis prætexunt. 3. Ipſos omnia placita, ſtatuta, & mores ſuos defendere. 4. Inque eum finem, ubi dura neceſſitas id poſtulare videtur, artem falſi circa ſcripta autorum „ per additionem, detractionem, evaſionem, ſuppoſitionem exercere. Confer 4. *part. ſelect. diſpp. tit. de Falſo ſect.* 1. §. 3. 4.

IV. *Quæſt. An convivia à paſtoribus frequentanda? Reſp.* 1. Simpliciter non eſt illicitum nec inconveniens, nec indecorum, ſi paſtor interſit convivio: quia ipſe Salvator noſter (*Joh.* 2. *v.* 1. 2.) convivio nuptiali interfuit. 2. Sed inde non ſequitur, convenire ipſis ut frequenter conviviis interſint, aut abſque delectu quibuſvis conviviis interſint. Rationes ſunt

1. *Quia*, pretioſum tempus teritur, quod ſtudiis & eccleſiæ impendi poſſet.

2. *Quia*, ſi conviviis hominum profanorum, aut ἀτάκτων interſint, videntur ipſis nimis familiares eſſe: contra monitum Apoſtoli 1 Corinth. 5. v. 18. *Si quis, quum frater nominetur, ſit ſcortator, aut avarus,* &c. *cum ejuſmodi inquam, ne edatis quidem,* &c. & Joh. Epiſt. 2. v. 10. *Si quis venit,* &c. *ne recipite eum in domum,* &c.

Excipimus tamen, ſi occaſio & ſpes ſit promovendi iſtic cauſam Dei, & ſe integrum ſervandi. Vide exemplum Chriſti *Math.* 9. *v.* 10 - 14. Sed de conviviis inſtituendis & frequentandis in genere, & de miniſtrorum frequentatione in ſpecie, antehac diſſeruimus in 4. *part. ſelect. diſpp. tit. de Excelſis Mundi part.* 3. §. 3. Tantum addimus, quod tunc in mentem non veniebat, prudens Ambroſii monitum *lib.* 1. *Officior. cap.* 20.

„ Habet ſanè ſuos ſcopulos verecundia, non quos ipſa invehit, ſed quos „ ſæpe incurrit, ſi intemperantium incidamus conſortia, qui ſub ſpecie jo-„ cunditatis venenum infundunt bonis: hi ſi aſſidui ſint, & maxime in

„ convivio, ludo, ac joco, enervant gravitatem illam virilem. Caveamus „ itaque ne dum relaxare animum volumus, ſolvamus omnem harmoniam, „ quaſi concentum quendam bonorum operum. Uſus enim cito inflectit „ naturam. Unde quàm prudenter factis convenire Eccleſiaſticis, & ma- „ xime miniſtrorum officiis arbitror, declinare extraneorum convivia, vel „ ut ipſi hoſpitales ſitis peregrinantibus, vel ut ea cautione nullus ſit oppro- „ brio locus. Convivia quippe extraneorum occupationes habent, tum „ etiam epulandi produnt cupiditatem. Surrepunt etiam fabulæ frequen- „ ter de ſæculo ac voluptatibus, claudere aures non potes, prohibere pu- „ tatur ſuperbiæ, ſurrepunt etiam præter voluntatem pocula. Melius eſt „ tuæ domi ſemel excuſes, quàm alienæ frequenter: & ut ipſe ſobrius „ ſurgas, tamen ex aliena inſolentia non condemnari non debet præſen- „ tia tua.

V. *Quæſt. An miniſtro fugere & gregem ſuum deſerere liceat? Reſp.* De hoc ſupra *lib.1. tract. 3. cap.2. qu.3.*

VI. *Quæſt. An miniſtro tempore peſtis fugere, & ab omnibus officiis erga eccleſiam abſtinere, ſpecialiter à viſitatione peſte laborantium hâc ratione ſe abſolvere poſſit? Reſp.* Neg. De quo in 4. *part. ſelect. diſpp. tit. De peſte.* Ex Remonſtrantibus *Epiſcopius* in 64. *quæſtionibus* Belgicè editis in 4. *quæſt.* 49. *pag.* 323. ab hoc officio eos liberare conatur: ſed fruſtra. Eâdem enim conſequentiâ ab omni ægrotantium & agonizantium viſitatione abſolvi poſſet. Quod abſurdum. Confer ſupra *part.3. lib.2. tr.3. cap.3. §.4.* & *Aſceticam* noſtram *cap.*24.

VII. *Quæſt. An ad quæſtiones practicas & caſus conſcientiæ reſpondere poſſit, & debeat? Reſp.* Aff. De quo ſupra *part.1. lib.2. tract.3. cap.3.* Et de eodem Clariſſ. theologus *Andreas Rivetus in apologetico* pro verâ pace eccleſiaſt. *contra Grotium*, ad *artic.* 15. *num.*66. & *apologia facultatis theologicæ Leidenſis* ab eximio theologo *Ant. Walæo* conſcripta, & operibus ejuſdem inſerta: quam legant noſtrates Theologi; quorum imprimis intereſt.

VIII. *Quæſt. An negotiis ſæcularibus, mercaturæ, pragmatiæ politicæ & Juridiciali, aliiſque ſe immiſcere & implicare poſſit? Reſp.* Neg. Vide ſupra *lib.2. tr.1. cap.9.* & *Deſper. cauſam Papatus lib.3. ſect.2. c.ult. p.*687. ubi de militiâ clericorum.

IX. *Quæſt. An concionator, præſertim ætate aut tempore miniſterii, aliis inferior aut poſterior ab omni* ἐπιπλήξει *& correptione tum publicâ pro concione, tum privatâ abſtinere debeat? Reſp.* Neg. Hoc ſi faceret non eſſet miniſter Chriſti, nec ſcripturæ tractationem rectè inſtitueret. Eſt enim ſcriptura *utilis ad redargutionem, ad correctionem, ad diſciplinam, quæ eſt in juſtitiâ. Ut perfectus ſit homo Dei,* &c. hoc eſt, quilibet verbi miniſter, & ſpe-

ſpeciatim Timotheus 2 *Timoth.* 3. cui etiam ſingulariter injungit, *prædicationem ſermonis, argutionem, objurgationem*, &c. 2 Timoth. 2. v. 1. 2. ſicuti & Tito, ut *redargueret præciſè*. Tit. 1. v. 13. Quin & Timotheum præmonet, ne quis *contemneret ipſius juventutem* 1 Tim. 4. v. 12. Quomodo autem, quâ methodo, quâ prudentiâ, & quâ ad corripiendos accommodatione, correptionem fieri conveniat, indicare conati ſumus in *Aſceticâ* noſtrâ *cap.* 24. *de Correptione fraternâ pag.* 680.

X. *Quæſt. An miniſter in alienâ eccleſiâ aut aliis extra ſuam eccleſiam prædicare, & ſacramenta adminiſtrare poſſit? Reſp.* Aff. Varii enim ſunt caſus, quibus hoc licitum ſit.

1. *Cum* paſtor loci ex morbo decumbit; aut defunctus eſt.

2. *Cum* alicubi nulla eſt eccleſia inſtituta: Sed de novo per verbi prædicationem colligenda, & ordinanda eſt: & eo mittuntur, ex vicinis eccleſiis, ut ad tempus operam ſuam iſtic commodent. Ita frequenter factum in Belgio noſtro, civitatibus hoſti ereptis, in poteſtatem Fœderatorum redactis, & ad unionem reductis, e. gr. Groeninganâ, Sylvæducenſi, &c. Quo in caſu poſtulabantur miniſtri à vicinis eccleſiis miſſi; ab Emdanâ ſcil. Groningam; à vicinis Heuſdanâ, Bommelienſi, Gorinchemenſi, Sylvam-ducis. Qualem miſſionem ex *Actor.* 13. *v.* 1. 2. haberi poſſit oſtendi in *Deſper. Causâ Papat. lib.* 2. *ſect.* 1. *cap.* 10.

3. *Cum* eccleſia per hæreſes & factiones diſſipata aut turbata eſt, ut iſtic nulli ſint orthodoxi concionatores, nullum orthodoxum ſynedrium, nulla ordinata eccleſia reformata ſeu orthodoxa. Ut hic Ultrajecti anno 1618. cum ab Amſtelodamenſi, Zierizæanâ, Dordracena commodatò darentur, & mitterentur miniſtri, qui ad tempus in colligendâ recolligendâ & ordinandâ Eccleſiâ operam ſuam præſtabant.

4. *Cum* eccleſia ordinata, quę unius aut plurium miniſtrorum operâ deſtituitur, per neceſſariam, & diuturnam ejus aut eorum abſentiam; ab aliis eccleſiis commodato petit miniſtrum aut miniſtros, qui tantiſper defectum suppleant.

5. *Cum* ordinata eccleſia turbatur in ſuâ vocatione à Magiſtratu, ſive regionis aperto hoſte, ſive putatitio ejuſdem fautore: ita ut non permittitur ipſi in locum miniſtrorum defunctorum, aut aliò vocatorum, alios ſubſtituere.

Quæ turbatio vel magis craſſa & directa eſt, cum nullam vocationem eccleſiæ permittunt; prætexendo ſui juris & arbitrii eſſe, conſtituere & dare eccleſiæ paſtorem: vel magis indirecta, cum electos & vocatos, etiam maximè idoneos approbare detrectant. Quo fit, ut miſeræ eccleſiæ ordinariis miniſtris, longo tempore cogantur carere, Uti memini ante

annos

annos aliquot, eccleſiam Heuklemenſem (oppidulum eſt in finibus Hollandiæ), toto fere novennio vacaſſe, idque per toparcham religioni Pontificiæ addictiſſimum, & in hoſtico (in parte aliquâ Flandriæ) degentem; qui ſibi jus conſtituendi paſtorem vindicabat. Cum iſtic ſatis exigua, languida, & attenuata eſſet eccleſia, quippe potiori parte civium Papiſmo addictâ: cogitare quantum oſtium, per carentiam ordinarii & reſidentis miniſtri, Papatui iſtic propagando fuerit apertum, quantâ cum moleſtiâ vicini miniſtri, & quantâ cum vexatione eccleſia iſtius loci, & claſſis Gorinchemenſis (quæ cum Deo nihil non movebat, ut defectus ſuppleretur) luctati ſint. Quid aliud tali in caſu fieri poſſet, quam ut vicinorum aut ejuſdem diſtrictus miniſtrorum auxilium poſtuletur.

6. *Cum* concionator aut concionatores in eccleſiâ ordinatâ, heterodoxiâ, aut neglectu miniſterii, aut vitâ ſcandaloſâ, aut ſeceſſione & ſeparatione à communi doctrinâ, regimine, diſciplinâ, unione, correſpondentiâ, non ædificat ſed deſtruit: ideoque ab eccleſiâ per ſynedrium (juxta *Ordinis eccleſ. a.* 1586. *artic.* 72.) ad tempus à functione miniſterii ſuſpenditur. Hoc in caſu commodata miniſtri aut miniſtrorum opera, à ſynedrio poſtulanda, & ab eccleſiis, ubi poſtulati illi miniſtrant, concedenda; niſi graves cauſæ impediant.

Sed affirmanti ſententiæ, & praxi eccleſiarum noſtrarum objicitur.

1. *Object.* Eſt ſpecies ἀλλοτριοεπισκοπῆς, alienam eccleſiam paſcere verbo, ſacramentis, &c. *Reſp.* Si abſque miſſione, vocatione, ordinatione, ac directione legitimâ hoc fieret, concedo: ſed ſi per ordinationem & vocationem legitimam hoc fiat, Nego eſſe ἀλλοτριοεπισκοπίαν. Quia non *currit* antequam miſſus ſit *Jerem.* 23. *v.* 21. cum *Rom.* 10. *v.* 15.

2. *Object.* Ut Notarius non poteſt officio ſuo fungi extra regnum, provinciam, dominium, cujus publicâ autoritate notarius eſt conſtitutus: ſic miniſter non poteſt aliis extra eccleſiam ſuam prædicare, & ſacramenta adminiſtrare. *Reſp.* 1. Argumentum à ſimili, quantum valeat, à vulgaribus Dialecticis diſcendum eſt. 2. Negamus minorem. Poteſt enim Notarius notarialem actum exercere extra ſuum territorium: ſiquidem illi facultas concedatur, aut mandetur, ab illo qui poteſtatem & potentiam habet.

3. *Object.* In quos concionator nullam paſtoralem poteſtatem habet & qui obedientiâ & ſubjectione ad ipſum non tenerentur; illis non debet nec poteſt concionari & ſacramenta adminiſtrare.

Sed concionator in alios extra eccleſiam ſuam non habet poteſtatem paſtoralem, aut Doctoralem. Ergo. *Reſp.* Neg. minor. Habet enim quâ commodatus & miſſus ab eccleſiâ, pro illo tempore poteſtatem paſtoralem,

Digitized by Google

em, iſtic prædicandi, ſacramenta adminiſtrandi; per legitimam poſtulatio-
nem, miſſionem, & commodationem.

4. *Object.* Si quis ſacramenta, hic & nunc perciperet extra eccleſiam ſuam à paſtore non-ſuo: ſequeretur aliquem cœnæ participem in alienâ eccleſiâ, aut in ſuâ à paſtore non-ſuo immediatè alligatum eſſe iſti paſtori, aut iſti eccleſiæ, eique ſubjectum. Sed poſterius abſurdum: Ergo & prius.

Reſp. 1. Ad majorem diſtinguendo inter alligationem totalem, perpetuam & adæquatam: & inter πρόσκαιρον, particuralem, ſecundum quid. Quod ad illum actum, & poteſtatem legitimè, ex poſtulato, mandato & ordinatione eorum, ad quos pertinet, exercitam: negamus abſurdum eſſe ſubordinationem & ſubjectionem recipientium verbum Dei & cœnam, aut baptiſmum, ad illum concionatorem & eccleſiam. Sicuti abſurdum non eſt, in alienâ familiâ ad dies aliquot commorantem, ibidemque menſâ & tecto, ingreſſu, & egreſſu utentem, fruentem: patri familias ejuſque ordini, reſpectu iſtius commorationis, tantiſper ſubjici: nec tamen ab unione, incorporatione, ſubordinatione, & ſubjectione in familiâ paternâ totaliter abſolutum eſſe, aut in alienam familiam tranſlatum.

Reſp. 2. Determinatè ad particularem eccleſiam & particulare presbyterium, & particularem paſtorem aut paſtores, ſic non baptizantur aut ad cœnam primum non admittuntur: ut non poſſit extra illam eccleſiam, ubi baptizatus eſt, aut ubi cœnam primum accepit, aut in ſuâ eccleſiâ à paſtore non-ſuo, verbum audire, & cœnam percipere: neceſſitate ita ferente. Certè *Math.* 3. & *Actor.* 8. & 16. non baptizabantur cum alligatione ad particularem eccleſiam.

Quidquid ſit, quando paſtori peregrino per legitimam ſynedrii invitationem, poſtulationem, evocationem aut approbationem (vide ordinem noſtrum eccleſiaſticum *artic.* 15.) poteſtas & officium concionandi, in aliquâ eccleſiâ imponitur; debent auditores Doctori illi ejuſque verbo veritatis, tanquam diſcipuli & filii obedire *Hebr.* 13. *v.* 17. cum 1 *Petr.* 2. *v.* 1. 2.

XI. *Quæſt. An omnes concionatores ſeu miniſtri verbi, jus habeant prædicandi, ſacramenta adminiſtrandi, regendi, & diſciplinam exercendi. Reſp.* Aff. ex *Math.* 28. *v.* 19. *Actor.* 16. *v.* 15. 32. 33. *Joh.* 4. *v.* 1. 1 *Cor.* 1. *v.* 14. 16. & ex titulis miniſtrorum, qui ἡγούμενοι, προεστῶτες, legati, angeli, &c. dicuntur; & ex opere eorum, quod eſt paſcere 1 *Petr.* 5. *v.* 2. atqui non tantum verbo, ſed & ſacramentis, non tantum ſacramentis ſed & verbo paſcunt; inſuper miniſtros conſtituunt 1 *Tim.* 4. 14. & 5. *v.* 22. *Tit.* 1. *v.* 5. hortantur, corripiunt, & cenſurâ notant, & diſciplinam exercent 1 *Cor.* 5. *v.* 4. 7. & 2 *Cor.* 2. *v.* 6. *Apocal.* 2. *v.* 2. Quod obſervandum non tantum contra heterodoxiam & ἀταξίαν Papatus, qui officia paſtoralia divellunt: ſed & contra Anabaptiſtas, qui ordinarios verbi præ-

cones ſeu concionatores ſuos dictos *monitores* ſeu *paracletos* (Belgicè **Vermaenders**) ab omni diſpenſatione ſacramentorum excludunt; ideoque *miniſtros incompleti miniſterii* indigitant: ſolos vero *Epiſcopos* ipſis ita dictos, & à concionatoribus ſeu monitoribus diſtinctos, ad ſacramentorum adminiſtrationem admittunt eoſque miniſtros *pleni* ſeu *completi miniſterii* appellant; & quoties baptiſmus aut cœna celebranda, aliunde evocant: cum multi cœtus eorum, non niſi *monitores* illic reſidentes, habeant. *Monitores* dicunt *vocatos*; Epiſcopos autem *confirmatos*: Illorum confirmationem differunt, tantiſper dum concionando ſe exercent, & [illegible], & dona ſua exploranda exhibent. Videatur repetita & quaſi apologetica confeſſio eorum per *Nicolaum Nicolai* anno 1624. & Amſtelodami apud Jacobum Arnoldi Columnam excuſa in 8. *artic.* 14. *pag.* 228 229.

Atque hæc de paſtore, & officiis paſtoralibus. Si quis noſſe cupiat autores qui munus & officia paſtorum explicuerunt, indico, ex noſtris. *Bucerum* in ſcriptis Anglicanis tract. de animarum curâ officioque paſtorum. *pag.* 267-379. & *pag.* 504-610. *Hemmingii* Paſtorem; *Toſſani Paſtorem Euangelicum* anno 1590. *Zepperum in Politicâ Eccleſiaſt. lib.* 1. *cap.* 3. *& ſeqq. & lib.* 2. *cap.* 2. *Melchioris Sylveſtri Eckhardi paſtorem conſcientioſum*; *Oliverii Bowles* tractatum de *paſtore Euangelica*; *Joh. Prideaux* in Operibus concionum 4. *pag.* 30. & *ſeqq. Friderici Balduini Inſtitutionem miniſtrorum verbi*, 1622.; *Hyperium de ſtudio theologico*; *Bucerum de verâ animarum curâ* Ambergæ in 8. excuſum 1614. *Joh. Jac. Grynkum* in diſpp. de *Epiſcopo Chriſtiano*; *Joh. Wilkinſonum in opuſculis* anno 1659. Oxoniæ editis in 8. *Perkinſum in Propheticâ & concione de miniſterio.* Præter iſtos indico vulgaribus linguis editos tractatus, *Sam. Hierom* concionem ad *Coloſſ.* 4. *v.* 17. *Petri Girardi Præparationem ad ſacrum miniſterium*, Gallicè, Franekeræ anno 1594. editam & ab Academiâ Francquer. approbatam; *Richardum Bernardum*, *de paſtore* Anglicè; *Wilhelmum Teelingium in Neceſſariâ demonſtratione*, Belgicè; cujus libri lectionem ſtudioſis & candidatis noſtris commendo.

Ex Pontificiis indico *Joh. Manteli* ordinis Eremit. *S. Auguſtini* libros duos de *officio Paſtorali* anno 1643. *Pauli Metezelli de ſancto ſacerdotio* libros quatuor anno 1631. *Joh. Fileſacum lib.* 3. *ſelector. tit. ſacerdos negligens. Judoci Clichtovei*, *opuſculum de vitâ & moribus ſacerdotum*, Pariſ. anno 1549., *Dionyſii Carthuſiani* opuſculum de ſtatu & vitâ canonicorum, ſacerdorum, &c. & *Gulielmi Pariſienſis* & *Hugonis de S. Victore tract. de clauſtro animæ*, & *Anonymi tract. cui tit. lavacrum conſcientiæ ſacerdotum*, Coloniæ impreſſus in 4. Libellus dictus *Stella Clericorum* quamvis monſtroſa inſpargat de digni-

Digitized by Google

dignitate ſacerdotis, nonnulla tamen habet ad vitæ ſanctitatem & officii fidelem præſtationem excitantur. Eſt mihi vetuſtus libellus Latinus in 8. cui tit. *Speculum & alphabetum ſacerdotum*, &c. ubi in frontiſpicio ſacerdos divaricatis tibiis depictus, teſſeris, aleis, poculis, cantharis, & Bertâ aut Metâ aliquâ circumſeptus, cum hâc ſubſcriptione.

, In diſſer figure erkennet man kranckheyt der Prieſtelicher nature.
, Nieman en ſal ſy dat vyſh judiciren. Sy ſullen ſelves das contemplîren. Sy ſynt der leyen beſte vrunt. Dat beſte offer vur Wen ſy
, Wollen ſy auch ſunderlich geven kunt.

, Declaratio ſignorum in figurâ.

, Hæc ſigna infirmitatum à planta pedis uſque ad verticem capitis, prô majori parte in me fuerunt nunc illuminatus Dei gratia in deteſtationem objicio (lege *abjicio*) Nam tunc juſtiſſime vivimus, ſi quę in aliis reprehendimus ipſi non facimus ut conſpiciens pericula aliena reddatur cautus ut cognitio erroris initium ſit ſalutis. Hauſi enim ex ſermonibus peritorum, ex lectionibus librorum atque religione, quod ſacerdos ſanctus non debet habere parvam coronam, longos crines, vagabundos oculos, os loquax terrena, camiſias in ſuperfluo ornatu colli, manicas ſciſſas pendentes, genitalia detecta, colores elatos, caligas diſcoloratas hæc omnia ſigna levitatis quibus mundo placere deſignat & conformari huic ſæculo nequam. Sed qua ſi triſtes ſemper autem gaudentes incedere jubentur, viliſſimus quippe qui præeſt dignitati & non ſanctitate. Item calceos ſine corio in ſuperficie. Birreta duplicata auriculis aſininis gerunt certi ut non ſit differentia inter laicum & ſanctum ſacerdotem, numquid geſtus hominis & habitus nunciant de illo: Et qualis unuſquiſque eſt talia loquitur & operatur, ex abundantia cordis, hæc ſigna non faciunt ideo levem ſacerdotem ſed oſtendunt. Item celebrare prô pecunia & raro celebrare eſt calicem effundere. Item mulieris faciem ſæpe ſine neceſſitate intueri perniciosiſſimum eſt. Non legere libros nec ſcribere vel utilia multiplicare calcatio eſt peſſima. Item ludere taſſeribus, cartiludio, pro deductione temporis utiliſſimi vel pecunia perditiſſimum eſt. Equales hauſtos (lege *hauſtus*) facere coram laicis beſtialiſſimum, cum ſcribitur modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus atque brutorum non poſſe rationem ſuum actuum divinorum reddere, &c. Utinam & Religioſi ex intuitu deſpecte cappe revocarent ad memoriam Chriſti arma, patientiam & humilitates quæ deſignat & unus alteri meliorem non optaret.

Claudius Soleri de juridica poteſtate ſacerdotum Moguntiæ 1618. & *Paulus Fraxinellus de obligationibus ſacerdotum* Coloniæ 1630. peculiare quid tendunt.

Ex antiquis indico *Ambroſium lib. 7. epiſt.* 44. *Chryſoſtomum in dialogis de ſacerdotio*, & *Nazianzenum in apologetico pro fugâ*, dum difficultatem muneris illius exaggerant, quædam ſuggerunt, quæ homines ad præparationem, ſuſceptionem, & executionem muneris illius inſtruere queant.

Inter intermediæ ætatis ſcriptores eſt *Rabanus Maurus*, *de Inſtitutione clericorum*, &c. Scripta liturgica & liturgias, commentaria in epiſtolas ad Timotheum & Titum, ad hæc acta & canones Conciliorum, denique Ordinem, ſeu conſtitutiones eccleſiaſticas, nominatim Belgii, Caſuiſtas & Canoniſtas, locorum commun. ſcriptores in *Bibliothecâ*, & alibi indicamus.

CAP. IV.

De Senioribus ſeu Presbyteris gubernantibus.

De Senioribus acturi.

I. *Præmittemus quædam præcognita.*

II. *Controverſiam principalem, de officio ſeniorum examinabimus.*

III. *Ad quæſtiones & Problemata reſpondebimus.*

§. 1. PRæcognita erunt duplicia: quorum priora explicabunt nomen; poſteriora ipſam rem. Quod ad nomen; *Senior* dicitur Gr. πρεσβύτερος; Hebr. זקן *zaken* ſenex (nomen non tam ætatis quam autoritatis: quomodo & apud Homerum Iliad. β dicuntur γέροντες iidem, qui ἀριστῆες.

Sunt ergo ſeniores vel politicè ſic dicti, vel eccleſiaſticè.

Politicè, ſunt ſenatores in civitatibus, aut conſiliarii in aulis, aut judices in curiis, &c. Erant autem illi ſeniores in Republ. Iſraeliticâ, 1. *vel* ſenatores & πρεσβῦται in quâque tribu, qui repræſentabant totum populum, quales *Exod.* 12. 21. quos puto dici principes familiarum, 1 *Paral.* 27. 1. coll. cum 2 *Paral.* 1. 2. Et principes populi 2 *Paralip.* 23. *v.* 20. 2. *vel*, ſenatores in quâque civitate aut municipio: de quibus 2 *Reg.* 10. 1 *Deuter.* 21. 2. 3. 6. 3. *Vel* lecti ex quâque tribu, & magno ſynedrio dati aſſeſſores: quos innui *Marc.* 11. 27. *Math.* 26 29. & 16. 21. cenſent doctiſſimi interpretes. Poſterioribus ſæculis politici primores aut præfecti, dicti ſunt ſeniores; ut in *Canone* 91. *Eccleſ.* Africanæ: & in *Marcellini ſententia*, ad finem Collat. Carthagin. Et poſtea ſub Carolo Calvo, ut in *capitulari Caroli Calvi p.* 69. edit. Sirmundi anno 1623. in 8. Quin ipſe Rex p. 8. 98. 78. 74. 429. *ſenior dicitur.* Apud Tertullianum Apogoletic. cap. 39. *præſi-*

Digitized by Google

dent prolati quique ſeniores. III. Qui una cum verbi miniſtris eccleſiæ alicujus inſpectioni præficiuntur: quæ vocis acceptio, quia controverſa eſt, ex profeſſo erit probanda. Et hic quidem uſus vocis in ſcripturâ. Apud Eccleſias olim in Bohemiâ poſt Johannis Huſſi matyrium collectas vox *ſeniores* notabat aliquem ętate & donis conſpicuum ex paſtoribus electum, qui ſuperattendentis & quaſi Epiſcopi munere fungebatur: quem gradu aliquo eminentię & curæ ſeu inſpectionis eccleſiaſticæ univerſalioris à reliquis paſtoribus, ut & munere ac nomine à *presbyteris* ſeu *cenſoribus morum* diſtinguebant: ut videre eſt in *Ratione Diſcipilinæ, ordiniſque eccleſiaſtici in unitate fratrum Bohemorum*, anno 1633. latinè editâ. Sed nos hic ſequimur ſpecialem vocis hujus acceptionem in ſcripturâ: cujus ſynonymæ, ſunt κυβερνήσεις 1 *Corinth.* 12. 28. προϊστάμενος *Roman.* 12. 8. & ſynechdochicè ἐπίσκοπος *Actor.* 20. 28. & ἐκκλησία *Math.* 18. *v.* 17. uti infra videbitur. In eccleſiis Hungaricis & Tranſſylvanicis *ſenior* dicitur primus & præſes inter concionatores cujuſque diſtrictus. Cujus poteſtas & officium ex iſtarum eccleſiarum canonibus eccleſiaſticis percipi poteſt.

Definitur autem ſenior, προϊστάμενος ſeu *præfectus curæ & Gubernationi eccleſiaſticæ, ordinario & publicè non docens.* Ejus functio à communi iturgiâ & conſtitutionibus Eccleſiaſticis in Belgio, nominatim in hâc Provinciâ receptis, ibidemque publicâ autoritate Illuſtr. DD. Ordd. munitis, his fere actibus circumſcribitur. I. quod ſigillatim attendunt gregi, hoc eſt nſpectionem & curam gerunt omnium & ſingulorum membrorum eccleſiæ, tum quod ad vitam tum quod ad doctrinam: quo referuntur tanquam nedia, viſitationes, alloquia, reprehenſiones, admonitiones, conſolationes, &c. II. Quod attendunt verbi miniſtris, tanquam ephori, advigilantes, ne in moribus, aut doctrinâ exorbitent; ſed ut debitè erga Deum, erga ſe mutuo, erga gregem ſuum, erga omnes qui intus & extra ſunt ſe gerant, omneſque miniſterii ſui partes publicè privatimque impleant. Idem analogicè extendi volumus ad Theologiæ & miniſterii candidatos, ſi qui eccleſiæ iſtius alumni aut membra. III. Quod communiter ſynedrium eccleſiaſticum una cum verbi miniſtris conſtituunt: ibique electiones ſeu vocationes & dimiſſiones eccleſiaſticas, cenſuras & diſciplinam; legationes ſeu deputationes (ad aliquem aut ad aliquos ex membris ſuis, aut ad alias Eccleſias, aut ad conventus eccleſiaſticos, aut ad Magiſtratum, aut ad religionis adverſarios); ordinarias aut extraordinarias gregis ſui viſationes; membrorum eccleſiæ receptiones & dimiſſiones; legum & conſtitutionum pro ſuâ eccleſiâ ſanctiones, alioſque gubernationis actus decernant & peragant. V. Quod miniſtris debita ſtipendia procurant: (*ord. eccleſ. art.* 11.) niſi ſcil. aliunde proſpectum ſit. Quod idem intelligi volumus de emeritis, ut &

 de

Digitized by Google

de viduis miniſtrorum. Vide *Conſtit. Eccleſiaſt. cap.* 1. *art.* 11. 13. v. Quod attendunt miniſtris extraneis, ut & miniſterii candidatis: ne ſcil. minus idonei, aut ſcandaloſi, aut ἄτακτοι verbi prædicationem, aut ſacramentorum adminiſtrationem in eccleſiâ ſibi commiſsâ uſurpent, *Ibid. art.* 15. vi. Quod interſunt ſynodis & cœtibus claſſicis; eoſque una cum verbi miniſtris conſtituunt: & de propoſitis quibuſque cauſis ac negotiis quod ad doctrinam & mores, ibidem pariter decernunt, & ad ſuas quique eccleſias referunt.

§.2. Status controverſiæ principalis hic eſt;

An tales ſeniores in eccleſiis conſtitui debeant: ſeu, an vocatio & functio eorum ſit legitima ac verbo Dei conſentanea, ſaltem non repugnans, & conſequenter eccleſiarum ædificationi ac regimini conveniens. Nos Aff. Sed negant Pontificii: Nec mirum; quum monarchiæ Papali, & Antichriſtianæ tyrannidi hic ordo δὶς διὰ πασῶν repugnet. Hinc eſt, quod paſſim tam virulenter eum inſectentur, & ludibrio Habeant. Ut videre eſt apud *Schultingium in Hierarchicâ Anacriſi*: ubi lib. 1. p. 4. 6. 8. eos vocat *merè acleros & laicos, nullâ legitimâ vocatione ordinatos*, & conſiſtoria eorum *ſeditioſa, conflata ex hominibus laicis:* politiam, *laicocephaliam*, & ſic Calviniſtas, *acephalos*. Hęc, aliaque iſtius commatis centies inculcat in cenſuris ad *Politiam Eccleſiaſtic. Zepperi;* item *Franciſci Junii*, & alterius Anonymi Rupellæ editi: imprimis ubi *lib.* 10. & 11. refutat ſynodos Nationales Gallicas & Belgicas. Cum quo concinunt autores ab illo citati *Sanderus de Clave David contra Acleros*, *Stapletonus in Antidotis ad* 1 *Corinth.* 12. Et in *compendiar. Relect. principior. controv.* 2. *qu.* 3. *art.* 5. ubi omnia noſtrorum argumenta conatur diſſolvere. *Matheus Galenus* Catecheſi 198. & 131. Idem in libro de origine vitæ Monaſticæ, & in libr. de ſacerdotio & ſacrificio c. 5. Quibus nos addimus duos recentiores, *Cudſemium*; *in notis ad cap.* 9. *Synodi Provincialis Ultrajectinæ anno* 1612. à Remonſtrantibus celebratæ. Et *Gulielmum Bologninum parochum* Antwerpienſem, qui anno 1630. contra miniſtros tunc Sylvę Ducis in plantatione eccleſiæ laborantes, inter alia argumenta ſumpto ab ordine ſeniorum, religioni noſtræ antiquitatem detrahere ſtuduit, *cap.* 6. Vernaculæ ſuæ Rhapſodiæ. Præter vulgata hæc dicteria Παπομφολύγων, ſubinde audiuntur ſuſurri novatorum aut Diotrephωn; qui ut doctrinæ puritati, pietatis integritati, humilitatis & ſimplicitatis ſpirituali excellentiæ, diſciplinæ eccleſiaſticæ vigori, non ita amici ſunt, ita & ordinem hunc cane pejus & angue oderunt & faſtidiunt. Morbo illo aliquâ ex parte afflatum fuiſſe *Grotium* conſtat ex *Pietate Ill. Ordd. Hollandiæ*, ubi *pag.* 57. & 65. 72. 75. 76. & ſcripturę & antiquitatis ſuffragio deſtitutos non obſcurè innuit. Et hæc quidem ex editione

Digitized by Google

tione minoris formæ. Editioni majoris formæ *pag.* 112. infarxit illud: *de presbyteris, hoc eſt alteris decurionibus.* Quin & Remonſtrantes noſtrates ſic in regimen & noſtrum & ſuum incurrunt in *Apologia cap.* 21. fol. 230. *Jure ſane ac merito presbyterorum hanc diſtinctionem in presbyteros docentes, & presbyteros regentes tantum novitium ὄνομα vir iſte clariſſimus* (Grotius ſcil.) *pronuntiavit. Nihil in toto* N. T. *eſt, quod diſtinctioni illi fundandæ ſufficit. Tota antiquitatis praxis ei repugnat; & non paucæ ſunt rationes, propter quas merito culpari debeat, niſi quidem neceſſitas eam exerceri poſtulet,* &c. Olim in Galliâ videntur aliqui (inter quos *Morelles*, ni fallor) ſeniorum autoritatem, & conſequenter totius ſynedrii abolitam voluiſſe; prætexentes à populo potioribus ſuffragiis eccleſiaſticum regimen debere adminiſtrari. Quorum ſententiam refutat Anonymus (*Anton. Zadeel*) in tractatu Gallico, cui tit. *Confirmatio Diſcipl. Eccleſ. obſervata in Eccleſiis reform. regni Galliæ.*

Nos contra Antagoniſtas modo cit. ordinem apud nos à principio reformationis uſitatum, & quidem tanto cum eccleſiarum noſtrarum applauſu, conſenſu & ædificatione, pro modulo tuebimur: proteſtati; 1. *nos* nolle aliorum hâc in parte diſſentientes politias, earumque profectus aut defectus examinare, proſtituere, exagitare. 2. *Præterea* momentum & pondus hujus controverſię majus non facere, quam aliarum, quæ circa externi regiminis eccleſiaſtici integritatem agitari ſolent; atque adeo minime æquiparare eam controverſiis de fidei dogmatis. 3. Demonſtrationes & conſequentias ex ſcripturis tam evidentes indicare; quæ ſi fundamentalibus fidei dogmatis fundandis forte non ſufficiant, ſaltem agendis & politiis eccleſiaſticis in praxi Apoſtolicâ indicandis.

Sit ergo 1. *Argum.* Ex 1 *Timoth.* 5. *v.* 17. Unde liturgia noſtra colligit, & Theologi infra citandi, fuiſſe quoſdam presbyteros, qui publicè & ordinario ex cathedrâ non docerent, ſed curæ & inſpectioni eccleſiarum una cum miniſtris præeſſent. Hanc enim diſtinctionem presbyterorum apertè indicari iſtis: μάλιστα δὲ οἱ κοπιῶντες, &c. Adverſus hoc argum. eſt. §. 3.

I. *Exceptio Stapletoni loc. cit.* & *Schulting. lib.* 11. *p.* 107. & *lib.* 10. *c.* 24. Et *Paludani* Theologi Lovanienſis in *Vindic. Theologic. part.* 2. Duplex innui genus ſacerdotum, quorum alterum ſacramenta adminiſtrat, alterum docet. Prius officium, quod tacet Apoſtolus, atque adeo hanc ſolutionem „ probari, *ratione*; quia certum eſt adminiſtrationem ſacramentorum preſ- „ byteris convenire, & hanc eſſe unam partem iſtius officii. Illam ergo „ multò probabilius intellexit, quam alteram noviter excogitatam & con- „ troverſam. Comprobatur autem hæc ratio, quia Chriſtus ipſe & Apoſtoli

la-

„ laborârunt pręcipuè in verbo & doctrinâ, ſacramenta autem rarius ad-
„ miniſtrarunt. Et adducit *Johann.* 4. & 1 *Corinth.* 1. Hæc ex Stapletono *Schultingius*, ex quo ſimilia fere deſcripſiſſe videtur *Paludanus.* Sed *Corn. à Lapide in Comm.* ſicco pede totum hunc locum tranſit, dubio nullo ad hunc textum nec moto nec invento.

II. *Except.* Ex *Autoritate Chryſoſtomi*, *Hieronymi*, *Ambroſii*, in commentar. ad hunc locum. *Reſp.* 1. *Tota* exceptio petit principium, ſumit enim quod probandum, fuiſſe ſcil. ab Apoſtolis conſtitutos ſacrificulos mutos (quales hodie plerique in Papatu) qui non docerent, ſed tantum miſſas celebrarent, aliaque Papalia ſacramenta adminiſtrarent. At tales nuſquam comparent in ſcripturâ, nec in primævâ antiquitate. Quin contra verbi & ſacramentorum adminiſtratio conjunguntur *Math.* 28. 2. 2. *Vetuſtiſſimorum* interpretum commentarii nulli exſtant; Et ex ſequioribus ſæculis paucorum commentaria in hanc epiſtolam comparent. Præterquam, quod tres illi qui adducuntur, ſcripſerint ad morem ſuâ ætate receptum; poſtquam exoleviſſet primigenius ille ſeniorum ordo, & in aliud quid degeneraſſet: quod non diffitetur commentarius ſub nomine Ambroſii, infra citandus.

III. *Except.* Eſt Sociniano-Remonſtrantium in *Apologiâ* cap. 21. fol. 230. & *Grotii*, qui illis præiverat, in *Bonâ Fide Sibrandi*, num. 82. quorum hic velit vocem eſſe emphaticam κοπιῶντας; & eâ diſtinctionem innui non presbyterorum in docentes & ſimpliciter προεστῶτας: ſed presbyterorum προεστώτων & docentium, in eos qui admodum laborant, & in alios qui non ita laborant. Cui exceptioni cum à noſtris occurſum eſſet, nominatim à *DD. Profeſſor. Leidenſib.* in *Cenſurâ Confeſſionis, ad artic. cap.* 21. *ſect.* 5. dicendo τὸ (κοπιῶντες) non eſſe διακριτικόν, ad presbyteros munus non æque gnaviter agentes; alioquin ſequi, ignavos etiam; duplici honore dignos eſſe.

Remonſtrantes in *Apolog. loc. cit.* effugio illi renuntiantes, aliud ſubſtituunt: Non intelligi hic τὸ *fideliter & gnaviter docere*, *oppoſitè ad eos*, *qui negligenter & perfunctorie in docendo occupantur*; *ſed cum magno labore, fatigatione*, *& curâ docendi provinciam ſuſtinere*, *ſive quia multi adverſarii*, *ſive quia multæ res graves occurrunt*, *quæ docenti magnam curam & laborem adferunt*, &c. *Reſp.* 1. poſſemus objicere ad imitationem *Grotii*, & ſimilium ἀρχαιολογοδιδακτικῶν, novæ hujus interpretationis εὕρημα in nullo conſenſu antiquorum interpretum, immò ne in uno quidem comparere: atque ita ſatisfactum eſſet (κατ' ἄνθρωπον ſc.) & ipſi Grotio, & Remonſtantibus, qui ibidem ſic pueriliter paraſitantur: *Si omnino res ita ſe haberet* (ut *Grotius* ſcil. primus ac ſolus ſententię hujus patronus eſſet) *non gravarentur confiteri*

Digitized by Google

teri *Remonſtrantes iſtius viri autoritatem*, *in rebus ad antiquitatem* (ſed quam? an eccleſiaſticam?) *& ritus priſcos pertinentibus, tanti apud ſe momenti eſſe, uti niſi graviſſimas rationes habeant, ſententiam ejus refragari noint.* 2. Vox κοπιᾷν in genere de miniſterio presbyterorum, ſeu ἐπισκόπων ſurpari ſolet: ita ut gradus aliquis eminentiæ aut ſpecificum quid in eâ ueri non debeat. Vide 1 *Theſſal.* 5. 12. ita ut idem ſint προϊστάμενοι & κοπιῶντες. dde *Johann.* 4. 38. 1 *Corinth.* 3. 8. 9. 2 *Corinth.* 10. 15. &c. Imprimis Corinth. 16. v. 15. 16. ubi συνώνυμως conjunguntur διακονία, συνεργῶν, κοπιᾷν. atio autem eſt, quia ædificare eccleſiam κατ' ἐξοχὴν eſt & dicitur κόπος, ον, διακονία, & ἔργον διακονίας *Epheſ.* 4. 12. Hinc etiam miniſtri vocantur ἐργάται operarii *Math.* 9. 38. & συνεργοὶ, σύνεργοι 1 *Cor.* 3. 9. & 2 *Cor.* 6. 1. eviter τὸ κοπιᾷν in hoc negotio, immo in profanis quibuſque functionis atque operibus ſignificat non gradum aut modum rei, ſed rem ipſam, n menſuram aut certam quantitatem laboris, ſed ipſum laborem ſpeci. hâc voce deſcriptum. Gradus excellentiæ ſeu emphaſis aliis vocibus erminantibus indicari ſolet, ut περισσότερον, πολλὰ (1 *Cor.* 15. *Rom.* 16.) aut additur τῷ κόπῳ μόχθος; hunc illo ſuperiorem ſtatuit. 2 *Cor.* 11. 2 *Timoth.* 3. 8. 1 *Theſſal.* 2. 9. 3. *Non* convenit hæc interpretatio ſcopo, ntecedentibus ac conſequentibus contextus. Quę enim occaſio gravio operas in prædicatione verbi à levioribus hic diſcernendi? Conſidere modo œconomia & connexio totius capitis. 4. *Denique* abſurdum hu nterpretamenti vel ex eo apparet: quod Paulus miniſterium τῶν καλῶς ῶτων καὶ διπλῆς τιμῆς ἀξίων πρεσβυτέρων à κόπῳ abſolveret. Qui laborioſiſ & moleſtiſſimo huic muneri tam proprius eſt, quam eclipſis lunæ; idem illud ſcriptura & patres communiter deſcribunt; atteſtante etiam erſali experientiâ. Atque hæ quidem principales ac communiores inetationes & exceptiones, quibus adverſarii confidunt: de quibus itemoneo, novas eſſe & antiquis interpretibus incognitas. Sequuntur iæ, ſed ἰδιωτικαὶ magis & minoris momenti, queis ipſi, qui eas adfe, non ita confidunt: ſaltem ab ejuſdem cauſę ſociis non ita recipiun.

7. *Except.* Presbyteri à Paulo deſcripti ſunt duplici honore digni, hoc duplici honorario ſtipendio digni (ut conſtat ex v. 18.) Atqui hoc yteris noſtris plerumque annuis aut biennalibus adſignari non ſolet, que aſſignari debere non conceditur. Ergo locus hic de presbyteris il intelligi poteſt. Remonſtr. *Apolog. cap. cit. Fol.* 231. *Reſp.* Argumenāne apud nos admodum ridiculum. In Papatu ubi officia eccleſiaſti & vocantur beneficia, dignitates, &c. aliquem colorem faceret. nos legitima vocatio & muneris functio, faciunt ad rationem mi-

niſterii eccleſiaſtici. Honorarium ſeu ſtipendium non magis ad illud facit quam quodlibet commune adjunctum, quod poteſt abeſſe aut adeſſe. Sublato enim aut poſito rei accidente communi, aut quocunque alio externo adjuncto, aut periſtatico; non tollitur aut ponitur ipſa res: ut nôrunt tyrones Dialectici. Sed inſtantiis abſurditas hujus axiomatis detegenda. Quibus ab eccleſiâ non tribuitur, (quia non poteſt aut vult) aut qui ab eccleſiâ non recipiunt, (quia propter certas rationes recipere nolunt) debita & licita ſtipendia, illi non ſunt Epiſcopi, presbyteri, miniſtri. Sed Paulus ab Eccleſiâ Corinthiaca non accepit ſtipendia (*1 Corinth.* 9,) ergo illi eccleſiæ non erat Apoſtolus, miniſter, &c. Quos membra eccleſiæ non habent ὑπερεκπερισσῶς in honore (juxta *1 Theſſal.* 5.) illi non ſunt προϊστάμενοι in Eccleſia. Sed Titum aut Mevium non habent; Ergo. Honor eſt in honorante non in honorato; juxta Philoſophum *lib.* 1. *Ethicor. ad Nicomachum c.* 5. Sic & olim in Eccleſia antiquâ, & in Eccleſiis Waldenſium, Bohemorum, multi καλῶς προεστῶτες ac ſupra plurimos alios in verbo laborantes non accipiebant duplicia ſtipendia: nec deſunt hodie, qui ejuſdem fere ſunt conditionis: Ergone hinc concludes, eos non eſſe miniſtros eccleſiaſticos?

Inſtant. Atqui non tantum non dantur ſtipendia ſenioribus: ſed etiam dari vetantur. *Reſp.* Hoc abſolutè falſum eſt. Quia ipſi ſeniores, quorum intereſſe, nec volunt nec petunt: & onera illa pro tempore tantum ſuſtinent; adhæc eccleſiarum noſtrarum rationes initio reformationis hoc ita non ferebant (quia miniſtris ſtipendia tunc vix conferri poterant); denique cum conſuetudinem hanc tot annorum uſu ſtabilitam, in multis eccleſiarum ædificationi inſigniter prodeſſe comperimus: nulla ratio *eſt* cur de mutatione cogitemus. Quamvis mutari nihil prohibeat, ubi Eccleſiæ alicujus judicio neceſſarium & majori ædificationi hoc fuerit.

V. *Except.* Particula μάλιστα eſt ἐξηγητικὴ, quâ declaratur quinam ſint καλῶς προεστῶτες presbyteri, & duplici honorario digni: qui ſcil. μάλιστα id eſt, plurimum laborant in verbo. Ergo non eſt διακριτικὴ: quæ diſtinguat presbyteros laborantes in verbo, à gubernantibus. *Reſp.* Si μάλιστα hic ſignificaret *plurimum*, *multum*, *valde*: non veró *præcipue*, *præſertim* cum dixiſſet μάλιστα κοπιῶντες ſeu οἱ μάλιστα κοπιῶντες; non vero μάλιστα δὲ κοπιῶντες. Vide 1 *Timoth.* 4. 10. *Tit.* 1. 10. ubi diſtinctionem facit, quamvis non adſit particula adverſativa δὲ 2. *Saltem*, hæc exegeſis minime conveniret otioſis & mutis ſacerdotibus, Beneficiatis ac Canonicis, Curatis non reſidentibus, Cardinalibus, & pleriſque Prælatis tam regularibus quam ſæcularibus; quos deſcribit *Iſidorus Clarius in 1 Timoth.* 3.

VI. *Except.* Per presbyteros non laborantes in verbo, intelligi poſſunt diaconi, qui pauperum curam gerebant. *Reſp.* 1. Hoc gratis dicitur. Cedo teſti-

Digitized by Google

teſtimonia & analogiam ſcripturæ, cedo antiquorum interpretum conſenſum; quo novum hoc εὕρημα probetur: diaconos ſcil. dici presbyteros καλῶς προεστῶτας. 2. *Quin* contra à προϊσταμένοις diſtinguuntur *Rom.* 12. 8. 3. *Repugnat*, etiam propriæ opinioni ipſorum, quâ ſtatuunt diaconos laborare in verbi, & ſacramentorum diſpenſatione.

VII. *Except.* Per presbyteros non laborantes intelligi poſſunt Rectores ſeu Magiſtratus minores, electi ad componendas controverſias, ſeu lites civiles, juxta 1 *Corinth.*6. 4. *Reſp.* 1. Novum hoc commentum toti ſcripturæ, & antiquitati incognitum, temporalem Clericorum poteſtatem ac juriſdictionem redolet, & Rempublicam in Republicâ conſtituit. 2. *Quod* ad *locum* 1 *Corinth.*6. intelligendus eſt de delectis arbitris, in quos litigantes conſentiebant; non verò de judicibus. Sic rectè interpretes noſtri *Calvinus*, *Martyr*, *Pareus*. Quod autem poſtea hoc judicium commiſſum fuerit presbyteris & Epiſcopis (juxta *Pſeudo-Clementem epiſt.* 1. *ad Jacobum*, & *Jus Canonicum* 11. *qu.* 1. *c. quicunque* & c. volumus) id incommodo ſuo non caruit; nec uſquequaque cum *Luc.*22. 25. & 2 *Timoth.*2. 3. conveniebat. Hinc eſt, quod poſtea Epiſcopi ad Chriſtianos Magiſtratus hoc rejecerint. Vide *comment. Parei*, & *Cornelii à Lapide in* 1 *Cor.*6.

VIII. *Except.* Poſſe hunc locum intelligi de Epiſcopis ſeu presbyteris ſenio confectis, qui non poſſunt laborare in verbo. At quo jure dicentur illi καλῶς προεστῶτες; cum προστασία ſeu præfectura, fundamentaliter conſiſtat in verbi diſpenſatione? Nota ſunt aurea verba Gregor. Magni: *Paſce verbo, paſce exemplo, paſce ſubſidio*, &c. De quo pluribus in *Deſper. Causâ Papat. lib.*2. *ſect.*2.

IX. *Except.* Apoſtolum velle, ut miniſter non tantum bene præſit, hoc eſt piè vivat (ſic enim vox προΐστασθαι uſurpari videtur *Tit.* 3. 8.) ſed etiam laboret in verbo. *Reſp.* 1. *Vox* καλῶς προΐστασθαι ſeorſim poſita non notat, ſe probè gerere, ſed conjuncta cum καλῶν ἔργων, uti *Tit.* 3. 8. 2. Et, ſi dicatur προΐστασθαι καλῶς, qui aliis exemplo pietatis præit; deberet addi ſubſtantivum *Eccleſiæ*, aut *populus*, aut *grex*, aut *fideles*, aut ſimile quid, ut dicatur; *Qui gregi bene præſunt*. 3. *Non* ſunt omnes illi, duplici honore (hoc eſt, ſalario aut ſtipendio) digni in Eccleſiâ quâlibet, qui probitatis exemplo aliis præeunt. Tam mercenaria non eſt pietas fidelium. Immo ne ipſis miniſtris κοπιῶσιν hoc eſt, juxta novam interpretationem adverſariorum, majori cum diligentiâ aut fatigatione & moleſtiâ in opere docendi ſe conficientibus, ex juſtitiâ debentur ab eccleſiâ luculentiora ſtipendia. Quis enim tantus & redituum & κόπων in eccleſiis arbiter, qui proportione geometricâ, divideret & cuique aſſignaret ſalaria κατὰ τὸν ἴδιον κόπον. Quam infinitæ hinc æmulationes, contentiones, lites?

X.

X. *Except.* Καλῶς προεστῶτες poteſt referri ad eos paſtores qui in quâque eccleſiâ reſident, atque uni loco affixi ſunt: κοπιῶντες verò ad eos qui eccleſias inviſendi & confirmandi gratiâ, huc illuc commeant. *Reſp.* 1. Sed quomodo hęc interpretatio convenit cum ſcopo & œconomiâ contextus? Apoſtolus agit de ordinariorum presbyterorum miniſterio & honore, nominatim in Eccleſiâ Epheſinâ; & ſic de aliis agendis eccleſiaſticis ibidem; ut ſciret Timotheus quomodo verſandum eſſet in domo domini. De Euangeliſtis varias regiones & eccleſias obeuntibus nulla hic dicendi occaſio: quaſi diceret, (ut volunt adverſarii) *Presbyteri duplici honore digni ſunt; maximè verò Euangeliſtæ.* 2. Miniſtri qui in quâque eccleſiâ reſident, propriè dicuntur προϊστάμενοι, ſecundum ipſos adverſarios. Ergo τὸ καλῶς προεστῶτες non poteſt comprehendere Euangeliſtas, qui nulli gregi pręerant. 3. Apoſtolus 1 *Theſſal.* 5. 12. 13. eoſdem facit προϊσταμένους & κοπιῶντας. Ergo nulla ratio, per has voces hic eos diſcriminandi: cum tantum diſcrimen ſtatuatur in materiâ, circa quam verſatur quorundam προεστώτων labor; quia quidam laborant in verbo & doctrinâ. 4. Fæminæ quædam dicuntur κοπιῶσαι *Rom.* 16. 6. 12. ob privatam operam in fide propagandâ; quidni ergo in genere τὸ κοπιᾷν tribuatur presbyteris ob publicam & privatam.

XI. *Except.* Notari hic, non duas presbyterorum ſpecies, ſed duo presbyteri ſeu miniſtri cujuſque officia; quorum unum eſt generale conſiſtens in impletione totius muneris ſui; alterum ſpeciale conſiſtens, in verbi diſpenſatione. *Reſp.* 1. Gloſſa non convenit textui. Neque enim dicit Apoſtolus: *maxime quia laborant*; ſed, *maxime qui laborant in ſermone.* Si priori modo locutus eſſet Apoſtolus, tum presbyteros docentes tantum intellexiſſet. Jam verò cum poſteriori modo loquatur: *maximè qui laborant*, diſtinguit perſonas ratione muneris. 2. Si τὸ καλῶς προεστῶτες comprehendit, etiam laborem in ſermone & doctrinâ (quod vult, & præſupponit hæc adverſariorum interpretatio); tum ſequeretur digniorem eſſe honore duplici eum, qui in unâ parte officii ſui (in ſermone ſcil. & doctrinâ) laborat, quam qui in omnibus κοπιᾷ & καλῶς προΐσταται. Quod ſane eſt abſurdiſſimum; quippe involvens contradictorium iſtius: *Totum eſt majus ſuâ parte.* Atque hęc ſunt per multas ambages, & ſalebroſas atque αἰνιγματώδεις ſubtililates longè quæſita interpretamenta: ſed fruſtra; cum plano & concinno ſenſu aptari nequeant ipſi contextui; nec illorum architecti in iis acquieſcant, ſed inter ſtuporem μορμολυκεῖον antiquitatis atque uſus ſequiorum ſæculorum, & inter liquidam veritatem ſuſpenſi hæreant. Nos clauſis oculis ad omne illud quod poſterius eſt (ut quidem in multis aliis ipſi adverſarii facere coguntur) antiquam hanc veritatem & praxin in textu cit. contemplamur: Omnes bene προεστῶτες maxime autem in verbo laborantes,

:s, duplici (hoc eſt multiplici ; uti *Jer.* 17. 18. *Eſa.* 40. 2.) honorario
u præmio, immo & integro ſubſidio eſſe dignos pro re nata. Pro quà in-
:rpretatione faciunt præſtantiſſimi interpretes *Calvinus*, *Beza*, *Marloratus*,
'aneus, *Piſcator*, *Deodatus*, &c. qui conſulendi.

II. *Argum.* Depromit liturgia noſtra ex *Roman.* 12. *v.* 8. ubi per §. 4.
ὁι προϊσταμένους à reliquis miniſtris diſtinctos innuitur præfectura aliqua eccleſia-
ica. Diſtribuerat enim omnes functiones eccleſiaſticas in duo genera,
ıorum alterum ad inſtitutionem pertinebat; quod vocat prophetiam, alte-
m ad regimen & diſciplinam, quod vocat διακονίαν, id eſt, miniſterium.
d illud refert doctrinam & exhortationem, ad iſtud 1. diſtributionem
aconorum 2. gubernationem ſeu proſtaſiam ſeniorum, 3. commiſeratio-
:m eorum (etiam fœminarum ſeu viduarum 1 *Tim.* 5. qui ſpeciali ratio-
peregrinos, ægrotos, &c. curabant. Vid. *comm. Calvini*, *Martyris*,
zæ, *Grynæi*, *Oleviani*, *Fayi*, *Gualteri*, *Oſiandri*, *Parei*, *Willeti*. Etiam
leti & *C. à Lapide.* Adverſus hoc *arg.*

1. *Except.* Pręſidentiam hic generaliter propoſitam, intelligendam de
esbyteris & epiſcopis; quod probatur ex 1 *Timoth.* 5. 17. & 2 *Cor.* 11. 28.
i Paulus, cum eſſet Epiſcopus, ſibi hanc ſollicitudinem incubuiſſe affir-
at. Sic *Scultingius l.* 10. *c.* 28. & ex eo de verbo ad verbum *Joh. Paluda-
s lib. ſupra cit. Reſp.* 1. Petitur quod eſt in quæſtione, & probatur igno-
m, per multo magis ignotum. De ſenſu loci 1 *Timoth.* 5. jam diximus. Ad
:um 2 *Corinth.* 11. reſpondemus Paulum quidem, non tanquam Epiſco-
m, nedum ut Epiſcopum Papalem (quem tamen non dicent omnes ec-
ſias curare) ſed tanquam Apoſtolum communiter curam geſſiſſe omni-
ı eccleſiarum : Quod nos non negamus ; nec ullo modo prohibet, ut
n ſint alii in eccleſia προεστῶτες, quibus cura regiminis incumbat. 2. Ex
:tu liquet, Apoſtolum munus & functionem aliquam indicare à diaco-
ı, paſtorali curâ, & docendi munere diſtinctam : quę eſt presbytero-
:n, de quibus nunc agimus.

II. *Except.* Per προϊσταμένους intelligitur non tam paſtor ſeu prælatus, qui
eeſt in ſpiritualibus; quam præfectus, qui præeſt rebus temporalibus &
:ernis, quales erant archidiaconi, qui præerant cæteris diaconis elee-
ıſynariis & hoſpitalariis. Sic *A Lapide in commentar. Reſp.* Ex formâ
am videt in Papatu, aut in eccleſiâ ſequiorum ſæculorum, interpreta-
: textum Pauli : ſed ſine ſcripturæ, ſine primæ antiquitatis ſuffragio, aut
nimo indicio. Poſſet eâdem operâ diaconos Cardinales, magnum Gal-
Eleemoſynarium Perronum, Equites Hoſpitalarios Hieroſolymit. cum
gno ſuo Magiſtro, Papæ camerarium, magnumque pœnitentiarium,
ſimilia hinc exſculpere. Sed valeant hę novitates.

III. *Except.* Functiones in eccleſiâ ordinariæ ac perpetuæ, cum extraordinariis & temporariis chariſmatis confunduntur: quæ poſteriora tamen privatis Chriſtianis, immo & fæminis communicari ſolent. Sic *Daniel Tilenus in Paraneſi ad Scotos diſciplinæ Genevenſis Zelotas:* poſtquam in ordinem & doctrinam eccleſię Gallicanæ invectus, jam miſerè ab ea & univerſa reformata apoſtataſſet. Cui rei fidem faciunt horrenda & blaſphema ipſius ſcripta gallicè & latinè ab illo tempore edita. *Reſp.* Sed explicandum erat quæ & qualis hęc eſſet confuſio noſtra, inſuper docendum loc. cit. voces illas aut omnes, aut aliquas, neceſſario intelligendas eſſe de chariſmatis extraordinariis, & non de miniſteriis ordinariis. Certe vox *chariſma* ſeu *charis* hic optimè notare poteſt miniſterium ſacrum *v.* 6. quomodo *Rom.* 12. 3. & 1. 5. 2. Ipſe Grotius confundit chariſma, cum διακονίαις, miniſteriis; & cum ἐνεργήμασι, id eſt, operationibus & effectis: quæ tamen accuratè diſtinguenda. Sic ex. gr. miniſterium ſeu munus eſt, doctoratus, donum & aptitudo ad docendum aut ordinarium, aut extraordinarium, prophetia ſcil. & linguæ: ipſum ἐνέργημα τὸ docere aut prophetare, ſecundum miniſterii ſeu muneris impoſiti conditionem, & doni didactici modulum ac menſuram. Sed hæc diſtinctio imprimis facit ad explicationem 1 *Corinth.* 12. de quo nunc agendum.

§. 5. III. *Argum.* Docet liturgia noſtra ex 1 *Corinth.* 12. *v.* 28. Ubi voce κυβερνήσεις i. *gubernationes* indicatur miniſterium à Doctoribus, & adjutoribus dictinctum. Contra eſt.

I. *Except.* Nec civilem nec eccleſiaſticam aliquam gubernationem ſtatam & ordinariam ſignificari, ſed donum quoddam extraordinarium, „ utpote judicandi inter fratrem & fratrem 1 *Corinth.* 6. qualia ſunt & „ præcedentia ibidem & ſubſequentia dona. Sic *Schulting. lib.* 10. *c.* 27. qui tamen huic exceptioni non fidens, mox ſubjicit, rectiſſimè intelligi ordinarios miniſtros, eccleſiarum ſc. adminiſtratores; qui ſint parochiales ſacerdotes (ut *Thomas* exponit) quibus committitur gubernatio particularium plebium; per doctores, intelligi paſtores; per *opitulationes*, Archidiaconos, qui in generali regimine opem ferunt epiſcopis. Idem nec huic fidens concludit (ut & Paludanus part. 2. p. 192. [*Non debet in uno verbo tam ambiguo gradus eccleſiaſticus fundari.* *Tilenus* primo, neſcio quid, incruſtat de chariſmatis: Deinde addit: Quid propriè fuerint illæ „ ἀντιλήψεις, κυβερνήσεις, δυνάμεις etſi nemo fortaſſis hodiè penitus intelligat; „ nemo tamen niſi qui peponem cordis loco habet, veſtros presbyteros „ vocabulis illis deſignari exiſtimaverit. *Reſp.* 1. non omnia eſſe data extraordinaria conſtat ex doctoratu ibidem nominato, & fateri coguntur adverſarii. 2. Quod de parochis ex *Thomâ* adfertur probatione caret; quin

&

k textui repugnat: parochi enim indicantur nomine Doctorum, cum :nt Doctores, & paſtores (quos eoſdem eſſe agnoſcit ibid. *Schultingius.*) Rurſum hęc interpretatio ſcripturæ non eſt ex ſcripturâ; ſed ex praxi Romanæ eccleſiæ, & fidę currente (juxta doctrinam Cardinali *Cuſani*) deromta eſt. Quod ὕστερον πρότερον in Theologis antiquariis Romano-Catolicis, aliiſque antiquitatis nimiis admiratoribus, &, ita loquar, adoratoribus. „ Quare (*inquit Cuſanus epiſt. 7. ad Bohemos p. 587.* nec mirum ſi praxis eccleſiæ uno tempore interpetatur ſcripturam uno modo, & alio tempore alio modo. Nam intellectus currit cum praxi. Intellectus enim, qui cum praxi concurrit, eſt ſpiritus vivificans. Et paulo poſt pag. 858. Sequuntur ergo ſcripturæ eccleſiam, quæ prior eſt, & propter quam ſcriptura, & non è converſo. Quomodo patres intelligi, & flecti :lint ad præſentem eccleſiæ Romanæ ſenſum & praxim, notavimus in *part. ſelect. diſpp. tit. de patribus*, &c. §. 5. 6. 7. *Reſp.* 3. Extraordinarium onum dijudicandi inter fratrem & fratrem, ex ſcripturâ cit. non liquet: ain potius contrarium; quod ſcil. fuerit & adhuc ſit ordinarium dom. 4. In uno hoc verbo ambiguo (ut quidem ipſi velint) neutiquam ndamus presbyteratum noſtrum: quod oſtendunt argumenta à noſtris ata. Et hic non ex uno verbo tantum, ſed ex toto contextu concluinus: Cum gubernatio perpetuo eccleſiis ſit neceſſaria, & Deus ad hoc ntulerit chariſmata extraordinaria & ordinaria (itidem ut prophetiæ & ctrinæ;) ſequitur inſtitutum eſſe gubernationis ordinarium ac pecu:e miniſterium huic chariſmati analogicè reſpondens.

IV. *Argum.* Educit Liturgia. Ex *Math.* 18. 17. cum quo conferimus *orinth.* 1. *v.* 6. Ubi eccleſia & πλείονες notant collegium aliquod πρεσβυτῶν: os omnes in quâque eccleſiâ fuiſſe Epiſcopus ſeu Presbyteros laboranin verbo, non eſt dicendum. Sed contra excipitur. §. 6.

I. *Except.* Per eccleſiam, non multitudinem in ſe, ſed virtute intelliidam, id eſt caput multitudinis, in quo ipſa continetur. Breviter intelli-Epiſcopum, qui virtualiter eſt eccleſia *Schulting. lib.* 10. *c.* 29. *Bellarmi-* per eccleſiam intelligit Papam; qui ſcil. eſt eccleſia virtualiter. *Reſp.* Satis erque hæc exceptio refutata eſt ab Antagoniſtis Pontificiorum: itaque eam tranſimus.

II. *Except.* Intelligi Senatum politicum. Sic *Eraſtus*: quem ſolidè refut *Beza.* Nec eſt quod hic repetamus.

III. *Except.* Intelligi promiſcuam eccleſię multitudinem. Sic quonn nonnemo in Galliâ; nec deſunt hodie, qui regimen eccleſiæ ad muldinem referendum exiſtiment. Eorum opinionem excuſſam vide, liſupra cit. *Zadeelis confirmatio Diſciplinæ*, &c. *part.* 4. *artic.* 2. *puncto.* 2. *p.* 174.

p. 174. 195. Porro loci hujus vindicationem pro collegio ſeniorum fusè & eruditè proſecutus eſt *Gerſon Bucerus* in *Diſſert. de Gubernatione eccleſia* à *p.* 39. uſque 83.

§. 7. 5. *Argum.* Sumit liturgia, ex analogiâ regiminis eccleſiaſtici in V. T. Ut enim ibi levitæ tanquam coadjutores in miniſterio tabernaculi adjuncti erant ſacerdotibus, ſic convenit in N. T. ſeniores in inſpectione & curâ animarum ac regimine eccleſiæ adjungi verbi miniſtris. Ratio analogiæ & conſequentiæ inde potiſſimum peti poteſt: quod *Math.* 18. 1 *Cor.* 16. & 1 *Timoth.* 4. & 5. & paſſim in N. T. gradus & nomina miniſtrorum ac ſacrorum conventuum dictam analogiam prę ſe ferant.

Sed imprimis urgent *Bucerus pag.* 48. 49. 53. 54. &c. Et *Sopingius* contra *Bonam Fidem Sibrandri p.* 261.-266. & *Didoclavius in Altari Damaſceno pag.* 936.-941. Fuiſſe duplicia ſynedria apud Judæos, politica & eccleſiaſtica: quę rebus, perſonis, actionibus diſtincta. Utraque autem fuiſſe & majora ſeu ſuprema Hieroſolymis; (de quibus 2 *Paralip.* 19. & *Pſal.* 122.) & minora ſeu ſubordinata in ſingulis civitatibus; ubi curiæ politicæ erant in portis, & judicia eccleſiaſtica in ſynagogis. Conſtitiſſe autem judicia ſeu ſynedria eccleſiaſtica ſive Hieroſolymis ſive in aliis civitatibus, non tantum ex Levitis & ſcribis, ſed etiam ex piis ac honoratis civibus, colligitur, ex *Math.* 16. 21. & 26. 3. 59. & 27. 1. Et ex *analogiâ*; quia politica ſenatorum & civium ſynedria habebant aſſeſſores quoſdam ex Levitis: uti teſtatur *Joſephus Antiquit. Jud. lib.* 4. *c.* 8. Sed contra hoc argumentum excipitur.

I. *Except.* Fuerunt ſynedria iſta Judæorum, imprimis ſupremum Hieroſolymitanum, merè politica. *Reſp.* refutatur. 1. *Ex* 2 *Paralip.* 19. ubi duo regimina & judicia ſtatuuntur, & rebus ſeu cauſis, ac præſidibus ſuis diſtinguuntur. 2. *Quia* politica poteſtas Judæis tempore Chriſti erat ablata, imprimis in criminalibus: itaque dicendum eſt concilium illud, coram quo ſtetit Chriſtus, eccleſiaſticum; Imprimis etiam, quia in eo præſidebat Cajaphas ſummus ſacerdos: atqui in Sanhedrin politico prę ſidebat perſona Politica.

II. *Except.* Conflata erant, quæ duo & diſtincta ſtatuuntur collegia, in unum, quod mixtum erat ex ſtatu eccleſiaſtico. & politico. *Reſp.* Potuerunt aliquando conjungi, cum cauſæ erant mixti fori: non tamen confundebantur, aut in unum Concilium coaleſcebant. Vide *Bertramum de Polit. Judaic. c.* 11.

„ Conſtituit etiam Judices Jeroſolymis ex Levitis, & Sacerdotibus, &
„ Capitibus patrum Iſraelis, partim ad judicium Domini, id eſt, Eccleſiaſti-
„ cum: partim etiam ad litem, id eſt, ad judicium civile.

Diſtin-

„ Diſtinguuntur nimirum his verbis Judicia duo Eccleſiaſticum, & Ci-
„ vile. Similiter explicat *l'Empereur in annot. ad Bertramum*. Quomodo turbato rerum ſtatu, aut in primâ orgine & conſtitutione politiæ & eccleſiæ, aut quacunque alia in neceſſitate, collegia ſenatus & presbyterii, aut utriuſque per delegatos convenire & in commune conſultare haut inſolens eſt. Uti reformati in Galliâ, cœtus mixtos ex eccleſiaſticis & politicis celebrare ſolent, uſque ad annum 1624. incluſè.

III. *Except*. Etſi probabile videatur juxta loquendi formam, ad ſenio-
„ rum ſenatum, qui apud Judeos erat, Chriſtum reſpexiſſe, certum ta-
„ men eſt, quod ſenſus verborum ejus non ad Judaicam, ſed ſuæ futuræ
„ eccleſiæ politiam reſpexerit, *Schulting. lib. cit. cap.* 30. addunt alii ſynagogam à Chriſto rejectam & condemnatam; itaque ſuos eò non miſiſſe; nec ſucceſſionem illius politiæ eccleſiaſticæ, per analogicam imitationem & aſſimilationem ejus in N. T. ſanciviſſe. *Reſp.* Non ſynagogam, aut regimen aut politiam ejus condemnavit; ſed abuſus tantum: ut conſtat ex *Math.*23. 1. *Deinde* abrogari voluit in eccleſiâ N. T. ordinem & ritus typicos & adumbrantes tantum: non verò alios, qui ad bonum ac decorum commune, aut ſpeciale eccleſiaſticum faciebant: Illos enim aut eoſdem in ſpecie & formâ, aut ſaltem analogiâ retineri voluit.

VI. *Argum.* Adfert liturgia noſtra ex jure & ratione naturali, præſuppoſito jure divino. Vult Deus omnem dominatum, omnem monarchiam ab Eccleſiæ regimine arceri: ut ſolum monarchicum regimen maneat penes Chriſtum. *Luc.*22. 25. 26. 1 *Cor.*3. 5. 2 *Cor.* 1. 24. 1 *Petr.*5. 3. *Math.*23. 10. 11. in ipſis eccleſiæ membris ſit Ariſtocraticum, admixtâ aliquâ democratiâ. De quo ex profeſſo Antagoniſtæ *Bellarmini* ad *lib.* 1. *De Pontifice cap.* 5. 6. 8. 9. Jam vero hæc primaria & commodiſſima ratio eſt, τῶν φιλοπρωτευόντων conatus impediendi, typhum ſeculi reprimendi, tyrannidem arcendi. Atque hæc argumenta quæ ſuggerit liturgia: addimus nos unum atque alterum. Sed prius exceptiones tollendæ. §. 8.

I. *Except.* Aliâ ratione abſque hoc ordine ſeniorum, dominatum & typhum poſſe præveniri. *Reſp.* Rationem illam ego hactenus videre non potui. Ex quo enim tempore eſſe deſierunt hi ſeniores, meris contentionibus & ſubreptionibus de primâ ſede occupandâ; epiſcoporum & Doctorum æmulationibus, ἰδιοσυγκεφαλίαις, & ſic tandem fidei, morum, diſciplinæ novitatibus & ἀταξίαις omnia æſtuârunt.

II. *Except.* Ubi unus paſtor, aut collegium presbyterorum docentium præeſt eccleſiæ; ibi non majus periculum dominationis, quam ubi ſeniores. *Reſp.* 1. Collegium presbyterorum docentium in paucioribus eccleſiis parochialibus haberi poteſt: itaque exceptio hæc ſufficit. 2. Et ubicum-

que illud eſt; non tamen ſuſpiciones, ęmulationes, & contentiones mutuæ (quę inter homines literatos, imprimis ejuſdem profeſſionis & ſtudii, nominatim etiam inter Theologos non raro oriri ſolent) tam facile reſtringui, aut ſopiri, aut everti poſſunt ab iiſdem collegis; nec idiotica ſtudia, conſilia, ſuffragia ſingulorum ita temperari; Exanthemata & exorbitantiæ tam bene inhiberi aut ſiſti: ac à reverentiâ, prudentiâ, & moderatione ſeniorum, quod prudentiores, & harum rerum gnaros experientia ſatis docuit.

§.9. VII. *Argum.* Ex jure naturali & ratione: pręſuppoſito jure divino. Quia populus, ab omni conſcientiâ & communicatione rerum eccleſiaſticarum non poteſt aut debet excludi: ut ſupra *part.* 1. *lib.* 1. *tr.* 1. & *parte* 2. *lib.* 1. Et apud nos extra controverſiam ponit illud electio ſeu vocatio paſtorum, ſeniorum, diaconorum; item rationes diaconorum; denique excommunicatio, & ſi quæ ſunt ſimilia. Jam vero jus populi non minus conſervari poteſt quam per ſeniores ex corpore populi & quidem per populi ſuffragia, aut ſaltem non ſine illis conſtitutos. Sunt enim illi, quaſi medii inter paſtores & populum: & tanquam minus ſuſpecti ac magis extra partes conſtituti, alterius partis injuriam ab alterâ facilius avertunt; nec alterutram ab alterâ opprimi ſinunt; ſed tanquam mediatores ſciſmata, diſceſſiones, & abalienationes ſalubri conſilio pręveniunt, ſcandalis occurrunt.

§.10. VIII. *Argum.* Sunt & aliæ quamplurimæ hujus ordinis ac miniſterii utilitates, quæ partim ex ſupra dictis, partim ex infra dicendis deſumi poſſunt. Quæ una cum *argum.* 6. & 7. validè concludunt: quidquid eſſet de immediato jure divino, aut jure eccleſiaſtico eccleſiæ Apoſtolicæ (quod tamen hactenus probavimus) ſaltem jure poſitivo eccleſiaſtico, ac per conſequens jure divino permiſſivo poſſe & debere hunc ordinem in eccleſiâ venerabilem eſſe, quia tantum confert ad ejus ædificationem. Sed contra excipitur.

1. *Except.* Per paſtores, & presbyteros docentes omnia illa peragi poſſe; & quidem multo melius: itaque non eſt quod talis ordo ſeniorum introducatur, aut retineatur. *Reſp.* 1. Si unus eſt paſtor. Neg. Nam; quod eſt in proverbio, Εἷς οὐδεὶς ἀνήρ, & quod Salomon *Eccleſiaſt.* 4. 10. 12. & *Proverb.* 15. 22. id ſpirituali huic regimini imprimis applicandum eſt. 2. Quod ſi plures ſint paſtores, qui ſoli ſynedrium conſtituant: Negamus ab illis (ut homines ſumus) ſemper, aut etiam ut plurimum hæc ſequentia tutius ac commodius curatum iri, quam ſi ſenioribus ſtipati ſint. Ex. gr. cum populi privilegia tuenda, querelis ac poſtulatis ejus cedendum aut concedendum; contra ejuſdem iniquis querelis, & ſcandalis acceptis

(pre-

(præſertim iis quæ perſonas aut functionem miniſtrorum concernunt) obſiſtendum, iſque de iis convincendus; Magiſtratus miniſtris infenſus placandus, augmenta ſtipendiorum apud populum aut Magiſtratum procuranda; cenſura ac diſciplina in miniſtros ἀτάκτους exercenda; eorum contentiones, ęmulationes (quas è ſcholis in eccleſias nonnunquam inferunt) & gliſcentes factiones ſedandæ; exceſſus in partium ſtudiis, & zelus immoderatus temperandus? onera ac labores in ſermone & doctrinâ aliiſque agendis eccleſiaſticis ſive augendi, ſive minuendi: Gratia aut odium ſive miniſtrorum, ſive Magnatum, ſive plebeiorum declinanda, aut ſuſque deque habenda; cenſuræ in quoſvis ſtringendæ: & ſimilia quamplurima. Quis neget in his conſultandis & decernendis tutius & commodius verſari miniſtros, ſi ſeniorum auxilio & autoritate utantur: qui in pleriſque illis ut magis extra partes poſiti, ita ſæpè minus odioſæ, minuſque ſuſpectæ ipſorum deciſiones: Ita ut, quod ille de Conciliis, nos merito de hoc ordine pronuntiemus: *Seniorum ſemper ſaluberrimam in Eccleſiâ fuiſſe autoritatem.* Quod ut olim ab initio reformationis, & deinceps; ſic inprimis tempore ſciſmatis Remonſtantici expertæ ſunt eccleſiæ noſtrę: cum miniſtris non paucis & veteranis & junioribus partim ſeducentibus & ſeductis, partim propter ſtipendia, ſubſidia, & honoraria nimium conniventibus ac diſſimulantibus: ſeniores paſſim pro doctrinę & diſciplinæ integritate, proque eccleſiæ conſervatione decertarent. Quod de miniſtris dico, fidem faciet exauctoratio ſeptuaginta præter propter in auſtrali Hollandiâ, idque propter violatam aut doctrinæ puritatem, aut regiminis & diſciplinæ ἀταξίαν, Sed infra in ſolutione objectionum aliquid pręterea de utilitate ſeniorum dicendum.

IX. *Argum.* Ex *Actor.* 15. *v.* 6. 22. & 16. 4. & 21. 18. quod innuunt §. 11. *D. D. Profeſſ. Leidenſ.* in *Cenſurâ Confeſſ. Remonſtr. c.* 21. Ubi præter προεστῶτας laborantes in ſermone & doctrinâ, (qui illic erant Apoſtoli: illis enim peculiariter hoc commiſſum *Actor.* 6. 2. 4. nominantur ſeniores: qui abſolutè & abſque ullâ adjectione ſic dicti non ſunt docentes: propter rationem jam dictam. Sed contra excipitur.

1. *Except.* Ex *Actor.* 20. *v.* 20. 28. conſtat fuiſſe, eos docentes: quia habetur: *paſcite gregem. Reſp.* Non ſequitur. Nam. 1. τὸ *paſcere* eſt generale, & ad omnes miniſterii actus extenditur. Et ſic ſeniores ſuo modo paſcunt, etiam docendo & inſtruendo: quamvis publicè non conſcionentur. 2. communiter poteſt dici collegia conflata ex verbi miniſtris & ſenioribus, docete, ſeu inſtruere eccleſiam; quamvis ſtricte dicti ſeniores non docerent: Quomodo communiter tribui Leviticæ illa tribuuntur; quorum aliqua tamen ſacerdotibus erant peculiaria. Vide *Deuteron.* 33. 10. & 10. 8. 2 *Paralip.* 29. 4. 5. 11.

11. *Except.* Presbyteros illos, quorum mentio in *Actis Apoſtol.*, non fuiſſe gubernantes, quia *Actor.* 14. 23. coll. cum *Tit.* 1. 5. 9. doctrina illis tribuitur; & ordinatio miniſtrorum, cum impoſitione manuum 1 *Tim.* 4. 14. *Reſp.* 1. Si locis citatis non intelliguntur noſtri ſeniores; ſed tantum verbi miniſtri: ergo nullibi, ne quidem 1 *Timoth.* 5. *v.* 17. intelligendi ſunt. Quæ hæc conſequentia? 2. *Poſſunt* illis locis etiam intelligi. Nam διδακτικὸν eſſe, etiam in illis requiritur; quia ſuo modo docent, cum exorbitantes in doctrinâ, aut moribus redarguunt; quoſvis etiam datâ occaſione aut ſinguli privatim, aut collectim in & cum collegio presbyterii ſive publicè, ſive privato publicè admonent, & convincunt. Docent ergo, ut & diaconi ſuo modo; ſed non ſic docent, ut ſint προεστῶτες τοῦ λόγου, aut Doctores & publici anteceſſores in publicâ & autoritativâ ſcripturæ explicatione ac doctrinæ diſpenſatione, qui ut tales ordinario in cœtu eccleſiaſtico doceant; hoc eſt juxta phraſin ſcripturæ, in ſermone & doctrinâ laborant, & adhereant miniſterio verbi *Actor.* 6. 4. Sicut candidatus miniſterii apud nos ſubinde docet, ſed non ſic docet ut ordinarius verbi miniſter. Sic præfecti regis Joſaphati una cum ſacerdotibus & Levitis docuerunt per civitates Judæ 2 *Paralip.* 17. 7. 9. Omnes ergo illi erant διδακτικοὶ, & docentes; ſed non ſic pręfecti, ut ſacerdotes aut Levitæ, quibus peculiari ratione προστασία in doctrinâ impoſita erat *Malach.* 2. 7. *Deuteron.* 33. 10. 3. *Quod* ad impoſitionem manuum, eſt ritus planè indifferens (ut alibi contra Pontificios ex profeſſo docetur:) & conſequenter, nec ponit, nec tollit gradum aliquem miniſterii. Vide de eo ſupra *part.* 1. *lib.* 2. *tr.* 1. *cap.* 8. *Deinde*, nullo ſcripturæ apice probabitur, nefas eſſe, ſi ſeniores in confirmatione miniſtri una manus imponant. Scimus in Papatu etiam grande nefas haberi, ſi paſtor ſeu parochus, qui non ſit Epiſcopus, aut ſolus una cum Epiſcopo manus ordinandis imponat; imprimis quia ordo ipſis eſt ſacramentum. Sed hæ meræ ſunt ſtipulæ, & traditiones humanæ. Si hunc ritum obſervare quis velit, poteſt ab uno ſolo verbi miniſtro fieri; aut à pluribus verbi miniſtris; aut à miniſtris & ſenioribus: hâc tamen cum diſtinctione, ut miniſter faciat tanquam antecedens & miniſtrans in verbo & precibus, quibus ordinandum dedicat & conſecrat; reliqui miniſtri & ſeniores, ad teſtandum conſenſum & aſſiſtentiam in precibus. Explicent mihi, quæ fuerit χειροθεσία totius Iſraelis *Numeri* 8. 10. Sed totum hic, quidquid eſt, merè eſt adiaphorum. De Ordinatione ſeu confirmatione, quid illa propriè ſit, & cujus neceſſitatis aut autoritatis; quæritur in *Deſperat. Causâ Papat. lib.* 2. *ſect.* 2. & infra *lib.* 3. *tr.* 1.

§. 12. Addamus nunc argumenta quædam ad hominem.

Digitized by Google

I. *Argum.* Quæ officia tantum ad externam eccleſiæ gubernationem pertinent, & faciunt ad unitatem, ac diſciplinam in eccleſiâ conſervandam (juxta *Epheſ.* 4. 12. *Math.* 18.) illa ab Apoſtolis fuiſſe conſtituta, & revera atque in effectu exſtitiſſe in eccleſiâ Apoſtolicâ credendum eſt; etiamſi Chriſtus & Apoſtoli non legantur de iis quidquam conſtituiſſe; nec iis vocibus in ſcripturâ nominentur. Sic *Schultingius lib.* 2. *p.* 63. & *libr.* 10. *c.* 15. ubi applicat ſuis archipresbyteris, Archidiaconis, Epiſcopis, Metropolitanis, Patriarchis, &c. Nos autem applicamus noſtris ſenioribus.

II. *Argum.* Quæ in ſcripturâ determinata; ſed eccleſiæ jure humano eccleſiaſtico determinanda relinquuntur, ad ordinem ſervandum; ea ſunt legitima: ſed talia ſunt officia modo nominata. Ergo. Sic *Sculting. loc. cit.* Ubi ſex argumentis probat: non fuiſſe neceſſarium, ut hierarchia eccleſiaſtica in ſcripturâ deſcriberetur, & per conſequens eam inde non eſſe accerſendam: ſed à prudentiâ, & poteſtate νομοθετικῇ Eccleſiæ. Applica nunc ad ſeniores noſtros: ſiquidem daretur eos in jure divino poſitivo nullum habere fundamentum; ſed tantum in permiſſivo, & conſequenter in jure poſitivo humano. Nihil hic excipere poſſunt; quam quod *Schulting. ibid. lib.* 10. *c.* 15. Non licere ſingulis Provinciis aut nationibus ſeu ex. gr. Eccleſiæ Anglicanæ, Germanicæ, Gallicæ, Belgicæ, &c. Quod Catholico Romanæ. Præterea regimen ſeniorum, non facere ad unitatem, politiam, ac diſciplinam in Eccleſia conſervandam, cum ſit πολυαρχικὴ, aut potius ἀναρχικὴ (ut *c.* 13. *p.* 68. de regimine omnium eccleſiarum reformatarum nominatim Anglicanæ, pronuntiat) Eccleſiæ autem catholicæ hierarchia ſit prorſus monarchica. Sed rancida hæc effugia, & meræ petitiones principii, alibi removentur. Suffecerit hic eas ſimpliciter negare; & affirmantibus probationem imponere.

III. *Argum.* Quia ipſi habent προεστῶτας gubernantes; non tamen docentes ſeu in ſermone & doctrinâ laborantes. Quales ſunt archipresbyteri, archidiaconi, imprimis & canonici cathedralium, aliarumque eccleſiarum, immo & omnes presbyteri (ex more antiquæ eccleſiæ) qui partim ſeorſim & ſigillatim, partim collectim in conſiſtoriis, capitulis, collegiis, regimini & diſciplinæ pręſunt. Ut conſtat ex *Jure Canonico*; & quotidianâ praxi: & fatetur *Schulting. lib.* 1. *p.* 46. Quo jure ergo excipiunt contra noſtros ſeniores.

Inſtantia. Non ſunt legitimi, inquit *Schultingius*, presbyteri; hoc eſt, non ſunt ſacerdotes miſſifici. *Reſp.* Præterquam quod Papale hoc monſtrum ſcripturæ ſit ignotum, immo ei apertè repugnet, replicamus, nec omnes ipſorum capitulares & Canonicos, immò ne quidem Epiſcopos &

Digitized by Google

Archiepiſcopos paſſim, nominatim Colonienſes (ubi profeſſorem agebat *Schultingius*) eſſe ſacerdotes Papales, aut ullo modo eccleſiaſticos ordines ſuſcepiſſe ſeu eſſe ordinatos, qui tamen eccleſias iſtic gubernant. Quod ulcus ἀταξίας & contradictionis infra tangimus *lib. 3. tract. 1.* ubi de *Vocatione Miniſtrorum*, &c. 2. Præter capitulares & Epiſcopos; ſunt diaconi Cardinales (qui nec Epiſcopi, nec presbyteri) qui cum Papâ gubernant eccleſiam univerſalem; & proceres ejus ſalutantur: cum tamen ſint laici, idiotę multò magis quam ſeniores noſtri. 3. *Quidquid* ſit, ſaltem plus juris, & legitimi, oſtendere poſſumus in vocatione & functione ſeniorum, idque ex jure divino, naturali, eccleſiaſtico; quam illi in ſuis illis creaturis partim merè humanis, partim Anti-chriſtianis.

§.13. Addamus autoritatem, & conſenſum Eccleſiæ tum antiquæ tum hodiernæ. In antiquâ eccleſiâ occurrit celebre teſtimonium autoris, cujus commentaria exſtant ſub nomine Ambroſii: quem aliis in controverſiis ſæpiſſimè contra nos producunt Pontificii: Is ergo in 1 Tim. 5. *Synagoga & poſtea eccleſia ſeniores habuit, quorum ſine concilio nihil agebatur in eccleſiâ. Quod quâ negligentiâ obſoleverit, neſcio, niſi forte doctorum deſidiâ, aut magis ſuperbiâ, dum ſoli volunt aliquid videri.* Concilium Carthaginenſe celebratum anno 407. can. 6. qui eſt 11. in *Codice Canonum Eccleſiæ Africanæ*, meminit ſeniorum, qui agebant cauſam contra epiſcopum Maurentium; quique partem judicum eligebant, ad deciſionem controverſiæ. In *Actis purgationis Cæciliani* & *Felicis* poſt. Coll. Carthagin. *apud Auguſt. in* Breviculo: *Epiſcopi presbyteri, diacones, ſeniores.* Et Paulo poſt: *Adhibete conclericos & ſeniores plebis eccleſiaſticos viros.* Ibid. *Maximus dixit, loquor nomine ſeniorum Chriſtiani populi, catholicæ legis.* Item: *Clerici & ſeniores Carthenſium.* Epiſtola ſynodalis Concil. Caberſuſſitani apud Auguſtinum in Pſal. 36. *Neceſſe nos fuerat Primiani cauſam, quem plebs ſancta Carthaginenſis eccleſiæ Epiſcopum fuerat in ovile Dei ſortita, ſeniorum literis ejuſdem eccleſiæ poſtulantibus audire atque diſcurrere.* Auguſtinum lib. 3. contra Creſconium cap. 56. *Peregrinus presbyter, & ſeniores eccleſiæ Muſticanæ regionis.* Et Epiſtol. 136. *Dilectiſſimis fratribus Clero, ſenioribus, & univerſæ plebi Eccleſiæ Hipponenſis.* Et ſerm. 19. de Verbis domini: *Cum ob errorem aliquem à ſenioribus arguuntur, & imputatur alicui de illis, cur ebrius fuerit? cur res alienas perſalſerit? eadem cur turbulentus admiſerit? Statim reſpondet; quid habeo facere homo ſæcularis aut miles. Nunquid monachum ſum profeſſus aut clericum?* Optatus Milevitanus lib. 1. adverſus Permenianum: *Erant enim eccleſiæ ex auro & argento quamplurima ornamenta*, &c. *quaſi* (alii legunt *quas*) *fidelibus ſenioribus commendavit.* Et paulo poſt: *convocantur ſupra memorati ſeniores, qui faucibus avaritiæ*, &c.

Digitized by Google

&c. *Cum reddere cogerentur, ſubduxerunt communioni pedem.* (Sic mea Moguntina apud Franciſcum Behm. anno 1549.) ex bibliotheca Cuſanâ prope Treverim; Sed alii legunt, *plebem.*) Ubi notandum in eccleſiis Africanis (ubi præſtantiſſ. & zeloſiſſim; Doctores, & quidem Monarchicomachi) potiſſimum antiquum hunc & primigenium ſeniorum ordinem obtinuiſſe. Sed nec in Occidentalibus, ne quidem in Romanâ (quamvis typho ſæculi, & monarchiæ ac primatus affectationi maxime infeſtâ) ita obliteratus eſt antiquus hic ordo, ut aliqua ejus veſtigia non exiſterent tempore Gregorii Magni. Sic enim ille in Epiſtolis 1. P. R. libr. 2. epiſt. 19. *Si quid de quocunque clerico ad aures tuas pervenerit, quod te juſtè poſſit offendere, facile non credas: ſed præſentibus eccleſia tua ſenioribus diligenter eſt perſcrutanda veritas: & tunc, ſi qualitas rei popoſcerit, canonica diſtrictio culpam feriat delinquentis.* Apud Gregor. Turonenſem hiſtor. lib. 10. reſpondet Abbatiſſa monaſterii Radegundis, quod erat Pictavi: *Coram Pontifice, clero, vel ſenioribus pro nepte ſuâ orphanulâ arras accepiſſe.* In *capitulis Caroli Calvi pag.* 347. 363. 364. videor mihi (niſi fallor) veſtigia quædam antiqui ſenioratus obſervare. Quamvis enim ſeniores in capitulis infra citandis, notent cives potentiores aut primarios ἐν ἀξίᾳ conſtitutos: tamen videntur iſti tunc temporis è populo Chriſtiano, peculiari aliquâ ratione electi aut deſignati & ſupra alios etiam eccleſiaſticè evecti, vicem antiquorum ſeniorum aliquo ſaltem modo (ut tempora erant) præſtitiſſe; & hinc ſeniores eccleſiæ quiſque ſuę (in quâ viveret) item ſeniores presbyterorum quiſque ſuorum ibidem dicti fuiſſe: quibus etiam tribuitur conſtitutio & remotio presbyterorum in eccleſiis. Docti, & quibus majus otium, quam mihi nunc eſt, amplius expendant; an non pluribus ex eâdem & vicinâ antiquitate conjectura hæc mea firmari poſſit. Sunt qui huc citant *Apolog. Tertulliani cap.* 39. ut *Chemnitius* loco citato. Et *Juſtellus in notis ad canones eccleſiæ Africanæ ad can.* 100. Sed an hoc ſolidum ſit & aliter locus *Tertulliani* accipi non poſſet, de presbyteris ſcil. docentibus, non immerito diſquiritur. Atque hæc ex antiquitate. Unde lectori facile conſtabit de Remonſtrantium immodeſtiâ, & temeritate, Apologiæ cap. 21. fol. 231. *Quod attinet praxin antiquitatis, ex eâ vid.* id demonſtrari poſſe idoneis documentis, ut *Cenſor* (Profeſſores ſcil. Leidenſes) *aſſerit, ingentis audaciæ & temeritatis eſt.* Et fol. 230. 6. *Tota antiquitatis praxis ei repugnat.*

Sed expendamus quę adverſus conſenſum hunc excipi poſſunt.

1. *Except.* Non fuerunt tales, quales hodierni. *Reſp.* Neg. Si modo diſtinguas inter eſſentiam hujus muneris, & inter periſtatica; item genuinam inſtitutionem, & regulas gubernationis, & inter aberrationes & abuſus in executione; inter jus atque autoritatem, & inter ejuſdem obſcurationem

ac

III. *Except.* Functiones in eccleſiâ ordinariæ ac perpetuæ, cum extraordinariis & temporariis chariſmatis confunduntur: quæ poſteriora tamen privatis Chriſtianis, immo & fæminis communicari ſolent. Sic *Daniel Tilenus in Parœneſi ad Scotos diſciplinæ Genevenſis Zelotas*: poſtquam in ordinem & doctrinam eccleſię Gallicanæ invectus, jam miſerè ab ea & univerſa reformata apoſtataſſet. Cui rei fidem faciunt horrenda & blaſphema ipſius ſcripta gallicè & latinè ab illo tempore edita. *Reſp.* Sed explicandum erat quæ & qualis hęc eſſet confuſio noſtra, inſuper docendum loc. cit. voces illas aut omnes, aut aliquas, neceſſario intelligendas eſſe de chariſmatis extraordinariis, & non de miniſteriis ordinariis. Certe vox *chariſma* ſeu *charis* hic optimè notare poteſt miniſterium ſacrum *v.* 6. quomodo *Rom.* 12. 3. & 1. 5. 2. Ipſe Grotius confundit chariſma, cum διακονίαις, miniſteriis; & cum ἐνεργήμασι, id eſt, operationibus & effectis: quæ tamen accuratè diſtinguenda. Sic ex. gr. miniſterium ſeu munus eſt, doctoratus, donum & aptitudo ad docendum aut ordinarium, aut extraordinarium, prophetia ſcil. & linguæ: ipſum ἐνέργημα τὸ docere aut prophetare, ſecundum miniſterii ſeu muneris impoſiti conditionem, & doni didactici modulum ac menſuram. Sed hæc diſtinctio imprimis facit ad explicationem 1 *Corinth.* 12. de quo nunc agendum.

§. 5. III. *Argum.* Docet liturgia noſtra ex 1 *Corinth.* 12. *v.* 28. Ubi voce κυβερνήσεις 1. *gubernationes* indicatur miniſterium à Doctoribus, & adjutoribus dictinctum. Contra eſt.

1. *Except.* Nec civilem nec eccleſiaſticam aliquam gubernationem ſtatam & ordinariam ſignificari, ſed donum quoddam extraordinarium, „ utpote judicandi inter fratrem & fratrem 1 *Corinth.* 6. qualia ſunt & „ præcedentia ibidem & ſubſequentia dona. Sic *Schulting. lib.* 10. *c.* 27. qui tamen huic exceptioni non fidens, mox ſubjicit, rectiſſimè intelligi ordinarios miniſtros, eccleſiarum ſc. adminiſtratores; qui ſint parochiales ſacerdotes (ut *Thomas* exponit) quibus committitur gubernatio particularium plebium; per doctores, intelligi paſtores; per *opitulationes*, Archidiaconos, qui in generali regimine opem ferunt epiſcopis. Idem nec huic fidens concludit (ut & Paludanus part. 2. p. 192. [*Non debet in uno verbo tam ambiguo gradus eccleſiaſticus fundari*. *Tilenus* primo, neſcio quid, incruſtat de chariſmatis: Deinde addit: Quid propriè fuerint illæ „ ἀντιλήψεις, κυβερνήσεις, δυνάμεις etſi nemo fortaſſis hodiè penitus intelligat; „ nemo tamen niſi qui peponem cordis loco habet, veſtros presbyteros „ vocabulis illis deſignari exiſtimaverit. *Reſp.* 1. non omnia eſſe data extraordinaria conſtat ex doctoratu ibidem nominato, & fateri coguntur adverſarii. 2. Quod de parochis ex *Thomâ* adſertur probatione caret; quin &

& textui repugnat: parochi enim indicantur nomine Doctorum, cum ſint Doctores, & paſtores (quos eoſdem eſſe agnoſcit ibid. *Schultingius.*) Rurſum hęc interpretatio ſcripturæ non eſt ex ſcripturâ; ſed ex praxi Romanæ eccleſiæ, & fidę currente (juxta doctrinam Cardinali *Cuſani*) depromta eſt. Quod ὕστερον πρότερον in Theologis antiquariis Romano-Catholicis, aliiſque antiquitatis nimiis admiratoribus, &, ita loquar, adoratoribus. „Quare (*inquit Cuſanus epiſt. 7. ad Bohemos p. 587.* nec mirum „ſi praxis eccleſiæ uno tempore interpetatur ſcripturam uno modo, & „alio tempore alio modo. Nam intellectus currit cum praxi. Intellectus „enim, qui cum praxi concurrit, eſt ſpiritus vivificans. Et paulo poſt „pag. 858. Sequuntur ergo ſcripturæ eccleſiam, quæ prior eſt, & propter „quam ſcriptura, & non è converſo. Quomodo patres intelligi, & flecti velint ad præſentem eccleſiæ Romanæ ſenſum & praxim, notavimus in 1. *part. ſelect. diſpp. tit. de patribus*, &c. §. 5. 6. 7. *Reſp.* 3. Extraordinarium donum dijudicandi inter fratrem & fratrem, ex ſcripturâ cit. non liquet: quin potius contrarium; quod ſcil. fuerit & adhuc ſit ordinarium donum. 4. In uno hoc verbo ambiguo (ut quidem ipſi velint) neutiquam fundamus presbyteratum noſtrum: quod oſtendunt argumenta à noſtris allata. Et hic non ex uno verbo tantum, ſed ex toto contextu concludimus: Cum gubernatio perpetuo eccleſiis ſit neceſſaria, & Deus ad hoc contulerit chariſmata extraordinaria & ordinaria (itidem ut prophetiæ & doctrinæ;) ſequitur inſtitutum eſſe gubernationis ordinarium ac peculiare miniſterium huic chariſmati analogicè reſpondens.

IV. *Argum.* Educit Liturgia. Ex *Math.* 18. 17. cum quo conferimus §.6.
2 *Corinth.* 2. *v.* 6. Ubi eccleſia & πλείονες notant collegium aliquod πρεσβυτέρων: quos omnes in quâque eccleſiâ fuiſſe Epiſcopus ſeu Presbyteros laborantes in verbo, non eſt dicendum. Sed contra excipitur.

I. *Except.* Per eccleſiam, non multitudinem in ſe, ſed virtute intelligendam, id eſt caput multitudinis, in quo ipſa continetur. Breviter intelligi Epiſcopum, qui virtualiter eſt eccleſia *Schulting. lib.* 10. *c.* 29. *Bellarminus* per eccleſiam intelligit Papam; qui ſcil. eſt eccleſia virtualiter. *Reſp.* Satis ſuperque hæc exceptio refutata eſt ab Antagoniſtis Pontificiorum: itaque hic eam tranſimus.

II. *Except.* Intelligi Senatum politicum. Sic *Eraſtus*: quem ſolidè refutavit *Beza*. Nec eſt quod hic repetamus.

III. *Except.* Intelligi promiſcuam eccleſię multitudinem. Sic quondam nonnemo in Galliâ; nec deſunt hodie, qui regimen eccleſiæ ad multitudinem referendum exiſtiment. Eorum opinionem excuſſam vide, libro ſupra cit. *Zadeelis confirmatio Diſciplinæ*, &c. *part.* 4. *artic.* 2. *puncto.* 2. *p.* 174.

Digitized by Google

p. 174. 195. Porro loci hujus vindicationem pro collegio ſeniorum fusè & eruditè proſecutus eſt *Gerſon Bucerus* in *Diſſert. de Gubernatione eccleſia* à *p.* 39. uſque 83.

§.7. 5. *Argum.* Sumit liturgia, ex analogiâ regiminis eccleſiaſtici in V. T. Ut enim ibi levitæ tanquam coadjutores in miniſterio tabernaculi adjuncti erant ſacerdotibus, ſic convenit in N. T. ſeniores in inſpectione & curâ animarum ac regimine eccleſiæ adjungi verbi miniſtris. Ratio analogiæ & conſequentiæ inde potiſſimum peti poteſt: quod *Math.* 18. 1 *Cor.* 16. & 1 *Timoth.* 4. & 5. & paſſim in N. T. gradus & nomina miniſtrorum ac ſacrorum conventuum dictam analogiam prę ſe ferant.

Sed imprimis urgent *Bucerus pag.* 48. 49. 53. 54. &c. Et *Sopingius* contra *Bonam Fidem Sibrandri p.* 261.-266. & *Didoclavius in Altari Damaſceno pag.* 936.-941. Fuiſſe duplicia ſynedria apud Judæos, politica & eccleſiaſtica: quę rebus, perſonis, actionibus diſtincta. Utraque autem fuiſſe & majora ſeu ſuprema Hieroſolymis; (de quibus 2 *Paralip.* 19. & *Pſal.* 122.) & minora ſeu ſubordinata in ſingulis civitatibus; ubi curiæ politicæ erant in portis, & judicia eccleſiaſtica in ſynagogis. Conſtitiſſe autem judicia ſeu ſynedria eccleſiaſtica ſive Hieroſolymis ſive in aliis civitatibus, non tantum ex Levitis & ſcribis, ſed etiam ex piis ac honoratis civibus, colligitur, ex *Math.* 16. 21. & 26. 3. 59. & 27. 1. Et ex *analogiâ*; quia politica ſenatorum & civium ſynedria habebant aſſeſſores quoſdam ex Levitis: uti teſtatur *Joſephus Antiquit. Jud. lib.* 4. *c.* 8. Sed contra hoc argumentum excipitur.

I. *Except.* Fuerunt ſynedria iſta Judæorum, imprimis ſupremum Hieroſolymitanum, merè politica. *Reſp.* refutatur. 1. *Ex* 2 *Paralip.* 19. ubi duo regimina & judicia ſtatuuntur, & rebus ſeu cauſis, ac præſidibus ſuis diſtinguuntur. 2. *Quia* politica poteſtas Judæis tempore Chriſti erat ablata, imprimis in criminalibus: itaque dicendum eſt concilium illud, coram quo ſtetit Chriſtus, eccleſiaſticum; Imprimis etiam, quia in eo præſidebat Cajaphas ſummus ſacerdos: atqui in Sanhedrin politico pręſidebat perſona Politica.

II. *Except.* Conflata erant, quæ duo & diſtincta ſtatuuntur collegia, in unum, quod mixtum erat ex ſtatu eccleſiaſtico. & politico. *Reſp.* Potuerunt aliquando conjungi, cum cauſæ erant mixti fori: non tamen confundebantur, aut in unum Concilium coaleſcebant. Vide *Bertramum de Polit. Judaic. c.* 11.

„ Conſtituit etiam Judices Jeroſolymis ex Levitis, & Sacerdotibus, &
„ Capitibus patrum Iſraelis, partim ad judicium Domini, id eſt, Eccleſiaſti-
„ cum: partim etiam ad litem, id eſt, ad judicium civile.

Diſtin-

„ Diſtinguuntur nimirum his verbis Judicia duo Eccleſiaſticum, & Ci-
„ vile. Similiter explicat *l'Empereur in annot. ad Bertramum*. Quomodo turbato rerum ſtatu, aut in primâ orgine & conſtitutione politiæ & eccleſiæ, aut quacunque alia in neceſſitate, collegia ſenatus & presbyterii, aut utriuſque per delegatos convenire & in commune conſultare haut inſolens eſt. Uti reformati in Galliâ, cœtus mixtos ex eccleſiaſticis & politicis celebrare ſolent, uſque ad annum 1624. incluſè.

III. *Except.* Etſi probabile videatur juxta loquendi formam, ad ſenio-
„ rum ſenatum, qui apud Judeos erat, Chriſtum reſpexiſſe, certum ta-
„ men eſt, quod ſenſus verborum ejus non ad Judaicam, ſed ſuæ futuræ
„ eccleſiæ politiam reſpexerit, *Schulting. lib. cit. cap.* 30. addunt alii ſynagogam à Chriſto rejectam & condemnatam; itaque ſuos eò non miſiſſe; nec ſucceſſionem illius politiæ eccleſiaſticæ, per analogicam imitationem & aſſimilationem ejus in N. T. ſanciviſſe. *Reſp.* Non ſynagogam, aut regimen aut politiam ejus condemnavit; ſed abuſus tantum: ut conſtat ex *Math.* 23. 1. *Deinde* abrogari voluit in eccleſiâ N. T. ordinem & ritus typicos & adumbrantes tantum: non verò alios, qui ad bonum ac decorum commune, aut ſpeciale eccleſiaſticum faciebant: Illos enim aut eoſdem in ſpecie & formâ, aut ſaltem analogiâ retineri voluit.

VI. *Argum.* Adfert liturgia noſtra ex jure & ratione naturali, præſuppoſito jure divino. Vult Deus omnem dominatum, omnem monarchiam ab Eccleſiæ regimine arceri: ut ſolum monarchicum regimen maneat penes Chriſtum. *Luc.* 22. 25. 26. 1 *Cor.* 3. 5. 2 *Cor.* 1. 24. 1 *Petr.* 5. 3. *Math.* 23. 10. 11. in ipſis eccleſiæ membris ſit Ariſtocraticum, admixtâ aliquâ democratiâ. De quo ex profeſſo Antagoniſtæ *Bellarmini* ad *lib.* 1. *De Pontifice cap.* 5. 6. 8. 9. Jam vero hæc primaria & commodiſſima ratio eſt, τῶν φιλοπρωτευόντων conatus impediendi, typhum ſeculi reprimendi, tyrannidem arcendi. Atque hæc argumenta quæ ſuggerit liturgia: addimus nos unum atque alterum. Sed prius exceptiones tollendæ. §.8.

I. *Except.* Aliâ ratione abſque hoc ordine ſeniorum, dominatum & typhum poſſe præveniri. *Reſp.* Rationem illam ego hactenus videre non potui. Ex quo enim tempore eſſe deſierunt hi ſeniores, meris contentionibus & ſubreptionibus de primâ ſede occupandâ; epiſcoporum & Doctorum æmulationibus, ἰδιοσυναγωγίαις, & ſic tandem fidei, morum, diſciplinæ novitatibus & ἀταξίαις omnia æſtuârunt.

II. *Except.* Ubi unus paſtor, aut collegium presbyterorum docentium præeſt eccleſiæ; ibi non majus periculum dominationis, quam ubi ſeniores. *Reſp.* 1. Collegium presbyterorum docentium in paucioribus eccleſiis parochialibus haberi poteſt: itaque exceptio hæc ſufficit. 2. Et ubicum-

que illud eſt; non tamen ſuſpiciones, ęmulationes, & contentiones mutuæ (quę inter homines literatos, imprimis ejuſdem profeſſionis & ſtudii, nominatim etiam inter Theologos non raro oriri ſolent) tam facile reſtringui, aut ſopiri, aut everti poſſunt ab iiſdem collegis; nec idiotica ſtudia, conſilia, ſuffragia ſingulorum ita temperari; Exanthemata & exorbitantiæ tam bene inhiberi aut ſiſti: ac à reverentiâ, prudentiâ, & moderatione ſeniorum, quod prudentiores, & harum rerum gnaros experientia ſatis docuit.

§.9. VII. *Argum.* Ex jure naturali & ratione: pręſuppoſito jure divino. Quia populus, ab omni conſcientiâ & communicatione rerum eccleſiaſticarum non poteſt aut debet excludi: ut ſupra *part. 1. lib. 1. tr. 1.* & *parte 2. lib. 1.* Et apud nos extra controverſiam ponit illud electio ſeu vocatio paſtorum, ſeniorum, diaconorum; item rationes diaconorum; denique excommunicatio, & ſi quæ ſunt ſimilia. Jam vero jus populi non minus conſervari poteſt quam per ſeniores ex corpore populi & quidem per populi ſuffragia, aut ſaltem non ſine illis conſtitutos. Sunt enim illi, quaſi medii inter paſtores & populum: & tanquam minus ſuſpecti ac magis extra partes conſtituti, alterius partis injuriam ab alterâ facilius avertunt; nec alterutram ab alterâ opprimi ſinunt; ſed tanquam mediatores ſciſmata, diſceſſiones, & abalienationes ſalubri conſilio pręveniunt, ſcandalis occurrunt.

§.10. VIII. *Argum.* Sunt & aliæ quamplurimæ hujus ordinis ac miniſterii utilitates, quæ partim ex ſupra dictis, partim ex infra dicendis deſumi poſſunt. Quæ una cum *argum. 6. & 7.* validè concludunt: quidquid eſſet de immediato jure divino, aut jure eccleſiaſtico eccleſiæ Apoſtolicæ (quod tamen hactenus probavimus) ſaltem jure poſitivo eccleſiaſtico, ac per conſequens jure divino permiſſivo poſſe & debere hunc ordinem in eccleſiâ venerabilem eſſe, quia tantum confert ad ejus ædificationem. Sed contra excipitur.

1. *Except.* Per paſtores, & presbyteros docentes omnia illa peragi poſſe; & quidem multo melius: itaque non eſt quod talis ordo ſeniorum introducatur, aut retineatur. *Reſp.* 1. Si unus eſt paſtor. Neg. Nam; quod eſt in proverbio, *Εἷς ἀνὴρ οὐδεὶς ἀνήρ*, & quod Salomon *Eccleſiaſt.* 4. 10. 12. & *Proverb.* 15. 22. id ſpirituali huic regimini imprimis applicandum eſt. 2. Quod ſi plures ſint paſtores, qui ſoli ſynedrium conſtituant: Negamus ab illis (ut homines ſumus) ſemper, aut etiam ut plurimum hæc ſequentia tutius ac commodius curatum iri, quam ſi ſenioribus ſtipati ſint. Ex. gr. cum populi privilegia tuenda, querelis ac poſtulatis ejus cedendum aut concedendum; contra ejuſdem iniquis querelis, & ſcandalis acceptis

(prę-

(præſertim iis quæ perſonas aut functionem miniſtrorum concernunt) obſiſtendum, iſque de iis convincendus; Magiſtratus miniſtris infenſus placandus, augmenta ſtipendiorum apud populum aut Magiſtratum procuranda; cenſura ac diſciplina in miniſtros ἀτάκτως exercenda; eorum contentiones, ęmulationes (quas è ſcholis in eccleſias nonnunquam inferunt) & gliſcentes factiones ſedandæ; exceſſus in partium ſtudiis, & zelus immoderatus temperandus? onera ac labores in ſermone & doctrinâ aliiſque agendis eccleſiaſticis ſive augendi, ſive minuendi; Gratia aut odium ſive miniſtrorum, ſive Magnatum, ſive plebeiorum declinanda, aut ſuſque deque habenda; cenſuræ in quoſvis ſtringendæ: & ſimilia quamplurima. Quis neget in his conſultandis & decernendis tutius & commodius verſari miniſtros, ſi ſeniorum auxilio & autoritate utantur: qui in pleriſque illis ut magis extra partes poſiti, ita ſæpè minus odioſæ, minuſque ſuſpectæ ipſorum deciſiones: Ita ut, quod ille de Conciliis, nos merito de hoc ordine pronuntiemus: *Seniorum ſemper ſaluberrimam in Eccleſiâ fuiſſe autoritatem.* Quod ut olim ab initio reformationis, & deinceps; ſic inprimis tempore ſciſmatis Remonſtantici expertæ ſunt eccleſiæ noſtrę: cum miniſtris non paucis & veteranis & junioribus partim ſeducentibus & ſeductis, partim propter ſtipendia, ſubſidia, & honoraria nimium conniventibus ac diſſimulantibus: ſeniores paſſim pro doctrinę & diſciplinæ integritate, proque eccleſiæ conſervatione decertarent. Quod de miniſtris dico, fidem faciet exauctoratio ſeptuaginta præter propter in auſtrali Hollandiâ, idque propter violatam aut doctrinæ puritatem, aut regiminis & diſciplinæ ἀταξίαν, Sed infra in ſolutione objectionum aliquid pręterea de utilitate ſeniorum dicendum.

II. *Argum.* Ex *Actor.* 15. *v.* 6. 22. & 16. 4. & 21. 18. quod innuunt §. 11. *D. D. Profeſſ. Leidenſ.* in *Cenſurâ Confeſſ. Remonſtr. c.* 21. Ubi præter προεστῶτας laborantes in ſermone & doctrinâ, (qui illic erant Apoſtoli: illis enim peculiariter hoc commiſſum *Actor.* 6. 2. 4. nominantur ſeniores: qui abſolutè & abſque ullâ adjectione ſic dicti non ſunt docentes: propter rationem jam dictam. Sed contra excipitur.

1. *Except.* Ex *Actor.* 20. *v.* 20. 28. conſtat fuiſſe, eos docentes: quia habetur: *paſcite gregem. Reſp.* Non ſequitur. Nam. 1. τὸ *paſcere* eſt generale, & ad omnes miniſterii actus extenditur. Et ſic ſeniores ſuo modo paſcunt, etiam docendo & inſtruendo: quamvis publicè non conſcionentur. 2. communiter poteſt dici collegia conflata ex verbi miniſtris & ſenioribus, docere, ſeu inſtruere eccleſiam; quamvis ſtricte dicti ſeniores non docerent: Quomodo communiter tribui Leviticæ illa tribuuntur; quorum aliqua tamen ſacerdotibus erant peculiaria. Vide *Deuteron.* 33. 10. & 10. 8. 2 *Paralip.* 29. 4. 5. 11.

11. *Except.* Presbyteros illos, quorum mentio in *Actis Apoſtol.*, non fuiſſe gubernantes, quia *Actor.* 14. 23. coll. cum *Tit.* 1. 5. 9. doctrina illis tribuitur; & ordinatio miniſtrorum, cum impoſitione manuum 1 *Tim.* 4. 14. *Reſp.* 1. Si locis citatis non intelliguntur noſtri ſeniores; ſed tantum verbi miniſtri: ergo nullibi, ne quidem 1 *Timoth.* 5. *v.* 17. intelligendi ſunt. Quæ hæc conſequentia? 2. *Poſſunt* illis locis etiam intelligi. Nam διδακτικὸν eſſe, etiam in illis requiritur; quia ſuo modo docent, cum exorbitantes in doctrinâ, aut moribus redarguunt; quoſvis etiam datâ occaſione aut ſinguli privatim, aut collectim in & cum collegio presbyterii ſive publicè, ſive privato publicè admonent, & convincunt. Docent ergo, ut & diaconi ſuo modo; ſed non ſic docent, ut ſint προεστῶτες τῦ λόγυ, aut Doctores & publici anteceſſores in publicâ & autoritativâ ſcripturæ explicatione ac doctrinæ diſpenſatione, qui ut tales ordinario in cœtu eccleſiaſtico doceant; hoc eſt juxta phraſin ſcripturæ, in ſermone & doctrinâ laborant, & adhereant miniſterio verbi *Actor.* 6. 4. Sicut candidatus miniſterii apud nos ſubinde docet, ſed non ſic docet ut ordinarius verbi miniſter. Sic præfecti regis Joſaphati una cum ſacerdotibus & Levitis docuerunt per civitates Judæ 2 *Paralip.* 17. 7. 9. Omnes ergo illi erant διδακτικοὶ, & docentes; ſed non ſic præfecti, ut ſacerdotes aut Levitæ, quibus peculiari ratione προστασία in doctrinâ impoſita erat *Malach.* 2. 7. *Deuteron.* 33. 10. 3. *Quod* ad impoſitionem manuum, eſt ritus planè indifferens (ut alibi contra Pontificios ex profeſſo docetur:) & conſequenter, nec ponit, nec tollit gradum aliquem miniſterii. Vide de eo ſupra *part.* 1. *lib.* 2. *tr.* 1. *cap.* 8. *Deinde*, nullo ſcripturæ apice probabitur, nefas eſſe, ſi ſeniores in confirmatione miniſtri una manus imponant. Scimus in Papatu etiam grande nefas haberi, ſi paſtor ſeu parochus, qui non ſit Epiſcopus, aut ſolus una cum Epiſcopo manus ordinandis imponat; imprimis quia ordo ipſis eſt ſacramentum. Sed hæ meræ ſunt ſtipulæ, & traditiones humanæ. Si hunc ritum obſervare quis velit, poteſt ab uno ſolo verbi miniſtro fieri; aut à pluribus verbi miniſtris; aut à miniſtris & ſenioribus: hâc tamen cum diſtinctione, ut miniſter faciat tanquam antecedens & miniſtrans in verbo & precibus, quibus ordinandum dedicat & conſecrat; reliqui miniſtri & ſeniores, ad teſtandum conſenſum & aſſiſtentiam in precibus. Explicent mihi, quæ fuerit χειροθεσία totius Iſraelis *Numeri* 8. 10. Sed totum hic, quidquid eſt, merè eſt adiaphorum. De Ordinatione ſeu confirmatione, quid illa propriè ſit, & cujus neceſſitatis aut autoritatis; quæritur in *Deſperat. Causâ Papat. lib.* 2. *ſect.* 2. & infra *lib.* 3. *tr.* 1.

§. 12. Addamus nunc argumenta quædam ad hominem.

1. *Argum.*

Digitized by Google

I. *Argum.* Quæ officia tantum ad externam eccleſiæ gubernationem pertinent, & faciunt ad unitatem, ac diſciplinam in eccleſiâ conſervandam (juxta *Epheſ.* 4. 12. *Math.* 18.) illa ab Apoſtolis fuiſſe conſtituta, & revera atque in effectu exſtitiſſe in eccleſiâ Apoſtolicâ credendum eſt; etiamſi Chriſtus & Apoſtoli non legantur de iis quidquam conſtituiſſe; nec iis vocibus in ſcripturâ nominentur. Sic *Schultingius lib.* 2. *p.* 63. & *libr.* 10. *c.* 15. ubi applicat ſuis archipresbyteris, Archidiaconis, Epiſcopis, Metropolitanis, Patriarchis, &c. Nos autem applicamus noſtris ſenioribus.

II. *Argum.* Quæ in ſcripturâ determinata; ſed eccleſiæ jure humano eccleſiaſtico determinanda relinquuntur, ad ordinem ſervandum; ea ſunt legitima: ſed talia ſunt officia modo nominata. Ergo. Sic *Sculting. loc. cit.* Ubi ſex argumentis probat: non fuiſſe neceſſarium, ut hierarchia eccleſiaſtica in ſcripturâ deſcriberetur, & per conſequens eam inde non eſſe accerſendam: ſed à prudentiâ, & poteſtate νομοθετικῇ Eccleſiæ. Applica nunc ad ſeniores noſtros: ſiquidem daretur eos in jure divino poſitivo nullum habere fundamentum; ſed tantum in permiſſivo, & conſequenter in jure poſitivo humano. Nihil hic excipere poſſunt; quam quod *Schulting. ibid. lib.* 10. *c.* 15. Non licere ſingulis Provinciis aut nationibus ſeu ex. gr. Eccleſiæ Anglicanæ, Germanicæ, Gallicæ, Belgicæ, &c. Quod Catholico Romanæ. Præterea regimen ſeniorum, non facere ad unitatem, politiam, ac diſciplinam in Eccleſia conſervandam, cum ſit πολυαρχία, aut potius ἀναρχία (ut *c.* 13. *p.* 68. de regimine omnium eccleſiarum reformatarum nominatim Anglicanæ, pronuntiat) Eccleſiæ autem catholicæ hierarchia ſit prorſus monarchica. Sed rancida hæc effugia, & meræ petitiones principii, alibi removentur. Suffecerit hic eas ſimpliciter negare; & affirmantibus probationem imponere.

III. *Argum.* Quia ipſi habent προεστῶτες gubernantes; non tamen docentes ſeu in ſermone & doctrinâ laborantes. Quales ſunt archipresbyteri, archidiaconi, imprimis & canonici cathedralium, aliarumque eccleſiarum, immo & omnes presbyteri (ex more antiquæ eccleſiæ) qui partim ſeorſim & ſigillatim, partim collectim in conſiſtoriis, capitulis, collegiis, regimini & diſciplinæ præſunt. Ut conſtat ex *Jure Canonico*; & quotidianâ praxi: & fatetur *Schulting. lib.* 1. *p.* 46. Quo jure ergo excipiunt contra noſtros ſeniores.

Inſtantia. Non ſunt legitimi, inquit *Schultingius*, presbyteri; hoc eſt, non ſunt ſacerdotes miſſifici. *Reſp.* Præterquam quod Papale hoc monſtrum ſcripturæ ſit ignotum, immo ei apertè repugnet, replicamus, nec omnes ipſorum capitulares & Canonicos, immò ne quidem Epiſcopos &

Digitized by Google

&c. *Cum reddere cogerentur, ſubduxerunt communioni pedem.* (Sic mea Moguntina apud Franciſcum Behm. anno 1549) ex bibliotheca Cuſanâ prope Treverim; Sed alii legunt, *plebem.*) Ubi notandum in eccleſiis Africanis (ubi præſtantiſſ. & zeloſiſſim; Doctores, & quidem Monarchicomachi) potiſſimum antiquum hunc & primigenium ſeniorum ordinem obtinuiſſe. Sed nec in Occidentalibus, ne quidem in Romanâ (quamvis typho ſæculi, & monarchiæ ac primatus affectationi maxime infeſtâ) ita obliteratus eſt antiquus hic ordo, ut aliqua ejus veſtigia non exiſterent tempore Gregorii Magni. Sic enim ille in Epiſtolis 1. P. R. libr. 2. epiſt. 19. *Si quid de quocunque clerico ad aures tuas pervenerit, quod te juſtè poſſit offendere, facile non credas: ſed præſentibus eccleſiæ tuæ ſenioribus diligenter eſt perſcrutanda veritas: & tunc, ſi qualitas rei popoſcerit, canonica diſtrictio culpam feriat delinquentis.* Apud Gregor. Turonenſem hiſtor. lib. 10. reſpondet Abbatiſſa monaſterii Radegundis, quod erat Pictavi: *Coram Pontifice, clero, vel ſenioribus pro nepte ſuâ orphanulâ arras accepiſſe.* In *capitulis Caroli Calvi pag.* 347. 363. 364. videor mihi (niſi fallor) veſtigia quædam antiqui ſenioratus obſervare. Quamvis enim ſeniores in capitulis infra citandis, notent cives potentiores aut primarios ἐν ἀρχῇ conſtitutos: tamen videntur iſti tunc temporis è populo Chriſtiano, peculiari aliquâ ratione electi aut deſignati & ſupra alios etiam eccleſiaſticè evecti, vicem antiquorum ſeniorum aliquo ſaltem modo (ut tempora erant) præſtitiſſe; & hinc ſeniores eccleſiæ quiſque ſuę (in quâ viveret) item ſeniores presbyterorum quiſque ſuorum ibidem dicti fuiſſe: quibus etiam tribuitur conſtitutio & remotio presbyterorum in eccleſiis. Docti, & quibus majus otium, quam mihi nunc eſt, amplius expendant; an non pluribus ex eâdem & vicinâ antiquitate conjectura hæc mea firmari poſſit. Sunt qui huc citant *Apolog. Tertulliani cap.* 39. ut *Chemnitius* loco citato. Et *Juſtellus in notis ad canones eccleſiæ Africanæ ad can.* 100. Sed an hoc ſolidum ſit & aliter locus *Tertulliani* accipi non poſſet, de presbyteris ſcil. docentibus, non immerito diſquiritur. Atque hæc ex antiquitate. Unde lectori facile conſtabit de Remonſtrantium immodeſtiâ, & temeritate, Apologiæ cap. 21. fol. 231. *Quod attinet praxin antiquitatis, ex eâ vid. id demonſtrari poſſe idoneis documentis, ut Cenſor* (Profeſſores ſcil. Leidenſes) *aſſerit, ingentis audaciæ & temeritatis eſt.* Et fol. 230. 6. *Tota antiquitatis praxis ei repugnat.*

Sed expendamus quę adverſus conſenſum hunc excipi poſſunt.

1. *Except.* Non fuerunt tales, quales hodierni. *Reſp.* Neg. Si modo diſtinguas inter eſſentiam hujus muneris, & inter periſtatica; item genuinam inſtitutionem, & regulas gubernationis, & inter aberrationes & abuſus in executione; inter jus atque autoritatem, & inter ejuſdem obſcurationem

ac

ac imminutionem, per uſurpationem typhi, & elationis Epiſcopalis, etiam Doctorum ac paſtorum, qui illos ſequebantur: uti ſupra oſtenſum ex dicto *Ambroſio*.

II. *Except.* Fuerunt functiones ſeu gradus civiles, non eccleſiaſtici. *Reſp.* Contrarium probatur 1. ex titulis ſupra memoratis; quibus dicuntur *viri eccleſiaſtici, & ſeniores Chriſtiani populi ac catholicæ legis.* 2. Ex curâ, & actis eorum circa negotia eccleſiaſtica, & peculiari relatione eorum ad eccleſiam; nec non & correlatione ac concurſu, ad reliquos præpoſitos eccleſiaſticos: ut ex ſuperioribus conſtat. 3. In *canonibus Eccleſiæ Africanæ* ſatis manifeſtè deſcriptione ſuâ politici ab eccleſiaſticis diſtinguuntur: ut videre eſt *can.91.* Et in ſententiâ *Marcellini* (quę ſubjecta eſt geſtis *Collation. Carthagin.*) ubi *ſeniores locorum*, dicuntur. Et ſequioribus ſæculis in *capitulis Caroli Calvi*, plurima ſeniorum iſtorum civilium, ut videtur, mentio. Vide *conventus* II. *ad Marſnam cap.*8. *& pag.*135. Quin & ipſe rex, ſæpiculè ibidem, *ſenior*, ejuſque poteſtas ſeniorale, *pag.*8. 13. 74. 98. 134. 429. 4. *Nequeo* tamen diſſimulare conjecturam: An non obliteratâ & evaneſcente paulatim autoritate & ordine ſeniorum; hi civiles ſeniores ſucceſſerint, & utrobique tam in eccleſiâ, quam in civitate autoritatem aliquam habuerint: ſeu potius; an non ordinario aut ut plurimum primoribus illis in civitate poteſtas illa ſeniorum exſertè delegata, & tandem ex pręjudicatâ conſuetudine abſque contradictione illis relicta fuerit, quos alibi in electione miniſtrorum vocant *honoratos.* Vide & confer dictum *Leonis* & *Novell.*23. & quæ infra *lib.* 3. *tract.* 1. pro populi Electione citantur. 5. *Denique*; ſi daretur alicubi diſtinctionem illam ſeniorum in poliſiâ & in eccleſiâ non ita eſſe obſervatam: inde tamen non ſequitur ubique eſſe abolitam.

III. *Except.* Ad dictum Ambroſii, loqui eum aut de ſenioribus ætate, aut de ſenioribus docentibus, aut de viris eruditis & prudentibus, quos Epiſcopi ſeu paſtores nonnunquam in conſilium adhibebant, quotieſcunque ipſis ita viſum eſſet. Sic *Saravia, Tilenus.* Secundam interpretationem amplectitur *Schulting. lib.*10.*c.*31. *Tilenus* præterea dictum aliquod Ambroſii Mediolanenſis opponit: *Reſp.* Sed omnes oſtendunt ſe eſſe inſignes patrum tortores. Nam 1. exſertè presbyteros ſuos Doctoribus ſeu presbyteris docentibus opponit eruditus ille ſcriptor, quiſquis eſt ſub nomine Ambroſii; horumque deſidiâ & ſuperbiâ illorum ordinem abolitum conqueritur: quomodo ergo potuit intelligere ſacerdotes ſeu Doctores eccleſiæ, quorum ſcil. collegio præerat Epiſcopus, & quibus tanquam conſiliariis utebatur. *Deinde* illo tempore plurimum obſoleviſſe collegia ſacerdotum Epiſcopo ſubjecta verè dici non poteſt (maximè enim tum vigebant) ſed bene ſeniores illos gubernantes. 2. Seniores ætate intelligi, tam nugatorium eſt, ut reſponſum

ſum non mereatur. Jam ante indicavimus ſeniores officio una cum Doctoribus profuiſſe ſynagogis (ut & ſupremo Concilio eccleſiaſtico, quo *2 Paralip.* 19. coll. cum *Math.* 26. & 27. & *Luc.* 22. 66.) & conſtat ex *Actor.* 15. 15. & *Marc.* 5. 22. Ubi vide notas *Bezæ.* *Syrus* ἀρχισυνάγωγοι *Actor.* 13. interpretatur קשישא דכנושתא id eſt, *ſeniores ſynagogæ.* Et Teſtatur Hieronymus ad Algaſiam quæſt. 10. *præpoſitos habent ſynagogis ſapientiſſimos quoſque.* Quin & hodie illum ordinem obſervant ſynagogæ. 3. Pro lubitu Epiſcopi aut parochi ex populo aliquos fuiſſe in conſilium adhibitos, directe repugnat verbis autoris: *Eccleſia habuit ſeniores*: Et, *ſine quorum conſilio nihil agebatur in eccleſiâ.* 4. Ambroſium Mediolanenſem, quod opponat huic autori, teſtimonium ejus non ſubmovet. Quamvis ille longè aliud quid agat. Sed pluribus in re tam manifeſta haut opus eſt. Videant, qui ſolidam ſcripturæ & antiquitatis explicationem ludicris quibuſdam & quæſitis exceptiunculis ac logis (in quibus ipſi minime acquieſcunt) præferre didicerunt, *Bezam contra Saraviam de Gradibus Miniſtror. c.* 13. *Sopingium contra Bonam Fidem Sibrandi p.* 270. *Gerſonem Bucerum de Gubernat. Eccleſ. p.* 171.

Eccleſias intermediæ ętatis hunc ordinem unâ cum puriori doctrinâ reſtituiſſe conſtat, ex *Hiſtoriâ Waldenſium*; Vide *Joh. Paulum Perrinum part.* 3. *lib.* 2. *cap.* 4. & *Politiam Eccleſiaſt. Bohemorum*, quam ſupra citavimus. Ita ut imperitè nonnulli (*Ladus* Cantuarienſ. Archiepiſcopus, in oratione ſuâ habitâ in *Camerâ Stellatâ*, ad condemnationem trium doctorum, theologiæ Burtoni, juris Prinnii, Medecinæ *Baſtwick*, & *Jo. Hallus in tract. de Epiſcopis*) temerè nimis effutiant, non fuiſſe tales ſeniores ante Calvinum. Reformatæ noſtrę eccleſiæ quam neceſſarium hunc ordinem ad integritatem eccleſiaſtici regiminis cenſuerint, docet partim doctrina, partim praxis. In Galliâ, Belgio, Scotiâ, in Friſiâ Orientali, Comitatu Naſſovico, Ducatibus Juliac. Clivenſi, Montenſi, Marckenſi, aliiſque Germanicis: ut in comitatu Moerſenſi, Steinfurtenſi, &c. Vide *confeſſiones*, *liturgias*, conſtitutiones eccleſ., Belgicas; Gallicas, Scoticas. Quod ſi ubique praxis obtinere non potuit, plerique tamen, nec ignobiles Doctores ordinem hunc agnoſcunt. Sic enim præter *Calvinum*, *Beza in epiſtol. p.* 107. 108. 241. & in *notis ad N. T.*; item Confeſſione; & ſcriptis contra *Eraſtum* & *Saraviam.*

Ex Italis, *Martyr. in comm. ad* 1 *Corinth.* 12. 28. *Zanchius in* 4. *præcept.* & in *confeſſione cap.* 25. §. 7. quorum iſte docuit in Rhetiâ & Germaniâ; ille in Germaniâ, Helvetiâ, Angliâ.

Ex Gallis, *Marloratus in comm.* ad loca 1 *Tim.* 5. *v.* 17. aliaque pro ſenioribus citata, *Danæus in comment. ad* 1 *Tim.* 5. & in *Iſagoge part.* 4. *lib.* 2. & 4. *Franciſc.*

Junius in Bellarmin. controv. 5. lib. 1. cap. 2. Et Eccleſiaſtici *lib. 2. cap. 1.* & 3.

Ex Germanis, Bucerus in Roman. 12. Chemnitius Exam. part. 2. p. 395. edit. in 8. Urſinus in comment. catechet. ad 4. præc. Pareus in Roman. 12. & 1 Corinth. 12. Piſcator Ibid. *Johann. Gerardus locor. Theolog. tom. 6. p. 363. Fridericus Balduinus in Inſtitut. miniſtrorum verbi cap. 10.*

Ex Helvetiis, Bullinger. in 1 Tim. 5. & Decade 5. ſerm. 3. Gualterus in Rom. 12. Aretius in Rom. 12. Bucanus loc. 42. Polanus in ſyntagm. l. 70. 11.

Ex Belgis; DD. Profeſſores Leidenſes & Franequerani in diſp. Theologicis toties iteratis: quarum aliquot collegia publicè edita. Adde locos communes utriuſque *Trelcatii. Hyperium in 1 Tim. 1.*

Ex Anglis, Cartwightus & Fulco contra Anglo-Papiſtas Rhemenſes in 1 Timoth. 5. Fennerus in Theol. Wittakerus contra Dureum, & in prælectionibus ſuis M. S. ubi ita explicat locum *1 Timoth. 5.* referente *Sheerwodio in refut. concionis Georg. Downani. Bunnius in comp. Inſt. Calvini l. 4. c. 2. Willetus* in ſyn. cent. 1. err. 69.

Ex Danis, Hemmingius in Rom. 12.

Ex Scotis, And. Melvinus in M. S. refut. concionis Downani, & ſic Doctores iſtius nationis ab initio reformationis. Nam iſtius eccleſiæ, ut & Gallicæ, Belgicæ, Emdanæ, Naſſovicæ & Conſtitutionibus eccleſiaſticis, ut & perpetuâ celebratione conventuum Eccleſiaſticorum, eorundemque actis ordo ſeniorum ſancitus eſt: ita ut dubitandum non ſit, quin Doctores eundem defenderint. Vide *Altare Damaſcenum*; & Anglo-Papiſticas ceremonias, &c. Anglicè anno 1637. *pag.* 162. Reſponſum *ſynodi Glaſcuenſis* anno 1638. ad declinatorium Epiſcoporum. Sunt autem ex autoribus modo citatis, qui ex profeſſo hunc ordinem defendunt, *Beza*, *Daneus*, *Zadeel ſeu autor* confirmationis diſcipl., *Gerſon Bucerus*, *Franc. Junius*, *Zepperus in* polit. Eccleſiaſticâ, *Lubbertus* & *Sopingius contra* Grotium; Et *Didoclavius in Altari Damaſceno*; *Henr. Altiorgius* in Problematica. probl. 6. *Wendelinus lib. 1. theol. cap. 28. §. 26.* Quin ipſe *Socinus epiſtol. 2. ad Radecium ſecretar.* Gedanenſem, & cum illo hodierni Sociniani Remonſtrantibus tam pii & eximii Chriſtiani; Et Remonſtrantes qui anno 1612. ordinem eccleſiaſticum in Provinciâ Ultrajectinâ concipiebant (inter quos fuiſſe lumen illud eccleſiarum Belgicarum, ex judicio *Grotii*,) ſeniorum miniſterium tuentur, quippe *quod in eccleſiâ Apoſtolicâ obſervatum fuit*, ut ibidem loquuntur *cap. 9.*

Sed dicent forte: dies diem docuit. Sit ita; cur ergo ordinem illum in cœtibus ſuis retinent? An ſecundum fidem currentem, & temporum?

Alios præterea audiamus, qui minime ſuſpecti ſint adverſariis, quod praxi

Digitized by Google

praxi eccleſiæ ſuę velificentur. *Zwinglius* in eccleſia Tigurinâ jam reformatâ ejuſmodi ſeniores non habuit: qui tamen in *epiſtolâ* quadam *pag.* 8. (*lib.* 1. *epiſt. Zwinglii* & *Oecolampadii.*)

,, Nos iis hoc modo reſpondebimus, πρεσβυτέρους non rectè ab eis intel-
,, ligi, in Scripturis pro iis tantum accipi, qui verbo præſunt, cum & pro
,, Senioribus, hoc eſt Senatoribus & decurionibus & βουλευταῖς accipian-
,, tur. Actor. 15. ſic legimus: Συνήχθησαν δὲ οἱ Ἀπόστολοι καὶ οἱ πρεσβύτεροι ἰδεῖν
,, περὶ τοῦ λόγου τούτου.

,, Hic videmus ſeniores pro conſultatoribus & Senatoribus accipi, quos
,, Græci à conſulendo βουλευτὰς, Latini ab ætate & gravitate Senatores ap-
,, pellant. Non quod exiſtimem, fratres tunc temporis Senatum inſtituiſſe,
,, qui rerum aut potiretur, aut vi cogeret ad fidei confeſſionem, ſed qui in
,, medium conſuleret, ſi quid paulò impeditius obveniſſet. Satis enim con-
,, ſtat eos, qui hoc loci ſunt πρεσβύτεροι appellati, non fuiſſe verbi Miniſtros:
,, ſed viros ætate, prudentiâ, & fide venerabiles, qui dirigendis & agendis
,, rebus id erant Eccleſiæ, quod ſenatus eſt urbi: Eodem loco eodem modo
,, habemus: τότε ἔδοξε τοῖς Ἀποστόλοις, καὶ τοῖς πρεσβυτέροις. Et paulò poſt: οἱ
,, Ἀπόστολοι, καὶ οἱ πρεσβύτεροι καὶ οἱ ἀδελφοί. En vobis utrobique primum A-
,, poſtolos, ſecundo ſeniores, poſtremò plebem Chriſtianorum, fratres ſive
,, Eccleſiam: Non quod putem, Presbyteros nuſquam aliter, quam pro ſe-
,, nioribus accipi, non etiam pro verbi Miniſtris, ſed in loco pro ſenioribus
,, & pro Epiſcopis, aut verbi Miniſtris. Si vero quis hoc deſideret, ut &
,, apud Hebræos probem πρεσβυτέρους pro Senioribus accipi, hic Matthęum
,, legat cap. 26.

,, Τότε συνήχθησαν οἱ πρεσβύτεροι τοῦ λαοῦ. videmus hic πρεσβυτέρους τοῦ λαοῦ
,, pro ſenatu, vel ſeniores cum populo poni. Perinde, imo evidentius eſt,
,, quod Marcus ſcribit cap. 14. καὶ μετ' αὐτοῦ ὄχλος πολὺς παρὰ τῶν ἀρχιερέων
,, καὶ τῶν γραμματέων, καὶ τῶν πρεσβυτέρων. In Actis vero multi loci ſunt, in
,, quibus πρεσβύτεροι pro ſenioribus, non pro Epiſcopis aut Prophetis acci-
,, piuntur.

Oecolampadius in Orat. quadam anno 1430. habitâ ad Senatum Baſileen-
,, ſem: Sed quod deſignentur, ſicut Apoſtolorum temporibus ſeniores
,, quidam, qui olim πρεσβύτεροι dicti, quorum ſententiâ, utpote prudentio-
,, rum, totius quoque eccleſiæ mens eſſe conſtat. Ex duobus his teſtimoniis, additis etiam Bohemorum & Waldenſium, facile videbit non eſſe novum εὕρημα Calvini. Alios theologos Helvetios, Bucanum ſcil. Bullingerum, Aretium, Muſculum, modo citavimus.

Eccleſiæ Hungaricæ & Tranſſylvanicæ quamvis ſeniores hactenus illic introducti non ſint, de ordine tamen illo ſiniſtrè non judicant: ut videre

eſt

eſt in *Conſtitut. Eccleſiaſt.* anno 1649. *pag. 66.* & in appendice continente *Acta ſynodi pag.* 2. in *præf. ad lectorem* & *pag.* 7. Sic enim *pag.* 66. *artic.* 99.
,, Presbyteri, juxta praxin veteris, & novi Teſtamenti, apud alias na-
,, tiones Euangelicæ confeſſionis, pagatim, ac oppidatim eligi, ac conſti-
,, tui ſolent, viri doctrinam ſanam amplectentes, inculpabiles, unius uxo-
,, ris, liberos habentes fideles, qui non ſint obnoxii crimini luxûs, aut
,, ſubjicii neſcii, quique nullo ſcelere, nullâque infamiâ ſunt notati, ſi qui
,, parrheſiâ quâdam, ac perſonæ gravitate, authoritateque ſint præditi;
,, nec tamen nimis vehementes, aut impetuoſi, ſed ſedati, moderati-
,, que ingenii, ac prudentiâ ſpirituali imbuti, qui cum diſcretione, ac
,, judicio quælibet agunt, nec garruli, rimarûmque pleni, qui quævis
,, effutiunt, ſed qui linguas ſuas in poteſtate habent; nec denique tales,
,, qui ob negotiationes, aut alias occupationes, domo ſæpiùs abeſſe co-
,, guntur, ſed qui continuè, vel ſaltem ſæpiùs, domi manent. Quibus
,, incumbit ut omnium Eccleſiæ civium vitam, & converſationem diligen-
,, tiſſimè obſervent, & diſſolutè viventes commonefaciant, aut, ſi opus
,, ſit, cauſam eorum ad Paſtores, totumque Presbyterium referant, ut pu-
,, blicè coram iis, qui totam Eccleſiam repræſentant, pro qualitate *delicti*,
,, juxta gradus à Chriſto præſcriptos admoneantur, objurgentur, excluſio-
,, ni, vel etiam excommunicationi adjudicentur. Ut porrò ſalarii docen-
,, tium in Eccleſiis ac Scholis, nec non bonorum omnium, ac redituum
,, Eccleſiaſticorum, quocunque nomine venientium, rationem habeant,
,, illorumque diſpenſationem fidelibus Oeconomis committant, procho-
,, trophia, ſicubi ſunt, curent; mendicorum delectum faciant, ac vali-
,, dos, minuſque agentes, ab uſu eleemoſynæ arceant: ut porrò ædes
,, ſacræ, templa, Scholæ, parochiæ, ſartæ tectæque conſerventur, ac
,, cæmeteria benè munita, clauſaque ſint, operam dent; ſcholas denique
,, tam Latinas, quàm Vernaculas, diligentiſſimè curent. In ſumma: Ut
,, quamcumque ἀταξίαν in Eccleſiâ accuratè obſervent, ac eam cum Paſto-
,, ribus, qui & ipſis præſunt, præſidentque, in ordinem redigant.
,, Quod quidem inſtitutum, etſi ad ritè diſponendam, ac regendam
,, Eccleſiam Chriſtianam alibi ſit valde neceſſarium, ac utile, ut tamen
,, id in gente noſtra, eâ, quâ apud exteras, commoditate fieri, ſolet, in-
,, ſtitui hoc rerum ſtatu poſſit, Politicus noſter Ordo, ob varia, quę cau-
,, ſatur, obſtacula, planè non videt. Nihilominùs, ut Eccleſiaſtici in con-
,, ventus ſuos ad decidendas lites, & controverſias forum ſpirituale con-
,, cernentes, atque ſcandaloſos diſciplinâ Eccleſiaſticâ refrænandos, atque
,, cœtu communi excludendos, excluſos verò reſipiſcentes viciſſim ingre-
,, mium Eccleſiæ recipiendos, è civili quoque ſtatu, honeſtos quoſdam,
ac

Digitized by Google

„ ac judicioſos viros pro more accerſant, ſe haud impediturum innuit. „ Quod etiam, ubi commode licebit, dehinc quoque uſurpaturi ſumus, „ ſalvâ interim tum Magiſtratûs ſecularis, cum verò Synodorum, ac Su„ perintendentium, Seniorumque authoritate ſuperiùs declaratâ, per omnia „ manente.

Et in præfat. ad lectorem Stephanus Catona Geilevinus ſuperattendens, ſuo & reverendorum DD. ſeniorum ac reliquorum omnium confratrum nomine pag. 3.

„ *Quod igitur jam ſuper-eſt, Celſitudine ſua Principali clementer annuen*„*te, ſummis omnium noſtrum votis, quod fœlix fauſtunque ſit, typis deſcri*„*buntur, ac publicantur. Nos eo tamen fine ac propoſito, ut iis omnem ex* „ *æquo nullâ habitâ circumſtantiarum ratione, obſtringantur, & ne latum* „ *quidem pilum ab eorum tenore cuiquam diſcedere, in iis potiſſimum, quæ non* „ *uſque adeò controvertuntur; liceat: pro diverſorum namque locorum, &* „ *temporum exigentia, diverſâ quoque utendum diſciplinâ ac regiminis for*„*mâ eſt, ſalvâ interim, illæſaque manente Unione, ac communione Eccleſia*„*rum tùm noſtrarum invicem, tum peregrinarum Euangelicæ confeſſionis* „ *nobiſcum; quibus nos, Canonibus hiſce noſtris ob diſcrepantes earum ritus* „ *ac conſtitutiones nihilominò derogamus, vel præjudicamus, quod ipſum ab* „ *iis quoque reciprocè erga nos, fratres ſuos ſpirituales, communis æquitas,* „ *ac charitas mutua expoſcit.* Quod ſi *etenim, ajunt Helvetii noſtri*, in Ec„ cleſiis diſpares inveniuntur ritus, nemo Eccleſias exiſtimet ex eo eſſe „ diſſidentes. Socrates, Impoſſibile fuerit, inquit, omnes eccleſiarum, „ quæ per civitates, & regiones ſunt, ritus conſcribere. Nulla religio „ eoſdem ritus cuſtodit, etiam ſi eandem de illis doctrinam amplectatur. „ Etenim qui ejuſdem ſunt fidei, de ritibus inter ſe diſſentiunt. Hęc So„ crates lib. 5. Hiſt. Eccleſ. c. 21. Et nos, *addunt D. Helvetii*, hodie ritus „ diverſos in celebratione Cœnæ Domini, & in aliis nonnullis rebus ha„ bentes in noſtris Eccleſiis, in doctrina tamen, & fide non diſſidemus, „ neque unitas, ſocietaſque Eccleſiarum noſtrarum ea re diſcinditur. Sem„ per verò Eccleſię in hujuſmodi ritibus, ſicut mediis, uſę ſunt libertate. „ Id quod nos hodiè quoque facimus, *Hæc illi*, Artic. XXVII. de ritibus „ & ceremoniis mediis. *Pari igitur noſtras quoque Eccleſias libertate, abſ*„*que omni inſectatione pios quoſvis, ac moderati ingenii viros conceſſuros* „*haud diffidimus, ſi præſertim ſtatum patriæ noſtræ probè cognitum habue*„*rint, in qua nobis non quicquid libet, licet, nec etiamſi liceret, quidvis pro*„*deſſet: Novit Deus, norunt fratres noſtri ſinceriores, quantâ curâ, quan*„*tiſque difficultatibus vel huc uſque progreſſi ſimus. Nec dum etiam, quod* „*ſciamus, Chriſtianis orbis in communi aliqua Liturgia conjuravit, nec de*„ *nique obſtare quicquam videamus, quominus electi Dei juxta hanc quoque*

Digitized by Google

„ *Eccleſiæ praxin , ac diſciplinam ſalvari commodè poſſint. Vale , & paci ac „ tranquilitati Eccleſiarum noſtrarum ſave , nec igni oleum affunde , ne impor- „ tunè erga nos benevolus audiâre.*

Author aſſertionis de verâ & Chriſtianâ eccleſiæ politiâ Anglicè in 4. Author aſſertionis de gubernatione eccleſię, Anglicè Edinburgi 1641. citat teſtimonium deputatorum ab *Eduardo* 6. ad concipiendum librum de reformatione eccleſię (inter quos Archiepiſcop. Cantuarienſis & Epiſcopus Elienſis); qui dicebant. *Epiſcopi ſeorſim conveniant cum ſenioribus quibuſdam, & conſilium capiant*, &c.

Teſtibus illis addimus, ex philologis, antiquariis, politicis, Jureconſultis adjicimus ſequentes, *Chriſtophorum Juſtellum in annot. ad canones eccleſiæ Africanæ pag.* 110. *Cl. Salmaſium* (ſub nomine *Walonis Meſſalini*) de epiſcopis & presbyteris contra Petavium anno 1641. *Joh. Althuſium* Juris Profeſſorem Herbonenſem, poſtea Reipubl. Emdanæ ſyndicum in *Politicâ* anno 1614. *cap.* 8. §. 10-16. ubi officia ſeniorum enumerat. Et *Withgiſtum* Archiepiſcopum Cantuarienſem, qui in defenſione ſuâ *tr.* 17. *cap.* 1. fatetur, diſtinctionem inter presbyteros prædicantes & gubernantes, habere eruditos patronos. Et in Reſponſo ad admonitionem *pag.* 114. *Novi quod in primitiva eccleſiâ in qualibet eccleſiâ fuerint ſeniores, quibus regimen eccleſiæ committebatur.*

CAP. V.

Objectionibus contra Ordinem ſeniorum reſpondetur.

OBjectiones adverſariorum nunc examinandæ.

1. *Object.* Nomina *ſenioris*, *conſiſtorii*, *Senatus eccleſiaſtici*, &c. tanquam nova, & veteribus, ſubſtituta, arrodunt *Cudſemius*, *Bolognino loc. cit.* & *Schultingius lib.* 11. *Anacriſ. hierarchica pag.* 107. *Reſp.* 1. Reſpondet *Schultingius* pro Romanâ hierarchiâ, archipresbyteris, archidiaconis, patriarchis, metropolitanis Epiſcopis, ſeu Archiepiſcopis, &c. *lib.* 10. *c.* 14. & 34. etiamſi exſertè non nominenter, fuiſſe tamen in eccleſiâ Apoſtolicâ, & quamvis nomina in ſcripturis non ſint diſtincta, officia tamen diſtincta eſſe, & tunc fuiſſe. Similem reſponſionem objectioni *Schultingii* facile eſſet aptare. *Reſp.* 2. Negamus nomina hæc eſſe nova: oſtendimus eâ in ſcripturâ, & antiquitate. *Reſp.* 3. Ubi quæſo in ullo Concilio Generali, aut Provinciali, aut in particularibus Eccleſiis per quatuor aut quinque priora ſæcula (cum jam *majori libertate*, ut loquitur *Schultingius*, & pleniori regiminis formâ frui poterat eccleſia) comparent nomina Cardinalium, ſuffra-

fraganorum, Archipresbyterorum, canonicorum irregularium, præpoſitorum, Generalium miniſtrorum hujus aut illius ordinis Monachalis, decanorum Chriſtianitatis, Plebanorum, Epiſcoporum titularium, Non reſidentium, Præbendariorum, Auditorum, pœnitentiariorum, aliorumque curiæ Romanæ officialium? *Reſp.* 4. Ipſe *Schultingius* paſſim uſurpat nomina presbyterorum & ſeniorum, presbyterii, conſiſtorii, claſſis, ſenatus & conſeſſus Eccleſiæ *lib.* 10. *c.* 17. & *lib.* 11. *p.* 105. & *lib.* 2. *p.* 4. & 6.

II. *Object.* Novitas objicitur ab iiſdem, & ante eos à *Stapletono*: quin & Calvinum ordinis hujus primum autorem facit Schultingius lib. 10. p. 71. *Sunt*, inquit, *novo vocabulo conſiſtoria ſeniorum ex cerebro Calvini Genevæ nata anno domini* 1541. &c. Et ſic paſſim, ante Calvinum fuiſſe incognitum hoc miniſterium & regimen; hierarchiâ Romanâ omnia occupante. Nec puduit *Tilenum in Paræneſi, Grotium in Pietate* & *Bonâ fide*, & *Remonſtrantes in Apolog.* loc. cit. miſeram hanc exceptionem à Pontificiis mutuari *Lancel. Andrews* Epiſcopus Wintonienſis in *concione habitâ* in *diſceſſu ſereniſſ.* Electoris Palatini anno 1613. (quæ cum opuſculis poſthumis extant) *pag.* 87.

„ En verò & *Ordinem* etiam apud nos *Eccleſiaſticum*, quem vel *Apo-* „ *ſtolus* videre velit, viſo gaudeat. De *Ordine* dico, non de hominibus; „ (nihil attinet;) qui quales quales ſunt, Domino *ſuo ſtant vel ca-* „ *dunt*. Sed de *Ordine* ipſo, quem præ me fero, quem dicere audeo „ *Apoſtolicum* planè. Nec *Diſciplinam* magis ad mentem Scripturæ, ma- „ giſve ex more inſtitutoque *Sionis*, quàm quæ viget hic apud nos, ſi ob- „ tineret, niſi (non dico per Leges) per *Leguleios* ſubnervata adeò „ forte.

„ Non hic videas mediâ de plebe *Presbyteros*; viros forte probos, ſed „ *artifices*, ſed *inſtitores*, nec in Clero poſitos, atque ita *Apoſtolis* inaudi- „ tos. Non *Diaconos* Sacris nunquam initiatos, mere Laicos, annuos, „ bimuloſve, poſt munere exuendos. Non mutilum Epiſcopis *Eccleſiaſti-* „ *cum Ordinem*, quos *poſuit* Spiritus Sanctus *regere Eccleſiam* „ Dei. Sed enim quos omnis agnovit Antiquitas & venerata eſt, ritè „ ordinatos in Clero & de Clero *Diaconos*, *Presbyteros*, & ſupra utrum- „ que *Ordinem Epiſcopos*: Deo primùm, poſt & Regi (ut mos olim in „ *Sione*) rationem reddituros procurationis ſuæ. *Ordinem*, quo nihil „ vel Sanctis Literis, vel Sanctis Canonibus, vel veteris Eccleſiæ praxi, „ vel *Chriſtianæ* Reipublicæ Statui (ubi quidem penes unum rerum ſum- „ ma) magis conſentaneum.

Adde *Bilſonum* Epiſcopum Wintonienſem perpetuâ Eccleſiæ gubernatione *cap.* 10. 11. 1. Quid Pontificiis, & ipſi & noſtri de novitate & antiquitate

quitate reſpondeant, cum tyrones nôrint; non eſt quod hic repetam. 2. Et deinde de antiquitatis eccleſiaſticæ puritate non pauca dicenda eſſent. Sufficit denuo inculcari illud Egeſippi apud Euſebium: Eccleſiam, poſtquam exceſſiſſent Apoſtoli, non diu manſiſſe virginem. Quod imprimis in politiâ, & ritibus experimur. Non puto illum eſſe Politicum aut Socinianum, aut Remonſtrantem, aut Scepticum, aut Papatus ſæcularis ædificatorem, qui ad obſervationem eorum, quæ de ritibus & regimine etiam primo primis ſæculis ſancita & obſervata ſunt, denuo aſtringi vellet: immo ne quidem ad dogmata fidei catholica primis quatuor Conciliis contra hęreticos definita. Sed hæc dicis causâ de antiquitate in gratiam antiquariorum (uti eos blandè ſalutant) à quibus præſidium aliquod Pelagianæ ſeu Remonſtranticæ cauſæ ſuæ emendicare ſatagunt, ab ipſis ita perſtrepi, haut obſcurè fatentur *Apologia* loc.cit. coll. cum *Pietate Grotii*, & *Tileni præfat. ad notas in canones Synodi Dordrac.* 3. Jam oſtendimus, Bohemis & Waldenſibus ante Calvinum, *monſtrum illud abſurdum, informe, ingens*, (uti loqui amat *Schulting. cap.* 20. cum *Stapletono*) non incognitum fuiſſe; nec ipſi antiquæ Eccleſiæ, nec Apoſtolis. Falſa itaque eſt declamatio illa Schultingii lib. 11. pag. 107. *Illud ſeniorum genus*, &c. *quod invenit Calvinus, tuetur Beza à mille ſexcentis annis fuit ignotum in eccleſiâ Dei: proferri non poteſt ex totâ antiquitate unum exemplum de talibus ſenioribus.*

III. *Object.* Sunt laici. Sic paſſim Schultingius, ut lib. 10. cap. 19. *merè laici ſunt, ex fece vulgi*: & lib. 11. pag. 105. 106. ad canonem 15. Synodi Middelburg. *Tales ſeniores non agnoſcit antiquitas, nec canones; ſed Moſaici ſunt: eorum loco eccleſia habet veros Dei ſacerdotes*, &c. *niſi per ſeniores intelligas ædiles, qui poſſunt apud nos eligi per conſiſtorium, ſed non per diaconos; poſſunt tamen à plebe eligi, quia laici ſunt.* Et poſt; *cur igitur ſuis ſenioribus ſpiritualia demandant & committunt.* Eandem laicalem cantilenam canit *Tilenus* & *Grotius in bonâ fide. n.* 1.

Reſp. 1. Papalem diſtinctionem laicorum vide excuſſam ab Antagoniſtis *Bellarmini lib.* 1. *de Clericis cap.* 3. *Comment. in* 1 *Pet.* 5. *Calvino lib.* 4. *Inſt. cap.* 4.

2. Imprimis etiam à *Sopingio* pag. 256. 273. Si per laicos intelligas, eos qui ex populo Chriſtiano, ſeu ex membris eccleſiæ aſſumpti & electi ſunt: fatemur eſſe laicos ſic dictos: talis etiam erat *Tilenus*; tales omnes eccleſiaſtici apud nos, etiam Clerici in Papatu: ut bene obſervat *Toſſanus Paſtor. Euangelici pag.* 48. Bohemi in ſua *Confeſſione* Witebergæ anno 1538. excusâ part. 4. exſertè profitentur ſe ex laicis ſeu ex plebe ſuâ eccleſiaſticâ eligere, quos probatos & in inferioribus gradibus præparatos, ad paſtorale munus promoveant.

3. *Sin* per laicos intelligant eos qui aliquam vocationem ſecularem pręterea ſequantur, nec ſolis ſacris tantum attendant, aut iis ſe conſecrârint: fatemur complures, aut pleroſque (non omnes) eſſe laicos: & tales fuerunt multi verbi miniſtri, urgente ita neceſſitate: & paſſim ſunt Epiſcopi, Cardinales, Abbates, Canonici, ſacerdotes, &c. (& quidem abſque tali neceſſitate) qui cancellarii, conſiliarii, notarii, theſaurarii immò & præfecti ac legati militaris, architalaſſi, &c. munere funguntur. Quaſi aulica, politica, militaria munera magis conveniant eccleſiaſticis, quam Paulo tentoriorum fabrica, aut noſtris quævis alia honeſta vocatio? Ne reponam ipſis Epiſcopos, qui ſacros ordines nunquam ſuſceperunt. An non illi ſtylo curiæ Romanæ, potius dicendi eſſent laici? Vide *Deſper. cauſam Papatus*: ubi notamus archiepiſcopos in Papatu, qui ordinati non ſunt, ne quidem ſacerdotes: ſed tantum dicuntur electi.

4. *Si* intelligant homines privatos: tales eſſe negamus: cum per legitimam electionem & χειροτονίαν, munus eccleſiaſticum illis impoſitum ac concreditum ſit: illique majori labore, curâ, & fide in executione muneris ſui circa res ſpirituales & eccleſiaſticas verſentur: quam non reſidentes, *triplo*-beneficati, Epiſcopi titulares, præbendarii, aliique otioſi ſacerdotes, canonici, Prælati tam regulares, quam ſæculares, denique Cardinales, & ſimiles hierarchiæ Atlantes: quos pleroſque titulo, honore, ac reditibus contentos videas.

5. *Si* per laicos intelligant, qui ab infantia in ſcholis & ſtudiis non ſunt innutriti; aut per gradus ſacris ordinibus non ſunt initiati, ac charactere tonſorio notati, oleo delibuti: concedimus hoc ſenſu eſſe laicos omnes quod ad poſterius membrum; multos quod ad prius; immo tales ſunt, quod ad poſterius membrum etiam omnes miniſtri apud nos. Nullos etiam alios ex Papatu ad nos tranſeuntes admittimus, niſi ejurato Papali illo pſeudo clericatus choragio, ſola vocationis eccleſiaſticæ ſubſtantia, ſi quæ ſuperfuerit, retenta. Apud Waldenſes & Bohemos tales laici erant miniſtri, quod ad utrumque membrum: ut & non pauci in prima reformatione Belgii: quorum tamen ſanctiſſimum ac potentiſſimum fuiſſe miniſterium ſenſit Clerus & hierarchia Papalis: quum ad ipſorum prędicationem illico inſtar fulminis de cælo cadentem viderent majores noſtri

6. *Denique* ſi laicos dicant; quia non docent aut publicè concionantur (uti perpetuò hanc terram reciprocat *Schultingius*) concedimus tales eſſe. Et pari jure applicatum volumus, Papis, Cardinalibus, Canonicis, Abbatibus, omnibus fere Epiſcopis & Archiepiſcopis, pleriſque ſacerdotibus, &c. Nę quid dicam de diaconis, & archidiaconis, qui à Doctoribus diſtinguuntur: quos tamen ipſi Clericis annumerant.

 Sed

Sed inſtat Schulting. *lib.* 11. *p.* 106.

Inſtant. 1. *Presbyteri eliguntur per Epiſcopos, non per Presbyterium laicum, & diaconos; nec habet communitas ullam poteſtatem eos approbandi.* *Reſp.* De electionibus, & ordinatione, deque abſentiâ aut adſiſtentiâ poteſtatis Epiſcopalis agimus in *Deſperatâ Causâ Pap.* & infra *lib.* 3. *tr.* 1. *de vocatione miniſtrorum.*

Inſtant. 2. Presbyteri ordinantur per impoſitionem manuum: at veſtri ſeniores ſic non ordinantur. *Reſp.* 1.° Ritus ille plane accidentarius eſt: poteſt adeſſe aut abeſſe. In multis eccleſiis reformatis non adhibetur in confirmatione miniſtri. Vide infra *lib.* 3. *tr. de vocatione miniſtrorum.* Quin & ſeniores in eccleſiis Belgicis exulantibus ſeu ἐν τῇ διασπορᾷ, ſolent hoc ritu confirmari: ut videre eſt in *Conſtitut. eccleſiaſtic.* Eccleſiæ Londino-Belgicæ *à Microne editis c.* 6.

IV. *Object.* Sunt *annales.* Sic ſcopticè *Grotius*, & *Tilenus loc. cit.* Et ex Pontificiis *Simon Fitz in Miniſtromachiâ p.* 222. *Schultingius lib.* 11. *p.* 107. & *l.* 2. *p.* 69. Et rurſum *Grotius* in Voto pacis, objicit *annales*, *biennes*, *triennes* pari audaciâ quâ προεστῶτες menſurni contra canones Apoſtolicos ſecundum quos erant perpetui? *Reſp.* 1. in eccleſiâ Londino-Belgicâ etiamnum ſunt perpetui; etiam in hodiernâ eccleſiâ Groninganâ. Antehac in aliis eccleſiis hoc tentatum, etiam hic in Belgio, ut ex. gr. Leidenſi anno 1579. ubi ipſe Magiſtratus hoc voluit: ergone illic erunt vobis legitimi? 2. Noſtri etiam profitentur, ſe velle, ut ubique ſuppeterent viri, qui in perpetuum hoc munere fungerentur. In prima reformatione, vix hoc obtineri potuit. Vide *Soping. p.* 254. 257. Et *Bucer. p.* 34. 35. 49. 36. Ut nunc conſuetudine illâ introductâ, admodum de ejus mutatione laboremus, ego ſane rationem non ita video. Mihi videretur ſufficere, ſi biennium (quod pleriſque apud nos aſſignatur) in triennium, aut quadriennuium, aut quinquennium (ubi commodè id fieri poſſet) mutaretur, pro libertate & commoditate & eccleſiarum & ſeniorum. 3. Aloquin totum argumentum hoc eſt nugatorium: ex particulari circumſtantię circumſtantiâ, concludere ad muneris alicujus nullitatem. 4. Saltem imprudenter admodum *Grotius* τὸ νόμιμον aut τὸ ὑπερέχον hujus muneris ſcommate annali elevat. An non videbat advocatus Fiſci (qualis tunc erat, cum ederet librum, cui tit. *Pietas Ordinum Hollandiæ*, &c.) ſe ex unâ ſcopticæ dicacitatis fideliâ Illuſtres Hollandiæ Ordd. delegatos denigrare, omneſque adeo, qui Ordd. Generalium, Provincialium, Concilii Status, Concilii Thalaſſici, &c. collegia in Belgio conſtituunt eſſe biennales, aut triennales. Hic pietatis honos? an ſic defendit dominos ſuos, quorum patrocinium ſe ſuſcepiſſe videri volebat (cum DD. Ordd. eſſent τρόφιμοι; Vorſtii & Remonſtrantium Scepticiſmi, αἰτία.) Ut

jam

jam non dicam, tam multos ex Ill. Ordinibus, ampliſſ. conſulibus & ſenatoribus, ſuperiorum & inferiorum curiarum judicibus, toparchis & nobilibus, muneratiis publicis biennali illo ſenioratu functos eſſe. 5. *Tileno*, & qui ſunt iſtius commatis reponimus munera politica, ut ex. gr. Majoris Londinenſis, &c. eſſe annalia; & tamen nec minus legitima, nec minus honorata.

6. *Pontificiis* reponimus; Priores in conventibus, legatos à latere, & ſimiles Papiſmi ſatellites, non eſſe perpetuos. Hæc ego anno 1639. in primâ editione *diſp. de ſenioribus*. Poſtea anno 1643. prodiit *Apologeticus Andr. Riveti* contra Grotii Votum, ubi *pag.* 220. Grotio ad objectionem annalium, &c. ſic reſpondet.

„ Primò reſpondeo, de Presbyteris propriè dictis, *qui laborant in ſer-*
„ *mone & doctrina, & ſacramenta adminiſtrant*, verum non eſſe quod ob-
„ jicitur: Illi enim ad hoc miniſterium toto vitæ tempore obligantur, niſi
„ *in pœnam*, ut loquitur, *criminis amoveantur*. Quod ſpectat ſeniores illos,
„ qui *ex fraternitate* eliguntur, ut invigilent in populi mores, & Diaco-
„ nos, qui ærario pauperum præficiuntur, eos eſſe perpetuos neceſſarium
„ non eſt, nec ulli ſunt Apoſtolici Canones qui id præſcribant. Nec etiam
„ id commodè fieri poteſt, ubi talis eſt Eccleſiarum conſtitutio, ut eis non
„ ſuppetant neceſſaria ad tot adjutores alendos. Itaque culpari non poteſt,
„ ſi ex piorum cœtu deligantur, qui bono teſtimonio ornati, ea ad tem-
„ pus gratis procurent, in quę poſteà, ne nimis graventur, alii ſimiles ſuc-
„ cedant. προεστῶτας apud nos eſſe *menſurnos*, falſum eſt, προεστῶτες enim ſunt
„ omnes Paſtores, qui nunquam illud munus deponunt. Si verò id intel-
„ ligatur de iis qui in Presbyterio, ut ordo ſervetur, ex electione pręſident,
„ nihil eſt abſurdi ſi *menſurni* ſint; vel etiam, ut ſic loquar, *Septimanarii*,
„ aut *diurni*. Nec etiam obſtat Diaconorum aut Seniorum inferioris or-
„ dinis promotioni, ad ſuperius Eccleſiaſticum munus, quod aliquando
„ ceſſarint, ſi alioqui dotibus iis polleant, quæ ad illud requiruntur; quod
„ ſæpè etiam factum eſt.

v. *Object.* Sunt idiotæ, ſimplices, indocti. *Schulting. lib.* 2. *pag.* 59. Et ſic *Bologninq, Cudſemius* loc. cit. Eadem amplificat *Tilenus*; Et nonnulli ex Remonſtrantibus, in Philippicis ſuis, & libellis Eriſticis. *Reſp.* 1. Aliud eſt vocatio ſive munus; aliud perſona cui applicatur. Itaque hinc ordo non expugnatur. 2. Falſum eſt omnes eſſe tales. Non tantum ex civitatibus, ſed etiam ex vicis poſſemus quamplurimos producere, qui cognitione ſcripturarum & rerum ſpiritualium, vulgares ſacerdotes, Canonicos, Abbates, Epiſcopos, Cardinales, Papas longiſſimè ſuperent. Ut jam non dicam de multis literaris, rerum divinarum & humanarum ſcientiâ præcellentibus.

Interim hoc agitur, ut maximè idonei conſtituantur. 3. Non omnes paſtores apud nos, nedum in Papatu, ſunt æque periti. De pleriſque Papis, Epiſcopis, Cardinalibus, &c. notum nimis, quanti ſint Theologi; & quam idonei ac prompti ad quotidie laborandum in ſermone & doctrinâ. Idem dicendum de eorum literaturâ. *Bellarminus* ut defendat authentiam Latinæ tranſlationis, inter alias hanc rationem allegat: quod pauci ex Epiſcopis (qui tamen concilia conſtituunt) Hebraicæ, & Græcæ linguæ periti ſint. Quid ergo aliud ſunt, quam ſuperbi idiotæ. Ignorantiam clericorum Papalium, alibi tangimus, in 3. *part. ſel. diſp. tit. de Ignorantia.*

VI. *Object.* Sunt homines vilioris conditionis, *è fece plebis*, ex ſartoribus, tonſoribus, nautis, fabris, lanionibus, piſtoribus, coquis, cæmentariis, circulatoribus, cauponibus, aurigis, &c. Sic *Schulting.* paſſim & *lib. 2. pag.* 58. *Cudſemius* & *Bolognino loc. cit. Simon Fitz in Miniſtromach. lib. 2. pag.* 232. Miſerum animal gloriæ *Tilenus* in *paraneſi* ſuâ opificum tabernas, ex quibus ad proſtaſiam illam aſcendant dicti κυβερνήτεις, quibus vix inter remiges in tranſtris aut etiam in ſentina locus eſſet. *Reſp.* 1. Si putant ordinem ipſum his blaterationibus ſubverti, aut infamari? ſciant ſe una in contemptum adducere viros quoſque in Belgio primarios, eruditione, prudentia, muneribus & honoribus præcellentes: quin ipſas ſupremas Provinciarum poteſtates, ampliſſimos viros ad ſuprema quæque collegia delegatos, ſupremarum curiarum conſiliarios ſeu judices, civitatum conſules, ac ſenatores, Syndicos, ſecretarios, Toparchas, Satrapas, prætores, nobiles, I C C. Medicos, profeſſores, &c. qui munere illo piè & laudabiliter defuncti ſunt, aut cæteris paribus ad illud præ aliis promoventur. 2. Eâdem calumniâ ἐξευτελίζουσι politicum & divinitus tam benedictum harum provinciarum regimen; quod ipſis nimis populare ſit. Vide *Molânum in tract. de Fide ſervandâ*; & *Schultingium lib.* 3. *p.* 84. 6. Et *Cudſemium libr. cit.* ubi ab Illuſtr. hujus Provinciæ Ultrajectinæ Ordinibus manum aut potius maledicam linguam non abſtinet. Idem in altero tractatu (cui tit. *Deſperata cauſa Calvini*) fortiſſimam Gentem Helveticam, vocat *ruſticos*: cui *Brantius* tunc miniſter in Palatinatu poſtea Veſaliæ, ſatis apte reſpondit. 3. Sed redolet hoc argumentum, ſeu potius declamatio merum typhum ſæculi. Alibi tamen Papiſtæ paupertatem, & ſimplicitatem crepant. 4. Cogitent miniſtros Waldenſium & Bohemorum, ut & multos primæ reformationis in Belgio, quin & Apoſtolos piſcatores è media plebe electos, non fuiſſe eo deteriores: ſed Deum per exiles iſtiuſmodi & contemptos in hoc ſæculo, mirabilia operatum eſſe. Quam doctus fuerit, & quantus in hoc ſæculo *Martinus Turonenſis*? Quantus librorum & eruditionis helluo *Franciſcus Aſſiſius*, (quos tamen tantopere efferunt)

efferunt) ipſi non ignorant. Vide quid ordo noſter eccleſiaſticus ſtatuat de illiteratis ad miniſtrorum non admittendis *artic.* 8. „ Nulli Ludimagiſtri, „ Opifices, aut alii quicumque literarum rudes ad Miniſterium admittantur, „ niſi in confeſſo ſint ſingularia ipſorum dona, pietas, humilitas, modeſtia, „ ſanum judicium, & prudentia, nec non dona Eloquentiæ. Tales ſi ad Mi- „ niſterium ſeſe offerant, Claſſis illos (Synodo approbante) prius exami- „ net, & pro re natâ ac deprehensâ, aliquamdiu privatim proponentes „ audiat, ac tum cum illis agat prout Eccleſiæ ſalutare videbitur. 5. Quod aliquando, immo alicubi frequenter opifices, & non magnates, aut nobiles, aut eruditi eliguntur: hæc cauſa eſt, quia deſunt ex illis qui religionem amplectantur, aut qui ſpirituali cognitione, exemplari pietate, zelo dictis opificibus pares ſint: juxta illud 1 *Cor.* 1. 26. 27.

VII. *Object.* Sunt inutiles. *Reſp.* immo utiliſſimi: & ad integritatem eccleſiaſtici regiminis, atque adeo ad bene eſſe eccleſiæ neceſſarii: Certè non video, quales olim abſque illis habuiſſemus eccleſias Belgicas aut Gallicas ſub cruce, aut in exilio ſeu in exteris regionibus, aut etiamnum haberemus. Norunt id optimè, qui norunt ſtatum & regimen eccleſiarum ſub cruce, aut in exilio. Concedo quidem nullis inutiles magis viſos, quam qui eccleſiæ integritatem parum curant, aut res novas moliuntur, aut moribus ἄτακτοι ſunt, aut cum Diotrephe φιλοπρωτεύοντες. Sed omnes pii miniſtri, omnes Eccleſiæ, omnes Magiſtratus (apud quem viget hic ordo ſeniorum) libenter agnoſcunt benedictionem divinam huic regimini abundè collatam.

Inſtat *Schulting. l.* 10. *c.* 33. *Inſtantia.* Etiamſi olim fuiſſent conſiſtoria Seniorum, nunc tamen non eſſe neceſſaria, nec prodeſſe poſſe propter diverſum eccleſiæ ſtatum. *Reſp.* Immo nunc magis neceſſaria propter majorem malitiam, minorem caritatem, & conſequenter majora pericula à recidivo typho, aut primatu, deſidiâ & ſuperbia Doctorum.

VIII. *Object.* Affectare imperium in omnes etiam in miniſtros; & ſic popularis illa tyrannis ac paucorum dominatus intolerabilior eſt regimine Papæ & Epiſcoporum. Vide *Schulting. lib.* 3. *pag.* 39. *Reſp.* 1. Boni hoc non faciunt; nec boni miniſtri hoc metuunt aut curant; ſi modo ipſi retineant fidem & bonam conſcientiam. 2. Quamvis hic abuſus intervenire poſſit, aut alicubi intervenerit; hoc ordinem ſeniorum non magis ſubmovere poteſt, quam miniſtrorum aut Magiſtratuum; de quibus ſic Schulting. libr. 2. v. 58. b. *An non pro uno Pontifice & Epiſcopo, eorundemque jugo abjecto plurimorum laicorum Principum, dominorum, ac præfectorum ſervituti ubique ſe ſubjecerunt ac ſubdiderunt, qui extremâ, duriſſimâque ſervitute eos premunt, ut nihil vilius ſit, nihil abjectius nihil contemptius miniſterio Calviniſtico*; &c.

IX. *Object.* Regimen eccleſiæ ſic fieri populare: atque hoc agere noſtros ut rem à primatu longiſſimè abducant. Lutheranos quidem ad ſtatum democraticum; Calviniſtas ad optimatum malle regimen inflectere; quamvis populum ab eo non removeant. Sic *Schulting. libr.2. 39. Sanderus de viſib. Eccleſ. Monarchiâ lib.1. cap.4. & 6.* & ex eo *Schult. libr.4. pag.99.* Idem paſſim concludit eſſe *ἀναρχίαν, ἀκέφαλον, monſtrum abſurdum, informe, ingens, ſeditionum Gallicarum flabellum ac fomentum. Reſp.* 1. Injuria fit non tantum ordini ſeniorum & presbyteriis ſeu conſiſtoriis, atque adeo tot eccleſiis ſanguine martyrum irrigatis, & tantum pro fide certamen ſuſtinentibus; ſed etiam Regibus, Principibus, Rebuſpublicis, quæ ſeniorum regimen aut publicè receptum approbârunt, aut admiſſum autoritate ſua munierunt. Ut videre eſt in Conſtitutionibus Eccleſiaſticis Genevenſibus, Gallicis, Belgicis, Naſſovicis, &c. Præterea in *edicto Nannetenſi*, quo admiſſio religionis noſtræ in Galliâ ſub Henrico IV. ſancita fuit; ut & edicto Eduardi VI., quo admittuntur Eccleſiæ Belgicæ cum regimine ſuo (vide illud edictum cum *Conſtitution. Eccleſiæ* Londino-Belgicæ à *Mart. Micron* Belgicè, Et cum *Joh. à Laſco* regimine eccleſiarum peregrinantium, Latinè), quod etiam à ſuccedentibus Regibus confirmatum fuit. De confirmatione regiminis presbyterialis in Scotiâ, conſtat ex libro *Conſtit.* anno 1619. vernaculè edito. Ne quid dicam de eccleſiâ Embdanâ, Hanovienſi, Hamburgo-Altenaenſi, Veſalienſi, Steinfurtenſi, Hammonenſi, aliiſque in circulo Weſtphalico & Ducatibus Cliviæ, & Markenſi; deque eccleſiis, Waldenſibus, Pedemontanis, Bohemicis. 2. Tantum abeſt ut ſit confuſio & ἀναρχία; ut contra nullibi magis vigeat & conſervetur doctrinæ puritas, vitæ ac morum integritas, diſciplinæ exercitium, Euangelii propagatio, eccleſiæ collectio & augmentatio; nullibi ſint magis verè paſtores, attendentes verbo, ſibi, eccleſiæ: quam ubi ordo & autoritas ſeniorum maximè ſarta tecta eſt: addo & nullibi minus novitatum, mutationum, concuſſionum, heterodoxiarum, ſciſmatum, contentionum, ſcandalorum. Et vel ipſi Pontificii teſtes ſint. Auſim dicere in eccleſiis Belgicis nullas unquam turbas, nullas innovationes, nullas ἀταξίας, factiones aut diſceſſiones ortas, niſi ex poſthabita, aut imminuta, aut oppreſſa aut ſublata legitima ſeniorum & presbyterii autoritate. Legat quis turbas & mutationes paulo poſt reformationem exortas in Eccleſiâ Ultrajectinâ, Leidenſi, Gaudanâ, imprimis & Alcmariana per Adolphum Venatorem, & Remonſtranticas paſſim Harlemi, Leidæ, Delfis, Hornæ, &c. Quamdiu *Arminius* erat Amſtelredami, prudentiâ & autoritate presbyterii ita continebatur, ut novitates ipſius publicè non erumperent, aut ſaltem non ita graſſarentur. 3. Si eſt factio & tyrannis popularis, monſtroſa ἀναρχία, mera ἀταξία; quomodo

quomodo tamdiu ſubſtitit ? Omne enim regnum in ſe diviſum, &c. Nullas alias eccleſias (ad invidiam declinandam) nunc commonſtrabo, quam Genevenſem, Embdanam, Veſalienſem : quæ inter reformatas celeberrimæ & antiquiſſimæ, inter tot inſidias & certamina hoſtium, qui foris ſunt, εὐταξίᾳ, concordiâ, antiquâ humilitate & ſimplicitate, mutuâ συγκαταβάσει, miniſtrorum præſtantiâ, populi obedientiâ & frequentiâ, ſemel ſuſceptæ doctrinæ ac diſciplinæ puritate & conſtantiâ, extraneorum à fide converſione aut confuſione, florent ac creſcunt uſque in hunc diem. Adeo ut eximii Theologi *Pezelius* & *Cruciger* Emdanam eccleſiam aliquando perluſtrantes, exclamarent : ſe *ibi demum vivam eccleſiæ Apoſtolicæ imaginem vidiſſe*, ut refert *Lubbertus* contra *Grotium*, fere ſub finem : ubi vide reliqua, quę huc faciunt. Si expediret antiquas & eximias eccleſias ſub cruce deſignare; utique non deeſſent imagines Apoſtolicę ſimplicitatis & primævæ virginitatis, nominatim in εὐταξίᾳ regiminis.

CAP. VI.

Ad Problemata quædam de ſenioribus reſpondetur.

RESTAT nunc ad problemata quædam breviter reſpondeamus : quorum nonnulla ſpectant vocationem & officium ſeniorum ſigillatim; alia officium eorum collectim in conventibus ſeu collegiis eccleſiaſticis. Prioris generis ſunt.

I. *Quæſt. A quibus, & quomodo ſeniores ſint eligendi ? Reſp.* Eccleſiaſticè ab eccleſiâ : idque vel à membris eccleſiæ ſigillatim; vel ab iiſdem in ſynedrio, ſeu per ſynedrium & diaconos. Ut habent Conſtitutiones noſtrę eccleſiaſt.

Ad *Schultingii* objectionem; diaconis illam poteſtatem non convenire. *Reſp.* Non facere hoc quà diaconos, ſed quà ab eccleſiâ ſeu populo ad illud conſtitutos. In illis enim eligere intelligendus eſt populus, & ſic libertas ac jus electionis in pluribus illis (ſynedrio ſcil. adjunctis) tanto melius conſervatur & exercetur. *Quod* alii volunt à Magiſtratu aut in totum, aut ex parte eligendos, ut habent Conſtitut. Eccleſiaſtic. à Remonſtrantibus pro provinciâ Ultraject. anno 1612. fabricatæ, *cap. 9. art. 2.* & 5. quin & *Grotius* eos non admittit niſi autoritatem tempore pacis à Magiſtratu mutuentur (*Pietat. p. 312.* & *Bonæ fidei Sibrandi num. 1.*) : ſcripturę, antiquitati, confeſſioni Belgicæ, Catecheſi, Liturgiæ, Conſtitut. Eccleſiaſticis repugnat. De quo infra *lib. 3. tr. 1.* ubi de vocatione.

II. *Quæſt. An in annum aut biennium, aut ad tempus poſſint eligi ? Reſp.*

Schul-

Schultingius lib. 11. *p.* 114. multis invehitur in temporios presbyteros & diaconos; & primos hujus novitatis autores ſacrilegę temeritatis accuſat. Clamat hęc officia ſemper fuiſſe & in V. & in N. T. perpetua. Sed fluctus in ſimpulo. Circumſtantiam non facere aut tollere rei ſubſtantiam, jam diximus. Sunt alicubi perpetui; & apud nos ut ſint, ubi ita fieri expedit, & poteſt, nemo repugnat. Vide *Junium in Eccleſiaſt.* Et *Bucerum*, cum *Sopingio* ſupra cit.

III. *Quæſt. An etiam diaconi poſſint in aliquibus vices ſeniorum ſuſtinere, aut ſupplere, aut iis in executione muneris ſui adjutores eſſe. Reſp.* Ita obtinet in eccleſiis & presbyteriis minoribus; aut ubi ſeniores non ſunt. Et ratio eſt: quia in tali caſu eccleſiaſticè ad illud vocantur & conſtituuntur; quomodo aliquando in defectu ſeniorum aliquis aut aliqui ex membris eccleſiæ adſumuntur, ut tanquam ſeniores hęc vel illa officia eccleſiæ præſtent.

IV. *Quæſt. An ſuffragia deciſiva iis competant, in doctrina æquè ac diſciplina. Reſp.* Aff. *Catecheſis noſtra quæſt.* 85. coll. cum *Conſtitutionibus Eccleſiaſtic.*, & *Liturgia*, in formula confirm. Seniorum.

Si quis excipiat cum *Grotio* & Pontificiis ſupra cit., Ut & *Grevinckhovio* in præfat. ad ſcriptum ſuum contra Ameſium, aliiſque ſatyricis Remonſtrantium libellis eſſe laicos, aut idiotas, & indoctos; immo & ruſticos ſeniorum pallio tectos, &c. quibus tanti momenti judicia non ſint committenda. *Reſp.* 1. nihil aliud reponimus, quam quod Reformati hactenus Pontificiis, & Bellarmino, pro laicorum conſiliis & judiciis in Conciliis Nationalibus & Oecumenicis (nedum in præsbyteriis, & claſſibus) hactenus reſponderunt: quin & ipſi Remonſtrantes *Apologiæ c.* 20. 21. 2. *Idem* objici poſſet pleriſque Magiſtratibus, quibus ſolis Remonſtrantes cum Grotio ſuo deciſionem controverſiarum in dogmatis, & diſciplina conferebant: neque enim omnes illi in utraque literatura, in antiquitatibus tam verſati erant ac *Grotius*. 3. Si quis *Grotius* aut exercitatus JC. idem objiciat multis judicibus, qui in vicis aut civitatibus graviſſimas controverſias tam criminales quam civiles determinant: (& quidem abſque ulla relicta provocatione ad ſuperiorem curiam (quod toparchiis quibuſdam in Belgio competit) an dicet idiotis & ruralibus judicibus jus ſuum adimendum eſſe, & ſibi legum magis perito tribuendum. Minime credo. Nec tamen juſtitia vim patietur. Prudentiſſimè enim judicęs illi ſolent, non niſi habitis doctiſſimorum Juriſconſultorum conſiliis, & ſententiæ quaſi præformationibus, ſententiam ferre. Ita etiam ſenioribus noſtris (ſi qui in graviſſimis controverſiis minus perſpicaces & exercitati ſint, quod ipſis cum Epiſcopis, Cardinalibus, etiam paſtoribus & curatis pleriſque commune eſt) judicia & ſententiæ à Theologis præformari poſſunt.

V. *Quæſt.*

V. *Quæſt. An viſitatorum, aſſeſſorum, actuariorum, deputatorum, & ſimilibus officiis incidentibus defungi poſſint? Reſp.* Quidni, ſiquidem æquè aut magis idonei ſint, & iis vacare queant. Qui ſtatis muneribus in regimine eccleſiaſtico funguntur, ab incidentibus illis excludi nequeunt. Exempla in praxi reformatar. eccleſiarum commonſtrari poſſent. Quod plerumque, aut fere ſemper miniſtris illa onera imponuntur, hoc fit quia magis idonei, aut quia ſeniores ſine incommodo vix iis vacare poſſint. Alioquin ſi ſtipendia ſenioribus aſſignari alicubi contingeret; aut ſint inter eos qui vacare vellent; forent illi ejuſmodi agendis crebro admovendi, tum ſeorſim, tum conjunctim cum miniſtris: ita miniſtri tanto melius & lectioni & prædicationi attenderent.

Secundi generis problemata ſunt.

I. *Quæſt. An penes presbyterium (conſtans ex miniſtris & ſenioribus) in ſingulis eccleſiis parochialibus ſit poteſtas eccleſiaſtica, ſeu potius poteſtatis executio. Reſp.* Aff. idque probatur ex *Math.* 18. 1 *Cor.* 5. cum 18. 2 *Corinth.* 2. *Phil.* 1. 1 *Actor.* 20. 1 *Timoth.* 4. Quod quidam executionem poteſtatis populo tribuunt; ex iiſdem locis refutatur. Vide *Zadeelum*, & *Gerſonem Bucerum*, ſupra cit. Ex iiſdem locis profligatur quidquid adverſus nominis & rei abſurditatem ac novitatem declamant, *Stapletonus*, *Sanderus*, & qui immodeſtia omnes ſuperant, *Cudſemius*, & *Schultingius*, præſertim *lib.* 10. *cap.* 18. 19. Ubi ſex abſurditates infert contra conſiſtoria. Nobis alioquin perinde eſt an presbyteria, an ſynedria & ſeſſiones, an conſiſtoria, an ſenatus eccleſiaſtici, an collegia, an conventus dicantur. Ipſe *Schultingius* nominibus illis utitur paſſim.

II. *Quæſt. An neceſſitate ita requirente extraordinario & in certo aliquo negotio; aut libero conſilio ac diſpoſitione pro nunc & ſemper, eccleſiæ ſeu presbyteria quandam inter ſe formare queant conjunctionem, aut correſpondentiam, quæ nomine claſſis, aut presbyterii, aut ſynodi veniat: ubi delegati ex omnibus illis eccleſiis, aut tanquam arbitri aut tanquam judices controverſias, quæ in quâque parochianâ eccleſiâ ortæ ibique conſiſtorialiter terminari non poterant, decidant; præterea in gravioribus quibuſdam agendis eccleſiaſticis, ſingulis, parochiis & presbyteriis communi conſilio & operâ aſſiſtant: idque ad pacem, & majorem eccleſiæ ædificationem. Reſp. Grotius* non obſcurè ridet *Claſſiarios*, *pag.* 44. 78. Et paſſim perſtringit *Schultingius.* Sunt etiam, qui putant omnes tales conventus præjudicare poteſtati cuilibet ſynedrio in eccleſiæ ſuæ negotiis conceſſæ. Quod ad nomen, perinde eſt ſive ſynodus, ſive claſſis, ſive cœtus, ſive concilium, ſive presbyterium dicatur. Ipſe *Schultingius meminit lib.* 1. *p.* 6. & *lib.* 11. *p.* 101. & 105. *claſſium*, ſeu capitulorum ruralium, quorum dicit maximam eſſe autoritatem in cauſis

 diſci-

Digitized by Google

diſciplinæ. *Quod ad* ipſam rem, fundamentum ejus in ſcriptura comparat. 2 *Corinth.* 8. & 9. ubi eccleſiæ plures parochianæ, in unum corpus, aut ſocietatem, aut correſpondentiam leguntur conjunctæ (ſive uno loco convenerint earum delegati; ſive per literas conſociationem hanc inivérint) ad una eademque agenda eccleſiaſtica. *Adde*, rationem Concilii Provincialis, aut nationalis, &c. quam omnes deſumunt ex *Actor.* 15. *Denique* requirit & docet illud neceſſitas ac ratio naturalis; quę ex pace & conſervatione eccleſiarum deſumpta, pro Conciliorum uſu & autoritate adferri ſolet. Vide Autores de Conciliis. Nam magis & minus, aut periſtatica quædam, non variant hic ſpeciem, aut rei ſubſtantiam tollunt. Habemus ſaltem (præter presbyterium parochiale) correſpondentiam, & collegium eccleſiaſticum; ſeu eccleſiarum aliquot in unâ causâ, aut ad unum negotium eccleſiaſticum unionem, & communem agendorum executionem. Et dato, ex jure divino poſitivo, aut praxi eccleſię Apoſtolicæ tales correſpondentias deduci non poſſe: ſuffecerit ad hominem reſpondere Grotio & Pontificiis, jure eccleſiaſtico apud nos ſtatutas & hactenus obſervatas eſſe. Quod uni membro eccleſiæ (qualis tunc *Grotius*) privatâ autoritate traducere & movere non licuit. Sed de claſſibus & ſynodis infra *part.* 3.

Interim iſta problemata diſquirenda permittemus,

1. *An, quouſque, & quamdiu neceſſaria ſit talis correſpondentia: & an nulla parochia poſſit eſſe, ſaltem bene eſſe ſine eâ.*

2. *An fundamentum ordinis incorporationis ſeu aſſociationis parochiarum in claſſem, ſit voluntarius contractus inter parochias illas initus.*

3. *An verò conjunctio aliquot parochiarum in uno loco ſeu viciniâ, aut potius in & ſub uno diſtrictu & ditione politicâ poſſit fundare hanc correſpondentiam, ſive velint ſive nolint eccleſia.*

4. *An ſynodus provincialis aut Nationalis, accedente Magiſtratus autoritate; aut hac ſola poſſit eccleſiis hanc correſpondentiam, imponere?*

5. *Si rationes contractus ceſſent, aut graviores rationes ab eo reſilire perſuadeant; an non liceret parochiæ aut parochiis, claſſem hanc, aut etiam omnem claſſem deſerere.*

6. *An eccleſia parochiales primo coëuntes in claſſem, poſſint fundare jus eccleſiaſticum, & quidem perpetuum, quo teneantur ſucceſſores eorum.*

7. *An & quæ dependentia poteſtatis presbyterialis à claſſe; aut claſſicalis à presbyterio, tum in ortu, tum in actu.*

8. *An eccleſia parochialis præcedens jus habeat in ſuccedentem, in conſtituendo jure aliquo, aut imponendo aut admittendo ordine, quo ſuccedens teneatur. Et ſiquidem dicatur habere jus; an tum ſervetur* ἰσονομία, *an hâc ratione eccleſia*

con-

Digitized by Google

conſtituatur ſupra eccleſiam, ex. gr. Tigurina ſeculi 14. ſupra ſuccedentem Tigurinam ſeculi decimi quinti.

9. *An vero dicetur eandem eſſe eccleſiam ſpecie, & formâ: quamvis numero diſtinctam. Quod ſi dicatur; tum quæritur an talis identitas ſpecifica ſufficiat ad eccleſiam poſteriorem uni contractui, juri, & ordini ſubjiciendam.*

III. *Quæſt. An ſeniores cum miniſtris pari autoritate & numero ſuffragiorum poſſint conſtituere & celebrare, claſſes & ſynodos, omniaque ibi propoſita abſolvere: ut habent Conſtitut. noſtræ Eccleſiaſt. Reſp.* Aff. Nec ulla ratio in contrarium adduci poteſt. Et putamus hoc maximè facere ad Doctorum ſuperbiam, oligarchiam, primatum, tyrannidem, (quæ eccleſias antehac tam miſerè perdidit) præveniendam, & procul avertendam.

IV. *Quæſt. An ſeniores paſtore defuncto (ubi unus eſt) nihilominus faciant presbyterium, & actus aliquos regiminis ac juriſdictionis exercere poſſint? Reſp.* Aff. Vide reſponſum noſtrum ad dictum Hieronymi à Pontificiis objectum: *Eccleſia non eſt, quæ ſacerdotum non habet;* in *Deſper. Causâ Papatus.*

V. *Quæſt. An regimen & autoritas claſſis, differat ab Epiſcopali? Reſp.* Toto genere. Confer modo actus omnes claſſicales cum poteſtate & jure Epiſcoporum.

VI. *Quæſt. An minus conveniat in vicis presbyteria erigere, quam in civitatibus. Reſp.* Neg. Contrarium habet *Ordo Eccleſiaſtic.* Remonſtant. pro Ultrajectinâ Prov. *anno* 1612. Sed ſapit aliquid oligarchicum, aut eccleſias cathedrales: quod cum regimine reformatorum in Belgio non convenit.

VII. *Quæſt. An deputati ſynodi, ceſſante ſynodo, ſynodalem poteſtatem apud nos habeant? Reſp.* Sic quidem objicit ipſis Grotius Pietat. pag. 112. *Si noſtros illos noſſet interreges, quos legatos ſynodi vocant, qui dum ſynodus non habetur, ipſi ſe pro ſynodo gerunt.* Sed calumnia eſt. Nullam habent poteſtatem (uſurpationem omnem ſepono): talis etiam, qualem fingit *Grotius*, vel umbram nemo tunc vidit; niſi ad certa & deſignata quædam negotia, quæ ſynodus non ſemper ita abſolvere poteſt; abſolvi tamen neceſſe eſt. Cui acceſſit ad meliorem orthodoxiæ communis cuſtodiam, aſſiſtentia in examinibus candidatorum miniſterii. Nunquam illi poteſtatem ſynodalem habent: niſi cum ſynodus hoc aut illud negotium ſynodali poteſtate ipſis terminandum præſcribit. Quo in caſu memini delegatos vicinarum claſſium, aut alios quoſdam iis plerumque adjungi.

Hactenus anno 1639. cum diſputationem de Senioribus, hic inſertam, primum ederem. Addo nunc, de Deputatis ſynodalibus & eccleſiis cathedralibus *part. 1. lib. 1. cap. 6. pag. 96. & 113.* plenius actum eſſe. Quamvis

autem objectiones ab aliis, qui poſt annum 1639. mihi viſi ſunt, fere coincidant cum illis, quas ſupra diluimus; ne tamen quid prætcriiſſe videar, non pigebit Doctoris cujuſdam Anglicani quinque objectiones ſigillatim excutere.

I. *Object.* Quod nullum iſtius ſenioratus veſtigium in ullâ totius mundi eccleſiâ jam per ſæcula aliquot reperiatur: cum tamen Epiſcopi, Preſbyteri docentes, Diaconi à Chriſto & Apoſtolis inſtituti, quâcunque corruptione ſequioribus ſæculis ingreſsâ, in omnibus totius orbis eccleſiis permanſerint.

Reſp. I. Si ideo ſenioratus non eſt divinæ inſtitutionis, quia tot ſeculis in eccleſiis non fuerit: jam vera religio pariter negari poſſet, non eſſe divinæ inſtitutionis, quod ea per totum terrarum orbem per tot ſæcula (exceptâ unâ Judæa) publicè exercita non fuerit. Sed logi iſti Papales de antiquitate, ſucceſſione, catholiciſmo, à noſtris in diſputatione de notis eccleſiæ, & à nobis alibi profligati ſunt.

Reſp. 2. Poſt exceſſum Apoſtolorum, ſeu eccleſiam Apoſtolicam, non manſiſſe eccleſiam virginem & primævæ integritatis tenacem, in ritibus, & regimine, ne quidem in dogmatis, conſtat ex hiſtoriâ ſucceſſionis; quam noſtri in hiſtoriis eccleſiaſticis; & compendio texit *Perkinſus in Problemate Catholico.*

Reſp. 3. In eccleſiis Papalibus ſemper non manſerunt, ordines Epiſcoporum, Presbyterorum ſeu Paſtorum, Diaconorum: ſed forte nuda nomina, abſque re. Sic & ſacerdotis ſeu presbyteri Papalis officium conſiſteret in duobus, in conſecratione & oblatione corporis Chriſti; & in abſolutione à peccatis. Et canonici in ſtallo in choro, & voce in capitulo. Ubi hic verbi prædicatio, & illud, *Væ mihi niſi Euangelizen*? 1 Cor. 9. v. 16. Ubi illud? *Nos vero in oratione & adminiſtratione ſermonis manebimus?* Actor. 6. v. 4.

Reſp. 4. Quæcunque corruptio eccleſias infeſtârit, manſerunt tamen veſtigia ſenioratus: cum quidam non-epiſcopi aut non-concionatores, hoc eſt, laici (uti eos appellare libet) in ſynodis majoribus aut minoribus comparebant. De quo vide Antagoniſtas *Bellarmini Wittakerum*, & *Fr. Junium ad lib.* I. *de Concil. cap.* 14. Et librum Principum Proteſtantium contra Concilium Tridentinum. Quin & in Angliâ, ubi regimen Epiſcopale ſenioratum excludere videtur, ſunt cuſtodes ſeu ephori eccleſiæ (vernaculè **Church-Wardens**) in quâque parœciâ, quos ſimilitudinem aliquam gubernantium presbyterorum habere, agnoſcit *Adrianus Saravia in tract. de miniſtrorum gradibus cap.* 11.

II. *Object.* Paulus 1 *Timoth.* 3. à deſcriptione Epiſcoporum & verbi miniſtrorum immediatè tranſit ad deſcriptionem diaconorum: prætermiſſis ſe-

ſenioribus; qui alioqui eſſent medii inter concionatores & diaconos. *Reſp.* Inſulſa eſt conſequentia. Si 1 *Tim.* 3. non deſcribuntur aut præſcribuntur ſeniores: Ergo in ſcripturâ non præſcribuntur. Quaſi quis ſic ratiocinaretur; Judicium extremum, Chriſtus mediator, lapſus Angelorum, reſurrectio mortuorum *Geneſ.* 1. aut 2. aut aliis centenis ſcripturæ capitibus & tmematis, aut in toto libro Eſther, non docentur: ergo nuſquam in ſcripturâ docentur. Eſt paralogiſmus à negatione particulari ad negationem totius, ſeu univerſalis: quaſi quis diceret, Lutetia non eſt in hâc aut illâ parte orbis terrarum, e. gr. in Hiſpaniâ; ergo non eſt in orbe terrarum.

Sed inſtet quis, *Inſtantia:* Atqui 1 *Timoth.* 3. erat occaſio agendi de ſenioribus; *Geneſ.* 1. aut aliis in ſcripturæ capitibus, non eſt occaſio agendi de judicio, de reſurrectione, de Chriſto mediatore, de lapſu Angelorum? *Reſp.* Quis ille Dei conſiliarius, qui ſanctum Iſraelis circumſcribat, & nunc eſſe Dei occaſionem, aut καιρὸς tale vel tale quid dicendi aut agendi præſcribat? *Reſp.* 2. *cap.* 9. ejuſdem epiſtolæ & *Rom.* 12. 1 *Cor.* 12. ſeniores ſeu presbyteros gubernantes doceri ſupra oſtenſum eſt. *Beza de miniſtrorum gradibus* c. Saraviam *cap.* 9. contendit etiam 1 *Timoth.* 3. generali illa appellatione *Epiſcopi*, comprehendi Paſtores, Doctores, Seniores. Sed nos hoc linquimus. *Reſp.* 3. Ad hominem poſſet apud adverſarios hujus argumenti nuditas & vanitas ſic proſtitui. *Actor.* 20. ubi occaſio erat diſcernendi & compellandi Epiſcopum Epheſinum, tanquam ſupra reliquos presbyteros paſtorem paſtorum: Atqui hoc non facit: Ergo Epiſcopi (*hierarchici*) in ſcripturis non comparent.

III. *Objεct.* Si nec ſcriptura nec praxis eccleſiaſtica ſeniorum, qui præſcripti dicuntur, agenda determinet; certe homines in periculoſâ incertitudine relinquerentur. Neſcirent enim, quouſque poteſtas hujus muneris ſe extenderet: quouſque eundum, ubi ſiſtendum. Sed poſterius abſurdum. Ergo. *Reſp.* Satis determinatur ab eccleſiis reformatis, in ſuis Conſtitutionibus & liturgiis, præſertim in noſtrâ Belgicâ: & quidem conformiter verbo Dei. Nulla ergo periculoſa dubitatio & fluctuatio hic metuenda.

Inſtantia. Atqui omnia, quæ ſeniores agunt & ab ipſis in confirmatione poſtulantur, ipſis diſtinctè & ſpecificè in ſcripturâ non præſcribuntur. *Reſp.* Sufficit in genere ipſis præſcribi τὸ paſcere τὸ ἐπισκοπεῖν, τὸ regere *Actor.* 20. *Rom.* 12. 1 *Tim.* 5. *v.* 17.: ſub quo particularia officia ſubſumi poſſunt. Deinde quidquid presbyteris præſcribitur, etiam illis præſcribi dicendum eſt.: excepto eo, quod ſcriptura excipit 1 *Timoth.* 5. *v.* 17.

IV. *Object.* Quia nullum fuit presbyterium, nulli ſeniores ſeu presbyteri gubernantes ſub V. T. Ergo inde concludi non poſſunt presbyteri, & preſbyteria

byteria ſub N. T. Antecedens probatur: Quia erant ſeniores, & ſynedria (*Sanhedrin*) politica; qui capitales ſententias ferebant & exequebantur. *Reſp.* Supra dictum, duplices fuiſſe ſeniores, civiles ſcil. & eccleſiaſticos; duplicia ſynedria ſeu Sanhedrin. Idque ex 2 *Paralip.* 19. coll. cum *Deuter.* 17. aliiſque ſcripturæ locis rectè colligi, à *Bonav. Cornelio Bertramo*, *Beza*, *Fr. Junio*, *Piſcatore*, *Wolphio*, *Gerſone Bucero*, *Joh. Gerardo*, *Sopingio*, aliiſque infra *part.* 3. (ubi de presbyteriis, ſeu ſynedriis, & de Clavibus regni cœlorum) citandis. Nec juvat cauſam adverſariorum inſtantia, ex ſtatu τοῦ Sanhedrin, coram quo ſervator noſter Chriſtus accuſatus fuit: quia illud ſpecie & formâ fuiſſe eccleſiaſticum, in quo præſidebat Pontifex Cajaphas, demonſtrari poteſt. Ex *Math.* 27. *v.* 57. 59. cum *Marc.* 14. *v.* 53. 55. *Joh.* 18. *v.* 19. Nihilque adferri poteſt, quod certò demonſtret conventum aut ſynedrium, id eſt, *conſeſſum* illum nocturnum in aulâ Cajaphæ & ſub ipſius præſidio, fuiſſe politicum, non eccleſiaſticum. Exceptiones & inſtantiæ infra *part.* 3. *lib.* 1. & 4. ſigillatim excutiendæ erunt. Et dato in tantâ corruptione illud per admixtionem aut confuſionem aliquam à primævâ formâ & integritate defeciſſe: illud tamen rem plane non tolleret; ſaltem ita non tolleret, ut nullum ejus veſtigium tunc exſtitiſſet.

v. *Object.* Omnes patres, omnia concilia, cum meminerunt *ſeniorum*, collocant eos inter epiſcopos & diaconos, faciuntque eos clericos; & *Actor.* 20. *v.* 17. 28. jubentur *paſcere gregem*, ergo ſequitur, fuiſſe eos paſtores ſtrictè ſic dictos. *Reſp.* Conſequentia negatur: nititur enim duabus falſis hypotheſibus, quarum *prior*: Seniores non paſcere, non ἐπισκοπεῖν. *Altera*, quia nomen *paſtoris* & *epiſcopi*, appropriatè tribuitur presbyteris docentibus ſeu publicè & ordinariò concionantibus; ideo nullo modo competere presbyteris gubernantibus. Et ſi autoritates quærimus: ſcriptor ſub nomine *Ambroſii* in 1 *Timoth.* 5. loquitur de presbyteris qui non erant paſtores, eoſque à paſtoribus ſeu presbyteris diſtinguit. *Beza* & *Gualterus* *Actor.* 14. *v.* 14. de utriuſque generis presbyteris exponunt. *Beza* ad 1 *Petri* 5. *v.* 1. *Fr. Junius* Eccleſiaſtici *lib.* 2. *cap.* 1. Doctores Leidenſes in *cenſurâ confeſſionis Remonſtranticæ cap.* 21. nomen Epiſcoporum & paſtorum commune faciunt presbyteris docentibus & gubernantibus, immo omnibus eccleſiaſtico munere fungentibus. Et ut ad hominem reſpondeamus, presbyteri non docentes, hoc eſt, ſacerdotes ſacra peragentes, non tamen ordinariò concionantes, à Pontificiis hoc nomine deſignantur. Ne prætereamus aliorum objectiones ſeu mavis exceptiones, audiatur & iſta.

Exceptio, Seniores tales erant in eccleſiâ primitivâ, qui communi conſilio cum paſtoribus ſeu concionatoribus, eccleſias gubernabant; quamdiu & ubi Magiſtratus non erat Chriſtianus: ſed cum Magiſtratus jam factus eſt Chriſtia-

ſtianus, ſeniorum ſeu presbyterorum iſtorum vices ſuſtinent ac ſupplent ſeniores politici. *Reſp.* Lepidum ſane hominum commentum, ſi vera dicerent. Unde quæſo probabunt hanc ſubſtitutionem & ἐπιλείψιν in gubernatione eccleſiæ? an ex purâ ſuâ affirmatione? Quoties Magiſtratus fit Chriſtianus, aut favet religioni & eccleſiæ, ſenioribus gubernantibus & docentibus, dicendum, *Veteres migrate coloni*, Magiſtratui claves regni cœlorum tradite, & regimen eccleſiaſticum ad illos transferte: ſimulac vero idem Magiſtratus apoſtata fit à religione & eccleſiâ, aut eas curare non vult, vos claves reſumite, & regimen ac præfecturam eccleſiæ exercete: & quidem jure divino; de quo tamen in juris divini tabulis ne γρῦ comparet. Vide quæ ſupra *part. 1, tract. 2. cap. 2.* & ſeqq. contra prætenſam Magiſtratus poteſtatem eccleſiaſticam ſeu intrinſecam diſputamus.

CAP. VII.

De Doctoribus.

DOctorum mentio fit *Epheſ. 4. v. 11.* Eoſdem Conſtitutiones eccleſiaſticæ eccleſiarum Belgicarum *artic. 2.* à reliquis miniſtris ſacris diſtinguunt: *Miniſteria*, inquiunt, *ſunt quatuor generum: Miniſtrorum verbi, Doctorum, Seniorum, Diaconorum.* Et artic. 18. officia eorum ſic deſcribunt: *Doctorum & Profeſſorum Theologiæ partes ſunt, ſacras literas interpretari, puritatemque doctrinæ adverſus hæreſes & errores propugnare.* §. 1.

Iidem Doctores poſſent dici *Prophetæ*, cum inſtruunt filios Prophetarum, & cœtibus Prophetantium atque exercentium præſunt. *Catechiſtæ*, cum rudiores lacte alunt, & τὰ στοιχεῖα ſeu elementa Chriſtianiſmi inculcant. *Lectores*, cum promiſcuè coram quibuſvis auditoribus, aut ſeorſim coram filiis Prophetarum & ſacri miniſterii candidatis ſive in ſcholis publicis, ſive in cœtibus privatis aut privato-publicis, ſcripturas ex originalibus interpretantur, hypotypoſim ſaniorum ſermonum proponunt, controverſias tractant.

In antiquâ eccleſiâ tales fuere Pantænus, Clemens Alexandrinus, &c.; ſuccedentibus ſæculis in monaſteriis ſeu collegiis theologiæ ſtudioſorum & miniſterii candidatorum, tales erant Epiſcopi; & poſtea in capitulis canonicorum *ſcholaſtici*, ita dicti; & in monaſteriis monachorum *lectores*, ita dicti.

Sed quæſtionibus aliquot materiam hanc illuſtrare conabimur.

I. *Quæſt. An Doctores diſtinguantur à paſtoribus* Epheſ. 4. v. 11. *an vero*

ſint

ſint diſtincta ſolummodo & ſynonyma voces Paſtoris & Doctoris, *unum idemque miniſterium, ſeu gradum miniſterii ſacri denotantes? Reſp.* Sunt qui prius Aff. cum quibus facere videntur conſtitutiones noſtræ eccleſiaſticæ. Sed *artic.* 30. *confeſſionis Belgicæ* tres ſolummodo miniſterii eccleſiaſtici gradus enumerando, (paſtoris ſcil., ſenioris, diaconi) pro eodem videtur habere Paſtorem & Doctorem. Et ex patribus, mediæ ætatis ſcriptoribus Pontificiis, reformatis, ſic ſentiunt, ſequentes *Hieronymus in Epheſ.* 4. *Auguſtinus epiſt.* 59. *ad Paulinum. Primaſius, Oecumenius, gloſſa Ordinaria, Thomas, Eraſmus, Muſculus ad Epheſ.* 4. Interpretes Belgici ad *Rom.* 12. & *Epheſ.* 4. huc inclinare videntur, quamvis in neutram partem determinent. Ut nec notę Anglicæ (primæ edit.) ad *Rom.* 12. quæ ſolummodo referunt quorundam opinionem; ad *Epheſ.* 4. nihil ad voces *Doctores, Paſtores*, annotant. In oppoſitam ſententiam concedit *Rollocus* ad *Epheſ.* 4. Sed cum textus non cogat nos eccleſiaſtica hæc miniſteria diſtinguere, nec dicat *alios Paſtores alios Doctores*; ſed, *alios autem Paſtores & Doctores*: quatuor gradus ſeu genera ordinarii miniſterii eccleſiaſtici hinc certò concludi nequeunt.

Sed *objiciat* quis, eſſe tamen Doctores & Profeſſores Theologos in ſcholis & collegiis, qui doceant filios Prophetarum ſeu miniſterii candidatos; & qui alicubi cum paſtoribus unum conſtituunt collegium, & ſimul negotia eccleſiaſtica tractant. *Reſp.* Sunt qui duplices faciunt Doctores, eccleſiaſticos & Scholaſticos: quorum illi circa eccleſiam communiter docendo laborent; iſti ſpecialiter circa literatos & ſcholaſticos. Sed tales diſtinctos doctores à Chriſto immediatè inſtitutos eſſe, & in tabulis juris divini deſignatos, certo probari non poteſt: ſaltem ex *Epheſ.* 4. *v.* 11. non liquet.

Alii Doctores illos eccleſiaſticos eoſdem faciunt cum paſtoribus; qui, ſive doceant totum populum eccleſiaſticum ſcripturas accuratè interpretando, & ab erroribus & detorſionibus genuinam ſcripturarum veritatem vindicando; ſive doceant filios Prophetarum ſeorſim in collegiis, aut ſcholis publicis ſeu univerſitatibus, aut in cœtibus privatis, & privato-publicis, in domo aut contubernio paſtorum; ab officio paſtorum & Doctorum, nihil alienum faciunt: non magis, quam cum rudiores ſeorſim docent catechiſmum, aut cum provectiores aliquot Prophetantes & ſe exercentes dirigunt. Et ſanè in eccleſiâ veteris Teſtamenti, Samuel, Elias, Elizeus; ut & in eccleſiâ novi Teſtamenti epiſcopi ſive paſtores, doctorali hoc officio fungebantur. De illis vide 1 *Sam.* 10. *v.* 5. 1 *Reg.* 20. *v.* 35. ibi, & ad 2 *Reg.* 2. *v.* 23. *comment. Martyris.* De iſtis *Actor.* 16. *v.* 1. 3. cum 2 *Tim.* 3. *v.* 14. unde colligitur Timotheum filium Prophetarum à Paulo Apoſtolo & Doctore Gentium ſeorſim fuiſſe inſtitutum; & forte ut compendium faceret, plures iſtius ordinis, ſimul congregati. Idem 2 *Tim.* 2. *v.* 2. hortatur Timo-

Timotheum Doctorem, ut quæ audiviſſet à Paulo *inter multos teſtes*, *committeret fidis hominibus*, *qui ſint idonei ad alios quoque docendos.* En tibi filios Prophetarum ab extraordinariis Doctoribus inſtitutos. De more antiquorum paſtorum, non tantum eccleſiam communiter, ſed & peculiariter, filios Prophetarum & candidatos miniſterii in collegiis inſtituentium, & ad miniſterium præparantium, exemplum Auguſtini (apud Poſſidium in ejus vitâ) nos docere poterit. Pluribus infra *lib.* 4. hoc oſtendetur: ubi de canonicis, capitulis, monaſteriis. In eccleſiis Bohemicis paſtores antehac adoleſcentes miniſterio deſtinatos in domeſticam ſocietatem receptos inſtituebant, eorumque titulo *acolythorum* & *diaconorum*, operâ & auxilio in quibuſdam utebantur. Vide Ordinem & diſciplinam fratrum unitatis *cap.* 2. de ordine miniſtrorum. Paſtorum candidatos ſeorſim docendi & exercendi officium, etiam in Waldenſium, & primis reformatorum eccleſiis in Galliâ, Belgio, atque alibi viguit; ubi copia publicarum ſcholarum non ita ſuppetebat. Hujus rei veſtigium in ordine noſtro eccleſiaſtico deprehendimus *artic.* 20. „Eccleſiæ, in quibus major idoneorum miniſtrorum „numerus viget, uſum ac conſuetudinem propoſitionum inſtituant, ut ta„libus exercitiis aliqui ad miniſterium verbi præparentur, ſequendo in iis „modum ac ordinem, quem de iis ſpecialiter ſynodus hæc conſtituit. Quin etiam Academiis in Belgio fœderato conſtitutis, non defuerunt, qui propriâ ſuâ aut parentum voluntate extra Academias paſtoris alicujus domeſticæ inſtitutioni commiſſi, ad egregiam eruditionem theologicam pervenerunt, & ad miniſterium promoti inter multos alios paſtores eruditione, concionibus, regiminis prudentiâ & dexteritate, ſcriptorum elencticorum & practicorum editione, emicuerunt.

Alii, Doctores eccleſiaſticos nullos agnoſcunt, præter paſtores. Scholaſticos vero tanquam adjutores paſtorum, illiſque ſubordinatos, agnoſcunt quidem: ſed negant eſſe ordinem ſeu gradum ſacri miniſterii, ab ordine paſtorum, ſeniorum, diaconorum diſtinctum, immediatè à Chriſto aut jure divino conſtitutum; ſed tantum mediatè, per eccleſiam: ita ut iis quâ talibus non competat jus regendi, dirigendi, ordinandi eccleſiam aut eccleſiaſtica, juxta cum paſtoribus & ſenioribus: nedum ut paſtoribus, aut ſynedriis in regimine, directione, & ordinatione laborantibus, præeſſent. *Zepperus lib.* 2. *Polit. Eccleſ. cap.* 11. & *lib.* 1. *cap.* 9. & in præfat. videtur theologiæ Doctores ſcholaſticos ad eundem ordinem redigere, quò profeſſores linguarum, artium, philoſophiæ, &c. & Rectores ſeu Doctores ſcholarum trivialium, quos pædagogos appellat. Difficile eſt hic quidquam determinare.

II. *Quæſt. An Doctores theologi in ſcholis ſigillatim aut collectim (conſti-*

tuentes facultatem theologicam) de negotiis & cauſis eccleſiaſticis in theſi aut in hypotheſi, quidquam reſpondere & determinare poſſint? Reſp. Deliberativè, & per modum conſilii Aff. Deciſivè, definitivè, judicialiter, Neg. Niſi judicium ab eccleſiâ illis demandatum aut commiſſum ſit. Sicuti in ſæcularibus, à Magiſtratibus judicium civile aut criminale Jureconſultis quibuſdam, aliiſque viris ſapientibus ſpecialiter ad hoc delegatis & authorizatis, ſubinde committitur. Sunt enim theologiæ Doctores, juris divini conſulti: qui non minus ac juris civilis conſulti reſponſa & conſilia petentibus dare ac conſcribere poſſunt. Sic tamen ut ſecundum propoſitum caſum ex jure divino reſpondeant: non vero ut ad pragmaticam inquiſitionem propoſitorum terminorum quæſtionis, aut circumſtantiarum omnium deſcendere cogantur. Quod ipſis nimis difficile, immo impoſſibile eſſet: ſiquidem ſtudiis vacare & munere ſuo ritè defungi velint.

III. *Quæſt. An Doctores ſcholaſtici, priores & ſuperiores ſint paſtoribus? Reſp.* Ita quidem nonnulli arbitrantur; quod eos docuerint & præparârint ad miniſterium; & quod ipſis paſtoribus, ſynedriis, claſſibus, ſynodis in determinatione caſuum & ſubminiſtratione conſiliorum præeant; immo & edita aut edenda ſcripta theologica viſitent, ac cenſeant; denique examina candidatorum miniſterii peragant, conſequenter quod paſtoribus nullo modo, ne quidem ſynedriis, aut claſſibus aut ſynodis particularibus ſubſint, quod ad inſpectionem & directionem in doctrinâ aut moribus. Sunt alii, qui inſpectionem in vitam & mores Doctorum paſtoribus & ſynedrio eccleſiaſtico concedunt, quia & quatenus ſunt membra eccleſiæ: minimè vero in doctrina, quam vivâ voce in Academiâ, aut editis ſcriptis, tanquam Doctores, tradunt ac profitentur. Sed nos nullam prioritatem & ſuperioritatem eorum agnoſcimus, quæ quidem jure divino ipſis competeret. Si ordinatione humanâ ſeu eccleſiaſticâ, aliqua primitas, ὑπεροχὴ, aut præfectura Doctoribus ſcholaſticis, alicubi tributa ſit (quomodo ſeniores, inſpectores, ſuperintendentes, ſupra paſtores iſtius diſtrictus alibi conſtituuntur, id eſt meri facti, non juris divini, nec facit regulam univerſalem. Multo minus exemplum Berengarii, (quod ex *Uſhero de ſucceſſione eccleſiarum cap.* 7. § 24. adfertur) qui *ſcholaſticus*, multis paraſangis vulgares parochos ſeu paſtores ſuperabat, & clerum docebat. Ad rationes allatas. *Reſp.* 1. Cum & quatenus filios Prophetarum docent & præparant ad miniſterium, priores ſunt & ſuperiores, tanquam præceptores diſcipulis. Quod ſi alicubi conſtituerentur Doctores Academici, qui paſtores iſtius diſtrictus aut provinciæ docerent, utique tunc aliqua eſſet conſequentia: ſed hoc ut fiat, nec jus divinum, nec ordo noſter eccleſiaſticus præſcribit.

Int

Inſtantia, Atqui conduceret ſubinde à Doctoribus doceri, & exerceri: quandoquidem aliqui quamvis ad miniſterium jam promoti, ſatis tenuis ſint eruditionis; alii ſtudia negligant, & non tantum non proficiant, ſed deficiant, ſi non omnium ferè obliviſcantur, quæ olim in Academiis didicerunt, cum ad ſubeundum examen ſe præpararent. *Reſp.* Non eſſet inutile, ſi ubique exercitiis quibuſdam theologicis profectus paſtorum promoveretur & exploraretur: idque ſub præſidio ſive profeſſorum theologiæ eccleſiaſticè ad id deſignatorum, ſive viſitatorum claſſis, ſive præſidum ejuſdem, ſive examinatorum, ſive aliorum ex miniſtris, qui maximè ad id idonei viderentur. Nec omnino id negligitur à noſtris in Belgio, cum paſtores per vices tenentur concionari coram claſſe, aut coram eccleſiâ iſtius loci, ubi claſſicus conventus tunc celebratur. Minus ab illis negligitur, qui inſuper menſtrua diſputationum exercitia in cœtu ſuo, & quidem abſque præſidio profeſſorum theologiæ, inſtituunt. Quod à Rever. cœtu Emdano hactenus laudabiliter factum eſſe, notiſſimum eſt.

Reſp. 2. Profeſſores theologi cum rogati ad caſus propoſitos reſpondent, aut conſilia theologica ſcribant, non faciunt illud tanquam judices poteſtativè & deciſivè; ſed tanquam indices, & juris divini periti deliberative: haut aliter ac Doctores juris & advocati, aut facultas juridica, ad caſus propoſitos reſpondent, aut poſtulata dant conſilia. Quos ideo judicibus ſuperiores eſſe, aut etiam pares nemo dixerit; quamvis juris peritiâ ſingulis judicibus, immo & toto conſeſſu judicum ſuperiores eſſent.

Reſp. 3. Quod facultatem habeant viſitandi & cenſendi libros theologicos, id non probat ſuperioritatem ſupra omnes iſtius diſtrictus aut provinciæ paſtores, ne quidem ſupra unum. Quia hæc poteſtas eſt delegata ipſis ab eccleſiâ: juxta ordinis noſtri eccleſiaſtici *artic.* 55. ,, Nullus reformatæ religionis tantum ſibi ſumat, ut librum aut ſcriptum de religione tractans, à ſe aut ab alio compoſitum aut verſum, imprimi aut alio modo publicari curet, antequam cenſitum fuerit & approbatum à miniſtris verbi claſſis ſuæ, aut particularis ſynodi, aut profeſſoribus theologiæ harum provinciarum; claſſe, ſub quâ vivit, conſciâ.

Reſp. 4. Quod facultas theologica miniſterii candidatos, examinavit, illud etiam factum ex ordinatione & delegatione eccleſiaſticâ: uti patet ex ordinis noſtri eccleſiaſtici anno 1586. artic. 18. *Nulli proponentes publicè ex cathedrâ eccleſiam docebunt, niſi legitimè examinati & idonei judicati, in claſſe aut in Academiâ.* Probatio ſeu exploratio miniſtrorum ordinandorum pertinet ad eccleſiam (*1 Timoth.* 3. *v.*7.-11.) ſive totam, ſive repræſentatam in presbyterio, aut ſynodo. Ita dona con-

Digitized by Google

cionandi explorantur à totâ eccleſiâ, coram quâ ante electionem concionantur. Ad explorationem pertinet examen: quod commodè demandari poſſet theologiæ profeſſoribus; qui maximè ad id idonei ſunt, aut ſaltem eſſe debent; quique ordinariò de doctrinâ & ἱκανότητα diſcipulorum ſuorum ſolennia teſtimonia ferre tenentur, quę eccleſiis exhibeantur; idque ex ordinatione eccleſiaſticâ.

IV. *Quæſt. An Doctores Academici nudè ſolummodo dogmata tradere, & ſcripturam ex originalibus interpretari teneantur: praxi concionatoribus relictâ. Reſp.* Negatur. Sicuti enim concionatores in eccleſiâ non tantum applicationibus ad praxin ſeu uſibus practicis occupari debent; ſed etiam verbi divini explicatione & *ὀρθοτομίᾳ verbi veritatis 2 Timoth. 2. v. 15.* & *elencho contradicentium* Tit. 1. v. 9. ſic Doctores Academici occupari debent, in praxi fidei & pietatis tradendâ, & in manuductione ad praxin eccleſiaſticam. Hoc ut facerent votum & poſtulatum fuit eccleſiarum. Quid theologi in hac Academiâ ab initio uſque in hunc diem præſtare conati fuerint, & quo cum ſucceſſu ac fructu genuini diſcipuli noſtri & verbis & operibus functionis ſuæ teſtati ſunt; & ſcripta noſtra loquuntur: ſpecialiter inſtitutum & conatum noſtrum hac in parte, indicat præfatio ad Politicam eccleſiaſticam, & præfatio ad Aſceticam, & 3. *part. ſelectar. diſpp. tit. de Theologiâ practicâ.* Ubi indico quam hæc traditio praxios in Academiis neceſſaria ſit, & quantopere hoc ab eccleſiis poſtulatum fuerit. Non referam, quantam nonnullorum invidiam, quas cavillationes & *χλευασμοὺς*, qualiſcunque hic conatus noſter, ejuſque fructus in diſcipulorum noſtrorum ad miniſterium promotione & in miniſterii functione, concitaverit. Audiamus *Zepperum in præfat. ad politiam eccleſiaſticam pag. 11. & ſeqq.*

„ Deinde infelicem illum, languidum & disjectum eccleſiarum Euan-
„ gelicarum ſtatum partim ſcholis publicis, tanquam eccleſiæ Dei ſemina-
„ riis, debemus, in quibus Theologiæ theoria tantùm miniſterii eccleſia-
„ ſtici candidatis traditur, praxi & gubernatione eccleſiaſticâ ferè ſepultâ:
„ partim, quòd de vera regni Chriſti, vel eccleſiæ adminiſtratione perpa-
„ rum, quod ſtudioſorum manibus teratur, ex profeſſo literis mandatum
„ eſt, niſi quòd ex Buceri, Calvini, Hyperii, Bezæ & Danæi tractatibus, e-
„ piſtolis, & conſiliis de quibuſdam politiæ eccleſiaſticæ partibus, pro re
„ nata, carptim & particulariter quædam hinc inde erui poſſunt: quæ ta-
„ men, quia vel pro Gallicanis, vel Anglicanis, aut aliis exteris eccleſiis
„ ſcripta ſunt, vel quid ex primitivæ eccleſiæ, ex decretis Conciliorum, &
„ Patrum eccleſiaſticorum conſtitutionibus & conſiliis illi obſervarint, tan-
„ tùm oſtendunt, parum ſæpe aliorum regnorum eccleſiis, illarumque ho-

hierno

,, dierno ſtatui, & Germaniæ etiam noſtræ populis conveniunt. Qua qui-
,, dem in parte Theologica facultas omnibus aliis infelicior ferè eſt & ſte-
,, rilior. Jureconſulti enim leges ſuas omnes ad praxin forenſem ſplendidè
,, admodum tranſlatas & applicatas habent, practicisque ſuis doctoribus
,, abundè gaudent, qui ingentia cauſarum & caſuum volumina ediderunt,
,, usque adeò, ut Juris ſtudioſus, qui poſt diſciplinas logicas probè imbibi-
,, tas, biennium, aut triennium ad ſummum pari diligentiâ Juri ſuo impen-
,, dit, & confeſtim praxin conjungit, dimidio præterea anni ſpacio in ſum-
,, mo illo Imperii Romani tribunali, Spiræ inquam, praxin forenſem ad-
,, diſcit, cum laude ad clavum gubernationis politicæ & reipublicæ ſedere,
,, juri dicundo, conſilia principibus & rebuſpublicis impertiendo, deque
,, ſummis, dubiis, & perplexis cauſis & caſibus prudenter admodum diſſe-
,, rendo, & ſententias pronunciando operam pręclaram præſtare queat.
,, Medici ſimiliter omnem ſuam artem ad δόσεις & Recepta traductam ha-
,, bent. Una facultas Theologica in perpetua theoria perpetuò hæret, in
,, tractatione videlicet ſcholaſtica locorum communium, & ſacrorum li-
,, brorum analyſi atque interpretatione. De ratione verò locos communes,
,, & Scripturæ interpretationem ad rudiorum in fide & pietate ædificatio-
,, nem veram eccleſiaſticè & populariter applicandi, uſumque locorum
,, communium & doctrinarum in fidei, invocationis & pœnitentiæ exer-
,, citiis ſalutaribus, in variis item vitæ, vocationis, & fortunæ proſperæ &
,, adverſæ caſibus monſtrandi; de applicatione doctrinæ in privatis collo-
,, quiis cum ægrotis, captivis, & variis cum conſcientiarum tormentis con-
,, flictantibus; de ratione inſtituendi utiliter catechumenos & νεογάμους,
,, qui ad conjugium applicare animum volunt; de variis & intricatis caſi-
,, bus, qui circa adminiſtrationem Sacramentorum incidunt, puta baptiſ-
,, mum embryonum & monſtrorum, baptiſmum neceſſitatis, ſeu mulie-
,, rum, & quid cum infante à mulieribus baptizato, ſi publicè iterum in ec-
,, cleſia ad baptiſmum offeratur, agendum ſit; quo pacto Judęi aut Ana-
,, baptiſtæ, religionem veram profeſſi, baptizandi ſint; an, & quatenus
,, Pontificii teſtes ad baptiſmum parvulorum adhiberi queant; circa Cœ-
,, nam item Domini, ut, an, & quatenus clinicis, vel ægrotis privatim, mu-
,, tis item, ſurdis, morionibus, abſtemiis, qui vini guſtum prorſus reformi-
,, dant, illa adminiſtranda ſit; de caſibus, qui circa diſciplinæ eccleſiaſticę
,, praxin ſeſe offerunt, & quali cenſurâ in peccatis occultis, quali in manife-
,, ſtis, & circa manifeſta iterum, quali in delictis, quali in ſceleribus, quali
,, iterum in ſceleribus publicis, & quaſi publicis utendum ſit; quando cen-
,, ſurę eccleſiaſticę incipiant & exſpirent, & publicę magiſtratus cenſuræ
,, locum ſibi vendicent; an, & quatenus ſcelera occulta, in aurem mini-

„ ſtri privatim depoſita, & non ut homini, ſed ut Deo dicta, quemadmo-
„ dum veteres locuti ſunt, magiſtratui revelanda & patefacienda ſint,
„ præſertim ſi magiſtratus, patriæ, & juſtitiæ interſit; de receptione excom-
„ municatorum reſipiſcentium in eccleſię gremium, & quo pacto illa
„ ſuſcipienda ſit; de excommunicatis, qui per publicam pœnitentiam ec-
„ cleſię reconciliati non ſunt; illis etiam, qui toto vitæ tempore, omni-
„ bus admonitionibus ſpretis, cœtuum eccleſiaſticorum, Sacramentorum
„ & miniſterii contemptores fuerunt, an illis Chriſtiana cum aliis piis ſe-
„ pultura tandem concedenda ſit; de variis ſimiliter caſibus, quibus cau-
„ ſæ matrimoniales obnoxiæ ſunt; de gradibus conſanguinitatis, & affini-
„ tatis, prohibitis, aut conceſſis; an prohibitiones graduum Moſaicæ Chri-
„ ſtianos adhuc obligent; an in gradibus prohibitis diſpenſatio fieri queat;
„ de graduum numeratione canonica & civili, quid inter has ſit diſcrimi-
„ nis, ac utra alteri præſtet; de parentum in liberorum diſponſationibus
„ conſenſu, an neceſſarius ille ſit, an item, & quando ille exſpiret; an ſpon-
„ ſalia ante nuptias retractari queant; an adultera recipi queat à marito;
„ an poſt verum divortium aliud concedatur matrimonium, & an alte-
„ rutri tantùm, vel utrique parti; de caſibus ἀνανδρίας, vel impotentiæ
„ conjugalis, & deſertionum, lepræ item, an, & quatenus in illis divortia
„ peti & fieri poſſint, & ſimilibus variis atque innumeris ferè, qui crebrò
„ in praxi eccleſiaſtica verbi divini miniſtro occurrunt, ac in quibus pru-
„ denti in domo Domini ſervo peropus eſt, ut eâ & ſcientiâ, & conſcien-
„ tiâ præditus ſit, ut conſilium certum, ac ſæpe quidem, ubi periculum in
„ mora eſt, in tempore & capere ipſe, & dare aliis queat. De his, inquam,
„ omnibus & ſingulis, deque ſexcentis aliis quæſtionibus, cauſis, & caſibus
„ altiſſimum in ſcholis Theologicis eſt ſilentium, & non in ſcholis tantum,
„ ſed in locis ferè omnibus communibus, ſacrarum Scripturarum commen-
„ tariis, aliiſque ſcriptis & lucubrationibus. Unde fit, ut Theologiæ ſtu-
„ dioſus, qui in ſcholaſtica vita umbratili tantùm non exactus, & emun-
„ ctiſſimæ naris Theologus evaſiſſe viſus ſibi fuit, ſi eccleſiaſtico muneri
„ manus admovere, & ex umbra in apricum prodire debeat, re ipſa intel-
„ ligat, quàm domi ſit ſibi curta ſupellex, idemque ei uſu veniat, quod de
„ mure picem guſtante proverbialiter dicitur, aut quod vulgato, ipſaque
„ experientiâ comprobato dicterio de ſtudioſis jactatur, quòd primo an-
„ no omnia ſe ſcire exiſtiment, ſecundo dubitare incipiant, tertio demum
„ inani perſuaſione ſe ſibi impoſuiſſe intelligant, ac tunc rebus ſuis atque
„ ſtudiis ſeriò invigilare incipiant. Quàm variè ergo, & quot modis, ut
„ ne dicam: quàm turpiter à talibus, ſi in eccleſiam, ejuſque adminiſtra-
„ tionem pedem figant & ponant, peccari oportet, circa doctrinam, ca-
techi-

„ techiſationes, ſcholas, ſacramentorum adminiſtrationem, aliaſque boni „ ordinis ceremonias, circa diſciplinam, varioſque conſcientiarum caſus, „ aliaque plurima, quæ in miniſterii eccleſiaſtici praxi ſeſe offerunt? Xe- „ nophon in pædiâ Cyri hiſtoriam refert de adoleſcentibus, judicia quæ- „ dam ſua exercentibus, & ſententiarum rationem magiſtro poſtea red- „ dentibus. Veniſſe autem in judicium duos, quorum alter procerioris „ ſtaturæ, tunicam longiorem breviori adoleſcenti detraxerat, traditâ ipſi „ ſuâ curtâ. Cyrus utriuſque oratione auditâ, procerum juſſiſſe, ut longam „ ſibi tunicam retineret, alter curtam, cùm utraque utriuſque ſtaturæ re- „ ctius conveniret. Cyrum verò propter hanc ſententiam plagam à magi- „ ſtro accepiſſe. Tales oportet neceſſariò eſſe gubernationes, ſententias, & „ judicia omnium, tam in eccleſiaſtico, quàm politico vitæ genere, qui le- „ gum divinarum & humanarum, diſciplinæ, ordinis, & proceſſus in rebus „ agendis ignari ſunt. Unde vel cœco appareret, eccleſiarum ſtatum non „ poſſe non miſerum, languidum, & imperfectum eſſe, dum neque in „ lectionibus ſcholarum Theologicarum, neque ſcriptionum lucubratio- „ nibus ratio adminiſtrandi regni Chriſti, uti par erat, oſtenditur.

V. *Quæſt. An officium & opus Doctorum ſcholaſticorum ſit ſacrum & eccleſiaſticum? Reſp.* De priori Aff. quatenus verſatur circa ſacra, ſpiritualia, & ad ſalutem animę pertinentia. De poſteriori, itidem Aff. ſive immediatè (ut nonnulli volunt), circa eccleſiam & eccleſiaſtica verſentur: ſive mediatè, ut volunt alii.

VI. *Quæſt. An ſit neceſſarium? Reſp.* Simpliciter & abſolute ad eſſe religionis & eccleſiæ, Neg. Sed ex hypotheſi, aut potius ad bene eſſe miniſterii eccleſiaſtici, & ipſius eccleſiæ, Aff. Et ratio eſt, quia abſque ſcholis altioribus aut majoribus, poteſt eſſe & ſubſiſtere aliqua eccleſia inſtituta; poteſt etiam eſſe & ſubſiſtere aliquod miniſterium eccleſiaſticum: uti docuerant eccleſiæ Waldenſium, Pedemontanæ & Bohemicæ.

VII. *Quæſt. A quibus Doctores Academici ſint deſignandi & conſtituendi? Reſp.* Si per deſignationem & promotionem intelligis ſolenne eruditionis & ἱκανότητος teſtimonium, dico pertinere ad Academias: ſin electionem, vocationem, & promotionem intelligis, ad munus profeſſoris ſeu ad cathedram Academicam; dico illud pertinere, ad ſcholarchas, ſeu ſcholæ dominos; non tamen ſine conſilio, aut conſenſu eccleſię. Sicuti ludimagiſtri in ſcholis vulgaribus, aut æditui qui unà ſunt lectores, & præcentores in eccleſiâ, & catechiſtæ in ſcholâ, ſine præcedente electione aut conſilio, aut ſaltem conſenſu eccleſiæ non conſtituuntur.

VIII. *Quæſt. An Doctores, nomine Prophetarum in ſcripturâ novi Teſtamenti (Actor. 13. cum 1 Cor. 14.) denotari videantur. Reſp.* Ita ſentit *Polanus*

lib. 7.

lib. 7. *ſyntagm. cap.* 11. Sed tales locis cit. *Actor.* 13. coll. cum 1 *Cor.* 14. exiſtimarem eſſe doctores eccleſiaſticos magis, quam ſcholaſticos. De Prophetiâ & Prophetis, confer ſupra *part.* 1. *lib.* 2. *tr.* 3. *cap.* 2. & 2. *part. ſelect. diſpp. tit. de chariſmatis.*

IX. *Quæſt. An Doctores in N. T. ſive eccleſiaſtici ſive ſcholaſtici, analogice reſpondeant ſcribis in V. T. Reſp.* Sic arbitror. Erant enim illi *ſcribæ* juris divini periti: & tales nunc ſunt noſtri Doctores.

X. *Quæſt. An in adoleſcentiâ aut in prima juventute conſtitutis profeſſio theologica in Academiis demandari poſſit? Reſp.* Ordinariò *Neg.* tum propter defectum experientię, tum propter defectum ſufficientis ſtudii & exercitationis in theologicis. Nimis intereſt eccleſiæ, ut pietate eminentes, experti, probati, ad cathedram promoveantur. Quęnam autem requirantur in profeſſore theologo, à ſcriptoribus Scholaſticis, & rationis ſtudii theologici, exponitur. Excipimus tamen, ſi caſus neceſſitatis cogat, aut extraordinaria pietatis, ingenii, memoriæ, eloquentiæ, prudentiæ, & eruditionis ſupra ętatem vis, inſuper diligentia & φιλοπονία, id ſuadeat.

XI. *Quæſt. An ad cathedram theologicam promovendi ſint, qui aut linguarum, præſertim Græcæ & Hebraicæ cum dialectis ſeu filiabus, aut ſanæ philoſophiæ ſufficienti cognitione imbuti non ſunt. Reſp.* Neg. Si prior cognitione deſtituantur, quomodo ex originalibus ſcripturam interpretabuntur? quomodo ad argumenta adverſariorum ex prætenſione textus & phraſios originalis reſpondebunt? Sin cognitione philoſophiæ, quando ad argumenta ab Epicureis, Libertinis, Naturaliſtis & pſeudo-philoſophis, Muhammediſtis, Judeis, Pelagianis, Arrianis, Photinianis, Neo-Pelagianis, Pontificiis, &c. oppoſita rectè reſpondebunt? aut ſubtiles ac ſophiſticas eorundem exceptiones ſolidè & perſpicuè refutabunt? cum terminos ab ipſis adhiberi ſolitos non intelligant?

Inſtantia 1. Atqui theologia Chriſtiana eſt ſimpliciſſima. *Reſp.* Sic eſt: ſed ψευδώνυμος ſapientia non eſt ſimpliciſſima. Nec tam ſimplex & facilis eſt ejuſdem detectio & refutatio.

Inſtantia 2. Apoſtolus *Coloſſ.* 2. dehortatur à philoſophia & inani deceptione. *Reſp.* 1. Dehortatur à receptione & amplexu pſeudo-philoſophię, per quam fides & doctrina pietatis adulteratur & corrumpitur. Sed non dehortatur eruditos theologos, & Doctores, aut tales futuros à cognitione philoſophiæ; non magis, quam à ſtudio & cognitione grammaticæ & lexicæ Gręcæ & Hebraicæ, aut hiſtoriæ, chronologię, topographiæ. *Reſp.* 2. Immo per neceſſariam conſequentiam potius intelligitur hortari theologos, qui prę aliis in ſpeculâ conſtituti ſunt, ut detegant, repellant, oppugnent, profligent quoſvis αἰχμαλίζοντας, ne fideles deprædentur: conſequenter

ter ut ſophiſmata, & terminos aut abuſus terminorum percipiant & intelligant. Sicuti in medico requiritur cognitio veneni, noxii pharmaci aut alimenti; non ut hominibus propinet aut præſcribat, ſed ut homines ab iiſdem avertat: & ſi imprudenter tale quid ſumſerint, convenientia antidota conquirat & applicet.

Inſtantia 3. Atqui ſcriptura non utitur terminis illis philoſophicis, quibus athei, infideles, hæretici, phanatici, pſeudo-philoſophi. *Reſp.* 1. Sit ita: adverſarii tamen ſeu *ἀντιλέγοντες* iis utuntur, & ex iiſdem nodos ſuos nectunt. Quis ſolvet eos, ſi Doctor non ſolvat? & quomodo ſolvet ſi non intelligat; ſi ſanâ & ſobriâ philoſophiâ inſtructus non ſit, per quam objecta pſeudo-philoſophica retundat ac confundat? Vide mihi Æonas Valentini apud *Ireneum*, Duo Manichæorum principia apud Auguſtinum, phanatiſmos Libertinorum, aliorumque abſurda, de Præ-Adamitis, de Dei eſſentia cœlo incluſâ, de accidentibus, deque mutatione in Deo, &c. & ſimilia Sociniana & Vorſtiana portenta. *Reſp.* 2. Immo ſcriptura utitur terminis philoſophicis; (quos ita appellant), ut *λογίζειν Rom.* 3. *v.* 28. neceſſarii, unius, veri, boni, cauſæ, habitus, primi, ſufficientiæ, &c. uti alibi hoc oſtenditur. Et ſi illis terminis uti licet theologis; cur non & aliis, ut eſſentiæ, exiſtentiæ, ſubjecti, adjuncti, &c. *Reſp.* 3. In theologiâ elencticâ coguntur Doctores terminis illi uti: quia adverſarii iiſdem, aliiſque utuntur. Ne colloquium ſit *ἀπεριόδευτον*, aut ſophiſmate *ἑτεροζητήσεως* & *ἀγνοίας ἐλέγχου* laboremus, oportet intra illos terminos loqui, iiſdemque uti; ut faciamus elenchum, negando, quod ille affirmat, aut affirmando quod ille negat, e. gr. Pater eſt cauſa filii, dicit Arrianus. Orthodoxus, ut elenchum faciat dicit, Pater non eſt cauſa filii. Rurſus, Deus eſt corpus aut corporeus; dicit Antiopomorphita. Orthodoxus eundem terminum corporis aut corporei de Deo negat. *Reſp.* 4. ſcriptura non utitur terminis Rabbinicis & Thalmudicis: quorum tamen cognitionem theologi non condemnant, nec rejiciunt imprimis cum verſantur in controverſiis Judaicis.

Inſtantia 4. Rejici poſſunt & debent argumenta adverſariorum, cum tota pſeudophiloſophiâ, & terminis philoſophicis. *Reſp.* à ſimplici Chriſtiano & idiotâ hoc fieri poſſe, nolim negare. Sicuti, ſi quis multum hellenizando, aut hebraizando, oppugnet fidem idiotæ, poteſt rejicere, & ignorantiam linguarum iſtarum ingenuè profiteri. Sed à profeſſore id fieri, non æque convenit: qui imprimis contradicentes debet poſſe convincere.

XII. *Quæſt. An profeſſores Academici poſſint dici jure divino aut jure naturali tales eſſe. Reſp.* 1. De jure divino poſitivo concederent illi, qui *Epheſ.* 4. *v.* 11. Doctores Academicos tanquam miniſterii eccleſiaſtici & ſacri gradum à paſtoribus diſtinctum intelligunt. Sed hoc tam apodicticum & certum

Digitized by Google

tum non eſſe, nec ut tale à theologis noſtris communiter, aut à notis Belgicis ad *Epheſ.* 4. *v.* 11. recipi ac probari, ſupra oſtenſum eſt. Excipiat forte quis.

1. *Except.* Atqui *ordo noſter eccleſiaſticus artic.* 2. Numerat Doctores in gradibus miniſterii ſacri. *Reſp.* Sic eſt: ſed non dicit immediatè à poſitivo jure divino eos conſtitutos eſſe. Poſſunt numerari inter miniſtros ſacros aut miniſtros ſacrorum, quod tales ſint jure divino permiſſivo, & jure eccleſiaſtico poſitivo: haut aliter ac prælectores, & præcentores. *Reſp.* 2. jure naturali poſſent dici tales eſſe, quia ratio & neceſſitas naturalis tales revertit, ſi non ad eſſe ſaltem ad bene eſſe eccleſię, miniſterii ſacri, conſervandæ veritatis in eccleſiâ, quæ eſt columna & firmantum veritatis.

XIII. *Quæſt. An profeſſoribus Academicis miniſterio ſeu curâ paſtorali non fungentibus, munus ſenioris imponi poſſit? Reſp.* Quidni? cum eos ad id plerumque magis idoneos eſſe, credendum ſit: & laudatiſſima eccleſiarum exempla hoc probent. Sic tamen, ne ubi conſueverunt ex quibuſvis profeſſoribus Academicis unum ſeniorem & ex ordine ſenatorio unum conſtituere, ita ut ſinguli, nemine excepto, ſucceſſivè vices ſuas habeant: ne, inquam, illi aſſumantur, qui fratres ſunt ignorantes, aut heterodoxi, ſaltem de heterodoxiâ merito ſuſpecti, aut vitâ & moribus haut ita caſtigati, aut ſcandaloſi. Quali in caſu contingere poſſet, ut maximam difficultatem experirentur electores ſeniorum, ſi profeſſorem aut ſenatorem, ad quem vices jam perveniſſe putantur, præterirent. Præſertim ſi punctum honoris in hoc ſæculo per iſtam præteritionem tangi putarent, & rationes ab illis coram eccleſiaſtico judicio peterent, & inde ad collegium Senatus politici aut Academici provocarent: ubi forte judicaretur ſufficienter non probari crimen illud, aut mores diſſolutos, aut ignorantiam, aut heterodoxiam, quæ ipſi à ſynedrio imponeretur. Notum eſt ex Juriſprudentia & ex quotidianâ experientiâ quam difficulter coram tribunali politico juridica & ſufficiens probatio adulterii, ſcortationis, concubinatus, ſacrilegii, peculatus, vinolentiæ, γυναικοπληξίας, falſi, calumnię, avaritiæ, ἀλλοτριεπισκοπῆς, profanitatis, abuſus nominis divini, proditionis, haberi poſſit. Quanto inſuper periculo, quantę moleſtiæ ſe exponant electores illi ſi præteritus prætendens vices ad ſe jam devolutas, compellat ad rationem pręteritionis reddendam; & ipſi ſive rationem reddere detrectent ſive reddant, & ab eâ depellantur per judicium politicum. Quid aliud illis exſpectandum, quam ut proceſſu injuriæ vexentur (ut hodie ſunt tempora), & ſuccumbentes, ex judicio politico, ad palinodiam cogantur atque infamiâ notentur. Saltem indubium eſt, aut contentionum, diſſidiorum, inimicitiarum fertilem hâc ſucceſſione dari occaſionem; aut ſimulationis, diſſimu-

mulationis, ἀνθρωπαρεσκείας, & participationis peccati in electoribus, qui tales eligunt aut admittunt, quos norunt in conſcientiâ non eſſe ἀνεγκλήτους, conſequenter indignos. Vide & huc applica 1 *Timoth.* 3. *v.* 2. - 14. *Tit.* 1. *v.* 6. - 12. 1 *Petr.* 5. *v.* 1. 2. 3. cum 1 *Timoth.* 5. *v.* 22. Prodiit ante paucos annos in Belgio libellus anonymi, qui conqueritur de ſeniore alicubi promoto, quamvis per crimen aut ſcandalum indigno; quod modo & more recepto ſecundum ordinem eccleſiaſticum ſynedrio indicatum, ipſe per politici tribunalis ſententiam à ſe amoviſſe contendebat; & impedimentum promotioni injectum plane ſublatum. Ex his aliiſque conſiderationibus hic non referendis, omnino conſultum videtur, ut ſi alicubi, ob peculiares rationes, ex ordine ſenatorio aut Academico unus in presbyterio ſit ſenior: liberę electioni ex membris iſtius collegii perpetuo reſervetur, & non ſingulorum iſtius collegii perpetuæ per vices & *turnos* (uti in capitulis loquuntur) ſucceſſioni. Quomodo *ordo eccleſiaſticus artic.* 44. viſitatores eccleſiarum per aliquos ex miniſtris imprimis ad id idoneos, à cœtu claſſico „ eligi vult. Claſſis quoque aliquot ex miniſtris ſuis, ad minimum duos ex „ ætate provectioribus, prudentioribus, ex maxime idoneiș conſtituat, qui „ omnes eccleſias, &c. ſingulis annis viſitent, &c. Non autem, ut ſinguli miniſtri iſtius claſſis *turnos* ſuos habeant.

Inſtantia, Saltem profeſſione theologicâ fungentes, & Magiſtratum, aut ſcabinatum gerentes, habentur & debent haberi ἀνέγκλητοι irreprehenſibiles, & conſequenter munere illo digni. *Reſp.* 1. Non tamen ſunt: Non eſt incredibile aliquos ex ordine ſenatorio & ex munerariis eorum intercutibus vitiis non tantum laboraſſe, ſed & ſtupro, adulterio, peculatu, ſacrilegio, aliiſve peccatis exorbitaſſe, aut aliorum criminum ſuſpectos fuiſſe; qui nihilominus per conniventiam ſuperiorum, aut per favoris & amicitiæ indulgentiam, aut authoritatis & poteſtatis ſuæ reverentiam, aut nimiam potentiam ſuam (inſtar Joabi 1 *Reg.* 2. *v.* 5.) non tantum abſque ullâ cenſurâ, abſque ullâ capitis diminutione, abſque ulla ſuſpenſione, aut exautoratione, in munere ſuo perſtant; ſed inſuper in gloriâ & autoritate creſcunt: adeo ut de illis vera dicenda non ſint, immo de iis fere judicandum & prædicandum putetur ab illis, qui foro uti norunt, quod *Paulus Jovius de Leone* X. *in vitâ* ipſius *lib.* 4. *pag.* 192. (edit in 8. anno 1567. Baſil.): Non caruit, in-„ quit, infamiâ, quod parum honeſtè nonnullos ex cubiculariis (erant enim „ è totâ Italiâ nobiliſſimi) adamare, & cum his tenerius atque liberè jocari „ videretur. Sed quis vel optimus atque ſanctiſſimus (*ſanctiſſimam proſani-„ tatem Leonis paulo ante deſcripſerat*) princeps in hâc maledicentiſſimâ aulâ „ lividorum aculeos vitavit? & quis ex adverſo tam malignè improbus, ac „ invidiæ tabe conſumtus, ut vera demum poſſet objectare noctium ſecre-

,, ta ſcrutatus eſt? At ſi aliqua ex parte eo nomine ſugillari, inclyta virtus ,, potuit, Leo certe cum ſuperiorum principum famâ comparatus, æſti- ,, matione rectiſſimâ, continentiæ laudem feret. *Et paulo poſt*: Sed de- ,, mus aliquid humanitati Leonis, uti in ſummâ licentiâ fervidæ ætatis ac ,, proſperæ valetudinis æſtum ægerrimè ſuſtinentis, poſtquam in magnis ,, ſalutaribuſque virtutibus optimi atque benefici cognomentum facile me- ,, ruerit. En continentiam principum, procerum, optimatum verè præco- ,, zatam; ſi modo alii fuerint ipſis incontinentiores.

XIV. *Quæſt. An promotio Academica Doctorum aut Licentiatorum in theologiâ, ſit vera & legitima ad miniſterium vocatio & ordinatio? Reſp. Beza de miniſtrorum gradibus contra Saraviam cap.* 26. de Doctoribus agens, *pag.* 213. ſtrictè negat. Pluribus de hâc quæſtione *Frider. Balduinus in Inſtitutione miniſtrorum c.*9. & meritò in negantem concedit; & nos cum illo. Refert ibidem fuiſſe quem inter paſtores, qui affirmantem amplexus, ſine ullâ eccleſiaſticâ ordinatione munere paſtorali fungens, Doctoratum ſuam pro ordinatione habebat. Et *Georg. Majorem in oratione* anno 1560. in promotione Doctorali Davidis Voit, affirmantem haut obſcurè tradidiſſe. Sed ut *Beza* & *Balduinus* locis cit. rectè obſervant, Promotio Doctoris, nihil aliud eſt, quam ſolenne teſtimonium de profectu & eruditione promoti: quod promoto non tribuit munus paſtorale, ſed declarat aptitudinem ad illud: ſicuti Academicæ promotiones Doctorum juris, tribuunt facultatem cathedram juridicam conſcendendi & jus interpretandi: ſed addunt, præeunte legitimâ vocatione. Deinde non eſt vocatio & ordinatio miniſtri niſi ad certam eccleſiam juxta *6. canonem Concilii Chalcedonenſis*, Juri canonico diſt. 70. c. *neminem*, inſertum: ubi in fine ſic loquitur: *Eos autem qui abſolutè ordinantur, decrevit ſancta ſynodus vacuam habere manus impoſitionem.* Atqui Doctoratus in theologiâ ab Academiâ collatus nullam certam eccleſiam, in quâ miniſtraret, deſignat aut reſpicit. *Licentia Magiſtralis* (ait *Joh. Gerſon. part.* 1. *tit.* 42. *lib.* 2.) *in theologiâ non dat obligationem prædicandi, ſed idoneitatem ejus oſtendit.* Et part. 3. tit. 55. lit. Q. *Poteſtatem regitivam non conſequitur aliquis ex ſolo titulo ſcientiæ vel eruditionis vel caritatis, immo nec ex perceptione licentiæ Magiſtralis in theologicâ facultate: quia licentia non obligat ſuſcipientem, ſed idoneitatem commonſtrat.*

Balduinus cap. cit. affirmantes 12. rationibus impugnat 1. contra ſcripturam pugnant. 2. Eccleſiæ primitivæ conſuetudini reluctantur. 3. cum publicâ eccleſiarum noſtrarum confeſſione confligantur. 4. εὐταξίαν eccleſiæ violant. 5. confuſionem juris Academici & eccleſiaſtici introducunt. 6. Ordinationem omnibus ſæculis inauditam fingunt. 7. Sibi ipſis adverſan-

ſantur. 8. Abſurda defendunt. 9. Promotioni Doctorali nimium tribuunt. 10. Conſtitutioni eccleſiaſticæ & Academicæ harum regionum è diametro adverſantur. 11. Ordinationem eccleſiaſticam in noſtris eccleſiis, hoſtibus veritatis ludibrio exponunt. 12. Et denique noſtris hominibus offendiculum præbent. Has 12. rationes ordine ibidem deducit; & objectiones aliquot ſolvit.

XV. *Quæſt. Quodnam ſit officium profeſſoris theologi; & quomodo, ac quot modis filios prophetarum docere & manuducere debeat? Reſp.* Otioſum & forte odioſum eſſet, à me hæc delineari, præſertim ſi una privative aut contrariè oppoſita indicarem. In *Bibliotheca* mea *lib.* 1. collegia aliquot privata indicaveram, quę à theologię ſtudioſis, & miniſterii candidatis ſuſcipi optabam; immo & ſuadebam: ſiquidem rationes eorum id ullo modo ferrent. Sed ſarcaſmis, cavillis, & deſputationibus publicè ab aliquo ita exceptus fui: ut nunc potius ad Scriptores de *Ratione ſtudiorum*, præſertim de *Ratione ſtudii theologici*, & ad leges Academiarum & ſcholarum Illuſtrium, lectores meos cenſuerim ablegandos. Sicuti varios ſcopulos in concionibus evitandos, Pontificii theologi Vincentii Regii verbis potius, quam meis (ſupra *part. 1. lib. 2. tr. 2. ſect. 2. pag. 621.*) indicare volui. Videatur inter alios *Hyperius de Ratione ſtudii theologici lib. 2. cap.* 37. 38.

XVI. *Quæſt. An Doctores Academici tantum docere, an etiam regere teneantur ſtudioſos, & ad doctrinam, & vitam eorum attendere? Reſp.* Aff. poſter. Sunt enim præceptores eorum, & tanquam patres. In Academiis, quę juriſdictionem habent, etiam cenſuris, mulctis, pœnis eoſdem coërcere & corrigere tenentur. Quod tamen non tollit inſpectionem & attentionem eccleſiaſticam ad doctrinam & mores ſtudioſorum & profeſſorum, qui & quatenus ſunt membra eccleſię: præſertim cum ſtudioſis & profeſſoribus diſcedentibus, aut aliâ aliquâ occaſione illud petentibus, teſtimonium doctrinæ & vitæ impartiri debeant. Sed de hoc ſupra *lib.* 1. Quod ſi Academiæ alicui inſpectio & regimen cum juriſdictione, in cives Academiæ competat: ipſis ſecundum ſuam poteſtatem & ſuo modo agendum; haut aliter ac Magiſtratui cuilibet circa cives ſuos. Quod tamen ſive ſimul, ſive ante, ſive poſt fiat: non tollit poteſtatem eccleſiæ, circa eundem civem, quâ membrum & civem eccleſiæ ſuo modo legendi. Materiale objectum & eccleſiæ, & Academiæ aut politiæ, unum idemque eſt, Titius ſcil. aut Mævius, ejuſdemque exorbitatio: ſed formale differt. Uti hoc ſupra *part. 1. lib.* 1. explicatum eſt; & infra *part.* 3. *lib.* 4. iterum explicabitur. Ubi Eraſti & Eraſtianorum opinio, *catecheſi qu.* 85. & *liturgia cap. de excommunicatione*, & *Confeſſioni artic.* 29. & *ordini eccleſiaſtico artic.* 71. & ſeqq. è diametro oppoſita refutabitur.

XVII. *Quæſt. An, & cur Doctores à veteribus appellati ſint* tractatores? *Reſp.* 1. aff. pr. *Vincentius Lyrinenſis in Commonitorio* 1. *cap.* 4. „ Et quoſdam quidem poſuit Deus in eccleſiâ, primum Apoſtolos, quorum ipſe „ unus erat: ſecundo Prophetas, qualem in actibus Apoſtolorum legimus „ Agabum: tertio Doctores, *qui tractatores nunc appellantur*, quos hic „ idem Apoſtolus etiam Prophetas interdum nuncupat, eò quod per eos „ Prophetarum myſteria populis aperiantur. *Auguſtinus lib.* 1. *de Trinitate* „ *cap.* 4. Divinorum librorum veterum & novorum catholici *tractatores*, „ hoc intenderunt. *Idem* lib. de hęreſibus. Origenem Aadamantium vocat *tractatorem*. Sed hæc appellatio etiam paſtoribus ſeu concionatoribus tribuitur, eorumque conciones ſeu ſermones, ſeu homiliæ ad populum dicuntur *tractatus*: uti ſupra *part.* 1. *lib.* 2. obſervavimus. Vide *Hieronymum epiſt. ad Pammachium & Oceanum*; ubi ait Origenem *mille & ad nimplius tractatus in eccleſiâ locutum fuiſſe.* Et *Chryſologum ſerm.* 92. & *Ambroſium epiſt.* 7. & 32. & 82. „ Eccleſia quotidie in lectionibus ſacris in ſa- „ cerdotum tractatibus, laudem pudicitiæ, gloriam integritatis perſonat. Eſt & tertia ſignificatio vocis *tractatus*, ut denotetur eâ *diſputatio* aut *collatio*, apud Tertullianum lib. de Reſurrectione carnis: *heretici*, inquit, *ex conſcientiâ infirmitatis nunquam ordinariè tractant.* Et apud Cyprianum ad Demetrianum: *Quam*, ait, *facilius eſſet & levius, turbulenti maris concitos fluctus clamoribus retundere, quam tuam rabiem tractatibus coercere.*

XVIII. *Quæſt. Quomodo ad gradum Doctoris in Academiis ſint probandi & examinandi? Reſp.* Saltem aliter ac candidati miniſterii communiter examinantur. Vide de horum examine infra *lib.* 3. Quomodo in aliis Academiis examen hoc inſtituatur, non ita mihi conſtat. Dicam judicium meum & morem in hâc noſtrâ Academiâ hactenus obſervatum.

I. *Pars* explorationis conſiſtit, in examine theologiæ didactico-elenctię. 2. Theologiæ moralis (ut vocant), ſeu Caſuiſticæ ſeu practicæ. 3. Politicæ Eccleſiaſticæ. 4. Hiſtoriæ ſacrę, & quæſtionum hiſtoricarum ad hiſtoriam veteris & novi Teſtamenti. 5. Hiſtorię eccleſiaſticæ, & theologiæ patriſticæ.

II. *Pars*, in præfixorum textuum poſt 24. horas explicatione vivâ voce à candidato propoſitâ; & objectionum atque exceptionum à theologiæ profeſſoribus contra propoſitam explicationem allatarum, refutatione. Textus autem explicandi ſunt tres, de quorum explicatione hodie controvertitur. Unus ſcil. ex V. T. Unus ex N. T. Unus ad theologiam practicam ſeu moralem, aut ad politicam eccleſiaſticam pertinens. Explicatio illa complectitur 1. Interpretationem verbalem ac philologicam ex originalibus,

libus. 2. Analyſin logicam & rhetoricam. 3. Interpretationem realem, ſeu genuini ſenſus oſtenſionem ac probationem; & aliarum interpretationum analogiæ contextus & fidei non congruentium, refutationem. 4. Eductionem poriſmatum, ſeu notationem doctrinarum, & uſuum elencticorum, ἠθικῶν, παραμυθητικῶν, &c.

III. *Pars*, in publicâ diſputatione ſine præſide, & quidem intra menſem ab examine habendâ. Materiæ diſputationis à facultate theologicâ præfiguntur ternæ 1. ex theologia dogmatico-elencticâ. 2. ex theologiâ morali ſeu practicâ. 3. ex politicâ eccleſiaſticâ. 4. ex hiſtoriâ ſacrâ V. & N. T. 5. ex hiſtoriâ eccleſiaſticâ. Ex quinis illis triadibus unam ſeligunt, & de quinque illis ſelectis diſputationem, conſcribunt, & die deſignato defendunt.

Alibi, uti intelligo binis diebus, horis antemeridianis, defendere tenentur: quod mihi magis probatur. Neque enim parvi momenti eſt, dignè creari, eſſe, & ſalutari Doctorem theologię.

Quod ſi gradum Doctoratus petens, facultati theologicæ ſatis notus & perſpectus non ſit, teſtimonia eccleſiaſtica & Academica ab illo exigenda ſunt: Si etiam de donis concionandi non conſtet, textus illi præfigendus, quem coram facultate theologicâ tractet, ſermone vernaculo aut Latino.

His omnibus ritè peractis titulus candidato conferendus, hâc conditione, ut ſubſcribat formulis conſenſus, confeſſioni ſcil., catechiſmo, & ſynodi Dordracenæ *canonibus de quinque articulis Remonſtranticiis.*

Servatâ hâc methodo anno 1643. 2. Decembr. in hac Academiâ promotus eſt *Johannis Hoornbeek*, eccleſiæ clandeſtinæ N. per quinquennium miniſter.

Andreas Eſſenius philoſophiæ magiſter, & per aliquot annos paſtor in Neer-langh-Broeck, 19. Febr. 1645.

Georgius Czipkes Comarinus Ungarus 7. Februarii 1653.

Leonardus à Ryſſen eccleſiæ Heuſdanę paſtor. 7. Septembr. 1660.

Alia autem ratio & methodus ſervata fuit in promotione paſtorum illorum, qui ad profeſſionem theologicam in hâc Academiâ obeundam jam erant vocati. Illis enim tantum impoſita fuit diſputatio publicè pro gradu Doctoratus habenda.

Cap.

Digitized by Google

CAP. VIII.

De Diaconis.

DIaconi vox *latè* accepta notat quemvis miniſtrum ſacrum: ſic Paulus Apoſtolatum ſuum vocat *διακονίαν Rom.* 11. *v.* 13. Et Chriſtum *διάκονον* circumciſionis *Rom.* 15. *v.* 8. Strictè miniſtrum & curæ pauperum præfectum. Curæ illius partes *λῆψις* & *δόσις*. *Illa* conſiſtit, in acceptione & collectione bonorum. *Iſta* in eorundem diſpenſatione & diſtributione: idque non ſine ſpirituali inſpectione, hortatione, conſolatione; pro re natâ. Sic *ordo noſter eccleſiaſticus* artic. 25.

„ *Diaconorum* proprium officium eſt, Eleemoſynas ac alia quæ pauperum „ ſpectant bona, diligenti operâ colligere, eaque fideliter & ſolerter, ut „ penuria egentium, quà indigenarum, quà exterorum exiget, conſenſu „ communi diſtribuere; anxios animi inviſere ac conſolari, atque omni „ ope eniti ne Eleemoſynæ malè collocentur: Quarum rationes Senatui „ Eccleſiaſtico reddant; imò toti eccleſiæ, (ſi quis intereſſe velit) tempore „ quod à Senatu Eccleſiaſtico conſtitutum fuerit.

Liturgia tit. de confirmatione ſeniorum & diaconorum; inſtitutionem & officium eorum repetit ex *Actor.* 6. *Rom.* 12. 2 *Corinth.* 9. *v.* 7. Eoſdemque ſolenniter renuntiatos ac confirmatos hortatur, ut deligentes ſint in colligendo, hilares in diſpenſando: ut afflictis auxilientur, ut viſitent viduas & orphanos, ut beneficentiam erga omnes homines, maximè erga domeſticos fidei, exerceant.

I. *Quæſt. An diaconia ſit perpetuum munus in eccleſiâ; an vero occaſione murmurationis, tunc temporis ſolummodo aliqui in eccleſiâ Hieroſolymitanâ conſtituti ſint, qui Apoſtolis in curâ pauperum auxiliarentur. Reſp.* Aff. pr. Neg. poſter. ex 1 *Timoth.* 3. *v.* 8. cum *Philip.* 1. *v.* 1. unde colligimus in omnibus eccleſiis fuiſſe & debuiſſe eſſe diaconos.

II. *Quæſt. An à Chriſto fuerint inſtituti? Reſp.* Diſceptatur de eo inter Pontificios. Quorum aliqui (*Durandus ad* 4. *diſt.* 24. *qu.* 2. *Cajetanus*, *tom.* 1. *opuſc. tract.* 11.) negant diaconatum eſſe ſacramentum *Corn. à Lapide in Actor.* 6. contra contendit falſum eſſe utrumque, & quod non ſit ſacramentum: & quod diaconi præfecti fuerint menſis.

Quod autem negantes eſſe ſacramentum aſſumunt à Chriſto non fuiſſe inſtitutum, id negari poſſet. Quamvis enim immediatè in terris agens non inſtituerit: poteſt tamen dici, hunc ordinem ſeu hoc munus inſtituiſſe, mediatè ſcil.: quippe per Apoſtolos. Sicuti enim caſum illum 1 *Corinth.* 7. *v.* 14.

Digitized by Google

v. 14. de malitioſa deſertione conjugis, ab Apoſtolo determinatum, à Chriſto per Apoſtolum dicemus eſſe determinatum (habebat enim Apoſtolus ſpiritum Dei 1 *Cor.* 7. *v.* 40. qui ducebat eum in omnem veritatem *Joh.* 16. *v.* 13.) & ſic inſtitutum Chriſti, dici poſſet electio & ordinatio paſtorum per eccleſiam & presbyteros (*Actor.* 14. *v.* 23. 1 *Timoth.* 4. *v.* 14.); quamvis ille hoc coram in terris (quod ſciamus) non determinârit.

A Lapide novem probationibus diaconatum conatur facere ſacramentum: nihilominus fatetur, non eſſe de fide; eo quod nec in ſcripturâ, nec ab eccleſiâ definitum ſit. Sed nulla ejus ratio concludit. Nos in tranſitu, quærere poſſemus ſi ſinguli ex ſeptem ordinibus ſunt ſacramentum, cur diaconatus, & ſubdiaconatus, ſit ordo faciens ſacramentum: & archidiaconatus non ſit: qui tamen eſt gradus ſpecificè à diaconatu diſtinctus?

III. *Quæſt. An proprium munus diaconorum conſiſtat in ſubminiſtratione circa doctrinam & ſacramenta? Reſp.* Aff. communiter Pontificii apud *Corn. à Lapide* in *Actor.* 6. *Magallianum* in 1 *Timoth.* 3. Canoniſtæ ex *diſt.* 93. *c. diaconi*, & *diſt.* 21. *cap. cleros*, requiſita & officia diaconi deſcribunt. Iſidorus Moſconius *lib.* 1. de Majeſtate eccleſiæ militantus *part.* 2. *pag.* 381. totam rem ſic exponit.

„ Diaconatus autem eſt ordo Sacer & major nuncupatur, cujus inſti„tutio prima incæpit à Tribu Levi, in veteri Teſtamento, quando præce„pit Deus Moyſi, poſtquam Aaron & filii ejus fuerunt electi ad Sacerdo„tium qui Domino miniſtrarent ſacrificia offerendo, ut de Levi Tribu ali„quis ad Divina myſteria peragenda eligeretur, & conſecraretur Domino „pro omnibus primogenitis, in lib. Numerorum cap. 8. & iſti gerebant „officium Diaconi, nec non in nova Lege, in Act. Apoſtolorum capit. 6. „narratur, quemadmodum Apoſtoli convocantes multitudinem diſcipu„lorum, dixerunt: Non eſt æquum nos derelinquere verbum Dei, & mini„ſtrare menſis; conſiderate ergo fratres, quærite ex vobis viros boni teſti„monii ſeptem, plenos Spiritu Sancto, & ſapientia, quos conſtituamus ſu„per hoc opus; & elegerunt Philippum & Prochorum & Nicanorem & „Timonem, & Parmenam, & Nicolaum advenam Antiochenum; & „tunc fuit per Apoſtolos ordinatum, ut ſuper omnes Eccleſias ſeptem „eſſent Diaconi, ut Act. Apoſtorum 6. inter quos fuit etiam Stephanus „protomartyr. Inde fuit ordinatum à Clem. in epiſt. ad Jacobum fratrem „Domini, ut in qualibet Matrice Eccleſia ſeptum inſtituerentur Diaconi „qui circa Chriſti Aram, ut verbis Hoſii in cap. 52. utar, ſublimiori gra„du tanquam columnæ ſeptem Epiſcopo aſſiſtant, & ſic Diaconi erant tan„quam oculi Epiſcopi, quorum vices Archidiaconus hodie gerit. Idem dicit

Digitized by Google

„cit Clemens: Eſto Diaconus Epiſcopi Adjutor, Os, Cor, & Anima;
„Hæc ille. Diaconi nomen Græcum eſt, & Latinè idem ſonat quod mini-
„ſter in Sacerdotio.

Adde determinationem Concilii Trident. ſeſſ. Hadr. Saravia in certamine pro hierarchiâ, & Zoucheus in elementis Juriſprudentiæ Anglicanæ, in deſcriptione juris & judicii eccleſiaſtici *part.* 1. *ſect.* 3. Et autor delineationis politiæ Anglicanæ diaconatui tribuunt divina *officia*, *divina legere*, *prædicare*, *& presbyteris vel ſacerdotibus miniſtrantibus aſſiſtere.* Sic Zocheus. *Proſpicere pauperibus*, *Miniſtro aſſiſtere in cœnâ celebrandâ*, *Benedicere nuptaris*, *Sepultura defunctos mandare*, *baptizare & concionari*; *ſi ad id vocetur.* Hæc examinant Beza de diverſis miniſtrorum gradibus *cap.* 7. Didoclavius in Altari Damaſceno *cap.* 12. Quod ad antiquos, videntur illi diaconum feciſſe adjutorem paſtoris ſeu epiſcopi, non tam aut tantum in curâ pauperum, collectione ac diſtributione eleemoſynarum, quam in verbi & ſacramentorum diſpenſatione. Ordo eccleſiaſticus fratrum unitatis Bohemicæ pag.46. edit.2. diaconos aliter etiam accipere videtur, cum diaconos vocat *catechiſtas.* In eccleſiis Auguſtanæ confeſſionis *diaconi* vocantur adjutores, aut vicarii, aut ſubſidiarii paſtorum in verbi prædicatione & ſacramentorum adminiſtratione.

Nos inſtitutioni Apoſtolicæ *Actor.* 6. cum *Rom.* 12. inherentes, ſtatuimus *diaconos* eſſe miniſtros ſacros, qui curæ pauperum & eleemoſynis præfecti ſunt: non vero prædicationi verbi, & adminiſtrationi ſacramentorum; nec publicæ pœnitentium reconciliationi, nec euchariſtiæ delationi ad
„laicos; breviter omnium eorum præſtationi, quę epiſcopi & presbyteri
„præſtant, excepta conſecratione corporis domini & ordinatione cleri-
„corum, aliiſque officiis, quę requirunt poteſtatem ordinationis *Bellarminus (lib.* 1. *de Clericis cap.* 13.*)* hęc diaconis tribuit.

Sed objicitur.

1. *Object.* Philippus & Stephanus inter primos diaconos prædicabant, ille etiam baptizabat. *Actor.* 6. & 7. & 8. *Reſp.* Ex locis citatis non probatur Stephanum prædicaſſe; ſed apologetica oratione apud populum eſſe uſum; & cauſam apud judices dixiſſe. Philippus *Actor.* 21. vocatur *Euangeliſta*: itaque aut ex diacono Euangeliſta factus eſt, & ab Apoſtolis ad hunc gradum promotus, antequam Hieroſolyma diſcederet; aut extraordinario à Deo per angelum vocatus fuit.

Inſtantia. Potuerunt ſimul eſſe Euangeliſtæ & diaconi? *Reſp.* Inde non ſequitur, fuiſſe. Et dato, non conceſſo, minimè tamen ſequitur, eos prædicaſſe & baptizaſſe quà diaconos, & non quà Euangeliſtas.

2. *Object.* Atqui ſecundum liturgiam noſtram & ordinem eccleſiaſticum,

Digitized by Google

ſupra cit. convenit diaconis, ut etiam verbo conſolationis juvent pauperes & afflictos.

Reſp. 1. Sed hoc non eſt proprium, ſpecificum, & principale eorum officium, quo ſcil. ab aliis miniſtris ſacris diſtinguantur. Sed cura pauperum per collectionem & diſtributionem. Rom. 12. v. 8. *tum qui diſtribuit, cum ſimplicitate, tum qui praeeſt, cum diligentiâ, tum qui miſeretur, cum hilaritate.* 1 Corinth. 12. v. 28. *& alios quidem conſtituit Deus in eccleſiâ primum Apoſtolos, deinde prophetas, tertiò Doctores; deinde virtutes, deinde dona ſanationum*, opitulationes, *gubernationes, genera linguarum.* Ubi diſtributiones & opitulatores diſtinguit ab omnibus aliis donis & miniſteriis tum extraordinariis tam ordinariis, ſpecialiter à *Doctoribus* & iis qui docent & exhortantur *Rom.* 12. *v.* 7. 8. Et ſic Apoſtoli extraordinarii Doctores, ut non impedirentur in docendo, diaconos conſtituerunt, ut in hanc curam pauperum & diſtributionem ex profeſſo incumberent, ipſi autem *in oratione & adminiſtratione ſermonis perdurarent.* Actor. 6. v. 4.

Reſp. 2. Liturgia noſtra non imponit hoc illis tanquam proprium & ſpecificum officium: ſed tanquam aliquid acceſſorium vel conveniens ejuſdem & occaſionatum adjunctum: ut ſcil. in domino & ſanctè defectum afflictorum & pauperum cognoſcant, eumque ſecundum neceſſitatem ſuppleant: & ex re præſenti, occaſionem ſumant aut quęrant in humilitate, corporis animive afflictione, luctu, lachrymis, quærelis, gemitibus conſtitutos, erigendi & conſolandi: uti etiam negligentiâ in operibus vocationis ſuæ, aut malâ rei familiaris adminiſtratione, eleemoſynis abutentes, monendi corripendi. Notandum itaque liturgiam noſtram exſerte dicere, officium diaconorum eſſe, *primo*, ut omni cum fidelitate & diligentiâ eleemoſynas, &c. colligant, &c. *Secunda pars* officii ipſorum conſiſtit in diſtributione, &c. *Ad quod*, inquit, (ad prudentem ſcil. & diſcretam diſtributionem) *admodum bonum* eſt, *ut non tantum externo dono, ſed etiam ſermonibus conſolatoriis ex verbo divino* depromptis *pauperibus & miſeris ſuccurrant.* Eadem in interrogationibus propoſitis quærit Interrog. 3. *An promittitis, vos munere veſtro,* &c. *fideliter & pro viribus functuros: vos Seniores in eccleſiæ regimine una cum paſtoribus: & vos diaconi in miniſterio ſeu adminiſtratione pauperum.*

3. *Object.* Diaconi in antiquâ eccleſiâ erant ſcripturæ lectores ſeu prælectores: uti ab Hieronymo innui videtur in epiſt. ad Sabinianum diaconum, *Euangelium*, inquit, *Chriſti quaſi diaconus lectitabat.* Et à *Gregorio M. lib.* 4. *epiſt.* 44. *Reſp.* 1. Lectionem Euangelii (non totius ſcripturæ) ipſis in eccleſiis aliquibus permiſſam aut demandatam ſupra *part.* 1. *lib.* 2. *cap.* 3. obſervatum fuit. Sed inde non ſequitur, hoc fuiſſe diaconatus quà

 talis,

Digitized by Google

talis, aut per illud objectum ſpecificè diaconatum conſtitutum, & ab aliis miniſteriis ſacris diſtinctum fuiſſe. Ipſe concionator legere poteſt partem ſcripturæ, antequam ſuggeſtum conſcendit: quod abſente aut ægrotante, aut tardius accedente ludimagiſtro & æditũo (quibus in vicanis eccleſiis plerumque prælectio verbi imponitur), à me aliquoties factum memini, Inde non ſequitur concionatorem, eſſe formaliter lectorem: ejuſque proprium munus conſiſtere in prælectione ſcripturæ. Sicuti concionatores multi immo plerique in eccleſiis ſuis antehac pręcinere ſolent; & ego eodem officio functus ſum, in eccleſiâ vicanâ per integrum ſexennium, & deinde aliquot annis in eccleſiâ patriâ; quod idem prædeceſſores mei iſtic fecerant. Hinc tamen dicendum non eſt, concionatorum proprium, ſpecificum,& principale opus conſiſtere in præcinendo,non in prædicando. Tunc enim potius appellandi eſſent *cantores* (phraſi veteris Teſtamenti 1 *Paral.* 25.) aut *primicerii* (phraſi Canoniſticâ); quam *concionatores*. *Reſp.* 2. Etiam in eccleſiis reformatis, prælegere poſſent, & alicubi aliquando prælegerunt ſeniores, aut diaconi: ſed hoc non ſpecificat munus eorum; nec verbi & ſacramentorum adminiſtrationem ipſis tribuit, non minus ac presbyteris. *Reſp.* 3. Omnia facta, & omnes veterum aliquot eccleſiarum conſuetudines, non faciunt regulam.

Primum ipſis lectionem Euangelii injungebant; poſtea, & conciones habendas concedebant. Vide ſupra *part.* 1. *lib.* 2. *cap.* 3. *pag.* 603. Atqui illa conceſſio, concionum habendarum, in caſu neceſſitatis deficientibus ſcil. presbyteris in verbo laborantibus, quorum proprium munus erat concionari, non erat proprii, ſpecifici & ordinarii muneris illorum: (Siquidem diaconi abſque illis concionibus habendis, implebant nihilominus propria & eſſentialia officia diaconatus ſui): ſed erat quid accidentale, acceſſorium, occaſionatum, & diacono extraordinariò conceſſum aut impoſitum. Idem judicandum de opere lectionis ſcripturæ, aut Euangelii.

Munus & ordinem diaconorum à presbyteris diſtinctum, ſimiliter accipiunt conſtitutiones & praxis regiminis eccleſiaſtici Geneven ſ., Gallorum, Belgarum, Scotorum, &c. Et ſic explicant ac defendunt theologi reformati; ex quibus hos ſuffecerit hic indicaſſe: ex Gallis *Calvinum lib.* 4. *Inſtitut. cap.* 3. §. 5. *Bezam de diverſis miniſtrorum gradibus cap.* 4. *Daneum in comment. ad* 1 *Tim.* 3. *&* *Iſagogæ lib.* 1. *part.* 4. *cap.* 11. Ex Italis *Petr. Martyrem* (qui in Helvetiâ, Germaniâ, & Angliâ docuit) *claſſ.* 4. *locor. cap.* 1. *pag.* 476. „ Quum dicit Paulus Rom. 12. *Qui impertit, in ſimplicitate:* attigit munus „ Diaconorum, ut erant illo tempore, & noſtro etiam eſſe deberent. Illo„ rum fuit eleemoſynas & oblationes fidelium diſtribuere pauperibus. Ex Helvetiis, *Muſculum in locis commun. tit. de miniſtris verbi pag.* 426. edit. in 8.

Polanum lib.7. ſyntagm. cap.12. Qui duo docuerunt in Helvetiâ. Ex Ungaris *Szegedinum in loc. comment. tit. de ordine eccleſiaſtico tab.2.* Ex Belgis *Hyperium lib.3. methodi theol. pag.519.* Qui docuit in Germaniâ. Ex Scotis *Didoclavium in Altari Damaſceno cap.12.* Ex Germanis *Zepperum lib.2. Politicæ Eccleſiaſticæ cap.33.* ubi amplam habet inſtructionem de praxi diaconorum. Ex Anglis *Willetum in comment. ad Rom.12. qu.14. & 16.*

IV. *Quæſt. Unde & quomodo acquirere debeant diaconi? Reſp.* ad *prius*: Quotidianis collectis, quas faciant in cœtu eccleſiæ. Qui modus acquirendi in Belgicis, Gallicis, aliiſque eccleſiis receptus, & convenientiſſimus eſt. Quem ex Apoſtoli (1 *Cor.16. v.1.*) ordinatione acceptum, innuit catecheſis noſtra *quæſt.*103. eundem ſervatum in clandeſtinis Chriſtianorum conventibus diſcimus ex *Juſtini Martyris apologiâ 2.* ad *Antoninum*, & *Tertulliani apolog. cap.39.* ubi vocat *depoſita pietatis*. An autem in illo cœtu à ſingulis diaconi ſive obeuntes & tranſeuntes cœtum, ſive poſt dimiſſam concionem à ſingulis exeuntibus, petant: an vero fideles liberè & ſponte offerant & deponant apud diaconum, aut apud antiſtitem (uti morem ſui temporis refert Tertullianus); ad ſummam rei non facit. Sunt, qui putant auditum concionis aliquo modo turbari, ſi inter concionandum diaconi circumeant & colligant. Sed hic mos in multis, immo pleriſque Belgii eccleſiis, jam à prima ſtabilitâ reformatione receptus, non facilè mutandus videtur: *tum* quod turbatio illa vix ſentiatur à noſtratibus, qui jam huic mori aſſueverunt: *tum*, quod pluribus colligendis, melius inſerviat; dum nemo præteritur. Sed libertas ſingulis eccleſiis relinquenda eſt, ut eo modo colligendi utantur, quem putant iſti hominum generi, loco, & tempori convenire. Atque hic primus & expeditiſſimus acquirendi modus perpetuum dat fontem, unde quotidiè hauriatur.

Secundus acquirendi modus, eſt per ſpontaneas divitum oblationes & donationes inter vivos, & per teſtamentarias hæreditates, & opima legata: ad quæ honeſtè & fraternè ſive directè & apertè, ſive indirectè & rectè à diaconis, & ſenioribus, imprimis & verbi miniſtris, ægrotorum conſolatoribus ſollicitari poſſunt; ditiores abſque liberis, abſque conſanguineis, (qui quidem indigeant) hic viventes, & hinc diſcedentes. Huc refer omnes illos ſpeciales per donationem acquirendi modos, quos indicat *Zepperus* loco cit. alioſque à diaconis prudenter excogitandos. Ad has ſpontaneas oblationes refer gratuita illa ſive ſupplementa ſive auctaria, quæ Magiſtratus civitatum ex ærario publico, in diaconorum hierogazophylacium annuatim, aut occaſione ita exigente, liberaliter inferre ſolent. Quo ipſo tamen gazophylacii ſub manu ſuâ immediatè cuſtodiendi (haut aliter ac ærariis urbici), atque ex eo immediatè pauperibus diſtribuendi,

 pe-

peculiare jus non acquirunt: non magis, quam divites aliqui, qui in eccleſiâ liberaliter porrigunt, aut extra eccleſiæ cœtum diaconis magnas ſummas ſponte offerunt.

Sed dubium hic oritur, an ſicut bona eccleſiaſtica ad ſtipendia miniſtrorum, templorum fabricam, aliaſque expenſas, acquiruntur & colliguntur per tributum juſtitiæ (de quo ſupra *part.* 1. *lib.* 4. *tract.* 2. *cap.* 3. §. 3.): etiam talis modus acquirendi pro pauperibus introduci debeat? *Reſp.* Non videtur. Si enim ipſis pauperibus tributum juſtitiæ exigere, & per illud ali non poſſunt: ſic nec diaconi, qui nomine pauperum, & quaſi ipſorum gregem repræſentantes accipiunt. Repugnat enim hoc naturæ & proprietatibus eleemoſynæ, quæ in ſcripturâ appellatur *χάρις gratia* Rom. 16. 3. Et 1 Cor. 16. v. 1. 3. *De collectis quæ fiunt in ſanctos*, &c. *unuſquiſque veſtrum apud ſe ſeponat, recondens, quod ei bene placuerit.* Hinc *Juſtinus Martyr apol.* 2. *ad Antonin.* „Cæterum qui copioſiores (οἱ εὐποροῦντες) ſunt, & vo-„lunt pro arbitrio quiſque ſuo, quod viſum eſt, contribuunt, & quod ita „colligitur apud præpoſitum deponitur, &c.

Quod pluribus ſic explicat *Tertullianus*, *Apologet. cap.* 39. Etiamſi, quod „arcæ genus eſt, non de ordinariâ ſummâ quaſi redemtę religionis congre-„gatur: modicam unuſquiſque ſtipem menſtruâ die, vel cum velit, & ſi „modo velit & ſi modo poſſit apponit: nam nemo compellitur, ſed ſponte „confert. Hæc quaſi depoſita pietatis ſunt. Nam inde non epulis, &c. ſed egenis alendis, humandiſque, &c.

V. *Quæſt. Quibus colligant iſta, & diſtribuant diaconi? an promiſcuè quibuſvis pauperibus? Reſp.* Propriè aut ſaltem primo & primariò fidelibus & fratribus, juxta Galat. 6. v. 10. *Simus benefici erga omnes, maximè vero erga domeſticos fidei. Tertullianus* cap. cit. Inde diſpenſatur, egenis alendis „humandiſque, & pueris ac puellis re ac parentibus deſtitutis, itemque „domeſticis ſenibus, item naufragis, & ſi qui in metallis, & ſi qui in „inſulis, vel in cuſtodiis duntaxat ex cauſâ Dei ſectæ, alumni confeſſio-„nis ſuæ fiunt. Sed ejuſmodi, vel maximè dilectionis operam notam no-„bis innurit penes quoſdam. Vide, inquiunt, ut ſe invicem diligunt, &c. „Sed & quod fratres nos vocamus, &c.

Juſtinus modo cit. Atque ille inde opitulatur pupillis & viduis, & his, „qui propter morbum aut aliquam aliam cauſam egent, quique in vincu-„lis ſunt, & peregrè advenientibus hoſpitibus: &, ut ſimpliciter dicam, „indigentium is omnium curator eſt. Quamvis autem colligantur & accipiantur eleemoſynæ illæ per diaconos fidei domeſticis & hominibus de eccleſiâ: non tamen plane inexpertes relinquunt omnes à fide & eccleſiâ extraneos. Ut enim privati fideles non ſubtrahunt ſe ab indigentibus & affli-

ctis

ctis extra eccleſiam: ſic & diaconi. Immo diaconi in oppidis, & vicis fere omnibus, pauperibus quibuſvis loci illius civibus aut incolis pro re nata ſuccurrunt. Quamvis in majoribus civitatibus diaconorum diſtributio intra eccleſiam ſe contineat: illic enim certi & peculiares reditus, eleemoſynariis communibus, ad diſtributiones quotidianas, aliiſque orphanotropheium, gerondotochium, noſcomiorum præfectis ſeu curatoribus aſſignati ſunt; unde diſtribuant omnibus civibus aut incolis, extra eccleſiam, etiam in communione ſectæ alicujus, aut ſegregis cœtus viventibus. Quod autem diaconi, ubicunque per alios publicos eleemoſynarios, aut egenorum atque afflictorum curatores, hoc non fit rectè & bonâ conſcientiâ extraneis ab eccleſiâ ſuccurrere poſſint ac debeant, inde colligitur, Quod fideles hoſtibus ſuis teneantur opitulari *Rom.* 12. *v.* 20. cum *Proverb.* 25. *v.* 21. & *Math.* 5. *v.* 44. 45. Sunt enim proximi noſtri, ut docet parabola Samaritani *Luc.* 10. *v.* 29 - 38. ſunt caro noſtra, ex uno ſanguine omnes creati; à quibus non debemus nos ſubtrahere, *Actor.* 17. *v.* 26. cum *Jeſa.* 58. *v.* 7. Immo de Ethnicis infenſiſſimis Chriſtianorum hoſtibus Tertullianus loco cit. *Fratres autem etiam veſtri ſumus, jure naturæ matris unius, etſi vos parum homines, quia mali fratres. Euſebius lib.* 9. *cap.* 7. & *Nicephorus lib.* 7. *cap.* 18. referunt præclarum beneficentiæ Chriſtianorum exemplum referunt. Et extollunt, in cibandis fame contabeſcentibus Gentilibus, & ſepeliendis ex peſte mortuis.

VI. *Quæſt. Quid notet miniſterium menſarum, à quo Apoſtoli liberari volebant, & diaconis illud imponere? Reſp.* A Lapide in commentar. vult utramque menſam intelligi, & diſtributionis in pauperes, & celebrationis euchariſtiæ: idque ne fateri cogatur, Diaconos illos tunc ab Apoſtolis conſtitutos differre à diaconis in Eccleſia Romanâ conſtitui ſolitis. Quod agnoſci à Mariana, ipſe ibidem fatetur. Sed audiamus ipſum Marianam in ſcholiis ad loc. cit. „ Ergo, inquit, eligite viros probos, qui diſtributioni „ ſerviant. Nec enim ullam illis in ſacra poteſtatem iis diaconis, dede„ runt, ut patres non pauci ajunt. Chryſoſt. Oecumen. 6. Synod. can. 16. „ De quâ re latius Mich. Medina lib. 1. de contin. cap. 16. Hi menſis mi„ niſtrabant, alii erant diaconi & miniſtri altaris. Sed unde talem ordinem & gradum miniſterii ſacri, ab aliis gradibus diſtinctum, ex ſcripturâ exſculpent? Subjicit ibid. „ *Orationi & miniſterio verbi nos intenti erimus.* „ Hæc per ſe epiſcopus facere debet, cætera per alios. Bernardus 4. de con„ ſideratio dolendum ait tam facile inveniri quos epiſcopi ſubſtituant in „ curâ animarum, quibus committant facultates non invenire. Eadem eſt ſententia Cajetani ad *Actor.* 6. Synodi Conſtantinopolitanæ, quæ eſt ſexta in Trullo canon. 16. ſic ſonat ſecundum verſionem Gentiani Herveti.

Quo-

„ Quoniam actorum liber ſeptem diaconos ab Apoſtolis conſtitutos eſſe „ tradit, & Neocæſarienſis ſynodus in canonibus ſic apertè diſſeruit, quod „ ſeptem debent eſſe diaconi, &c. Nos cum dicto Apoſtolico mentem „ patrum adaptaſſemus, inveniunt eos eſſe locutos non de viris qui mini- „ ſtrant myſteriis, ſed de miniſterio, quod in uſu menſarum adhibeatur, „ cum liber Actorum ſic habeat. Cum diſcipulorum multitudo, &c. Quod „ & accipimus à Joan. Chryſoſt. ſic hæc verba interpretante in comment. „ ſuper Acta Apoſt. *cap.6.*

Sed contra menſam non vulgarem fuiſſe, ſed euchariſticam contendunt Caſpar Sanctius in *Actor.6.* & ibid. citati ab illo P. Salmeron in *Act.6.* Baronius ann. 34.: *qui*, inquit, *ſatis copioſè atque eruditè hoc probârunt. Ratio vero, aut gravis conjectura eſt,* (notet lector), *quia viri electi Spiritus ſancti pleni. quorum ſanctitas explorata eſſet, & probata omnibus; præmiſſa oratio, adhibita manuum impoſitio; quæ omnia oſtendunt,* &c.

Sed ad conjecturam hanc non opus eſt reſponſione, quia conjectura eſt, ipſo fatente. Itaque fortaſſe ſolvitur per non fortaſſe.

Ad objectam prædicationem Stephani & Philippi ſupra ſatis reſponſum eſt.

Prolepſin, quam ſubjicit, tam facile rejicimus, ac adfertur: „ Quod, „ inquit, de menſarum tantum miniſterio meminit Lucas, ea ratio eſt, quia „ ut alibi diximus menſę communes primis eccleſiæ temporibus cum ſacrâ „ conjungebantur. Bonorum autem eccleſię adminiſtratio, cum ad diaco- „ nos pertineret (ut multis probat Baronius ſupra, Bellarminus lib. 1. de „ Clericis cap. 13.) cum jam uſus adeſſet diaconici muneris, occaſio illa „ fuit, ut tunc conſtituerentur diaconi, qui & illa obirent profana mune- „ ra, & ſacra ſuo tempore peragerent. Levis conjectura non facit argumentum, nec ſupplementum hiſtoriæ ſacræ eſt pars textus ſacri.

Excipit ibid. & citat *Baronium* excipientem contra autoritatem VI. *Synodi in Trullo*, & canones ejus. Sed autoritatem canonum illorum à 227. patribus editorum agnoſcunt Synodus in Nicæâ congregata *Actor.5.* & *6.*: *Nicolaus 1. in epiſt.* ad Michaelem Imperatorem; *Anaſtaſius Bibliothecarius in præfatione Octavæ ſynodi*; *Synodus Florentina ſeſſ. 5. Gratianus in decreto* aliquoties canones illos adducit. Propter hæc & alia, ait *Caranza in Summâ* „ *Conciliorum*, viſum & novem canones prædictos ut nothos & adulteri- „ nos rejicere, & iſtos 102. ex Græco Nomocanone vetuſtiſſimo nondum „ excuſo, &c. In fine adjicit: *Eſt autem univerſalis.*

Præter *Canonem Concil. Conſtantinopol. in Trullo* modo exhibitum, Catena explanationum ſanctorum Patrum à *Joh. Bernardo* Feliciano ex Græco Latinè edita locum illum *Actor.6.* de menſis & diaconis ita exponit *pag.* 81.

Mini-

Digitized by Google

„ Miniſterium autem, id eſt, διακονίαν vocat eleemoſynam, id eſt, miſeri-
„ cordem erogationem, quæ & facientes ſanat, & accipientibus honorem
„ præſtat. Poteſt etiam per miniſterium quam διακονίαν dicit, publica ſup-
„ peditatio intelligi. Diaconium ſiquidem publicum promptuarium appel-
„ lare Græci ſolent, eò quòd eò unuſquiſque διακονούμενος, id eſt, feſtinans
„ ac celeriter accedere conſueverit, atque illuc ea inferre, quæ ad uſum
„ publicum comparantur. Quòd vero viduæ negligerentur, id non ex vi-
„ tio, ſed ex negligentia multitudinis eveniebat. Unde ubi rei huic cura
„ adhibita fuit, omnis querela ſublata eſt.

„ Et *pag.* 82. Repletos Spiritu ſancto & ſapientia eſſe eos qui eligendi
„ ſint, commiſſio hæc Apoſtolorum vult: non enim diſſipantium eſſe hoc
„ munus videtur: neque eſt cujuſlibet, viduarum & pupillorum convicia
„ interdum ferre. Nam licet fur quiſpiam non ſit, ſi tamen vel deſes, atque
„ ejuſmodi fuerit ut multa per negligentiam perdat: vel iracundus, ut qua-
„ libet vel levi cauſa indignetur, neque nugas vulgi patienter toleret, id
„ quod maximum ſapientiæ indicium eſt: nulla præſidentiæ hujus utilitas
„ exiſtet.

Et ſane ex ipſo contextu colligitur per menſas denotari menſas pauperum, quibus diaconi loco Apoſtolorum miniſtrarent. Quia *v.* 1. murmur exortum fuit, *quod ipſorum viduæ deſpicerentur in miniſterio quotidiano:* ſive paſſivum miniſterium, ſive activum intelligas; ſaltem ad menſam euchariſtiæ, multo minus ad altare miſſaticum applicari non poteſt. *Deinde* menſa talis intelligitur, à cujus miniſterio Apoſtoli liberari volebant: atqui à menſæ euchariſticæ miniſterio, hoc eſt, ab adminiſtratione cœnę dominicæ liberari nolebant. Illud enim miniſterium, miniſterio verbi annexum (juxta *Math.* 28. *v.* 19.) epiſcopis ſeu presbyteris, tum ordinariis, tum extraordinariis propriè incumbit: *Præterea*, conſtitutis ſeptem diaconis, qui menſis, hoc eſt, recipiendis & erogandis eleemoſynis miniſtrarent, ceſſavit murmur. Atqui non ceſſabat ob rectè & ritè in poſterum adminiſtrandam per diaconos euchariſtiam: ſed ob rectius & commodius recipiendas & diſtribuendas eleemoſynas; & non amplius deſpiciendas Helleniſtarum viduas in miniſterio quotidiano. Atqui talis diſtributionis adminiſtratio propter creſcentem eccleſiæ multitudinem ab Apoſtolis amplius fieri non potuiſſet; niſi cum intermiſſione & jacturâ prædicationis. Sed adminiſtratio euchariſtiæ non minus rectè & ritè, fieri potuiſſet per Apoſtolos & preſbyteros, ac per ſeptem diaconos. *Denique* legimus *Actor.* 4. *v.* 34. 35. ad pedes Apoſtolorum depoſita fuiſſe pretia venditorum agrorum & domorum; *& diſtributum fuiſſe hoc ſingulis, prout cuique opus erat.* Hoc erat illud menſę miniſterium, quo Apoſtoli in primâ collectione eccleſiæ occu-

pabantur. Et hoc ferè omnibus verbi miniſtris incumbit ubi primum plantanda, aut ubi πρόσκαιρος & tranſitoria eſt eccleſia; uti in exercitu aut in navibus. Et menſam aliquam pauperum ſeu receptionis *in quam* inferebantur, & diſtributionis *ex quâ*, fuiſſe in antiquis eccleſiis & ſic vocatam fuiſſe diſcimus ex *Origene in homil.* 16. *in Matheum.* „Diaconi, inquit, qui „non bene tractant eccleſiaſticarum pecuniarum menſas; ſed ſemper de „eis fraudant: & ipſas quæ diſpenſant, non ſecundum juſtitiam diſpenſant, „&c. Quoniam autem menſis eccleſiaſticarum pecuniarum diaconi præ„ſunt: docent nos in Actibus ſuis Apoſtoli. *Tertullianus apolog.* 39. dicit *arcam* in conventibus fidelium tunc poſitam fuiſſe. Certè menſis ſeu tabulis pecunias commodè imponi poſſe, etiam alia oblata & exhibita, docet quotidiana praxis mercatorum, inſtitorum, nummulariorum ſeu argentariorum, collybiſtarum, quæſtorum, receptorum, &c. Vide de *menſis* & *menſariiis* apud Jureconſultos. Et inde forte appellatio menſæ ad eccleſiam traducta: uti vox eccleſiæ, politeumatis, presbyteri, &c. Nec prætereundum quod in Eccleſiâ Romanâ perdurat uſque in hodiernum diem appellatio *menſa Spiritus ſancti*, hoc eſt, eleemoſynariæ: minimè vero appellatio *menſa euchariſtica.*

VII. *Quæſt. An diaconis præter curam pauperum, etiam ductus aliquis in eccleſiâ & agendis eccleſiaſticis incumbat? Reſp.* Ordo eccleſiarum Belgicarum, in minoribus eccleſiis, ubi pauci ſunt ſeniores, conſtitutionem conſiſtorii, juxta cum ſenioribus, & regimen eccleſiæ ipſis tribuit, *artic.* 38. Idem vocationem verbi miniſtrorum, ſeniorum, & diaconorum iiſdem tribuit, *artic.* 4. Sed quæritur an hoc competat ipſis, qua diaconis, jure divino; an vero jure eccleſiaſtico? Cum Apoſtolus *Philipp.* 1. *v.* 1. à ſanctis ſeu grege eccleſiaſtico diſtinguit epiſcopos & diaconos, videtur utriſque aliquam ἐξοχὴν & anteceſſionem & ductum tribuere. Quidquid ſit, ſaltem ex ordinatione eccleſiaſticâ hæc officia ipſis competunt. Eſſe autem à ſynodis Nationalibus Belgii prudenter ſtatutum, ut diaconi cum paſtoribus & ſenioribus pariter ad vocationem miniſtrorum concurrant, inde conſtat, quia in omnibus fere eccleſiis vicanis & oppidanis duo aut tres ad ſummum ſunt ſeniores, & unus paſtor: pauculis illis tantum negotium committi, minus tutum eſſet. In civitatibus & majoribus eccleſiis quamvis miniſtri & ſeniores numerum aliquem faciant, ad abundantem tamen cautelam & ad bene eſſe conſultum eſt, ut diaconi numerum eligentium & ſuffragantium augeant. *Diſſipabuntur cogitationes, quando non erit conſilium, ſed multitudine conſiliariorum firmabuntur.* Prov. 15. v. 22. ſic & numerus deliberantium de electione & eligentium prodeſſe putandus eſt; ſaltem metum & ſuſpicionem adimere populo, de oligarchia & factione paucorum vocatio-

nes

Digitized by Google

nes fabricante. Præterquam quod diaconi quaſi medii inter populum & paſtores ac ſeniores, conſiſtorium & collegium in magnis eccleſiis à collegio diaconorum diſtinctum conſtituentes, libertati & voto populi amplius conſulturi, eumque quaſi repræſentaturi putantur. Poſſent forte à nonnullis hic addi diaconos ad actus quoſdam regiminis, in antiquâ eccleſiâ concurriſſe cum presbyteris: ſed quia alii tum habebantur diaconi, ac noſtri, non videtur hoc ita facere ad quæſtionem præſentem.

VIII. *Quæſt. A quibus diaconi eligendi & conſtituendi ſint? Reſp.* Ab eccleſiâ, idque per directionem & anteceſſionem ſynedrii: uti in vocatione & electione concionatorum fieri debet: de quâ infra *lib. 3. tr. 1.* Qui ergo Magiſtratui politico, vocationem & electionem vel in totum vel ex parte, ſive ante, ſive per concurſum ſimultaneum hoc tribuunt, extra ſcripturas & praxim eccleſiæ primitivę Apoſtolicæ evagantur.

Quod ſi quis excipiat, quando Magiſtratus eſt extra profeſſionem Chriſtianiſmi aut illud negotium negligit, obtinere eccleſiaſticam vocationem; non vero, quando Magiſtratus eſt Chriſtianus, & hoc vult agere: *Reſpondemus*, hoc extra ſcripturam, & tabulas juris divini & doctrinam ac praxim antiquæ eccleſiæ ita diſtingui. Poſſet enim quis pari figmento, & paradoxo, de cura pauperum per collectionem & diſtributionem, immo & de cenſuris & totâ diſciplinâ eccleſiaſticâ, ſic diſtinguendo excipere. De quo ſupra *part. 1. lib. 1. tract. 2.* & infra *lib. 3. tr. 1.* & *part. 3. lib. 4.* Vide decreta ſynodorum Hollandiæ Auſtralis, *Iſelſtadienſis* anno 1626. art. 26. & *Gorinchemenſis* anno 1642. art. 21. & *Leidenſis* anno 1629. art. 14.

IX. *Quæſt. Qui & quales ex membris eccleſiæ ſint vocandi ad diaconatum; & an aliqua ratio qualitatum externarum habenda ſit? Reſp.* ad pr. Generalia & neceſſaria requiſita, deſcribuntur *Actor. 6.* & *1 Timoth. 3. Reſp.* ad poſter. *Aff.* Cæteris enim paribus, illos præferendos putarem, qui in hoc ſæculo honorati, & potentes; aut ſaltem alicujus ſint cenſus. Nam convenire non arbitror, ut quis eligatur, cætera quidem piiſſimus, & qui maximè quod ad miſericordiam & caritativam diſtributionem videretur idoneus; ex eleemoſynis tamen vivat, aut vix abſque iis familiam ſuſtentare queat, aut qui admodum tenuis ſit conditionis: non arbitror admodum conveniens & decorum eſſe.

Rationes ſunt iſtæ,

Prima, quiâ onere ἀνεβάσιμο gravantur tales, ſi in frequentibus eccleſiis multi ſint pauperes, quos frequenter inviſere, quorum ſtatum explorare, & quos conſiliis, conſolationibus, ordinariis & extraordinariis diſtributionibus juvare; præterea non tantum rationes accepti & expenſi conſignare, ac

ac reddere tenerentur: ſed etiam non raro ſummas gratuitò mutuare; quæ demum poſt finitum tempus miniſterii, & ſubductas annuatim rationes, reſtituantur.

Secunda ratio eſt, quia diaconi non minus, quam domus Cæſaris, ab omni ſuſpicione liberi eſſe debent: quantum quidem fieri poteſt. Jam vero quid proclivius, quam ut malevoli & hoſtes eccleſiæ, etiam aliqui domeſtici fidei tum pauperes tum divites, talem diaconum in ſuſpicionem adducant, aut illi tacitè calumniam ſtruant, quaſi ſcil. ex tractatione eleemoſynarum (haut aliter ac ex pragmatiâ quæſtoriâ,) caput unctius referret: præſertim, ſi Deus Domui Obededom juſtiſſimè in ſacrâ hâc functione agentis benediceret.

Atque hactenus de diaconis. Sunt & aliæ quæſtiones ad vocationem & officium diaconorum pertinentes: quas, ſupra cum agimus de eleemoſynâ publicâ & eccleſiaſticâ, tractamus, *part.1. lib. 2. tract.3. cap.5.* Ubi etiam aliquas hic perſtrictas, plenius explicamus. Eodem libro *tract.2. ſect.4. de adminiſtr. cœnæ cap.3. quæſt.8.* quærimus an & quomodo diaconi paſtoribus cœnam Domini adminiſtrantibus, inſervire poſſint.

LIB. II. TRACT. IV.

DE SACRI MINISTERII ET MINISTRORUM ADJUTORIBUS.

CAP. I.

De Diaconiſſis.

SUnt aliqui miniſtris ſacris in miniſterio ſuo verſantibus, ſubſervientes: quos generali nomine *adjutorum*, ſeu *auxiliariorum*, melioris doctrinæ causâ appellamus. Eos diſtinguere poſſumus in ἐγγράφους, & ἀγράφους. *Illi* ſunt, quorum mentio fit in ſcriptura; cum refert aut ordinationem Apoſtolicam, aut praxin & conſuetudinem eccleſiæ Apoſtolicæ. Et talis eſt ordo *diaconiſſarum*: de quâ mox agendum. Talis etiam ſunt *miſſi* ad collectas faciendas; qui etiam *collectores* vocari poſſent. De quibus *2 Corinth.8.v.16.17.18.* Et tales *miſſi*, ſeu *legati*, ad negotia eccleſiaſtica expedienda: aut ad eccleſiam aliquam, eccleſiaſve viſitandas. De quibus *Actor.15.v.1.22.30.33.*
&

& 11. *v.* 22. *Iſti* ſunt, de quibus in ſcripturâ nihil exſertè ſcriptum: qui tamen per rationem & neceſſitatem naturalem ex iis, quæ ſcripta ſunt, colligi poſſunt. Et tales ſunt e. gr. *pracentores*, ad dirigendum cantum eccleſiaſticum; item *lectores* ſcripturæ: *convocatores* cœtus.

Rurſum diſtinguuntur *adjutores*, in perpetuos ſeu permanentes; & in tranſeuntes ſeu προσκαίρους. *Illi* ſunt vel *primi*, & magis & propius circa interna miniſterii ſacri occupati, ut Diaconiſſæ, Proponentes, Conſolatores, Catechiſtæ, *Lectores*, *Phonaſci*, ſeu *pracentores*: vel *ſecundi & magis circa externa miniſterii occupati*, *ut Curſores*, *Janitores*, *Convocantes cœtum*, *Æditui*.

Inter perpetuos & permanentes, primum occurrunt *Diaconiſſa*: de quibus Rom. 16. v. 1. *Commendo autem vobis Phœbem*, &c. *qua eſt miniſtra eccleſia Cenchreenſis*. In Græco eſt διάκονον. Et 1 Timoth. 5. v. 6. *Vidua allegatur non minus annis ſexaginta*, &c. De quibus quæritur,

I. *Quaſt.* *Quodnam diaconiſſis incumberet?* *Reſp.* Certa quædam & quotidiana tum erga eccleſiam univerſam, tum erga pauperes fratres, peregrinos, captivos, ægrotos, præſertim mulieres ægrotantes, aut puerperas, etiam parvulos lactantes, &c. officia: quæ aut quorum aliqua non tam commodè aut tam decorè à viris præſtari poſſunt. Videtur aliquid iſtorum colligi ex requiſitis apud Apoſtolum 1 Tim. 5. v. 10. *Si liberos educavit*, *ſi fuerit hoſpitalis*, *ſi ſanctorum pedes lavit*, *ſi afflictis ſubvenit*, &c.

II. *Quaſt.* *An ſint*, *aut poſſint eſſe tales?* *Reſp.* Aff. Idque probatur ex mandato & exemplo Apoſtolico 1 *Timoth.* 5. *v.* 6. *Deinde* ex ratione neceſſitatis: quia omnia illa officia in frequentioribus eccleſiis per ſolos diaconos, immediatè abſque auxilio mulierum agi vix poſſunt: quædam agi non convenit, uti viſitationes & curæ puerperarum, aut muliebribus morbis laborantium.

Tertio. Ex conciliis & patribus conſtat, tales *Diaconiſſas* (uti *Origenes* eas „ appellant) in antiquâ eccleſiâ fuiſſe. *Origenes* in *Rom.* 16. *v.* 1. Hic locus A„ poſtolicâ autoritate docet etiam fœminas in miniſterio eccleſiæ conſtitui.

Et paulo poſt. Immo locus hic duo pariter docet: „ Et haberi (ut dixi„ mus) fœminas miniſtras in eccleſiâ: & tales debere aſſumi in miniſte„ rium; quæ aſtiterint multis, & per bona officia uſque ad Apoſtolicam lau„ dem meruerint pervenire.

Concil. Laodic. can. 11. *Quod non oportet eas qua dicuntur vidua ſeniores* (πρεσβύτιδας), *vel praſidentes*, *in eccleſiâ conſtitui.* Ubi nota ex voce *praſidentes* (προκαθημένας) eas certam ſedem in eccleſiâ habuiſſe. Concil. Chalcedonenſe can. 15. *Diaconiſſam mulierem ante quadrageſimum annum non ordinari*, *& eam cum accuratâ probatione*, &c.

Epiphanius hæreſi 79. *Obſervandum eſt Diaconiſſis eccleſiaſticum ordinem indiguiſſe, quas etiam viduas nominavit, & ex his ætate adhuc provectiores.* Idem ibid. *Diaconiſſarum quidem ordo eſt in eccleſiâ*, &c.

Concil Nicenum can. 19. Similiter autem & de Diaconiſſis, &c. *Diaconiſſarum autem meminimus, quæ in habitu quidem eſſe cenſentur, quia vero nullam manus impoſitionem habent; ut minimo inter laicos deputentur.*

Adde, Commentarium ſub nomine *Ambroſii* 1 *Timoth.* 3. Conſtitutiones Apoſtolicæ ſub nomine *Clementis lib.* 3. *cap.* 5. (ſiquidem aliqua hujus ſcriptoris ratio habenda) indicat quale fuerit potiſſimum harum officium: „ Elige quoque Diaconiſſam fidelem, & ſanctam ad mulierum mi„niſteria. Nam accidit aliquando, cum in aliquas domos diaconum ad „ mulierem mittere non potes, propter infideles, mittes igitur mulierem „ Diaconiſſam propter improborum cogitationes: nam ad multos uſus mu„liere Diaconiſſâ indigemus. Ac primum cum illuminantur mulieres, „ Diaconus ungit frontem ipſarum oleo ſancto; deinde Diaconiſſa eas ab„ſtergit. Non eſt enim neceſſe mulieres aſpici à viris, &c.

De uſu & miniſterio Diaconiſſarum in baptiſmo mulierum. Concil. Carthagin. 4. can. 12. „ Viduæ vel ſanctimoniales, quæ ad baptizanda„rum mulierum miniſterium eligantur tam ad officium inſtructæ ſint, ut „ poſſint apto ſive aperto & ſano ſermone docere imperitas & ruſticas mu„lieres, &c.

Diaconiſſarum miniſterii circa baptiſmum mulierum præſtandi meminit *Juſtinianus Novell.* 6. *cap.* 6. De denudatione mulierum baptizandarum apud antiquos aliqua notavimus ſupra *part.* 1. *lib.* 2. *tract.* 2. *ſect.* 3. *cap.* 4.

Hæc ex conciliis & antiquis quibuſdam ſcriptoribus de diaconiſſis annotavimus, ut conſtet fuiſſe ab Apoſtolorum temporibus diaconiſſas. Quo ipſo tamen, minimè probamus officia omnia illis tunc impoſita, aut modum eas ordinandi; nec etiam neceſſitatem aſſerimus in omnibus eccleſiis tales conſtituendi: Sed ſolummodo libertatem tales pro ſtatu, & exigentiâ cujuſque eccleſiæ conſtituendi, & miniſteria ſeu officia iiſdem plura aut pauciora imponendi. Ex noſtris *Daneus in* 1 *Timoth.* 5. *v.* 9. *pag.* 269. edit. 8.

„ Ingreſſus enim Paulus diſputationem de viduis, quæ ab eccleſia alun„tur, canonem addit de iiſdem valde neceſſarium, maximè pro ratione „ illius temporis, & hujus quod poſtea ſubſecutum eſt. Nam noſtro hoc „ ſeculo in omnibus reformatis eccleſiis ceſſat hujus canonis & præcepti „ uſus. Ex quo apparet, quæ ad particularem eccleſię politiam pertinent „ & pro ratione tantùm temporum aut locorum aut perſonarum conſti-

tuta

„tuta & recepta ſunt, ea non eſſe perpetua: ſed pro diverſa temporum, „locorum, perſonarum, &c. circumſtantia mutari poſſe: quemadmo- „dum etiam ex iis apparet, quæ à prima ſynodo Hieroſolymitana, quæ „ab Apoſtolis habita eſt, decreta ſunt *Actor.* 15. Neque enim illa ſemper „fuerunt obſervata, quod in eo cernitur, quod de ſuffocata conſtitutum „eſt. Illud enim prorſus hodie & ceſſat & ſublatum eſt.

Si per omnes intelligit Eccleſias Gallicas, accipio reſponſum. Sed in aliis reformatis eccleſiis, non eſſe ſublatum munus diaconiſſarum, docet praxis eccleſiarnm quarundam in noſtro Belgio, inter quas Amſtelodamenſis.

Eccleſiæ Bohemicæ (Ord. & diſcipl. in eccleſiis Fratrum Unitatis Bohemicæ *c.6.§. 1.* & *Comm. in not. p. 83.*) habuerunt ſuas *Presbyteras*; quę electæ ſolenniter à viſitatore ordinabantur, ſed coram ſolo fæmineo ſexu pręſente.

Synodus *Nationalis Dordracena* anno 1578. & *Middelburg.* anno 1581. *quaſt. partic.* 56. judicabat ob rationes, tunc haut conſultum eſſe, ut uſus diaconiſſarum introduceretur. Quæſt. ſic propoſita erat. *An conſultum eſſet ut munus diaconiſſarum denuò introduceretur?* Ad quam ſynodus ſic reſpondet: *Non; propter varia inconvenientia, quæ inde ſequi poſſent. Sed tempore peſtis, aliorumve morborum, ſiquidem miniſteria aliqua ægrotis mulieribus præſtanda ſint; quæ à diaconis præſtari non convenit, curabunt eas per uxores ſuas, aut alias ad id idoneas.* Quod intelligendum eſt, de neceſſariâ diaconiſſarum in omnibus eccleſiis conſtitutione, prout de conſtitutione diaconorum judicârunt & urſerunt ſynodi prædictæ, aliæque ſequentes. Hoc quidem fateor, in vicanis aliiſque minoribus eccleſiis hodie haut ita requiri tales diaconorum auxiliatores: quod diaconi per uxores ſuas, aut ſi cœlibes ſint, per ſorores, aut matres, aut materteras aut quaſcumque pias ac prudentes mulieres adminiſtrationi rei ſuę familiaris ab ipſis adhibitas, talia curare poſſint. Inſuper in pleriſque Belgicis eccleſiis talis rerum ſtatus tunc non erat, ac olim in eccleſiis Apoſtolicis inter Gentes collectis, ſive majoribus ſive minoribus. Non enim eſt de nihilo quod *Grotius in notis ad Rom.* 16. *v.* 1. obſervat. In Judæâ, inquit, diaconi viri etiam mulieribus „miniſtrare poterant erat ibi liberior ad fæminas aditus, quam in Græciâ, „ubi viris clauſa γυναικωνῖτις. Ideo duplici in Græciâ fæminarum auxilio „opus habuere. Alteræ erant πρεσβύτιδες ſive παραμυθούμεναι, quæ fæmina- „rum mores formabant, &c. aliæ erant διάκονοι, latinæ etiam diaconiſſę, „quod Plinius in epiſtolâ ad Trajanum vertit *miniſtras*, quæ fæminas pau- „peres aut ægrotas pecuniâ atque operâ ſublevant. Addendum, non tantum in Gręciâ, ſed & Romæ & in Italiâ tunc temporis (ut & hodie) tam liberum viris ad fæminas acceſſum, non fuiſſe; ac quidem nunc in Belgio.

Ubi

Ubi ergo tempora, loca, & mores hominum ita ferunt; imprimis cum frequentiores ſunt eccleſiæ, & frequens numerus fæminarum paupercularum, ægrotantium, puerperarum, viduarum, infantium & lactentium; quidni liceat ſubſidiarias ejuſmodi diaconiſſas advocare. Cum habeatur exemplum Apoſtolicum, *1 Tim. 5. v. 9.* & *Rom. 16. v. 1.* & praxis antiquæ eccleſiæ poſt-Apoſtolicæ: uti ſupra probatum fuit. Immo & analogicè tale quid colligi poſſet ex *1 Sam. 2. v. 29. Eſdræ. 2. v. 64.* ubi de mulieribus, quę officia aliqua circa eccleſiam, tabernaculum, templum, ſacra præſtabant. Quod ad locum *Rom. 16. v. 1.* Quamvis inter recentiores non nemo (*Pareus in Rom. 16.*) neget Phœbem dici miniſtram διάκονον, quod in miniſterio iſtius eccleſię conſtituta eſſet, rationes tamen ejus tantum non ponderant, ut à ſententia & interpretatione Origenis, Theodoreti, *Calvini*, Oſiandri, Gualteri, Toſſani, &c. recedere cogamur. Inter Pontificios, Toletus, *Corn. à Lapide in Rom.* 16. Anglo-Rhemenſes imprimis in *1 Tim. 5.* exſertè exponunt de diaconiſſis, quarum officium erat pręparare infantes ad baptiſmi ſuſceptionem, diſponere de bonis eccleſiæ ſub inſpectione & directione diaconorum; eaque diſpenſare in ægrotos, &c. Et citant ibidem Euſebium lib. 6. cap. 35. *Chryſoſtom. lib. 5.* de ſacerdotio, *Epiphanium de hæreſi Callyridianorum.* Quæ omnia examinator eorum *Thomas Carthwrightus* ſilentio præterit & probat, in egregio opere tit. Confutatio Tranſlationis Rhemenſium & notarum in Novum Teſtamentum.

III. *Quæſt. A quibus ſint eligendæ diaconiſſæ? Reſp.* Ab eccleſiâ aut à ſynedrio eccleſiam repręſentante, aut à diaconis conſentiente ſynedrio. Sunt enim auxiliatrices diaconorum, iiſque in exercitio muneris ſui ſubſerviunt. Sicuti præfecti & Rectores Orphanotrophei in hac urbe, quaſdam matronas eligunt, quæ in quibuſdam circa pueros orphanos curandis auxiliantur. Apoſtolus *1 Timoth. 5.* non dicit, Timothee elige aut conſtitue diaconiſſas: ſed *vidua allegatur non minor annis ſexaginta*, &c. v. 6.

IV. *Quæſt. Quales ſint eligendæ, ſeu quæ ſint conditiones in eligendis requiſitæ? Reſp.* Recitat eas Apoſtolus (*1 Timoth. 5. v. 6.*); Et ſunt 1. ut ſit vidua. 2. ſexaginta annorum 3. Unius uxoris vir: non bigama. 4. bono teſtimonio extraneorum ornata. 5. educatio liberorum. 6. Hoſpitalitas & Lotio pedum. 7. Subventio afflictorum. 8. Aſſidua boni operis ſectatio.

Hæc requiſita manifeſta ſunt, & ab interpretibus communiter explicantur. Sed controverſia movetur à Pontificiis de bigamiâ, an ſimultanea an vero ſucceſſiva hic intelligenda ſit? *Reſp.* Pontificii Poſteriorem intelligi volunt, Canoniſtæ ad *de digamis non ordinandis* (qui eſt tit. 20. lib. 1. Decretal.) & theologi in comment. ad *1 Tim. 5. v. 6.* & ad *1 Tim. 3. v. 2.* Sed digamos ſimultaneos intelligi, à noſtris oſtenſum, nominatim à Daneo; & à nobis ſupra *part. 1. lib. 3.*

Quod

Quod velit eligi viduam, & quidem ſexaginta annorum, hanc habet rationem, quod viduæ iſtius ætatis à curâ viri (*1 Cor. 7. v. 34. 37.*), & à curâ educationis liberorum (de quâ *1 Tim. 5. v. 14.*) libera ſit, multâque experientiâ, ac ſenili prudentiâ inſtructa, optimè hæc officia præſtare poſſit. Ætatis tamen præſcriptio tam ſtrictè & pręcisè accipienda non eſt, ac ſi nulla anno uno atque altero inferior; ſed pleriſque aliis forte & omnibus ſexagenariis pietate, prudentiâ, induſtriâ, animi corporiſque robore ſuperior, eligi non poſſet. Minimè. Sæpe enim in parvis eccleſiis nulla ſexagenaria reperitur quæ qualitatibus ad munus hoc requiſitis inſtructa ſit. Intelligendum ergo, meliorem viam oſtendi ab Apoſtolo, ut ſcil. ſi cæteris paribus ſexagenaria haberi poſſit, ea præferatur. Hoc ita intellectum fuiſſe in antiquâ eccleſiâ poſt Apoſtolicâ, diſcimus ex dictis ac ſupra cit. Chryſoſtomus in *1 Timoth. cap. 5. Homil.* 14. videtur rigorem poſtulatæ ætatis, accommodè velle exponere.

„ Quid ergo, inquit, num illam annorum metimur numero? At id cujus „ meriti eſt? Neque enim in ipſa eſt, ſexageſimum impleſſe annum. Non „ igitur ſola ætas inſpicienda eſt: imò ſi ſexagenaria quoque ſit major, & „ bonis operibus careat, eligenda non eſt. Quid igitur tanta diligentia de- „ ſignat ætatem? Cauſam poſtea ponit, non à ſeipſo, ſed à viduis ipſis „ invectam. Interim quid ſequatur, audiamus: In operibus inquit, bonis „ teſtimonium habens. Quibus operibus? Si filios enutrivit. Non parvi „ profecto momenti eſt enutrire filios. Id vero non de alendis tantum „ filiis dicitur, ſed ſicuti oportet alendis, ſicut ſuperius dixit, ſi perman- „ ſerint in fide, & dilectione. Vides ut omnibus in locis beneficentiam in „ ſuos præferat? Primum enim ſi filios enutrivit ponitur: & tunc ſi ſuſcepit „ hoſpitio, ſi ſanctorum pedes lavit, ſi tribulantibus neceſſaria miniſtravit, „ ſi omne opus bonum aſſecuta eſt. Quid oro ſi pauper illa ſit? Ne ſic qui- „ dem hiſce muneribus omnibus fungi deſiſtat, neque enim eſt illa pauperior, quæ duos obolos ſacris theſauris ingeſſit. Nam licet pauper ſit, ha- „ bet tamen domum: non enim ſub divo manet. Si ſanctorum, inquit, „ pedes lavit. Cujus iſtud impenſę eſt: ſi omne opus bonum aſſecuta eſt. „ Corporale miniſterium eſt omne, quod præcipit. Sunt enim mulieres hu- „ juſmodi obſequiis in primis idoneæ, lectulum ſternere, ac fovere mini- „ ſterio.

V. *Quæſt. An Tabitha Actor. 9. fuerit diaconiſſa? Reſp.* Non liquet. Quin potius ex plenitudine eleemoſynarum quæ illi tribuitur, colligi poſſe videtur, eam de ſuo liberaliter diſtribuiſſe pauperibus; & non de alieno ex officio. Sicuti Cornelius eo nomine laudatur *Actor.* 10. v. 2.

Digitized by Google

CAP. II.

De ægrorum Viſitatoribus ſeu Conſolatoribus, Proponentibus, Catechiſtis, Lectoribus, Præcentoribus, æditius, Janitoribus ſeu curſoribus.

§. 1. ADjutores *perpetui* ſeu *permanentes*, ſunt vel primi vel ſecundi ordinis. *Illi* ſunt qui miniſtris ſacris auxiliantur immediatè & proximè circa miniſteria ſeu officia ſacra: & ſunt, ægrorum viſitatores, Proponentes, Catechiſtæ, Prelectores, Præcentores.

Ægrorum viſitatores, conſtituuntur, ut in viſitandis ægrotis & afflictis, ſubſidiariam operam paſtori aut paſtoribus præſtent. De his quæritur.

I. *Quæſt. An munus eorum ſit licitum? Reſp.* Aff. quia in frequentioribus eccleſiis, immo & in minus frequentibus, talibus auxiliatoribus indigent concionatores; qui cum ſtudiis incumbunt ad conciones ſe præparant, conciones habent, ipſi ægritudine detinentur, aut neceſſarò abſunt ab urbe; non poſſunt quavis horâ diurnâ aut nocturnâ, quotieſcumque advocantur, periculosè decumbentibus aut agonizantibus adeſſe. *Deinde*, in quâque navi complures vectores, & navales ſocios, continente, ſi longum iter ſuſcipiatur, requiritur quis, qui ægrotos, moribundos ex verbo Dei inſtruat, qui in precibus ſociis tum ſtatis tum occaſionatis (per tempeſtates, aliaque preſentia pericula) præeat, qui quotidie aliquid ex ſcripturâ prælegat, qui cantum pſalmorum inchoet, qui diebus dominicis concionem aliquam ex libro prælegat. Idem dico de ſingulis navibus bellicis & claſſiariis. Adhæc Pauculi aliqui veræ religioni addicti, alicubi in Papatu delitescentes, operâ & miniſterio *ægrotorum viſitatoris* aut *catechiſtæ* uti ſolent: & tales illis conſtituuntur; tum ob alias rationes; tum etiam, ut rigidam in verbi miniſtros inquiſitionem & perſecutionem hâc ratione eludere queant: verè & ſincerè negando, ſe eſſe concionatores ſeu verbi miniſtros. Denique graſſante tempore peſtis, ubi unus modo eſt concionator, qui per hominum iſtius loci meticuloſitatem ordinario miniſterio in templo & κατ' οἶκον fungi non poſſet, ſiquidem domos peſte infectas tempeſtivè intempeſtivè obiret: neceſſe eſt aliquem ad id idoneum conſtitui, qui ex morbo illo decumbentes, agonizantes, & reſiduos in infectis domibus conſoletur.

Sed objicitur.

1. *Object.* Tales ægrorum conſolatores ſunt ἄγραφοι, id eſt, nihil de ipſorum munere & opere in ſcripturis reperitur: videtur ergo repugnare ſcri-

ſcripturæ. *Reſp.* Dato exſertè nihil in ſcripturis pręſcribi de hoc munere: per rationem tamen neceſſitatis, ad ædificationem eccleſiæ & curandam hominum ſalutem, inde ſatis colligi & deduci poteſt. Saltem non repugnare ſcripturæ aut juri divino, evinci poſſet: ſiquidem poteſtatem eccleſiaſticam, & jus divinum permiſſivum ex ſcripturis habeamus. Omnia enim neceſſaria opera ad curam eccleſiæ, & ſingulorum fidelium, ad eccleſiaſticam poteſtatem & diſpoſitionem pertinent. Atqui viſitatio ægrorum & afflictorum ſunt opera neceſſaria, non minus ac pueros catechizare, templa cuſtodire purgare, & ad conventus & ſacra ibidem peragenda εὐσχήμως ϗ εὐχρήστως, pręparare & adaptare. Hinc conſtitutio Catechiſtarum, Proponentiam ſeu candidatorum miniſterii, prælectorum, præcentorum, æditorum, janitorum: quos antiqui *minores clericos* appellare ſolent, & in Eccleſiis Bohemicis *acolythos* & *diaconos*; quorum munus & ordinatio diſcribitur, in *ordine* ſeu *diſciplinâ fratrum unitatis cap.* 1. *pag.* 16. 28. 29. Et pluribus à *Lazitio in tract. de eccleſiis fratrum Unitatis cap.* 4. §. 10. & 5. §. 1. & *ſeqq.*

2. *Object.* Officium paſtorum ſeu concionatorum eſt, ægrotos viſitare, afflictos conſolari? *Reſp.* 1. Sic eſt: ſed hinc non ſequitur ab illis ſolis hoc agendum. Quin & quorumvis fidelium eſt, pro viribus hoc agere 1 Theſ. 5. v. 11. *Quapropter adhortamini alii alios, & edificare ſinguli ſingulos, ſicut & facitis.* Et poſtea v. 14. *Precamur autem vos, fratres, monete inordinatos, conſolamini eos, qui puſillo animo ſunt,* &c. Confer etiam Rom. 15. v. 14. *Perſuaſum autem habeo & ipſe ego de vobis,* &c. *& qui poſſitis etiam vos mutuo admonere.* Hæc enim ſunt opera caritatis & miſericordiæ; ad quæ quilibet tenetur. Matth. 25. v. 34. 35. *Et dicet rex iis,* &c. *eſurivi enim & dediſtis mihi cibum,* &c. v. 39. *Quando te vidimus ægrotum, aut in carcere, & venimus ad te.* Jam vero, uti eleemoſynas corporales diſtribuere cuique fideli competit; ita & ſpirituales, inſtructiones, ſcil. ignorantium, conſolationes afflictorum, &c. Atqui ut in corporalibus eleemoſynis conſtituuntur eleemoſynarii communes, qui ex profeſſo, & demandato munere hoc agant; ne quis pauper prætereatur aut negligatur: ſic in eleemoſynis ſpiritualibus (quas Scholaſtici ita appellant), conſolatione ſcil. & inſtructione ægrotorum, aut aliter afflictorum. Quandoquidem, *quod omnes curant, nemo curat.*

Inſtantia, Atqui tantus debebat eſſe numerus concionatorum, ut cuilibet vico, aut παροικίᾳ proſpectum eſſet de uno aut pluribus: ita dum unus aut ob concionem habendam, aut per abſentiam neceſſariam, aut per morbum, aliave impedimenta hoc agere nequeant: alter huic negotio vacet, & defectum hunc commodè ſuppleat? *Reſp.* Sed quandoquidem talis nu-

Digitized by Google

merus concionatorum in vicis, oppidis, & majoribus civitatibus non habetur, nec tam facile haberi poterit: quidni interim auxiliatores tales conſtituantur. Juxta proverbium. *Qui non poteſt uti primâ navigatione, utatur ſecundâ.*

3. *Obiect.* Atqui auxilium illud in viſitandis ægrotis & afflictis partim à ſenioribus, partim à diaconis, aut ab ædituis, aut prælectoribus præſtari poſſet. Ergo non opus eſſet ægrorum viſitatoribus. *Reſp.* Quamvis alicubi in parvâ eccleſiâ hoc ab aliquo ex nominatis præſtari poſſet: nego tamen univerſaliter in magnis eccleſiis hoc præſtari poſſe. Adhæc mihi non ſit veriſimile omnes ad munus ſenioris aut prælectoris, aut æditui idoneos, ad ægrorum viſitationem idoneos eſſe; aut ſi idonei eſſent, illi viſitationi nocte dieque vacare poſſe, aut etiam debere. Cum enim gratis, abſque ullo ſtipendio ſeniores & diaconi miniſtrent, quæ æquitas ſuaderet onus, quod geſtant ægrotorum viſitatores, iiſdem imponere? Quod ad prælectores & æditu os, cum in vicanis aliiſque minoribus eccleſiis, vulgaribus ſcholis præfecti ſint, & in pulvere illo totos dies deſudent, munere *conſolatori* ritè defungi non poſſent; quamvis apprimè ad illud idonei. Denique dato munus ludimagiſtri, & æditui, prælectoris & præcentoris, janitoris ſeu apparitoris conſiſtorialis, & ægrotorum conſolatoris, ob duram neceſſitatem, & ſtipendiorum defectum; ab uno aliquo geri, & utcumque exerceri: quis dicet in frequentioribus eccleſiis ab uno omnia illa commodè præſtari poſſe? aut in vicana, aliâve minori eccleſiâ expedire, ut omnia illa uni viro imponantur: ſiquidem aliter fieri poſſit. Ergone pari judicio publica ſcripturæ prælectio, cantus eccleſiaſtici inchoatio & directio, puerorum & rudium catechizatio, ęgrotorum viſitatio, Doctoralis ſtudioſorum theologię & candidatorum inſtitutio (hoc eſt univerſum opus profeſſorum theologię) ſolis concionatoribus imponenda eſſent? ne ſcil. ἄγραφοι *prælectores*, *præcentores*, *proponentes*, *catechiſtæ*, *Doctores ſeu profeſſores theologiæ*, in eccleſiis noſtris amplius nominentur. Quandoquidem omnes jam recenſiti *adjutores* in ſcripturis non magis comparent, quam ægrorum *viſitatores* ſeu *conſolatores*.

II. *Quæſt. A quibus & quomodo vocandi atque ordinandi ſint ægrorum conſolatores? Reſp.* Ab eccleſiâ eccleſiaſticè: cum præviâ exploratione & examine: haut aliter ac vocatio concionatorum: de qua infra *libr.* 3. *tract.* 1.

§. 2. *Proponentes*, qui hodie ita dicuntur, ſunt ſtudioſi theologiæ, & candidati miniſterii, ad conciones publicè coram eccleſiâ habendas, non abſque prævio examine præparatorio, admiſſi. Antehac in eccleſiis noſtris vocabantur Proponentes, qui privatim coram ſolis miniſtris aut conſiſto-

riis

riis, in concionibus habendis ſe exercebant. Poſtea tamen ad ſpecimen donorum coram eccleſiâ edendum cathedra ipſis extraordinario & per occaſionem conceſſa fuit: ut eſſet via ſeu conditio ſine quâ non, ad vocationem: quandoquidem eccleſiæ neutiquam aut ægrè ad eligendum quem adduci poſſunt, cujus dona concionandi audita non fuerunt. Cum vero unus atque alter theologię in Acad. Leidenſi ſtudioſus mihi non ignotus cruda & immatura ſtudia in ſuggeſtum protrudere auſi (uti ἡ ἀμαθία plerumque θράσος) nonnulla minus ſana & ſolida effutiiſſent; inſuper plerique theologiæ in eâdem Academiâ ſtudioſi novitatibus Arminii infecti aut afflati, heterodoxa concionibus ſuis paſſim propinarent: ex malis moribus ortę ſunt bonę leges; hoc eſt, occaſione illâ in claſſibus & ſynodis Zuyd-Hollandicis conſtitutum aut potius renovatum *examen*, quod vocant *præparatorium*; diſtinctum ab ordinario & recepto examine, præmittendo vocatorum confirmationi in miniſterio; quod diſtinctionis causâ, *peremtorium* dici ſolet. Decretum illud ſynodi Zuydhollandicæ incidit (ſi bene memini) in annum 1608. Quamvis ab illo tempore, in omnibus claſſibus & eccleſiis Zuydhollandicis obſervatum non fuerit (quod expertus dico) & claſſes atque eccleſiæ aliquę extra Zuyd-Hollandiam, etiam poſt reſtitutionem εὐταξίας eccleſiaſticę anno 1619. ſerò illud obſervare cœperint. In *ordine eccleſiaſtico* concepto à *ſynodo Nationali Hagienſi* anno 1586. *artic.* 18. ſta-
„ tutum erat de exercitiis propoſitionum inſtituendis, ut proponentes illi
„ præpararentur ad miniſterium: ſic tamen ne publicè eccleſiam ex ca-
„ thedrâ docerent, niſi qui legitimè examinati & idonei inventi ſint in
„ *Univerſitate* aut claſſe: non tamen procedent ad ſacramentorum admi-
„ niſtrationem, uſque dum plenè vocati & confirmati fuerint. Nunc autem in omnibus (ni fallor) eccleſiis & claſſibus Belgii id ſtrictè obſervatur. In eccleſiis Tranſſylvanicis non conceditur theologiæ ſtudioſis cathedram publicè ac concionandi facultas, niſi ſe ad ſacroſanctum mini-
„ ſterium in animo devoviſſe, ſanctè teſtentur: alias id ſalvâ conſcientiâ,
„ ſine profanatione ſacri ordinis ac miniſterii, nec ipſi facere poſſent. Uti habent *Acta ſynodi Nationalis* anno 1646. *concl.* 29. Quod decretum ſanè abundantis cautelæ ergo, ab aliis eccleſiis imitandum judicarem. Ne vana, verſatilia & deſultoria proponentium ingenia, poſt habitas aliquamdiu conciones publicas tam facile ab ordine illo deficiant, & temerariâ defectione ſuâ ſcandalum excitent; etiam ad ſacri miniſterii contemtum, & miniſtrorum odium atque inſectationem prorumpant: juxta vulgatum illud in Papatu, *Omnis apoſtata eſt oſor ſui ordinis.* Quod tamen nolo applicatum illis proponentibus, ſi qui vi majori, aut incidente ac ſupervenìente aliquo impedimento, in corpore aut animo, aut utroque, aut in

 ſtatu

Digitized by Google

ſtatu externo compelluntur à voto & propoſito muneris paſtoralis piè & prudenter reſilire, & alteri vocationi ſe mancipare: non ſine præhabito piorum miniſtrorum, parentum, tutorum, Mecænatum, conſilio. Reſpondeo nunc ad quæſtiones aliquot,

I. *Quæſt. An quilibet ſtudioſi theologiæ, qui ſe offerre audent, ad præparatorium examen admittendi ſint? Reſp.* Neg. Eſt enim hoc in poteſtate quarumvis eccleſiarum & claſſium, eos, quamvis præparatoriè examinatos, ad conciones publicas, adhibere aut non adhibere. In claſſe Walachricâ Zeelandiæ, jam multis annis ad conciones publicas admiſſi non fuerunt, non tantum extranei, ſed etiam domeſtici, ſeu iſtius claſſis proponentes & miniſterii candidati, quamvis jam ſint & habeantur *vocabiles*. Hinc fit, ut, ſi quam illius diſtrictus eccleſiam vacare contigerit, coram conſiſtorio vacantis eccleſiæ, ad hoc Middelburgum evocato & coram deputatis claſſis, omnes proponentes audiantur; & ex illis unus à prædicto conſiſtorio eligatur. In multis, ſi non in omnibus Hollandicæ claſſibus nunc ſtatutum eſt, ne proponentes in vacantibus eccleſiis concionentur, niſi in claſſe illâ poſt exhibita examinis præparatorii & promotionis ad ordinem proponentium teſtimonia, & dona concionandi audita, ſpecialiter recepti & approbati ſint, tanquam proponentes iſtius claſſis; quales vulgo *commendatos*, hoc eſt eccleſiis vacantibus commendandos & offerendos appellant. Quin in aliquâ claſſe Zuydhollandicâ hoc obſervatum memini; ut cum omnibus proponentibus alibi examinatis & teſtimonio inſtructis collationem (uti vocabant) inſtituerent, & aptitudinem eorum explorarent. Et hoc quidem poſt renovatum a. 1619. in *ſynodo Zuydhollandica Leidenſi artic.* 113. decretum de præparatorio examine; & poſt decretam anno 1622. in *ſynodo Gorinchemenſi artic.* 21. ſubſcriptionem formularum conſenſus (confeſſionis, catecheſios, determinationis *Synodi Nationalis Dordracenæ* de quinque articulis Remonſtranticis) à Proponentibus præſtandam, & præſtitæ teſtimonium pariter cum teſtimonio præparatorii examinis, exhibendum.

Nec prętereundum, quod anno 1589. in *Synodo Goudanâ*, *artic.* 46. & anno 1596. in *ſynodo Delſenſi artic.* 32. & anno 1599. in *Synodo Hagienſi art.* 8. ſtatutum ſit, ne proponentes publice concionentur, niſi præſente aliquo concionatore.

Quæ decreta oſtendunt quam difficulter & trepidè proponentes ad publicas conciones admiſſi fuerint: & quantâ cum dubitatione ſæpe recepta fuerint teſtimonia doctrinæ, vitæ, donorum concionandi. Et certè videntur ea ſubinde κατὰ πρόσκλισιν (contra 1 *Tim.* 5. *v.* 21.) ſtudio & favore ſive ab agitatore, ſive à claſſe, aut à deputatis claſſis, data, aut à præſide ſcribâve indulgentiori ſtylo conceſſa ac ſcripta fuiſſe. Sunt adhuc in ſæculo, qui non-

nullos

Digitized by Google

nullos in examine præparatorio (utinam non in Examine peremtorio!) tam lubricè ſtetiſſe nôrunt, ut in catecheticæ theologię reſponſis infra complures catechumenos & catechumenas potius detrudendi judicarentur, quam ad ordinem proponentium aut ad munus paſtorale promovendi. Et ſanè, quæcumque exhibeant aptitudinis & promotionis ſuę teſtimonia: eo ipſo, libertas & poteſtas, miniſtris, ſynedriis, claſſibus non adimitur, cathedram illis comedendi aut non concedendi. Si enim quemvis concionatorem jam miniſterio fungentem, poſſunt non adhibere ad conciones in ſuâ eccleſiâ aut in ſuis eccleſiis habendas; cur non multò magis in proponentibus hoc obtineat? Audi ordinis noſtri eccleſiaſtici artic. 15. *Nemini in alienâ eccleſiâ concionem aliquam habere, aut ſacramenta adminiſtrare licebit ſine voluntate aut conſenſu ſynedrii.*

II. *Quæſt. An proponentes noſtrates tantum ad conciones explorationis & probationis gratiâ habendas admittendi ſint; an vero etiam ut ſubſidiariam operam, tanquam adjutores ordinarii, concionatoribus præſtent? Reſp.* Si hodiernam & præjudicatam praxim ſpectemus, ſunt & habentur tanquam ordinarii concionatorum in concionibus habendis adjutores & ſubſidiarii, aut ſi ita dicere liceat, ſubſtituti, vicarii, vice concionatores. Alicubi enim in quibuſdam civitatibus (ubi plures ſunt concionatores) hebdomadatim ad minimum ſemel, ſi non ſubinde bis aut ter, cathedra illis committitur. Alibi in vicanis aut oppidianis eccleſiis, viciſſatim, aliquando aut aliquandiu, loci iſtius concionator & proponentes concionantur. Accidit etiam ut propter morbum chronicum concionatoris aut menſtruam, aut trimeſtrem, aut ſemeſtrem, aut annalem, aut biennem, aut triennem abſentiam, ſoli proponentes tantiſper concionentur; exceptis diebus dominicis, quibus cœna domini adminiſtranda eſt, quod per vicinum quem concionatorem fieri ſolet: Neque enim proponentibus adminiſtratio ſacramentorum permittitur: ſed ſolis in miniſterio jam confirmatis juxta decreta *Synodi Delfenſis* 1596. & *Goudanæ* 1601. Quod autem ibidem prohibentur formulam adminiſtrationis cœnæ, ſeu mavis inſtructionem baptiſmi ex liturgiâ noſtrâ de cathedrâ legere: id hodie non obſervatur. Et ſanè ratio, quam dicta ſynodus ibidem allegat admodum dubia aut incerta, aut implicata, immo nulla eſt. Non leges, ajunt, formulam illam baptiſmi adminiſtrandi, quamvis præſens ſit concionator, quis baptiſmum ad miniſtrat. Quæ quæſo ratio? *Quia baptiſmus eſt tota actio & adminiſtratio eò pertinens.* Multâ evolutione hic opus eſſet; à quâ volens nunc abſtineo: contentus ſuggerere à proponentibus haberi conciones ad cœnam præparatorias, conciones excitatorias & applicatorias in ipsâ cœnæ adminiſtratione, conciones eucharisticas poſt cœnæ admi-

miniſtrationem ; à prælectoribus legi ſelecta ſcripturæ capita & tmemata inter miniſtrandum, aut à pręcentoribus inchoari & à populo cani Pſalmos. Et quid ſi hic opponatur, non eſſe talia à proponentibus aut prælectoribus agenda, *quod cœna ſit tota actio & adminiſtratio eò pertinens.* Quidni pariter hæc ratio militet, contra actionem æditui in majoribus eccleſiis vinum ex vaſculo promentis, cantharos implentis, ad menſam deferentis: & contra actiones ſeniorum aut diaconorum, calices ex menſâ tollentium, eoſque ex cantharo implentium, & in menſam reponentium.

Non diſquiram nunc an omnibus proponentibus per complures annos (7. 8. 9. 10?) tanquam adjutoribus & ſubſtitutis concionatorum jam concionatis, immo & ad certæ eccleſię miniſterium legitime vocatis, peremtorie examinatis, & per ſolennes aliquot proclamationes eidem eccleſię propoſitis, ante punctum formalis confirmationis, adminiſtratio in illâ eccleſiâ, ad quam vocati ſunt, nondum tamen confirmati, neceſſario prohibenda ſit: & quidem in caſu neceſſitatis; cum nullus concionator, qui hoc agat, haberi poteſt. Scio nonnulla in utramque partem adferri: quæ nunc non examino.

III. *Quæſt. An, & quomodo differant hodierni proponentes noſtri, ut nunc ſunt,* à diaconis *in eccleſiis quibuſdam Germanicis, & Bohemicis. Reſp.* Differre indubium eſt; quamvis analogicè conveniant. Sed ſimile non eſt idem. Differunt ergo.

1. *Quia* diaconi ſunt ordinarii & perpetui paſtoris ſeu Rectoris hujus eccleſiæ, ſeu concionatoris hujus templi, in concionando, adjutores & vicarii: noſtri proponentes ſecundum primam inſtitutionem tales non ſunt; nec moribus hodiernis certæ eccleſię aut concionatori ad ſubſidiariam aut vicariam operam præſtandam, aſtricti ſunt: ſed indifferens & indefinitum eſt eorum auxilium ſeu ſubſidium, reſpectu eccleſiarum & concionatorum: Quocunque enim occaſione aut neceſſitate ita ferente, mittuntur aut poſtulantur, ire ſolent. In quo ſimiles quodammodo videntur *Euangeliſtis.* De quibus ſupra *tract.* 2.

2. *Quia* diaconi illi, etiam ſacramenta adminiſtrant: Proponentes noſtri non adminiſtrant, uti ſupra oſtenſum eſt: *Ordo Eccleſ. Bohem. cap.* 1. *pag.* 18.

„ Diaconi ſunt adultiores Acoluthi, futuro Miniſterio jam jam ſeſe præ„ parantes. Hos Fratrum miniſtri pro Adminiſtris, ſive Adjutoribus ha„ bent, Apoſtolorum exemplo (*Actor.* 6. *v.* 2 & *Phil.* 1. 1.) Quamvis enim „ ab Apoſtolis primariò ad menſarum miniſteria ordinati erant; conſtat „ tamen & pręedicaſſe ipſos, & baptizaſſe (ut Stephanus *Actor.* 6. 10 & Philippus

Digitized by Google

„lippus *Actor.* 8. 5. 12. 35. 38.) & ad gradum ſuperiorem, Miniſterii
„nempe ſeu Presbyterii, promotos fuiſſe (1 *Timoth.* 3. 13.) Itaque gradus
„hic Diaconatus in primitivâ Eccleſia conſtanter fuit ſervatus: ut ex Con-
„ciliorum Canonibus patet. Quem proinde, etiam ſi ab Antichriſto cum
„cæteris in abuſum tractus ſit, ab Eccleſia eliminari non convenit.

„ *Aſſignant verò Diaconis ſuis Fratres officii loco.*

„ 1. Conſtanter & fervidè ſacro-ſanctæ Theologiæ ſtudio incumbere, &
„dignè miniſterio ſeſe præparare (1 *Tim.* 3. *v.* 13.)
„ 2. Pubem in Eccleſiâ & Scholâ religionis fundamenta docere.
„ 3. In Concionibus ad populum habendis exerceri.
„ 4. Baptiſmum, quoties mandaverit Paſtor, miniſtrare. Nam & Chri-
„ſtus diſcipulis ſuis, antequam Claves Regni Cœlorum commiſiſſet,
„Baptiſmum permittebat (*Joh.* 4. 2.) Sicut & Petrus diſcipulis ſuis
„(*Actor.* 10. 48.) Apoſtolorum verò Diaconos Baptiſma peregiſſe, jam
„oſtendimus.
„ 5. Quoties frequentiori cœtu ſacra Cæna adminiſtratur, nec ſufficientes
„adſunt Miniſtri, adhibentur etiam Diaconi ad diſtribuendum, non ſo-
„lum Calicem, ſed & Panem: ita tamen, ut non niſi miniſter, Clavi-
„um poteſtatem habens, Abſolutionem populi annunciet, & Verba in-
„ſtitutionis ſolemniter præmittat.

Lavaterus in opuſculo de Ritibus & Inſtitutis eccleſiæ Tigurinæ anno 1559. *cap.* 3. Poſt relatas ſeptem claſſes, in quas ditio Tigurina diſtincta eſt, ſic „loquitur: Singulæ item claſſes (capitula vulgo appellant) ſuos habent „diaconos. Quo nomine nunc non illos appellamus, qui publicis faculta- „tibus diſpenſandis præſunt; ſed paſtorum vicarios, qui loco paſtorum (ſi „in morbos incidant, vel aliis de cauſis munus ſuum obire non poſſint) „docent, & ſacramenta adminiſtrant.

IV. *Quæſt. An proponentes tum in aliis eccleſiis, tum imprimis in vacantibus, ad catechizationes admittendi ſint? Reſp.* Aff. immo in vacantibus eccleſiis, ubi probationis & explorationis gratiâ conciones ipſis habendæ imponuntur, pariter catechizationes iiſdem imponi deberent: ut aptitudinis & dexteritatis ſuæ in catechizando, æque ſpecimina edant, ac in concionando, & precando. Nec prætexendum eſt, forte aliquid in catechizatione imprudenter effutiri poſſe, quod non faceret ad ædificationem. Atqui idem, immo multo magis evenire poſſet in concione & precatione: an ideo ſpecimina donorum concionandi & precandi in eccleſiâ vacante non ederent proponentes? Et quid ſi de junioribus concionatori-

bus idem ſuſpicari aut metuere lubeat: an ideo ſequeſtranda anteceſſio eorum in verbo, precibus, catecheſi? Teſtimonia modo ex rei veritate ſtudioſis & candidatis miniſterii impartiantur; præparatoria & peremtoria examina ritè peragantur; & doctrinâ aut moribus deficientes, *tam juſtè & promptè repudientur*, ac digni admittuntur..

V. *Quæſt. An Proponentes poſſint in eccleſiis vacantibus & non vacantibus; ubi defuncti, aut ægri, aut abſentis concionatoris vices concionando ſupplent, ægros afflictoſque viſitare, præſertim, ſi id ab illo poſtulent fideles, aut eccleſia iſtius ſeniores? Reſp.* Quidni auxilium & ſubſidium ſuum hic præſtent? ubi nemo eſt, qui id præſtare poſſit aut velit? Cur minus in privatâ ægri aut ægrorum viſitatione ordinarii concionatoris vices ſuppleret, quam in publicâ concione, præparatoriâ ad cœnam, aut pœnitentiali die jejunii aut euchariſticâ die euchariſtico, habendâ.

VI. *Quæſt. An concionatores, ſeniores, diaconos in miniſterio, conjuges in conjugio confirmare? Reſp.* De confirmatione conjugum Aff. Sed ſeniorum, diaconorum, imprimis & concionatorum, confirmatio non videtur proponentibus convenire; ſiquidem conſideremus quid ſit *confirmatio* (de quâ infra *lib. 3. tract. 1.*) & quis ejus uſus. Quod ſi in conſtitutis & ordinatis eccleſiis defectus ſit concionatoris, aliquis ex vicinis aut claſſicalibus poſtulandus eſt, qui hoc agat.

VII. *Quæſt. An ordinarium munus catechiſtæ in aliquâ eccleſiâ, aut viſitatoris ægrorum, aut prælectoris, Proponenti imponi poſſit? Reſp.* Aff. Nulli enim melius munera illa conveniant, quam proponentibus. Hi enim exercentur & piè ac fideliter funguntur hoc munere, dum præparatione & probatione illâ viam ſibi muniunt, ad vocationem paſtoralem. Et ſane, ſi idiotis, opificibus aliiſque hæc munera committuntur, quidni doctis & piis proponentibus; qui majorem apud populum autoritatem & exiſtimationem dictis muneribus conciliarent. In vicanis ſeu agrariis eccleſiis, ordinariò, aut ut plurimum à ludimagiſtris & ædituis publica ſcripturæ lectio, cantus inchoatio & directio, catechizatio, & in caſu neceſſitatis ægrorum viſitatio curatur. Quod ad catechizationes, eas non tantum à concionatoribus, ſed etiam ab ægrorum viſitatoribus, & ludimagiſtris peragendas, decernit Nationalis *ſynodus Dordracena* anno 1618. *ſeſſ.* 17.

VIII. *Quæſt. An proponens albo proponentium commendatorum* (uti vocant), *à claſſe aliquâ non inſcriptus, in vacante claſſis illius eccleſiâ, concionem habere poſſit, ſiquidem à ſynedrio hoc poſtuletur? Reſp.* Non video, cur dicti ſynedrii poſtulato & vocationi refragari debeat. Quod ſi proponens ille manifeſtus eſſet aut ineptitudinis quod ad doctrinam & modum concionandi, aut heterodoxiæ, aut ἀταξίας in moribus & regimine eccle-

cleſiaſtico, aut ſi debitè ab eâdem claſſe convictus eſſet, deque eo ſynedrium præmonitum; utique autor non eſſem ſynedrio, ut eum ad concionem habendam vocaret; aut proponenti, ut ſynedrio vocanti pareret. Ut nec probare poſſem ſi claſſis aliqua ſtatueret, nullis proponentibus, aut concionatoribus extraneis cathedram concedendam; niſi à claſſe aut deputatis claſſis, vacantis eccleſiæ ſynedrio ſubmittantur aut commendentur. Quo in caſu, eccleſiæ vacantes talia ſtatuta tam facile contemnunt, ac claſſes aliquæ eadem condunt. Vident enim libertatem ac poteſtatem ſuam circumſcribi, ne ſcil. eò vocari poſſint, niſi quos illi promotos velint. Ut ex malis moribus bonæ leges, ſic ex ejuſmodi ſtatutis alexipharmacum aliquod inventum, & vulgò uſitatum, ut concionatores & proponentes à claſſe non ſubmiſſos nec commendatos, in ſuâ propriâ, aut in vicinâ aliquâ eccleſiâ per deputatos audiant; & ſi placeant, ulterius ea agant, quæ ad vocationem diſponunt.

IX. *Quaſt. An propenentes privatis piorum exercitiis conciones repetentium, aut ſuper capitibus catecheticis & uſibus eorum practicis, aut ſuper libro aliquo ſelectove ſcripturæ tmemate, aut ſuper agitatis & urgentibus illic heterodoxorum controverſiis, fraternè conferentium, intereſſe ac praeſſe poſſint?* *Reſp.* Quidni? Objectiones quæ contra proponentium & priorum ejuſmodi ſacra exercitia & collationes moveri ſolent, deſumuntur partim à *poſſe* partim ab *eſſe* ſeu *fuiſſe*.

Priores ſunt, quia poſſent illic heterodoxa, aut periculoſa quędam proponi atque agitari. *Reſp.* 1. A poſſe ad eſſe non valet conſequentia. Cur pariter non objiciunt. Poſſe illic conſpirationes fieri contra eccleſiam, aut Rempublicam, aliaque ſcelera & flagitia patrari. 2. Non facile hoc præſumendum eſt, de hominibus veritatis ac pietatis ſtudioſis; minimè de piis & doctis proponentibus, quorum eruditio ſpiritualis, orthodoxia, pietas explorata ſatis & ſolenniter teſtata eſt examine pręparatorio, & conceſsâ coram eccleſiis concionandi, & ad vocationem paſtoralem aſpirandi ac ſe offerendi, facultate.

Poſteriores ſunt, quia compertum eſt, ex ejuſmodi ſociis exercitiis, & collationibus, ortas eſſe hæreſes, ſciſmata, factiones. *Reſp.* Simili argumento Pontificii oppugnare ſolent privatam ſcripturæ lectionem. Quibus reſponſum à noſtris, hoc eſſe per acccidens, non per ſe ex ſcripturâ, ejuſque lectione: ſed ex hominum vitio & abuſu. Ita Chriſtus eſt poſitus in caſum multorum *Luc.* 2. Et Euangelium eſt odor mortis ad mortem 2 *Cor.* 2. Scientia inflat 1 *Cor.* 8. *v.* 1. Doctrina de gratiâ prędeſtinationis, juſtificationis, perſeverantiæ, de miſericordiâ Dei, homines abutuntur ad ἀσελγείαν, & carnalem ſecuritatem. Propter malum per accidens, non eſt bonum per ſe

ſe fugiendum, aut improbandum. *Deinde* ſi propter aliqua, quæ aliquando ſequuntur ex communione ſanctorum in privatis conventibus, collationibus, omnia exercitia pietatis deberent eſſe ſolitaria, nulla ſocia; ut repetitio concionum, lectio & collatio ſcripturarum, præcatio, pſalmodia: ne quidem publicus aut clandeſtinus totius eccleſiæ conventus ad conciones habendus eſſet: ſiquidem aliqua abſurda allegari poſſent, quæ frequentationes concionum, & cœtuum eccleſiaſticorum aliquando conſequuntur aut comitantur. Scimus quibus Gentiles olim conventus Chriſtianorum traduxerint, & Pontificii conventus clandeſtinos reformatorum. Non ita ſuſpecti aut abominandi ſunt conventus convivantium, combibonum, aleatorum, obtrectantium ac calumniantium, otiosè, & futiliter garrientium; ac duorum aut trium fidelium in nomine Chriſti congregantium ad repetitionem concionum, aut collationem ſuper ſcripturis, aut aliquo capite religionis, &c.

Inſtantia: atqui peculiares tales conventus, & ad talia exercitia videntur conventicula, quæ legibus prohibita ſunt. *Reſp.* Si nomen *conventiculi* in malam partem ſumitur; Negamus eſſe conventicula: Negamus inſuper, lege aliquâ, niſi ab impiis fabricatâ, prohiberi.

Inſtantia 1. Præjudicant privatæ & ſegreges ejuſmodi conciones & collationes publicis eccleſiæ conventibus, aut à talibus deſeruntur, aut parcius frequentantur. Immo videntur ſubſtitui publicis eccleſiæ conventibus. *Reſp.* Nihil præjudicant publicis eccleſiæ conventibus, eorumque frequentationi: non magis quam privatæ lectiones ſcripturarum, precationes, meditationes; aut quam conventus & aſſociationes domeſticorum, ad preces, Pſalmodias, lectiones ſcripturæ, repetitiones concionum, catechizationes. Sicuti ſocietas domeſtica; & ſtatæ aut occaſionatæ ſocietates & conventus mercatorum, pragmaticorum, literatorum, artificum, de ſuis rebus agentium, conferentium, conſulentium, non præjudicant nec repugnant communitati, politiæ & conventibus civitatis, aut territorii, aut provinciæ aut regni, aut liberę Reipublicæ: ſic nec privati duorum aut trium, aut plurium ſponte convenientium ad ſocia exercitia, aut ad pias & fraternas de religione collationes. Hæc enim non ſunt conventicula & conſpirationes legibus humanis aut canonibus eccleſiaſticis prohibita, prohibenda; ac ſi veræ religioni, pietati, ordini & eutaxię eccleſiaſticæ repugnarent: cum potius ad eorum ſtabilimentum, incrementum, promotionem, per ſe facere & conducere putandum ſit. Experientia docet nullos magis & religioſius publica ſacra frequentare, quam qui ſolitariis, domeſticis, & ſociis ejuſmodi pietatis exercitiis incumbunt. Sunt enim collegia regia, à ſummo eccleſiæ Magiſtro, à lege regiâ libertatis, à jure divino probata &

com-

commendata, & à verè piis quovis tempore & quovis loco, occaſione ita ferente aut permittente , uſitata. Quamvis autem exercitia & agenda in privatis ejuſmodi fidelium & *ἐμψύχων* quorundam congreſſibus ſupra *parte* 1. *lib.* 2. *tract.* 3. *cap.* 1. 2. 3. & in *Aſceticis cap.* 24. ſertis expoſuerimus (ubi videant, quibus placet, & vacat), non pigebit tamen argumenta aliquot, pro innoxiis ejuſmodi congreſſibus denuò hic indicare.

1. *Ex* textibus *Math.* 18. *v.* 19. 20. *Rom.* 15. *v.* 14. *Epheſ.* 5. *v.* 19. 1 *Theſſal.* 5. *v.* 14. *Hebr.* 3. *v.* 13. *Deuter.* 6. *v.* 6. 7.

2. *Ex* laudatis exemplis, *Joh.* 20. *v.* 20.-29. *Actor.* 3. *v.* 1. 6. 7. 12. 46. 47. & 4. *v.* 23. 24. & 12. *v.* 12. & 16. *v.* 13. ubi de precibus ſocialibus.

3. *Ex* commendatione & promiſſione divinâ *Zach.* 12. *v.* 10. 14.

4. *Ex* communione ſanctorum, & ſecundum eam mutuâ *μετάδοσιν* ſpiritualium chariſmatum *Rom.* 1. *v.* 11. 12. Neceſſitas communionis infert neceſſitatem communicationis tum activæ tum paſſivæ, hoc eſt δόσιος ſeu παραδόσιος & λήψιος. Sic particularis viſitatio, congreſſus, converſatio eſt neceſſaria neceſſitate medii ad finem privatæ collationis, inſtructionis, excitationis, confirmationis, conſolationis, hortationis.

5. *Ex* analogiâ omnium hominum cujuſcunque ordinis, ſtatus, profeſſionis, qui privatim conveniunt, ut de rebus, negotiis, pragmatiis, ad artem & profeſſionem ſuam pertinentibus colloquantur, conferant, conſulant. Vide mihi Mercatores, literatos & literarum ſtudioſos, pragmaticos, &c.

Objectiones & Exceptiones contra hanc aſſertionem & argumenta jam adducta, quia in diſputatione de Communione ſanctorum ſatis refutatæ ſunt, hic prætereo.

X. *Quæſt. An Proponentium operâ in lectionibus & precibus matutinis & verſpertinis quotidie in templo publicè habendis, uti liceat? Reſp.* Aff. Præſuppono, proponentes decreto, ordinatione, & conſuetudine eccleſiaſticâ ad conciones quaſvis habendas adhiberi; & preces ac lectiones ejuſmodi matutinas & veſpertinas quotidie à paſtore loci habendas. Quidni ergo paſtore abſente, aut morbis impedito, aut defuncto, lectiones & preces illas tali in caſu, habere liceat proponenti; non minus, quam publico ludimagiſtro, aut æditui, aut prælectori ac præcentori, conciones in tali neceſſitatis caſu, publicè diebus dominicis ex libro prælegere, in pſalmodiâ, & precibus (ſive ex libro, ſive abſque libro) præire hactenus licuit, & porro, ni fallor, licebit. Quod ſi cui libeat preces & lectiones illas, titulo veſperarum & matutinarum Papiſticarum inſignire; is ſciat ipſos con-

concionatores hoc agentes, & matutinas ac veſpertinas preces ac lectiones in familiis fidelium haberi ſolitas eâdem calumniâ peti, & profanis ac Epicureis hominibus, quamvis larvâ & μορφώσει (2 *Timoth.* 3.) Chriſtianiſmi tectis, hâc ratione applaudi. Vide quæ ſupra *part.* 1. *lib.* 2. *tract.* 3. *cap.* 6. *de Exercitiis domeſticis* commentati ſumus. De publicis precibus & lectionibus quotidie habendis, quid ſentiant Eccleſiæ Tranſſylvanicæ, diſce ex *Actis ſynodi Nationalis* anno 1646. & anno 1649. Albæ Juliæ editis, artic. 7. „Lectionis, inquiunt, capitum biblicorum quotidianæ, „poſt preces publicas ac pomeridianas jam ab aliquot retro annis in eccle-„ſiis Tranſſylvanicis feliciſſimè cœptæ, ac continuatæ, receptio, à fratribus „Hungaricis ad proximè futuræ ipſorum ſynodi generalis deliberationem „eſt relata.

Hæc notari velim, ne quis temere faſtidiat, aut ſarcaſticè traducat privato publica illa exercitia in domo Celſiſſimæ alicujus principiſſę, aut aliorum piorum; ad quæ præter domeſticos, etiam alii talium amatores admittuntur.

§. 3. *Catechiſtæ*, qui ſint, & quales ad opus hoc adhiberi poſſint, ſatis ſuperque patet ex decreto *Synodi Nationalis Dordracenæ ſeſſ.* 17. & ſupra *part.* 1. *lib.* 2. *tract.* 3. *cap.* 1. Hic ergo nihil de catechiſtis repetendum.

§. 4. *Præcentores*, qui & quales ſint, ex dictis de cantu eccleſiaſtico, ſupra *part.* 1. *lib.* 2. *tr.* 2. *cap.* 2. *pag.* 535. *cap.* 3. *pag.* 589. colligi poteſt.

§. 5. *Prælectores*, qui & quales ſint, ſupra *part.* 1. *lib.* 2. *tract.* 2. *cap.* 3. *pag.* 603.

§. 6. Secundarii ſubſervientes & adjutores miniſterii & miniſtrorum ſunt qui directè & primo circa externa occupantur: & tales ſunt *primo Ædiles* ſeu præfecti fabricę templorum, cum fabris lignariis, cæmentariis, vitriariis, &c.

Deinde Æditui, *Janitores*, *Cerophori* ſeu accenſores candelarum, *Scopatores*, *Curſores*, *canicidæ*, *purgatores*, *Clokatores* (uti barbarè appellari ſolent) hoc eſt omnes qui indicio facto, ſive per campanarum impulſum, ſive per tympani tubæve ſonitum (uti in caſtris) populum ad ſacra convocant. In vicanis & minoribus eccleſiis æedituo ſeu ludimagiſtro, omnia illa imponuntur. Sed in majoribus eccleſiis aut in magnis templis hæc ſæpe diſtinctis viris committuntur. Sic ergo in maximo hujus urbis templo, ſunt duo *Curſores* qui per vices ad oſtium & conſiſtorii conventum attendunt, & concionatoribus in verbi prędicatione, & ſacramentorum adminiſtratione ſubſerviunt. *Scopatores*, qui pavimentum templi purgant, januas aperiunt & claudunt. *Cerophori*, qui candelas accendunt. *Purgatores*, qui candelabra purgant.

CAP. III.

De viſitatoribus, examinatoribus, deputatis ſeu legatis, correſpondentibus, præſidibus, aſſeſſoribus, actuariis.

ADjutores & ſubſervientes ambulatorii, ſeu προσωπικοὶ ſunt quibus ſpeciale mandatum ad ſpeciale aliquod negotium imponitur, quique ideo non tam ſunt munerarii, quam ſingularium negotiorum curatores & executores. Quales.

1. *Viſitatores*; de quibus ordo noſter *Eccleſiaſticus artic.* 44. Claſſis ali- §. 1.
„ quos concionatorum ſuorum, ad minimum duos, ex maximè veteranis, „ expertis, & idoneis authorizabit, qui quotannis viſitent eccleſias tam in ci„ vitatibus quam in agris, &c. Et poterit quælibet claſſis hos viſitatores in „ miniſterio ſuo continuare, quamdiu ipſis viſum fuerit. Sed communi praxi, continuatio hæc non obtinet.

De viſitatoribus Canones Hungarici anno 1649. Albæ Juliæ editi *can.* 88. Sed infra *part.* 3. ex iis quę de viſitatione dicentur, innoteſcet qui & quales ſint viſitatores. Ex ordinis noſtri eccleſiaſtici *cit. artic.* 44. obſerva, non per ſeniorem aut per claſſis decanum ſeu perpetuum præſidem (quales apud nos nulli ſunt) ſed per electos quotannis ex concionatoribus iſtius claſſis maximè ad id idoneis nec per quoſvis iſtius claſſis concionatores, ordine ſuccedentes, viſitationes peragendas.

Examinantes ſunt, quibus à claſſibus examen peremtorium vocati ad mi- §. 2.
niſterium, aut præparatorium ad ordinem proponentium admittendi, imponitur. In nonnullis claſſibus examina per integrum annum aut ultra uni ex concionatoribus committuntur. Sic tamen, ut poſt finitum quemque locum communem omnibus, qui voluerint, jus & fas ſit candidatum quæſtionibus & objectionibus exercendi.

Deputati ſeu delegati ſunt, qui ad certum aliquod negotium, cauſamve §. 3.
eccleſiaſticam aut ad certa aliqua negotia cauſaſve nomine totius conventus expedienda eliguntur. Et tales deputati ſecundum diſtinctionem conventuum, ſunt vel conſiſtoriales, vel claſſici, vel ſynodales. Quales rurſum ſunt duplices: 1. *qui* deputantur ad negotia & cauſas domeſticas: intra diſtrictum claſſis aut ſynodi expediendas; qui *deputati claſſis*, aut *deputati* ſynodi κατ' ἐξοχὴν dicuntur. 2. *qui* ad negotia & cauſas tractandas mittuntur ad alias claſſes, aut ſynodos; quibus illic ſuffragium deliberativum conceditur: Et tales peculiari nomine appellantur *Correſpondentes*; quia mittuntur ad correſpondentiam cum illâ claſſe aut ſynodo ſervandam & exercen-

dam

Digitized by Google

dam. Ita e. gr. nulla ex claſſibus hujus provinciæ unquam celebratur, ſinè præſentiâ *correſpondentium* ab aliis duabus claſſibus ſubmiſſorum. Idem mos ſervatur in tetrarchiâ Neomagenſi Geldricâ, quæ tres claſſes continet, Neomagenſem, Tielanam, Bommelienſem. Nec unquam ſynodus hujus provinciæ celebratur ſine correſpondentibus ſynodorum Geldricæ, Noort-Hollandicæ, Zuyd-Hollandicæ, Friſicæ, Trans-Iſalanicæ. Quæ viciſſim Correſpondentibus à ſynodo Provinciæ Ultrajectinæ ad ſe miſſis, ſeſſionem & ſuffragium deliberativum concedunt. Hæc praxis admodum conducit ad unionem & conſtantiam in orthodoxâ doctrinâ, & genuina politiâ ac diſciplinâ in eccleſiis Belgicis tutandam & ad poſteros propagandam. Quandoquidem correſpondentes ſuis quique claſſibus aut ſynodis referre tenentur, quæ iſtic acta ſint; immo & Actorum exemplum tradere. Inter ſynodum Ultrajectinam, & Groningo-Omlandicam ante annos aliquot actum fuit de correſpondentiâ exercendâ. Quid tunc obſtiterit & per quem aut quos irritus fuerit laudabilis hic conatus, ego non dicam.

Deputati ſynodales κατ᾽ ἐξοχὴν qui per annum aut biennium continuantur, à Grotio in Pietate Ordinum Hollandiæ admodum inique & calumnioſè ſalutantur *Interreges*: quaſi ſcil. poteſtas ſynodalis ipſis competeret. Nos ſupra *part.* 1. *lib.* 1. *tract.* 1. *cap.* 6. §. 17. eorum poteſtatem explicuimus, & peregrini alicujus ſiniſtram de illis relationem correximus.

De miniſtris non-miniſtris, Clericis non-clericis, hoc eſt, perpetuis paſtorum non-reſidentium, aut otioſe iſtic deſidentium vicariis, deque miniſtris & officialibus curiæ Papalis, & curiarum Epiſcopalium, &c. Abbatialium, ut & capitulorum, Monachorum miniſtris Generalibus & provincialibus, adhæc diffinitoribus, deque Epiſcopis, quos vocant, portativis (Belgicè Wy-Biſſchoppen), infra *lib.* 4. aliquid dicendum erit. Nos nullum agnoſcimus paſtorem, ſeniorem, diaconum, qui habeat poteſtatem ſubſtituendi.

PAR-

Digitized by Google

PARTIS SECUNDÆ LIBER TERTIUS DE VOCATIONE MINISTRORUM.

In vocatione miniſtrorum conſideranda ſunt hæc quatuor,

I. *Ipſa vocatio & conſtitutio miniſtrorum.*

II. *Oppoſita legitimæ vocationis, ſeu conſtitutionis miniſtrorum.*

III. *Requiſita in vocandis.*

IV. *Præparatio vocandorum.*

Quæ quatuor hujus tertii libri tractatus conſtituent.

LIBRI III. TRACTATUS I.

De ipſa vocatione ſeu conſtitutione Miniſtrorum.

CAP. I.

De vocatione internâ, & de extraordinariâ.

VOcatio Miniſtrorum, eſt vel interna, vel externa. §. 1.

Vocatio interna eſt interna tractio & perſuaſio ſpiritus ſancti in corde alicujus qui epiſcopatum & bonum opus hoc deſiderat 1 *Tim.* 3. *v.* 1. Quæ dignoſcitur ex conſtanti impetu, cupiditate, deſiderio, & intentione, Chriſto hoc in opere ſerviendi, animas lucrandi, & ad Chriſtum ac ſalutem adducendi.

Ubi obſerva ὁρμὴν 1. impetum, cupiditatem,

2. Rectam, ſinceram, & puram intentionem.

3. Electionem coram Deo in conſcientiâ hujus operis, occupationis, & vocationis, præ omnibus aliis ſpecialibus hominum in hâc mortali vitâ vocationibus & occupationibus.

4. Sequeſtrationem à cupiditate & intentione honorum aut emolumentorum; breviter omnis boni utilis, & jucundi: Propter quod aut ſolum, aut primo, aut præcipuè, bonum hoc opus epiſcopatus deſideraret affectaret, & ad illud ſe præpararet.

 5. Pro-

Digitized by Google

5. Procul habitâ omni vindictâ, ambitionis Diotrephicæ (3. *Epiſt. Johannis v. 9. 10.*) eccleſias per hæreſes, & ſciſmata turbandi, pietatem ſufflaminandi, ingenium, memoriam, eruditionem, eloquentiam oſtentandi, popularem imprimis magnatum & potentum applauſum venandi, intentione. Quomodo Chriſtum prædicabant aliqui, *ἰχ' ἄγνως*, neque ex dilectione Chriſti ipſos conſtringente (*Philipp. 1. v. 15. 16.* cum 2 *Cor. 5. v. 14.*) ſed ex contentione & vindictâ, ut Pauli vincula gravarent.

6. Intentionem ſubjectionis, ad omnia mala, quæcunque ipſis ob nomen Chriſti, & ſanctum hoc opus prædicationis, à profeſſis fidei aut pietatis hoſtibus, ab ingrato mundo, à neutralibus, à tepidis & carnalibus, à falſis fratribus inferri poſſent. Vide ſtipulationem vocationis & miſſionis Pauli, Actor. 9. v. 16. *enim ei præmonſtrabo, quam multa oporteat ipſum pro nomine meo pati.* Addde Luc. 12. v. 3. 4. ubi ſimiliter Apoſtolis ſuis præmonſtrat, *Propterea quæ in tenebris duxiſtis, in luce audientur*, &c. *Dico autem vobis amicis meis, ne metuite*, &c. Math. 24. v. 9. *Iohann. 16. v. 1. - 5.* Et *Joh. 21. v. 15.* ubi Petro mandat paſcere oves, unà ſtipulatur ab illo amorem Chriſti, & *v. 18. 19.* præmonſtrat illi vincula, mortem. Et quæ Paulus cum aliis Apoſtolis juxta Chriſti præmonſtrationem expertus eſt Coloſſ. 1. v. 24. *Qui nunc gaudeo de iis, quæ patior pro vobis, & reliquias afflictionem Chriſti viciſſim expleo*, &c. cum 1 Cor. 4. v. 9. - 14. 2 *Cor. 11. v. 230. - 13. Actor. 5. v. 17. 18.* 33. 40. 41. & 12. *v. 2.* Breviter in ſe ſentire debet, *ἀνθροπαρεσκείας* mortificationem Galat. 1. v. 10. *An Deum ſuadeo, aut quæro hominibus placere. Enim vero ſi ad hominibus placerem, Chriſti ſervus non eſſem.* Qui ergo vocationem externam tantum habent & non internam, illi ſciant ſe parum benedictionis divinæ in functione miniſterii ſui experturos. Talem autem vocationem internam requiri *liturgia* noſtra in confirmatione paſtorum haut obſcurè innuit, cum ad hanc quæſtionem à confirmando reſponderi poſtulat: *An non in corde ſuo ſentiat, ſe legitime à Dei eccleſiâ, atque adeo ab ipſo Deo ad ſacroſanctum hoc miniſterium eſſe vocatum?* Quam eandem queſtionem ſimiliter confirmandis ſenioribus & diaconis proponit.

§. 2. Vocatio externa eſt vel ordinaria vel extraordinaria. Et hæc rurſum vel purè immediata, vel mixta, partim ſcil. immediata, partim mediata. *Illius* exemplum habes in 12. Apoſtolis & in Paulo à Chriſto immediate electis & vocatis Luc. 6. v. 13. *vocavit diſcipulos ſuos, & quum ex ipſis elegiſſet duodecim, quos & Apoſtolos nominavit.* Johann. 6. v. 70. *Nonne ego vos duodecim elegi.* Paulus immediatam vocationem ſuam prædicat Galat. 1. v. 1. *Paulus Apoſtolus, non ab hominibus neque per hominem, ſed per Jeſum Chriſtum, ac Deum patrem.* Confer *Math. 4. v. 18. 19.* & 9. *v. 9. Johann. 1. v. 39.*

v. 39.- 5. ubi ſpeciales quorundam vocationes referuntur. Iſtius exempla ſunt in vocatione Elizei; 1 *Reg.* 10. *v.*16. 19 ubi intereſſit opera Eliæ. Et hæc mediata; qui tamen à Deo immediatè deſignatus & commonſtratus erat. Et Mathiæ *Actor.* 1. *v.* 23.- 26. Ubi nominatio duorum ab Apoſtolis facta, & electio unius ex duobus à Deo immediatè per ſortem.

Quæſtiones aliquot de vocatione internâ, & de extraordinariâ ſubjicimus. §. 3.

I. *Quæſt. An quilibet impetus ſeu qualibet cupiditas prædicandi Chriſtum, & homines ad fidem & pietatem adducendi, ſit certum ſignum vocationis internæ? Reſp.* Neg. Opportet enim talem impetum & tractionem & voluntatem eſſe conſtantem: non momentaneam, volaticam, deſultoriam, evanidam. *Deinde* oportet eſſe deliberatam, poſt perpenſa & perſpecta miniſterii iſtius labores, difficultates, & adverſa, quæ fidis operariis obtingere ſolent aut poſſunt? *Tertio* opottet exploratas habeat vires ſuas, & animi corporiſque dotes; an ad ſtudia linguarum, artium, theologiæ, idoneus ſit; & per ea præparari poſſet ad miniſterium: adhæc an memoriæ, δυνάμεως ἑρμηνευτικῆς, & externę pronuntiationis, aliqua ſit ſibi felicitas. Sunt enim homines aliqui ingenio tam paupere, ut vix conceptus formare, cognoſcenda accuratè & diſtinctè percipere, multo minus dijudicare valeant: Sunt aliqui memoriâ tam infelici ut textus ſcripturæ imprimere & reddere ac recitare non valerent, & conſequenter ad conciones habendas vix aptari poſſent. Indecorum enim eſſet conciones, diſſertationes, conſolationes, hortationes, precationes, publicè privatimque quacumque occaſione habendas, non niſi ex ſcedulâ, aut ex libro impreſſo legi. *Quarto*, oportet in ſe abnegationis ſui ipſius, mortificationis hujus mundi, cœleſtizationis (ita loquar) & aſpirationis ad cœleſtia, introverſionis, devotionis, ſpiritualitatis & ſanctificationis (1 *Cor.* 2. *v.* 14. 15. cum 1 *Theſſal.* 5. *v.*23. *Philipp.* 3. *v.* 19. 20.) profectum, aut ad minimum certa initia deprehendat.

II. *Quæſt. An civilis honeſtatis & converſationis aut ſaltem alicujus illarum virtutum ſtudii ſibi conſcius, debitum epiſcopatus deſiderium, & conſequenter internam vocationem habeat? Reſp.* Neg. Quantum differat, civilis & moralis honeſtas, à vi pietatis Chriſtianæ, à corde caritate Chriſti conſtricto, à terrenis abducto & Deo ac cœleſtibus devoto, à vita ſpiritus, ab imitatione Chriſti, abnegatione ſui ipſius cum ſublatione crucis Chriſti, à vitâ ſpiritus & ſpiritualitate, à novitate vitæ, à crucifixione carnis cum affectibus & cupiditatibus (*Galat.* 5. *v.* 22 - 26. *Luc.* 14. *v.*26. 27 cum *Joh.* 8. *v.* 12. 2 *Cor.* 5. *v.* 14.- 18.), docent ſcriptores de reſipiſcentia ſeu converſione, de pietate ejuſque praxi, de hypocriſi, de propriâ deceptione; & nos ſtrictim in 2. *part. ſelect. diſpp. tit. de Simplicitate, & hypocriſi*, & de *praxi*

Digitized by Google

fidei; & in *Aſceticis* ubi de praxi reſipiſcentiæ, & de praxi conſcientiæ.

Hinc videmus, quam malè ad miniſterium promoveantur, qui civiliter vix honeſti ſunt; aut qui alias vitioſi & ſcandaloſi, modo ſpe & occaſione vocationis affulgente, publicè privatimque moniti, correpti, & comminatione rejectionis atque excluſionis quaſi coacti menſibus aliquot ab externis, & manifeſtis ſcandaloſis & conſuetis peccatis abſtinent; & teſtimonium converſionis, melioris πολιτείας, ſaltem hominis non ita vitioſi & ſcandaloſi, ac ſolet, conſequantur, à cognatis, aut amicis, aut neceſſariis. Ut quîs ſeipſum & alios judicare poſſit, nota quinque generum poſſe eſſe paſtores.

1. Carnales, mundanos, voluptatibus, & opum ſtudio deditos (1 *Joh.* 2. *v.* 15. 16. *Philipp.* 3. *v.* 18. 19.): qui ſeipſos paſcunt *Ezech.* 34. *v.* 2. *Jeſa.* 56. *v.* 10. 11. 12.

2. Vanos, elatos, ἀλαζόνας, oſtentatores; qui variâ forte & curioſâ ſcientiâ, ac mundanâ eloquentiâ turgidi, ita concionantur; ut magis hiſtrioniam agere, aut per ludum & jocum guttur & latera exercere videantur: quam habentes autoritatem in potentiâ ſpiritus flexaminâ oratione hominibus loqui *Math.* 7. *v.* 29. cum 1 *Cor.* 4. *v.* 19. 20. Qui in privatâ converſatione, & colloquiis, imprimis cum potentioribus & honoratioribus in hoc ſæculo, ita ſe gerunt; ut magis videantur aulici ſimii, aut ceremoniarum magiſtri, aut ſerviles aſſentatores; quam ſinceri, graves animarum paſtores, ac patres ſpirituales.

3. Ἀνθρωπαρέσκους; qui reſponſis ad quæſtiones propoſitis, in caſu conſcientiæ determinandis, in dandis conſiliis; & qui pro concione in uſibus ſcripturæ elencticis, hortatoriis, reprehenſoriis applicandis, ea dicunt aut omittunt, quibus auditori cuivis (præſertim qui nocere aut prodeſſe poſſet) placeant, ſaltem non diſpliceant. Contra *Galat.* 1. *v.* 10. *Judæ v.* 16.

4. Externè honeſtos, & civiliter inculpatos; etiam opus operatum publici miniſterii, compoſitè, ordinatè & ſedulò agentes; & modeſtâ ac pacificâ converſatione, & συγκαταβάσει tum hominibus in hoc ſæculo, tum formaliſtis & tepidis in eccleſiâ, non ingrati. Qui tamen intimè pios & zelotas, ultra ipſorum civilem honeſtatem, & formalem pietatem (μόρφωσιν εὐσεβείας 2 *Tim.* 3. *v.* 5.), aut ultra teporem ſuum & doctrinâ & exemplo ſuo progreſſos & enitentes, multo minus ferunt, quam carnales Chriſtianos, aut ab orthodoxæ fidei profeſſione alienos. Ideoque clam ipſis detrahunt; quinimo eos dum laudant, additâ caudâ ſeu termino diminuente, callidis hominibus eoſdem odioſos aut ſuſpectos reddunt. Et tales olim erant Phariſæi deſcripti *Math.* 15. & 23. Vide *Philipp.* 3. *v.* 18.

5. *Fortes*, firmos, conſtantes in fide, & ſcripturis, zelotas pietatis,

&

Digitized by Google

& ὁμιλίας eccleſiaſticæ. Qui gratiâ Dei, & Spiritu ſancto inſtructi, ſpiritu ambulant, efficaciter ſeſe cordibus fidelium inſinuant. *Sed abrenuntiantes pudendis latebris, non cum calliditate ambulantes, neque falſantes ſermonem Dei, ſed declaratione veritatis commendantes nos ipſos apud omnem conſcientiam hominum in conſpectu Dei.* Nova & vetera ex theſauro ſuo liberaliter depromunt, nec deſinunt κατ' οἴκους quâcunque occaſione docere, hortari, conſolari. Breviter, qui cum Paulo in domino gloriari poſſunt. 2 Cor. 4. v. 1. 2. *Propterea cum miniſterium hoc habeamus, prout miſericordiâ donati ſumus, ſegnes non ſumus.*

Calvinus in commentar. ad 1 Corinth. 4. v. 20. talem concionatorem ſic χαρακτηρίζει: „ Negat hoc regnum ſermone contineri: quantulum enim „ eſt, ſi quis diſertè garrire ſciat, & nihil habeat præter inanem tinnitum? „ Sciamus ergo externam docendi gratiam & dexteritatem eſſe inſtar cor„ poris formoſi & bene colorati: virtutem de qua hîc Paulus loquitur, „ eſſe inſtar animæ. Jam antè vidimus hanc eſſe naturam Euangelicæ præ„ dicationis, ut ſolida quadam majeſtate intus ſit referta. Hæc majeſtas ſe „ exerit ubi miniſter virtute magis quàm ſermone contendit: hoc eſt, „ quum nec ingenii nec eloquentiæ confidentia nititur: ſed ſpiritualibus ar„ mis inſtructus, aſſerendæ Domini gloriæ zelo, regni Chriſti erigendi de„ ſiderio, ſtudio ædificationis, timore Domini, invicta conſtantia, con„ ſcientiæ puritate, & reliquis neceſſariis dotibus in opus Domini ſtrenuè „ incumbit: alioqui mortua eſt prędicatio, nec quicquam habet vigoris, quo„ cunque tandem colore ſplendeat. Quamobrem alterius Epiſtolæ *cap.* 5. „ *d.* 17. negat quicquam in Chriſto valere præter novam creaturam, quod „ in eundem finem ſpectat: vult enim nullis nos externis larvis immorari, „ ſed internæ tantùm Spiritus ſancti virtuti inſiſtere. Tametſi autem pſeudo„ Apoſtolorum ambitionem his verbis refutat: ſimul tamen perverſi judicii „ Corinthios arguit, qui inde Chriſti ſervos metiebantur, quod eſt in eo„ rum virtutibus minimum. Inſignis ſententia, & quæ nihilo ad nos mi„ nus quàm ad illos pertinet. Euangelium noſtrum quo ſuperbimus, ubi „ plurimum, niſi in lingua, conſiſtit? ubi novitas vitæ? ubi ſpiritualis effi„ cacia? neque id in plebe modò, ſed quàm multi dum favorem laudem„ que venantur ex Euangelio, tanquam profana quædam ſcientia foret, ni„ hil aliud ſtudent niſi ut eleganter ac ſubtiliter loquantur?

III. *Quæſt. An ante Moſen omnes vocationes ad ſacerdotalem aut paſtoralem curam fuerint extraordinariæ? Reſp.* Non videtur hoc affirmandum. Neque enim abſque ordine & præſcripto regimine in his aliiſque ſervando, eccleſiam, aut eccleſias particulares topicas & diſtrictuales tunc magis fuiſſe putandum eſt, quam abſque lege & Euangelio: ut ut canonicis ſcriptis

 pro-

propoſita non fuerint. Abſurdam & falſam illam hypotheſim, ſic ad abſurdum deduco: Quod in formâ ſeu in actu ſignato definitè & exſertè ſcriptum non eſt in hiſtoriâ ſex primorum capitum Geneſios, illud non fuit revelatum, propoſitum, cognitum, creditum fidelibus, aliiſque Dei & regni filiis in mundo per 1650. annos uſque ad Noachicum diluvium incluſè viventibus.

Atqui omnes articuli fundamentales fidei, omnia præcepta moralia ac ceremonialia, in hiſtoriâ antiqui ſeu Ante-diluviani mundi & antediluvianæ eccleſiæ (*Geneſ.cap.2.-7.*), exſertè ſcripta non ſunt:

Ergo eccleſiæ Dei per Patriarchas, & ex ore Patriarcharum per ordinarios ſacrorum miniſtros, revelata ac propoſita non fuerunt, nec à fidelibus cognita & credita.

Simili argumento, poſſet negari revelatio, & propoſitio fundamentalium ejuſmodi dogmatum eccleſiæ & fidelibus facta; & eorundem veritatum cognitio, fides, profeſſio, in corde & ore fidelium, à Noacho uſque ad Moſen.

IV. *Quæſt. An extraordinaria vocatio Patriarcharum (qui Prophetæ erant, Geneſ.20.v.7.*& *5.v.21-25.* coll. cum *Judæ v.14. Geneſ.49.* cum *Hebr.11. v.21.) omnes immediatè vocati ſint. Reſp.* Non liquet. Nec tamen improbabile eſt, interceſſiſſe patriarchæ decedentis aut deceſſuri miniſterium, quo ſucceſſorem ſuum nomine Dei deſignaret, ordinaret, inſtitueret. Sicuti in ordinario pontificatus miniſterio, Aaronis ſucceſſor Eleazarus (*Num.20.v.26.*) & in extraordinario miniſterio Eliæ ſucceſſor Elizeus (*1 Reg.19.*), & in extraordinario principatu ac ductu populi, Moſis ſucceſſor Joſua (*Numer.27.v.16.-23.*) & in extraordinario munere Apoſtolatus, Mathias (*Actor.1.*), & Euangeliſtæ in extraordinario ſuo munere, conſtituti ſunt.

V. *Quæſt. An Jobus & Melchidezek ad extraordinarium munus, Prophetarum & doctorum θεοδιδάκτων immediatè vocati & ordinati ſint? Reſp.* Non liquet, an Patriarchæ alicujus miniſterium interceſſerit. Saltem conſtat fuiſſe eos extraordinarios Doctores θεοπνεύστους: nec tamen Patriarchas; quia ab illis propagati non ſunt filii Dei, nec in poſteris eorum conſervata & propagata eſt eccleſia Dei: quamvis potuerint aliqui eſſe, qui universâ ſuâ familiâ à vero cultu & communione eccleſiæ, deficiente, privatim veram fidem & genuinum Dei cultum ſervârint.

CAP.

Digitized by Google

CAP. II.

De vocatione ordinaria ſub V. & ſub N. T.: & vocandorum exploratione ſeu examine.

V*Ocatio ordinaria* miniſtrorum eſt vel ſub V. vel ſub N. T. De illâ, §. 1.
pauca habemus dicenda. Tantum obſervandum, ſucceſſionem & ante Moſem, & poſt Moſen interveniſſe. Ante Moſen primo genitis affixum fuiſſe miniſterium, & conſequenter vocationem ſeu conſtitutionem miniſtrorum, ab eruditis probabiliter ſtatuitur.

Vocatio poſt Moſen, quod ad Pontificatum primogenito: quod ad ſacerdotium, familiæ Aaronicæ: quod ad reliqua ſacra miniſteria, tribui Leviticæ affixa fuit. Sic tamen, ut negativè valeret conſequentia, Non eſt ex familiâ Aaronicâ, aut ex tribu Levi: Ergo non poteſt vocari & ordinari ad ſacerdotium, aut ad alia ſacra miniſteria, νομικῶν ſcil., cantorum, janitorum. Non tamen affirmativè: e. gr. Eſt ex familia Aaronicâ; ergo ordinandus eſt in ſacerdotem. Poterat impedimentum eſſe, ab apoſtaſiâ, aut hæreſi, aut corporis mutilatione, aut leprâ, aut ductâ in uxorem meretrice.

Vocatio ordinaria ſub N. T. eſt actus eccleſiaſticę & liberæ electionis & §. 2.
conſtitutionis, ſeu ordinationis; quo certæ perſonæ ad hoc idoneæ ordinaria ſacrorum functio defertur, & demandatur.

In hâc deſcriptione nota 1. Eſſe actum *electionis*: quia vocatio formaliter conſiſtit in electione. Eligendo enim miniſter ordinatur, ſeu functio ſacra aut opus miniſterii ipſi imponitur, demandatur, committitur; & viciſſim ordinando ſeu mandando eligitur. Vocando, ſeparando ſanctificando Deus ordinat & mittit: mittendo vocat, ſeparat, ſanctificat.

2. Eſſe electionem ſeu ordinationem *eccleſiaſticam* quæ fit in eccleſiâ, ab eccleſiâ, cujus futurus eſt miniſter.

3. Eſſe electionem *liberam*: Non coactam, nec aſtrictam, genti, tribui, familiæ, certo homini eſt ordini aut ſtatui in hoc ſæculo.

4. Eſſe electionem perſonæ *idoneæ*: quo debita exploratio & notitia perſonæ eligendæ, innuitur, tanquam antecedens electionem, prærequiſitum in electione & electoribus neceſſarium.

5. Eſſe electionem ad *ordinariam ſacrorum functionem*: ut diſtinguatur ab actu vocationis & electionis, incidentali: quo poſtulatur ab aliquo, aut eidem imponitur particularis & proviſionalis quis miniſterii actus; in caſu neceſſitatis: cum nulli ordinarii miniſtri habentur, qui hoc agant;

aut

Digitized by Google

aut eccleſia nondum eſt collecta & ordinata. Sic etiam, aliquis noncionator invitatur aut admittitur ad publicè concionem habendam, cum precibus & catechizatione: ut exploretur an ſit idoneus, & eligendus; aut an eligi poſſit in iſtius eccleſiæ miniſtrum.

6. Electione & vocatione illa *Imponi*, *mandari*, *committi*, *deferri*, *demandari*, *functionem ordinariam*, aut opus miniſterii. Ita ut legitima vocatio conſtringat vocatum, & neceſſitatem ei imponat. Apoſtolus dicit ſibi concreditum eſſe Euangelium, 1 *Cor.9.v.17. Galat.2.v.7.* 1 *Theſ.2.v.4.* 1 *Tim.1.v.11.* Sibi neceſſitatem impoſitam. Et væ ſibi ſi non Euangelizet 1 *Cor. 9. v.* 16. Et ſe ire Hieroſolymam vinctum ſpiritu *Actor.* 23. *v.* 22. Jeremias & Jonas quum opus hoc, ad quod à Deo vocabantur declinare aut ſubterfugere tentaret & tentaretur, non potuit *immunitatem* obtinere, aut onus excutere & detrectare *Jerem.* 20. *v.*8. *Jona* 1.& 2.

Vocatio miniſtrorum in ſcripturâ variis & ſynonymus phraſibus denotatur, *Miſſionis* Rom. 10. v.15. cum *Jerem.* 23. *v.*21. Joh. 20. v. 20. *Conſtitutionis* ſeu *ordinatio* ſeu *præfectura*, Jerem. 1. v.10. *legationis* 2 Cor.5. v. 20. *ſeparationis* Actor. 13. v. 2. ſanctificationis ſeu conſecrationis. Metonymicè dicitur *χειροτονία Actor.* 14. *v.*23. *χειροθεσία* 1 *Tim.* 4. *v.*14. & 5. *v.*22. *Unctio* Levit.8.v.12. & 16. v.32.

§.3. Quandoquidem, antecedens notitia & exploratio vocandi; & conſequens electi & vocati confirmatio ordinem habent ad legitimam electionem ſeu vocationem: de iis hic agendum eſt. Notitiam ſeu præcognitionem eligendi tanquam habilis & idonei ad ſacram functionem, eſſe neceſſariam nemo dubitat. Siquidem ignoti nulla cupido. Velle, eligere, & poſtulare aliquem regulariter nemo poteſt nemo debet, niſi idoneum: idoneum nemo judicabit, niſi eum cognoſcat: nemo cognoſcet, ſine debitâ inquiſitione & exploratione. Hujus neceſſitatem docet Apoſtolus 1 Tim.3. v. 10. *Atque hi etiam explorentur prius, deinde miniſtrent, & ſint inculpati.*

De Exploratione vocandorum.

In exploratione conſideramus 1. Exploratores ſeu explorantes. 2. Explorandos. 3. Exploranda. 4. Actus & media explorationis.

I. *Explorantes* ſunt vel publici, vel privati. *Publici* ſunt, quibus anteceſſoriè, & autoritativè exploratio competit. Et ſunt, vel *ἐγχώριοι*, vel extranei. *Priores* ſunt, qui neceſſariò, immediate & primò explorant: quales ſunt anteceſſores & miniſtri in illâ particulari eccleſiâ, tum ſigillatim, tum imprimis collectim in ſynedrio conſiderati: *Vel* qui cumulativè, conſequenter & pro re natâ explorant: quales ſunt miniſtri eccleſiaſtici vicinarum eccleſiarum in eandem claſſicam correſpondentiam propius unitarum. Claſſibus

Digitized by Google

bus enim aut vicinis aliquot miniſtris (juxta *Ordinem noſtrum eccleſiaſticum artic. 2.*) electio & electus offerri ſolet, & illius aut illorum approbatio, ſaltem non-improbatio, peti.

Privati explorantes ſunt, quilibet pii in iſtâ eccleſiâ; qui ſtudio & zelo non improbando, occaſione ita ferente, ad abundantem cautelam, apud notos, amicos, cognatos, qui nominatum proponentem aut miniſtrum propius nôrunt, inquirunt quiſque; & ſi quid notatu dignum perceperint, ſynedrio, aut alicui ex ſynedrio illud indicant.

II. *Explorandi* ſunt vel candidati miniſterii: vel actuales miniſtri: vel miniſtri quieſcentes ſive ſuâ ſponte; ſive per vim & injuſté extruſi, (uti *Calvinus* cum duobus collegis); ſive per legitimum judicium eccleſiaſticum depoſiti; ſive per rebellionem, ſeditionem, iniquitatem auditorum ſuorum; ſive propter ſciſma quorundam ex ſuâ eccleſiâ, cedere coacti. Variare hic explorandi rationem, indubium eſt. Nos omnes explorandi modos, accommodatè ad miniſtros quieſcentes, hâc vice non explicabimus. Saltem de violenter extruſis & fugatis ob conſtantem & fidelem veritatis aut pietatis, aut *εὐταξίας* & diſciplinæ eccleſiaſticæ profeſſionem, traditionem, defenſionem; non tam anxiè laborandum: quippe qui præ aliis miniſtris ſint *δόκιμοι*, atque adeo vel ob hoc præ aliis eligendi, ſi cætera ſint paria. Et tales fuerunt *Calvinus* & collegæ Genevâ ejecti. Idem de quamplurimis theologis & miniſtris in Germaniâ per tempeſtatem à libro concordię excitatam, ex miniſteriis ſuis, expulſis cenſendum; & de aliquot miniſtris in Belgio noſtro; quos factio & tempeſtas Remonſtrantica, ubi brachio ſæculari prævalebat, exturbavit.

III. *Exploranda*, ſeu de aut ſuper quibus explorandum ſit, diſcimus ex *requiſitis* miniſtrorum infra *tract.* 3. recenſendis.

Hic ſolummodo moneo, de doctrina, de donis & potentiâ concionandi, deque fidelitate & diligentiâ in functione, accuratè inquirendum. Ideoque abſque debitâ illorum per juſtam explorationem notitiâ, ex tempore ad auditum concionis unius aut forte alterius, promtè, confidenter, voce canorâ aut ſuavi, aut patheticâ pronuntiatæ, ad vocationem provolandum non eſt.

IV. Explorandum eſt apud eos, qui candidatum aut miniſtrum probè nôrunt vel per ſe vel per alios. Apud alios confidenter & apertè: apud alios, quos juſtè pręſumimus, ex præjudicio *κατὰ πρόσκλισιν* (*1 Tim. 5. v. 22.*) acturos, tectè & cautè. Uti etiam explorandum eſt apud extraneos: oportet vocandum, bonum ab illis habere teſtimonium *1 Tim. 3. v. 7.*

Sunt etiam teſtimonia ſcripta, quę in notitiam candidati nos ducunt. Eaque ſunt ſponte data; aut à candidatis poſtulata & obtenta: nonnunquam

quam per ſubreptitias & obreptitias parentum, aut cognatorum, aut tutorum & Mecænatum preces aut commendationes. Ad quæ magno cum judicio, & prudentiâ attendendum eſt.

Sed certiſſima & tutiſſima exploratio fit per propriam obſervationem & experientiam.

Inter partes & ſpecies explorationis eſt Examen theologicum. De quo nunc agendum.

Examen theologicum requiritur, ut ſciat eccleſia an ſit *διδακτικὸς* *1 Timoth.* 3. *v.* 1. an idoneus ad verbi divini *ὀρθοτομίαν* *1 Tim.* 3. *v.* 2. ad elenchum adverſariorum *Tit.* 1. *v.* 9. In antiquâ, intermediâ, corruptâ Papali eccleſiâ, ut & in noſtrâ aliquod ſemper viguit examen. Sed quale & quantum fuerit Examen in *παρακμῇ* eccleſiæ, ſeu in mediç ętatis eccleſiâ, & in Papali corruptâ, facile colligi poteſt, ex craſsâ miniſtrorum ignorantiâ; quam tangimus in 3. *part. ſelect. diſpp. tit. de Ignorantiâ part.* 1. *p.* 601. Tempore Caroli Magni tam lignei erant paſtores, tam *κωφὰ πρόσωπα*, ut Carolus per *Alcuinum* (vel *Albinum*) *Flaccum* homilias quaſdam ex patrum ſcriptis ſeligi curaverit, quas loco concionum habendarum, publicè in eccleſiâ prælegerent. Exortâ in partibus Europæis poſt annum 1517. reformatione, aliqui inter Pontificios, quod melioris commatis eſſent, aut forte ex contentione & æmulatione, de Examine aliter inſtituendo cogitare cœperunt; & hunc in finem Edita ſunt Examina Ordinandorum à *Joh. Fero*, *Georgio Wicelio*, *Johanne Holthuſio*. Ex quibus unum contractum eſt à *Nicol. Aurifice* Carmelita, & editum Venetiis 1570. quod idem recuſum Duaci apud Joh. Bogardum 1588. In *Concilio Tridentino ſeſſ.* 7. *cap.* 13. & *ſeſſ.* 24. *cap.* 18. circa examinum neceſſitatem & modum aliquid viſi decernere. Multa item diſceptata & determinata ſunt de examine per concurſum: quando multi qui offeruntur aut ſe offerunt ad parochiam aut aliud aliquod beneficium ſimul coram epiſcopo aut ejus vicario examinantur, & maximè idoneus eligitur. De quibus videndus *Barboſa in Collectaneis* ad *Bullarium* in voce *Examen*.

Inter Proteſtantes & reformatos Examina theologica ediderunt *Melanthon* & *Aretius*. Sed pluribus ejuſmodi libellis haut opus eſt: quia ab illo tempore uſque in hunc diem loci communes, ſyntagmata, ſyſtemata, inſtitutiones, ſynopſes, &c. quamplurimæ prodierunt.

De modo examinis multa dici poſſent: ſed compendio ſtudemus.

Qualis ſpecialis modus in eccleſiis & Academiis quibuſque reformatis ſervetur, non eſt quod anxiè inquiram & hic exhibeam: tum ob alias cauſas, tum imprimis, quod pro arbitrio claſſium, ſynedriorum, examinatorum varient. *Petrus Molineus* de *Vocatione Paſtorum* in eccleſiis reformatis

matis *tract.2. cap.2.* refert modum Examinis in Galliâ. Poſt examinata teſtimonia eccleſiaſtica & Academica, auditur expoſitio verbi divini formâ prædicationis primum Gallicè, poſt Latinè. Viginti quatuor horæ ipſi datæ ſunt ut ſe præparet. Poſtea exploratur profectus ejus in linguâ Græcâ & Hebraicâ, & in Philoſophiâ: Examinatur etiam in theologiâ. Denique coram eccleſiâ cui deſtinatur, tres habet conciones probatorias. Mihi videtur in examine ſequentia non omittenda. Quorum *primum* eſt.

I. Ut non tantum quæſtiones ad dogmaticam & elencticam theologiam, ſeu ad 1. & 2. catecheſios noſtræ partem, pertinentes, proponantur: ſed etiam pertinentes ad theologiam practicam, hoc eſt, 1. *ad* uſus practicos dogmatum & articulorum *fidei*; quales *Perkinſius* in catecheſi, *Henr. Altingius* in ſua theologiâ didactica, *Polanus in ſyntagmate*, *Feſtus Hommius in talibus catecheticis*, aliique annotârunt. 2. *ad* tertiam catecheſios noſtræ partem. 3. *ad* liturgiam & ad canones regiminis eccleſiaſtici.

II. Eſt, ut non tantum apertis ſcripturæ teſtimoniis de verbo ad verbum accuratè pronuntiatis, & argumentis ſcripturariis definitiones à ſe redditas, aliaſque theſes affirmantes aut negantes confirment, & objectionibus propoſitis ſolidè reſpondeant: ſed etiam exceptiones contra ſcripturæ teſtimonia & argumenta probantia à ſe allata, ex analogiâ citati textus, & ſcripturæ refutent.

III. Ut objectionibus & exceptionibus ex phraſi textus originalis Hebræi aut Græci formatis (quod examinatoribus imprimis agendum arbitror), genuinâ interpretatione textus originalis, ſatisfaciant: Quod non præjudicabit laudabili inſtituto, de teſtimoniis Academicis ſcientiæ linguarum originalium exhibendis; & de capite aliquo Hebraico & Græco coram examinatoribus legendo & exponendo; antequam examen theologicum inchoetur.

IV. Ut objectionibus & exceptionibus theologicam objectionibus circa controverſa nonnulla cum Atheis ſeu Epicureis, Gentilibus, Muhammedicis, & ſub nomine Chriſtiano ἑτεροδιδασκαλοῦσι ex ſanâ philoſophiâ rhetoreticâ & practicâ, ex Logicâ, & Rhetoricâ ſatisfaciant. Tentamen hoc non excludit examen philoſophicum, quod in Galliâ obtinere teſtatur *Molineus tract. de vocatione Paſtorum.* Et videtur hoc ubique ſervandum, ſaltem per ſummariam repetitionem, aut per ſelectas & per difficiliores quaſdam quæſtiones. Fieri enim poſſet, ut examinandus, quem præſumerent aut potius præſupponerent literis Hebraicis & Græcis, nec non philoſophiæ in curſu Academico gnaviter operam dediſſe, nihil aut parum in iis præſtitiſſet; aut ſi laudabiles, ſaltem non-pœnitendos in iis progreſſus feciſſet, ubi ex profeſſo ſoli ſtudio theologico ſe dediſſet, aut in ordinem proponen-

tium aſſumtus eſſet: omnia illa ſepoſuiſſet, & paulatim ſtrenue oblitus fuiſſet; abalienatâ etiam omni ſupellectile librariâ, ad illa ſtudia conducente: ita ut in miniſterio aliquamdiu verſatus, ab idiotis (vernaculè dictis **Duytſche Klercken**) nihil differret.

V. Ut ſummam & Oeconomiam libri alicujus V. & N.T. pro arbitrio examinatoris ſeligendi, e. gr. Geneſios, Jeſaiæ, Euangelii Matthæi, epiſtolæ ad Romanos, ad Hebræos, &c. referat. Libelli editi ſunt, qui contentum & œconomiam ſingulorum ſcripturæ librorum, etiam aliqui per analyticas tabellas exhibent; uti *Moſes Pflacherus*, & *Chriſtophorus Ederus* Friſius JC. Cæſareus conſiliarius tit. Oeconomiæ Bibliorum, &c. anno 1582. qui omnium operoſiſſimè hoc egit. Sunt qui verſibus memorialibus Latinis aut vernaculis contentum ſingulorum capitum exhibent. Quales ante tempora reformationis, & poſt editi. Ex omnibus indico ſolum, *Himmelii Theologi Jenenſis Memoriale Biblicum* in 4. anno 1624. Et *Mathiæ Martinii Bremenſis Memoriale Biblicum* in 8. *Lucas Trelcatius fil.* theologus Leidenſis cœperat dictare Oeconomiam Bibliorum, & ad *Pſalm.* 19. perduxerat; quam cum locis ipſius communibus aliiſque opuſculis editam habes anno 1614. in 8. Studioſis noſtratibus ad manum ſunt hypotheſes librorum & capitum in Bibliis Belgicis, quæ ipſis adminiculo eſſe queant. Sed præſtat ex propriâ & aſſiduâ lectione, meditatione, repetitione, contenta librorum & capitum percepta, memoriæ imprimi & impreſſa habere.

VI. Ut conciones probatoriæ, quas examinandi ad textum præfixum habere ſolent, ab examinatoribus accuratè explorentur: an ſcil. ſint ἴδιον opus ipſorum. Quod non tantum ingenuâ declaratione examinandi ab examinatoribus poſtulatâ (uti in claſſibus quibuſdam hoc factum memini); ſed etiam collatione, ac diſceptatione, ſuper materiâ, diſpoſitione, exornatione habitæ concionis. Fieri enim poſſet, ut concionem ſatis ſcitam & ſolidam pronuntiaſſet; quam totam, aut bonam ejus partem, aut ſaltem ejus archetypum ſeu ſciographiam à docto concionatore, aut theologo, aut proponente fabricatam accepiſſet: ex quo ſane conſtare non poſſet eum eſſe ſcribam doctum ad regnum cœlorum, διδακτικόν, verbum Dei ὀρθοτομοῦντα. Exploratio hæc commode & opportunè fieret, cum judicium & cenſura claſſis ſuper habitâ concione eidem indicatur.

§. 4. Subjicio aliquot quæſtiones.

I *Quæſt. An exploratio per examinatum præparatoria tum peremtoria ſive à Doctoribus Academicis ſive à claſſibus aut ſynodis, ſive ab utriſque, peragenda ſit neceſſaria. Reſp.* Aff. Idque ad orthodoxiam examinandorum, & ad ſcien-

ſcientiam eorundem præcognoſcendam: æque ac exploratio per auditionem concionum & catechizationum ad aptitudinem eorundem in concionando & catechizando præcognoſcendam. Debent eum vocandi & in meſſem Domini mittendi eſſe διδακτικοὺς & ſermonem veritatis ὀρθοτομοῦντα 1 *Tim.* 3. *v.* 2. & 2 Tim. 2. v. 24. 25. & v. 15. *Stude te ipſum probatum ſiſtere Deo operarium, qui non erubeſcat, & rectè ſermonem veritatis ſecet. Ut poſſit & exhortari doctrinâ illâ ſanâ, & contradicentes convincere.* Debet habere linguam eruditorum, ut ſciat dicere tempore ſuo ſitibundo verbum. *Jeſa.* 50. *v.* 4. Et Apoſtoli præceptum eſt, manus alicui cito non imponendas, neque communicandum peccatis alienis 1 *Timoth.* 5. *v.* 22. Quod eſt contra novellam & pernitioſam quorundam opinionem, qui nullum certum ordinem, nullum peculiare munus, nullam vocationem aut electionem, nullam poteſtatem miniſtrorum agnoſcere videntur; ſed promiſcuè quemvis idoneum ad conciones coram eccleſiâ habendas eniti poſſe aut debere contendunt. Quod quam procul abſit ab hodierni Libertiniſmi & à Coranicâ & Datanicâ (*Numer.* 16.) ἀταξίαν ac στάσιν omnibus εὐταξίας eccleſiaſticæ à ſupremo eccleſiæ Magiſtro inſtitutæ non ignaris, judicandum relinquo. Confer ſupra *lib.* 1. *cap.* 1. *pag.* 222. Quod autem dicunt non niſi idoneis, ad publicam prædicationem accedendum eſſe. *Reſp.* Sed quam multi ſunt ſibi Suffeni; qui vel extraordinario quaſi chariſmate, vel qualicumque ſuperficiariâ lectione biblicâ, & memoriæ felicitare, accedente linguæ volubilitate, & nimiæ παῤῥησίας temeritate, quam maximè idoneos ſe exiſtimant. Vide ergo examinis & explorationis neceſſitatem. Certè ſine examine, ſine probatione Medici, chirurgi, Juriſtæ, philoſophi non promoventur; ne quidem artifices (quales ſutores, ſartores, fabri, &c.) ſine artis ſuæ ſpecimine coram collegio artificum exhibendo, ad artis ſuæ exercitium admittuntur.

II. *Quæſt. An ad gradum proponentium, aut ad miniſterium promovendi & publicè introducendi ſint, qui in examine non ſatisfaciunt? Reſp.* Minimè juxta monita præced. quæſt. ex epiſtolis ad Timotheum & Titum citata. Alioquin fruſtraneum & ludicrum eſſet examen. Et abſurdè Doctores conſtituerentur eorum, quæ ipſi non didicerunt. Sed forte occurrere poſſet carnalis ergo tales miſericordia, verè crudelitas erga eccleſias & animas hominum.

1. *Object.* Si jam non ſit, cum tempore tamen poſſet fieri idoneus? *Reſp.* 1. Et quid ſi non fieret? Et quis vadimonium obibit, pro futurâ ἐσομένης? præſertim ſi ingenii, & memoriæ vi deſtituatur, nec hactenus diligentiâ ſe commendaſſet. *Reſp.* 2. Non reſpicitur hic qualis fieri poſſet; ſed qualis nunc ſit. De præſentibus gaudet eccleſia: ſpem pretio non emit.

 Et

Et quid ſi tanquam idiota catechumenus in elementis catecheticis examinaretur; nec adhuc ſatisfacere quiret; an ille ductor ignorantium conſtituendus eſſet? In Pontificiis merito carpimus, quod aliquando pueros deſignârint epiſcopos; quod exſpectativis aut coadjutoriis regalia ſacerdotia, dignitates (quas vocant) eccleſiaſticas, pingues canonicatus affigant adoleſcentulis, aut principum & magnatum filiis, nepotibus.

2. *Obiect.* Atqui ſi remitterentur examinati, jam exciderent affulgente ſpe & occaſione promotionis? *Reſp.* Quid tum? eccleſia hoc præſtare nequit. Salus eccleſię ſuprema lex eſto: non vero beneficium indigno conferendum.

3. *Object.* Poſſent admitti hâc conditione, ut privatim alicui concionatori ad id ſelecto, ſe per omnes locos communes ſucceſſivè examinandos & exercendos ſiſtant, utque eidem concionatori aut deputatis claſſis conciones à ſe proponente aut concionatore habendas, prius in ſcriptis legendas, cenſendas, & corrigendas exhibeant. *Reſp.* Videtur aliquod remedium & ſupplementum defectus quæri: ſed minime ſufficiens. An ineptus ille proponens aut concionator hoc uſurus ſit, donec ἱκανότητα obtinuerit, meritò dubitandum eſt: & contrarium aliquando nos docuit exemplum eorum, qui hâc conditione admiſſi, eâque acceptatâ, nihil minus agebant. Et quidquid fiat aut non fiat, ſaltem præſtat talem non conſtitui & confirmari. Melius eſt, ut examen poſt juſtum tempus aliquod denuo tentetur, & candidatus ad illud examen ſe ritè præparet; & ſufficiens inventus, tanquam recoctus, eccleſiæ apponatur. Sin minus, dimittatur, & irrita fiat inchoata vocatio. Quæ ἀπεψία (ita loquar) non ſemper adhibenda videtur; ſed aliquo in caſu; cum ſcil. ſtatus eccleſiæ, aliaque inchoatæ vocationis præparatoria omnino poſtulant ut potius à candidatis ibidem inſtituantur, quam ut de alterius electione cogitetur.

III. *Quaſt. An præſtet examen* (quod vocant) peremtorium, *ante omnem candidati eccleſiaſticam vocationem aut electionem abſolvi, an vero poſt peractam à certâ aliquâ eccleſiâ electionem, eamque à candidato acceptatam? Reſp.* Sunt eccleſiæ, quæ priorem, ſunt quæ poſteriorem viam inſiſtunt: & ſua cuique libertas relinquenda. Quamvis prior aliquo reſpectu tutior videatur: quod difficultatibus & incommodis, quęſt. præced. indicatis, non ita obnoxia ſit.

IV. *Quæſt. An miniſtrorum jam aliquamdiu miniſterio functorum, aliquod examen aut aliqua cum illis ſuper confeſſione & doctrinâ fidei collatio inſtitui poſſit? Reſp.* Quidni? Utinam anniverſaria, & ordinaria in omnibus claſſibus obtineret? Saltem ſi quis heterodoxiæ, aut non profectus, aut relapſus in ignorantiam, aut omnium fere oblivionis & dediſcentię, ſe meri-

to

to ſuſpectum reddiderat. Neque enim paradoxum eſt ſentire, quoſdam in miniſterio conſtitutos, poſſe deficere ſive in orthodoxiâ, ſive in ſcientiâ theologicâ. Quia in precibus, in lectione, in ſcripturæ meditatione, in praxi eccleſiaſticâ, non permanent: contra 1 *Tim.* 4. *v.* 13. 2 *Tim.* 3. *v.* 14. *Actor.* 6. *v.* 4. *Pſal.* 1. *v.* 2. quippe ſomno, conviviis, vagationibus, *ἀλλοτριοεπισκοπίαις, ἐγκυκλίοις, ἐμπειρίαις*, hortorum & florum cultui, luſibus, rei familiari gerendę & curandæ, cucurbitis pingendis, aliiſque canoris aut curioſis nugis, ut plurimum intenti. In præſumtione aut cognitione ignorantiæ pravę diſpoſitionis, tale examen obtinere ſolet. Et cur non in præſumtione aut cognitione relapſus in antiquum ignorantiæ chaos, aut tenebras oblivionis?

V. *Quæſt. An promoti licentiati, aut Doctores theologiæ, examini eccleſiaſtico, abſque promotionis Academicæ præjudicio, ſe ſubjicere poſſint? Reſp.* Aff. Siquidem eccleſiaſticis ad abundantem cautelam viſum fuerit tum orthodoxiam tum eruditionem ex proprio auditu perſpectam habere. Licentiati aut Doctoris alicui tunc utique autor eſſem, ne examen detrectando in ſe aliquos iſtius ordinis, haut æquos Doctoralis eruditionis æſtimatores, ſi non ut canis in præſepi, æmulos & inſectatores in ſe concitent. Papam Paulum II. *Platina* deſcribit tanquam Academiæ & omnis eruditionis hoſtem. Poſſent alioquin ubi nulla juſta heterodoxiæ aut chartacei Doctoratus pręſumtio eſt, ab examine eximi: exemplo aliarum eccleſiarum.

CAP. III.

De modo electionis eccleſiaſticæ.

QUandoquidem in actu electionis vis vocationis, ſeu miſſionis eccleſiaſticæ, ſeu applicationis hujus ſingularis miniſterii ad hanc perſonam, proprie & formaliter conſiſtit: agendum eſt de electione.

In Modo electionis conſideranda 1. Nominatio 2. Pręcognitio ſenſus & inclinationis populi. 3. Libertas. §. 1.

1. *Nominatio*, eſt indicium & conſideratio aliquot concionatorum & proponentium, qui in genere tanquam miniſterio iſtius eccleſię aut admodum, aut mediocriter, aut quadantenus idonei habentur aut præſumuntur.

2. Ἐκλογὴ pauciorum ex magno illo nominatorum numero.

3. Ἐκλογὴ duorum aut trium ex numero hoc minori. Ex quibus tandem facienda eſt electio.

I. *Quæſt. An hæ nominationes apud omnes, & ubique, & ſemper ſint neceſſa-*

Digitized by Google

ceſſaria? *Reſp.* Neg. Poteſt una, aut altera adhiberi; poteſt una aut altera aut tertia omitti.

II. *Quæſt. An nominatione maxima, aut mediâ, aut etiam minimâ abſolutâ, liceat extra nominatos, quem eligere?* *Reſp.* Aff. Quia ſua cuique electori manet libertas: & præambula nominatio non eſt electio; quę ſola eſt proximum fundamentum paſtoralis ordinis & functionis in illâ eccleſiâ. In electione illâ communibus aut potioribus ſuffragiis concluſâ, diſſentienti in acquieſcendum: niſi conſcientia judicaret, talem nunc electum ad eccleſiæ iſtius ædificationem non futurum: atque adeo ſibi proteſtandum, & ad claſſem, & inde ad ſynodum, provocandum.

III. *Quæſt. An ſi aliquis aut unus atque alter ex ſynedrio ſuffragiis victus voto & intento ſuo excidit: Magiſtratum incitare & per eum impedire poſſit, electionis legitimè factæ executionem: ut ſine ullâ indagine, ſine ullo rationum indicio, tantum dicant ſynedrio, deſpicite alium?* *Reſp* Neg. Tales eccleſiaſtici de Judæ Iſcariotæ familiâ videntur: qui proprium collegium & propriam arctiorem illam fraternitatem perfidè produnt. Quàm malæ & damnoſæ conſequentiæ hoc ſit, mox infra pateſcet. Et quid ſi imperatores, reges, Principes, Magiſtratus infideles (Gentiles, & Turcici) Idololatrę, heterodoxi, Pontificii, ab nutu ſuo ſeu voce (uti vocant) negativâ per menſes, aut per annos aliquot, qualcumque miniſtrorum maximè idoneorum vocationes juxta hanc methodum irritas reddant; quo loco erunt vocationes & res eccleſiarum noſtrarum in Gallia, in Moſcoviâ, in Poloniâ, in Republicâ Dantiſcanâ, in Ducatibus Juliacenſi & Montenſi?

§.2. 11. *Præcognitio* ſenſus & inclinationis populi. Hoc enim eſſe neceſſarium, ut de eorum rationali inclinatione poſitivâ, aut ſaltem de eorundem poſitivâ & rationali abalienatione ab illo aut ab illis inter nominatos & auditos, ſynedrio conſtet; atque aliqua ejus in deliberatione de electione habeatur ratio. Quia non ſibi tantum, ſed etiam eccleſiæ, ac nomine eccleſiæ ad maximam ejus ædificationem, eligunt & conſtituunt paſtorem: ſic tamen ut directiva & anteceſſoria poteſtas, ac peremtorium & determinans judicium ſynedrio competat.

Exploratio autem, & cognitio hæc habetur variis modis.

1. *Per* exſertam virorum, qui eccleſiæ membra ſunt, declarationem: qui aut domi ſuæ per delegatos ſynedrii conveniuntur: aut ad conclave ſynedrii evocati, illic ſenſum ſuum capitatim aperiunt. Quem morem in non paucis Belgii eccleſiis, antiquitus obtinuiſſe, & etiamnum obtinere novimus.

2. *Per*

2. *Per* ſcrutinium: cum miniſtri, ſeniores, diaconi in ſuis quique diſtrictibus, aut apud ſuos quique amicos, familiares, notos, attendunt & obſervant, quid ſentiant & judicent de auditis proponentibus aut concionatoribus; deque eo ad ſynedrium referunt.

I. *Quæſt. An in omnibus eccleſiis talis exploratio æqualiter inſtitui poſſit? Reſp.* In minoribus facile, in magnis & frequentiſſimis difficulter. Aliquid tamen tentandum eſt, & eundum quà poteſt. Defectus tamen hic compenſatur per majorem numerum concionatorum, ſeniorum, diaconorum ad deliberationem de eligendo concurrentium: per quos facilius percipi poteſt, inclinatio, aut averſio, aut indifferentia ſeu neutralitas plurimorum eccleſiæ membrorum; præſertim exſeniorum, exdiaconorum, & diligentiſſimè conciones frequentantium, & religionis promotioni, atque eccleſiæ incremento cupide ſtudentium. A quibus etiam concionatores, aut ſeniores, aut diaconos, ex propoſito aut datâ occaſione, ſuper hoc negotio compellari, maximè probabile eſt. Sed in minoribus eccleſiis, ubi ſynedrium à quaternis, aut ſenis, aut octonis conſtituitur, explorationem & ſcrutinium tale adhiberi, convenientiſſimum eſt.

II. *Quæſt. An ille à ſynedrio eligendus ſit, quem ſciunt plurium votis expeti, aut in quem vel pæne omnes, vel major pars, vel ſaltem magna pars ſe inclinare profitentur? Reſp.* Diſtinguendum eſt.

1. *Concl.* Si ſpontanea, pura, & recta ſit inclinatio, ſive majoris partis, ſive melioris; & ſi cætera ſint paria: utique durum eſſet, talem præteriri.

2. *Concl.* Si vero unicum fundamentum inclinationis eſſet donum concionandi ex unius & alterius forte concionis auditu, judicatum, cæteris tamen imparibus (exemplari ſcil. pietate, ſolidâ ſcripturarum & theologiæ ſcientiâ, prudentiâ, zelo, φιλοπονίᾳ, ac diligentiâ): utique electorum poteſtas, libertas, prudentia, conſcientia præjudicium à tali inclinatione pati non debet. Nonnunquam enim externa illa promtitudo in dicendo, vocis ſonus & modulatio, breviter loquentia, ac παῤῥησία, plus quam ſpiritualis eloquentiæ δύναμις & δεινότης, à multis auditoribus ſpectatur. Adhæc concio illa probatoria poſſet eſſe circularis, & inſtar veredorum aut poſtarum ire ac redire; forte ex libello aliquo, aut ex commodatâ eruditi & præſtantis concionatoris chartâ memoriæ mandata. Et dato eam eſſe ipſius opus: cogitandum tamen eſſet, unam hirundinem ver non facere: & explorandum, an ſemper aut ordinariò ſic concionetur; & tanta ſit ſcripturarum & rerum ſpiritualium in illo ſcientia, ut ex divite penu ipſum ſimilia in poſterum depromturum ſperare liceat. Vulgatum eſt apud noſtrates dicterium. *De primâ concione aureâ, ſecundâ argenteâ, tertiâ areâ, quartâ ferreâ, reliquis*

 ferreis

ferreis & fictilibus. Deinde ſi proponens quis aut concionator in externis illis gradu uno, ac forte altero ſuperior eſſet altero aut aliis aliquot; multis tamen gradibus pietate, morum gravitate & modeſtiâ, aut ſolidâ eruditione, prudentiâ, φιλοπονίᾳ, diligentiâ, altero illo aut aliis inferior: minimè eum in electione præferendum judicarent ſapientes?

3. *Concl.* Si dicta inclinatio, ſeu potius profeſſio inclinationis, ac pro eâ contentio non ſit libera, aut ſponte nata; ſed prece, aut pretio, aut mandato, præformata, & intruſa ab aliis; aut ſit factioſa; aut per expreſſum tacitumve contractum innominatum. (*Do ut des, facio ut facias, do ut facias, facio ut des*) procurato: parva certè ejus habenda eſt ratio; ſaltem non tanta, ut ſynedrium liberâ & bonâ conſcientiâ affectare non pergeret dona potiora.

III. *Quæſt. An antecedens exploratio inclinationis apud principem, toparcham, ſatrapam, conſulem aut conſules æque aut potius inſtituenda ſit?* *Reſp.* Aliquo in caſu, propter humanam infirmitatem, & ad minantia aut ἐπιγείων incommoda prævenienda, aut avertenda, non videtur inconſultum, ut tectè & tacitè, per tertiam aut quartam (ita loquar) perſonam hoc exploretur. Sed ut apertè exploretur, ſive æquè ſive magis, ac populi inclinatio, nec neceſſe eſt, nec tutum, nec utile, nec commodum. Si princeps, ſi toparcha, ſi ſatrapa, ſi conſul ſit alienus à noſtrâ religione, aut à regimine noſtro eccleſiaſtico; quippe infidelis, aut Pontificius, aut neutralis, aut Libertinus, (Familiſta, Davidicus, Weigelianus, Swenckfeldianus, Franckiſta) aut Semi-Libertinus Cornhertiſta, aut Socinianus, aut Remonſtranticus, aut Eraſtianus, aut Hubertinus, qui non ferret concionatores niſi ſuæ factionis, aut ſaltem iiſdem μετριοπαθεῖν & συγκαταβαίνειν δυναμένους: quantum periculum, quanta diſturbatio vocationis negotio hinc metuenda? Si autem principes, toparchæ, ſatrapæ ſint de eccleſia noſtrâ: quid proclivius eſt, quam ut ſenſu & inclinatione eorum in anteceſſum explorato, aut indefinitè propoſitis tribus quatuorve nominatis, per excluſionem Titii, & per commendationem Mævii, haut obſcurè liberam electionem eccleſiæ anticipent, & ipſo facto uſurpent. Sed forte objiciat quis.

Object. 1. Commendatio eſt, non mandatum. Tantum indicant, in quem ipſi inclinent, & ſi eundem commendent (quod cuivis licet); inſuper indicent, ſe in aliquem non inclinare: relinquunt tamen libertatem electionis eccleſiaſticæ. *Reſp.* Experientia poſtremis his annis nos docuit, eccleſiaſticę electionis libertatem inſidiis & moleſtiis nimis frequenter infeſtam eſſe. Vulgatum proverbium eſt, *Talium commendare eſſe mandare.*

Object. 2. Sunt ejuſdem religionis conſortes, & membra eccleſiæ. Ergo optimè

Digitized by Google

optimè caveri videtur libertati electionis eccleſiaſticæ, in anteceſſum exploretur in quem illi inclinent, quem malint, quem nolint.

Reſp. 1. Hoc tantundem eſſet, ac ſi electio & deſignatio ipſis tribueretur: ſolâ approbatione ſeu acceptatione eccleſiis relictâ. Non mirum, ſi vocationes abſque impeditione toparcharum, nobilium, conſulum, &c. ſic facile tranſirent. Sed dicimus, reipſa nullam tunc fore liberam electionem: ſiquidem autoritatis ſuæ intereſſe putarent, ſi eccleſia aut ſynedrium electionem, ſeu deſignationem, ſeu poſtulationem ſuam non approbaret; & *electum*, aut *deſignatum*, aut *poſtulatum*, aut *commendatum*, aut *præſentatum* non acceptaret.

Reſp. 2. Principes omnes, toparchæ, ſatrapæ, conſules non ſunt ubivis aut in Belgio, aut extra Belgium, ejuſdem religionis conſortes & membra eccleſię. Non ignotum eſt, quantum à talibus patiantur vocationes eccleſiaſticę: ſi ex actis eccleſiaſticis, claſſicalibus & ſynodalibus aliquando hiſtoria ab anno 1620. uſque in hunc diem conſcripta ederetur, orbis obſtupeſceret. Quiſque enim eorum cujuſcunque ſit religionis, nullo diſcrimine agitur & agit: ſiquidem ipſo jure Magiſtratus, ſibi id competere credunt. Concludimus ergo talem explorationem difficultatibus patere, earumque proclivem eſſe occaſionem.

Objett. 3. Atqui abſque illâ prævia exploratione, & collatione cum principe, aut toparchâ, aut ſatrapâ, aut conſulibus, non approbabitur electus, nec confirmatio & introductio ejuſdem in miniſterium permittetur; & ſic, quaſi in infinitum, ſuppletio defectus protrahi poſſet. *Reſp.* Hâc ratione ad nullum non abſurdum, immo & ad incitas eccleſia redigi poſſet. Quid faciet eccleſia? Accuratè expendet, quouſque bonâ conſcientia hæc aliaque tolerare poſſit ad alicujus eccleſiæ, & reliquiarum conſervationem: nunquam tamen probabit, ſuadebit, defendet; nec *συνευδοκοῦσι τοῖς πράσσουσι. Rom. 1. v. 32. Deus patientiæ ſequeſter eſt*, ut ait *Tertullianus lib. de patientiâ.*

Inſtantia. Atqui Deus nullibi prohibet, prius ex toparchâ, aut ſatrapâ, aut conſulibus quærere, an deſpiciendus miniſter ipſis gratus ſit, nec ne? Gratum autem eum fore, qui ſit pacificus, diſcretus, verè pius; talemque procul dubio approbandum & ſemper approbatum fuiſſe? *Reſp.* Fieri poſſet (an factum ſit, quæratur in actis Eccleſiaſticis,) ut virtutibus modo memoratis maximè excellens in anteceſſum toparchæ Papiſtico, aut neutrali, aut reformato fruſtra indicaretur; & ille nullum ex quatuor aut ſex aut decem ſucceſſivè propoſitis, ſibi gratum eſſe profiteretur: quod jam alteri proponenti aut concionatori, vacantem illam, aut vacaturam eccleſiam, ad commendationem magnatum addixerit & promiſerit: nec mutari illud

 poſſit,

Digitized by Google

poſſit, abſque autoritatis & exiſtimationis ſuæ jacturâ. Quo in caſu nihil reſtare ſolet ſynedrio, quam ut volentes nolente animo approbent. *Hoc primum incommodum.*

Secundum præcedaneæ iſtius explorationis incommodum eſt, quod aut totum ſynedrium tale indicium toparchæ, ſatrapæ, conſulibus; aut unus ſolus, aut duo, aut tres, facturi ſint. Si totum ſynedrium, jam deſpectionem vocandi à ſe factam eſſe profitebuntur: quem ſi toparcha aut conſul dicat ingratum eſſe, idem facit, ac ſi electum reprobaret, & alterius ſive deſpectionem ſive electionem injungeret, aut ipſe alium, pro poteſtate eccleſiaſticâ in præſenti aliiſque regiminis & ordinationis eccleſiaſticæ actibus ſibi (uti putat & pretendit) competente, deſpiciat, & deſignet. Sin unus atque alter ex ſynedrio: jam ille mandatum habet à ſynedrio; aut non habet. Si habet; jam exploratio & collatio ejus eodem redit cum totius ſynedrii deſpectione & indicio. Si non habet, jam fruſtra ille explorat de vocabili aut vocando, toparchæ, &c. inclinationem fruſtra eidem promittit, commendat.

Tertium incommodum eſt, Quod ingrati illius, & conſequenter à toparchâ aut conſulibus non approbandi & admittendi nulla in futura ſynedrii electione ratio eſſet habenda; & ſi omnibus, aut ſaltem potioribus ſuffragiis ſive deſpiciatur ſive eligatur & deſignetur; jam peremtoria reprobatio ejuſdem exſpectanda ſit; atque inſuper culpa omnium diſſenſionum & contentionum toparchæ aut conſulum cum ſynedrio & eccleſiâ, omniſque malę gratiæ erga eccleſiam, omnis damni in eccleſiam redundantis, ſynedrio in ſolidum imputanda: quippe qui præmoniti, in deſpectum & irritationem toparchæ aut conſulum, elegerint, & eccleſiæ mala hæc pepererint; quæ omnia prævenire potuiſſent, ſi declaratum iſtum ingratum, quamvis judicio ipſorum prętantiſſimum & rebus atque ædificationi eccleſiæ iſtius convenientiſſimum, extra omnem conſiderationem habuiſſent, eumque deſpexiſſent aut elegiſſent quem toparcha, aut conſules, deſignaſſent. Huc redeunt omnia, ut à toparchâ, aut ſatrapâ, aut conſulibus deſpectio, electio (hoc eſt eſſentialis vocatio) directè aut indirectè peragatur, cujuſcunque illi ſint religionis; ſynedrio autem & eccleſię, ſubſequens approbatio & acceptatio relinquatur, certò ſecutura; niſi prævaricatores, contentioſi, rebelles, autoritatis & exiſtimationis principum, aut toparcharum, aut conſulum violatores audire velint; inſuper diuturnis & ſumtuoſis proceſſibus, aliiſque vexationibus ſigillatim aut collectim affligi. Hęc quaſi à vigilantibus non ſomniari, aut ἀϊροβατοῦσι impoſſibilium aut nunquam contingentium cogitationibus in cerebro non circulari, docent claſſium & ſynodorum noſtrarum acta. Varia poſt vulneratam cauſam, ab eccleſiis qui-

quibuſdam conquiſita ſunt remedia (de quibus infra ubi de approbatione Magiſtratus, & de jure patronatus) ut ſaltem aliquid vocationis & liberæ electionis eccleſiaſticæ, aut ſaltem aliquam ejus ſpeciem ſervarent.

III. *Libertas*, in genere dicit independentiam ab alterius mandato, coactione, ſeductione per importunas, aliquando armatas, preces, comminatione, promiſſione, & quocunque innominato ſive indirecto aut tacito ſive directo aut aperto contractu, do ut des, facio ut facias, do ut facias, facio ut des; breviter ab omni contractu Simoniaco. De Simoniæ ſpeciebus & modis ex profeſſo egimus in 4. *part. ſelectar. diſp. tit. de Simoniâ*: quæ huc transferenda & applicanda. § 3.

Subreptioni, aut obreptioni, ſæpe inſerviunt, doli, fraudes, ſimulationes, diſſimulationes, Mercurii (ita loquar) ſublimati. Cum e.gr. quis novitatibus & partibus Remonſtranticis addictus, apud claſſem aliquam, quod ad potiora ſuffragia orthodoxam, tum ſubdolè impetrato Academico profeſſoris orthodoxi & Anti-Remonſtrantici teſtimonio, tum oſtentatione & profeſſione orthodoxiæ & Anti-Remonſtrantiſmi in privatis cum quovis orthodoxo iſtius claſſis miniſtro colloquiis, in concione probatoriâ coram claſſico conventu habitâ, in examine peremtorio, ad miniſterium promovetur: abſque hâc fallaciâ & ſimulatione non promovendus. Hiſtoriam narro, quam antehac tetigi in *catechizatione catechiſmi Remonſtrantici ad 9. decalogi præceptum*.

A quibuſdam modo recenſitis tollitur libertas, à quibuſdam imminuitur latè, à quibuſdam leviter, à quibuſdam leviſſimè. Et hinc electorum ſive collectim ſive diſtributim conſideratorum actiones aliæ ſunt invitæ, aliæ mixtæ. *Priores* oppoſitæ. τῷ ἑκουσίῳ quod ad quędam ſuffragia ſynedrii, ſive pauciora, ſive plura, aliquando reduci poſſunt, ad meram paſſionem & tolerantiam: idque *primariò* cum proteſtantur, etiam aliquando non planè deſperantes de aliquo claſſis auxilio, ad ejus judicium provocant: *ſecundariò*, cum perſeverant in negatione ſuffragii & approbationis ſuæ, & vinci ſe patiuntur à potioribus ſuffragiis, abſque ſolenni proteſtatione aut etiam provocatione ad claſſem & ſynodum.

Poſteriores ſunt, cùm electores collectim aut aliqui ſigillatim ἑκόντες ἀέκοντι θυμῷ vocant ſibi craſsè aut ſpecioſè obtruſum: haut aliter ac mercator tempeſtate ſæviente, & in ultimâ lineâ conſtitutus; decernit pretioſas merces in mare projicere, & projicit. Tales vocationes, quin aliquando fuerint, minime dubitandum eſt.

Sed aliqua notabimus quæ circa vocationem evitanda ſunt.

Ne ipſe concionator aut proponens ambitu vocationem, quam deſiderat, obtinere contendat.

Ne ipſe per parentes, tutores, Mecænates, cognatos, fautores, pagi aut civitatis dominos, toparchas, ſatrapas, eorumve armatam & mandantem quaſi commendationem ſynedrio aut membris aliquibus ſynedrii ſuggeſtam, directè aut indirectè ad vocationem graſſetur.

Ne ipſe perſonaliter ſuffragia emendicet, domatim ſingulos ſollicitando & prenſando, ſive ſeniores & diaconos, ſive membra vacantis eccleſiæ, ſive hæreditarios cujuſcunque ſint religionis, (à colonis & mercenariis diſtinctos); quorum ſuffragia iſtic recepto more & jure antiquo ſub Papatu in quibuſdam Belgii fœderati Provinciis hodie etiamnum requiruntur.

Ne ipſe perſonaliter incolas hæreditarios in publicam tabernam aut zythopolium invitatos & convocatos, & in anteceſſum, unius atque alterius doli cereviſiarii à ſe aut ſuis donati liquore aſperſos (ſi non plus minuſve maceratos) cum chartà calamo, & atramentario, ſigillatim obeat, eorum ſubſcriptionem officiosè, & blandè ſollicitet atque emendicet.

Ne ipſe per ſe, aut per parentes, Mecænates, fautores ſive eccleſiaſticos ſive ſæculares, præterito ſynedrio, primò & immediatè toparcham, aut ſatrapam, aut Magiſtratum, ſive religioni addictum ſive ab eâ alienum, ſollicitet, & præoccupet: antequam prævia aliqua ſynedrii aut claſſis de vacantis aut vacaturę eccleſiæ ſtatu & curâ deliberatio inſtitui poſſit.

Ne ipſe per ſe, aut per parentes, tutores, cognatos, fautores, Mecænates, Simoniacum quid munus à manu, aut à lingua, aut ab obſequio ſive toparchæ, ſive ſatrapæ, ſive conſulibus, ſive ſynedrio, ſive membris ſynedrii conferat, aut promittat, ad vocationem & miniſterium iſtius eccleſiæ obtinendum. Ad Simoniacas iſtas ſubreptiones refer primi anni ſtipendium ſeu annatas, aliamve majorem, minorem ſummam, aut rarum aliquod & pretioſum cumelium, aut ſupellectilem, vocanti ſynedrio collectim, aut membris ejuſdem, aut præſentanti patrono (de quo infra, ubi de *Jure patronatus*), aut toparchæ, ſatrapæ, conſulibus, eorumve uxoribus, liberis, nepotibus, cognatis, neceſſariis, miniſtris, (ſyndico, ſecretario ſeu graphiario, œconomo, aulæ magiſtro, quæſtori,) aut quibuſcunque ipſorum Sejanis & favoritis promiſſam; ad præſentationem, aut intruſionem, aut vocationem aut approbationem per eoſdem procurandam.

Huc etiam reducenda Simoniaca, quamvis palliata aut ſpecioſa magis, obreptio, cum toti eccleſiæ & ſynedrio offertur ſumma aliqua in ærarium pauperum inferenda; aut debitorum iſtius ærarii à vocando exolutio; aut ſumma aliqua in fabricam, inſtaurationemve templi impendenda, ſive per promtam numerationem, ſive per detractionem & immi-

minutionem ordinarii ſtipendii, per totum tempus miniſterii, aut per aliquot annos.

Nec prætereunda debiti alicujus remiſſio, & inductio; agri, aut domus, aut cujuſcunque rei mobilis venditio, pretio non pretio, longè infra valorem & dignitatem: Adhæc bonorum immobilium aut mobilium emtio, aut Achabica (*1 Reg.* 21.) permutatio; cum bona aliqua longè ſupra pretium à procurante vocationem, ambiens vocationem, aut ejus parentes, tutores, &c. emunt. Ex. gr. cum agrum aut domum emunt 6000. flor. cujus juſtum pretium eſſet 3000. aut 4000. flor. *Inſuper* procuratio muneris alicujus toparchæ, aut ſatrapæ, &c. eorumve filiis, nepotibus, cognatis, neceſſariis, miniſtris, &c. conferendi.

Ne toparchæ, ſatrapæ, &c. primo primi ab ambientibus intempeſtivè occupati, membra tum ſynedrii tum eccleſiæ de τοῦ Δεῖνα nominatione, deſpectione, vocatione, electione occupent; & ſuffragia eorum, (ante omnem liberam ſynedrii deliberationem, collationem, præparationem,) ſibi addici poſtulent, immo promiſſionibus, aut minis haut obſcurè eliciant aut extorqueant. Quæ aliquando fieri & facta eſſe norunt illi ſeniores & diaconi, quibus libertatem ex conſcientiâ muneris ſibi ſervare cupientibus, beneficium ſubtractum, aut damnum in bonis fortunę ipſo facto illatum eſt.

Ne miniſtri vicini, aut claſſes, aut ſynodi, ejuſmodi ἀταξίας directè, aut indirectè faveant, & conſentiant: ſed quibuſcunque legitimis mediis liberæ vocationis eccleſiaſticæ violationi atque impedimento occurrant. Ipſorum enim eſt libertatem eccleſiaſticam ejuſque debitum exercitium, omnemque εὐταξίαν, cuſtodire, tueri, promovere. Ubi iverint, quâ potuerunt, & tolerandum quid eſt, quod tollere aut probare nequeunt; animam ſuam liberârunt. Hoc ſemper cavendum, ne neceſſaria ἐπίτροπος alicujus pro illo tempore, tolerantia, in perpetuam acquieſcentiam & juris eccleſiaſtici ſilentium degeneret, aut talis ἀταξία inter adiaphora numeretur; nedum ut probetur, defendatur, tanquam honeſtum, legitimum, juſtum, utile, immo neceſſarium. Exemplum habemus in jure patronatus, quod cum in quibuſdam eccleſiis Belgicis hactenus tolli non potuit, non deſtiterunt tamen eccleſiæ publicè privatimque improbare, diſſuadere, ejuſque abolitionem datâ quâcunque occaſione petere.

CAP.

Digitized by Google

CAP. IV.

De electionis per ſuffragia, aut per ſortem executione.

§. 1. PRæparatoriis ad electionem peractis, tandem tempus & locus deſignatur, & omnes ad collegium electorum pertinentes convocantur.

Hic conſideranda.

1. Tempus conventus.
2. Locus conventus.
3. Modus ſuffragandi.
4. Sors.
5. Suffragantes ſeu eligentes.

I. *Tempus*, ſeu dies & hora conventus ad electionem ab ipſo ſynedrio decerni, & maturè iis ſignificari debet, ſi quos à conventu decernente abeſſe contigerit. Eſtque tale ſtatuendum, quod commodiſſimum; & quo omnes, ad quos pertinet electio, adeſſe queant.

Non eſt ergo præcipitandum, nec tempus captandum, quo aliquos electores per publica aut privata negotia abfuturos ſcitur aut præſumitur: nec per toparcham aut ſatrapam aut conſulem, compellendus ſynedrii præſes ut ſtante pede cœtum convocet, ad abſolvendam electionem: dum aliqui abſunt; quos ad ipſorum placitum τὸν Δεῖνα non tantum non nominaſſe nôrunt, ſed etiam contra ἀπόντας conatus & actiones aliorum vocationem τοῦ Δεῖνα intendentium, proteſtatos eſſe.

II. *Locus* conventus ordinariò eſt conclave eccleſiaſticum, aut templum: & ſi eccleſia aliqua tunc temporis templo aut conclavi, aut utriuſque uſu deſtituatur: in domo aliquâ ad id ſelectâ & deſignatâ, conventus modo & more ſolito celebretur.

Ἄτακτον ergo & indecorum eſſet, ſi membra ſynedrii, aut membra eccleſiæ, aut utraque in domum toparchæ, aut ſatrapæ, aut conſulis, aut in publicam tabernam juſſu toparchæ convocati, præmiſsâ etiam aut comitante potus vini, aut cereviſiæ, aut vini aduſti recreatione, electionem vivæ vocis ſuffragio, aut nominum ſubſcriptione, aut utroque abſolverent. Multò magis ἀτακτότερον eſſet, ſi ſigillatim membra ſynedrii aut membra eccleſiæ ad domum toparchę aut ſatrapæ, aut ad tabernam vocati εἰς καθ' ἕνα electionem ſuam illic deponerent, aut addicerent ſive vivâ voce, ſive ſcripti alicujus ſubſignatione. *Ordo noſter eccleſiaſticus* poſtulat, ut vocatio fiat cum jejunio & precibus: juxta eccleſiæ Apoſtolicæ exemplum *Actor.* 13. *v.* 3.

Con-

Contra eccleſiæ Anglicanæ reformatæ miniſterium tanquam capitalem nullitatis aut ἀνομίας probationem Papiſtæ objecerunt, conſecrationem *Mathei Parkeri* Archiepiſcopi Cantuarienſis aliorumque primorum ſub regno Elizabethæ conſtitutorum epiſcoporum, factam anno 1559. 6. Decembr. in œnopolio Londinenſi ad inſigne capitis equini ſeu manni, in plateâ vulgo dictâ Cheapſide. Sed factum hoc diabolicè Anglicano miniſterio impoſitum tanto cum zelo & tam operosè amoliti ſunt hyperaſpiſtæ reformationis Anglicanæ, ut eo ſatis oſtenderint, quam ἄτοπον & abſurdum ſit ipſorum judicio de ſacrâ miniſtrorum vocatione & conſtitutione in tabernis aut popinis deliberari, & concludi. *Jac. Maſonus in Vindiciis eccleſiæ Anglicanæ* hanc fabulam de tabernariâ ordinatione ſatis ſuperque exploſerat; ſed cum obſtrepere non deſiſterent *Champneus, Fluddus, Kelliſonus, Fitz Simon Jeſuita in Britannomachia* miniſtrorum; *lib.3.c.5.* omnium exceptiones diluit Maſonus in *Vindiciis eccleſiæ Anglicanæ* editionis ſecundæ, Lat. a. 1625. *lib.3. cap.* 8.9.10. Ubi probat *Parkerum* in ſacello Lambethano conſtitutum & ordinatum fuiſſe Archiepiſcopum Cantuarienſem, ex archivis authenticis, ex ſtatuto Parlamentario, & teſtimonio Howardi Notingamiæ comitis Angliæ architalaſſi, qui illi conſecrationi interfuerat. Inſuper oſtendit, quendam Nealium linguæ Hebraicæ profeſſorem religione Papiſtam unicum eſſe teſtem, in quem ultima hujus fabulæ analyſis.

Ibidem ſpecialiter refert teſtimonium oculati teſtis, datum anno 1616. à comite Howardo Angliæ archithalaſſo, qui invitatus ad ſolennem illam & publicam ordinationis celebrationem, & ad convivium ἐνθρονιστικόν (quippe *Parkero* cognatione junctus) utrique cum multis aliis nobilibus interfuerat. *Camdenus in annal.* rerum Anglicarum *part.* 1. ad ann. 1559. ſimpliciter refert modum conſecrationis *Parkeri* in Lambethano ſacello à tribus Epiſcopis factæ. *Franciſcus Goodwinus commentar. de præſulibus Angliæ in Parkero* Archiepiſcopo Cantuarienſi *pag.* 218. refert eum à capitulo Cantuarienſi canonicè electum, & ritu Anglicano, & loco conſueto (in capella palatii Archiepiſcopalis Lambethani) à tribus epiſcopis *Gul. Barloo, Milone Coverdalio, Joh. Scorao*, accedente *Joh. Hodgekino* Bedfordienſi ſuffraganeo, fuiſſe conſecratum. Ubi fabulam Papiſticam ita perſtrinxit.

„ Quis, inquit, enim ſanæ mentis tam ridiculæ & ab omni probabilitate „ abhorrenti calumniæ fidem adhibuerit? Sed quod poſt tot reſponſiones, „ Jewelli (fœliciſſimæ memoriæ Antiſtitis) Maſoni & aliorum, hujuſce „ conſecrationis ſeriem enucleatè tradentium & publicarum tabularum „ fide confirmantium, ut tam craſſi mendacii malignitatem cæcus quivis

,, ſi non intueri clarè, at manibus poſſet palpare; auſus tamen quod fuerit
,, quiſpiam, eadem rurſus in medium proferre, quis ferat? Anne tales reve-
,, rendos patres producit ſocietas Jeſuitica? Errare, labi, decipi, humanum
,, eſt: Sed fronte perfricta aſſeverare, quæ nemo jam vel ſtupidiſſimus cre-
,, diderit, adeoque ne ipſe quidem qui aſſeverarit, ſummæ eſt tam demen-
,, tiæ quam impudentiæ. Apageſis igitur Sinonis potius filius quam Simo-
,, nis dicende, niſi mendacia tua ſtoliditatem nimium ſaperent. Ut aliis
,, vero conſulatur per hujuſmodi homines in errorem perductis (ſi forte
,, naris tam obeſæ quiſquam reperiatur, ut figmenti tam abſurdi vanitatem
,, ſtatim non olfaciat) hortor primum, ut Archiva adeant Archiepiſcopalia,
,, ubi nemini non licet videre, electionis Canonicæ, & conſecrationis (ſe-
,, cundum ritus authoritate Parlamentari, Sub Edwardo ſexto conſtituros)
,, quam Parkero, tam cæteris illorum temporum Epiſcopis impertitæ, to-
,, tum (ut loquimur) proceſſum. Hoc, quibus aut non vacat, aut non libet,
,, aut denique copia non eſt faciendi; conſulant (ſi placet) Alexandrum
,, Fayrcloth & Thomam Lathwait (alias dictum Scot) Jeſuitas; Joannem
,, Colliton (poſt Birkheadi interitum) pro tempore Archipresbyterum, &
,, Thomam Leak ſacerdotem. His nimirum jam ante annum, in præſentia
,, Archiepiſcopi Cantuarienſis moderni, nec non & Epiſcoporum aliquot
,, aliorum (Lodinenſis, Elienſis, Lincolnienſis, & Roſſenſis) codex Regi-
,, ſtralis ejuſdem Parkeri oſtenſus eſt (pulcherrimus ille quidem, & magna
,, ſollicitudine inter publica monumenta aſſervatus) quem, quantum li-
,, buit, ſpectarunt, contrectarunt, evoluerunt, perlegerunt: Et teſtimonio
,, tam amplo omnique exceptione majori fidem (ut videbatur) habentes;
,, quid viderint, literis ad Thomam Fitz Herbert Romæ degentem, per-
,, ſcriptis, hujuſce rei veritatem teſtati ſunt. Quas literas Kelliſono tradi-
,, tas (collegii Anglicani quod eſt Duaci Præfecto) ad Fitz-Herbertum per-
,, ferendas, dictus Kelliſonus in ſe recepit, neque dubito, promiſſi fidem ab
,, eo exolutam. Ab his igitur (Fairclotho, Lathwaito, Collitono, Leako,
,, imò & Kelliſono, Fitz Herberto ac aliis Romano-catholicæ religionis
,, profeſſoribus) harum rerum quæ à me de Parkeri referuntur conſecra-
,, tione, veritas, ſi vel pilum boni viri habeant, confirmabitur.

III. *Modus* ſuffragandi fit vel vivâ voce, vel ſcriptis ſingulorum ſcedu-
lis. Qui poſterior modus à nonnullis præfertur; quod uti epiſtolæ non
erubeſcunt, ſic & clauſæ ſcedulæ ab ἀνθρωπαρεσκείᾳ, & metu offenſionis ele-
ctores magis immunes præſtant.

IV. *Sors* in electione adhibetur; cum duo aut tres omni exceptione
majores paribus ſuffragiis deſignati reperiuntur: & ſi iterata ſcedularum
ſcriptione non viſum eſt experiri, an mutatio aliqua futura eſſet; aut tentatâ
illâ

Digitized by Google

illâ iteratâ ſcriptione, eadem ſuffragia deprehendantur; ſors decernitur: Ante cujus miſſionem exemplo Apoſtolico (*Actor.* 1.*v.*24.25.) peculiari precatione Deus ſollicitatur. Exeunte ſorte, omnes in Dei voluntate per ſortem ſignificatâ acquieſcunt. Nefas enim putarent poſt Dei indicium & judicium per ſortem, ultra dubitare, diſceptare, contendere, huic aut illi parti ſtudere. Quid ſors ſit, & quo in ęſtimio determinatio ejus habenda, ex definitione ſortis *Proverb.* 16. & 18. *Actor.* 1. aliiſque ſcripturę textibus oſtendimus in libello noſtro de luſu aleæ.

V. *Suffragantes*, ſeu eligentes & vocantes, juxta ordinem noſtrum eccleſiaſticum artic.4. ſunt miniſtri eccleſiaſtici: presbyteri ſcil. tum concionatores, tum ſeniores (ſtricte ita dicti), & diaconi.

I. *Quæſt. An membra eccleſiæ huic electioni intereſſe, eamque pariter cum membris ſynedrii, vivæ vocis ſuffragiis aut ſcedulis abſolvere poſſint? Reſp.* Populi deſignatio ſeu electio (ita loquar) eſt vel antecedens, vel conſequens, vel ſimultanea. De antecedente ſupra. De conſequente infra cap. ſequ. De ſimultaneâ hic quæritur. De quâ reſpondemus, ubi inter membra eccleſiæ & ſeniores ac diaconos convenit, ut ſimul in ſolenni electionis & vocationis actu ſuffragia ferant; utique non improbamus. Sunt eccleſiæ in Belgio, quæ ab initio reformationis hunc morem ſervârunt, & etiamnum ſervant, ut membrorum eccleſiæ ſuffragia, eligentia unum ex tribus aut quatuor nominatis in quibuſdam eccleſiis colligantur. Cum quo fere conveniunt ſuffragia electiva membrorum eccleſiæ, quæ pariter numerantur in conſtitutione ſeniorum & diaconorum. Memini orthodoxos quoſdem miniſtros & me cum illis, vacante eccleſiâ aliquâ in illo diſtrictu, ad electionem convocaſſe ſeniores, diaconos, membra eccleſię, immo & ordinarios auditores: idque ut adverſariis Remonſtrantibus præſcinderetur, omnis occaſio & ſpecies anti-electionis aut diſſenſionis aliquorum ab iſtâ electione. Præventione tunc omnia agenda erant, adhibitâ abundante cautela. Ex malis moribus bonæ leges, ſeu mavis conſuetudines. Adverſarii enim quâcunque habitâ ſynedrii legitimâ in pagis electione, ſubreptivè membrorum aliquot eccleſiæ diſſenſum atque oppoſitionem, etiam in alium quem deſignatum proponentem aut concionatorem factioni Remonſtranticæ addictum inclinationem per magna nomina Ill. DD. Ordd. Hollandiæ Deputatorum, Satraparum, gubernatorum militarium (qui vicanis illis prodeſſe aut nocere potuiſſent) captabant ac ſollicitabant. Quod ſi apud membra eccleſiæ parum proficerent, ad auditores tum ordinarios tum feſtales (uti appellari ſolent) etiam ad toparchas, burgimagiſtros, ædiles (quamvis à religione & eccleſiâ alienos), immo & ad fœminas ſe convertebant; ut ſaltem vocationem legitimè factam turbarent, & Magiſtratuum

judicio (ad quorum tribunal ab ecclesiaſtico ordine tales cauſæ plerumque tunc trahebantur) Remonſtranticum illum à ſe deſignatum intruderent, aut ſaltem legitimè à ſynedrio, cum conſenſu eccleſiæ, electum excluderent, & ſynedrium; cum eccleſiâ illâ ad novam tertii deſpectionem cogerent. Quod dixi de fæminis; ejus exemplum vidit *Claſſis Gorinchemenſis* a. 1617. cum ſcriptum Anti-vocationis ſeu Anti-poſtulationis à vicinis miniſtris Remonſtranticis, procuratum & conceptum, fæminæ, tanquam membri eccleſiæ illius ſubſignatione inſignitum, exhiberetur. His aliiſq; ἀτάκτοις molitionibus præveniendis, optimo conſilio ad inſtrumenti electionis ſubſcriptionem vocabantur membra eccleſiæ. Simpliciores enim & agreſtes homines minis, aut promiſſionibus, aut fucatis logis & ſuaſionibus huc illuc impelli poſſunt: ſed à nominum ſubſcriptione in his aliiſque negotiis, ægerrimè abduci poſſunt. Et talis membrorum ſubſcriptio ex illo tempore per multos annos in pagis illis ad abundantem cautelam obſervata fuit.

Electionem hâc ratione, poſitis ponendis, dicimus, minoribus eccleſiis, poſſe fieri; non vero ſemper ita fieri debere; aut etiam ita poſſe in majoribus eccleſiis, ubi frequens electorum cœtus 25. aut 30. aut 40. aut 50. nominum, & innumerus pæne membrorum numerus. Omnes illi ad expreſſa ſuffragia electiva ſive vivâ voce ſive ſcripto una cum ſynedrio ferenda, admitti non poſſent; ſine magnâ confuſione, aliiſque incommodis, & ſine præjudicio libertatis & everſione poteſtatis ſynedriorum. Si membra à ſynedrio diviſa, immo eidem oppoſita, contra ejuſdem intentionem, judicium, circumſpectionem, electivis & peremtoriis ſuis ſuffragiis ab aliquo religionis & eccleſiæ amico aut inimico importunè emendicatis aut extortis, præcurrerent: quid ſynedrii poteſtati anteceſſoriæ & directivæ relinqueretur? Dicam amplius, ſi vacante eccleſiâ, aut vix vacante, cogerentur & ferrentur electiva membrorum ſuffragia, antequam ſynedrium, ad primò primam deliberationem & collationem de alio quo ad vacans aut jam vacaturum miniſterium quærendo ac deſpiciendo, conveniſſet: quomodo ejuſdem ſynedrii libertas & poteſtas conſtaret? Huc reſpexiſſe arbitror Concil. Laodicenum, can. 13. ubi ſtatuit non eſſe *permittendum turbis electionem eorum facere, qui in ſacerdotio conſtituti ſunt.* Confer can. 16. Concil. Antiocheni: *Si quis epiſcopus vacans in eccleſiam vacantem ſeipſum injiciens, arripuerit ſedem abſque perfectâ ſynodo, hunc expellendum eſſe, etiamſi omnis populus, quem arripuit (ὃν ὑφήρπασε) eum elegerit.* Ad conſenſum populi & ſubſequentem approbationem electionis & electi. puto referendam illam χειροθεσίαν, quæ membris eccleſiæ tribuitur Concil. Laodiceni can. 5. *Quod non oportet electiones fieri in præſentiâ audientium.* De quo *cap. ſeq.*

Sal-

Saltem hinc conſtat à toto negotio vocationis non eſſe excludenda membra eccleſiæ.

II. *Quæſt. An ex ſeniores & ex diaconi ad ſuffragia electiva admittendi: eaque pariter numeranda, cum ſuffragiis præſentium ſeniorum & diaconorum?* *Reſp.* Neg. Neceſſariò, ſemper, & ubique admittendos eſſe; ordo noſter eccleſiaſticus, electionem in ſolidum vindicat ſynedrio & diaconis. Concedimus tamen, ſeniores & diaconos, qui proximè à functione illâ deceſſerunt immo & alios omnes ſenioris aut diaconi munere in eccleſiâ antehac functos à ſynedrio ſponte ſuâ aſſumi, aut judicio claſſis ſynodive, ob præſentem & turbatum rerum ſtatum, aut aliam quam neceſſitatem ſynedrio adjungi, ad electionem communiter celebrandam, aut aliud aliquod magni momenti negotium eccleſiaſticè tractandum. Hoc autem potiſſimum obtinere poſſet, in minoribus eccleſiis; ubi bini aut terni, aut quaterni, habentur ſeniores, & totidem diaconi. Sed majorum eccleſiarum diſpar ratio eſt; quarum ſeniores & diaconi eum faciunt numerum, ut iiſdem applicari poſſit illud Proverb. 15. v. 22. *ſed multitudine conſiliariorum firmabuntur*, cogitationes ſcil. Anno 1617. ad eccleſiam ultra triennium per factionis Remonſtranticæ molitiones vacantem, miniſtrum quem vocatum novi paribus ſuffragiis non tantum ſynedrii & diaconorum præſentium, ſed & omnium ex ſeniorum & ex diaconorum, qui unquam illis muneribus iſtic functi erant, ad hoc à ſynedrio advocatorum & aſſumtorum: excepto unico exdiacono, qui ob abſentiam à civitate tunc ad conventum vocari non poterat. In nonnullis Belgii eccleſiis à primâ earum conſtitutione obtinuit, & etiamnum hodie in quibuſdam obtinet, ut ex ſeniores & exdiaconi aliqui pariter cum præſentibus ſenioribus & diaconis eligant.

III. *Quæſt. An penes eccleſiam, aut ſolos eccleſiaſticos ſit electio & vocatio miniſtrorum?* *Aff.* Idque jure divino. Quod alicubi in totum aut ex parte id tribuitur Magiſtratibus, patronis, honoratis in ſæculo, Epiſcopis, ædilibus, aut aliis quibuſcunque: id ex factis, uſurpationibus, & ordinationibus humanis ortum eſſe conſtat. Si ergo apud theologos quoſdam proteſtantes & reformatos tale quid legis: cogita eos conſuetudinem loci ſui referre & morem iſtic toleratum, qui tolli nondum potuit; non jus divinnm aut doctrinam reformatam, aut patrum, conciliorum, & antiquæ eccleſię placitum. Remonſtrantes conſtitutionem, & deſtitutionem miniſtrorum Magiſtratibus tribuebant: quia id rebus ſuis tunc temporis prodeſſe putabant. Per eccleſiam enim & eccleſiaſticos, nova ſua & novatores intrudere non poterant. Similiter graſſante & curiam Ultrajectinam occupante factione Jacobeo-neutrali & ejectâ aut diſſipatâ eccleſiâ reformatorum (quos *conſilio-*

Digitized by Google

ſiſtoriantes tunc appellabant), in ordine eccleſiaſtico anno 1590. ab Ordinibus Provinciæ Ultrajectinæ concepto & præſcripto (qui cum aliis eccleſiaſticis Ordinibus Belgicis anno 1612. editus eſt Delfis apud Johannem Andreæ), vocatio & electio patrono & Magiſtratui tribuitur, *artic.* 1. 2. 3. 4. Ut & electio ac conſtitutio ſeniorum & diaconorum, *artic.* 6. 7. In dicto ordine videbis multa alia, quę contra receptum noſtrarum eccleſiarum ordinem hodie ex cineribus ſuſcitantur. Si neutralium & Semi-Libertinorum iſtorum placita cum hodiernorum quorundam contra doctrinam & ordinem reformatorum ſibilis & machinationibus conferas, uſurpare licebit illud Eccleſiaſtę: *Nihil novi ſub ſole.* Et, *aut Philo Platonizat, aut Plato Platonizat.* Anno 1612. Remonſtrantiſmo omnia hic occupante, Ordo eccleſiaſticus ab Ill. hujus Provinciæ Ordinibus conditus, *artic.* 2. electionem tribuit quaternis à Magiſtratu & quaternis à ſynedrio delegatis: qui paribus aut potioribus ſuffragiis electum, collegio quique ſuo offerent; & ſi ab alterutro collegio reprobari contingat, novam electionem capeſſent. Anno 1591. ſimiliter à quibuſdam viris politicis & eccleſiaſticis per Ill. Hollandiæ Ordines deputatis conceptus erat ordo, qui *artic.* 1. & 2. electionem concionatorum in civitatibus quaternis à Magiſtratu & quaternis à ſynedrio delegatis committit; electionem vero concionatorum in agris, quaternis à prætore & Magiſtratu vicano, aut à toparchâ deputatis, & ternis concionatoribus, cum uno vacantis eccleſiæ ſeniore (aut ubi ſeniores non habentur, quarto concionatore) à claſſe quotannis ad id deputandis. Et ſi electus Magiſtratui urbico, aut toparchæ agrario oblatus, non placeat, ut nova electio per dictos deputatos inſtituatur. Hunc ordinem nunquam eccleſiaſticè conceptum, decretum, receptum nec publicâ autoritatę approbatum, & confirmatum, rebus per Remonſtrantiſmum, in eccleſiâ & politiâ turbatis, in Hollandiâ cum factio ſi in caſu vocationis miniſtrorum obtruſum vellent: varia & periculoſa inde orta certamina: de quibus in iſtorum temporum hiſtoriis. Quis genuinus reformatus, non dolebat tunc eccleſiæ noſtrę vices? quæ ſola libertatis & poteſtatis electivæ diminutionem à Magiſtratibus per factioſos ſeductis tunc patiebatur: cum in electionibus omnium ſegregum & ſectariorum cœtuum, aut Ill. Ordines, aut Magiſtratus, aut toparchę, ſibi nihil tribuerent, aut tribui vellent.

Sed cum per Dei gratiam anno 1618. tempeſtas factionis illius deſævire cœpiſſet, deputati ſunt à *Synodo Zuyd-Hollandicâ Delfenſi* quinque eccleſiaſtici, qui turbatas per factionem claſſes & eccleſias obirent, luſtrarent, eaſque εὐταξίᾳ ſuæ reſtituerent. Imprimis opera & cura horum deputatorum, & querelæ eccleſiarum, ſynedriorum, claſſium occupabantur circa du-

duplices miniſtros: quorum *illi* prætextu ordinis ann. 1591. in vitâ eccleſiâ & claſſe, per feneſtram irrepſerant; aut à toparchâ, Magiſtratu, prætore intruſi erant: *Iſti* ultra quinque articulos, ad Sociniana aliave heterodoxa aſſurgentes, aut moribus ſcandaloſis miniſterium dehoneſtantes contra diſciplinam eccleſiaſticam à Magiſtratu aut toparchâ ſive irreligioſo, ſive factioni addicto, defenſi erant. Illis ſynodi deputatis Ill. Hollandiæ Ordines adjungebant tres deputatos Politicos; ut præſto eſſet autoritas in executione eorum, quę à ſynodalibus deputatis decreta & judicata eſſent. Quod ad miniſtros, opiniones quinquarticulanas publicè privatimque profeſſos, nullæ contra eos eccleſiæ, aut ſynedrii, aut claſſis querelæ, ſi quæ eſſent, à dictis deputatis tunc audiebantur: nedum ut cenſorium de heterodoxiâ, hâc in parte, judicium exercerent. Multi ergo ob acanonicum in eccleſiam introitum, aut acanonicam in miniſterio continuationem, cenſurâ notati; aliqui ſuſpenſione, aliqui exauthoratione multati.

Quod hic refero, ut conſtet quis ſit ordo, quæ praxis eccleſiarum noſtrarum circa liberas & eccleſiaſticas vocationes: & ut miniſtri in vocationibus abutentes aut uſurpantes, cogitent, aliquando Deo & hominibus reddendam rationem, ubi umbra ipſorum (hoc eſt, patroni, toparchæ, Magiſtratus defenſio) receſſerit, & eos ſui *ἀτυχίαις* reliquerit.

Theſin de liberâ & eccleſiaſticâ electione infra *tit. de Jure patronatus* probaturi ſumus: quâ probatâ, concidit electio non-electio, non tantum patroni, ſed & cujuſcunque, qui non eſt eccleſia, aut ab eccleſiâ ad eam rem conſtitutus: uti de poteſtate & uſu diſciplinæ *catecheſis noſtra quaſt.* 85. conferenda cum liturgiâ tit. de confirmatione concionatorum, & cum *Confeſſione Belgica artic.* 30. Ad quas publicas & eccleſiaſticas formulas ab Ill. Ordd. & Magiſtratibus Belgicis ſolenniter approbatas, digitus intendendus eſt, quotieſcunque de concionatorum electione agendum eſt.

1.*Object* Objici forte poſſet ex ordine eccleſiaſtico artic. 2. *correſpondentia* cum Magiſtratu in vocatione miniſtrorum obſervanda. *Reſp.* Sed ſi ſub illo termino *correſpondeutia*, jus vocationis aut prę-electionis politicæ abſconditum velis, utique contradictio eſſet in adjecto, & appoſitum in appoſito. Si enim electio fieri deberet à Magiſtratu ſive in totum ſive ex parte, utique tum dicendum non fuiſſet, eam debere fieri à ſynedrio & diaconis. Deinde ſi electores traderent aut relinquerent electionem Magiſtratui, tum in electione ſuâ verè dici non poſſent exercere *correſpondentiam* cum Magiſtratu; ſed potius electionem à ſe in Magiſtratum transferre. Cothurnus ille *correſpondentia* (qualem nunc diſtorta & paraſitica quædam ingenia facere videntur) non eſt adjectus à ſynodo aut ſynodalibus, ſaltem non proprio eorum

motu

Digitized by Google

motu, ſed à Nobiliſſ. & ampliſſ. D D. delegatis Politicis, qui hæc & alia quædam epiſagmata ſuggerebant, ut ordo omnium provinciarum ſupremâ autoritate ſemel tandem confirmari & muniri poſſet. Sed experientia nos docuit, quo plura conceduntur & quaſi lege tolerantur ab eccleſiis: eo minus petita & ſperata obtineri.

11. *Object.* Approbatio electionis & electi à Magiſtratu petenda, videtur eſſe electio, aut ſaltem bona pars ejus? *Reſp.* Neg. Eſt quidem aliquid circa electionem; ſed non eſt formaliteer electio; ſive totalis ſive partialis. Verſatur enim circa electionem, tanquam objectum ſuum: ergo non eſt formaliter electio. Quid ſit vulgo dicta *approbatio*, diſquiretur *cap. ſequ.*

CAP. V.

De quintuplici approbatione. 1. Populi. 2. Vicinorum Miniſtrorum, aut claſſis. 3. Magiſtratus. 4. Miniſtri vocati ſeu electi. 5. Eccleſia, unde vocatur.

§. 1. POpuli approbationem & conſenſum requiri, hic ponimus.

1. *Quia*, hoc fluit ex libertate ac poteſtate populi; quam ſupra *part. 1. lib. 2. tract. 1. cap. 3.* & *tract. 2 cap. 1.* & *part. 1. lib. 1. tr. 1. cap. 2.*

2. *Quia*, per χειροτονίαν oppidatim ab Apoſtolis conſtituti ſunt presbyteri *Actor. 14. v. 23. Actor. 6. v. 5.* ubi de πάντη τοῦ πλήθους (*totâ multitudine*) dicitur quod *elegerint* diaconos. Et *v. 3.* advocatæ multitudini dicunt Apoſtoli, *deligite ergo ô, fratres, ex vobis viros ſeptem* 2 Corinth. 8. v. 19. *Snffragiis delectus eſt* (χειροτονηθεὶς) *ab eccleſiis, ſocius peregrinationis*, &c. confer v. 22. 23. Unde electiones dicuntur χειροτονίαι *Concil. Laodic. can. 5.* Vocabulum χειροτονίας traductum erat ex Athenienſium Republicâ; ubi Magiſtratuum alii conſtituebantur per ſortem; inde dicti κληρωταὶ ἀρχαὶ: alii per χειροτονίαν, id eſt, *porrectionem manuum*, quæ in ſublime à populo, dum aliquem probaret, fieri ſolebat; qui inde χειροτονητοὶ appellabantur. Significatur ergo loco cit. per χειροτονίαν, conſenſus ſeu ſuffragia populi.

3. *Quia*, hanc fuiſſe ſententiam & praxin antiquæ eccleſiæ, docet nos *Cyprianus epiſtolâ* 68. ad clerum & plebes in Hiſpaniâ; ubi laudat, quod *de univerſæ fraternitatis ſuffragio, & de epiſcoporum, qui in præſentiâ convenerant*, &c. *Judicio epiſcopatus ei* (Sabino ſcil.) *deſerretur.* Quibus verbis præmiſerat: *Propter quod diligenter de traditione divinâ & Apoſtolicâ obſervatione obſervandum eſt, & tenendum, quod apud nos quoque, & fere per provincias univerſas tenetur*, &c.

Pamelius ad hunc locum *Cypriani* annotat. „ Non rectè quidam hinc pro-

„ prophanam illam hinc confirmare nituntur ſuorum miniſtrorum inſti-„ tutionem, per plebem & Magiſtratus laicos. Neque enim hinc haberi „ aliud poteſt, quam quod plebe præſente electiones fierent, cujus cauſam „ ſupra diximus.

Reſp. 1. Cum reformatorum ſententiam ac praxim perſtringere intendit, committit fallaciam ἑτεροζητήσεως, & crimen calumniæ. Quæ ſit noſtrorum ſententia, ſupra explicuimus, & mox infra (§. 3. hujus capitis) explicabimus.

Reſp. 2. „ *Pamelius* verbis immediatè ſequentibus ſibi contradicit. „ Non negamus itaque veterem electionis Epiſcoporum ritum, quo plebe „ præſente, immo & ſuffragiis plebis eligi ſolent.

Si ſuffragiis plebis eligi ſolent, (uti hic diſertè fatetur Cyprianus, cum *de univerſæ fraternitatis ſuffragio & epiſcoporum judicio*, epiſcopatum Sabino delatum dicit:) quâ ratione diſputat Pamelius: *Hinc nihil aliud haberi poſſe, quam quod plebe præſente electiones fierent.* Certe, *ſi plebe præſente, immo & ſuffragiis plebis eligi ſolent*, (uti uno quaſi halitu ibidem profatur *Pamelius*,) utique aliud quid habes ex *Cypriano*, traditionem divinam & obſervationem Apoſtolicam, hâc in parte, laudante; quam electionem epiſcopi per epiſcopos plebe præſente fieri ſolitam. Aliud enim eſt præſente me molem aliquam à fabris & operariis promoveri, & aliud, molem etiam à me moveri, vel me aliquid hic operari aut cooperari. Quæ *Pamelius* ibidem adducit teſtimonia veterum, pro noſtrâ ſententiâ faciunt, ut *Auguſtini epiſt.* 120. *Chryſoſtomi lib.* 3. *de ſacerdotio*, *Iſidori lib.* 2. *de Officiis Leonis epiſt.* 87. *Gregorii* ex ejus epiſtolis (*lib.* 1. *epiſt.* 56. 58. 78. & *lib.* 2. *epiſt.* 3. 6. 19. &c.) Capitulorum Caroli M. & Ludovici. Hieronymi in epiſt. ad Euagrium. Pamelius ibidem dicit Leonem epiſt. 87. requirere *vota civium, teſtimonia populorum, honoratorum arbitrium, electionem clericorum*, &c. Ordinis & *plebis conſenſum.* His verbis ſubjicit Pamelius: *Hoc enim potiſſimum tunc agebatur, ut invita plebi non daretur epiſcopus.* Audiatur Ambroſius morem ſui temporis deſignans, lib. de dignit. ſacerdotalis c. 5. „ Videas in „ eccleſiâ paſſim, quos non merita, ſed pecuniæ ad epiſcopatus ordi-„ nem provexerunt. *Nugacem populum & indoctum, qui talem ſibi adſciverunt* „ *ſacerdotem.* Adde *Sidonium* Apollinarem: *lib.* 7. *ep.* 9.

3. *Quia*, communiter reformatorum doctrina, & praxis paſſim, aliquid populo tribuit in vocatione miniſtrorum. Vide inter alios *Calvinum lib.* 4. *Inſtitut. cap.* 5. dum accuſat corruptas vocationes Papatus, graviter contendit pro eccleſiæ libertate & poteſtate. Jam, inquit, §. 2., *in eligendo totum illud jus populi ſublatum eſt, vota, aſſenſus, ſubſcriptiones, & omnia ejuſmodi evanuerunt*, &c. Legant quæſo reliqua, qui ſubodorari videntur

à nonnullis Diotrephis ſubinde hoc agi, ut electiones ad oligarchicam poteſtatem revocent; & non tantum populum ab omni ſuffragio removeant, ſed & publicos quoſdam in eccleſiâ miniſtros. Adde *Polanum* alioſque locor. commun. ſcriptores; & commentatores, cujuſcunque in Chriſtianiſmo profeſſionis ad *Actor.6.* & 14. Imprimis *Blondellum in Apologiâ pro Hieronymo de presbyteris & epiſcopis*; ubi *ſect.*3. *pag.*379. 549. antiquorum uſque ad ſæculum undecimum teſtimonia & praxin recenſet, & jus plebis contra Bellarminum pleniſſime defendit.

4. *Quia* ex Pontificiis aliqui hanc cauſam agunt: uti *Pamelius* modo cit. & *Jus Canonicum diſt.*63. *c.* 11. *Cauſâ* 22. qu. 2. c. 26.

Quomodo autem conſenſus populi cognoſci poſſit, ſupra indicavimus. Saltem ſi ex antecedente ſcrutinio inclinationis eorum, aut ex conſequente explicitâ & aperta eorundem declaratione haberi nequeat; ut ex conſequente ſilentio, ad publicas electi & vocati proclamationes, de conſenſu eorum ſeu mavis de non-diſſenſu & de non-repudio conſtet. Et hoc eſt, quod innuit *Liturgia* noſtra cap. de confirmatione miniſtrorum: „Dilecti fratres notum vobis eſt, nos tribus diſtinctis vicibus nomen noſtri „confratris N. hic præſentis publicè propoſuiſſe, ut cognoſceremus an quis „habeat aliquid ſive doctrinam ſive vitam concernens, cur in verbi mini- „ſterio confirmari non poſſet. Cum autem nemo comparuerit, qui contra „perſonam ejus legitimi quid potulerit: procedemus igitur in præſenti in „nomine domini ad ejus confirmationem.

I. *Quæſt. Quid ſi aliquis aut aliqui rationes habeant aut habere ſe putent, cur electum aut electionem conſenſu ſuo per ſilentium approbare nolint, quid agendum? Reſp.* Si ſit contra electionem ſeu modum procedendi in electione ſervatum, poſſent de eo electores monere; etiam, ſi illud ipſis tanti ſit, de eo querelas deferre ad claſſem & ſynodum ad cautelam in poſterum: ſic tamen, ne per hoc concendant confirmationem & introductionem electi impedire. Sin exceptio ſit contra electi doctrinam, aut dona concionandi, aut vitæ pietatem, integritatem, honeſtatem: publicè in eccleſiâ contra proclamationem electi conteſtandum non eſt, nec rationes diſſenſus & conteſtationis iſtic agitandæ (hoc enim planè indecorum, & ſeditionum, tumultuum, confuſionum, ſchiſmatum ſeminarium fieret) ſed modeſtè ſynedrio ſeu electoribus, rationes diſſenſus indicandæ, ejuſque judicium expectandum. Quod ſi non videantur juſtè & ad eccleſiæ ædificationem judicare, ad claſſem, & ſynodum provocandum. Synedrium vero, claſſis, ſynodus conſiderabit, an pauci, aut pauciores approbantibus, ſint obloquentes ſeu reclamantes. Si pauciores ſint, & contra longè plures ſint approbantes; jam tanta hujus oblocutionis non eſt habenda ratio: ſiquidem

Digitized by Google

dem potiora populi ſuffragia perſtent, immo electi miniſterium ſtudiosè efflagitent, aut ſaltem libenter admittant. Aliquando fit, ut ob præſens periculum ſciſmatis, à claſſe aut ſynodo electus quis per ſynedrium (contra cujus doctrinam, aut vitam, aut utramque ſive potior ſive bona pars eccleſiæ aliquid non immeritò excipit) nihilominus in miniſterium iſtius eccleſiæ introducatur; ſub promiſſione eccleſiæ factâ, de eo inde removendo, ſimulac in doctrinâ aut moribus abſurdi quid commiſerit. Aliquando, ubi de duobus partes in eccleſiâ diſſidentes contendunt, neuter à claſſe aut ſynodo approbatur, ſed ad pacem eccleſiæ, & ſchiſmatis proventionem, tertii electio præſcribitur.

Claſſis aut vicinorum ſive aliquot miniſtrorum ſive concomitantem ſive §. 2. conſequentem conſenſum & approbationem requirit noſter *ordo eccleſiaſticus art.* 41. in illis ſcil. locis, ubi hactenus uſitatum fuit. Non quod hoc ſit de eſſentiâ vocationis, aut pars ejus integralis; ſed ad abundantem cautelam & ad melius eſſe. Ita ut poteſtas claſſi hâc in parte ſit, & tribuatur cumulativè. Sed de poteſtate regiminis, & diſciplinæ eccleſiaſticæ, quæ claſſibus aut ſynodis tribui poſſit, infra *part.* 3. agendum eſt.

Approbatio Magiſtratus ſancita fuit anno 1586. à *ſynodo Nationali Hagienſi artic.* 4. Ubi ait, proponi vocatum ſeu electum loci illius Magiſtratui: *ut exploretur, an quod ad vitam & civilem* actionem ſeu geſtionem ejus (Belg. Burgerlijcken Handel) *legitimam aliquam obloquendi cauſam habeant.* Quod tunc temporis occaſione diſſenſionis inter Illuſtres Ordines Provinciarum, præſertim Hollandicæ, & inter Robertum Dudlejum Leiceſtriæ comitem fœderati Belgii gubernatorem adjectum eſt: ſiquidem hujus autoritati & regimini, ut & conſiliis & conatibus ſereniſſ. Reginæ Angliæ, multos proceres & politicos etiam miniſtros aliquos faviſſe, nonnullos inſuper ſtuduiſſe, hiſtoriæ iſtorum temporum teſtantur. Quod ſimulatione Leiceſtrii decepti, Rempublicam, & eccleſiam hâc ratione à πανωλεθρίας, quam hoſtis Hiſpanus intentabat, liberam & ſalvam fore arbitrarentur. Quia ergo Ill. Hollandiæ Ordinibus & Magiſtratibus civitatum miniſtri paſſim ſuſpecti erant, hinc & iſtud, & aliud quid majoris momenti ordinis *eccleſiaſtici artic.* 34. adjectum; ut ſemel tandem politica approbatio & confirmatio ejus, quam unicè ſperabant, obtineri poſſet. Sed quæcunque συγκατάβασις, & tunc & anno 1619. in *Synodo Dordracenâ* adhibita fuerit, nulla confirmatio ſecuta fuit; niſi quod eccleſias antehac ab aſſeſſione quorundam deputatorum Magiſtratus in ſynedrii conventibus, liberas, additamento illo *artic.* 34. (qui in ordine Synodi Dordracenæ eſt 37.) urgeant, tanquam juris divini aut eccleſiaſtici ſtatuto, non tantum ſemper, ſed etiam ad ſemper obligante. Vide ſupra de

 hoc

Digitized by Google

hoc additamento, *part.* 1. *lib.* 1. *p.* 135.199. Et infra *tract.* 2. ibi *de jure patronatus.*

Nunc quæſtionibus aliquot uberius hanc approbationem explicemus.

I. *Quæſt. An approbatio illa ſit legitima vocatio miniſtri? Reſp.* Minime: quia legitima vocatio eccleſiaſtica, eſt ejus objectum, & præſuppoſitum.

II. *Quæſt. An ſit de eſſentiâ vocationis ſeu electionis, aut ejus pars integralis? Reſp.* Neg. Quia eſt adjunctum ſive concomitans ſive conſequens, quod poteſt adeſſe aut abeſſe: ergo non eſt pars integralis nec de eſſentiâ, ſeu eſſentiale conſtitutivum aut conſecutivum.

III. *Quæſt. An ſit neceſſarium requiſitum, ita ut vocatio non eſſet rata, nec vocatus introduci in poſſeſſionem, aut exercitium miniſterii ſui capeſſere poſſet? Reſp.* Neg. Ex exemplis eccleſiarum clandeſtinarum, per Apoſtolicum, & ſequentia ſæcula.

His adde eccleſias clandeſtinas jam inde à pertendente in Europâ reformatione, uſque in hunc diem,

IV. *Quæſt. An ſit neceſſarium requiſitum, ubi eccleſia earumque conventus, exercitia, & ſucceſſio publicè permittuntur. Reſp.* Neg. Tolerantia enim & permiſſio generalis, includit permiſſionem ſpecialium vocationum, regiminis, diſciplinæ, &c. Ita ut explicita & ſpecialis notificatio vacantis miniſterii aut augendi numeri miniſtrorum, aut dimittendi miniſtrum, & poſtulatio licentiæ vocandi miniſtrum aut miniſtros, nec nominatorum, aut electorum propoſitio, aut poſitiva deſignati ſeu electi miniſtri approbationis petitio, aut poſitivæ ſive approbationis ſive reprobationis exſpectatio, requirantur. Exemplo ſint eccleſiæ Waldenſium Merindolii, & alibi, Pedemontanæ in convallibus, Eccleſiæ fratrum unitatis in Bohemiâ & Moraviâ, Eccleſiæ in Galliâ, & Biarniâ, Eccleſiæ Belgarum in Moſcoviâ, Eccleſiæ peregrinorum (Belgarum ſcil. & Gallorum) in Angliâ, Eccleſiæ reformatæ in principatibus, territoriis, civitatibus Germaniæ, Lutheranæ profeſſioni ſeu invariatæ (uti vocant) Auguſtanæ confeſſioni addictis, Eccleſię reformatæ ſub regibus Sueciæ & Daniæ, quæ fuerunt, aut etiamnum ſunt; denique Eccleſiæ reformatæ ſub Imperio Turcico, quæ fuerunt aut etiamnum ſunt, non paucę: quæ ſpecialem licentiam vocandi, & ſpecialem eccleſiaſticè vocati miniſtri approbationem, ab Imperatore, aut Baſſis ſeu præfectis Turcicis, nec petere, nec exſpectare coguntur. De eccleſiis Chriſtianorum in Græciâ, Natoliâ, Armeniâ, Ægypto, Syriâ, Perſiâ, &c. Imperio Turcico & Perſico ſubjectis, idem affirmari poteſt. Refert *Martinus Cruſius in ſuâ Turco-Græciâ lib.* 1. *pag.* 14. „ Mahometum

„ tum poſt captám Conſtantinopolim , juſſiſſe conventus agere Chriſtia-
„ nos: & Patriarcham ſibi quemcunque vellent, deligere. Se hujus crea-
„ tionem confirmaturum : & ut Patriarchæ munera obiret , edictu-
„ rum,

V. *Quæſt. An dato principem, aut Magiſtratum aliquem ſive urbicum, ſive vicanum explicitam & ſpecialem cujuſque vacantis miniſterii notificationem ſibi faciendam, & licentiæ vocandi petitionem, & vocati approbationem in formâ, ſibi vindicare, aut in præſenti urgere: ſed omnia eccleſiæ libertati relinquere: quid faciendum? Reſp.* Iſtis concluſionibus.

1. *Concl.* Magiſtratus aut Princeps, non tenetur ſemper illius eccleſiæ, cujus publicam profeſſionem, agenda, exercitia, conventus permittit, vocationes & vocatos miniſtros ſpecialiter & explicitè luſtrare, examinare, & poſt ſpeciale examen ac deliberationem approbare aut improbare. Sicuti in aliis agendis & actibus regiminis eccleſiaſtici, non tenetur ſemper ſpecialem notitiam, examen, & approbationem aut improbationem ſibi vindicare atque uſurpare. Sunt autem agenda illa, & actus regiminis eccleſiaſtici, catechizationes rudium tum publicæ tum privatę; pręparatio competentium; receptio membri cujuſque non abſque tali aut tali fidei confeſſione, teſtibus ac teſtimoniis vitæ; univerſalis viſitatio membrorum eccleſiæ toties quotannis inſtituenda quoties eucharistia diſtribuenda; iſtorum ab hâc cœnæ participatione abſtentio, aliorum ab uſu cœnæ ad tempus ſuſpenſio, quorundam excommunicatio; eorundemque receptio, aut reconciliatio; librorum aut textuum in eccleſiâ explicandorum delectus; Pſalmi & hymni eccleſiaſtici, qui, qualem, quando, quoties, quo ordine canendi; preces publicæ, quales, quo ordine & modo inſtituendæ, conciones præparatoriæ, euchariſticæ, ſupplicatoriæ, &c. quando, quales, quo ordine & modo inſtituendæ.

2. *Concl.* Si Princeps aut Magiſtratus, ſupremus, aut ſubalternus ſeu topicus: omnino velit, & urgeat ut talis notificatio vacantis miniſterii, taliſque electus ſibi proponatur, & approbatio ejuſdem petatur; nolim autor eſſe, ut eccleſia jacturâ permiſſionis Magiſtratus & libertatis ſuæ, immunitatem & independentiam hâc in parte pręfractè ſervare contendat. Pręſtat enim onerosum aliquod ferre, aliquam occaſionem periculorum & incommodorum ſubire, aliquam diminutionem pati, quam totum perdere. Ex. gr. Si Imperator Othomannicus, aut Principes Ethnici, eorumve pręfecti, aut Principes & Magiſtratus Chriſtiani à religione & eccleſiâ reformatâ alieni, ſine ſpeciali aliquâ ratione publicum regimen ſuum ejuſque conſervationem concernente, tale quid in caſu vocationis imponerent; & executio ejus prece aut precio averti nequeat: certè ferendum eſſet, & meliora tempo-

 ra

Digitized by Google

ra exſpectanda. Haut aliter ac exactionem & tributum *charatzii* & *peſchefii* ferunt eccleſię Græcæ in electi Patriarchæ ἐνθρονισμῷ ; ut ſaltem electionis aliorumque agendorum, & totius profeſſionis & exercitii libertatem ſibi retineant. De *charatzio* & *peſcheſio*, vide quę infra (*tract. 2. ubi de jure patronatus*) & *part.* 4. *ſelect. diſp. tit de Simoniâ* notamus. Hęc cum ita determinamus, eo ipſo non dicimus honeſtè & licitè in foro poli, talia onera circa vocationes, eccleſiis imponi ab infidelibus, aut Chriſtianiſmum profeſſis (Papiſtis ſcil. aliiſque à reformatâ religione & eccleſiâ alienis, eam nihilominus publicè permittentibus) Principibus & Magiſtratibus.

3. *Concl.* Quod ſi in reliquis agendis, & eccleſiaſtici regiminis ac diſciplinæ actibus, quorum aliquos modo memoravimus, talem pręcognitionem, & explicitam approbationem; ejuſque à ſe petitionem, Magiſtratus jam dicti eccleſiis imponerent: utique tantundem facerent, ac ſi publicam & ſtabilitam religionis permiſſionem abrumperent & eccleſias cogerent, clandeſtinarum ſtatum amplecti; & publicos conventus ac exercitia palam celebrari ſolita abrumpere.

4. *Concl.* Si Principes & Magiſtratus reformati, circa vocationes miniſtrorum tantum ſibi tribuerent, atque eccleſiis oneroſa iſta imponerent; abſque ullâ ſpeciali occaſione & ratione regimen ac ſtatum publicum politiæ graviter concernente: pariter ferendum eſſet. Quomodo in vocationibus miniſtrorum, alicubi ferunt exercitium juris patronatus; quod hactenus ab onere illo levari non potuerint.

5. *Concl.* Non tenentur eccleſię, Principibus, aut Magiſtratibus topicis ſive reformatis, ſive non-reformatis ſed publicam religionis reformatæ libertatem concedentibus (uti in Imperiis Turcico, Ruſſico, in regno Galliæ, in territoriis quibuſdam Germaniæ, &c.) hanc ſpecialem approbationem deferre, & ab iis petere: ſiquidem ipſis non viſum fuerit hoc tempore tale quid urgere & eccleſiis imponere. Neque enim ad eſſe vocationis & eccleſiæ, aut ad melius eſſe requiritur, nec ullâ ſpecie eſt neceſſarium; rebus in eccleſiâ & politiâ tranquillis.

Object. 1. Ipſo jure Magiſtratus, competit Principi, aut toparchæ, aut topico cuivis Magiſtratui ſpecialis illa notitia, & exſerta approbatio vocati ſeu electi miniſtri: Ergo talis explicita approbatio eſt neceſſaria, & neceſſariò, (quamvis nolit, aut negligat, aut non curet Magiſtratus) ei deferenda, ab eodem petenda atque exſpectanda. Ratio eſt; quia jus ſuum cuique tribuendum? *Reſp.*

1, Ad anteceden-, Ipſo jure competit hoc illis, non abſolutè; ſed occaſione, neceſſitate, bono publico ita ferente. Sicuti competit ipſis cui-

vis

vis ſubdito vitam, aut dignitates & munera, aut bona eripere, bona civium in fiſcum redigere; cubicula, menſas, convivia, libros rationum, arcas, ταμεῖα & thecas quaſvis, loculos, dolia, epiſtolas, arcanas quaſvis chartas per luſtrare, eaque omnia auferre, transferre, abolere, quædam etiam cum domino per manum carnificis flammis tradere; adhæc uxores & liberos civium dolentes inde dimittere, nolentes expellere, cum obſidione urbs cingitur; prohibere in caſu & ſtatu belli aliquarum mercium importationem, aliarum ut & nummorum exportationem; tempore belli civium, incolarum, peregrinorum tranſitum ex urbe in hoſticum, & ex hoſtico tranſitum in urbem prohibere. Eſt ergo jus hoc hypotheticum & particulare, non abſolutum & generale; quod ab omnibus, ubique & ſemper, abſque ullâ ratione & peculiari neceſſitate obſervandum & exercendum eſſet.

*Reſp.*2. Antecedente per diſtinctionem ſic explicato, corruit conſequentia. Si ergo jure ob neceſſitatem & præſentiſſima pericula, aliquem civem, aliquem peregrinum, extorrem, incertis ſedibus vagantem, etiam principem, fautorem, amicum hoſpitio arcenæ prohibent Magiſtratus: quis hinc inferat, Ergo ſemper, & utique, abſque ullâ neceſſitatis aut imminentis & intentati periculi ratione omnes peregrini, extorres (quamvis innocentes) ſunt prohibendi, ejiciendi; & ſi Magiſtratus hoc nollent aut ceſſarent, ſunt monendi & compellendi, ut hoc agant. Quia ſcil. jus ſuum unicuique tribuendum eſt.

Inſtantia. Si non repugnat juri divino & naturali jus illud Magiſtratus: Ergo jus illud circa vocationes miniſtrorum perpetuo exercere tenetur: & exercitium illud ab eccleſiis circa vocationem ſemper poſtulandum, & exſpectandum. *Reſp.* Neg. Conſequentia. Quia eſt hypotheticum jus, non abſolutum; hypothetica juris exercendi neceſſitas, non abſoluta. Uti Magiſtratus jus habet in ſubditos vitæ & necis; & poteſtatem ſubditum quemvis civem civitate, dignitate ſeu munere, aut bonis, aut etiam vitâ privandi (hypotheticè ſcil., ſeu poſitis ponendis): non tamen jus habet abſolutum; nec ſemper quemcunque civem, extra illam hypotheſim, bonis, aut vitâ privare poteſt, multò minus debet. Jus erat regis Salomonis, deportare Abjatharem in Anathot: ad quod neceſſario ſequebatur functionum Pontificalium ceſſatio 1 *Reg.*2. *v.*26. 27. Sed nec Salomon nec ullus Princeps aut Magiſtratus jus habet abſolutum, ſine causâ aut neceſſitate Abjatharem in inſulam aliquam deportandi, aut ex regno, regione, urbe pellendi. Ut propius ad noſtrum caſum accedamus, cum a. 1581. *Synodum Nationalem Middelburgi* celebraturæ eſſent Eccleſiæ Belgicæ; ob rationes illi tempori & rerum ſtatui convenientes, poſtulârunt ab Ill. Fœderati Belgii Ordinibus, ut aliquos ex ſuis, actionum ſynodalium ſpectatatores & teſtes fu-

Digitized by Google

futuros, deputarent. Sed cum deputatio illa non fieret, ſynodus nihilominus legitimè celebrata fuit. Neque enim Magiſtratus facit ſynodum, uti Canoniſtæ de Papa canunt, *ſynodumque facit generalem*. Quò magis abſurdum videri deberet, ſi ſynodus aliqua, legitimè congregata, unde uno ex politicis deputatis ante tempus exeunte, aut evocato, vel ſerius, ob impedimenta, adveniente, tantiſper, & quidem ſponte ſuâ ab omnibus ſynodalibus actionibus ceſſaret. Ill. Ordd. Belgii reſponſum eccleſiaſticis anno 1581. datum, vide in eximiâ ſynodi Hollandicæ Harlemenſis anno 1582. apologiâ contra Remonſtrantiam Senatus Leidenſis, anno 1660. Ultrajecti recusâ, apud Meinardum van Dreunen, Acad. Typographum.

2. *Object.* Conſuetudine, quaſi lege, jus hoc quæſitum eſt: ita ut juris exercitium eccleſiæ poſtulare, & Magiſtratus præſtare teneantur: & vocatio nulla ſit, abſque explicitâ tali approbatione, quæ ejus quaſi anima & forma. Jam vero forma dat eſſe rei? *Reſp.* 1. Neg. Tantam eſſe hujus explicitæ & ſpecialis approbationis neceſſitatem. Poteſt enim abeſſe aut adeſſe: ſicuti abfuit à vocationibus in eccleſiâ Apoſtolicâ, quæ tamen maximè erant ordinatæ & legitimæ. *Reſp.* 2. de Neg. Conſuetudinem jus fundare. Quod alibi ex profeſſo probatur in controverſiis Pontificiis. Chriſtus non dixit, *Ego ſum conſuetudo*: ſed, *ego ſum veritas* Joh. 14. Certe conſuetudinem & longioris temporis præſcriptionem allegare poſſet Papa in collatione Epiſcopatuum, aliorumque beneficiorum, in creandis Cardinalibus, in confirmatione epiſcoporum, in tribuendo (ſed mediantibus illis) pallio Archiepiſcopali, in recipiendis annatis, in largiendis indulgentiis, gratiis, diſpenſationibus.

3. *Object.* Si non eſt abſolutè neceſſaria talis ſpecialis approbatio, eſt ſaltem ad bene eſſe & ad abundantem cautelam: quia non tantum electus aut eligendus, ejuſque qualitates perſpiciuntur & examinantur à ſynedrio, & claſſe; ſed etiam à Magiſtratibus; quos credibile eſt minus affectibus indulgere, minus partibus ſtudere, minus hic facere cum inclinatione, minus decipi, minus decipi velle aut poſſe; quam electores eccleſiaſticos? *Reſp.* 1. Neg. Talem approbationem ad bene aut ad melius eſſe, ſive eccleſiæ ſive conſtitutionis miniſtrorum, per ſe quidquam facere. Quod ſi aliquando alicubi, ad abuſuum præventionem aut remotionem quid contulerit; hoc eſt per accidens. Similis eſt collectio illa alteri illi: Paſtores, epiſcopi aliique eccleſiaſtici ad regimen & juriſdictionem politicam, immo & ad belli, præſertim defenſivi, adminiſtrationem adhibiti, aliquando fidelitate, prudentiâ, fortitudine ſuâ abuſus & damna prævenerunt, aut removerunt, & bonum publicum eximiè promoverunt; præ aliis omnibus regni & regum

regum miniſtris, ne Magiſtratibus particularibus. Ergo ſaltem ad bene eſſe, & ad abundantem cautelam, paſtores aliique eccleſiaſtici, ad cauſas & negotia politica ac militaria ordinaria adhibendi ſunt; ut antecedenter, aut conſequenter, aut pariter cum aliis politicis & Magiſtratibus, de iis deliberent, ſtatuant eaque exequuntur. Ergo iiſdem eccleſiaſticis, (præteritis politicis) publici ſigilli, publici theſauri, ἀρχειοθεμείω, arcium & limitum regni aut regionis cuſtodia; adhæc cancellariæ, graphiariæ, copiarum militarium, claſſium, tribunalium, aggerum, ſylvarum, præfectura committendæ: quale quid aliquando obtinuiſſe novimus: & quod ad præfecturas, etiamnum obtinere velit, *Joh. Mariana lib. 1. de Rege cap.* 8. 10. quem hoc nomine, & militiam eccleſiaſticorum noto in *Deſper. causâ Papatus.*

Reſp. 2. Negamus rationem allatam; quod ſcil. dum vocandi miniſtri qualitates ſpecialiter perſpiciuntur & examinantur à Magiſtratu, hoc eſt, à principe, aut toparchâ, aut ſatrapa, aut conſulibus, certius ſperare poſſit præſtantiores & maximè ad orthodoxiæ, pietatis, eutaxiæ, & diſciplinæ eccleſiaſticæ promotionem idoneos, eſſe vocandos. Non dicam quid experientia docuerit; ſed principes, toparchas, ſatrapas, conſules non ſemper erga puritatem doctrinæ, erga zelum pietatis, erga regimen & eutaxiam eccleſiaſticam æque eſſe affectos, immo non paucos neutralitatem, aut Papiſmum, aut Remonſtrantiſmum, aut libertiniſmum, aut Epicuream irreligioſitatem fovere; aliquos etiam verbis & factis profiteri. Et dato, eos reformatam religionem profiteri, proque ejus amplexu, promotione, defenſione proteſtari: ſi facta poteſtationi adverſentur, quid juvabit nos illa proteſtatio? An non antiquum illud dicterium huc advocandum, de quorundam *ignavâ operâ & philoſophâ ſententiâ*? Quivis rerum & actionum humanarum non plane ignarus, perpendat, an plus damni emergentis hinc metuendum ſit, quam præſumti boni ſperandum. Quis negare poterit, majorem objici occaſionem diſſenſionum & contentionum, impediendæ & reprobandæ electionis (ut ut paribus ſynedrii ſuffragiis, & voto atque applauſu fidelium factæ), & repudiandi præſtantiſſimos quoſque; præſertim cum cogitant de promotione alterius, ſive ex conſanguineis, affinibus, amicis, neceſſariis ipſorum; ſive ipſis commendati à tali, cui nihil negare auſint; (quippe cujus commendare ſit mandare), aut qui per τὸ *da ut dem, fac ut faciam*, commendatur? Quid ſi, cum expreſſe electus proponitur, & electionis approbatio petitur, differant reſponſum; & poſt iteratas publicas in eccleſiâ preces ad Deum, poſt iteratas aut iteratam ſynedrii ſollicitationem, poſt extractum aliquod tempus, tandem reprobent; & ſimiliter duos, aut tres, aut plures ſucceſſive electos: an hâc toties abortivâ vocatione, ſollicitâ exſpectatione, indignâ digniſſimorum reprobatione, pacem

Digitized by Google

& ædificationem eccleſiæ putabimus promoveri ? Quid ſi approbatores, alicujus à ſe commendati ſibique ob cauſas grati, præteritionem vindicent repudio omnium aliorum vocatorum, omni alioquin exceptione majorum: ut ita ſynedrium ad abſurdum & ad deſperationem redactum, volens nolens dictum illum commendatum & approbatori gratum, aut ei ſimilem eligere cogatur.

Omnibus periculis, incommodis, & difficultatibus illis tam proclivis occaſio non datur, ubi ſpecialis illa electi approbatio, notificatio, petitio non viget: uti apud Magiſtratus infideles, Papiſtas, alioſque à profeſſione & eccleſiâ reformatorum alienos, ſupra notatos: quibus adde omnes noſtros reformatos Magiſtratus in Belgio, qui ſegreges cœtus Anabaptiſticos, Remonſtranticos, aliiſque ad notificationem vacantis miniſterii, licentiæ vocandi petitionem, vocati approbationem nunquam conſtrinxerunt.

Quin & Trajecti ad Moſam, ubi publicum Papiſmi exercitium obtinet, exſerte & ſpecialiter non approbant omnes & ſingulos ſacerdotes ac clericos aliunde adventantes, atque ibi ad tempus aut in perpetuum officiis divinis fungentes. Qui tamen imprimis Magiſtratui perſpecti & probati eſſe debebant: tum propter civitatis illius ſitum & conditionem, tum propter proditiones iſtic à Clericis fabricatas, tum propter perfidiæ, proditionis, conjurationis, perjurii dogmata, Papatui propria: de quibus in 2. *part. ſelect. diſpp. tit. de ſede Romanâ incompatibili*, &c.

Addo, quod magis mireris, Magiſtratus Remonſtantiſmo addictos Roterodami, Alckmariæ, Hornæ, &c. cum ſegreges reformatorum cœtus annis 1616. 1617. 1618. tolerarent, nunquam ſpecialem cognitionem & approbationem miniſtrorum, qui eò ad πρόσκαιρον aut perpetuam miniſterii functionem vocabantur, affectaſſe.

Eccleſiæ Zelandicæ ut ab oneroſo & periculoſo approbationis opere liberarentur, maluerunt ab ordine anni 1586. & jure plenæ electionis recedere; & deputatos aliquos Magiſtratus ad ſuffragia electionis cum ſynedrio admittere: uti patet ex *ordine* anno 1591. in *ſynodo Middelburgienſi* ſtabilito (*artic.* 3. & 4.), & ab Ill. Zelandiæ Ordinibus confirmato: qui etiamnum hodie in illâ provinciâ ſervatur. Ut videas, quodnam bene eſſe & melius eſſe in tali approbatione Zelandi viderint, ut maluerint ad illam & quamcunque aliam præcognitionem & præexamen nominatorum, & vocationis approbationem, quæ à Magiſtratu prætendi poſſunt, tanquam libertati vocationis nimis (uti putabant) præjudicantia, ſimul & ſemel declinanda; deputatorum Magiſtratus ſuffragia electiva admittere, & in collegio *qualificato* (uti appellant) totam vocationem abſolvere.

Hæc omnia cum dico, nolo ab ordine eccleſiaſtico conceſſa loco movere, in

in hâc aliiſque provinciis à ſupremis poteſtatibus approbatum: ſed ut hypotheſes & rationes illius ſtatuti de ſpeciali Magiſtratus topici approbatione aperirem atque unà oſtenderem, poſſe Magiſtratum abſque læſione conſcientiæ & poteſtatis ac juris ſui, talem approbationem, ubi ita viſum fuerit, non urgere, non exercere; uti eam non urget, non exercet in vocationibus Anabaptiſtarum, Remonſtrantium, &c.

Inſtantiis, exceptionibus, & objectionibus, quæ antehac à Remonſtrantibus, Eraſtianis, & *Apap* (Cæſareo Papatus) ædificatoribus factæ ſunt, & ſubinde à nonnullis recoquuntur, alibi reſponſum eſt.

Sunt autem iſtæ, Princeps aut Magiſtratus Chriſtianus, quà talis habet intrinſecam, directam, & immediatam poteſtatem eccleſiaſticam, ſub Chriſto & à Chriſto; & ſic immediatè ſubordinatus eſt Chriſto capiti eccleſiæ, & regi ſpirituali: habet ergo poteſtatem conſtituendi & deſtituendi miniſtros, & ſi quid poteſtatis concedit aut permittit ſynedriis, ſynodis, miniſtris eccleſiaſticis, hoc eſt, ex indulto, aut delegatione ipſius: Magiſtratus eſt nutritius eccleſiæ: Magiſtratus eſt cuſtos utriuſque tabulæ: eſt dominus eccleſiæ & eccleſiaſticorum; ergo ab illo in omnibus agendis, negotiis, cauſis eccleſiaſticis dependent: Perſolvit ſtipendia miniſtris, & expenſas omnes facit in exercitia, negotia, & agenda eccleſiaſtica: Diſtinguenda eſt eccleſia & religio, quę publica eſt, & publica tenet templa, publicis ſtipendiis fruitur, & quam probat ac ſuam facit Magiſtratus; à religione & eccleſià, extra quam ſe quęrit Magiſtratus, eamque ſolummodo permittit, quæque in locis ſeparatis (templis, ſacellis, domibus) ſeorſim convenit, & quidem propriis ſuis expenſis: Princeps aut Magiſtratus eſt principale membrum eccleſiæ; ergo ſi ſolus, non conſtituit miniſtros, ſaltem concurrit cum eccleſiaſticis & quidem principaliter ad electionem miniſtrorum. Hæc & ſimilia, ſupra *part. 1. lib. 1. & lib. 4.* profligata ſunt; & infra *tract. 2.* applicata ad vocationem miniſtrorum, partem aliquam denuo perſtringentur.

Approbatio vocati ſive proponentis ſive miniſtri, cui vocatio offertur, neceſſario præcedere debet *acceptionem* vocationis oblatæ, & iſta illam præſupponit, aut includit. Neque enim quis bonâ conſcientiâ vocationem acceptare & ſequi poteſt, niſi certus ſit de eadem legitimè & in domino factâ. Cum miniſtro vocato ad aliam eccleſiam, vocatio illa offertur, & ipſe ad ejuſdem acceptationem ſollicitatur, hęc ratio in acie collocatur, quod in domino & legitimè facta vocatio; conſequenter quod ſit à domino & divina. Vocatus etiam cum in vocationis illius acceptationem vocationis illius ſe inclinare coram ſynedrio & claſſe profitetur, eandem hanc rationem inter primas allegare ſolet. Eandem ſuggerit *liturgia noſtra tit. de confirmatione miniſtrorum,* §. 4.

Digitized by Google

ſtrorum, cum confirmandi miniſtri publicum coram eccleſiâ reſponſum petiit ad tres quæſtiones, quarum prima eſt: *Quæro ex te, an in corde tuo ſentias, te legitime ab eccleſiâ Dei, atque adeo ab ipſo Deo ad ſacrum hoc miniſterium eſſe vocatum?*

§. 5. *Approbatio* ſubſequens ejus eccleſię, unde miniſter vocatur, neceſſaria eſt, & præſupponitur aut includitur, legitimæ dimiſſioni; ſine quâ in miniſterio, ad quod vocatus eſt, confirmari nequit, nec eò ſe transferre, ad miniſterium ſuum legitimè capeſſendum & obeundum. Ordini, praxi eccleſiarum, ut & omni humanitati atque æquitati repugnare videtur; ſi quis inſtar profugi, transfugæ, deſertoris, abſque veniâ & honeſtâ eccleſiæ ſuę dimiſſione, ad alterius eccleſiæ miniſterium ſe conferat; nec extra omnem ἀταξίας culpam eſſe eccleſiam, quæ talem πρᾶξιν abſque ſuæ eccleſiæ teſtimonio & formali dimiſſione reciperet. Et certè, ſi quis miniſter tale quid auderet, cenſuram eccleſiaſticam non effugeret. Notum eſt deſertorem aliquem eccleſiæ, integro ſemeſtri à miniſterio ſynodaliter alicubi ſuſpenſum fuiſſe.

1. *Object.* Sunt ſæpe difficiles eccleſię, immo plane pertinaces, & quidem ſine ratione: Ergo. *Reſp.* Neg. conſequentia. Nemo debet tali in caſu judex eſſe in propriâ causâ: Sed ab ipſo, aut ab eccleſiâ vocante ad claſſes & ſynodos provocandum eſt; earumque judicio ſtandum: Hanc viam ſecuti ſunt pii & præſtantes miniſtri aliò vocati: uti conſtat ex actis ſynodalibus.

Inſtantia. Dum per dilatam dimiſſionem & provocationem illam tempus extrahitur, damnum patiuntur eccleſiæ vacantes, & vocantes. *Iſta* enim non fruuntur neceſſariâ iſtius miniſtri operâ; quamdiu defectus non ſuppletur. *Illa* parum fructus ex parum gratâ miniſtri (quod ad animum, ſtudium intentionem jam non amplius ſui) operâ.

Reſp. 1. Quamvis incommoda aliqua ordinem illum dimiſſionis ſubinde comitentur, ordo tamen ſervandus eſt. Sicuti nulla fere lex humana particularis & poſitiva eſt, quæ non dicatur aliquid habere iniqui, & hinc ſummum jus dicatur eſſe ſumma injuria: lex tamen, & jus & εὐταξία non eſt per impatientiam turbanda: ne tali currenti dicatur, quod Papæ alicui *Et tu nimium feſtinaſti*, &c.

Reſp. 2. Saltem qui deſerunt ſtationem ſuam abſque injuſſu & dimiſſione eccleſiæ, nec tamen legitima vocatio aliunde ipſis oblata eſt, ne quidem inchoata; his prætextibus nuditatem ſuam tegere nequeunt.

11. *Object.* Qui regis, regni, principis, regionis, Magiſtratus, eccleſiæ, privati alicujus munifici ἀναγέτω alumnus eſt; abſque dimiſſione eccleſiæ palam aut clam ad evocationem & juſſum Mecænatis ſeu nutritii illius ſe-

ſequi, & ſtationem deſerere tenetur. *Reſp.* Novum jus ſive canonicum ſive civile ſi qui ſub meninge ſuâ pingant & fingant, ferendum eſt; non tamen approbandum. *Ordo* noſter *artic.* 10. prohibet ſuſceptionem alterius miniſterii & deſertionem præſentis, ſine conſenſu & approbatione ſynedrii, diaconorum, exſeniorum, exdiaconorum, claſſis, Magiſtratus: itidem prohibet talem miniſtrum à vocante eccleſiâ recipi ante legitimi teſtimonii exhibitionem. Hic nulla alumni exceptio & exemtio comparet.

3. *Objeƈt.* Qui Eccleſiæ aut Magiſtratus alicujus, aut regionis, aut privati energitæ alumnus non fuit, ſed ſuis aut parentum ſumtibus curſum ſtudiorum abſolvit: is proprio ſuo, aut parentum arbitrio, præſens miniſterium & eccleſiam deſerere poteſt; quando ipſi & illis viſum fuerit. *Reſp.* Jus hoc ſive ſcriptum ſive non ſcriptum dicunt non probant. Ad λόγυς ergo & λέξεις relegandum. Sunt qui putant alumnos eccleſiarum aut Magiſtratuum in vocationibus ad eccleſias iſtius diſtrictus, aliis proponentibus, aut miniſtris non-alumnis eſſe præferendos (de quo caſu infra *tract.* 3.) Et quid ſi illi pariter dicant, alumnis potius concedendum, ut pro arbitrio deſerant miniſterium & eccleſiam abſque dimiſſione: imprimis ſi ad illam eccleſiam vocentur, quæ, aut cujus diaconi, aut ædiles, aut orphanotropheia, aut Magiſtratus in ſtudiis ipſos aluerint. Quantum eſt in rebus inane! Sed de hoc infra *tr.* 3.

CAP. VI.

De vocatione in Eccleſiis reformatis, & primorum reformatorum.

De duobus hic quæri poteſt.
I. De legitimâ vocatione in primâ reformatione.
II. De eâdem uſque in hunc diem continuatâ & propagatâ.

VT priorem quæſtionem expediamus, præcognoſcendi ſunt iſti termini, 1. *Reformatio.* 2. *Primus reformator.* 3. *Vocatio*, quorum ambiguitate expoſitâ, & ſtatu controverſiæ dextrè conſtituto, illico omnem ſcenam ſublatam, omnem hiſtrioniæ Pontificiæ leporem periiſſe videbunt, quotquot præjudiciis excœcari nolunt. §. 1.

Ac Primò. Reformatio, aliquando prædicatur de doƈtrinâ, aliquando de Eccleſiâ. *Reformatio doƈtrinæ* eſt, cum commentis & erroribus humanis (qui unâ cum doƈtrinâ aut loco ipſius doƈtrinæ tradi ſolent) deteƈtis & rejeƈtis, genuina puræ doƈtrinę forma denuo producitur & exhibetur; idque vivâ voce aut ſcriptis, privatim, aut publicè, coram Eccleſiis, Clericis, Magiſtratibus, toto mundo.

Digitized by Google

Reformatio Eccleſiæ eſt cum miſſis ac remotis erroribus & abuſibus, etiam perſonis nonnullis ἀπίκτως (cum opus eſt) mutata eccleſiaſtici cultus forma & facies in Eccleſiam introducitur: atque adeo ipſa ſpecies & forma corporis ſeu cœtus eccleſiaſtici aliquo modo mutatur; nonnunquam etiam ipſum corpus ſeu materia cœtus eccleſiaſtici, cum membra ſingula propter corruptionem & confuſionem de novo colligenda aut ſaltem recenſenda & delectus eorum habendus eſt.

Reformatio Eccleſię duobus modis intelligi poteſt, vel ut notet actum pręparatorium, vel ut conſummatorium; quorum ille inchoans eſt, iste perficiens, prior ad poſteriorem ordinatur, poſterior priorem præſupponit & includit; ſicuti rationale τὸ ſenſitivum, ternarius binarium, fides juſtificans cognitionem, generatio phyſica præparatorias diſpoſitiones, Conſtitutio & inſtauratio collapſę Reipublicæ, petitiones bonorum civium & monita aut conſilia prudentum.

Prior actus eſt, quando quis deprehenſa & detecta deformatione, votis, poſtulatis, monitis, obteſtationibus, conſiliis, clamoribus, quâ publicè, quâ privatim, quâ voce quâ ſcripto reformationem quantum in ſe eſt caritativè promovet, ut æternum ac temporale exitium ab eccleſia & proximo ſuo avertat, conſcientiæ ſuæ & nominis divini gloriæ conſulat.

Poſterior actus eſt, cum quis ipſo facto cultus publici atque adeo ipſius Eccleſiæ formam, aut etiam corpus authoritativé mutat, fingit, atque refingit, donec illud tradat in τύπον διδαχῆς, ut loquitur Apoſtolus *Rom.* 6. Si priori modo intelligas reformationem Eccleſiæ, jam coincidit cum reformatione doctrinæ, & nulli fidelium non competit: ſin poſteriori modo, jam ab eâ differt, & formaliter ac propriè reformatio dicenda eſt, ac authoritatem communitatis ſeu poteſtatem eccleſiaſticam requirit, nec promiſcuè omnibus aut privato alicui illa competit.

Secundo, Reformator primus dicitur vel latè quicunque fidelis, qui priori modo reformavit caritativè: vel ſtrictè ac propriè quicunque Eccleſiæ miniſter qui etiam poſteriori modo reformavit autoritativè. Poſterior acceptio in hac controverſiâ potiſſimùm ſpectatur. Eſt autem talis Reformator, qui primus ſuam Eccleſiam deinde & alias vel voce vel ſcripto de abuſibus monuit & reformationem commendavit; etiam ſuam (non alias quaſvis) habito conſenſu & authoritate communitatis, hoc eſt, poteſtate publica ſeu eccleſiaſtica, ipſo facto pro parte ſua reformavit, & ex deformatione Papiſticâ in formam meliorem traduxit. Inter Reformatores illos primos ſunt nonnulli primo primi qui in ſuis Eccleſiis primi ſignum extulere, quales ex. gr. *Lutherus*, *Zwinglius*, &c. Quorum exemplo alii in ſuis quidem Eccleſiis primi fuerunt, quamvis Luthero, & Zwinglio tempore poſteriores, qua-

quales ex. gr. Reformatores in Germania Archiepiſcopus Colonienſis. Epiſcopus Magdeburgenſis, &c. præterea in Gallia, Anglia, Dania, Suecia, &c. de quibus in noſtra *Deſper. Cauſa Papatus lib. 2. ſect. 1. c. 2.*

Vocatio Eccleſiaſtica ſeu *Miſſio* eſt vel ordinaria vel extraordinaria: hæc rurſum vel immediata vel mediata. Immediata fuit Moſis, Apoſtolorum, & plurimorum Prophetarum. Mediata fuit Aaronis per Moſen, Elizæi per Eliam, Euangeliſtarum Timothei, Titi, & ſimilium per Apoſtolos. Ordinaria, eſt quæ mediatè fit per vocem Eccleſiæ & eorum qui ab eccleſiâ & in eccleſiâ ad hoc ſunt conſtituti. Eſt autem hæc vel integra vel mutila, incorrupta vel corrupta. Hæc eſt, quando eſſentia & ratio vocationis eccleſiaſticæ non plane ſublata eſt (alioqui nulla omnino eſt vocatio) ſed tamen adhærente corruptione, mutilatione, ἀταξίᾳ ita fœdata, idque per malam conſuetudinem quæ in eccleſiam irrepſit & vicem legis tunc obtinet, aut per factionem malignantium aut aliud quodcunque hominum vitium; ut malum ſit permixtum bono, & duo diſtinctè in tali vocatione conſiderari debeant, id quod eſt à Chriſto ejuſque inſtitutione & ab Eccleſiâ Chriſtianâ quâ tali, & id quod eſt à vitio hominum.

Ordinatio, notat vel præparatoriam declárationem vel peremptoriam. *Illa* non eſt vocatio ad curam & ἐπισκοπὴν Eccleſiæ, ſeu ad munus paſtorale propriè, ſed tantum declaratio & teſtificatio publica à collegio Eccleſiaſtico aut ſcholaſtico facta, perſonam eſſe habilem, atque adeo tuto eam Eccleſiis ad vocationem offerri ac commendari poſſe, etiam ad ſpecimina & exercitia concionum ſive publicè, ſive privato publicè admitti. Quales ordinatos apud nos vocamus Proponentes, miniſterii candidatos. Alibi vocant diaconos: ubi habent poteſtatem publicam prædicandi, & ſacramenta adminiſtrandi, & ſunt ordinarii paſtorum ſubſidiarii ac coadjutores. De quibus *Zepperus Polit. Eccleſiaſt. lib. 2. c. 6.* Tales ferè erant diaconi illi, quorum meminit *Concil. Nicen. can. 18.* *Iſta* eſt publica coram Eccleſiâ Electionis ſeu vocationis eccleſiaſticę declaratio, & pręmiſſis ſtipulationibus ratihabitio, ac confirmatio, atque adeo ſolennis electi paſtoris in Eccleſiam & miniſterium ſuum introductio: de qua infra. Quare ab ipſâ vocatione ſeu electione differt.

His ita præcognitis, duo ſtatuimus de vocatione primorum Reformatorum. 1. Eos habuiſſe vocationem ordinariam, cum inciperent reformare. 2. Eos eandem retinuiſſe, immo & fortius habuiſſe cum jam reformarent aut reformaſſent. Prius membrum iſtis concluſionibus ita explicamus. §. 2.

Prima concluſio eſt: Primi Eccleſiaſtici reformatores quorum quidem Reformatio in Occidente pertenderet (nam etiam ante reformârant Wal-

Waldenſes, *Wicleſus*, *Huſſus*, &c.) non fuerunt ſolus *Zwinglius*, aut *Lutherus*, quamvis eſſent inter primos primò primi, qui tanquam claſſico & ſigno dato alios excitarunt & monitione, conſilio, exemplo ſuo iis præluxerunt: nedum, ut fuiſſent Reformatores Generales ſeu Univerſales, qui omnium Eccleſiarum curam & regimen ſuſcepiſſent, & actum reformationis propriè ita dictæ alibi quam in ſuis quique eccleſiis exercuiſſent. *Deſper. Cauſ. lib.* 2. *ſect.* 2. *c.* 9.

Secunda. Vocationem ergo ad priorem illum actum, quem reformationis præambulum & præparatorium appellamus, habuerunt illi ut Chriſtiani cum omnibus fidelibus communem; fatentibus ipſis adverſariis, de quo in *Deſper. Cauſ. Papatus lib.* 2 *ſect.* 2. *c.* 18. & 11.

Tertia, vocationem ad ordinarium miniſterium habuerunt omnes primi reformatores, quippe Archiepiſcopi, Epiſcopi, Paſtores, preſbyteri, & hoc fatentur adverſarii, ut oſtendimus ibid. *lib.* 2. *ſect.* 1. *c.* 2. 7.

Quarta, Ordinariam vocationem habuerunt, ut hoc facerent quod fecerunt, hoc eſt, ad reformationem Eccleſiæ quique ſuæ, ſeu ad munus & poteſtatem reformandi; quia erant vocati ad miniſterium. Poteſtas autem miniſterii duos actus complectitur, quorum prior eſt abſolutus & perpetuus, alter hypotheticus & certo caſu requiſitus. *Abſolutus actus* eſt, doctrinâ ſecundum pietatem & exemplo eccleſiam ſuam paſcere. *Hypotheticus actus* eſt in caſu ſeductionis à ſeductoribus illam aut aliquos in illa Eccleſiâ abducere, in caſu deformationis doctrinæ & morum ad emendationem eoſdem adducere quâ publicè quâ privatim, verbo, exemplo, ſubſidio, opere, diſciplinâ, ut conſtat ex 2 *Tim.* 3. *v.* 16. 17. & 4. *v.* 2. 1 *Theſſ.* 5. *v.* 14. *Nazianzeni Apologetico*, *Gregorii Magni Paſtorali*, aliiſque qui officium miniſtri deſcripſere. Vid. *Deſp. cauſ. lib.* 2. *ſect.* 2. *cap.* 11. & 18.

Quinta, Quamvis autem ad reformationis formam introducendam ex præſcripto miniſterii, ad quod ordinariò erant vocati, tenerentur; non tamen ſoli emendatione illâ privatim publicèque perſuaſâ introductâ formam & ſpeciem, aut etiam ipſum corpus Eccleſiæ ſuæ mutârunt, ſed communi conſenſu & authoritate illius Eccleſiæ, ſaltem potioris ejus partis. Ita ut nulla fuerit reformatio publica, quæ non habuerit ſuffragium Eccleſiæ Nationalis, aut Provincialis ſeu Diœceſianæ, aut Parochialis, aut Epiſcoporum, aut Paſtorum cum Magiſtratu & plebe, aut omnium ſimul; quod docent Reformationes in Germaniâ, Helvetiâ, Genevenſi Republ. Dania, Suecia, Anglia.

Sexta, Vocatio autem iſtorum nullo modo erat immediata, ſed mediata; manebat etiam in ſe & ſua natura ordinaria, quamvis per externam denominationem ab extraordinario & inſolenti tunc opere miniſterii extra-

ordinariam illam aliquo modo dici poſſe concedamus. Extraordinarium dicimus opus miniſterii fuiſſe, partim quia inſolens tunc erat in illa particulari Eccleſia aut aliis Occidentalibus, prædicari & Eccleſiam paſci abſque conſuetis Antichriſtianiſmi ſeu Papiſmi corruptelis; partim quia hypotheticum illud opus emendationis Eccleſiaſtici extraordinario zelo, labore, & fortitudine erat peragendum: ita ut etiam extraordinaria Spir. S. gratia (quod ad gradum ſcilicet & menſuram) illos inſtrui & confirmari neceſſe fuerit; partim quia totum illud opus ordini papiſmi inordinato, & ordinatorum omnium irreformabilium intentioni directè repugnabat; quamvis optimè cum Inſtitutione Chriſti, cum ipſo ordine miniſterii, cum voto & intentione Eccleſiæ (in qua & cui ordinati erant) jam reformandæ & reformatæ, alicubi etiam cum intentione Ordinatorum quorundam conveniret *Deſper. Cauſ. lib. 2. ſect. 2. cap. 10. 24.*

Septima, Reformatio tentata in Hiſpania & Italia, & clanculum inchoata in Gallia & Belgio, habuit miniſtros ordinariò vocatos & ad opus illud ſufficienter inſtructos. Quamvis enim omnes circumſtantiæ & ſolemnitates (non quidem divino jure requiſitæ, ſed facto & conſuetudine tunc uſitatæ) ad eam in Galliâ & Belgio non concurrerint, æquè ac in Germania, Helvetia, Anglia, &c. fuit tamen ordinaria vocatio Reformatorum ad tale opus: erant enim Epiſcopi, Curati, Presbyteri. Addimus ex ſuperabundanti, ne quidem ipſi proceſſui Reformationis ullam conditionem requiſitam defuiſſe. Habet enim quilibet Eccleſiæ paſtor & quælibet Eccleſia poteſtatem reformandi ſe, hoc eſt abuſus ſuos in doctrinâ aut moribus emendandi, non exſpectata in tali neceſſitatis & corruptionis caſu aliarum eccleſiarum, nedum omnium Occidentalium, ſententiâ, mandato, exemplo. *Deinde*, erat hæc reformatio primum privata ſaltem & clandeſtina. *Tum*, in Galliâ & Belgio acceſſit autoritas poſtea plurium Eccleſiarum ex corruptione & diſperſione illa collectarum, nec defuit populorum, Regum, Principum, Magiſtratuum protectio. *Poſtremo*, accedebant ſuffragia omnium Eccleſiarum in Occidente, quæ à Papali tyrannide jam priores liberatæ erant. *Deſper. Cauſ. Pap. lib. 2. ſect. 1. cap. 5. & ſect. 2. c. 13. 19. 22.*

2. Reſtat nunc videamus, Primos Reformatores poſt inchoatum opus reformationis nec jure excidiſſe vocatione ſuâ, nec eam fuiſſe per alios ablatam, ut adverſarii volunt.

1. Ratio hæc eſt, quia ipſi ſe non abdicarunt tanquam *αὐτοκατάκριτοι*, nec removerunt eos Eccleſiæ illorum, nec Papa, quamvis adverſus Lutherum quid tentârit, quidquam effecit ſive facto ſive jure. Erant enim excommunicationes nullæ, idque per omnes conditiones. Quia deerat & tunc & poſtea, & etiamnum hodie deeſt legitimus judex, legitimus

procedendi modus, & legitima cauſa, ut oſtendimus in *Deſper. Cauſ. Papatus lib. 2. ſect. 1. cap. 3. 4. & ſect. 2. cap. 15.* Quidquid ſit, exceptio hæc adverſariorum de excommunicatione nihil dicit contra eorum vocationem, ſed tantum contra abuſum vocationis, quem illi adfuiſſe prætendunt; quod ſcil. docuerint hæreſes. Ad quam controverſiam ubi ventum fuerit, habemus quod volumus; & evanuit omnis præjudicii fumus, quo adverſarii ſe ſolent involvere, ut tam periculoſæ diſquiſitionis aleæ deſperatam ſuam cauſam ſubducant.

§. 3. Alterum diaſcepſeos membrum erat de Vocatione legitimâ eorum, qui primis Reformatoribus ſucceſſerunt. Deeſſe ipſis vocationem clamant adverſarii, tum quia patres & præceſſores eorum fuerunt excommunicati, tum etiam quia non habent ordinationem ab Epiſcopis. Poſterius illud, in quo ſerio videntur triumphaſſe, ſatis excuſſimus in *Deſper. Cauſ. lib. 2. ſect. 1. cap. 9. & ſect. 2. c. 12.* profligatis omnibus falſis hypotheſibus, inter quas palmaria erat: *electionem non tribuere miniſterium ſed Ordinationem.* Nihil nunc addam iis quæ fusè ibi dicta ſunt, niſi hoc unum, Familiare eſſe ſæcularibus Principibus, aut nobilibus in Germaniâ abſque ullâ ordinatione eccleſiaſticâ aut ſacramentali adire Epiſcopatus & ſic eccleſiaſticam uſurpare poteſtatem, ut ſcil. maneant in ſæculo, & ab indelebili ordinis charactere immunes ſint. Ita anno 1602. Bambergenſi epiſcopatui præfuiſſe *Johannem Philippum* electum & confirmatum, conſtat ex dedicatione præmiſsâ *Theologiæ morali Azorii.* Ita etiam hodiernus Archiepiſcopus Colonienſis, Epiſcopus Leodienſis, Monaſterienſis, &c. omnem Epiſcopalem autoritatem deformandi & proculcandi Eccleſias ſibi 22. (ſic ſcribebam anno 1637.) annis uſurpavit, abſque ulla ordinatione, aut ordinum eccleſiaſticorum ſuſceptione, ſolo titulo *Electionis & confirmationis* ſuæ contentus. Quod cum quis ex reformatis publico ſcripto anno 1635. objeciſſet, à Pontificio quo reſponſum in libello Leodii tunc excuſo, tit. *La Chandelle Eſteinte*, &c. *par le Sieur Theodosè Tranquille* cap. 11. Omnem poteſtatem Eccleſiaſticam (excepta ſacrificandi & ſacramenta adminiſtrandi) poſſe communicari à ſuperiore legitimo, quamvis quis ordines non ſuſceperit, idque ſecundum communem Catholicorum doctrinam. Quis hæc conciliabit cum dictatis antagoniſtæ mei *Corn. Janſenii*, *de quaſt. in Deſper. cauſa Papatus loc.* modo cit. excuſſis.

Breviter, ſi ordinatio idem notet, quod conſtitutio alicujus in miniſterio hujus eccleſiæ, aut ſeparatio & conſecratio ad miniſterium iſtius eccleſiæ, aut applicatio ad miniſterium certæ alicujus eccleſiæ, tum coincidit cum vocatione.

Sin vero notet, confirmationem (uti noſtri appellant) hoc eſt, publi-

blicam declarationem, præſentationem, propoſitionem, & introductionem electi ſeu vocati in eccleſiæ iſtius miniſterium, cum concione monitoriâ, & benedictione votivâ (hoc eſt, cum precibus, & benedictionis divinæ apprecatione): illa non eſt vocatio; ſed eſſentialiter ſeu formaliter differt à vocatione, nec fundat aut facit miniſterium, ſeu eccleſiæ iſtius miniſtrum: ſicuti coronatio non facit regem, ſed declarat, quæ ideo etiam adeſſe aut abeſſe poteſt: uti oſtendi in *Deſper. causâ Papatus*: & talis ordinatio noſtris minimè deeſt, quamvis deſint epiſcopi ordinatores. Immo in quibuſdam eccleſiis ab initio reformationis per multos annos uſitata non fuit talis confirmatio & introductio; ſiquidem miniſter aliunde vocaretur. Sed ſi per ordinationem intelligitur eccleſiæ, aut eorum qui ab eccleſiâ ad id conſtituti ſunt, declaratio & teſtimonium de aptitudine alicujus ad miniſterium, quâ conſtituitur vocabilis ſeu eligibilis ad miniſterium, illa non eſt neceſſaria & legitima vocatio, electio, ſeparatio, conſecratio, ad alicujus particularis eccleſiæ miniſterium aut *ἐπισκοπὴν*. Non eſt fundamentum relationis muneris ſcil. paſtoralis, quo poſito ponitur: ſicuti præambula ad electionem regis, non conſtituunt regem aut principem in regno electivo, ſed ſola electio; & ſicuti promotio Academica licentiati aut Doctoris juris, quę prærequiritur ad munus ſyndici, ſeu penſionarii, ſecretarii, ſenatoris in ſuperiori aut ſupremâ curiâ, &c. non conſtituit aut facit aliquem hujus urbis penſionarium, aut hujus curiæ ſenatorem. Confer quæ in *Deſperatâ Causâ Papatus lib. 2. ſect. 1. c. 9. & ſect. 2. c. 12.* contra ordinationis epiſcopalis neceſſitatem, ut & contra miſſionis, ab Ordinatione & electione, ſecundum Papiſtas, diſtinctæ, neceſſitatem, à nobis diſputata ſunt. De impoſitione manus, cui tanquam ſacramento aut ſacramentali tantum tribuunt Pontificii, nos ſupra *part. 1. lib. 2.*

LIB. III. TRACT. II.

DE

OPPOSITIS VOCATIONIS.

Oppoſita legitimæ vocationis primaria ſunt.

1. Jus Patronatus.
2. Vocatio & conſtitutio miniſtrorum per alios quoſcunque qui non ſunt eccleſia, aut ab eccleſia ad id conſtituti.
3. Ingreſſus ſpontaneus ſeu intruſio & uſurpatio miniſterii abſque ullâ vocatione.

Digitized by Google

CAP. I.

Hiſtoria Juris Patronatus.

§. 1. IN diatribâ de jure patronatus explicabimus.
1. Ejus hiſtoriam.
2. Ejuſdem improbationem.
3. Rationes improbationis generales.
4. Rationes ſpeciales.
5. Reſponſiones ad objectiones & exceptiones.
6. Caſuum & quæſtionum quarundam deciſionem.

Hiſtoria continet deſcriptionem. 1. Quod ſit. 2. Quid nominis, quid rei. 3 Originem. 4. Fundamentum. 5. Subjectum. 6. Partes. 7. Adjuncta, propria & requiſita.

Sequioribus ſæculis creſcente amplitudine & pace eccleſiæ, decreſcente primęva ſimplicitate, officiiſque eccleſiaſticis in beneficia & typhum ſæculi degenerantibus; cœptum eſt contendi de jure electionum & vocationum: Dum enim epiſcopi (inter quos eminebat prædo Romanus cum rivali & ęmulo Conſtantinopolitano) potentiam regum, imperatorum, magnatum quique ſuis partibus exambiunt, prout rebus ſuis convenire putabant: non ſegniter ſæculares fimbriis ſuis dilatandis incumbunt, & prætextu libertatis eccleſiaſticæ, quam Hierarchici depaſcebant, ſpolia clericorum viciſſim ſpoliant, & jure quaſi belli ac talionis in eccleſiaſtica involant: Deo ſcil. juſtiſſimo judicio pyraticam hierarchico-clericalem, quâ eccleſiis eccleſiaſtica, politicis politica jura ereptum ibant, per aliam quandam, non meliorem, pyraticam puniente. Hinc videas Reges & Principes quoſdam non aliquam commendationem, non approbationem, non Patrocinium; ſed electionem, inveſtituram, collationem, dationem, (& quid non?) tanquam partem ſuę Majeſtatis ſibi vindicare; Electioni ex parte cleri & populi vix locum relinqui, immo tandem penitus tolli. De quo *Fileſacus lib. de ſacrâ Epiſcop. autorit. pag.* 74. 75. Tragœdias in orbe Chriſtiano pro auro hoc Tholoſano, quod nunquam non utrimque proprios dominos perdidit, excitatas exhibent Hiſtoriæ, & ex iis *Centuriatores Magdeburg. Baronii annales*, *Pleſſæi Myſterium Iniquit.* Sed animus nunc non eſt de jure illo principum & Magiſtratuum deſceptare: quamvis interim negandum non ſit ex turbato illo ac collapſo Chriſtianiſmi ſtatu, omniumque rerum horrendâ confuſione, non eſſe petendum ſimplicem & ſpiritualem ordinem, quem Deus in rebus Eccleſiæ ſervari voluit. Evenit enim illi bello Papali & epiſcopali, quod plerumque omnibus aliis, ut de-

defenſivum mutatum tandem fuerit in offenſivum. Cum enim intolerandâ ſuperbiâ Papę & Pſeudoclerici violarent jura principum; hi non tantum ſua defenderunt, ſed & Clericalia partim ex Eccleſiarum ſpoliis partim ex veſtigiis antiquæ & debitæ poteſtatis male conflata, ſive directè ſive per diverſionem petierunt, nonnunquam & plane abſtulerunt. Suffecerit nunc pręmonuiſſe, quidquid Reges & Principes ex vi ſupremæ poteſtatis ſuę ſibi tribuerint, longè aliud Jus fuiſſe, quam vulgare *jus Patronatus*.

Appellant enim Jus illud ſuum, Jus Regium Apud *Goldaſtum tom. 3. conſtit. p.* 411. Richard. III. Rex Angliæ in reſcripto anno 1344. *Quas quidem Eccleſias dicti regni progenitores dudum in ſingulis nationibus eorundem, perſonis idoneis jure ſuo regio liberè conferebant, & poſtmodum ad rogandum ad inſtantiam ſanctæ ſedis ſub certis modis & conditionibus concesſerunt, quod electiones fierent in dictis eccleſiis* (cathedralibus ſcil.) *per capitula eorundem.* Paulo poſt eodem artic. ſubjicit: *quod lex in conceſſione poſita non ſervatur, conceſſione reſolvitur & ſtatum revertitur in primævum.* Vult autem conceſſas fuiſſe olim electiones ſub *hâc formâ & conditione, ut eligendi venia, à regia peteretur, & poſt electionem regius aſſenſus adhiberetur, quæ conditiones cum minimè obſervatæ fuiſſent, rem redirè debuiſſe ad primam inſtitutionem.* Plura ex ſtatutis & antiquitatibus Anglicanis pro jure Regio contra uſurpationem Papæ diligenter annota vide apud *Henric. Salcobrigienſem in Becano baculo ad cap.* 6. ubi *pag.* 147. præter præſentationem ad beneficia Regi & ſubditis communem, memorat *Inveſtituram & electionem regiam Epiſcoporum*, & pag. 144. Regem jam ante tempora reformationis potuiſſe alicui Clerico *epiſcopalem juriſdictionem concedere.* pag. 149. Ajuntque ſe illud habere *non tanquam ſolum & ſimplex Jus patronatus, nec ex ſola Juris canonici conceſſione, ſed potiſſimum ex ipſomet jure Regali, & ſic ex jure naturali*: ſic de & pro Hiſpaniarum Rege ejus conſiliarius *Ferdin. Vaſquez lib. 2. contr. illuſtr. cap.* 91. & *Petrus à Navarra Theologus* Hiſpanus (cujus autoris tract. de Ablatorum reſtitutione *lib.* 2. *ſect.* 2. *cap.* 12. citavimus in *Deſp. Cauſ. Papatus l.* 2. *ſect.* 2. *cap.* 12.) *Nam cum olim populus eligeret & clerus, conveniens erat ne extraneus quæreretur*, &c. *nunc autem rex eligit, atque ita ex proprio regno repræſentat.* Fileſacus tract. de Autoritate Epiſcoporum, pag. 67. 77. non ſine indignatione Jus illud referens. *Imperatorem aliquando habuiſſe utrumque gladium temporalem & ſpiritualem, & contuliſſe omnia beneficia eccleſiaſtica, etiam elegiſſe Papam.* Sic *Petrus de Ferrarâ.* Confer. *Goldaſti Conſtitutiones* & *Replicam pro Imperio cap.* 13. & *tract. Waltrami Namburg. Epiſc.* Et *Gotfridi Abbatis Vindocin. de Inveſtiturâ*; ab eodem *Goldaſto* editos. In Galliâ Reges *Jure Regio* (ut loquitur *Gentilletus I. C. In examine Concil. Trident. lib.* 3. *ſeſſ.* 14.) minora beneficia

 pro

Digitized by Google

pro libitu ſuo abſolutè conferunt, ita ut bullæ aut proviſiones Papales aut Epiſcopales nullæ requirantur. Quamvis *Fileſacus* & Jeſuita *Azorius* loc. infra cit. immo & ipſe *Gentiletus* Regi Jus patronatus etiam tribuant. Et *Richardus Reſcript.* cit. Jus illud Regium, vocet *Jus Patronatus.* Sed hæc cum diſtinctione aut ſynechdochicè accipienda eſſe colliges ex Servino mox citando: Ita ut patronatum habuerint reſpectu quorundam actuum; & tamen plus quam patronatum, hoc eſt, Jus ſacrum regium reſpectu aliorum actuum. In Prælatis ſæcularibus & regularibus eligendis illum à Leone X. mercatum eſſe Jus abſolutum, conſtat ex *Servino p.* 274. & graviſſimè de eo conqueritur Thuanus hiſtor. lib. 1. *Tanquam pignore novam ſœderationem obſignabat* (Leo X.) *ut ſublatâ veteris Eccleſiæ à Deo & Apoſtolis miniſtros eligendi inſtitutâ conſuetudine jus eſſet regi, quos vellet per Oratores ſuos apud Pontificem proponere, & eos in Epiſcopos,* &c. *diplomate ſuo creare Pontifex obligaretur,* &c. *Ut eligendi poteſtatem iis ad quos jure Divino & ſacris patrum decretis pertinet, ademptum ad ſe ſummâ injuſtitiâ traxerit, ut eam pretio accepto & cauſâ religionis impiâ prævaricatione proditâ Chriſtiani orbis Principibus turpiter divenderet.* Imperatores Græcorum fuiſſe quaſi Papas, & omnem poteſtatem Eccleſiaſticam ab eſurientibus Græculis in ipſos tranſlatam colligimus ex *Juris Græco-Romani lib.* 5. ubi *Demetrius Chomatenus* Archiep. Bulgarię omnia pontificalia privilegia illi tribuit, excepto officio ſacrificandi; idem ante ipſum fecerat *Balſamo Patriarcha Antiochenus, in can.* 69. *Concil. Trullani*; unde & *Sancti* titulo eum ſalutari teſtatur ad *c.* 4. & 12. *Concil. Niceni.* 2. & ordinem eccleſiaſticum, qui ipſius ſit, eum ſervare ſcribit *Codinus Curopalates*, mihi *pag.* 193. Vide *Fileſacum* graviter Græcos hoc nomine perſtringentem *ſol.* 78. 79. 80. Sed ſoli Græci hæc non egerunt & olim & etiamnum hodie ἕως περισβῶν, immo forte longè majora à Gallis tribui Regibus ſuis fidem faciet nuperum illud ſcriptum quaſi publicum cui tit. *Vindiciæ Gallicæ adverſus* Alexand. Patricium Armachanum c. 2. *Ita Reges Chriſtianiſſimi vi ac poteſtate ſuæ inunctionis, præcelſius aliquid divinaque menti propius præ ſe ferentes, in ſacros homines evadunt: & quandam ſacerdotalem dignitatem cum regiâ majeſtate conjungunt. Nam & ad otioſas & vacantes Eccleſiæ præfecturas eximio nominandi jure nituntur, & ſacerdotia elargiuntur, & interdum poſitis regiis inſignibus Auguſtos faſces religioni ſubmittunt; atque lineum ſupparum induti, divini cultus obeunt miniſterium, ipſaque regia vox una cum voce filiorum Chore & Idithun, hoc eſt cum cantoribus miſcetur: ſiquidem in Andium æde ſummâ, Cæmanorum & Martini Turonenſis Canonicorum numero accenſentur & adſcribuntur: idque profecto pellucens quædam commiſſura eſt, alteque adhuc impreſſum* (N. B.) *divulſi à regno ſacerdotii veſtigium, cum nimirum*

rum olim litui ſceptris, Tiaræ diadematis, Hieratica ſtola trabeis commiſcerentur, eſſetque.

Rex Anius, rex idem hominum, Phœbique ſacerdos.

Vide plura apud *Ludov. Servinum* advocatum Regium *in tract.* edito anno 1593. cui tit. *Vindiciæ ſecundum Libertatem Eccleſiæ Gallicanæ*, & Regii ſtatus Gallo-Francorum pag. 304. *Cum enim ſacerdotalem & regiam dignitatem Deus è cœlo conſtituerit, Regiæ id tribuit, ut rex ea habeat quæ ad eccleſiæ gubernationem & adminiſtrationem ſpectant, ſpirituali tantum ordinatione & manus impoſitione exceptâ. Unde in quibuſdam hujus regni eccleſiis ipſe abbas eſt, ut in Eccleſiâ B. Martini Turonenſis, in quâ juramentum præſtat cum recipitur in Abbatem & Canonicum*, &c. *Sic eſt Eccleſiæ D. Hilarii Pictavienſis canonicus, & aliarum multarum*, &c. *Hæc ſunt Regis Franciæ jura, quæ ſacroſancta & inviolata à nobis habenda ſunt.* pag. 274. *Poſtea quam Franci in Galliis regnaverunt, & Clodoveus religionem Chriſtianam profeſſus eccleſiæ Gallicanæ curam habere cœpit, per multos annos Epiſcopatus à Regibus dati ſunt, ſolâ manuum impoſitione & presbyterorum ordinatione penes Epiſcopos manente, quos eligi à plebe & clero, dein à clero tantum reges permiſerunt, & eorum precibus aliqui electi.* Ibidem paulo poſt Jus regium à patronatu exſertè diſtinguit: *Præterea in quibuſdam beneficiis jus conferendi habuerunt, quod & hodie ad regem pertinet, ut & præſentandi pro jucundo adventu, ratione juris patronatus.* Pag. 300. docet præter nominationem ex indulto Leonis X. regibus Franciſco I. & Henrico II. conceſſam, etiam regibus ſuis competere antiqua jura regaliorum (quæ qualia ſint ibidem exponit) adhæc jura nominandi & præſentandi ad primam prębendam vacaturam in omnibus eccleſiis cathedralibus & collegiatis pro jucundo adventu.

Apud nos graſſante factione Remonſtrantica nonnemo ex ſociis imperitè & indiſtinctè Magiſtratui poteſtatem eccleſiaſticam vindicaturus, allegabat pro argumentis duo exempla Melchizedeki ſcil. & Numæ Pompilii.

Ad prius exemplum dici poſſet implicare aliquo modo blaſphemiam. Vide de ſingulari hoc typo ſervatoris Chriſti unici Pontificis & regis ſpiritualis, commentatores noſtros ad *Hebr.* 7. & *Geneſ.* 14. & Antagoniſtas Papatus in controverſiâ de miſsâ; imprimis Clariſſ. *Carolum de Maets* noſtrum, cum viveret, collegam conjunctiſſimum; in *Diatribâ de Melchizedeko*: qui omnia huc facientia acccuratè & plenè executus eſt.

Ad poſterius reſpondet Fileſacus verbis Gelaſii pag. 79. *Fuerunt hæc ante adventum Chriſti ut quidem figuraliter pariter reges exiſterent & ſacerdotes; quod in ſuis quoque diabolus imitatus eſt, ut in Romanis Gentilibus. Sed cum*

Digitized by Google

cum ad veram (1. fidem Chriſti) *ventum eſt, ultra ſibi nec Imperator Pontificis nomen impoſuit, nec Pontifex regale faſtigium vindicavit.* Addit f. 81. de Malabarum regibus qui ſimul ſacerdotes & Brachmannes, &c. & concludit hoc epiphonemate: *Apage mixtum hoc genus hominum, prolemque biformem.* Subjicit ibid. dictum *Hincmari epiſt. 6. cap. 32.* Adde ſi placet celebre illud Bernardi ad Euangelium. *Eas ergo tu & uſurpare tibi aude aut dominans Apoſtolatum, aut Apoſtolicus dominatum.* Quod inter alia poteſtati temporali Papę opponit advocatus Academiæ Pariſienſis *de Martelrie* actione in Jeſuitas anno 1611. Poloniæ Reges ſimile quid imitantes Epiſcoporum tranſlationem ſibi vindicaſſe. Idem *Fileſacus* innuit *ibid. fol.* 80. idque à Paſchali 2. pulcherrimâ epiſtolâ damnari. De Regum Siciliæ Monarchiâ diximus in *Deſper. cauſ. Pap. l. 2. ſect. 3. cap. 3.* quam invictis rationibus probavimus ibi, non eſſe jus patronatus, ſed alterum quaſi Papatum & monarchiam eccleſiaſticam: ut quidem eam uſurpant & defendunt Reges Hiſpaniarum. Quidquid habeant, & habuerint reges Galliæ, ſaltem illud in foro poli & conſcientię illicitum eſſe, judicat eccleſia Romano-Gallicana: uti colligere eſt ex decreto *Concilii Gallicani Burdigalenſis* anno 1582. (apud *Bochellum in Decretis eccleſ. Gallic. lib. 5. tit. 8. c. 7.*) quod ſic habet: „Ut in poſterum felicius quam antea præſertim ex quo ſublatæ fuerunt electiones, eccleſiis cathedralibus & monaſteriis provideatur, Regem Chriſtainiſſimum per viſcera miſericordiæ Dei ac per „Chriſti ſanguinem obſecramus, atque obteſtamur, ut pro ſuâ in Deum „ſingulari pietate, ad ipſius Dei gloriam, & eccleſiæ utilitatem, nec non „*ad exolvendam maxima religione, ſummiſque angoribus liberandam conſci*„*entiam ſuam, facultatem eligendi idoneos & utiles paſtores eccleſiæ reſtituat.*

§. 2. Patronatus variè accipitur. Eſt enim jus quoddam patronatus in jure civili. Ubi *patronus* dicitur, qui feudi autor eſt, etiam dictus *dominus*, & *ſenior*: Ita ex *Prat. Calvinus in Lexico Juridico.* JCCtis. Græcis dicitur πατρωνικὸν δίκαιον; quod *Suidas* explicat τὸ ἐκ προγόνων δίκαιον. Jus Orientale à Bonnefidio anno 1573. apud *Henr. Stephanum gr. lat.* editum *lib. 1. pag.* 109. habet tit. δικαίου ἐκκλησιαστικοῦ.

Eſt patronatus *in* Jure canonico, quem vocant *Advocatiam*; quæ eſt patrocinium, defenſio, adminiſtratio bonorum Eccleſiaſticorum, de quo *Hoſpinianus de Templis lib. 5. cap. 6.* cum quo concidere puto jus illud defenſorum, protectorum, conſervatorum, advocatorum, quos Eccleſiis & capitulis olim datos refert *Molanus lib. 2. de Canonicis cap. 44. 45. 46. 47.* Immo ex potentioribus etiam Regibus, principibus, &c. per Eccleſias earumque Rectores eſſe aliquot electos aut poſtulatos, conſtat ex *Concil. Milevit.* anno 402. *can.* 16. & *Concil. Carthagin. V. cap.* 9. (cito hos canones)

Digitized by Google

nes ex *Bartol. Caranzæ* Summâ Conciliorum.) *Concil. Chalcedon. c.* 25. & 26 vocat eos Oeconomos. Cum œconomis jungit ἐκδίκους defenſores & παραμονάριους, id eſt, *manſionarios* (ut vertit *Dionyſ.* Exiguus in *codice canonum Eccleſ. Romanæ*) de quâ voce Juriſconſulti ad *L.* 46. *C. de Epiſc. & Cler.* Sed hæc non eſt Helena illa, de qua hic quæritur; quamvis ex ovo illo prognata quodammodo dici poſſit cum *Zeppero Polit. Eccleſ. lib.* 2. *cap.* 26. *pag.* 628. dum inſtitutum illud primâ facie non ita malum, ſaltem in caſibus nonnullis quaſi neceſſarium, in prætenſum hunc patronatum paulatim degeneravit; & electionum eccleſiaſticarum libertatem turbavit.

Jus ergo patronatus, propriè dictum definitur à Lanceloto in Inſtit. Jur. Canon. l. 1. tit. 23. *poteſtas præſentandi inſtituendum ad beneficium vacans.* Ut de omnis figmenti mali & abſurdi cognitione ac definitione plus ſemper laboratum eſt, juxta regulas, Veritas una falſitas multiplex, &, Uno abſurdo poſito multa ſequuntur; ſic etiam de definitione Juris patronatus, ut videre eſt apud *Rochum de Curte in prologom.* ad *tract. de Jur. Patron.* & Jeſuitam *Azorium Inſtitut. tom.* 2. *part.* 2. *lib.* 6. *cap.* 19. Celebris eſt definitio Hoſtienſis in ſummâ tit. de Jur. Patron. *Eſt poteſtas nominandi ſeu præſentandi & offerendi clericum ad beneficium ſimplex vacans.* Hæc à quibuſdam rejecta fuit, quia non ſatis tribuebat patronis, quippe poteſtatem habentibus non tantum ad ſimplex beneficium, ſed etiam ad alia tum minora tum majora, quæ annexam habent curam animarum, quod probabant exemplis Regum Galliæ, Hiſpaniæ, Poloniæ, Siciliæ. *Azorius* reſpondet, hæc aliaque non impedire definitionis illius bonitatem.

Nos rationem hanc addimus, quia peculiaria privilegia & Jura Regum iſtorum non ſunt *patronatus*, ut ſupra oſtendimus: itaque non eſt neceſſe definitione *Juris patronatus* comprehendantur. Interim Azorius hanc ſuggerit: *Eſt beneficium oneroſum & utile conveniens alicui in eccleſiâ ob aliquod ejus meritum, vel obſequium in ipſam collatum.* Etymologiam *patronatus* hanc adferunt Canoniſtæ Panormit. Johann. Andreas, Zabarella, Lambertinus, &c. *Quia ſicut pater filium ducit de non eſſe ad eſſe ex procreatione, vel ad bene eſſe ex dotatione: ita etiam dicendum eſt de eo qui eccleſiam fundat, quoniam deducit ad eſſe, vel dotat quoniam deducit ad bene eſſe.* Quam ſubtilitatem recenter approbavit *Flav. Cherubinus in ſcholiis ad bullam Innocentii* VIII. 1485. Vocatur & *præſentationis*, item *commendationis*, ita *Concil. Moguntin.* ſub Carolo M. *cap.* 30. & *Arelatenſe ſub Carolo Calvo. Azorius* loc. cit. & ante eum Fileſacus de Authorit. Epiſ. fol. 74. 75. mavult dicere *nominationem.* Et poſterior, *approbationem, jus quo à Clero & populo electus Epiſcopus, à Monachis Abbas.* Secundum theologos & Canoniſtas Pontificios jus hoc ab *electione, confirmatione, inſtitutione, col-*

 la-

latione, quæ ſunt jura ſimpliciter ſpiritualia, per quæ Clericus acquirit jus ad beneficium, & ei datur facultas quę ſũnt juris exequendi : Jus autem nominandi ſeu præſentandi, nominato Clerico nullam dat poteſtatem in beneficio, ſed tantum tribuit, ut præſentatus poſſit inſtitui. Eligunt enim & poſtulant jure communi collegium ſeu capitulum, conferunt Epiſcopi & ſuperiores, inſtituunt Epiſcopi. Sic *Carolus de Rhancicourt in compend. Juris Canonici*, *Rochus Caurtius in prolegom.* Et *Azor. d. lib. c. 19.* & *Fileſacus pag. 54. 55. 56.* Sed longe aliud *ius patronatus* inter dictos reformatos hodie ſibi vindicant.

§. 3. Prima *Origo* & rudimenta hujus juris ex variis occaſionibus & cauſis exſtitere; quarum quædam generales, quędam ſpeciales.

Generales ſunt, 1. quod per hominum innatam ambitionem & dominandi libidinem poſtulatum auxilium, defenſio, protectio & advocatia plerumque in dominium degenerat. 2. Quod reverentia, gratitudo, honor ſponte alicui habitus & delatus, in debitam ſervitutem, & jus perpetuum tranſire ſolet. Quod in rebus politicis eccleſiaſticis ita evenire, teſtis eſt univerſalis experientia; ita ut exemplis hoc demonſtrare haud ſit neceſſe.

Speciales ſunt 1. *nimia* accumulatio redituum eccleſiaſticorum; ut & templorum, monaſteriorum & ſimilium ſuperborum ædificiorum multiplicatio: nimiaque Clericorum cura, quâ in hanc partem invigilabant, ſpiritualibus neglectis; juxta vulgatum illud. *Religio peperit divitias, & filia devoravit matrem.*

II. *Ambitio* ditiorum & potentum, qui certatim ad vanam oſtentationem, etiam abſque dote privata ſua ejuſmodi oratoria ambitioſè & cupidè procurabant. Lubet aliis documentis poſt habitis adſcribere nunc verba Nicolai le Maiſtre Theologi Sorbonici in libr. de Bonis & Poſſeſſion. Eccleſ. lib. 1. c. 5. *Oratoria Magnates exſtruebant ambitionis plerumque causâ, & nominis conciliandi ergo, ut in ordinibus etiam ſacris nobilitatis ſuæ notas & veſtigia inſculperent*, &c. *Quocunque autem loco placeret magnatibus oratorium exſtruere, compellebantur ab Epiſcopis ad dotem condicendam:* ut conſtat ex *Gregorii Magni epiſt. 9. lib. 2.* & *Concil. Aurelian. can. 33.* Idem *cap. 4.* conqueritur poſt abrogata per Juſtinianum oratoria privata *novell. 57.* & 131. potentiores tamen, patricios ſcil. nobiles, Senatores, qui ſumptus & impenſas ſacrorum ferre poterant, ſacella ſibi conſtruxiſſe, idque cuilibet deinceps conceſſum ab Imper. Leone *conſtit.* 4. & 15. Poſtea *cap. 11.* aſſignaturus cauſas, cur multæ & novæ parochiæ erectæ ſint (quæ fertilis, & proclivis occaſio ingruentis patronatus) ſic ait: *Secunda cauſa petitur ex ambitione, aut certe pietate nobilium. Nobiles plerumque longitudo itineris*

vexabat & impediebat, quo minus frequentiſſimè ſacris intereſſent, nonnunquam etiam in agro alieni juris & dominii ad eccleſiam ventitare angebantur. Nam honorum & ſeſſionum prærogativam dominis locorum cedere cogebantur, quod durum ſemper, & moleſtum fuit huic hominum generi, qui faſtum exuere etiam præſente Deo neſciunt. Adde quod non poterant pro arbitrio Clericos alieni territorii regere, & horas ſacrorum pro ſuo & familiæ commodo moderari. Ea enim ambitio ſacerdotibus imperandi, nobilium pietatem ſemper inceſtavit, fecitque ut dum ſacra adeunt, non tam videantur Chriſto famulari, quam ejuſdem miniſtris ac ſacerdotibus arroganter inſultare, nec tam religionem profiteri, quam imperium.

III. *Contractio* poteſtatis eccleſiaſticæ tam populo quam cleri, in Prælatos ſive regulares, ſive ſæculares: quo factum ut oligarchia illa eccleſiaſticorum provocarit Politicos ad Oligarchiæ affectationem, eique occaſionem dederit.

IV. *Arrogantia* Optimatum, qui poſtquam Oratorium condiderant, *non modo arbitrabantur licere ſibi, quos vellent, Clericos inſtituere; verum etiam ad ſuperbiæ incrementum nitebantur Clericos oratoriorum & facultates eorundem omni cognitioni & poteſtati tam epiſcoporum quam archidiaconorum ſubducere*, ut conſtat ex *Concil. Cabilonenſis* anno 630. *can.* 14. Quin & in ſervitutem redigere ſive privata illa, ſive publico uſui dicata oratoria, & ex reditibus eorum ſibi quid decerpere; uti diſcimus ex *Concil. Metenſi can.* 2. & 41. *Colonienſi cap.* 2. *Valentino can.* 9. *Wormatienſi can.* 50. Sed iiſdem in ſynodis huic calamitati proſpectum fuit; ut & in *Toletan.* 9. *c.* 2. In Eccleſiis Orientalibus itidem repagulum graſſanti huic patronatus dominio poſitum per Conſtitutionem Patriarchæ Manuelis, quæ exſtat in *Jure Orientali pag.* 109. uti & per Synodum, quæ apud ipſos πρώτη δεύτερα appellatur, *can.* 1.

V. *Arrogantia* Clericorum ab alterâ parte, qui locum ſeu fundum, cui templum inædificandum, ab omni prophanâ ditione exemerunt, ita ut etiam Princeps nullam in eo ſibi retineret poteſtatem: quod probare ſatagunt exemplo *Ambroſii epiſt.* 14. *lib.* 2. De quo *Nicol. le Maiſtre loc. cit.* Inſuper in ipſa Jura politica involabant: de quo Galli conqueſti apud Regem ſuum Philipp. Valeſium. Vide hiſtoriam in *Pleſſæi Myſterio pag.* 1015. edit. in 8.

VI. *Avaritia & impotens dominatio* Epiſcoporum: qui lucri ſui causâ unam parochiam in duas partiebantur (quod egregiè perſtringit *Hincmarus cap.* 7. ad Archidiaconos: & cum illo *le Maiſtre lib.* 2. *cap.* 11.) qui oblationes à fidelibus factas auferebant & in uſus ſuos convertebant. Inſolentiam & avaritiam illam tangit *Concil. Toletan.* 4. *cap.* 32. & 9. *cap.* 2. & ex iis perſtringit *Fileſacus fol.* 57. Hæc ergo neceſſarii patrocinii occaſio à patro-

tronis arrepta; ſed qui poſtea non minus quam Epiſcopi non tam quæ Chriſti quam quæ ſua quærebant.

VII. Ambitio & avaritia Pontificum Romanorum, qui non tantum conſenſum & confirmationem electionis ſuæ Imperatoribus eripere, ſed & ſeipſos cum patrimonio Petri omni poteſtati ipſorum temporali ſubtrahere, quin & in ipſos Imperatores, Reges, principes poteſtatem uſurpare ſatagebant; præterea electiones, & collationes Eccleſiaſticas atque hâc ratione reditus eccleſiarum & tributa enthroniſtica, per proviſiones, reſervationes, annatas, mercaturam palliorum, &c. ad ſe trahebant: Hinc imprimis Imperatores, Principes, potentiores ad patronatus & regalium introductionem & vindicationem incitati. Vide Eduardi III. Anglorum Regis Reſcriptum apud *Goldaſtum*, modo cit. Et ſcripta pro Inveſtituris Imperatorum, Ivonis Carnotenſis, Waltrami Naumburgenſis, & Goſtridi Vindocinenſis contra Inveſtituras à *Goldaſto* edita. Ipſus etiam *Goldaſtus in Replicatione pro Imperio cap.* 13. non pauca notat, quæ huc faciant. Et *Servinus* paſſim *pag.* 294. 295. 299. 307. 310. 316. Et *Bochellus lib.* 7. *decretor. Eccleſiæ Gallic. tit.* 8. qui eſt de collationibus & inveſtituris.

VIII. Unio poteſtatis & dominii ſæcularis cum titulo ſeu munere eccleſiaſtico; quæ progreſſu temporis tandem Eccleſiaſticum officium abſorpſit & in politicam ac ſæcularem dignitatem transformavit, adeo ut πάρεργον ſit factum ἔργον, nihilque ſpiritualis ſeu eccleſiaſtici operis remanſerit: quod in potentioribus Epiſcopis, Abbatibus, Præpoſitis, Archidiac. &c. imprimis evenit; ne quid dicam de Papis, Cardinalibus, patriarchis.

IX. Hinc factum ut Magnatum filii, Principum nepotuli, neceſſarii, clientes, dignitates eccleſiaſticas paſſim affectarent: ut quod eruditione, pietate, donis & labore prædicandi atque oves ſpiritualiter paſcendi minime poterant, umbraticis illis titulis obtinerent, opimos ſcil. reditus, poteſtatem regiminis & juriſdictionis eccleſiaſticam, quin & ampliſſima munera politica.

X. Hinc contentiones Papæ, & Epiſcoporum pro poteſtate ſpirituali directè & pro temporali concomitanter: Principum & Magnatum viciſſim pro poteſtate temporali directè, pro ſpirituali concomitanter. Quid prætenderint, & quouſque progreſſi ſint à patronatu, ad Jus Regium jam ex parte indicavimus. Quin & *Nobiles tam contumaciter olim ſibi vindicârunt dominium eccleſiarum, quaſi nihil eſſet diſcriminis inter gratiam patrocinii & jus dominii*; ſunt verba *Andr. le Maiſtre lib.* 2. *cap.* 11. Varias autem ſubiit viciſſitudines hęc contentio: (quod bene notatum à *Fileſaco.*) Sub Carolo Martello, & Pipino preſſa eſt in ipſorum ditionibus eccleſia-

ſti-

Digitized by Google

ſtica libertas. Sub Carolo M. reſpiravit; ipſe enim conſcientia ductus Eccleſiis electiones reſtituit. Sub nepotibus *ſeneſcente ipſorum prudentiâ* (ait le Maiſtre l. 3. c. 2.) *res eccleſiarum mirum in modum ſunt deformatæ. Nam & nobiles, quibus pro rege erat libido, & pro lege cupiditas ſacrum patrimonium invaſerunt: ſeque eccleſiarum dominos faciendo, quidquid pauperes parochi prædiorum, & agrorum habuere, impiâ rapacitate ſubſtraxerunt. Ut enim reges eo tempore abbatias & epiſcopatus Ducibus ac Comitibus regni, ut ſibi in bello deſervirent, ſolebant mancipare: ita nobiles Inferioris gradus, aut parochiarum bona ſibi aſſumebant, aut dividebant militibus.* Quod probat ex continuatore *Aimoini lib. 5. cap. 36. & Joh. Nono in Concil. Ravennatenſi.* In Germaniâ reliquiſque Imperii partibus prætenſum hoc jus ſub Lothario anno 948. conſtit. 2. & 3. apud *Goldaſtum pag.* 302. 303. denuo ſtabilitum: tandem ſub Henrico IV. in electionem & inveſtituram erupit, ut tract. cit. conſtat ex hiſtoriis; & annotatum jam à *Sopingio tract. cit.* Videmus ergo quam pia & honeſta hujus Juris fuerit origo & propagatio. Accedamus nunc ad fundamenta.

Fundamenta ſeu cauſa hujus Juris propinquæ ſunt quinque, referente *Hoſtienſi* & ex eo *Paulo de Citadinis tract. de Jure patronat. part.* 3. cauſ. 1. *Fundatio Eccleſiæ, dotatio, ditatio, datio fundi, reædificatio.* Cauſa proxima eſt, conſenſus ſeu beneplacitum Epiſcopi (in cujus diœceſi Eccleſia) aut Papæ, qui etiam aliis ex cauſis jure illo aliquem donare poteſt. Ex *bullâ Pii* IV. anno 1562. diſco, à ſummis Pœnitentiariis Papæ, Jus patronatus etiam concedi. Ibi enim poteſtas eorum ſic reſtringitur: *Ne concedant, niſi ex cauſâ fundationis & dotationis.* Quod autem *Grotius* in *Pietate Ordinum Hollandiæ*, cum *Anonymo Hyperaſpiſte* ſuo, ex propria affirmatione definit à Regibus & Principibus illud datum: id omni notitiæ antiquitatis, & Juris Canonici plane repugnat. Sed de hoc infra. Ita ut propria origo & genuinum hujus prætenſi juris fundamentum alibi non ſit quærendum quam in Jure Antichriſtiano Papali. Illi enim ſive errore, ſive ignavo timore (quia conſcientia ipſos multiplicis uſurpationis arguebat) ſive aſſentandi ſtudio, ſive ut privatis rebus ſuis conſulerent, ſive ut præſtantiſſimis fundis & prædiis ſpolia clericorum tanto facilius augerent, equum hunc Trojanum & Eccleſiæ, & poſterorum malo, etiam ad ſuam non minimam vexationem introduxerunt, juxta illud: Malum conſilium conſultori peſſimum. Quantam ergo & quam legitimam in conſcientiâ tuâ credis eſſe poteſtatem Monarchico-Papalem, Satrapo-Epiſcopalem; tantum juris & legalitatis crede etiam in Jure Patronatus, ex regula philoſophica: *Nihil dat, quod ipſum non habeat vel formaliter vel eminenter.* Nam ſi quis antea alicubi quid obtinuerit, illud omne facti fuit, non juris; potentis uſurpationis, non eccleſiaſticæ aut §. 4.

voluntariæ conſtitutionis; Epiſcoporum quorundam & conditiorum particularium conniventiæ aut coactæ tolerantiæ, non conſtitutionis aut conſenſus, aut uſus univerſalis: denique fuit illud maximam partem non decantatum *Jus patronatus* ſed *Majeſtatis*, ſeu *Regium* quod Reges & Principes tanquam Eccleſiæ protectores ſibi aſſerebant, quippe in quos jus eligendi, quod olim erat penes populum prætendebant eſſe tranſlatum cum reliquâ omni communitatis poteſtate, ut colligere licet ex *Marſilii Patavini apolog. pro Ludovico Bavaro part. 2. cap.* 17. Et certe non ceſſarunt meliores ecclesiæ Antiſtites, etiam Principes, ſerpenti malo & inde ortis abuſibus obſiſtere, in *Concil. V. Aurelianenſ. can.* 10. &c. *Capitul. Caroli M. lib.* 1. *cap.* 86. *Concil. Pariſienſ. lib.* 3. *cap.* 22. & 18. *Concil. Valentin. cap.* 7. Imprimis notetur can. 6. Concil. Pariſienſ. habiti anno 552. *Et quia*, &c. *Nullus civibus invitis ordinetur epiſcopus, niſi quem populi & Clericorum electio pleniſſimâ quaſiverit voluntate, non Principis imperio*, &c. *Quod ſi per ordinationem Regiam honoris ſui culmen pervadere aliquis nimiâ temeritate præſumpſerit, à comprovincialibus loci ipſius Epiſcopus recipi nullatenus mereatur, quem indebitè aſſumptum agnoſcunt.* Hincmarus Archiepiſ. Rhemenſis epiſt. 4. cap. 45. *Conſenſu principis terræ, qui res eccleſiaſticas divino judicio tuendas & defendendas ſuſcepit, electione Cleri ac plebis quiſque ad eccleſiaſticum regimen abſque ullâ venalitate provehi debet.* De quibus vide *Fileſacum* à *pag.* 74. uſque 82. & antiquam *collect. Decretal.* 1. *lib.* 3. *tit.* 33. Et ipſi Papæ ac Papales Theologi ac Canoniſtę quamvis ſero ſapientes, alio faſtu hunc patronorum faſtum pro viribus ſubinde conculcârunt. Papæ ſibi collationem multorum beneficiorum tribuerunt; ut videre eſt in *Extravag. communibus c.* 1. 2. 3. & *Bulla Pii* IV. a. 1562. ubi abolet omnes conceſſiones Juris patronatus factas à majori pœnitentiario, præterquam ex cauſa fundationis & dotationis. *Bulla Innocentii* VIII. anno 1485. & *Hadriani* VI. a. 1522. revocat hujus juris quo ad beneficia electiva conceſſiones etiam conſiſtorialiter factas; & quoad beneficia non electiva, ſi patroni fructus eorum ad medietatem veri valoris non auxerint, vel eccleſias de novo non conſtruxerint, vel funditus dirutas non reædificaverint. Quibus bullis etiam revocatam eſſe conceſſionem à ſe Apoſtolicâ autoritate factam ob reparationem eccleſiæ quę ruinam minabatur, deciſum eſt à *Rotâ Romanâ deciſ.* 269. *par.* 1. *diverſ. num.* 1. 2. quia hoc non eſt ædificare; aut reædificare, ſed reparare, ut ibid. loquitur, ut & *Berous*, & *Tuſchus*, citante *Cherubino in ſcholiis ad bullas cit.* Idem dicitur de eo qui reparat fundum eccleſiæ & ad culturam reducit. *Deciſ.* 457. *lib.* 1. *diverſ. num.* 18. Ut & *Concilium Baſileënſe* reſervationibus & gratiis Papalibus renuntiavit; & viciſſim *Concil. Tridentinum* laicorum præſentationes nimis inciviliter graſſantes in angu-

Digitized by Google

anguſtum coëgit. *ſeſſ.* 14. & 25. Illis tamen non obſtantibus, acrius erupit & perrupit, & juris titulo à Pontificibus donatum, etiamnum alicubi in ipſo ſanctuario perſtat. Quid enim aliud ab Antichriſti pluſquam Babylonicâ confuſione præter meram ἀταξίαν exſpectari poterat.

Cauſam finalem hujus juris non aſſignamus, ne *Jul. Cæſ. Scalig. ſcommate in titulum Ciceronis l. de finibus bonorum & malorum* emiſſo, nos induamus. §.5.

Subiectum ergo hujus juris capax deſignemus, quod eſt omnis qui aliquo modo ſupra dicto eccleſię benefecerit, cui tanquam loco cujuſdam remunerationis jus illud à Papa & Epiſcopis conceditur: omnis, inquam, nullo profeſſionis vel ſexus habito deſcrimine, & quicunque illi ſucceſſerint in infinitum: Exceptis ſolummodo infamibus, Judæis, hæreticis, ſciſmaticis.

Transfertur enim Jus illud per *ſucceſſionem*, quoad hæredes extraneos æque ac ſanguinis; *donationem: venditionem*, cum univerſitate rerum; *locationem* quæ ſcil. ſit ad longum tempus, ex quâ transferatur utile dominium; *permutationem*, quando fit cum loco religioſo; *contractum dotis* datæ marito; *diviſionem*; *remiſſionem* vel *renuntiationem* tum quæ fit alteri compatrono, tum quę Eccleſiæ, & tunc eccleſia fit libera, & redit jus ad Ordinarium loci; *ceſſionem repudiationem* generalem; *ſententiam*, ſi ſcil. laicus Judex ſuper univerſitate judicaverit, *longam poſſeſſionem*, quæ inducat præſcriptionem (determinant autem hanc uſucapionem JCC. ex *novell.* 131.& 111. *L. ult. C. de ſacroſ. Eccleſ. ſpatio* 40. annorum; Sic *Baldus*, *Fachin. Covarruv.* & ex iis *Althuſius Dicaiolog. lib.* 1. *cap.* 42. *num.* 16. & *lib.* 2. *cap. num.* 15.) *privilegium*; *delictum*, quando confiſcatur univerſitas bonorum, &c. *Vid.* De *Cittadinis part.* 9. Sunt autem dicti patroni vel ſolitarii vel ſocii, ſeu totales & partiales; rurſum vel *laicales* vel *Clericales*; adderem ego tertium membrum, vel *mixti*; quo referrem Univerſitates ſeu ſtudia Generalia, quibus in Galliâ jus illud competere docet author gloſſæ & repertorii ad Sanctionem Pragmaticam, & *Azorius loco cit.* Porro de differentiis inter Jus patronatus laicale & clericale fusè *Lambertinus Epiſcop. Inſulanus de Jure Patron.* 10. *quæſt. Principali* Et *Paulus de Cittadinis part.* 13.

Partes hujus juris, in quibus conſiſtit, ſunt honor, onus, emolumentum, juxta verſiculos gloſſæ in cap. *Nobis*, *de Jure patronatus*: §.6.

Patrono debetur honos, onus, emolumentum.

Præſentet, præſit, defendat, alatur egenus.

Honos, in eo eſt, tum quod præſentat ad beneficium, tum quod præcipuum obtinet in eccleſiâ locum in ſedendo, & in ſupplicationibus, & con-

conventibus publicis, & ei omnium primo oſculum pacis datur, & dum aliquod donum offertur. De punctis illis honoris vide faſtidioſas tationes apud *Cæſarem Lambertinum 1. quæſt. principali.*

Onus eſt, in tuendâ Eccleſiâ & bonis eccleſiaſticis.

Emolumentum eſt, quod patrono ad ſummam inopiam redacto præ aliis pauperibus ſubveniri debeat de bonis eccleſiæ, ſi quid deductis omnibus neceſſariis impenſis ſuperſit. Quomodo autem hoc jus fiat, & in quo ab ordinario quorumvis pauperum privilegio diſtinguatur, diſputant Canoniſtæ, & tandem cum Gloſsâ reſpondent, prius & abundantius debere patrono provideri quam reliquis indigentibus, atque eo nomine competere illi actionem in Eccleſiam.

§. 7. *Adjuncta propria ſeu requiſita* neceſſaria hujus juris ſunt varia: Suffecerit noſtro inſtituto iſta tantum indicaſſe.

I. *Jus patronatus* non acquiri niſi per conſenſum Epiſcopi ab illis qui dotarunt, aut ædificarunt Eccleſiam, aut fundum dederunt; Per privilegium à nullo obtineri poſſe niſi à ſolo Papâ. *Azor. loc. cit.* & Canoniſtæ ad c. *Nobis fuit*, & ad XVI. qu. I.

II. Ex vi hujus juris Laico patrono non competere beneficii collationem ſeu dationem abſolutam ſeu electionem, ſed tantum præſentationem, nominationem ſeu commendationem. Idem ibid. & *Fileſacus pag* 47. ubi notat Jus Regium in Galliâ olim ſub Merovingiis regibus fuiſſe potius approbationem. Et nullam Eccleſiam ne capellam quidem à patrono tribuendam alicui presbytero ſine Epiſcopi conſultu, probat ex *Concilio Turonenſi* ſub Carol. Magno *can.* 15. Et *Moguntino* ſub Rabano *can.* 12. Et *Lemovicenſi can.* 21. & *Cabilonenſi* ſub Carol. Magno *can.* 42. Brevitur nullo prætextu aut caſu Eccleſia aliqua à diœceſiana lege poterat ſegregari *Concil. Ilerd. can.* 3. Erat autem lex illa tot Conciliis ſtabilita, quam refert Balſamo ad Photii Nomocanonem tit. 2. cap. 1. *Epiſcopus habet rerum omnium Eccleſiæ poteſtatem, & in ejus poteſtate ſunt omnes baſilicæ in cujus territorio poſitæ.* Conc. Tol. 4. c. 32. *Noverint conditores baſilicarum in rebus, quas iiſdem eccleſiis conferunt, nullam ſe poteſtatem habere, ſed ſecundum canonum inſtituta, ſicut eccleſiam ita & dotem ejus ad ordinationem Epiſcopi pertinere.* Vide & *Concil. Toletan.* 3. *can.* 9.

III. Transfertur ad alios per hæreditariam ſucceſſionem cum univerſitate bonorum, aut permutationem, aut donationem, aut venditionem prædii juxta verſiculos:

Jura patronatus tranſire facit novus hæres,
Res permutata, & donatio, venditioque.

Per ſe tamen ipſum jus vendi nequit, quia ſpirituali eſt annexum ut habet

Digitized by Google

bet *C. de Jure*. Quinimo comparans vel emens jus patronatus eo ſpoliari debet *cap. 6.* quod rationibus probat ibid.

IV. Patronum non poſſe donare alicui, aut permutatione jus illud transferre, ſine conſenſu Epiſcopi. *Azor. cap. 20. Paul. de Cittadinis part. 9.*

V. Cauſas hujus juris pertinere ad forum Eccleſiaſticum, & à laicis Judicibus ne incidenter quidem judicari poſſe; niſi aliud ſit ex privilegio Papæ, ut in Franciâ & Angliâ. *Lambertinus 9. quæſt. princip. art. 2. & 11.* De Angliâ ſuâ ſic *Richardus* 3. in Reſcripto apud Goldaſtum loc. cit. *In curiâ noſtrâ duntaxat cauſæ ſuper jure patronatus dictorum beneficiorum tractari debent.*

VI. Jus illud ſi quis prætendat, probare tenetur non quidem ex privilegio aliquo illud ortum eſſe (nam tales patronatus abrogati ſunt per *Concil. Trident.*) ſed ex dotatione, ędificatione, &c. Idque tum autenticis documentis, tum præſentationibus ad minimum 50. annorum continuis, quæ effectum ſuum ſemper ſortitæ ſunt. *Concil. Trident. ſeſſ. 25. de reformat. cap. 9.* Secundum novum hoc Jus Canonicum (ſiquidem alicubi obtineret) ſolummodo valere deberent hodierna, quæ prætenduntur, jura patronatus: à propinquis enim aut proximis prædeceſſoribus ad formam Tridentinam redactis (ſpecialiter in Belgio, ubi receptum fuit *Concilium Tridentinum*) in ipſos plus juris tranſlatum non eſt, quam ipſi habuerant.

VII. Epiſcopus poteſt inſtituere abſque pręſentatione, aut præſentationem ſpernere, idque in decem caſibus, quos habet *P. de Cittadinis part. 6. quæſt. 13.* Inter quos notabilis eſt. Si patroni diſcordant in præſentando, præfertur præſentatus à majori parte, ſi eſt idoneus; & ſi hoc ſine ſcandalo fieri non poteſt, vel ſi patroni intra debitum tempus non præſentant, Epiſcopus ordinabit eccleſiam. Sic cap. 3. 12. 22. *De Jure patronatus.* Rationes has, inter alias, ſuggerit Vivianus lib. 3. tit. 38. *Quoniam patroni conſequuntur Jus patronatus ex gratiâ*; Ut in textu. *Et privilegium meretur amittere, qui permiſſâ ſibi abutitur poteſtate.* cap. privilegium 11. q. 3. *Nec debent patronorum causâ vel culpâ eccleſiaſtica beneficia diutius eſſe vacantia*, &c.

VIII. *Patronis laicis* nihil juris competere in eccleſiam collegiatam & conventualem, ſed in hac capellam tantum aut præbendam, *Vivianus ad cap. 25.*

IX. *Quod* ſacerdotem nec poſſint inſtituere, nec deſtituere, ſed jus inſtitutionis ſit penes Epiſcopos.

X. *Cum Eccleſia* vacans reſervata eſt, aut ſimili modo affecta, atque adeo Rector ordinarius conſtitui non poſſit, debet Epiſcopus idoneum in eâ vicarium inſtituere cum congruę portionis fructuum aſſigna-

 tio.

Digitized by Google

tione : Et deinde Epiſcopus & qui jus patronatus habet intra decem dies aut aliud tempus ab Epiſcopo præſcribendum, aliquos Clericos ad regendam Eccleſiam idoneos Examinatoribus juxta formam ejuſdem Synodi (Tridentinæ ſcil.) nominet, & non niſi ab examinatoribns etiam per concurſum aliorum examinatorum, etiam tanquam magis idoneo ab Epiſcopo judicato & electo de Eccleſiâ provideatur. Sic *Concil. Trident. ſeſſ.* 44. *de reform. cap.* 18. & *Bulla Pii* V. ſuper collatione parochialium Eccleſiarum Romæ publicata 16. Maji 1567. quæ exſtat apud Quaranta in *Summâ Bullarii p.* 99.

XI. *Patroni*, ſi ultra jus præſentandi in præjudicium eccleſiaſticæ libertatis ulteriora pretendant, hoc eſt Clericos inſtituant aut deſtituant, vel bona ipſorum aliter adminiſtrant, excommunicandi ſunt. cap. 4. & ratio aſſignatur *c. non placuit* 16. q. 7. *Cum in talibus maneat eos obſequendi neceſſitas, non autoritas imperandi.*

XII. *Quadrimeſtre* tempus datur patronis laicis ad pręſentandum; Clericis fere ſemeſtre: quod utrum currat à tempore vacationis an à tempore notitiæ, multum diſputatur. Poſterius juri canonico, & rationibus ex jure civili petitis, melius convenire probat *Juſtus Sprengeris JC.* (Proteſtanticæ cauſæ addictus) tract. de *pace religionis* c. 11.

XIII. *Jus hoc* non eſt tam perpetuum, quin poſſit planè amitti & exſtingui, tum dictis modo cauſis, tum aliis, ut templi conflagratione, Eccleſię in conventualem aut collegiatam aut aliam excellentiorem evectione, &c. De quo aliiſque ad hoc jus ſpectantibus, operosè *Canoniſtæ ad* 16. *quæſt.* 7. & *Decretal. lib.* 3. *tit.* de *Jure Patronatus*, *Panorminatus ſuper.* 3. *Decretal. Coſmas Guymier in gloſſis ad ſanctionem pragmatic.* & celebres ICC. ac Canoniſtæ *Rochus Curtius, de Citadinis, Joh. Nicol. Delphinas, Antonius de Butro, Joh. de Anania, Henricus, Boich, Cæſar Lambertinus*, quorum ſeptem tractatus Francofurti anno 1609. 2. *volum.* editi, *Gonzal. ad reg.* 8. *Concellat. Valer. Regin. in praxi fori Pœnit. lib.* 30. *tr. n.* 210. *Concil. Tridentin. ſeſſ.* 25. *c.* 9. *cum deciſionibus Cardinalium*; *Vivianus in Rationali Juris Pontificii lib.* 3. *tit.* 38. *Helfricus Hunnius Collegii Juris Canonici diſp.* 3. Caſuiſtæ recentiores, inſtar omnium *Azorius loc cit. Conſtitutio* 14. *Pauli* IV. determinat, patronum privari ſuo jure 1. propter uſurpationem bonorum, &c. 2. propter occiſionem vel mutationem Rectoris electi. 3. confiſcatione omnium bonorum. 4. præſcriptione libertatis. 5. quando quis pręſentat Apoſtatam. Sed de his aliiſque modis legat cui vacat, *Lambertinum lib.* 3. *artic.* 8. *qu.* 7. *Barboſam in collectaneis Bullarii*, & in *collectione Doctorum ad Concilium Tridentinum, Honorium ab Axel in compendio Juris canonici, & Flavium Cherubinum in ſcholiis ad compendium Bullarii.*

XIV. Pa-

XIV. Patronatus mixtus, qui eſt ſimul laicorum & clericorum, aſſumit naturam eccleſiaſtici. *Joh. Honorius van Axel in compendio Juris canonici lib. 3. tit. 38. §. 16.*

XV. Patronatus confraternitatum laicalium, ſunt laicales. *Id.* ibid.

XVI. *Dubium* ſuper exercitio patronatus aliquoties motum fuit in imperio Germanico, poſt exortam diverſitatem religionis, & ejus pacem Auguſtæ conſtitutam anno 1555. *An ſcil. patronus parochum ſuæ fidei parochianis obtrudere queat: an verò illis recuſandi jus competat.* Reſpondet ex JCC. proteſtantibus I. *Sprengerus loc. cit.* non licere; quod Jus patronatus in parochianos juridictionem nullam tribuat; & quod religionis introducendæ poteſtas penes immediatam iſtius loci juriſdictionem ſit. Et ita judicatum dicit à Camerâ Imperiali in causâ Thruchſeſii Electoris Coloniensis & Electoris Brandenburgici, qui in ditionibus religionis Romanæ præſentârant miniſtros Auguſtanç Confeſſionis.

CAP. II.

Improbatur Jus patronatus.

ATque hactenus quidem pars Hiſtorica de *Jure Patronatus*, quomodo Purgatorium, Indulgentiæ, poteſtas Papæ, Monachatus. Superſtitio, &c. à Theologis noſtris deſcribi ſolent. Pars Dogmatica & Critica ſequitur, quæ deſpiciet, An jus illud, jure tantopere ſuſpectum fuerit Eccleſiis Reformatis, & de eo conqueſti ſint Doctores tum noſtri, tum Pontificii. Ex noſtris Beza in Confeſſ. c. 5. n. 35. *totam iſtam nundinationem præſentationem, pleni juris patronatus, collationum, reſignationum & aliorum ejuſmodi ſcelerum à Satanâ profectam eſſe.* Danæus in 1 Timoth. 5. 22. Immo, *electionem ab uno ſive Rege, ſive Patrono, ſive Metropolitano factam, non eſſe ratam & legitimam: Quod ad Papæ creaturas attinet* (ait Beza confeſſ. cap. 7.) *hoc dico, hoc vociferor, omnes illas proviſiones, præſentationes, collationes, ſignaturas, bullas,* &c. *totidem eſſe feneſtras, per quas vi perrumpunt in ovile Domini, totidem cuniculos, quibus domum Dei quantum in ſe fuit, ſubruerunt: quum neque in verbo Dei, neque in ullo purioris eccleſiæ ſcripto vel Græco vel Latino* (N. B.) *vel leviſſima fiat iſtarum rerum mentio, quas unus Satan evomuit, ut eccleſiæ puritatem inficeret: ideoque non de ejuſmodi rerum reformatione, ſed ejectione, abolitione, & ultimâ internecione ſerio omnibus piis hominibus eſſe cogitandum.* Idem homil. 13. de Reſurrect. *An non etiam cuilibet notum eſt pro electionibus Chriſtianis fuiſſe in eccleſiam intruſos patronatus, indultus, collationes, reſignationes, permu-*

Digitized by Google

mutationes, devoluta, tam aperte tam directè & ex diametro repugnantia omnia eccleſiæ veteri, antiquis puris canonibus, quam tenebræ luci ſunt contraria. Ex Pontificiis Fileſacus libr. cit. pag. fol. 74. *Apparet Pipinum Metropolitanos conſtituiſſe & epiſcopos; cum ſæculares & prophani ſub Carolo Martello archiepiſcopatus & Epiſcopatus, atque abbatias per vim & tyrannidem occupaſſent, diuque eccleſia ejuſmodi paſtoribus caruiſſent, ut explicavimus in commentariolo veteris eccleſia Gallicanæ querelæ. Addo etiam Pipinum eundem, quos voluiſſet abbatiis præfeciſſe, etiam ſæculares & prophanos. Attamen Carolus Magnus conſcientiâ ductus,* &c. *liberam Monachis, quos vellent, eligendi poteſtatem fecit.* fol. 76. *Optandum erat, ut Reges illius ſæculi* (Carolovingios intelligit) *anteriorum duntaxat ſeu Merovingiorum exemplum ſecuti eſſent, quibus hoc juris conceſſum erat, quod ad ſummas illas perfecturas quatenus eum, qui à Clero & populo Epiſcopus electus eſſet, aut à Monachis Abbas, probarent, quod ſignificant illa verba Concilii Aurelianenſis 5. ſupra cit.* Cum voluntate regis juxta electionem cleri & plebis fol. 77. cum retuliſſet Regum quorundam Hiſpaniæ uſurpationem in electionibus Epiſcoporum, ſubjicit: *Rerum Hiſpanicarum inclinationem tum temporis licet advertere, ac ſeptuaginta annis circiter poſtea in Saracenorum Africanorum poteſtatem Hiſpania venit, exſtincto plane Gothorum in eâ regno,* &c. *Scio hæreticos Principes id juris vindicaſſe, ut pro arbitrio Epiſcopos præſertim Catholicos deponerent, & alios inſtituerent, de hâc injuriâ conqueritur Lucifer Caralitanus lib. 1. pro S. Athanaſio,* &c. fol. 81. *Atque ut tandem ad inceptam de regiâ nominatione ad Epiſcopatus diſputationem revertamur, abſolvemus eleganti loco Flori Magiſtri qui ſub Ludovico vixit, & de quo Sigebertus lib. de ſcriptoribus eccleſiaſticis in Collectaneis. Is de eâ re differit:* Ut primum oſtendam, per annos fere quadringentos, omnes eccleſiarum Dei antiſtites, abſque ullo conſultu mundanæ poteſtatis, à temporibus Apoſtolorum inſtitutos fuiſſe: Ex quo autem Chriſtiani principes eſſe cœperunt, eandem Epiſcoporum ordinationibus eccleſiaſticam libertatem maxima ex parte permanſiſſe, manifeſta ratio declarat. Quod vero, inquit, in quibuſdam regnis poſtea conſuetudo obtinuit, ut conſultu Principis, ordinatio fieret Epiſcopalis, valet utique ad cumulum fraternitatis propter pacem & concordiam mundanæ poteſtatis, non tamen ad complendam veritatem & autoritatem ſacræ ordinationis, quæ nequaquam regio potentatu, ſed ſolo Dei nutu & eccleſiæ Dei conſenſu, cuique conferri poteſt, quoniam Epiſcopatus non eſt munus humanum, ſed Sp. S. donum. *Paulo poſt hac ſubjicit:* Quæ omnia non ideo dicimus, quaſi poteſtatem Principum in aliquo minuendam putemus, vel contra religioſum morem Regni aliquid ſentiendum perſuadeamus, ſed ut clariſſimè de-

,, demonſtretur, in re hujuſmodi divinam gratiam ſufficere, humanam verò ,, potentiam niſi illi conſonet, nihil valere. Qua propter in ſacris canoni- ,, bus Patrum, ubi plurimæ cauſæ commemorantur ſine quibus Epiſcopa- ,, lis ordinatio irrita habenda eſt, de hàc re nihil invenitur inſertum. Thuani judicium & querelas de Electionibus Gallicanis ſupra audivimus. Antiquorum Conciliorum & Doctorum nec non Pontificum, ut & piorum Principum placita *cap. præced.* §. 1. ex parte notavimus, & infra indicabuntur plura.

De Regalià regis Gallorum audi Zypæum Officialem Epiſcopi Antwerpiani in Juris Pontificii novi enarratione lib. 3. tit. de Jure Patronatus: ,, Ad inſtar, inquit, Juris Patronatûs, ſeu ex eo nata eſt Re- ,, galia:

,, ... *Matre pulchrâ filia pulchrior*

,, Quæ in Brabantià, vel alibi (quod ſciam) in his Belgicæ ditionibus non ,, obtinet; & Clerus ante exemtionem à coronâ Galliæ non admiſit *rega- ,, liam.* Excipio epiſcopatum Tornacenſem; quam *Regaliam* tamen Epiſco- ,, po Tornacenſi S. Ludovicus anno 1357. reſtituerat, donec certius de ,, eâ ſibi liqueret. Quæ tamen extorta eſt rurſum ſub Philippo Rege Caſti- ,, liæ, qui ob eam aliaſque cauſas cum Franco bellum gerere nolebat; ſed ad ,, Hiſpaniam anhelabat. Nec fuit idem clerus ſubjectus eccleſiæ Gallicanæ, ,, aut pragmaticæ ſanctioni, aut nominationibus Pariſienſibus, ſed ſemper ,, ſeorſim res ſuas ſibi habuit.

CAP. III.

Diſtinctionibus & cautelis ad conſtitutionem ſtatus controverſiæ præmiſſis, argumenta contra Jus Patronatus adducuntur.

NOs cum bono Deo probabimus, prætenſum illud jus in ſe injuſtum, malum, & Eccleſiis noxium eſſe; nulloque diſtinctionum aut limitationum auxilio ita poſſe transformari, ut dictus patronus bona conſcientià eo poſſit uti. Præmittimus autem has cautelas & diſtinctiones.

1. *Non diſputari* hic de commendatione aut præſentatione, interceſſione, judicio, monitione, obteſtatione alicujus aut benefactoris, aut protectoris Eccleſiæ, aut eximii cujuſcunque membri (ſive politicè ſive eccleſiaſtice ſive utroque modo dicatur ὑπέροχος ἀνὴρ) circa electionem miniſtri; cui aliquando ex caritate, reverentià, & gratitudine, multum tribuere poterit eccleſia; immo, ſi commodè fieri queat, nonnunquam per caritativam &

& ſpontaneam conceſſionem ejus judicio & poſtulato primas partes ſi non plura tribuere, atque in eo acquieſcere: Sed agi hic *de Jure*, cui eccleſia ex conſcientia verbi Dei, & ex ordine & præſcripto Eccleſiaſtico teneatur ſe in omni caſu ſubjicere.

II. *Non* diſputari hic, An Magiſtratui poteſtas aliqua competat circa ſacra, ſpecialiter circa vocationes miniſtrorum: An conveniat illi quà membro Eccleſiæ, quidquid aliis omnibus convenit: An quà Magiſtratui peculiaris poteſtas. 1. removendi impedimenta, coactivè. 2. conſervandi, & defendendi legitima vocationis media, & ordinem eccleſiaſticum legitimè ab eccleſiis conſtitutum, receptum, obſervatum. 3. ſubſequente conſenſu, approbatione, judicio, & ratihabitione ſua factam electionem confirmandi. Conſenſus eſt vel implicitus & tacitus ſeu generalis; vel expreſſus, aut ſpecialis: uti ſupra *tract. 1. cap. ult. de populi & Magiſtratus conſenſu ſeu approbatione aſſeruimus.*

III. *Nec* diſputari hic de facto, ſive eximii alicujus Eccleſiæ membri, ſive Magiſtratus extraordinari in procurandâ vocatione miniſtri; cum aut nulla eſt eccleſia, aut cum plebs eccleſiaſtica, & ordinarii προεστῶτες extraordinario à ſe invicem diviſi, diſparſi, corrupti, & ſtatus Eccleſię totus turbatus eſt; ut quaſi de novo eccleſia colligenda, atque ordo conſtituendus ſit (de quibus caſibus diſſeruimus in *Deſper. Cauſ. Papatus*): ſed hic tantum agi de jure ordinario, ac perpetuo in eccleſiâ jam conſtitutâ.

IV. *Adhac* non agi de conſuetudine Principum & Magiſtratuum (ſive jus electionis ſive præſentationis illud vocetur) alibi receptâ, & Eccleſiæ cujus intereſt, ſuffragiis approbatâ, in deſignandis aut promovendis ad beneficia ut vocant, eccleſiaſtica, imprimis talia, quæ non tam onus prædicandi, & curam particularis; aut parochialis eccleſiæ, quam Regium ſplendorem ac dignitatem, opes Attalicas, & primaria in Republicâ & aulis Principum officia ſibi annexa habent. Quamdiu manet coacervatio illa fundorum, redituum, ditionum (quæ primariam & magnam ſæpe regni aut majorem principatus partem faciunt) item combinatio tituli eccleſiaſtici cum munere politico (ubi illud plerumque πάρεργον, ſi non umbraticus titulus, hoc verò ἔργον eſt) mirum non eſt, ſi Principes & Magiſtratus ad tam amplas toparchias, reditus, baronias, comitatus, principatus, munera denique in aulis ſuis aut in Republicâ ampliſſima eos commendare ac promovere ſatagant, quos judicant Reipubl. & autoritati ſuæ fore utiliſſimos. Quod imprimis intelligi volumus de commendatoribus & Prioribus Ordinum Equeſtrium ſacrorum, ut & Abbatibus, Abbatiſſis, Decanis, Præpoſitis, Archidiaconis, magnis eleemoſynariis, item Epiſcopis politica poteſtate præditis, Cancellariis, Sigilli cuſtodibus, &c. & quibuſcunque aliis dignitatibus

tatibus (quas vocant) eccleſiaſticis, quę uſu ſuperiorum ſæculorum, qui in legem nunc abiit, aut nullo modo, aut non tantum in verbo laborant. Notat *Margarinus ad Marculp. in bibliotheca patrum ex Sidonio, Turonenſi*, &c. Epiſcopos olim in Galliâ non alios quam nobiles factos fuiſſe, eoſque Regi in judicio aſſediſſe. In Angliâ partem faciunt ſuperioris domus Parlamenti tanquam barones & *ſpiritual Lords*: immo ſunt judices ſpirituales Regis, ut probat *Salcobrigienſis in Becano baculo pag.* 145. Nos ergo hic tantum diſputamus de electione & præſentatione Rectorum ſeu paſtorum ſeu concionatorum in eccleſiis quibuſque particularibus. Quid autem de riditsame eccleſiaſticorum uſu & poſſeſſione, de titulo tenus eccleſiarum rectoribus ſeu curatis, de dominis Politicis ſed titulo eccleſiaſticis Epiſcopis, de Abbatibus & ſimilibus regalibus (ut vocant) ſacerdotiis ex verbo Dei & antiquo jure eccleſiaſtico credendum aut non credendum ſit, hic non eſt dicendi aut diſquirendi locus. Si eſſent modo reditus, qui curam animarum aut eccleſiaſticam annexam non haberent (uti olim Imperatoriæ Majeſtati Pontificatus & præfectura ſacra erat annexa) una cum muneribus, dignitatibus, & privilegiis politicis, & abeſſent tituli ac fictiones illę miniſteriorum ſpiritualium ſeu eccleſiaſticorum (quæ inferunt verbi prædicationem & regimen eccleſiæ ac curam ſacram ſeu ſpiritualem): utique non ita Theologicè atque eccleſiaſticè diſquirendum eſſet de talibus electionibus aut præſentationibus; ac de paſtorum, ſeniorum, diaconorum.

v. *Denique* hic non diſputari de jure patronatus, quo ratione ſanguinis conferuntur minora beneficia & penſiones olim per donationes inter vivos, aut per teſtamentariam diſpoſitionem conſtitutę ad ſtipendia & ſuſtentationes ſtudioſorum, aut minorum (uti vocabant) Clericorum (e.gr. æditorum, janitorum, ſcopatorum, clokatorum) quibus eo ipſo cura animarum & regimen Eccleſię committi non ſolet.

vi. *Immo* nec de ipſis ſtipendiis miniſtrorum eorumque aſſignatione, ſeu collatione & conceſſione beneficii eccleſiaſtici propriè ſic dicti ſive curati ſive non curati. Nolumus enim contendere, in hoc verti ſpiritualem poteſtatem & jus Eccleſiæ. Sunt hęc βιωτικὰ, appendices ſpiritualium ſeu media ſine quibus non; minime tamen formaliter ſpiritualia. Bene contra Papæ collationes Henricus Salcobrigienſis Theologus Anglus in Becano-Baculo, ad cap. 6. pag. 167. *Sane verò ſi profanæ ſanctitati Papæ tui non eſſet auri ſacra fames, mundana hæc beneficiorum collatio, res multò terreſtrior, & prout jam in uſu eſt, vilior multò quàm quæ in ſpirituali primatu, vel minutis particulis numerari debeat, eſſe videretur.*

* *Argumentum primum.*

Quia in ſcripturâ non comparet, nec ullâ ratione probari poteſt eſſe illud

lud juris divini, ut Electiones eccleſiaſticæ in unum aliquod eccleſiæ membrum transferantur; quotieſcunque dotatione, aut fundatione lapidei & externi templi viſum fuerit alicui jus illud acquirere: nedum ut juris divini ſit ſucceſſio & devolutio earum electionum ad hæredes & mercatores quoſcunque fundi ſeu prædii, cui annexum eſt jus patronatus; adeo ut perpetuo ab eccleſia abalienatæ maneant. Atqui in rebus ſacris & quidem tanti momenti, à quibus ſalus & exitium Eccleſiæ Chriſti vel imprimis pendet, ſine iure divino, ſine nutu ſummi Eccleſiæ Magiſtri Jeſu Chriſti, ſine juris divini tabulis nihil tentandum. Quod axioma contra hominum traditiones, & hierarchiam Papalem pro perpetuò Eccleſiæ eſſentiali regimine alibi confirmatur. Ex jure autem divino nihil adferri poſſe ipſi patronatus patroni ſatis fatentur; cum ſolummodo ad antiquam conſuetudinem & jus Canonicum provocant. In conſuetudine & antiquitate, ſi ſit ſine veritate & juſtitiâ, nihil aliud præſidii eſt, quam quod ſit antiquum malum, ut antiquitatem talem ſatis ſuperque exploſerunt noſtri Reformatores, & Eccleſiarum noſtrarum Reformatio publicâ Regum Principum & Magiſtratuum authoritate approbata & defenſa. Ne dicam abſurdo hoc fundamento ſemel poſito, continuanda, aut revocanda potius, eſſe antiqua jura monomachiæ & probationis vulgaris, cum provocatione ad judicium Dei (de quibus *Delrio lib. 6. diſquiſ. Magic.* Et *Sirmondus ad capitula Caroli Calvi* aliique autores tum antiqui tum recentiores citati à nobis in 3. *part. ſelect. diſp. tit. de Sortis aliiſque divini nominis abuſibus*); item Jus primi concubitus cum ſponſis propriorum (quos vocabant) hominum ſeu ruſticorum, quod olim Weſtphalis, Scotis, Gallis proprium fuiſſe teſtes ſunt *Scynæus de Legibus Scotorum*, *Huſanus de ſervitutibus Germanorum*, *Bruelius in deſcriptione Pariſienſi.* Confer de hoc 4. *part. ſelect. diſp. tit. de Jure poli & ſoli part*, 2. §. 7. Adde & alia jura quęſita & à majoribus exercita: qualia ſunt, Servitus *mortua manus*: de quâ *Molanus lib. 3. de Canonicis cap. 35. ex chronographo Leodienſi.* Et jura eccleſiaſticorum in laicos, cum curiis & carceribus eccleſiaſticis, & pœnis omnibus canonicis, uſque ad multas pecuniarias, virgidemias, verbera, juxta practicam criminalem Canonicam *Diaz*: immo uſque ad pœnam mortis quam ſecundum jura canonica ſtatuendo Papa inferre poteſt, juxta practicam criminalem *Lopez. de Salzedo pag.* 222. In jure canonico jus ſuum fundare non debet reformatus, nec poteſt Pontificius. *Ille* non debet, qua renuntiavit illi cum toto Anti-Chriſtianiſmo. Iſte non poteſt, quia illud jus apud nos non tenetur, nec politia aut Eccleſia noſtra illo regitur. (De quo ſupra *part. 1. lib. 1.*) *Ad hæc* repugnat illud (ut quidem apud nos hodie dicti patroni uſurpant) ἀπαρέγχλω *tum* primę ejus inſtitutioni ſeu conceſſioni in Papatu; de quâ ſupra:

pra: *tum* oppoſitionibus, reformationibus, novis juribus Eccleſiæ Papalis (de quibus ſupra) atque adeo per conſcientiam ſuam Papalem, quæ juri canonico & Papalibus decretis aſtricta eſt, non poteſt Papiſticus toparcha tale jus prætendere. Vide ſupra *part. 1. lib. 1. tr. 2. cap. 15.*

* *Secundum Argumentum.*

Quia hinc depulſi, Doctoribus & Paſtoribus Reformatis exprobant, electiones miniſtrorum Eccleſiis aſſeri & patronis negari, abſque ſcripturæ teſtimoniis aut rationibus inde deductis, oſtendimus ipſis loca *Actor. 6. v. 2. 3. 6.* & *13. v. 2. 3. 4.* & *14. 23. 1 Tim. 4. v. 14.* & *5. 22. Tit. 1. verſ. 5. Epheſ. 4. v. 18.* cum gloſſis, poſtillis, commentariis omnium antiquorum & recentiorum. Addant Politicos & JC. Chriſtianos (ſi fortè ſuſpecti Theologi) *Marſilium de Menandrino Patavinum part. 2. cap. 17. Pleſſeum de Eucharistiâ lib. 2. cap. 8.* Et *Henningum in tract. de exemptione Clericorum*, (cujus verba infra exhibemus.) *Chriſtophorum Juſtellum in notis ad canones Eccleſiæ univerſæ pag. 199. Thuanum hiſtor. lib. 1.* cujus verba ſupra exhibuimus. Juſtelli nonnulla audiamus. *Legimus enim*, inquit, *Paulum Apoſtolum & Barnabam initio exorientis eccleſiæ presbyteros per ſingulas civitates, ſeu eccleſias χειροτονήσαντες hoc eſt ſuffragio & conſenſu populi ordinaſſe, id teſtatur Lucas* Act. c. 14. 23. *Unde & ipſe Lucas dicitur χειροτονηθεὶς ὑπὸ τῶν ἐκκλησιῶν ſuffragiis dilectus ab eccleſiis. Eâdem notione χειροτονία accipitur hoc canone* can. 5. Concil. Laodic. *pro electione videlicet & ſuffragio populi, ut tradit Theod. Balſamo & Zonaras in* can. 1. *Apoſt. cujus verba ex codice M. S. bibliothecæ regiæ adſcribam: νῦν μὲν χειροτονία*, &c. Nunc qui-
„dem *χειροτονία* vocatur perfectio precum, &c. olim vero ipſum etiam
„ſuffragium nominatum eſt *χειροτονία*. Nam quum populus civitatum lice-
„bat eligere ſacrorum præfectos, conveniebat ipſe populus, & alii quidem
„hunc, alii vero deligebant illum: quatenus autem plurium ſuffragium
„vinceret, eligentes ferunt ſolitos extendere manus, & per manus ita
„porrectas numerabant qui vel hunc vel illum delegiſſent, plurium vero
„ſuffragiis electum ſummo ſacerdotio præficere, &c.

Except. Grammaticam exceptionem *Grotii* & anonymi hyperaſpiſtę adverſus explicationem vocis *χειροτονίας* ſi quis ex profeſſo refutare velit, is adeat *Juſtellum loc. cit.* & *Sopingium contra Anonymum Grotii Hyperaſpiſtem ad numer. 62. p. 207.* & conferat *Sigonium de Republ. Athenienſ. lib. 2. fol. 53. 54.* aut ſi ita videatur, quæ notavimus *Deſper. Cauſ. Papat. lib. 2. ſect. 2. c. 12.* Sed huic exceptioni, aliiſque adverſus producta ſcripturæ loca adverſarios non fidere, atque adeo haud obſcurè concedere longè alias (quam quę ab ipſis nunc urgentur) fuiſſe electiones Apoſtolicas, conſtat ex ſuccedaneâ illâ exceptione: *Exempla non faciunt regulam, mutatis circumſtantiis.* Cujus

Digitized by Google

jus axiomatis limitationes indicantur in 1 *part. ſelect. diſp. tit. de authoritate ſcripturæ*, & in 4 part. tit. *de exemplo bono*, &c. 1 *part. tit. de Autoritate ſcripturæ.* Et tamen probaturus *Grotius* Electiones eſſe Juris Principum exemplum unum atque alterum ex eccleſia & Politia V. T., præterea exempla humana accumulat, Theodoſii ſcil. Valentiniani, antiquorum Regum Gallię. An ergo illa exempla faciunt regulam, contra exempla Apoſtolica? Quam inconſtans & infirma hæc Theologia!

Nos hinc tale argumentum exſtruimus:

Quicunque jure divino habent jus nominandi & præſentandi (hoc eſt deſpiciendi, eligendi dignos miniſtros) ſunt presbyteri & Eccleſia. Sed patroni, aut Principes, non ſunt presbyteri, ſeu presbyterium, nec ſunt Eccleſia, Ergo, &c. Major probatur ex locis cit. Eſſe enim præſentationem illam quam hodie prætendunt aut ipſiſſimam electionem, aut ſi molliſſimè agant, magnam & potiorem ejus partem; tum ipſi patroni agnoſcunt, tum res ipſa clamat, & oſtendit Daneus in commentar. ad 1 Tim. 5. 22. *Electio*, inquit, *ſive præſentatio eſt perſonæ vocandæ agnitio, agnita tentatio, deguſtatio, probatio, examinatio, quæ tum de ipſius vitâ tum de doctrinâ fieri debet, & ita examinati atque conſentientis denuntiatio & præſentatio quæ fit toti populo, ſeu Eccleſiæ ſimul collecta.*

Competere autem hoc jus (non patrono) ſed populo & presbyterio atque adeo Eccleſię ex ſcripturâ, & communi antiquitatis conſenſu probatur. Scripturæ teſtimonia modo, & ſupra *tract.* 1. indicavimus. De populo quidem, ex *Cypriano lib.* 1. *epiſt.* 4. *lib.* 2. *epiſt.* 3. & 5. *Chryſoſt. lib.* 3. *de ſacerdotio*, *Lucifero Calaritano lib.* 1. *pro Athanaſio. Ambroſ. lib.* 10. *epiſt.* 82. *Gregor. Magn.* 20. 22. *lib.* 1. *epiſt.* 5. & *lib.* 2. *epiſt.* 69. Theodoret. hiſtor. *lib.* 4. *cap.* 20. 22. *Leo* I. cujus dictum vide *c. in nomine diſt.* 23. & Carolo ac Ludovic. Imperator. quorum ſtatuta exſtant *c. ſacrorum canonum diſt.* 63. *Hincmaro Archiepiſc. Rhemenſi in lib. de Poteſtate Regia & Pontificiâ*, ubi *cap.* 5. ſtatuit dominum in Euangelio, & ſacros canones (N. B.) apertè demonſtraſſe, debere quempe ad Eccleſiaſticum regimen provehi conſenſu Principis terrę, electione Cleri & plebis. Qui mos obſervatus etiam *Bernardi* ætate, ut conſtat ex *epiſt.* 13. 17. 150. 164. 102. *Blondellus tract. de epiſcopis & presbyteris* ſupra cit. antiquitatis, & mediæ ætatis teſtimonia coacervavit. Et *jure Canonico* idem confirmatur *c. factus*, &c. *plebis*, &c. *nolle*, Diſt. 63. de presbyteris & paſtoribus non eſt quod probem. Praxis primitivę Eccleſiæ, & conſtans doctrina nimis hic liquida, ut oſtendimus in *Deſper. Cauſ. Papat. lib.* 2. *ſect.* 2. *cap.* 12. Addimus nunc, tempore Juſtiniani adhuc illud obtinuiſſe, quod docet novell. 123. *Ut quoties opus fuerit ordinare Epiſcopum coëant in unum clerici & primates civitatis*, &c. *&*

de

Digitized by Google

de tribus perſonis decreta faciant, &c. *ut ex tribus illis melior ordinetur electione & judicio ejus qui ordinandi jus habet.* Et tempore Concilii Quinti Aurelianenſis can. 10. *ubi cum voluntate Regis, juxta electionem Cleri & plebis fiebat ordinatio.* Jus illud Eccleſię & jure divino & antiquitatis conſenſu contra quaſcunqne uſurpationes Monarchicas aut oligarchicas aſſertum vide in noſtra *Deſperat. Cauſa. Papat. loco cit.* & eruditè à *Calvino Inſtitut. lib. 4. cap. 3.* & *Danaeo commentar. in 1 Timoth. 5. v. 22.* Adde Harmoniam confeſſionum ſpecialiter Belgic. *confeſſ. artic. 30. 31. Muſculum in loc. comm. de Miniſtris verbi pag. 118. 162. Junium in Eccleſiaſtic. lib. 1. cap. 7.* & in *Bellarmin. controv. V. lib. 1. cap. 7. Bullinger. in compend. Relig. lib. 6. cap. 15. Aretium in probl. part. 3. pag. 169. Bezæ confeſſ. loc. cit.* & *homil. 13. in Reſurrectionem, & tract. de Gradibus Miniſtrorum cap. 23. Bucerum in Math. 16. Zadeelem* & cum eo Eccleſiam Gallicanam in confirmat. *diſcipl. part. 3. art. 2. p. 205. Molineum, Johan. Actonium* & *Wernerum Helmichinum tract. de vocatione paſtorum.* Imprimis *Sibrandum Lubbertum*, & *Sopingium contra Grotium, Waleum de Jure Magiſtratus circa ſacra, Gerſonem Bucerum de Epiſcopatu & presbyterio p. 358.* &c.

Hoc autem moneo Eſſentiale vocationis eſſe liberam electionem; accidentale verò eſſe modum electionis ſive per ſuffragia ſingulorum ad hoc evocatorum; ſive per ſcrutinium, ſive per expreſſum aut tacitum aſſenſum, ſive per compromiſſum. Pleſſęus loco cit. *Quanquam verò populus eligit & electum presbyterio confirmandum proponit; interdum eligit presbyterium à populo poſtea confirmandum: conſtat tamen antequam munus illud obirent, perpetuo conſenſum & populi & Cleri, id eſt, totius eccleſia requiſitum fuiſſe.* Dicendum itaque Jus electionis Eccleſiaſticæ in presbyterio conſervari & per illud principaliter exerceri; non verò à populo tolli & in preſbyterium transferri. Quod enim quis per alium facit, per ſeipſum facere putandus eſt. Cum enim eccleſia conſtet & anteceſſoribus, & populo (tanquam partibus integrantibus) dicimus radicaliter poteſtatem eligendi reſidere in anteceſſoribus; adęquatè autem in totâ eccleſiâ, quę conſtat ex anteceſſoribus & populo.

Quod ſi exercitii hujus poteſtatis principium conſideremus, illud duplex eſt *quo* & *quod.* Principium *quo* eſt ſynedrium, quod nomine eccleſiæ & pro eccleſia eligit; quia ab eccleſia ad hoc conſtitutum eſt, ut colliges ex *queſt. catechetica* 85. & *Liturgia noſtra* in *formula confirmationis Seniorum* & *Diaconorum* Principium *quod*, eſt tota Eccleſia. Quod notandum contra ſarcaſmos *Grotii in Pietate Ordd. p. 78. 88.* quibus modum & ordinem electionum in eccleſiis Belgicis etiam à ſummis poteſtatibus nunquam non approbatum indigne exagitat. Sed quam bene rationi & mo-

modo per delegatos & anteceſſores eccleſiaſtica curandi, cum ſcripturis *Actor.* 20. 28. 1 *Theſſal.* 5. 12. *Actor.* 11. 30. & 21. 18. & cum aliis Eccleſiis Reformatis, atque antiquitate conveniat, egregiè eum docuit Sopingius ad num. 59. Et nos modo *Cyprianum*, *Chryſoſt.*, *Ambroſium*, &c. citavimus, qui eccleſię, presbyteris, Epiſcopis electionem tribuunt. *Sidonius Apollinaris lib.* 7. *epiſt.* 9. refert, populum diſſentientem in electione perſonæ, illud totum ad epiſcopos detuliſſe, qui determinabant.

Ex reformatis indico *Lutherum* in *libro de Inſtituendis Miniſtris ad Bohemos*, & altero Germanicè ſcripto cui titulus. *Quod Eccleſiæ poteſtatem habeant eligendi & deponendi Miniſtros*: Eundem in *Geneſ. tom. latino* 2. *fol.* 276. & *tom.* 2. Germanico. *Matth. Flaccium Illyricum* in *tractatu*, cui titulus: *Quod* Electio *Epiſcoporum non ad Eccleſiaſticos ſolum, ſed & ad Laicos (* ut vocant *) pertinet.* Ubi ſupra omnes, quos ergo quidem videre potui, operosè & eruditè hoc probat ex ſcripturâ, patribus, Conciliis, Decretis Pontificum, Legibus Imperialibus, hiſtoriis & multo uſu longaque experientia. Hæc ita ſcribebam anno 1637. Addo nunc *Calv. epiſt.* 89. *Tileni ſyntagm. tom.* 2. *diſp.* 25. *Synopſ. D. D. Profeſſor. Leidenſ. Diſp* 42. *theſ.* 31. 36. *Zepperi Polit. Eccleſiaſt. l.* 2. *cap.* 3. *Ameſ. lib.* 4. *Caſuum cap.* 25. *Balduin. lib.* 4. *cap.* 5. *caſu* 3. *Catecheſin. Belgic. quæſt.* 85. *Conſtit. Eccleſiaſticas Synodi Nationalis Dordrac.* 1578. & *Middelburgi* 1581. & *Hagæ Comitis* 1586. & decretum Ill. DD. Ord. Hollandiæ anno 1591. de inſtitutione & deſtitutione miniſtrorum, cum conſtitutionibus illis *ſynodi Nationalis Hagienſis*, anno 1612. Delfis editum. Adhæc perpetuam praxin electionum in Belgio perpetuo conſenſu Illuſtr. Ordd. & Magiſtratuum in ſingulis civitatibus, multifariam approbatum, quod contra Grotii inſultationes egregiè oſtendit *Sopingius ad num.* 68. & 71. Adde *Liturgiam Belgic. in formulis confirmationis Miniſtrorum & Seniorum*, Memorabile eſt quod de Imperatore Zenone refert *Nicephorus hiſtor. Eccleſ. lib.* 16. *cap.* 18. & *Evagrius lib.* 3. *cap.* 11. 12. qui electionis à ſe raptæ pœnitentia ductus illam Eccleſiis reſtituit, lege ſancita: *Illum fore Epiſcopum, quem clerus & plebs elegiſſent.*

Notandum autem authores hos patronis hodiernis & prætenſo patronatus exercitio directè opponi; Hi enim eccleſias & presbyteria ab omni electione excludi volunt, & tantum claſſibus à ſe electum, examinandum & confirmandum imponunt ac committunt. Et ſi aliquando alicubi eccleſiæ & presbyteria jus electionis exercuerint, excipiunt hoc totum fuiſſe ex ſpeciali indulto, aut mandato & delegatione Principum. Sic enim *Grotius* definit (ſed abſque jure divino, etiam abſque humano tum eccleſiaſtico tum civili) in Pietate Ord. pag. 59. *Sæpe quidem Reges jus eligendi Epiſcopos aliis* (ſive Clericis & eccleſiis, ſive patronis) *conceſſerunt aut le-*

ge,

ge, aut privilegio, aut delegatione: ſed manebat res ipſorum beneficii, & poterant ipſi electiones reſcindere. Satis timidè aut ſubdole? Cur non διαφυλάττει τὴν θέσιν? cur non dicit, (uti conſona dicturus, debuiſſet dicere); *& poterant ipſi electiones inſtituere, ſeu peragere: idque iure divino naturali, civili, antiquo eccleſiaſtico.* Ad exempla Moſis, Salomonis, Theodoſii, Valentiniani, & Regum Gallię à Grotio ibid. allata inter alios tam ſolidè reſpondit *Godefr. Sopingius*, ut æqui arbitri facile videant ſecundum hoc noſtrum argumentum nehilum quidem per ea labefactari poſſe. Et commentum illud de conceſſione per privilegium, mandatum, aut delegationem reſpuit propria Principum declaratio, quæ habet, Electionem per Clerum & populum, confirmationem à ſe factam eſſe, *ſecundum ſtatuta ſacrorum veterum canonum*: ut disertè, Carolus Magnus Legum Franciarum *cap.* 78. & in præfatione ad iſtas leges. Quam imprudenter. Idem *Grotius* inſultet Electionibus in Belgio uſitatis, applicando ipſis, quę de Jure Regio ex *Servino* & *Bilſono* deſumpſerat, verbis ipſius Bilſoni docuit illum modo laudatus *Sopingius*. Non poſſum, quin illa hic adſcribam. Sic ergò Bilſonus lib. de Perpetuo Eccleſiæ Regimine pag. 413. *Alioquin verò (tacente Spiritu S.) cuivis eccleſia ac populo (quibus conſenſu, more, vel lege probibitum non eſt) jure divino liberum eſſe fateor, ne quem admittant, aut ſuis ſumptibus alant, nec omnino ei tanquam paſtori morem gerant, in quem ipſi prius non conſenſerint. Atque hâc ratione popularis electio per ſe vel per rectores ſuos ab ipſo humana ſocietatis & communionis firmamento profluere videtur.* Ut autem conſtet quæ ſit genuina & communis ſententia Proteſtantium, (quidquid tanquam conſuetudine receptum obſervetur, aut tanquam malum bene poſitum alicubi ab illis toleretur; quidquid etiam ſit de particularibus factis nonnullorum) concludimus ſecundum hoc argumentum verbis apologiæ Confeſſ. Auguſtanæ tit. de Poteſtate & Juriſdictione Epiſcoporum: *Nam ubicunque eſt Eccleſia, ubi eſt ius adminiſtrandi Euangelii. Quare neceſſe eſt eccleſiam retinere jus vocandi, eligendi, & ordinandi miniſtros. Et hoc jus eſt donum propriè datum Eccleſia, quod nulla humana authoritas (N. B.) eccleſia eripere poteſt, ſicut & Paulus teſtatur ad Epheſios, cum ait. Aſcendit, dedit dona hominibus, & numerat inter dona propria eccleſia Paſtores & Doctores, & addit dari tales ad miniſterium & ædificationem corporis Chriſti. Ubi igitur eſt vera eccleſia, ibi neceſſe eſt ius eſſe eligendi & ordinandi miniſtros.* Et mox: *Idque etiam communiſſima eccleſia conſuetudo teſtatur. Nam olim populus eligebat paſtores & Epiſcopos. Deinde accededat Epiſcopus, ſeu eius Eccleſia, ſeu vicinus, qui confirmabat electum impoſitione manuum, nec aliud fuit ordinatio, niſi talis comprobatio, &c. Ex his omnibus liquet eccleſiam retinere jus eligendi & ordinandi miniſtros.*

* *Tertium Argumentum.*

Quia hujus juris fundamentum eſt malum, ergo & ipſum eſt malum. Eſt autem fundamentum ejus, contractus innominatus *Do ut des*; patrono enim donanti olim & hoc agenti, aut vi majori quaſi extorquenti, viciſſim quid dedit ſive indulſit Epiſcopus cum Papa, ut ſupra *cap.* 1. notavimus. Atqui talis contractus in ſacris eſt illicitus, quippe implicans *ſimoniam*, *ſacrilegium* & *eleëmoſynæ profanationem.*

Simoniam; quia intercedit voluntas rem ſpiritualem pretio contractandi: hęc enim ſimoniæ definitio, quam explicatam vide apud practicos tum noſtros tum Pontificios, inter alios apud *Toletum lib.* 5. *capit.* 84. Et nos de eo egimus in 4. *part. ſel. diſpp. tit. de Simonia.*

Sacrilegium, idque tam ex parte Epiſcopi & Papæ ſive donantis ſive tolerantis; quam ex parte patroni acquirentis & recipientis. Res ſacra (poteſtas ſcil. deſpiciendi, deſignandi, eligendi, conſtituendi miniſtros nomine Chriſti,) cum ſit communitatis ſeu plurium, appropriatur uni alicui & ab illo uſurpatur. Jam vero hoc eſt ſacrilegium abalienare rem ſacram, & Eccleſiæ eripere. Non enim illa poteſtas eſt Epiſcoporum aut Pontificum.

Eleëmoſynæ profanationem, quia patronatus emptores dant aliquid Deo & Eccleſię, aut amore Dei dare ſe prætendunt, ſed ut ſibi dent & ipſi in Eccleſiâ dominatum & monopolium exerceant; quod non eſt caritatis ἀνυποκρίτου *Rom.* 12. 9. ſed eſt potius cum hypocritis mercedem ſumere ab hominibus *Matth.* 6. *v.* 2. Vide quæſo ibi commentatores, & practicos ac Caſuiſtas de Eleëmonſyna. Plane enim pugnat *eleemoſynæ* ſtipulari viciſſim munus à manu, aut linguâ, aut officio, aut ſtipulari aliquam ſervitutem. Atqui jus patronatus eſſe ſacrorum & Eccleſiis ſervitutem docent Panormitanus aliique Canoniſtæ ad tit. de Jure Patronatus: & donationes (quas in antiquâ Eccleſiâ oblatas & ſtipem dicebant) Eccleſiis factas eſſe eleëmoſynas, notant omnes tum noſtri tum Pontificii, ubi agunt de origine bonorum Eccleſiaſticorum: de quo nos ſupra *part.* 1. *lib.* 4. *Zepperus de legibus Moſaic. l.* 4. *cap.* 10. *Hoſpinian. de Templis lib.* 5. *cap.* 5. Et ex Pontificiis Doctor Scorbonicus *Nicol. le Maiſtre* de Bonis & Poſſeſſ. Eccleſiarum. *Aubertus Miraus de Collegiis Canonicorum.* Imprimis autem hoc verum eſt de donationibus ſequiorum ſeculorum, quæ dicuntur factæ in remedium *aut* ſalutem animarum ſuarum: Poſtquam jam invaluiſſent pravę opiniones de ſtatu animarum, & de ſuffragiis pro defunctis. Vide diplomata Donationum apud *Molanum de Canonic. lib.* 3. *c.* 4. & *Aubertum Miraum lib. de collegiis Canonic. p.* 159. Non poſſum, quin adſcribam hic verba Zepperi lib. 2. c. 26. „Ne „enim iis, &c. qui in ſacrum aliquid contuliſſent uſum, beneficium periiſſe

„ tiiſſe videtur, perpetuaque exſtaret memoria quædam & gratitudo, ju-
„ ris civilis imitatione, à canonibus conſtitutum eſt jus patronatus, &c. ut
„ habetur *C. 16. quæſt. 7. c. Decernimus*, & *Extrav. de Jure patronatus. c.*
„ *Nobis*. Verum tam præclarum fundationis vel donationis beneficium,
„ ambitione & arrogantiâ tali vel aucupio, quod inde patroni vel collato-
„ res faciunt, aurique adeo ſacrâ fame inficiendum & corrumpendum
„ non eſt, ſed gratis & liberaliter eccleſiis impendendum. Quo nomine
„ Gelaſius Papa Julium quoque commendat, &c. uti apud Gratianum *c. 16.*
„ *qu. 7. exſtat*: Piæ mentis devotio eſt, quâ ſe nobis Julius in re Julianâ ſui
„ juris fundaſſe perhibetur eccleſiam, &c. Hanc igitur, &c. ex more con-
„ venit dedicari, collatâ primitus donatione ſolenni, quam miniſtris ec-
„ cleſię deſtinaſſe ſe præfati muneris teſtatur oblator, ſciturus ſine dubio;
„ præter proceſſionis aditum, qui omni Chriſtiano debetur, nihil ibidem
„ ſe proprii juris habiturum. In quam ſententiam alterum adhuc decretum
„ loco jam citato apud Gratianum ſequitur. Unde fit, ut quidquid tandem
„ Canoniſtæ garriant, prior, quam allegavi, ſententia de Advocatis vel pa-
„ tronis Eccleſiarum, veriſimilior. Nam à patronis etiam, qui hodie ita vo-
„ cantur, rariſſimè, ſi modo unquam, pręſtatur, quod ipſa jura Canonica
„ volunt *C. 16. quæſt. 7. c. Filiis.*

* *Quartum Argumentum.*

Quia pari immo majori ratione oblatæ ſeu donationes ditiorum, fundare poſſent jus eligendi ad diaconiam & μελέτην: ſed hoc abſurdum *Actor. 6. 1 Tim. 3.* item jus conſtituendi ſeniores, & ex Theologis examinatores candidatorum miniſterii à ſe præſentatorum, item confirmatores ſeu ἐπιθέσεως τ̃ χειρῶν. Nulla enim hic ratio diſparitatis adferri poteſt. Omnia enim illa æquè pertinent, ad poteſtatem Eccleſiaſticam, aut non pertinent.

* *Quintum Argumentum.*

Pari jure ditioribus vendi potuiſſet deſtitutio & remotio miniſtrorum; & patroni eodem fundamento illam uſurpabant aliquando. Jus Canonicum quidem præcavere ſtuduit, diſtinguendo inter Inſtitutionem & præſentationem, illamque patronis ſub pœna excommunicationis prohibendo. Cui diſtinctioni & aliam addunt, quod Rector inſtitutus non habet à patrono principaliter, ſed à ſuperiore inſtituente: apud *Vivianum in Ration. tit. cit. c. 9.* Sed diſtinctiones illas, & autoritatem principalem Inſtituentis (in quibuſcunque illa, ſublato apud nos Epiſcopatu, nunc reſideret) patroni noſtri non curarent. Non videmus itaque quomodo damnoſa conſequentia, quam innuimus, reſecari aut præcaveri queat.

* *Sextum Argumentum.*

Hâc ratione electiones miniſtrorum ad catechumenos, pueros, fœminas,

Digitized by Google

nas, Atheos, Libertinos, apoſtatas, hæreticos, Idololatras, breviter quoſcunque religionis & eccleſiæ juratos hoſtes transferuntur. Nam jure Canonico non excluduntur fæminæ, aut pueri, ut ſupra *cap.* 1. dictum eſt: & more patriæ noſtræ religio quæcunque nullum adfert præjudicium in poſſeſſione & uſu prædiorum aut toparchiarum, quibus annexum eſt jus patronatus. Sed repugnat juri divino, antiquitati, reformationi, rationi, ut fæmina exerceat in eccleſiâ publicam poteſtatem, cui in agendis eccleſiaſticis per ſe nullum relinquitur ſuffragium 1 *Tim.* 2. 12. & 1 *Cor.* 14. 34. Idem dicendum de pueris, & catechumenis. Ab hęreticis, apoſtatis & eccleſiæ hoſtibus dari fideles paſtores, tantundem eſt ac ſi ovibus cuſtodes conſtituantur à lupis. Et quis paſtor à talibus conſtitutus, quæ eccleſia conſtitutos recipiens, perſuaderi poterit in illo actu patroni aliquo modo impletum eſſe illud Joh. 20. *Sicut miſit me Pater ſic ego mitto vos.* Ephel.4. *Dedit alios quidem Apoſtolos*, &c.

* *Septimum Argumentum.*

Quia jus illud comparatum eſt, ut patroni aut patronorum neceſſarii, conſanguinei, clientes, beneficiarii, ſupplices, obnoxii, aulici Gnathones, partem emolumentorum & redituum paſtoralium (ſive patronis ſive aliis ad ipſorum nutum cedentibus; & contractu ſuper hoc inter præſentandum & patronum collaturum inito) partem, inquam, ſæpe majorem auferant; atque ita indigniores, immo & indigiſſimi Eccleſiis invitis obtrudantur, digniores arceantur. Quam turpem in ſacris προσωποληψίαν ſatis evincit multorum ſeculorum experientia, & fatetur immo & probat ex parte *Jeſuita Azorius part.* 2. *lib.* 16. *cap.* 18. Et *Fileſacus, Andr. le Maiſtre* loc. cit. Ne quid meis verbis videar dicere, audiatur Melanthon in loc. commun. tit. de Sacramentis. *Baſilius queritur ſuo tempore lectos eſſe ad gubernationem eccleſiæ ſervorum omnium viliſſimos, indoctos, & ignavos. Poſtea cum opes creverunt, functiones eccleſiaſticæ fuerunt prædæ potentibus. Ipſum vero miniſterium neglectum eſt, & per mercenarios indoctos partim ſuperſtitione, partim avaritiâ depravatum eſt. Nunc rurſum etiam in illis locis ubi doctrina ſincera recepta eſt, admittuntur ad miniſterium multi indocti & ignavi. Quia potentes totam hanc rem negligunt, nec tuentur ſtudia, nec curant alii miniſtros. Ita perpetuis difficultatibus in hoc mundo eccleſia conflictatur: quas pii conſiderare debent, ut ſuo quiſque loco quantum poteſt, eas leniat, ut etiam Deus mitiget pœnas.* De iiſdem incommodis, ſpecialiter de Simoniacis contractibus & nundinationibus vide etiam ex noſtris Synodum Groninganam & Drenticam per deputatos ſuos & *Acronium lib. de Vocatione miniſtrorum* p. 33. 34. 35. edit. Belgicæ Middelburgenſis in 4.

* Octa-

Digitized by Google

** Octavum Argumentum.*

Quamvis in ſe non eſſet malus hic patronatus, tamen quia ſaltem in eo ſpecies mali eſt & colluſio cum monarchiâ Papali & oligarchiâ pſeudo clericali; quia etiam ſunt mera excelſa Antichriſti & pons reducendo Papatui aut introducendo in eccleſiam ſive mundo ſive libertiniſmo maximè idoneus: utique arbor illa radicitus exſcindenda eſſet ab iis, qui pietatem amant. Papam autem fimbrias ſuæ prætenſæ poteſtatis tam temporalis quam ſpiritualis non parum dilataſſe per decretale, & extravagantes de *Patronatu*, vel inde conſtat quod hac ratione apertè exercuerit Jus Majeſtaticum, figendi & condendi leges eaſque titulo Juris toti orbi Occidentali, quantum in ſe erat, præſcribendi, & Ipſos Reges ac Principes iis ſubjiciendi. Ne dicam opes eccleſiaſticas, atque adeo potentiam Papæ ex munificentiâ laicorum, contra ipſos laicos in immenſum adauctam. Quod nimium ſentirent patronatuum patroni, ſi Papatus denuo apud nos obtineret.

** Nonum Argumentum.*

Quia jus illud neceſſario annexum & implicitum eſt τοῖς βιωτικοῖς, id eſt, *negotiis hujus vitæ ſeu ſæcularibus*; quorum tranſlatio & profeſſio millenis fori vitilitigationibus obnoxia eſt. *Hinc* enim diviſiones eccleſiæ inter hæredes, & præſentationes trium aut quatuor paſtorum ad tot partes tum redituum tum miniſterii: cujus exemplum habent in *Concilii Triburienſ.* & *Mediomatric.* deciſionibus; quæ exſtant in antiquis collectionibus decretalium (quas *Car. Labbaus* cum notis & emendationibus *Anton. Auguſtini* & *Cujacii* a. 1609. Pariſiis edidit) *collect.* 1. *libr.* 3. *tit.* 33. *De jure Patronat. c.* 1. & 2. *Hinc* ad ſingulas patronorum ſecundum humanam conditionem mutationes, eccleſiarum ordinationes directè aut indirectè mutarentur, Exemplum habetur h. t. *cap.* 9. *Quinimo*, propter diſcordias patronorum ſępiſſimè eccleſias vacare & ſacra ceſſare contingeret, de quo in *Decretal. tit. cit. cap.* 1. 2. Statutum etiam, ut in plures hæredes unius ex pluribus patronis, tranſeat jus patronatus per ſtirpes. In *Clementin. tit. de Jure Patronat.* 1. *Plures*. Et ſexcentæ aliæ tricæ ex Jure civili, de Præſcriptione, ſucceſſione, renunciatione hæreditatis; excluſione ab hæreditate; Fidei-commiſſo, Emptione; donatione; permutatione: caſtri aut villę (cui jus patronatus adhæret), hypothecatione, aut locatione, aut ſequeſtratione: de quibus tum diſputationes & conſilia Doctorum, tum judicia judicum ſecundum formam & figuram proceſſuum exſpectanda ſunt. Vide autores ſupra *cap.* 1. An putamus ſupremum illum Eccleſiæ Magiſtrum res & præfecturas ſacras oppignerationibus, emphyteuſibus, venditionibus, hæreditatum diviſionibus, &c. una cum prædiis ſubjectas voluiſſe, & ſacrorum

atque eccleſias illis minimis judiciis aut actionibus perpetuo occupatas? Vide 1 *Corinth.* 6. *v.* 1. 2. 3. 4. Aut (quod pejus eſt & apud nos nonnulli patroni velint) ut rotis judicum ſæcularium, & in infinitum extractis pragmaticorum forenſium exceptionibus, famelicæ & vacantis eccleſiæ ædificatio alligetur.

* *Decimum Argumentum.*

Quia Deus ut ordini à ſe conſtituto benedicit, ſic huic invento humano ſemper maledixit. Minus vigent & florent eccleſiæ Doctrinâ, moribus, pace, ordine & diſciplinâ, ubi obtinent hæc & ſimilia circa vocationes eccleſiaſticas ἀτλήματα, quod non obſcurè fatetur *Toßanus in Paſtore Euangelico cap.* 3. Quin immo, plerumque miſerandæ confuſiones, contentiones & vexationes in Eccleſiâ hinc oriuntur. Adeo ut non immerito proximum locum huic auro Tholoſano aſſignare poſſis inveſtituris Abbatum & Epiſcoporum, quibus tot calamitates ſuas debet orbis Chriſtianus. De quibus videant noſtri *Myſterium iniquit. Pleſſæi*, & Pontificii *Collect.* 2. *decretal. lib.* 3. *tit.* 33. *Annales Baronii* anno 1007. *n.* 4. 5. *Andr. le Maiſtre* & *Fileſacum lib. cit.*

* *Undecimum Argumentum.* *

Quia hac ratione & presbyteri & quicunque Eccleſiæ cives, ſi tenuioris fortunæ ſint, ab electionibus & jure pręſentandi in perpetuum excluduntur: nunquam enim illud acquirent, ut meritis in eccleſiam ſpiritualibus donis atque exercitiis reliquos omnes ſuperent; quia deſunt ipſis nummi. *Bilſonus libr. cit.* diſerte ab electione excludit pauperes & prædiorum colonos. Quod ſanè προσωποληψίαν recipit, qualem perſtringit Apoſtolus Jacobus *c.* 2. *v.* 1. 2. 3. 4.

* *Duodecimum Argumentum.*

Quia plane monſtroſum eſt poteſtatem aliquam eccleſiaſticam electivam ſcil. hæreditario jure ſuccedere; multo magis monſtroſum, eam pretio vendi. Nam quod diſtinguitur non poteſtatem vendi, ſed predium cui poteſtas annexa, id multo turpius eſt. Quis unquam vel fando audivit in N. T. aut in V. (ubi tamen hęreditaria quaſi ſucceſſio ſacerdotii) poteſtatem ſpiritualem & eccleſiaſticam prædio aut toparchiæ tanquam umbram corpori ſuo conjunctam eſſe, adeo ut ſubjectum ſeu vehiculum poteſtatis ſit prædium.

* *Decimum tertium Argumentum.*

Quia David, Salomon, Ezras, Nehemias, centurio *Luc.* 7. 5. aliique populi primores quos in ſcripturis fundaſſe aut dotaſſe legimus, nullum tale jus hæreditarium ſibi ſtipulati ſunt, nec unquam vindicarunt tanquam dotatione illâ quæſitum. Percurrant etiam loca *Act.* 4. 2 *Cor.* 8. *Phil.* 4.

Rom.

Rom. 15. 1 *Cor.* 4. *Gal.* 6. ubi occaſione oblationum & dotationum maximè opportunum fuiſſet hujus juris inde reſultantis meminiſſe: & videbis nihil tale comparere.

* *Decimum quartum Argumentum.*

Quia novum eſt hoc jus patronatus ſequioribus eccleſię ſeculis, decreſcente fide ac pietate, introductum; tandem ab Epiſcopis & Papis admiſſum, certis legibus roboratum, & juri canonico inſertum *c. Nobis fuit.* partim propter duritiem hominum ἀπίστων & ambitioſorum; partim ut ditiores & magnates prętantiſſimis prædiis emungerent; partim ne in prædæ Eccleſiis ablatę poſſeſſione turbarentur ab illis, qui authoritate & opibus muniti potuiſſent ſi voluiſſent (ſiquidem Papæ cum ſuis hierarchicis in hoc ſimile quid feciſſe videntur, quale lupi, qui canibus ovium cuſtodibus partem prędę impartiebantur) : partim denique, quia ipſi eripientes ſæcularibus magnam partem poteſtatis divinitus ipſis conceſſæ, debuerunt hoc pati, & maluerunt exemplo Imperatoris bellici pati hanc qualemcunque jacturam, quam magnis ſuis auſis excidere; præſertim cum ſuprema mutandi, limitandi, inhibendi poteſtas ſemper penes ipſos maneret. Eſſe autem novum hoc malum inde conſtat, quod ante Auguſtini tempora nulla vel minima ejus mentio. Addimus tempore Juſtiniani quamvis lineamenta & ſciographia quędam compareret (*vide novell.* 57.) toto cœlo tamen ab hoc informi patronatus monſtro diſtabat. Neque enim ultra minores (ut vocant) clericos progrediebatur, quibus nullus tunc locus in Eccleſię regimine. Sed à paſtorum ſeu Rectorum (qui tunc κατ' ἐξοχὴν erant epiſcopi) electione excluſi erant, quod diſcimus ex *novell.* 123. Ubi ſancitur ut ad Electionem Epiſcopi convenirent omnes Clerici & primores civitatis. Quod ſi analogicè patronatum, hoc eſt jus præſentandi ſeu commendandi, non verò eligendi aut conſtituendi tunc temporis conceſſum, eccleſiis noſtris applicare velles, in nullis locum haberet quam in ædituis, cantoribus, prælectoribus, Catechiſtis, ludimagiſtris, illi enim ſunt minores Clerici, ſi ita loqui liceat. Atqui controverſia hic eſt de præſentatione paſtorum. Quod autem nonnulli excipiunt cum *Grotio in Pietate Ordd.* & **Anonymo* ipſius *Hyperaſpiſte in lib.* Bona fides Sibrandi; *n.* 13.65. Papatum non eſſe autorem hujus juris, quod ſemper fere illi obſtiterit: illud argumentum noſtrum non tollit. Ut enim prædonis de injuſtâ prædâ poſtmodum orta & reciprocata contentio cum illo, cui prius partem illius prædæ volens nolens conceſſerat, non negat originem iſtius conceſſionis: ſic nec oppoſitio Clericorum Papalium adverſus patronatum laicalem (ſeu potius hunc vel illum ejus uſum) non negat primam ejus inſtitutionem aut conceſſionem à Papatu. Oſtendant ex hiſtoriis, aut jure civili, tale jus Epiſcopos aut

paſtores præſentandi, cognitum primis eccleſiæ ſęculis. Si daretur (quod tamen nondum probatum eſt) ante annum natalem Antichriſti, qui eſt 607. aliquos uſurpaſſe præſentationem miniſtrorum, unde conſtabit illud eorum factum fuiſſe jus publicum ſive eccleſiaſticum ſive politicum. Hic antiquitatis teſtimoniis omni exceptione majoribus, imprimis antiquis canonibus eccleſiaſticis, atque inſuper legibus ex corpore juris, non logis & cavillationibus agendum eſſet. Sed hic obmuteſcunt. Nam quæcunque poſt *Bilſonum lib. de perpetuo eccleſ. Regimine p.* 439. *Marſilium Patavinum*, imprimis *Servinum in Vindiciis*, à *Grotio pr.* 90. 91. adferuntur ad hanc rem non faciunt. Diſputant enim de Jure Principum ac ſupremarum poteſtatum conſtituendi idoneos miniſtros; quod differt à jure patronatus, de quo controvertitur. Non ſunt enim ſupremæ poteſtates in Belgio quicunque nobiles, patricii, toparchæ aliique ditiores, etiam fœminæ, penes quos agri, vici, fundi alicujus (cui patronatus annexus) dominium utile; de quorum jure hodie controvertitur: non verò de Jure patronatus ipſorum Ordinum, quippe qui illud ſibi nec tribuunt, nec in vicis & civitatibus, ubi conſtitutæ Eccleſiæ & ſynedria, uſurpant aut unquam antehac uſurpâſunt. Atqui ſupremis poteſtatibus (ex. gr. Ordinibus Hollandiæ in Hollandiâ) ſolus *Joh. Wtenbogardus Grotio* laudatus, & ipſe *Grotius* poteſtatem eccleſiaſticam, ſeu jus Majeſtatis ſacrum, tribuunt. An poteſtas eccleſiaſtica & ſpecialis poteſtas eligendi, conſtituendi, aut præſentandi miniſtros jure divino aut humano ſolis competat ſupremis poteſtatibus, & quantum iſtis olim tributum fuerit, aut non fuerit, alibi diſquiritur. Hic de ſolo patronatu controverſia eſt. Manet ergo titulum & formam hujus Juris altius accerſi non poſſe, quam à Jure Canonico & autoritate Papali; originem verò primo primam & rudimenta, non niſi à ſequiorum ſæculorum quamplurimis ἀτάξιαις, & miſerandis confuſionibus; ut ſupra oſtendimus, cum de origine ejus ageremus.

* *Decimum quintum Argumentum.*

Quia ſiquidem antiquitus per errorem & malè jus qualecunque ſtabilitum fuiſſet, tamen hodierni patroni maximam partem eo excidiſſent: non enim pręſtiterunt conditiones, nec onera ſubierunt à prædeceſſoribus ſuis in acquiſitione patronatus ſuſcepta. Erant autem onera illa, ut eccleſiam collapſam inſtaurarent, incendio vaſtatam reædificarent, miniſterio eccleſiaſtico de neceſſariis & ſufficientibus mediis, quacunque occaſione proſpicerent. Aliter enim Papę aut epiſcopi Jus illud nemini concedebant. Videantur modo Concilia, & *Jus Canonicum*, quæ pro patronatu allegari ſolent. Quærant autem patroni coram Deo à conſcientiâ ſuâ; an ipſi cum prædeceſſoribus ſuis conditiones illas ſemper rite præſtiterint: & an nulli

ſint

ſint qui potius ex eccleſiaſtico peculio in proprios uſus quidquam converterint, aut inſtar veſparum mel paſtorale depaverint. Vide quid *ſynodus Groningana* per deputatos ſuos & *Acronium* III. Provinciæ iſtius Ordinibus retulerit, in libello 1605. Groning. edito.

CAP. IV.

Argumenta ſpecialia, ab abſurdo conſequenti, & ad hominem.

ADdimus nunc iſta argumenta partim ſpecialia partim ad hominem, ut vocant.

* *Argumentum primum.*

Quia repugnat illud jus libertati & poteſtati miniſteriali ſingulis Eccleſiis in Belgio conceſſæ. Quia reformatorum apud nos communi fide, profeſſione, ac praxi ſervitus omnis Epiſcopalis, cathedralis, &c. ablata, & cuilibet Eccleſiæ proteſtas regiminis (cujus adminiſtratio & executio penes ſynedrium ſeu presbyterium) reſtituta eſt, ut conſtat ex liturgiâ, Conſtitutionibus Eccleſiaſticis, Confeſſione, Catecheſi, & perpetuo Eccleſiæ noſtræ regimine. Si ergo dominium Clericale ſeu Epiſcopo Papale ceſſat, quomodo patrono-laicale perſiſtet, quod tantum morbi iſtius erat ſymptoma? Si lex ceſſat, quia partim mala, partim libertati & Reipublicæ Belgarum minime conveniens judicata fuit, quid legis iſtius limitatio ſeu conditio annexa, niſi modus ſine re, accidens ſine ſubjecto, ramus abſciſſus ſine trunco? Epiſcopi & Clerici Papales Eccleſiæ ac presbyterii jus in ſe tranſlatum tenebant; inde, partem prædæ patronis conceſſerunt quamvis volentes nolente animo. Convenit ergo patronatui ſeu reliquiis ſpoliorum clericalium cum reſtitutione reformationis noſtræ, ut igni convenit cum aqua. Accedit quod ſecundum *jus canonicum* (unde patronatum ſuum derivant) nullis patronis laicis fas eſt ſe intermiſcere electioni rectorum ſeu Epiſcoporum (qui apud nos nunc ſunt paſtores) in Eccleſiis conventualibus ſeu collegiatis, ſed *electionis jam factæ honeſtius poſtulatur aſſenſus.* Sunt verba *decretalis tit. de Jure patronat. c. Nobis.* Quæ prolixius vide ibi explicata à Panormitano; & in tractatibus de Jure Patronatus *Rochi de Curte Papienſis pag.* 2. 9. 260 *Pauli de Citadinis. p.*587. 688. Confer etiam Canoniſtas de c. *decernimus* & *c. cum terrâ.* Unico in caſu patronum laicum poſſe electioni intervenire tradit *gloſſa ad c. Nobis*: ſi ſcil. conceſſionem illam habet à Papâ, quod oſtendere debet. Canoniſtæ hanc cauſam inter alias ſublati ſeu ceſſantis hujus juris aſſignant, cum Eccleſia parochialis mutatur in conventualem, aut collegiatam. Vide *Lanceloti Inſtitu-*

Digitized by Google

tutiones lib. 1. *tit.* 28. *Tollitur*; & authores ſupra cit. Eſſe autem Eccleſias Belgicas (ſaltem analogicè, aut cum peculiari modificatione ad reformatam politiam eccleſiaſticam) dicendas *collegiatas*, quippe quæ ſingulę habeant Epiſcopum ſeu paſtorem, & adjutores eccleſiaſticos (ſeniores ſcil. & diaconos) atque adeo ſynedrium, ſeu presbyterium, ſeu ſenatum Eccleſiaſticum (ut loquitur liturgia noſtra in formulâ confirmationis Seniorum) colligimus ex *Paulo de Citadinis* loc. cit. & *Henrico Boich c.* 19. *n.* 6. 7. 8. „Ubi „in una Eccleſia ſunt plures clerici, ſaltem tres, in unum corpus aſſociati, „& habent arcam communem, & res communes & actorem ſive ſyndi„cum, & utuntur ſigillo; ibi eſt jus collegii; & retinetur illud jus & ſpe„cialiter in electionibus exercetur; etiamſi reliquis mortuis tantum „duo, immo vel unus ſupereſſet, qui eliget non nomine ſuo ſed eccleſiæ. „Hæc ibi *Henr. Boich ex Panormitano ad c. Nobis.*

* *Argumentum ſecundum.*

Quia ceſſante cauſa ceſſat effectus, ſublato fundamento tollitur relatio: ſed cauſa & fundamentum juris patronatus apud reformatos ceſſat, Hierarchia ſcil. ſeu poteſtas Papalis & Papæ-Epiſcopalis, cum omnibus ſervitutibus & ſubjectionibus Eccleſiarum, cum dependentia unius ab aliâ, aut à clericis ſaltem alterius eccleſiæ, cum univerſa juris Pontificii rhapſodia, cum diſtinctionibus inter capellam, parochialem, cathedralem, conventualem ſeu collegiatam Eccleſiam, adhæc inter Parochum rectorem ſeu curatum, inter presbyterum docentem ſeu ſacerdotem (quos clericos minores & adjuvantes vocant) & inter Epiſcopum ſeu prælatum tum regularem tum ſæcularem; cui tanquam gubernatori κατ' ἐξοχὴν paſtoris nomen appropriant. Ceſſat etiam mixtura ὑπεροχικῆς functionum ſacrarum cum ſæcularibus, nec jam locum ſibi ſumunt paſtores reformati inter primarios regni ſeu coronæ & Regum miniſtros atque officiarios, nec proceres ſunt in Republicâ, nec toparchias aliaque regalia poſſident, ſed puri puti ſunt eccleſiaſtici. Sublatis ergo illis Patronatus irritamentis & retinaculis, ipſum jus à ſacris auferendum erat.

* *Argumentum tertium.*

A majori ad minus. Patronatus clericalis apud nos ſublatus eſt, qui tamen majori juris ſpecie prætenditur; quid ni ergo laicalis auferatur. Si quis excipiat, Clericos ſublatos & bona Clericalia, ergo & Patronatum: reſpondemus *primo*, etiam ademptum iis patronatum quibus bona non ſunt adempta; e. g. Abbati S. Trudonis ſubdito Imperii, qui in his Provinciis etiamnum alicubi ſtipendium concionatori exolvere, domum & templum ædificare coactus fuit abſque ullo uſu patronatus: eſt enim tota vocatio Eccleſiæ & presbyterio, (in Aelburch/ in territorio Heuſdano)

in

in ſolidum relicta; hoc ſolo fundamento, quia publica religionis mutatio & reformatio ita ferebat; ut & edicta publica omne Romano-eccleſiaſtici cultus, ritus, juris, poteſtatis, ordinis exercitium clericis prohibentia. De his ita tranſigere coactus fuit & tranſegit a. 1610. *D. Watſonus* tunc Abbas Trudonenſis cum Ampliſſ. DD. Delegatis Illuſtr. Ordd. Hollandiæ. *Deinde* Clerici non ſunt exacti, ſi qui voluerint hic boni cives eſſe: nec etiam bona omnia eccleſiaſtica, nedum propria ipſis ablata, ſed tantum poteſtas Papæ clericalis. Cujus poteſtatis in regimine Eccleſiæ cum limbus aut lacinia aut quaſi pars aut præambulum (ut nonnulli Canoniſtæ loquuntur) ſit jus patronatus; utique & illud pariter tunc ablatum eſſe intelligendum eſt, & ſic intellexerunt jam inde à recepta in Belgio Reformatione aliquot luſtris plerique patroni, nec unquam decretis Politicis & Eccleſiaſticis, aut currenti praxi (quæ nunc juri ſuo præjudicare putant) ſe oppoſuerunt.

* *Quartum Argumentum.*

Quia ſequeretur hoc abſurdum, Eccleſiis patronatis minus libertatis ac poteſtatis relictum eſſe, quam Anglicis, Gallo-Belgicis, in noſtro Belgio; immo quam cœtibus Anabaptiſticis, aliiſque ſectariis, adde & ipſis Judæis in Belgio. Illis enim permittitur ſuos ſibi eligere paſtores, abſque patronatu. Minus certe non debebat concedi civibus & filiis familias, quam extraneis; Chriſtianis quam Judæis; orthodoxis & ejuſdem religionis conſortibus, quàm ſectariis.

Si quis excipiat, eos non frui ſtipendiis & beneficiis, quibus Eccleſiæ noſtræ, *Reſp.* 1. Si quidem hic trabalis ſervitutis clavus; malint iis Eccleſiæ patronatæ non frui, nec pœnitere tanti emere; & facile de eo tranſigi poſſet, ut infra videbitur. *Reſp.* 2. Stipendia & ſubſidia non habent à patronis ad miniſtrorum ſuſtentationem, templorum & ſcholarum ædificationem, ſed ex reditibus eccleſiaſticis & etiam alicubi (ubi illi non ſufficiunt) ex collectâ, aut privatorum quorundam liberalitate, aut ex publico ærario, idque cura & liberalitate Procerum & Senatorum, qui Reipubl. præſunt. *Reſp.* 3. In Eccleſias ſaltem Gallicas & Anglicas non minora beneficia ex eodem fonte derivantur, quam in Belgicas patronatus.

* *Quintum Argumentum.*

Quia ut patronatus omnibus Reformatis debebat eſſe ſuſpectus, quippe ex lacunis Antichriſti ad nos derivatus: ſic hodiernus, qui prætenditur, imprimis debebat eſſe, quia papalem dupliciter pejori papalitate auget. Ibi erat limitatus, hic abſolutus: ibi dependens & quidem ab eccleſiaſticis, eorumque moderamini & arbitrio ſubjectus; hic quaſi independens & ſupremus, immo plane independens, quotieſcunque cum Jure Majeſtatis in

eâdem

nas, Atheos, Libertinos, apoſtatas, hæreticos, Idololatras, breviter quoſcunque religionis & eccleſiæ juratos hoſtes transferuntur. Nam jure Canonico non excluduntur fæminæ, aut pueri, ut ſupra *cap.* 1. dictum eſt: & more patriæ noſtræ religio quæcunque nullum adfert præjudicium in poſſeſſione & uſu prædiorum aut toparchiarum, quibus annexum eſt jus patronatus. Sed repugnat juri divino, antiquitati, reformationi, rationi, ut fæmina exerceat in eccleſiâ publicam poteſtatem, cui in agendis eccleſiaſticis per ſe nullum relinquitur ſuffragium 1 *Tim.* 2. 12. & 1 *Cor.* 14. 34. Idem dicendum de pueris, & catechumenis. Ab hęreticis, apoſtatis & eccleſiæ hoſtibus dari fideles paſtores, tantundem eſt ac ſi ovibus cuſtodes conſtituantur à lupis. Et quis paſtor à talibus conſtitutus, quæ eccleſia conſtitutos recipiens, perſuaderi poterit in illo actu patroni aliquo modo impletum eſſe illud Joh. 20. *Sicut miſit me Pater ſic ego mitto vos*. Ephel. 4. *Dedit alios quidem Apoſtolos*, &c.

* *Septimum Argumentum.*

Quia jus illud comparatum eſt, ut patroni aut patronorum neceſſarii, conſanguinei, clientes, beneficiarii, ſupplices, obnoxii, aulici Gnathones, partem emolumentorum & redituum paſtoralium (ſive patronis ſive aliis ad ipſorum nutum cedentibus; & contractu ſuper hoc inter præſentandum & patronum collaturum inito) partem, inquam, ſæpe majorem auferant; atque ita indigniores, immo & indigiſſimi Eccleſiis invitis obtrudantur, digniores arceantur. Quam turpem in ſacris αἰσχροληψίαν ſatis evincit multorum ſeculorum experientia, & fatetur immo & probat ex parte Jeſuita *Azorius part.* 2. *lib.* 16. *cap.* 18. Et *Fileſacus*, *Andr. le Maiſtre* loc. cit. Ne quid meis verbis videar dicere, audiatur Melanthon in loc. commun. tit. de Sacramentis. *Baſilius quæritur ſuo tempore lectos eſſe ad gubernationem eccleſiæ ſervorum omnium viliſſimos, indoctos, & ignavos. Poſtea cum opes creverunt, functiones eccleſiaſticæ fuerunt præda potentibus. Ipſum vero miniſterium neglectum eſt, & per mercenarios indoctos partim ſuperſtitione, partim avaritiâ depravatum eſt. Nunc rurſum etiam in illis locis ubi doctrina ſincera recepta eſt, admittuntur ad miniſterium multi indocti & ignavi. Quia potentes totam hanc rem negligunt, nec tuentur ſtudia, nec curant alii miniſtros. Ita perpetuis difficultatibus in hoc mundo eccleſia conflictatur: quas pii conſiderare debent, ut ſuo quiſque loco quantum poteſt, eas leniat, ut etiam Deus mitiget pœnas.* De iiſdem incommodis, ſpecialiter de Simoniacis contractibus & nundinationibus vide etiam ex noſtris Synodum Groninganam & Drenticam per deputatos ſuos & *Acronium lib. de Vocatione miniſtrorum* p. 33. 34. 35. edit. Belgicæ Middelburgenſis in 4.

* *Octa-*

Digitized by

* *Octavum Argumentum.*

Quamvis in ſe non eſſet malus hic patronatus, tamen quia ſaltem in eo ſpecies mali eſt & colluſio cum monarchiâ Papali & oligarchiâ pſeudo clericali; quia etiam ſunt mera excelſa Antichriſti & pons reducendo Papatui aut introducendo in eccleſiam ſive mundo ſive libertiniſmo maximè idoneus: utique arbor illa radicitus exſcindenda eſſet ab iis, qui pietatem amant. Papam autem fimbrias ſuæ prætenſæ poteſtatis tam temporalis quam ſpiritualis non parum dilataſſe per decretale, & extravagantes de *Patronatu*, vel inde conſtat quod hac ratione apertè exercuerit Jus Majeſtaticum, figendi & condendi leges eaſque titulo Juris toti orbi Occidentali, quantum in ſe erat, præſcribendi, & Ipſos Reges ac Principes iis ſubjiciendi. Ne dicam opes eccleſiaſticas, atque adeo potentiam Papæ ex munificentiâ laicorum, contra ipſos laicos in immenſum adauctam. Quod nimium ſentirent patronatuum patroni, ſi Papatus denuo apud nos obtineret.

* *Nonum Argumentum.*

Quia jus illud neceſſario annexum & implicitum eſt τοῖς βιωτικοῖς, id eſt, *negotiis hujus vitæ ſeu ſæcularibus*; quorum tranſlatio & profeſſio millenis fori vitilitigationibus obnoxia eſt. *Hinc* enim diviſiones eccleſiæ inter hæredes, & præſentationes trium aut quatuor paſtorum ad tot partes tum redituum tum miniſterii: cujus exemplum habent in *Concilii Triburienſ.* & *Mediomatric.* deciſionibus; quæ exſtant in antiquis collectionibus decretalium (quas *Car. Labbaus* cum notis & emendationibus *Anton. Auguſtini* & *Cujacii* a. 1609. Pariſiis edidit) *collect. 1. libr. 3. tit. 33. De jure Patronat. c. 1.* & 2. *Hinc* ad ſingulas patronorum ſecundum humanam conditionem mutationes, eccleſiarum ordinationes directè aut indirectè mutarentur, Exemplum habetur h. t. *cap. 9. Quinimo*, propter diſcordias patronorum ſępiſſimè eccleſias vacare & ſacra ceſſare contingeret, de quo in *Decretal. tit. cit. cap. 1. 2.* Statutum etiam, ut in plures hæredes unius ex pluribus patronis, tranſeat jus patronatus per ſtirpes. In *Clementin. tit. de Jure Patronat. 1. Plures.* Et ſexcentæ aliæ tricæ ex Jure civili, de Præſcriptione, ſucceſſione, renunciatione hæreditatis; excluſione ab hæreditate; Fidei-commiſſo, Emptione; donatione; permutatione: caſtri aut villę (cui jus patronatus adhæret), hypothecatione, aut locatione, aut ſequeſtratione: de quibus tum diſputationes & conſilia Doctorum, tum judicia judicum ſecundum formam & figuram proceſſuum exſpectanda ſunt. Vide autores ſupra *cap. 1.* An putamus ſupremum illum Eccleſiæ Magiſtrum res & præfecturas ſacras oppignerationibus, emphyteuſibus, venditionibus, hæreditatum diviſionibus, &c. una cum prædiis ſubjectas voluiſſe, & ſacrorum

Digitized by Google

atque eccleſias illis minimis judiciis aut actionibus perpetuo occupatas? Vide 1 *Corinth.* 6. *v.* 1. 2. 3. 4. Aut (quod pejus eſt & apud nos nonnulli patroni velint) ut rotis judicum ſæcularium, & in infinitum extractis pragmaticorum forenſium exceptionibus, famelicæ & vacantis eccleſiæ ædificatio alligetur.

* *Decimum Argumentum.*

Quia Deus ut ordini à ſe conſtituto benedicit, ſic huic invento humano ſemper maledixit. Minus vigent & florent eccleſiæ Doctrinâ, moribus, pace, ordine & diſciplinâ, ubi obtinent hæc & ſimilia circa vocationes eccleſiaſticas ἐθελήματα, quod non obſcurè fatetur *Toſſanus in Paſtore Euangelico cap.* 3. Quin immo, plerumque miſerandæ confuſiones, contentiones & vexationes in Eccleſiâ hinc oriuntur. Adeo ut non immerito proximum locum huic auro Tholoſano aſſignare poſſis inveſtituris Abbatum & Epiſcoporum, quibus tot calamitates ſuas debet orbis Chriſtianus. De quibus videant noſtri *Myſterium iniquit. Pleſſæi*, & Pontificii *Collect.* 2. *decretal. lib.* 3. *tit.* 33. *Annales Baronii* anno 1007. *n.* 4. 5. *Andr. le Maiſtre & Fileſacum lib. cit.*

* *Undecimum Argumentum.*

Quia hac ratione & presbyteri & quicunque Eccleſiæ cives, ſi tenuioris fortunæ ſint, ab electionibus & jure præſentandi in perpetuum excluduntur: nunquam enim illud acquirent, ut meritis in eccleſiam ſpiritualibus donis atque exercitiis reliquos omnes ſuperent; quia deſunt ipſis nummi. *Bilſonus libr. cit.* diſerte ab electione excludit pauperes & prædiorum colonos. Quod ſanè προσωποληψίαν recipit, qualem perſtringit Apoſtolus Jacobus *c.* 2. *v.* 1. 2. 3. 4.

* *Duodecimum Argumentum.*

Quia plane monſtroſum eſt poteſtatem aliquam eccleſiaſticam electivam ſcil. hæreditario jure ſuccedere; multo magis monſtroſum, eam pretio vendi. Nam quod diſtinguitur non poteſtatem vendi, ſed predium cui poteſtas annexa, id multo turpius eſt. Quis unquam vel fando audivit in N. T. aut in V. (ubi tamen hereditaria quaſi ſucceſſio ſacerdotii) poteſtatem ſpiritualem & eccleſiaſticam prædio aut toparchiæ tanquam umbram corpori ſuo conjunctam eſſe, adeo ut ſubjectum ſeu vehiculum poteſtatis ſit prædium.

* *Decimum tertium Argumentum.*

Quia David, Salomon, Ezras, Nehemias, centurio *Luc.* 7. 5. aliique populi primores quos in ſcripturis fundaſſe aut dotaſſe legimus, nullum tale jus hæreditarium ſibi ſtipulati ſunt, nec unquam vindicarunt tanquam dotatione illâ quæſitum. Percurrant etiam loca *Act.* 4. 2 *Cor.* 8. *Phil.* 4. *Rom.*

Rom. 15. 1 *Cor.* 4. *Gal.* 6. ubi occaſione oblationum & dotationum maximè opportunum fuiſſet hujus juris inde reſultantis meminiſſe: & videbis nihil tale comparere.

* *Decimum quartum Argumentum.*

Quia novum eſt hoc jus patronatus ſequioribus eccleſię ſeculis, decreſcente fide ac pietate, introductum; tandem ab Epiſcopis & Papis admiſſum, certis legibus roboratum, & juri canonico inſertum *c. Nobis fuit.* partim propter duritiem hominum ἀπίςων & ambitioſorum; partim ut ditiores & magnates pręſtantiſſimis prædiis emungerent; partim ne in prædæ Eccleſiis ablatę poſſeſſione turbarentur ab illis, qui authoritate & opibus muniti potuiſſent ſi voluiſſent (ſiquidem Papæ cum ſuis hierarchicis in hoc ſimile quid feciſſe videntur, quale lupi, qui canibus ovium cuſtodibus partem prędę impartiebantur): partim denique, quia ipſi eripientes ſæcularibus magnam partem poteſtatis divinitus ipſis conceſſæ, debuerunt hoc pati, & maluerunt exemplo Imperatoris bellici pati hanc qualemcunque jacturam, quam magnis ſuis auſis excidere; præſertim cum ſuprema mutandi, limitandi, inhibendi poteſtas ſemper penes ipſos maneret. Eſſe autem novum hoc malum inde conſtat, quod ante Auguſtini tempora nulla vel minima ejus mentio. Addimus tempore Juſtiniani quamvis lineamenta & ſciographia quędam compareret (*vide novell.* 57.) toto cœlo tamen ab hoc informi patronatus monſtro diſtabat. Neque enim ultra minores (ut vocant) clericos progrediebatur, quibus nullus tunc locus in Eccleſię regimine. Sed à paſtorum ſeu Rectorum (qui tunc κατ᾽ ἐξοχὴν erant epiſcopi) electione excluſi erant, quod diſcimus ex *novell.* 123. Ubi ſancitur ut ad Electionem Epiſcopi convenirent omnes Clerici & primores civitatis. Quod ſi analogicè patronatum, hoc eſt jus præſentandi ſeu commendandi, non verò eligendi aut conſtituendi tunc temporis conceſſum, eccleſiis noſtris applicare velles, in nullis locum haberet quam in æditúis, cantoribus, prælectoribus, Catechiſtis, ludimagiſtris, illi enim ſunt minores Clerici, ſi ita loqui liceat. Atqui controverſia hic eſt de præſentatione paſtorum. Quod autem nonnulli excipiunt cum *Grotio in Pietate Ordd.* & *Anonymo* ipſius *Hyperaſpiſte in lib.* Bona fides Sibrandi; *n.* 13. 65. Papatum non eſſe autorem hujus juris, quod ſemper fere illi obſtiterit: illud argumentum noſtrum non tollit. Ut enim prædonis de injuſtâ prædâ poſtmodum orta & reciprocata contentio cum illo, cui prius partem illius prædæ volens nolens conceſſerat, non negat originem iſtius conceſſionis: ſic nec oppoſitio Clericorum Papalium adverſus patronatum laicalem (ſeu potius hunc vel illum ejus uſum) non negat primam ejus inſtitutionem aut conceſſionem à Papatu. Oſtendant ex hiſtoriis, aut jure civili, tale jus Epiſcopos aut pa-

Digitized by Google

paſtores præſentandi, cognitum primis eccleſiæ ſęculis. Si daretur (quod tamen nondum probatum eſt) ante annum natalem Antichriſti, qui eſt 607. aliquos uſurpaſſe præſentationem miniſtrorum, unde conſtabit illud eorum factum fuiſſe jus publicum ſive eccleſiaſticum ſive politicum. Hic antiquitatis teſtimoniis omni exceptione majoribus, imprimis antiquis canonibus eccleſiaſticis, atque inſuper legibus ex corpore juris, non logis & cavillationibus agendum eſſet. Sed hic obmuteſcunt. Nam quæcunque poſt *Bilſonum lib. de perpetuo eccleſ. Regimine p.* 439. *Marſilium Patavinum*, imprimis *Servinum in Vindiciis*, à *Grotio pr.* 90. 91. adferuntur ad hanc rem non faciunt. Diſputant enim de Jure Principum ac ſupremarum poteſtatum conſtituendi idoneos miniſtros; quod differt à jure patronatus, de quo controvertitur. Non ſunt enim ſupremæ poteſtates in Belgio quicunque nobiles, patricii, toparchæ aliique ditiores, etiam fæminæ, penes quos agri, vici, fundi alicujus (cui patronatus annexus) dominium utile; de quorum jure hodie controvertitur: non verò de Jure patronatus ipſorum Ordinum, quippe qui illud ſibi nec tribuunt, nec in vicis & civitatibus, ubi conſtitutæ Eccleſiæ & ſynedria, uſurpant aut unquam antehac uſurpârunt. Atqui ſupremis poteſtatibus (ex. gr. Ordinibus Hollandiæ in Hollandiâ) ſolus *Joh. Witenbogardus Grotio* laudatus, & ipſe *Grotius* poteſtatem eccleſiaſticam, ſeu jus Majeſtatis ſacrum, tribuunt. An poteſtas eccleſiaſtica & ſpecialis poteſtas eligendi, conſtituendi, aut præſentandi miniſtros jure divino aut humano ſolis competat ſupremis poteſtatibus, & quantum iſtis olim tributum fuerit, aut non fuerit, alibi diſquiritur. Hic de ſolo patronatu controverſia eſt. Manet ergo titulum & formam hujus Juris altius accerſi non poſſe, quam à Jure Canonico & autoritate Papali; originem verò primo primam & rudimenta, non niſi à ſequiorum ſæculorum quamplurimis ἀτοπήμασι, & miſerandis confuſionibus; ut ſupra oſtendimus, cum de origine ejus ageremus.

* *Decimum quintum Argumentum.*

Quia ſiquidem antiquitus per errorem & malè jus qualecunque ſtabilitum fuiſſet, tamen hodierni patroni maximam partem eo excidiſſent: non enim prę̨ſtiterunt conditiones, nec onera ſubierunt à prædeceſſoribus ſuis in acquiſitione patronatus ſuſcepta. Erant autem onera illa, ut eccleſiam collapſam inſtaurarent, incendio vaſtatam reædificarent, miniſterio eccleſiaſtico de neceſſariis & ſufficientibus mediis, quacunque occaſione proſpicerent. Aliter enim Papę aut epiſcopi Jus illud nemini concedebant. Videantur modo Concilia, & *Jus Canonicum*, quæ pro patronatu allegari ſolent. Quærant autem patroni coram Deo à conſcientiâ ſuâ; an ipſi cum prædeceſſoribus ſuis conditiones illas ſemper rite præſtiterint: & an nulli

ſint

Digitized by Google

ſint qui potius ex eccleſiaſtico peculio in proprios uſus quidquam converterint, aut inſtar veſparum mel paſtorale depaverint. Vide quid *ſynodus Groningana* per deputatos ſuos & *Acronium* III. Provinciæ iſtius Ordinibus retulerit, in libello 1605. Groning. edito.

CAP. IV.

Argumenta ſpecialia, ab abſurdo conſequenti, & ad hominem.

ADdimus nunc iſta argumenta partim ſpecialia partim ad hominem, ut vocant.

* *Argumentum primum.*

Quia repugnat illud jus libertati & poteſtati miniſteriali ſingulis Eccleſiis in Belgio conceſſæ. Quia reformatorum apud nos communi fide, profeſſione, ac praxi ſervitus omnis Epiſcopalis, cathedralis, &c. ablata, & cuilibet Eccleſiæ proteſtas regiminis (cujus adminiſtratio & executio penes ſynedrium ſeu presbyterium) reſtituta eſt, ut conſtat ex liturgiâ, Conſtitutionibus Eccleſiaſticis, Confeſſione, Catecheſi, & perpetuo Eccleſiæ noſtræ regimine. Si ergo dominium Clericale ſeu Epiſcopo Papale ceſſat, quomodo patrono-laicale perſiſtet, quod tantum morbi iſtius erat ſymptoma? Si lex ceſſat, quia partim mala, partim libertati & Reipublicæ Belgarum minime conveniens judicata fuit, quid legis iſtius limitatio ſeu conditio annexa, niſi modus ſine re, accidens ſine ſubjecto, ramus abſciſſus ſine trunco? Epiſcopi & Clerici Papales Eccleſiæ ac presbyterii jus in ſe tranſlatum tenebant; inde, partem prædæ patronis conceſſerunt quamvis volentes nolente animo. Convenit ergo patronatui ſeu reliquiis ſpoliorum clericalium cum reſtitutione reformationis noſtræ, ut igni convenit cum aqua. Accedit quod ſecundum *ius canonicum* (unde patronatum ſuum derivant) nullis patronis laicis fas eſt ſe intermiſcere electioni rectorum ſeu Epiſcoporum (qui apud nos nunc ſunt paſtores) in Eccleſiis conventualibus ſeu collegiatis, ſed *electionis jam factæ honeſtius poſtulatur aſſenſus.* Sunt verba *decretalis tit. de Jure patronat. c. Nobis.* Quæ prolixius vide ibi explicata à Panormitano; & in tractatibus de Jure Patronatus *Rochi de Curte Papienſis pag. 2. 9. 260 Pauli de Citadinis. p. 587. 688.* Confer etiam Canoniſtas de c. *decernimus* & *c. cum terrâ.* Unico in caſu patronum laicum poſſe electioni intervenire tradit *gloſſa ad c. Nobis*: ſi ſcil. conceſſionem illam habet à Papâ, quod oſtendere debet. Canoniſtæ hanc cauſam inter alias ſublati ſeu ceſſantis hujus juris aſſignant, cum Eccleſia parochialis mutatur in conventualem, aut collegiatam. Vide *Lanceloti Inſtitu-*

tutiones lib. 1. *tit.* 28. *Tollitur*; & authores ſupra cit. Eſſe autem Eccleſias Belgicas (ſaltem analogicè, aut cum peculiari modificatione ad reformatam politiam eccleſiaſticam) dicendas *collegiatas*, quippe quæ ſingulę habeant Epiſcopum ſeu paſtorem, & adjutores eccleſiaſticos (ſeniores ſcil. & diaconos) atque adeo ſynedrium, ſeu presbyterium, ſeu ſenatum Eccleſiaſticum (ut loquitur liturgia noſtra in formulâ confirmationis Seniorum) colligimus ex *Paulo de Citadinis* loc. cit. & *Henrico Boich c.* 19. *n.* 6. 7. 8. „Ubi „in una Eccleſia ſunt plures clerici, ſaltem tres, in unum corpus aſſociati, „& habent arcam communem, & res communes & actorem ſive ſyndi- „cum, & utuntur ſigillo; ibi eſt jus collegii; & retinetur illud jus & ſpe- „cialiter in electionibus exercetur; etiamſi reliquis mortuis tantum „duo, immo vel unus ſupereſſet, qui eliget non nomine ſuo ſed eccleſiæ. „Hæc ibi *Henr. Boich ex Panormitano ad c. Nobis.*

* *Argumentum ſecundum.*

Quia ceſſante cauſa ceſſat effectus, ſublato fundamento tollitur relatio: ſed cauſa & fundamentum juris patronatus apud reformatos ceſſat, Hierarchia ſcil. ſeu poteſtas Papalis & Papæ-Epiſcopalis, cum omnibus ſervitutibus & ſubjectionibus Eccleſiarum, cum dependentia unius ab aliâ, aut à clericis ſaltem alterius eccleſiæ, cum univerſa juris Pontificii rhapſodia, cum diſtinctionibus inter capellam, parochialem, cathedralem, conventualem ſeu collegiatam Eccleſiam, adhæc inter Parochum rectorem ſeu curatum, inter presbyterum docentem ſeu ſacerdotem (quos clericos minores & adjuvantes vocant) & inter Epiſcopum ſeu prælatum tum regularem tum ſæcularem; cui tanquam gubernatori κατ' ἐξοχὴν paſtoris nomen appropriant. Ceſſat etiam mixtura ἐπιμιγής functionum ſacrarum cum ſæcularibus, nec jam locum ſibi ſumunt paſtores reformati inter primarios regni ſeu coronæ & Regum miniſtros atque officiarios, nec proceres ſunt in Republicâ, nec toparchias aliaque regalia poſſident, ſed puri puti ſunt eccleſiaſtici. Sublatis ergo illis Patronatus irritamentis & retinaculis, ipſum jus à ſacris auferendum erat.

* *Argumentum tertium.*

A majori ad minus. Patronatus clericalis apud nos ſublatus eſt, qui tamen majori juris ſpecie prætenditur; quid ni ergo laicalis auferatur. Si quis excipiat, Clericos ſublatos & bona Clericalia, ergo & Patronatum: reſpondemus *primo*, etiam ademptum iis patronatum quibus bona non ſunt adempta; e. g. Abbati S. Trudonis ſubdito Imperii, qui in his Provinciis etiamnum alicubi ſtipendium concionatori exolvere, domum & templum ædificare coactus fuit abſque ullo uſu patronatus: eſt enim tota vocatio Eccleſiæ & presbyterio, (in Aelburgh/ in territorio Heuſdano) in

in ſolidum relicta; hoc ſolo fundamento, quia publica religionis mutatio & reformatio ita ferebat; ut & edicta publica omne Romano-eccleſiaſtici cultus, ritus, juris, poteſtatis, ordinis exercitium clericis prohibentia. De his ita tranſigere coactus fuit & tranſegit a. 1610. *D. Watſonus* tunc Abbas Trudonenſis cum Ampliſſ. DD. Delegatis Illuſtr. Ordd. Hollandiæ. *Deinde* Clerici non ſunt exacti, ſi qui voluerint hic boni cives eſſe: nec etiam bona omnia eccleſiaſtica, nedum propria ipſis ablata, ſed tantum poteſtas Papæ clericalis. Cujus poteſtatis in regimine Eccleſiæ cum limbus aut lacinia aut quaſi pars aut præambulum (ut nonnulli Canoniſtæ loquuntur) ſit jus patronatus; utique & illud pariter tunc ablatum eſſe intelligendum eſt, & ſic intellexerunt jam inde à recepta in Belgio Reformatione aliquot luſtris plerique patroni, nec unquam decretis Politicis & Eccleſiaſticis, aut currenti praxi (quæ nunc juri ſuo præjudicare putant) ſe oppoſuerunt.

* *Quartum Argumentum.*

Quia ſequeretur hoc abſurdum, Eccleſiis patronatis minus libertatis ac poteſtatis relictum eſſe, quam Anglicis, Gallo-Belgicis, in noſtro Belgio; immo quam cœtibus Anabaptiſticis, aliiſque ſectariis, adde & ipſis Judæis in Belgio. Illis enim permittitur ſuos ſibi eligere paſtores, abſque patronatu. Minus certe non debebat concedi civibus & filiis familias, quam extraneis; Chriſtianis quam Judæis; orthodoxis & ejuſdem religionis conſortibus, quàm ſectariis.

Si quis excipiat, eos non frui ſtipendiis & beneficiis, quibus Eccleſiæ noſtræ, *Reſp.* 1. Si quidem hic trabalis ſervitutis clavus; malint iis Eccleſiæ patronatæ non frui, nec pœnitere tanti emere; & facile de eo tranſigi poſſet, ut infra videbitur. *Reſp.* 2. Stipendia & ſubſidia non habent à patronis ad miniſtrorum ſuſtentationem, templorum & ſcholarum ædificationem, ſed ex reditibus eccleſiaſticis & etiam alicubi (ubi illi non ſufficiunt) ex collectâ, aut privatorum quorundam liberalitate, aut ex publico ærario, idque cura & liberalitate Procerum & Senatorum, qui Reipubl. præſunt. *Reſp.* 3. In Eccleſias ſaltem Gallicas & Anglicas non minora beneficia ex eodem fonte derivantur, quam in Belgicas patronatus.

* *Quintum Argumentum.*

Quia ut patronatus omnibus Reformatis debebat eſſe ſuſpectus, quippe ex lacunis Antichriſti ad nos derivatus: ſic hodiernus, qui prætenditur, imprimis debebat eſſe, quia papalem dupliciter pejori papalitate auget. Ibi erat limitatus, hic abſolutus: ibi dependens & quidem ab eccleſiaſticis, eorumque moderamini & arbitrio ſubjectus; hic quaſi independens & ſupremus, immo plane independens, quotieſcunque cum Jure Majeſtatis in

eâdem

eâdem perſonâ reſidet: Ibi poterat Epiſcopus (qui Eccleſiæ & presbyterii poteſtatem poſſidebat) præſentatum rejicere, ad hæc multis in caſibus abſque omni prçſentatione immo & contra præſentationem parochum inſtituere; hic verò eccleſiæ & presbyterio nihil tale conceditur: ibi tantum erat præſentatio, commendatio, ut ſupra oſtendimus; hic electio, conſtitutio: Ibi erat præambulum vocationis, ut loquitur *Panormitanus*; hic eſt ipſa vocatio: ibi amitti poterat per hçreſin, templi conflagationem, &c. hic nihil tale obtinet, ſive enim templum perierit, & ab ipsâ eccleſiâ novum ædificatum ſit, ſive patroni ſint orthodoxi ſive idololatræ, aut hæretici nobis, & nos viciſſim illis (quod imprimis verum eſt in Romano curialibus Papiſtis, qui poſt detectum Antichriſtum etiamnum ejus pedes oſculantur); prætendunt nihilominus ſuum patronatum: ibi tenebatur onera ſubire, nempe, in ædificando templo, in procurandis ſtipendiis; hic ſolo honore, aliquando etiam emolumento contentus eſt: ibi debebat fundari jus illud in fundatione, conſtructione & dotatione ſimul; hic plus ſatis eſt ſi unum ex tribus compareat: ibi non poterat transferri abſque conſenſu Epiſcopi; hic nulli conſuluntur, quibus poteſtas Eccleſiaſtica (tunc in Epiſcopo reſidens) attributa eſt: Denique ibi nemo fruebatur hoc jure, niſi illud ſibi conceſſum probaret *vel authentico documento & aliis jure requiſitis, vel ex multiplicatis præſentationibus per antiquiſſimum temporis curſum, qui hominum memoriam excedat*, ut loquitur Concil. Tridentin. ſeſſ. 25. cap. 9. hic vero non pauci patroni ex ſua ſolum affirmatione jus illud ſibi vindicant. Concludimus, non potuiſſe in patronos majus in hæreditaria ſucceſſione transferri, quàm majores ipſorum ſub Papatu habuerunt. Atqui habuerunt illi nullum aliud jus quàm nos ex *jure Canonico* & *Concilio Tridentino* (quod in Belgio tunc receptum eſt) deſcripſimus. Unde ergo ille patronatus, qui hodie prætenditur? ex quo mari aut lacu ſive Papalis ſive alterius humani juris emerſit?

* *Sextum Argumentum.*

[1] Ad hominem ſcil. Quia jus & autoritatem miniſtros conſtituendi & conſequenter præſentandi eripiunt ſupremis poteſtatibus ex. gr. Illuſtr. Ordd. Provinciar. Belgic. atqui illis ſolis poteſtatem illam & electiones tribuendas aſſerit *Grotius in Pietate Ordd. p.* 89. &c. cum anonymo Hyperaſpiſte num. 46. *Princeps dicit eccleſias ad ſuam diſpoſitionem ſpectare; hoc autem nihil aliud eſt quam paſtorum electio.* Quidquid enim tribuitur dictis patronis, illud Ordinibus non competit, nec etiam ſi maxime velint, competere poſſet, juxta regulam: *Jus quæſitum nemini tollendum eſt*, quam nemine patronorum Illuſtr. Hollandiæ Ordd. advocati inculcant in *Remonſtrantiâ* anno 1634.

Quod

Quod ſi quis excipiat, ſi non jus præſentandi, ſaltem conſtituendi & inſtituendi, hoc eſt, præſentatum approbandi ſupremis poteſtatibus ſemper relinquitur? Reſpondet *Grotius* & cum illo hodierni, ni fallor, patronatus patroni, (ſiquidem candidè & ex animo agant, aut ſibi conſtent) idem quod adverſus Conſtitutiones Eccleſiaſticas Eccleſiarum Belgicæ p. 88. *Quorſum autem Magiſtratui offerentur* (miniſtri ſcil. ab Eccleſiaſtico presbyterio deſignati aut electi) *an ut ipſe paſtores alios meliores noverit, eos ſubſtituat; nihil minus: ſed ut electos approbet, cum humanâ admodum exceptione*, niſi juſta aliqua cauſa aliud ſuaſerit. *Sitne autem cauſa quæ adfertur, juſta nec ne, eâ de re cujus futurum ſit judicium, in medio relinquit*, &c.

** Septimum Argumentum.*

Quia patroni, & advocati eorum (ſi ſint Papiſtici) hac ratione conſcientiæ ſuæ à Papiſmo informatæ & Pontifici ſubjectę vim inferunt, ſatagunt n. præſentare & promovere quantum in ſe eſt, ad curam eccleſiarum tales, quos cenſent eſſe hæreticos, ſeductores, apoſtatas. Atqui eos præſentari vetat jus divinum cum antiquo Eccleſiaſtico, & novo Papali.

Non eſt quod excipiat, ſe aliter non poſſe, & ad talium præſentationem cogi, denique facere ſe hoc propter aliud bonum, &c. Atqui nullâ ratione eſt faciendum malum *Rom.* 3. 8. jam vero hæreticum, qui ſeducturus eſt eccleſiam, promovere, eſt ſimpliciter malum. Nullum effugium hic reſtat conſcientiæ ipſorum, niſi dicant, Papam hoc permittere & in eo diſpenſare; qui quodammodo ex peccato non peccatum facere poteſt: ut Bellarminus loquitur in libr. contra Barclayum.

CAP. V.

Conſenſus antiquorum de electionibus eccleſiaſticis.

ATque hæc quidem ſententia noſtra de jure patronatus, quæ orthodoxo Eccleſiarum & Doctorum conſenſu ac praxi probatur. Antiquiſſimi patres *Juſtinus*, *Cyprianus*, &c. Antiquiſſima Concilia ſeu Canones Eccleſiæ Univerſæ & eccleſiæ Africanę cum Actis & epiſtolis Concil., Antiquiſſimę Eccleſiaſticæ *Hiſtor. Euſebii*, *Evagrii*, *Theodoreti*, &c. quotieſcunque oblatarum ſeu bonorum eccleſiaſticorum & diſpenſationis eorundem, adhæc officiorum & graduum in Eccleſiâ, denique vocationis miniſtrorum meminerunt, nuſquam patronatum hunc agnoſcunt. Quin contra talis ubique deſcribitur electionum eccleſiaſticarum forma & praxis, quæ patronatum omnem liquidiſſimè excludit. Vide præter ſupra citatos Concil. Nicenum c. Ἐπίσκοπον

προσήκει, &c. *Epiſcopum oportet maxime ſiquidem ab omnibus qui ſunt in Provinciâ Epiſcopis conſtitui*, &c. Quem canonem in *Conſtantinop. Concil.* renovatum, ſemperque obtinuiſſe teſtis eſt *Theodoretus lib. 5. c. 9.* & 23. Notandum autem in *canone Niceno* expreſsè diſtingui conſtitutionem ſeu electionem (quam exprimunt phraſibus ſynonymis καθίστασθαι & χειροτονίαν ποιεῖσθαι), à confirmatione quam κῦρος appellant: quorum illum Epiſcopis Provinciæ, hanc Metropolitano attribuunt.

Ne quis hic excipiat χειροτονίαν confirmationem ſeu ordinationem ſtrictè ita dictam denotare. Confer *can. 5. Concilii Laodiceni* cum notis *Juſtelli*, & reliqua quæ ſupra indicamus. Sequioribus ſæculis cum jam inter alias Eccleſiæ corruptelas ſuccreviſſet aliquod ſolium patronatus, confirmata de novo eccleſiaſtica eligendi ratio à *Concil. Conſtantinop.* II. & à Carolo Magno, cujus ſtatutum exſtat *diſt.* 63. c. *ſacrorum*; ut & *Concil. Conſtantinop.* ibidem c. *Nullus*, &c. *Hadrianus.* Cum quibus convenit decretum Papæ Simplicii ſæculis aliquot ante factum anno ſcilicet 471. ut in ejus vita refert *Platina.* Videantur etiam *Athanaſii epiſtola ad Vitam ſolitariam agentes*, & *Nazianzeni oratio* 31. *in laudem Athanaſii*, *Syneſii epiſtol.* 6.

Nec diſſentiebant pii principes Conſtantinus, Theodoſius, Valentinianus, Carolus Magnus, &c. quamvis in dotandis Eccleſiis modum fortè exceſſerint, nunquam tamen Jus patronatus aut aliud quodcunque regium in electionibus ſibi tribuerunt. Quin Valentinianus extra ordinem & certo in caſu honoris cauſa ſibi quid delatum recuſavit, addens, *Super Epiſcopis eſſe talem electionem, illoſque divinâ gratiâ præditos*, &c. *melius poſſe eligere*, ut refert Theodoret. *lib.* 4. *cap.* 7. Et hæc quidem antiquæ electionis facies. Intermedia ætate ut typho ſeculi in Eccleſiam ingreſſo res Eccleſiaſticæ in politicas, magis mutatæ aut iis permixtæ, omnia miſerè confuſa, ſic alternantibus vicibus modo obſcurari modo emergere electiones, dominandi libidine omnia rapiente & diſcerpente. Non defuerunt tamen in mediis illis tenebris qui reclamarent, inter quos celeberrimus Canoniſta *Panormitanus*, ipſis adverſariis fatentibus.

Ut nihil dicam de decreto Papali quod exſtat c. *conſuevit*, quo ſancit: Ne ſanctuarium Dei jure hæreditario teneatur. Adde & confer ea quæ ſupra adduximus. Sed nota nunc ſolummodo pietatem Caroli Magni tam munifici alioquin donatoris, ex Capitularis lib. 1. cap. 84. *Ut Epiſcopi per electionem Clericorum & populi ſecundum ſtatuta canonum* (N. B.) *de propriâ diœceſi remotâ perſonarum & munerum acceptione ob vitæ meritum & ſapientiæ donum eligerentur*, &c. Quod capitulum ſibi objiciens Servinus hoc ſolo reſponſo dimittit. *At ſeu per epiſcoporum electionem*

Dig

ctionem ratam habuit. Nec vero Magnus iſte Princeps Gallicarum tantum eccleſiarum Epiſcopos confirmavit, &c. Sed quid hoc ad jus patronatus, aut extenſionem regaliæ ad Electionem Epiſcoporum, & jura illa quæ jam inde à *Clodoveo* obtinuiſſe dixerat *pag.* 272. Similiter *Grotio* diſputanti pro jure Electionis penes Principes poſt amphoram cœptam inſtitui currente rota hic urceus exit. pag. 1. *Imperatores hoc jus eligendi Pontifices, aut approbandi Electos poſtea omiſiſſe.* Atqui toto cœlo differunt electio & approbatio.

Ne autem longè abeamus, habemus domeſtica exempla. Nam à primis Epiſcopis Ultrajectinis uſque ad tempus Reformationis electionem Epiſcopi (quamvis poſterioribus ſæculis temporalis magis eſſet dominus, quam Euangelii diſpenſator) ſibi populus & Clerus ſervavit: nullique patrono ſive laicali, ſive clericali, aut Imperatori, aut Principi, immo nec ipſi Papæ Romano eam ceſſit. Quid dico de Jure electionis aut præſentationis? ſubinde Papę nudam & ſubſequentem approbationem ſeu confirmationem procul aut ſuſque deque habendam, Clerus cum Nobilibus & civitatibus contenderunt. Cujus memorabile exemplum eſt in electione *Rodolphi de Diepholt*, pro quo contra Papæ Martini V. & Eugenii IV. excommunicationem ſtabat Provincia Ultrajectina, & Trans-Iſalanica cum vicinis populis, qui Epiſcopatui huic ſuberant, ab anno 1429. uſque 1432. quo confirmationem Papæ obtinuerunt. Tragico-Comœdiam illam deſcriptam inveni à *Johanne Buſchio in Chronico Windeſemenſi* lib. 1. c. 32. & *Thoma à Kempis in Chronico montis Agnetis* cap. 22.

Porro electiones abſque jure Patronatus, aut regaliorum factas conſtat ex *Chronic. Joh. de Beka*, quem vide imprimis ad annum 838. ubi de contentione inter Clerum & populum orta ſuper electione poſt mortem Frederici; & anno 994. ubi de electione Aufridi; *p.* 27. ubi de Bernulfi Epiſcopi xx. electione per Regem Conradum Salicum, ex præcedenti compromiſſo totius capituli. Quod poſtremum exemplum pro patronatu aut Regalibus à *Grotio p.* 107. non ſine παροράματι, ſi non dolo, adductum indicavit eruditiſſ. vir *Godefr. Soping. lib.* jam aliquoties laudato *p.* 213.

Reliquarum conjecturarum & tereciſmatum, quæ ibidem addit Grotius, infirmitati ipſe haud obſcurè prçcavit: *Habes de parœciis* (In Belgico ſcil.) *nec dubiè idem fuiſſet obſervandum in mandandâ diœceſi, ſiquidem tota diœceſis Trajectina, ad quam pertinebat pars Gelria, Hollandia, Trajectina regio, Friſia, Tranſiſulana & Groninga, ſemper ſub unius Principis fuiſſet Imperio.* Ergo non fuit Ultrajecti hoc obſervatum. Fruſtra ergo ſubjiciuntur talia exempla, quę erubeſcunt in hanc ſcenam protrudi.

Quomodo enim electionum jus populi & Clero jure divino aut humano negatum docetur frigidis illis logis: *Willebrordum Epiſcopum (is ordine pri-*

primus numeratur) Pipinus miſit, teſte Sigeberto. Reſp. Quid tum? Eccleſia Ultrajecti nulla erat quæ vocaret, aut mitteret; ergo ibi ordinarii juris exercitium non erat quærendum. Deinde, non abſque miſſione & delegatione Eccleſiæ, ex quâ prodibat Willebrordus, in hanc meſſem Euangelicam extruſus fuit. *Tertio*, formam & ſpeciem eccleſiaſticæ miſſionis (ut tempora tum erant) innuit *Beka in Hiſtoriâ Epiſcoporum Trajectenſium*, ubi refert Willebrordum ex Angliâ in Belgium ad prædicandum Euangelium, miſſum ab Egberto Northumbrorum Archiepiſcopo, anno 690. eundemque à Sergio I. Papa Romano per ſupplicationem aſſiduam Pipini archiepiſcopum Ultrajectinum ordinatum eſſe, cujus Apoſtolicæ benedictionis autoritate munitus, cathedralem ſedem Ultrajecti ſtabiliiſſe dicitur.

Sed pergit: *Fridericum (is eſt in catalogo VIII.) Epiſcopum fecit Ludovicus Pius, ut eſt in annalibus Eparchii. Reſp.* Quid illud facere? eligere ſcil. & conſtituere, abſque electione Cleri & populi, & quidem abſolute jure patronatus, aut regaliorum? Minime Gentium. Audi Beka: *Rixfridus* (in Epiſcopatu prædeceſſor) *premeditans inſpiratione divinâ, quod in Epiſcopatu ſibi ſuccederet*, &c. *Demum obeunte Rixfrido Pontifice Ludovicus Imperator*, &c. *mandans eccleſia Trajectenſi, quatenus dilectus ſibi Fridericus eligeretur in Epiſcopum.*

Grotius ſic pergit: *Mos autem ſolennis ejus ſæculi in conferendo hoc epiſcopatu non minus quam in aliis is erat, ut electus antiſtes à Regiis manibus acciperet pedum paſtorale & annulum. Reſp.* Non erat iſta electio, aut beneficii eccleſiaſtici collatio, ſed electorum inveſtitura, quæ grandi pecuniæ ſummâ vendi ſolebat. Neque enim tollebat jus inveſtituræ eccleſiaſticam electionem: quomodo inter Henricum IV. & Paſchalem Pontificem tranſactum refert *Sigonius libr.* 10. ut Imperator Epiſcopos & Abbates liberis ſuffragiis electos ſine ſimoniâ, annulo & virgâ inveſtiret, Epiſcopique ſic inveſtiti liberè conſecrationem ab Archiepiſcopo, ad quem hoc pertinebat, ſumerent: qui verò à populo & Clero electus fuerit, verum ab Imperatore non inveſtitus, à nemine conſecraretur. Cur autem Principes Epiſcoporum & abbatum inveſtituras illo ritu peregerint verbis *Pleſſai ex lib.* 2. *de Euchar. cap.* 8. infra dicemus. Erant enim jam facti epiſcopatus magis principatus ſæculi, quam curæ eccleſiaſticę. Addę quod Imperatores Turcici Patriarcham tradito baculo inveſtierunt, (*Cruſius* Turco Græciæ *lib.* 1. *p.* 15.) ergone patronatus aut regalia ipſis competit.

Sed inſtant, *Conradus Suevus* a. 1145. diplomate ſuo, Jus eligendi & inſtituendi Epiſcopum in Eccleſia Ultrajectinâ ait ad Imperatores pertinere. *Reſp.* Ait quidem: ſed quid inde infertur? Simile quid non diplomate tantum, ſed & anathemate ſuo confirmârunt Papæ Martinus V. & Eugenius IV. Nec tamen

men credebant Ultrajectini, aut juri ſuo renuntiabant. Legantur reliqua quę in diplomate ſequuntur, quibus ipſe *Grotius* ſibi reſpondet; ut videas eum non ſerio aut theologicè, ſed quaſi [illegible] cauſas agentium in foro, clientum [illegible] illa undique corradere, ne videatur tacuiſſe, & ad chartam implendam: *Et quanquam*, inquit, *eodem diplomate jus eligendi Epiſcopum concedatur Præpoſito, Decano & capitulo duarum eccleſiarum, non ita tamen abdicatum regibus jus omne, ut non magnam in approbanda aut rejiciendâ electione auctoritatem ſibi reſervaverint, vel hinc appareat*, &c. paulo poſt ſubjicit: *Sicut Hollandiæ comitum multum intererat quis eam cathedram obtineret, ita ſemper operam dedere omnem, ut in eligendo Epiſcopo ſua potiſſimum ſuffragia valerent.* Hoc eſt quod volumus, Ultrajectinis nec Jure nec facto Imperatorum aut Comitum Hollandię per prętenſas inveſtituras, patronatus, Jura electionum erepta fuiſſe, & Eccleſiaſticas Epiſcoporum electiones. Deſcendimus ad tempora reformationis. Ut quæque eccleſia ad Apoſtolicam & primævam ſimplicitatem proprius revocata eſt etiam politia ſeu regimine & externis ritibus, ita etiam remotior fuit à Jure Patronatus. Exemplo ſint Gallicæ, Belgicæ, Rhęticæ, Helveticæ, Naſſovicæ, Embdana, Genevenſis, Veſalienſis; ut conſtat ex confeſſionibus, liturgiis & conſtitutionibus eccleſiaſticis. Alibi ſi quid patronatus cum aliis malis bene poſitis & loco tunc non movendis ex Papatu hæſit, non deſtiterunt tamen pii & prudentes viri defectum illum agnoſcere: ut videre eſt in *Toſſani paſtore Euangelic. c.* 3. qui tunc ſcribebat in Germaniâ & ſtatum quarundam Eccleſiarum inibi reſpiciebat. *Nec diffitemur*, inquit, *nonnullis in locis nonnulla adhuc deſiderari, quæ ad canonicam & legitimam ordinationem miniſtrorum faciunt.* Ibidem dicit, talia toleranda non approbanda.

In Belgio noſtro emergente & publicè ſtabilitâ Reformatione, cum omnibus Antichriſti ſquammis ubique fere evanuit & profligatus eſt hic patronatus. Quod præter praxin, evincunt canones eccleſiaſtici anno 1574. & 1578. in *Synodis Dordracenis* & *anno* 1581. in *Synodo Middelburgenſi* conſtituti: ab Illuſtr. DD. Ordd., quod ad hanc cauſam patronatus, nullâ oppoſitione tunc facta. In Friſia jam ante reformationem à Carolo V. electiones populo reſtitutæ erant. Diploma vide apud *Sibrandum Lubbertum in lib. contra Grotium.* Illuſtr. Holland. Ordines decreto ſuo anno 1576. ſubtraxerunt patronis beneficia omnia, quibus cura animarum annexa eſt. Vide exemplum decreti ibid. in libro *Lubberti contra Grotium.* Et egregiam *apologiam contra exceptiones Grotii* adverſus hæc diplomata apud *Sopingium num. 66. coll.* cum *Lubberti reſponſo ad Pietatem Grotii pag.* 165. Ampliſſ. Senatus Groninganus in conſtitution. Eccleſiaſt. rejicit Jus patronatus, additâ hac ratione, quod repugnet ordini Provinciarum

Belgicarum & verbo Dei. Illuſtres & Prępot. Ordd. generales per Delegatos ſuos (dum articulos pacis inter Ennonem Comitem Friſiæ Orientalis & civitatem Embdanam procurant) interceſſerunt, ut penes Eccleſiam Embdanam eſſet vocatio, præſentatio & collatio; penes comitem confirmatio: non obſtante quod Comes Jus Patronatus & 60. annorum poſſeſſionem prætenderet. Judicârunt ergo dominationes eorum non patronis, ne quidem Principibus, competere Electiones concionatorum, ſed Eccleſiis: nam ſi hoc non judicaſſent, contra ſcientiam & conſcientiam ſuam Comitem illum à juris illius exercitio, quantum in ipſis erat, non removiſſent. Vide explicationem hujus negotii apud Hiſtoricos Belgarum; & vindicias argumenti inde à *D. Sibrando* educti apud *Sopingium ad num.* 69. *Illuſtr. Ordd. Hollandiæ* anno 1618. 1619. Per Delegatos ſuos adjunctos Deputatis Synodi Zuyd-Hollandicæ, probârunt & confirmârunt ſuſpenſionem aut depoſitionem aliquot miniſtrorum; qui abſque libera & legitima eccleſiæ electione à patronis aut toparchis, aut prætextu patronatus erant intruſi. Quin & hodie quamvis ante paucos annos hydra patronatus alicubi repullulârit, abſque patronatu electiones peraguntur in tota Zelandia (ut colligere eſt ex Conſtitut. Eccleſiaſticis), præterea in omnibus civitatibus aliarum provinciarum (oppidulo forte uno atque altero excepto, quæ particularibus toparchis ſubjecta erant) in quarum pluribus tamen ſub Papatu viguiſſe patronatus & clericales, & laicales, certum eſt. De ceſſante exercitio patronatus clericalis hoc eſt, Papæ, epiſcoporum, abbatum, abbatiſſarum, conventuum & capitulorum, quorumcunque (ſive incolarum ſive extraneorum) infra tribus verbis monendum.

CAP. VI.

Reſpondetur ad objectiones & exceptiones.

AD Objectiones & Exceptiones quas Grotius in Pietate Ordd. ejuſque anonymus Hyperaſpiſtes, aut hodierni cauſidici patronatus prætendunt, breviter ſic reſpondemus. Sunt autem iſtæ.

I. *Object.* Jus illud non condemnatur in ſcriptura, nec repugnat vocationi miniſtrorum jure divino ſancitæ, ſed optimè cum illo conciliari poteſt. *Reſp.* contrarium ſupra probatum eſt.

II. *Object.* Poteſt ita limitari ac temperari ne noceat Eccleſię. *Reſp.* Nunquam factum fuit, nunquam fiet. Nec etiam fieri poteſt, quia contradictionem implicat, ſi dicatur non nocere Eccleſiæ ſervitutem & uſurpationem ipſi gementi & invitæ impoſitam; abſque ullâ mandati divini, aut me-

melioris ædificationis neceſſitate. Denique quidquid limitetur, non reſtituitur libertas illa Eccleſię, qua ſibi diſpicere poſſit miniſtrum maxime idoneum, & gratum: quoſcunque enim rejiceret à patrono præſentatos; nunquam tamen haberet quem unicè vellet; niſi forte patronus ab eccleſiâ poſtulatum & commendatum præſentare dignaretur.

III. *Object.* Principibus & Magiſtratibus Eccleſiæ nutritiis competit jus conſtituendi miniſtros; & infinitis exemplis doceri poteſt eſſe illud ab iis uſurpatum. *Reſp.* Non valet conſequentia à Magiſtratu ad patronum, à poteſtate Magiſtratus circa ſacra, ad jus patroni. Deinde non competere Magiſtatui poteſtatem eccleſiaſticam formaliter ſic dictam, conſequenter nec poteſtatem conſtituendi & vocandi miniſtros, ſupra *part.* 1. *lib.* 1. ſatis ſuperque probatum eſt.

IV. *Object.* Melius ſe Eccleſiæ habebunt, ſi patronis eruditione, zelo religionis, prudentiâ & authoritate conſpicuis, quam ſi promiſcuæ turbæ committatur electio. *Reſp.* Turbæ ſoli non committitur.

V. *Object.* Jure Canonico patronatus illis competit; quod jus apud nos in omnibus non eſt abolitum; neque enim omnia mala ſunt, quæ ſtatuit *Jus Canonicum. Reſp.* Negatur Jure Canonico patronatum illum, quem in Belgio uſurpant aut prętendunt, conceſſum eſſe: ut ſupra oſtendimus. Et quid ſi concederetur; an reformati Chriſtiani conſcientia in eo acquieſceret, quia ſcil. Papa (hoc eſt ſecundum ipſorum fidem, *magnus Antichriſtus*) tale quid ſancivit? Cur magis hic fidem & obedientiam mereatur, quam cum eodem jure Canonico determinat poteſtatem utriuſque gladii, Curias epiſcopales & pœnas canonicas, decimas omnium bonorum Eccleſiaſticis perſolvendas, Caſus reſervatos, gradus in matrimonio prohibitos, & ſimilia ſexcenta. Vide de *Jure canonico* ſupra part. 1. lib. 2. *Denique* eâdem conſequentia concludi poſſet non omnia ſunt mala quę ſtatuit Alcoranus, aut Thalmud: Ergo bonâ conſcientiâ teneri poteſt quidquid circa res ſacras ab iis præſcribitur; quamvis ſcriptura nihil tale habeat, quinimmo ſatis apertè ei contradicat.

VI. *Object.* Claſſes, ſynodi, earumque deputati, hoc eſt concionatores, quamvis prætexant nomen Eccleſiæ, jus electionum ſibi querunt, atque adeo novam Papalem Hierarchiam clanculum moliuntur, excluſis patronis, Principibus, Magiſtratibus, ita ut in electionibus minus illis tribuant, quam ſub Papatu ipſis tributum eſt. *Reſp.* Quid eccleſiis, paſtoribus, Magiſtratibus in vocatione paſtorum tribuendum aut non tribuendum ſit, conſtat ex verbo Dei. Intra ejus limites ſinguli ſe contineant. Si quis exorbitet, ſervanda eſt regula: Tollatur abuſus, & maneat rerum ſubſtantia. De patronis ut nunc ſunt, aut fuerunt ſub Papatu, in ſcripturâ, aut antiquæ

Digitized by Google

quæ eccleſiæ canonibus nihil comparet. Quod ſi ergo Eccleſię hæc agerent apud Chriſtianos Magiſtratus ut nulla ipſorum haberetur ratio, ut uſurpationes eorum ſimul & ſemel honeſtè ſepelirentur, utique nullam injuriam ipſis facerent: imprimis ſi reſtituantur ipſis omnes expenſę, quibus prędeceſſores ſuos ſub Papatu communi tunc errore Jus illud mercatos probaverint.

VII. *Object.* Eccleſiæ particularis ſynedrio nulla pars eſt in Electione neque enim ipſa ſubjectum eſt poteſtatis Eccleſiaſticæ. Sufficit ergo nominatum à patronis offerri Claſſi, ut eum examinet & confirmet. *Reſp.* Patrono ſaltem non competit electio (cuicunque demum competat) nec jure divino, nec antiquo eccleſiaſtico, nec canonico ſeu Papali, nec noſtro reformato. Relinquitur ergo competere illud Magiſtratibus, aut Eccleſiis & presbyteriis parochialibus. Sed illis, nec jure divino, nec antiquo eccleſiaſtico, nec canonico ſeu Papali competit, ut alibi probatum eſt. Ergo competit cuique Eccleſiæ & presbyterio: penes quæ eſſe jus vocationis, atque adeo poteſtatem eccleſiaſticam regiminis & ordinationis, oſtendimus *Deſp. Cauſ. Papat. lib.* 2. *ſect.* 1. *c.* 3. 4. & *ſect.* 2. *c.* 12. 16. Quæ autem hic ſint partes, quæ poteſtas infra *part.* 3. ubi de claſſibus & ſynodis, explicabitur. Poteſtatem ſeu conſenſum claſſium aut vicinorum miniſtrorum, deſcribunt Conſtitutiones noſtræ eccleſiaſticæ, ubi & nos ſupra, de Poteſtate eccleſiaſtica, de Senioribus de Claſſibus, de Eccleſiis collegiatis cathedralibus, &c.

VIII. *Object.* Tumultuaria forte fuit reformatio in Galliâ, Belgio, &c. & de ea dici poſſet, Exceſſit medecina modum. Itaque illa pro electionibus populi & presbyterii, authoritate patronorum opponi non debet. *Reſp.* Quam bene & legitimè inſtituta fuerit reformatio in Galliâ, Belgio, atque adeo toto orbe Europæo diximus *Deſp. Cauſ. Papat. lib.* 2. *ſect.* 1. *c.* 5 & *ſect.* 2. *c.* 13. 19. 22. Qualiſcunque autem fuerit reformatio, nihil illa patronis præjudicari velimus; ſiquidem probari poſſit eam contra aut præter ſcripturas à Magiſtratibus, aut à patronis eorumque progenitoribus eſſe ſuſceptam aut introductam. Cæterum talis exprobatio, qua Grotius eccleſias noſtrates aliaſque ex reformatis pungere mihi videtur *p.* 119. (Eccleſię Anglicanę reformatio non privato impetu, ſed publico conſilio, &c.) eodem colore etiam Apoſtolicis eccleſiis adaptari poſſet.

IX. *Object.* Tum condemnandæ eſſent Eccleſiæ quam plurimæ in Germania, Anglia, Dania, Suecia, &c. nonnullæ etiam in Belgio, quæ hactenus uſæ ſunt *Jure Patronatus*; ac dicendum, ibi nullas eſſe legitimas vocationes. Quod abſurdum eſt. *Reſp.* Neutrum ſequitur. Vide infra probl. 9. 10. 11.

X. *Object.* Patroni allegant antiquitatem, conſuetudinem, poſſeſſionem, &

& exempla majorum ſuorum. *Reſp. Conſuetudo* ſine verritate nihil aliud quam vetuſtas erroris. Poſſent eâdem ratione omnes ceremonias, cum univerſa *hierarchiâ Papali*, jugo Clericali, atque adeo erroribus & ſuperſtitionibus παντοδαπῶν refodere. Quod ad *antiquitatem*, quæ prætexitur, ea mera novitas eſt: ut jam oſtendimus: ſiquidem in æternum non evincent ante tempora *Auguſtini morem* illum præſentandi in Eccleſiis fuiſſe cognitum: quod etiam innuunt vocabula Patronatus, advocatia, præſentatio, guardias habere, &c. Et ſi declinante Eccleſiæ ac regiminis integritate, lolii iſtius aliquid poſt illa tempora (ſub annum ſcil. 550) ſuccreverit, multo minus probari poteſt illud ſpectaſſe electionem paſtorum ſeu Epiſcoporum. De ſucceſſione & catholiciſmo, quod prætexi videtur, dicimus meram fuiſſe particularitatem, & quidem in eccleſiis quibuſdam occidentalibus; cui minimè conveniat decantata illa definitio *Vincentii Lyrinenſis*, Quod omnes, quod ubique, quod ſemper. Breviter documenta ac teſtimonia omnia quæ apud *Marſil. Batavinum*, *Servinum in Vindiciis ſecundum libertatem Eccleſiæ Gallicanæ*, &c. (ubi accuratè & operoſiſſimè ſupra omnes alios ea congeſſit,) Bilſonum in libr. de Perpetuo Eccleſię regimine, deniq; Grotium in pietate, qui ex illis ſua decerpſit; ad hanc rem non faciunt.

Hos fontes ſolutionum indicamus. 1. ex ſequioribus & corruptioribus ſęculis omnia depromi: antiquiſſimum enim eſt decretum *Concilii Toletani* & *Aurelian. modo cit.* Et *Juſtiniani a.* 550. quod certè debebat hanc cauſam apud primævi catholiciſmi & putioris antiquitatis (*quæ vel ipſis Pontificiis ex. gr. Cardinale Perrono in Scripto adverſus Sereniſſ. Magnæ Britanniæ Regem* 450. à *Chriſto annis circumſcribitur*) admiratores ſuſpectam reddere.

2. Omnia eſſe particularia, aut à Papis Romanis, aut ab Epiſcopis nonnullis in Conciliis particularibus, aut à Regibus & Principibus particularibus ſive vindicata, ſive ſancita, ſive tolerata. Adeo ut hinc ne ſpecies quidem juris communis ſive Eccleſiaſtici ſive Politici exſculpi poſſit. Niſi velimus eadem conſequentia ſexcenta alia *ex capitularibus* Regum Galliæ, & decretis Eccleſiæ Gallicanæ, item conſtitutionibus Provincialibus aut Nationalibus in hodiernas Eccleſias aut politias reformatas denuo introducere. Quod quantum abſurdorum ſyrma, poſt ſe tracturum ſit, viderent primi omnium (ni fallor) tum patroni, tum Magiſtratus. *Juſtiniani novella*, quæ ſolo apud JCC. noſtrates & jus & catholiciſmum aliquem facere videtur, ne γρῦ quidem *de patronatu* circa vocationes paſtorum, ſed tantum minorum clericorum, qui non erant anteceſſores aut paſtores (*Calvin. lib.* 4. *Inſtitut. c.* 4. §. 9. 10.): ut ſupra monuimus.

3. Et quod vel ſolum farragini iſti allegationum nervos incidit: Loqui pleraſque (pauciſſimis exceptis) non de jure patronatus ſupra definito, &

Digitized by Google

in Papatu ſecundum jus Canonicum à prædeceſſoribus hodiernorum patronorum uſurpato, ſed de ſolo jure Imperatorum, Regum, ac ſupremarum poteſtatum; jure, inquam, aut inſtitutionis & inveſtituræ, aut electionis, aut prævii conſenſus, aut approbationis ſive concomitantis ſive ſubſequentis, aut confirmationis. Quod adeo liquidum eſt, ut non tantum Marſilius de electionibus & Germanici ſcriptores (qui pro Imperio ſcribunt apud *Goldaſtum* in Replicâ contra *Gretſerum.*) de Inveſtituris, Bilſonus de jure Regio eligendi Epiſcopos; ſed & Servinus p. 284. 282. 279. (ex quo ut opinor, *Grotius*) ad teſtimonia cit. ex ſæculis omnibus ante compoſitionem Juris Canonici, modo inveſtituram, modo conſtitutionem, modo collationem, modo approbationem, modo electionem, modo miſſionem, modo conſenſum, modo ratihabitionem & confirmationem, pro Principibus exſertè concludant. Ut vel hinc videas qua ἀκριβείᾳ *Grotius* cum Anonymo hyperaſpiſte allegationibus illis intermiſceat aut adjiciat controverſum illud alicubi in Belgio Jus patronatus. Reſponderent pueri ex ſcholâ dialecticorum, plus eſt in concluſione quam in præmiſſis, aut mutantur termini, & aliter in concluſionem inferuntur, ac fuerunt in præmiſſis, aut fallacia eſt ignorationis elenchi, & conſequenter tota diſſertatio nugatoria & fallax, qualem pro mala cauſa aliqui cauſidici & advocati inſtituere ſolent, tantum dicis cauſa, contra propriam ſcientiam & conſcientiam. Atqui ſic minimè ludendum eſt in rebus divinis. Præterea quidquid adfertur, ad tres claſſes reduci poteſt: aut enim editum eſt poſt conditum jus Canonicum; aut poſt ſtabilitam *Antichriſti* poteſtatem & triumphantem in Occidente *Babylonicam confuſionem* (*per Gregor.* VII. *poſt decimum ſcil. ſæculum*;) aut poſt ſæculum quintum. Duæ priores nullo numero debent eſſe, non tantum apud Reformatos, ſed ne quidem apud *neutrales*, aut etiam *moderatiores Pontificios*; qui *Caſſandrum*, *Eraſmum*, & *ſimiles* ſecuti, ad eccleſiaſticæ antiquitatis modulum, (quem quartum & quintum ſæculum exhibent) omnia revocari velint. Tertia hominis reformati conſcientiam, & eccleſiam ordinare nequit; ne quidem *Caſſandrianorum* & ſimilium antiquitatis admiratorum. Quamplurima ex Conciliorum canonibus & principum capitularibus, Pontificum decretalibus enotari poſſunt, ad quæ merito faſtidiat animus Chriſtianus, & cum dolore atque indignatione exclamet: Quò vobis mentes rectæ, quæ ſtare ſolebant Antehac, dementis ſeſe flexere viai? Specimen indicii dedimus in 4. *part. ſelect. diſpp. tit.* de Tempore Nativitatis Chriſti part. 2. th. 2. Breviter quidquid humanorum dictorum aut factorum adfertur, nullius conſcientiam certam reddit de jure divino, ne quidem permiſſivo.

5. *Denique* teſtimonia omnia de jure eligendi, aut præſentandi, aut con-

confirmandi *Pontifices Romanos*, univerſales ſc. ſive monarchas, ſive præſides Chriſtianiſmi, ad hanc rem nihil faciunt. Cum enim Papatum prætenſę functiones ſint illegitimę, nulla fuit legitima eorum electio, à quocunq; illa facta fuerit. De electione Epiſcopi Romani quà talis, quę olim fuit, aliter judicandum eſt. Sed præſtat hic audire Principes & Eccleſias omnes Proteſtantium in Apologiâ Auguſtanæ Confeſſionis cap. de poteſtate Papæ. Quomodo poteſt Papa jure divino eſſe ſupra totam Eccleſiam, cum Eccleſia habeat electionem, & paulatim mos invaluerit, ut Romani Epiſcopi ab Imperatoribus confirmarentur. Ad papatum quorundam electiones ab Imperatoribus factas abſurdè hic à *Grotio* intruſas, videat, cui vacat, quid reſpondeant ex noſtris *Sopingius*; ex Pontificiis *Fileſacus de Epiſcoporum poteſtate fol.* 77.

6. *Poſtremo*, ad omnia illa tum facta, tum ſtatuta ſive eccleſiaſtica ſive politica, in promptu eſt pro jure Eccleſiæ reſponſio ad hominem, quam pro *Jure* Regalium & patronatus adferre ſolent: Sed hæ ſanctiones *Jus* Imperatorum tollere non potuerunt. Siquidem quæ clam *facta ſunt*, (à Papis ſcil. aut clericis) vel inſciis *Principibus, nullum eis præjudicium parere potuere. Multa etiam aliquando fiunt, quibus ipſi reſiſtere nequeunt, ut cum Abner à Joab occiſus fuit*, &c. *Quamobrem Henricus 2. Imperator diſſimulare cogebatur*, &c. Servinus p. 290. *Quod ſi evitandi ſciſmatis causâ vel iſte Princeps, vel alii etiam aliquando injurias ſibi illatas tolerare voluerunt, eorum autoritas in eo læſa, aut certe penitus ſublata non fuit.* Idem p. 296. *At Pontificii objiciunt Henricum illum V. huic confirmandorum Epiſcoporum juri poſtea renuntiaſſe. An id potuerit, Germani viderint, qui ſuis legibus ſtatutum ſciunt non poſſe ab Imperatore (ut ipſi loquuntur) exoſſari Imperium. Nec vero iſta remiſſio qua ab Henrico V. facta eſt, eam vim habuit, quam Romani dicunt. Siquidem & poſt ipſam multa inveſtitura ab eo facta fuere. Quod ſi per hanc renuntiationem ius aliquod Papa quæſitum fuit, certe regibus Francorum nullum ex eo præjudicium factum eſt*, &c. Idem pag. 294. Pro jure Eccleſiæ hæc analogicè ſi applicentur contra allegata & prætenſa quorundam Epiſcoporum. Paparum, *Conciliorum Nationalium aut Provincialium* ſive facta ſive indulta; videbunt, ni fallor, patronatus aut alterius cujuſcunque circa Electiones eccleſiaſticas patroni, ſtramineis ejuſmodi diſſertationibus ſemel finem imponendum egregio illo dicto Auguſt. contra Julian. *l.* 1. *c.* Mittamus ea, quæ ab utrâque parte dici poſſunt; quamvis veraciter dici non poſſunt: ut ad ſcripturæ judicium revocetur hęc controverſia. Ita facile conſtabit, A principio non ſic fuiſſe. Moneo autem, me de puris putis Eccleſiaſticis officiis, imprimis paſtorum ſeu verbi miniſtrorum (quæ ſtylo Romano beneficia curata dicenda eſſent) hæc intelligi velle. Alias; ſi quæ ſint dignitates eccleſiaſticæ humano inſtituto introductæ, præſertim

 ſi

ſi ſint maximam partem aut mere politicæ, aut otioſę (honoris ſcil. & emolumenti) eccleſiaſtico titulo inſignitæ; breviter omnia beneficia non curata (in quorum collatione jus ſuum prętenderunt Reges & Principes; non verò in collatione ſingularum parochiarum, aut in Electione *parochorum*) ad Apoſtolicæ & antiquæ electionis formam revocanda, nunc minimè contendimus; tum quia non eſt hujus controverſiæ, tum quia tales dignitates & beneficia non curata aut tunc fuiſſe, aut etiam nunc eccleſię noſtrę quà tali (nominatim belgicæ) neceſſaria eſſe non credimus. De Regalibus & jactatis inveſtituris rectiſſimè obſervat nobiliſſ. Pleſſæus de Euchariſtia lib. 2. c. 8. *Addiderunt poſteriora ſecula annulum & baculum ſub Carolo Magno, ejuſque filiis, Baculum, ut ejus judicio ſubditam plebem regerent, corrigerent & ſuſtinerent. Annulum propter ſignum Pontificalis honoris, vel ſignaculum ſecretorum. Serius ille mos receptus fuit, ex quo Epiſcopi magnorum feudorum domini, quorum nomine Pontifices, Imperatores, Reges fidem & dominium ſibi præſtari voluerunt, quos per ſcipionem & annulum inveſtiebant, non ſecus ac equites & ſcutarios per lanceam, enſem, ſcutum.* Henningius in tract. de Exemptione Clericorum pag. 35. doctè omnia diſtinguit: cujus verba poſt Sopingium hic exhibemus: „ Proinde, *inquit*, diſtinguendum „ eſt miniſterium à beneficio, ſpirituale à carnali, eccleſiaſticum à ſæcu-„ lari. Et ad miniſterium quidem eligi Clericos à Doctoribus & totâ eccle-„ ſiâ ſacris literis & conſuetudini antiquæ conſentaneum eſt: ſed beneficia „ conferre ad jura majeſtatis pertinet, jamque olim eorum diſtributionem „ ad temporalem juriſdictionem pertinere, Marſilius Patavin. ad Ludovi-„ cum IV. Imper. ſcribit libr. de Tranſlat. & mutat. Imperii. Unde & Pra-„ ctici in Galliis hoc jus Regalibus adſcribunt & Imperatores quamdiu eo „ uſi ſunt, ſe eo uti tanquam jure Regio proteſtati ſunt, &c. Philippus rex „ in epiſtolâ ad Bonifacium VIII. Aliquarum Eccleſiarum & præbendarum „ vacantium collationem ad nos jure regio pertinere, &c. tuemur. Paulo „ poſt: Sed quia miniſterium feudo adhærebat, & hoc potius (N. B.) ſpe-„ ctari ſolebat, quam illud, hinc factum eſt, ut cui feudum dederant „ Principes, eidem miniſterium una dediſſe viderentur, & ſic nominatio „ miniſtri cum collatione feudi confundi cœpit, ut *pag.* 31. notat ex Duareno *lib.* 2. de Miniſter. Eccleſiaſtic. *cap.* 3. Pugnaſſe autem tantopere Reges & Principes nec pro præſentationibus nec pro electionibus parochorum, ſed pro inveſtituris Prælatorum regularium & ſæcularium bene obſervat Sopingius ad *num.* 65. Quas electiones tamen ſeu nominationes liberè rejicit *Petr. Mattheus hiſtor. libr.* 7. *narr.* 1. *num.* 5.

XI. *Object.* Dicitur alicubi decretis eccleſiaſticis (Anonymus *num.* 66.; ſed nulla producit,) & tandem in Belgio à celebri illâ à *Synodo Nationali*

Dor-

Dordracenâ anno 1619. Jus patronatus approbatum. Et ſunt Provinciæ ubi Eccleſiæ complures nunc pacificè illo jure utuntur. Itaque bonâ conſcientiâ patroni illud jus ſibi vindicant & uſurpant.

Reſp. 1. Eccleſiæ reformatæ apud nos nunquam probârunt tanquam jus divinum, aut jus antiquum eccleſiaſticum, aut jus politicum (quia nihil tale eſt) ſed tolerârunt tantum, tanquam defectum & malum, quod tolli non poterat: quo ipſo tamen non tranquillatur patronorum conſcientia. Eſt enim regula hæc notiſſima apud *Caſuiſtas*, poſſe quem pie & bona conſcientiâ aliquo in caſu tolerare alterius peccatum, (pietate illâ verſante immediatè circa tolerantiam, non verò circa peccatum,) adhæc poſſe quem alterius peccato (ſeu potius bono aliquo, cum quo peccatum per accidens conjunctum eſt) rectè uti: neminem tamen poſſe bonâ conſcientiâ illud facere. Sic e. gr. toleratur aliquando à Magiſtratu idololatria, & *David* tolerabat *Joabi* cædes: Rurſum utitur quis uſurario Judæo & ab eo mutuum petit, item dux belli cive perjuro & proditore, ut civitatem hoſtilem tradat, &c. Neutri tamen licitum eſt hoc agere.

Reſp. 2. *De Synodo Dordracenâ* ſic ſe res habet Approbabat illa conſtitutiones Eccleſiaſticas conſcriptas in *ſynodo Haga-comitanâ* anno 1586. & decernebat *ab Illuſtr. ac præpot. DD. Ordinibus confirmationem* Politicam earum petendam. Sed interpellabant *DD. Delegati Illuſtr. Ordd.* monentes res ſuas & tempora tunc minime ferre, ut plane Jus illud tolleretur: præſertim cum alicubi in Provinciis aliquot illius uſus adhuc vigeret, immo Nobiles certæ Provinciæ nulla ratione talem communem Ordinem Eccleſiaſticum probaturi eſſent: quippe qui in convocationem ſynodi Nationalis non conſenſerant, niſi ſub hâc cautione: *Ne quid in præjudicium hujus iuris iſtic ageretur:* cogitaret ergo Synodus potius de ejus reformatione & limitatione. Quid faceret Synodus? Volens nolens poſt omnes admonitionis & obteſtationes, tandem toleravit clauſulam illam capiti de Electionibus adſcribi: ſalvo cuique jure patronatus, &c. Quia aliter non poterat, & quia certa ſpe jam devorabat tam neceſſariam ordinis eccleſiaſtici confirmationem Ill.DD. Ord. totius Belgii. Quia etiam credebat paucas tantum Provincias hoc incommodo alicubi laboraturas: putabat itaque præſtare ut omnes Provinciæ ordinem aliquem Electionum publica authoritate omnium Provinciarum ſtabilitum haberent; quam ut propter paucas eccleſias patronatas, reliquæ non patronatę ſolenniter *authorizato* ordine & communi toti *Belgio* una cum patronatis perpetuo carerent. Nec clauſulam illam ita nudè paſſa eſt intrudi, ſed cum iſtis limitationibus, de quarum receptione minimè dubitabat. Dictas limitationes lectori hic exhibeo.

1. *Ut nemini permittatur Jus Patronatus, niſi qui liquidò probaverit Ill. DD. Ordd.*

Ordd. ſe debito ejus uſu & poſſeſſione gaudere: ne eccleſia ſervitutibus (hic vides, quomodo probet ſynodus) non neceßariis oneretur.

II. *Ne patronis aliud ius tribuatur, quam præſentandi perſonam habilem: quandoquidem in ipſo Papatu aliud jus non habuerunt.*

III. *Ut patroni miniſtris proſpiciant de debito ſtipendio; quanto ſcil. alii miniſtrii fruuntur: nec cum aliquo tranſigant, & pactum quaſi locationis ineant, atque ita præſentent eos, qui minima mercede aut ſalario miniſterium obire velint.*

IV. *Ut præſentatio fiat ad ſummum intra duos aut tres menſes, poſt eccleſiæ vacationem; ſecus ſi fecerint, ut illâ vice præſentationis jure excidant & priventur.*

V. *Ut patroni teneantur præſentare talem, qui ſit extra omnem ſuſpicionem heterodoxiæ, adhæc vitâ inculpatus, ac talibus donis inſtructus, ut eccleſiæ queat eſſe acceptus, eique ſatisfacere.*

VI. *Ut Eccleſiæ retineant jus præſentatum repudiandi, ſiquidem dona aut ingenium ac mores eius ipſi minime placeant: ne invitis miniſtri obtrudantur.*

VII. *Ut præſentatus ab eccleſiâ receptus, ejuſque receptionis documento exhibito, juxta communem ordinem eccleſiaſticum à Claſſe examinetur, eccleſiæ proponatur, & in miniſterio confirmetur.*

VIII. *Ut controverſiæ, ſi quæ inter patronos & eccleſias ſuper præſentatione exoriantur, decidantur & terminentur, à claſſe aut ſynodo particulari.*

IX. *Ne patrono adſcribatur poteſtas miniſtrum à ſe præſentatum & legitimè in miniſterio inſtitutum, ſuâ ſolius authoritate abſque judicio claſſis aut ſynodi exauctorandi.*

XII. *Object.* Patronrtus jure civili ſeu legibus Imperatoribus, privilegiis Regum & Principum competit patronis. *Reſp.* Tale quid velint nonnulli, & *Grotius* cum ſuo *Hyperaſpiſte*: ſed nihil probant. Cedo leges. Nam quod prætenditur *novella* 123. & conſtitutio *Caroli Magni*, fruſtra eſt. Neque enim probant patronos ab Imperatoribus jura illa acquiſiviſſe; ſed ab Epiſcopis & eccleſiaſticis prius conceſſa & definita, ab Imperatoribus poſtea approbata, in leges relata & promulgata; quem morem eccleſiaſtica ſtatuta & capitula confirmandi nemo ignorat, qui modo Conſtitutiones à *Goldaſto*, & *Capitularia Caroli Magni*, *Ludovici*, *Caroli Calvi* ab aliis ſeorſim edita ſemel viderit. Ad *novellam* 123. ſupra reſpondimus, eam non ſtabilire patronatum hodie controverſum, ſed potius valide elidere. Præterquam quod in eâdem nihil ſanciatur quod Canonibus Conciliorum antea ſtatutum non eſſet; *Vide Concil. Toletan. cap.* 11. & *Aurelian.* 4. *can.* 21. Quin immo exſertè eâdem *Novellâ* origo ejuſmodi conceſſionum in rebus Eccleſiaſticis non Imperatoribus ſed Eccleſię tribuitur? *Nam ſi civiles*, inquit, *le-*

Digitized by Google

leges quarum poteſtatem fidei noſtra concredidit Deus, per omnia firmas ac ſtabiles conſervari ſtudemus: quanto plus ſtudii debemus circa ſacrarum regularum & divinarum legum obſervationem reponere. Rurſum; *ſui muneris eſſe ea deſpicere, quæ à ſanctis Apoſtolis & ſanctis patribus præſinita, & regulariter diſpoſita ſunt.* Item: *Juſſimus quæſtionem & correctionem horum omnium, quæ nobis enunciata ſunt* canonicè (N. B.) *procedere.* Denique: cap. 3. *Sequentes igitur ea, quæ ſacris definita ſunt canonibus, pragmaticam legem facimus,* &c.

XIII. *Object.* Ex iis tamen quę hactenus ex veteribus ante reformationem, & ſub reformatione à politiis reformatis, immo & à theologis ſynodiſque conceſſa ſunt, ſequitur licitè illud à reformatis uſurpari. *Reſp.* Perpetuum hic eſſe ſophiſma, ἑτεροζητήσεως. Aliud enim eſt probare aliquid in caſu conſcientiæ, & in foro poli, tanquam bonum aut licitum; & aliud, tolerare quid. Approbatio eccleſiaſtica ſi immediatè & propriè verſatur circa Chriſtianam patientiam, & tolerantiam mali, injuſti ſcil. juris patronatus: non tamen ideo dicenda eſt verſari directè circa ipſum jus patronatus. Tolerantiam ejus eccleſia eccleſiaſticè probat; quando & quoties malum illud tollere, aut ſine eo vocatio nulla haberi poteſt: nunquam tamen malum vocat bonum. *Deinde* aliud eſt approbare quod hodie in mediâ reformatione ſive reformati, ſive Papiſtæ, ſive neutrales prætendunt: aliud denique eſt recipere & approbare tolerantiam (quando aliter fieri non poteſt,) juris patronatus, cum & ſub conditionibus quibuſdam, quales ibidem ex actis *Synodi Dordracenæ* 1619. exhibuimus: & aliud tolerare indefinitum aliquod jus patronatus; aut etiam tale jus, quale fingunt patroni, quod ne quidem Papatus unquam novit, unquam toleravit, nec hodierni patroni à majoribus ſuis hæreditârunt. Quotieſcunque ergo *jus Patronatus,* ejuſque tolerantia, & paſſiva uſurpatio à quoquam prætenditur: ſi verbum Dei non audiat, nec conſcientiam ſuam hac in parte curet *patronus*, ſaltem ad juris iſtius deſcriptionem & circumſcriptionem in Papatu tum ante tum *poſt Concil. Tridentinum*, & eccleſię Romanæ tolerantiam, ejuſdemque juris à majoribus ſub Papatu uſurpationem, provocare non poteſt, nec dicere, *jus quæſitum nemini auferendum*: quandoquidem hodiernum inter reformatis prætenſum & uſurpatum jus, ejuſdemque exercitium, tantum differt à jure & exercitio majorum, quantum Roma nova à veteri. Ergo non ſuccedunt in jus quæſitum majorum, qui eccleſiam aliquam ędificaverant, aut dotârant.

CAP. VII.

Reſpondetur ad quæſtiones aliquot particulares circa juris patronatus uſurpationem.

ACcedimus nunc ad deciſionem caſuum & quæſtionum particularium.

I. *Quæſt. Quid faciendum patronis ut animam ſuam liberent. Reſp.* Jus malè quęſitum, malè traditum, malè uſurpatum à majoribus ipſorum in tenebris Papatus, non σόφοις φαρμάκοις curent, multo minus pervicaciam luci ſcripturarum opponant, ſed Eccleſiis reſtituant, imitati exemplum *Imperatoris Zenonis*, quod ſupra retulimus. Satis enim ſit, hactenus erratum fuiſſe 1 *Petr.* 4. *verſ.* 2. 3. 4. 5. cum 1 *Petr.* 1. *v.* 18. & 2 *Cor.* 5. 17. Quid autem ſit reſtitutio, & quando, quomodo, quis ad eam teneatur, diſcendum ex *Caſuiſtis* ſive noſtris, *Ameſ. lib.* 5. *c.* 4. ſive Pontificiis, *Toleto lib.* 5. *cap.* 17. 29. aut ſi malint ex Canoniſtis ad *cauſ.* 1. *quæſt.* 2. *c. ſi quis.* Nos de eâ agimus in 4. *part. ſel. diſpp.*

II. *Quæſt. Quid ſi Patronus ſit Pontificius, an peccat ſi prætendat aut uſurpet jus Patronatus? Reſp.* à peccato non excuſatur, quamvis tam graviter non peccet contra religionis ſuæ ſcientiam & conſcientiam, quam Reformatus.

III. *Quæſt. Quid facient Principes & Magiſtratus? Reſp.* Quantum in ſe eſt authoritate ſua non minuent aut limitabunt has Papales reliquias, ſed tollent & legibus ſuis jus hoc electionum confirmabunt, exemplo Caroli Magni, ſupra allegato. Sed excipiunt patroni.

Except. 1. Nemini jus quæſitum eſt tollendum, & generaliter Principi prohibitum eſt prętjudicare alicui. *Reſp.* Ergo ne omnes patroni qua tales, ſive viri, ſive fæminæ, ſive pueri, indigenæ & advenę, habent poteſtatem independentem, & ſupremum ac abſolutum jus? Quid ſi tale quid prætendant *Patroni Clericales, Epiſcopi, Abbates, Abbatiſſæ, Canonici* tum pro *jure* ſuo *patronatus*, tum pro poſſeſſione & retentione bonorum eccleſiaſticorum, munerum Politicorum, dignitatum & præcedentiarum, privilegiorum, item juris fori Eccleſiaſtici cum carceribus & pœnis ex formula practicæ criminalis canonicę; addant inſuper inviolatam tot ſęculorum poſſeſſionem, *juris Papalis & Eccleſiaſtici*, item confirmationem ac patrocinium à jure civili & Principibus Chriſtianum hactenus præſtitum: an regulę iſti: Nemini jus quæſitum eſt tollendum, ſuccumberent Reges, Principes, & magiſtratus Reformati.

Except. 2.

Digitized by Google

Except. 2. Excipi poſſet. Donationes nonnullas hac ſola conditione eccleſiis factas: ſublato ergo jure patronatus tenerentur eccleſię ad reſtitutionem aut ad carentiam iſtorum redituum. *Reſp.* 1. conditionales illæ donationes, debitè & juſtè probentur. *Reſp.* 2. Si quæ probari poſſent (quod factum hactenus non vidimus) nihil pręjudicare poſſent, donationibus abſque illâ conditione factis. *Reſp.* 3. Fiat quod petitur. Quid tum? Nodus hic facile ſolvi poterit. Ut ad proximam quæſtionem dicemus. Oſtendant modo ubi, quando & quanta ſumma prædeceſſores eorum mercati fuerint ſuum patronatum. *Reſp.* 4. Quid ſi hoc dicant patroni clericales, qui etiam à ſe acquiſitum jus & quidem depoſitis nummis ſuis prætendere poſſent? An putamus reſtitutionem iis à Reformatis Principibus & Rebuſpublicis concedendam. *Reſp.* 5. Ut jam non dicam huc analogicè applicari poſſe *can.* 15. *Concil. Ancyrani*, quo ſtatuitur, ſi presbyteri eccleſiaſtica jura vendidiſſent, ut reſciſſo contractu jus eccleſiaſticum revocetur. *Reſp.*6. Viderint etiam *JC.* an ſi turpi nundinatione vendantur quę vendi non debent (cum Jus civile talem contractum nunquam probârit, & Jus divinum exſertè condemnet, quippe ſimoniacum; emtori ſemper debeatur reſtitutio. Sed nolumus iis inſiſtere, fiat reſtitutio.

IV. *Quæſt. Quid hic facient Eccleſiæ, ſynedria, claſſes, Synodi? Reſp. primo*, opportunè importunè ex verbo Dei informabunt conſcientias patronorum: & ſi illę auribus careant, vel odio religionis noſtrę, zelo papiſmi alteriuſve hæreſios, ſtudio rerum novarum ac perturbationis eccleſiarum, vel alio aliquo errore, ἰδιογνωμοσύνῃ, vel ſeductorum χρηστολογίᾳ; convertent ſe ad ſuprema judicia, ſupremas poteſtates, omnibuſque licitis mediis ab ipſarum authoritate Papalibus illis uſurpationibus fibulam imponi poſtulabunt. Deinde, ſi ita opus, reſtitutionem ex ærario eccleſiaſtico, aliarumque eccleſiarum & devotorum hominum oblatis ac collectis promittent & procurabunt; aut ipſam dotem, cum templo & fundo patronis relinquent, ſiquidem ea redimi nolint. *Concil. Valentinum ſub Lothario can.* 9. duro ſui ſæculi nodo hunc durum adhibebat cuneum; Eorum (ſcil. patronorum qui dotis proprietatem, aut curam aut adminiſtrationem, aut ex eâ cenſus redhibitionem ſibi vindicabant) *excommunicationi, addere poſſent. deſtructionem penitus talium baſilicarum, locumque alium ſub pace meliori ſitum quærant, ibique pacificam baſilicam conſecraturi.* Ergo malim dicere ut deſerant tale templum, ſi aliter declinare nequeant.

V. *Quæſt. Quid facient candidati miniſterii? Reſp.* Æquo animo à domino vocationem exſpectabunt, & in domino ſequentur ſynedria & eccleſiæ inſpectores, ſi quid acceptandum, recuſandum, cedendum, tolerandum, non vero prenſationibus ac ambitioſâ ἁρπαξίᾳ & πολυπραγμοσύνῃ prævertent

tent

tent ipſorum conſilia, judicia, actiones: ab illis enim tanquam ἡγουμένοις, non à candidatis (qui ſunt ἑπόμενοι, & imprimis in hoc negotio paſſivè ſe habent) ordinariò inchoandæ deliberationes, judicia, & agenda eccleſiaſtica circa poteſtatem & jus eccleſiaſticum. Conſilium Calvini à Toſſano in paſtore Euangelico *cap.* 3. probatum analogicè huc applicari poſſet. Sic autem Toſſanus *pag.* 34.

„ Verum non intempeſtive hoc loco quęri poteſt, quidnam de eorum „ vocatione ſit ſentiendum, qui vocationes ex Papatu habent. Reſpondeo, „ vocationem quidem Miniſtrorum in Papatu non eſſe bonam, ſi proprie „ loquamur, & tamen non eſſe plane nullam: Primum quia etſi Papatus „ non fuit Eccleſia, in medio tamen Papatu aliqua Eccleſia ſuper fuit, „ quemadmodum & veſtigia aliqua veteris diſciplinę & veterum Canonum „ in Papatu reperiuntur, & inter eos nonnulli donis non contemnendis „ præditi omnibus temporibus extitere, qui & de perſona Chriſti & de ejus „ officio tolerabiliter docuerunt, quod ipſum Calvinus in Epiſtola ad Le„ lium Sozimum non diſſimulavit: *Eccleſia diſſipata veſtigia*, inquit, *in Pa„ patu ſunt, & ibi aliqua Eccleſia licet deformis remanſit*: & pag. 348. in „ iiſdem Epiſtolis ad quæſtionem de miniſtris non legitime per omnia voca„ tis reſpondet, vel per modum tolerantiæ ſuſtinendos, vel libertate ma„ jori Eccleſiæ reſtituta eos culpam agnoſcere debere, & confirmari, quod „ poteſt fieri datis dextris κοινωνίας, quando alias de doctrina eorum & mo„ ribus conſtat, & ingenue agnoſcunt & confitentur, quam graviter pec„ carint, miſſificando & perſequendo veritatem, ſicut D. Paulus culpam „ ſuam coram toto mundo agnovit, vide 1 *Timoth.* 1.

VI. *Quæſt. Concionator ſeu proponens, quem pendente hac lite, & oppoſitione Eccleſiæ eligit patronus, an in foro conſcientiæ legitimè vocatum ſe habebit, & hoc nomine miniſterium capeſſet?* *Reſp.* Minime 1. quia currit antequam mittatur, & vult invitæ eccleſiæ obtrudi. 2. Nullam benedictionem in tali eccleſia & vocatione ſibi polliceri poterit. 3. Hac ratione, quantum in ſe eſt, promovet eccleſiaſticę libertatis oppreſſionem, & Pontificii pſeudojuris retentionem, atque adeo intervertit vota, conatus, & ſpem eccleſiæ.

VII. *Quæſt. Quid faciet eccleſia ſi concionator aut proponens ſubreptitiè & obreptitiè emendicet patroni electionem, & non obſtante oppoſitione eccleſiæ de compacto rem gerat cum patrono, atque ita graſſetur ad miniſterii poſſeſſionem?* *Reſp.* Præmiſſis præmittendis in communionem eccleſiaſticam aut fraternitatis aut miniſterii, ἁπαξὶν illum non recipiet *Galat.* 5. *v.* 10. 12. 2 *Theſ.* 3. 6. 14. 15. 1 *Tim.* 5. 22. ex formulâ adminiſtrationis cœnę: Omnibus qui factiones in Republ. vel eccleſiâ moliuntur.

VIII.

VIII. *Quæſt. Quid facient eccleſiæ ſi nec rationibus, nec precibus apud patronum, nec iure ordinario, nec authoritate Magiſtratus quidquam obtineant? Reſp.* Omnibus fruſtra tentatis, & eccleſiarum conditione perpetuam illam miniſtrorum penuriam non ferente cedent injuriæ temporum, & malum illud tolerabunt, interim patronum conſcientiæ ſuæ ac judicio Dei relinquentes, donec ad meliorem mentem redierit. Hoc tamen ſedulo cavendum, ne ullis tranſactionibus videantur jus illud quaſi approbare, atque ita patroni conſcientiam liberare. Ne etiam, quidquid hac vice patiantur, ſibi aut poſteris cognitionem, conſilia, jus & poteſtatem præſcindant in poſterum meliori occaſione, fermenti iſtius expurgationem poſtulandi. Quem in finem conſultum eſſet actis presbyteriorum & claſſium hanc clauſulam inſeri: Illum modum vocationis hac vice toleratum (quia aliter fieri „non potuit) non trahendum in conſequentiam, nec in poſterum præju„dicaturum poteſtati Eccleſiæ liberas electiones ſuas denuò repetendi & „uſurpandi.

IX. *Quæſt. Quid hoc in caſu faciet miniſterii candidatus. Reſp.* Vocationem in domino amplectetur, volente & ſuadente ita Eccleſiâ; nihilominus defectum hunc una cum eccleſiis, ſynedriis, & claſſibus deplorabit, & ut certitudine alicujus legitimæ vocationis coram Deo & in conſcientiâ ſe conſolari poſſit, referet, quidquid eſt vocationis internæ aut externæ ad rectam cordis ſui intentionem & eccleſiæ (penes quam eſt poteſtas vocandi) deſiderium, ſeu antecedentem, concomitantem, & ſubſequentem approbationem, ex quibus tanquam impreſſis veſtigiis agnoſcet *Chriſtum* vocantem.

X. *Quæſt. An talis vocatio ſit illegitima, ſeu ipſo iure nulla? Reſp.* Vitium aut defectus origini conjunctus, non arguit totalem nullitatem, aut perpetuo injuſtam poſſeſſionem: quod tamen *patronum* ab ἀταξίας peccato non liberat. Ut enim fidelitas & ordo divinus hominum vitia non tollit, ſic nec viciſſim vitia hominum Dei ordinem & fidelitatem. Quomodo noſtri de vocationibus ſub *Papatu*. Vide noſtram *Deſper. cauſam Papatus lib.* 2. *ſect.* 2. *cap.* 8. 10. 13. 14. 21. Ita de vocationibus per jus patronatus *Toſſanus* paſtoris Euang. *cap.* 3. *pag.* 26. 29. 32. *Ameſ. lib.* 4. *cap.* 5. 27. *quæſt.* 7. *Bald. lib.* 4. *cap.* 5. *caſu.* 4. Ubi ſpecialiter agit de patrono Papiſtico.

XI. *Quæſt. An eccleſia, ſynedrium, claſſis, vocatus miniſter, hac ratione communicant aliorum peccatis? Reſp.* Minime; ſiquidem ab ignaviâ, animi mollitie, ἀνθρωπαρεσκείας, privatis cupiditatibus, maliſque artibus conſcientiam immunem habeant. Poſſumus enim aliquando abſque peccato noſtro alienis peccatis uti (ita loqui liceat) hoc eſt actionibus eorum uti, cum quibus peccatum conjunctum eſt, actionibus per ſe neceſſariis utendo, malum iis indebitè per hominum ἀταξίαν implicitum tolerando, cum tollere non poſſu-

poſſumus. Sic Practici ſtatuunt licitè mutuum peti poſſe à fœneratore, quamvis ille illicitè det; juramentum exigi poſſe à Papiſta ſub regno Papæ vivente; quamvis ille Deo adjungat ſanctos. Sic miſſę idololatriam, religionem Ethnicam aut Mahumetiſticam, licitè aliquo in caſu tolerat Magiſtratus; nemo tamen licitè illa exercet. Idem ſtatuendum de cive perjuro & proditore, cujus operâ tamen certo in caſu uti poteſt Magiſtratus adverſus hoſtem ſuum in bello legitimo. Adde libelli repudii conceſſionem politicam *Matth.* 19. & ſi quæ ſunt iſtius generis. Ita & hodie *Patriarcha Conſtantinopolitanus* non vocatur niſi ingentem pecunię ſummam Imperatori Ottomanico quotannis exolvat, quod tributum *charatzium* vocant: eſtque illud primo inventum à *Raphaële natione Servio*, qui pollicitatione iſtius infulas emit ab Imperatore, & ejus juſſu factus eſt *Patriarcha*, ut habet *hiſtoria Patriarcharum*, quam *Crubus* inſeruit *Turco-Graciæ* ſuæ *lib.* 2. *p.* 131. Primo quidem erat *bis mille ducatorum*, ſed Patriarchatum ambientium & *Sultano* adulantium improbitate paulatim auctum excrevit ad ſummam *centum & quater mille ducatorum.* Acceſſit per *Simeonem* quendam *Trapezuntinum* huic tributo & aliud, quod *peſcheſium* vocant, ſemel initio *Patriarchatus* exolvendum, fuitque primo mille aureorum, ſed impotenti Præſulum ambitione poſtea auctum. Quod idem olim evenit *Epiſcopis Romanis* ſub Regibus *Gothorum*, ut obſervavimus *in Deſper. Cauſa Papatus.* Quin & ipſi Imperatores à novis Epiſcopis olim tributum exigebant *enthroniſticum* ſcil.; quod conſtat ex *Euagrii hiſtor. eccleſiaſt. lib.* 5. *c.* 5. & *Jure Canonico diſt.* 53. *c. Agatho.* Ejuſdem commatis erant donaria & munera pro Epiſcoporum inveſtituris (de quo jure ideo tanta contentio) ab Imperatoribus Germanis poſtmodum extorta. Quæ omnia ſunt meræ *ἀταξίαι* à nemine committendæ aut procurandæ, piè tamen & prudenter ab eccleſiis ferendæ, quamdiu canonicè juxta canonem 2. *Concil. Chalcedonenſis* & *Braccarenſ.* 3. *can.* 7. &c. accedente pietate & emendatione Principum, ſordes illæ expurgari nequeunt.

XII. *Quaſt. An præſtaret eccleſias in perpetuum miniſtris deſtitui, quàm tales vocationes admittere. Reſp.* Minime. Præſtaret Eccleſiam eſſe & vocationem cum nævo, quam nullam: ſicut præſtat Rempublicam eſſe (quamvis forte peccata quædam impunita dimittantur, & lupanaria aut uſuræ mordaces tolerentur) quam nullam eſſe.

XIII. *Quaſt. An eccleſiæ membra illis vocationibus offenſa, à miniſtro ſic vocato, atque adeo communione iſtius Eccleſiæ ſe ſeparabunt? Reſp.* Minime. Malum illud tolerent, bono interim fruantur; adhæc præcibus apud Deum & officiis apud homines apportunè hoc agere non deſinant ut aliquando malum iſtud ſanari poſſit. Analogicè huc applicanda ea, quæ aliis in caſibus conſulit Ameſius *libr.* 4. *c.* 24. *quæſt.* 3. 4. 5.

XIV.

Digitized by Google

XIV. *Quæſt. Quid dè* συγχωρέιον *Sibrandi Lubberti contra Grotium pag.* 166. *judicandum: Relinque eccleſiæ libertatem eligendi miniſtros, & non movebit illa tibi litem de collatione, præſentatione & diſpoſitione beneficiorum eccleſiaſticorum & Jure patronatus. Neque enim hæc inter ſe pugnant. Commodè enim fieri poteſt, ut eccleſia eligat miniſtros, & patronus vel alius quiſpiam, ad quem jus hoc pertinet, ad electionem ab eccleſiâ factam conſenſum adjungant? Reſp.* De patronis (ita dictis) qui ſunt Toparchæ aut Magiſtratu funguntur (quos præcipuè reſpicere eum putamus) hic non quæritur: Vide, quæ ſupra *part.* 1. *lib.* 1. de poteſtate eccleſiaſticâ Magiſtratui circa electiones tribuimus. De aliis quibuſcunque, ſiquidem ſponte reverentiæ, gratitudinis & caritatis ergo deferatur quid benefactori præ aliis, aut etiam in caſu turbati & collapſi ordinis in Eccleſiâ, non admodum abnuimus; ut ſcil. in tali neceſſitatis caſu prudenter toleretur. Sed ut ordinarium & perpetuum hoc Jus ſit, aut privilegium reale, non putamus eſſe ex re eccleſiæ, aut conſcientię patroni. Neque enim videmus, quomodo Eccleſia à ſervitute aliiſque incommodis, aut conſcientia patroni ab abſurdis & ſcrupulis illis, quæ ſupra objecimus, ſatis tuta præſtari poſſit. Si autem quæratur, an ab eccleſiis (conſcientiâ patroni ſepoſitâ) conditio hæc accipi debeat, & tanquam minus incommodum aliquod, minuſque recedens à ſimplicitate & exemplo Eccleſiæ tum *Apoſtolicæ*, tum antiquæ tolerari (ſiquidem nihil melius obtineri poſſit): utique huic ſententiæ Doctoris *Sibrandi* nolim repugnare.

Hæc hactenus de jure patronatus, anno 1637. & ſecundis ac tertiis curis anno 1643. à nobis ſcripta atque edita ſunt. Sequentia hoc anno 1668. nunc addimus.

CAP. VIII.

De uſu patronatus clericalis, patronorum ſive heterodoxorum ſive orthodoxorum.

QUæſt. I. *An uſus patronatus clericalis clericorum Papiſticorum, ſit concedendus aut tolerandus in eccleſiis & politiis reformatis? Reſp.* Quod ad Eccleſiam, ea quantum in ſe eſt non tantum non probabit, ſed nec tolerabit, ſiquidem clericales patroni ſive extra politiam noſtram, ſive intra eam degentes, de facto *putatitium* jus ſuum exercere occipiant. Quod ad politiam, quæ omnia exercitia omneſque actus Romano-eccleſiaſticos clericorum Papalium prohibet, (uti conſtat ex edicto Ill. DD. Ordd. General. anno 1612. aliiſque ſeqq.): ea etiam hunc §. 1.

actum eligendi & præſentandi aliquem ad paſtoratum in eccleſiis ſuæ ditionis prohibere credendum eſt, & analogicè hoc colligitur. Uti etiam ipſo facto exercitium illud præſentationis retuderunt & reſecuerunt; quando haut ita pridem à capitulo S. Lamberti Leodienſi tale quid tentaretur, in aliquâ agri Sylvæducenſis eccleſiâ, & nuperrimè hoc anno 1668. ab Abbate Gertrudis Lovanii, in aliâ aliquâ ejuſdem territorii eccleſiâ. Idem ante annos aliquot (ſi bene memini) evenit tentatæ præſentationi in eccleſiâ aliquâ ducatus Geldriæ, ab Abbatiſsâ Thoorenſi in territorio Leodienſi. Conſulantur acta claſſis Sylvæducenſis & ſynodalia Gelrica, ſi ſimilis *caſus aliquando eccleſiam turbaret.*

Clerici Romano-Papales ſive ſæculares ſive regulares ſubditi harum Provinciarum ab initio publicè receptæ & ſtabilitæ reformationis in aliquâ Belgii Provinciâ, non exercuerunt, nec permiſſi ſunt, nec voluerunt, nec potuerunt exercere jus patronatus; quamvis adhuc in ſui clericatus & exercitii Papiſtici ſtatu perſiſterent. Multo minus illud jus exercuerunt, aut exercere permiſſi ſunt in eccleſiâ aliquâ reformatâ aut reformandâ, cum jam publicâ autoritate religionis Papiſticæ & poteſtatis Romano-clericalis exercitium prohibitum eſſet. Et hi quidem clerici Provinciarum Belgicarum incolæ & ſubditi erant. Quod ſi illis non permiſſum; quomodo extra Belgium fœderatum reſidentibus clericis, monaſteriis ſcil. capitulis, abbatibus, abbatiſſis, &c. hoc permiſſum fuiſſet; qui tamen antea in eccleſiis patronatis in Hollandiâ, Zelandiâ, Geldriâ, &c. ſuum illud jus patronatus exercebant. Exactâ ergo & exclusâ Papiſticâ religione, exacta fuit & excluſa omnis poteſtas clericalis tum regiminis, tum ordinis, tum juriſdictionis: quamvis clerici illi (e. gr. Ultrajectini canonici) in aliquo ſuo ſtatu, & in regimine proprii ſui capituli & commendatorum bonorum ſuorum poſſeſſione atque uſu adhuc relinquerentur. Immo clerici jam inde à mutatione rerum in politiâ & eccleſiâ Belgii fœderati, & deinceps, juris illius in eccleſiis noſtris antehac patronatis, exercitium non tentârunt: niſi quod homines quidam profeſſione reformati (forte miniſterii candidati, aut eorum parentes tutores, patroni, Mecænates) indicio, prenſatione, paraſitatione, & mendicatione ſuâ, jam pridem reſides animos, deſuetaque corda clericatus alicujus ſeu conventus extra Belgium noſtrum excitârunt, ad tale quid tentandum: quod ſi non tenuit, magnis tamen excidit auſis. Ut merito abominanda eſt hæc proditio libertatis & poteſtatis eccleſiaſticæ; ſic laudanda tum pietas Ill. & præpot. DD. Ordd. qui peſſulum limini huic profano obdidere; tum fidelitas ac zelus claſſium, quę ipſorum dominationes implorando atque informando pro eccleſiæ libertate decertârunt.

Ratio-

Rationes cur uſu laicalis patronatus adhuc alicubi permiſſo, non æque uſus patronatus clericalis permittatur ſunt iſtæ.

1. *Quia* omnes actus poteſtatis & juris clericalis in genere ſunt prohibiti; cum ejiceretur religio clericatus, hierarchia Papalis. Et multo magis prohibiti ſunt actus poteſtatis clericalis exercendi in eccleſiâ reformatâ. Atqui deſpectio, electio & præſentatio perſonæ habilis eſt actus poteſtatis & juris clericalis. Clerici Papales petebant nuper ab Illuſtr. DD. Ordinibus admitti & defendi ſuam electionem & preſentationem concionatoris in eccleſiâ aliquâ reformatâ: Quid ſi ſeniores & diaconi, qui ſecundum noſtram theologiam ſunt clerici quibuſque electio jure competit, in urbe ſuâ (ex. gr. Bredanâ anno 1626. ab Hiſpanicis occupatâ), illic prætendiſſent jus eligendi paſtorem eccleſiæ, & epiſcopo Antwerpiano præſentandi; an Archiduciſſa de conſilio cleri Papiſtici hoc conceſſiſſet?

2. *Quia* minus quam laicis Papiſtis relinquitur clericis; vix ſimplex & ad tempus aliqua commoratio (uti videre eſt in Illuſtr. DD. Ordd. tum General. tum Provincial. decretis): eo quod de rebellione, & conſpiratione contra Rempublicam tum doctrinâ ſuâ (de quâ nos in 2. *part. ſelect. diſpp. tit.*, de ſede Romanâ incompatibili, &c.) tum factis ſuſpectos ſe reddiderunt. Hinc eſt quod illis, etiam in ſtatu clericali ſubſiſtentibus, jura & privilegia ablata fuerint, (ut e.gr. immunitas & independentia à Magiſtratu ſæculari in civilibus & criminalibus, libera & canonica electio novorum clericorum, libera & conſueta delegatio ad comitia politica): quin ipſi reſidui clerici poſt ſtabilitam liberam Rempublicam & abdicatum Philippum II. anno 1581. dimiſſi aut exacti, conventuſque eorum diſſoluti fuerunt: exceptis quinque capitulis Ultrajectinis: ubi tamen Pontificis præbendæ alternis menſibus ad ipſum devolvi ſolitæ, in fiſcum redactæ & onera tributorum in miniſterii reformati & ſcholæ trivialis Ultrajectinæ ſuſtentationem, iiſdem capitulis impoſita fuerunt.

3. *Quia* ab initio reformationis & deinceps clerici patronatum ſuum non exercuerant in eccleſiis patronatis, eligendo & præſentando habiles miniſtros (hoc eſt, reformatos, ex vi reformationis, à ſupremis poteſtatibus jam publicè receptæ & confirmatæ): quo ipſo exciderunt prætenſo ſuo jure, & fruſtra illud nunc repetitum veniunt. Ipſis patronis laicis hodie exercitium ejus non permittitur, qui ab initio reformationis ſucceſſivè non pręſentârunt miniſtros ex reformatis habiles. Ita declaratum ab Ill. DD. Provinciç Ultrajectinæ Ordinibus a. 1635. Quomodo ergo clericis extraneis (e. gr. capitulo Leodienſi, Abbati Gertrudis Lovanienſi, Abbatiſſæ Thoorenſi) qui à primâ reformatione eccleſiarum in Belgio & deinceps, patronatis eccleſiis vacantibus non præſentârunt perſonas habiles, ne quidem

dem datâ occaſione indicarunt, & prætenderunt, apud claſſes, aut apud illos, quibus nuper præſentationem obtulerunt.

4. *Quia* articulis induciarum anno 1609 & pacis Monaſterii 1648. concluſę, cavetur quidem clericis ſpecialiter conventualibus ſeu conventibus, in terris Hiſpano ſubjectis, ut poſſeſſionibus ſuis, quas haberent in terris fœderatorum, pacate uterentur: non verò ut jure præſentationis uterentur in eccleſiis fœderatii Belgii, olim patronatis.

Vident ergo, qui jam inde à primâ publicâ reformatione & deinceps prætenſum illud jus ſuum nec exercuerunt, nec prætenderunt (quotieſcunque eccleſiæ patronatæ vacarent), multo minus eccleſias deſtructas aut combuſtas reędificârunt, aut concionatoribus debita ſtipendia procurârunt; neutiquam, quaſi jure poſtliminii, deberi reſtitutionem: ſed contra eccleſiis liberatis, ſtandum eſſe in hâc libertatę, & à ſupremis Belgii fœderati poteſtatibus, quorum opem implorant, recidivam illam & de novo tentatam clericalem (e. gr. capituli Leodienſis, aut Abbatis S. Gertrudis) electionem ac præſentationem, quamvis paſtoris aut proponentis reformati, piè ac juſtè rejici: qui etiam omne jus patronatus laicalis bonâ cum conſcientiâ abrogare poſſent; uti abrogatum eſt ab Ill. Zelandiæ Ordinibus in totâ illâ Provinciâ; & à Magiſtratibus urbicis paſſim per totum Belgium: ita ut nullæ eccleſiæ urbicæ (quod ſciam) ſint amplius patronatæ, niſi forte oppidulanæ aliquæ, ubi toparchę illud jus, aut potius aliud aliquod jus toparchale ſibi vindicant in ſuo oppido, ad imitationem Imperatorum in imperio, & regum Galliæ in ſuo regno. Sed objici poſſet.

1. *Object.* Non debent nec poſſunt Ill. DD. fœderati Belgii Ordines jus quæſitum aut juris quæſiti uſum Clericis modo dictis magis adimere, quam toparchis provinciæ alicui, aut *Generalitati* (uti vocant) ſubordinatis adimere uſum bonorum, quæ toparchæ & clerici Papales extra fœderatum Belgium reſidentes, hic poſſident. *Reſp.* 1. Diſpar ratio eſt clericorum extra Belgium noſtrum; & toparcharum in Belgio. *Iſti* enim ſunt domini locorum, in quibus hoſpitatur eccleſia: *Illi* non ſunt. *Iſti*, ſi reformationem amplectantur ſunt integrales & intrinſecè iſtius eccleſiæ partes: *Illi* non ſunt. *Iſti* ſunt amici, nutritii, & protectores eccleſiæ: *illi* ſunt hoſtes & perſecutores. *Iſti*, ſaltem aliqui eorum qui ſupremam poteſtatem in oppidum illud ſibi tribuunt, ajunt, ſe pretendere & exercere jus toparchale, ſeu domini ſupremi domini in conſtituendis paſtoribus, æque ac munerariis politicis: *illi* prætendunt jus patronatus clericale. *Iſti* in exercitio ſui patronatus, aut juris toparchalis independentes ſunt à Papâ & hierarchiâ Romanâ: illi non ſunt. *Reſp.* 2. Diſpar etiam ratio eſt, bonorum, ſi quę Clerici (e. gr. *Leodienſes*, *Lovanienſes*, *Xantenſes* in ducatu

Cli-

Clivienſi) in fœderato Belgio poſſiderent, & patronatus Clericalis. Illorum bonorum poſſeſſio & uſus in *Belgio fœderato* non eſt actus Romano-clericalis aut *Romano-eccleſiaſticus*, in ſacris, in eccleſiâ reformatâ: non magis quam ſi capitulum *Leodienſe*, aut *Abbas Geertrudis*, emeret à *reformato Mercatore Amſtelodamenſi* ligna, aut lapides ad ædificationem aut inſtaurationem templi, *capituli*, *monaſterii* ſui, aut locatio agri ſui in *Belgio* fœderato, facta membro, ſeniori, diacono, prælectori, ędituo eccleſię reformatæ. Sed electio & præſentatio paſtoris reformati eſt actus ſacer, eccleſiaſtico-clericalis. *Ille* ergo exerceri poteſt in *fœderati Belgii* politiâ, (ex quâ *Papiſmus* & actus omnes *Clericales* Papiſtici ſeu eccleſiaſtici ſunt excluſi); abſque ejuſdem politiæ præjudicio & damno ſæculari ſeu in ſuis ſæcularibus; ut & abſque *eccleſiæ reformatæ præjudicio* & damno eccleſiaſtico, ſeu in ſacris & eccleſiaſticis. *Iſte* vero, non poteſt abſque præjudicio & damno eccleſiæ nunc reformatæ, quæ olim *ſub Papatu* erat patronata. Adde, poſſeſſionis & uſus agrorum (e. gr. *Abbatiæ Geertrudis*, aut *Trudonenſis*) eſſe aliam rationem, ac poſſeſſionis & uſus patronatuum: atque adeo non valere conſequentiam à permiſſione unius ad permiſſionem alterius. Quia prius jus poſſeſſionis in formâ & ſecundum legem exercet & exercere poteſt: poſterius non exercet & exercere poteſt.

Patronatus clericalis à clericis Papæ & *Romanæ eccleſiæ* ſubditis in formâ & ex lege ſic exerceri deberet. 1. Ut præſentetur perſona habilis, non *hæreticus*, aut *heterodoxus*, non moribus corruptus; non ob aliquem in bonis animi, corporis, fortunæ defectum, aliamve ob cauſam irregularis, ſecundum determinationes juris Papalis. 2. Ut præſentetur, intra tempus definitum. 3. Ut præſentetur Epiſcopo; qui de præſentantis jure, ejuſque *canonico exercitio*, & perſonę pręſentatę habilitate judicat & pro poteſtate ſuâ, ſi quid deſideret in præſentato aut præſentationis modo, præſentatum repudiat. Atqui hoc modo præſentare nequeunt. Quia *concionator aut proponens* quem illi in aliqua eccleſiâ reformatâ præſentare conantur, ſecundum ipſorum conſcientiam eſt *hæreticus*. Et *eccleſia* particularis quæ antehac tempore *dominantis illic Papatus*, patronata, nunc eſt hęretica, & *juxta bullam* de *cœna domini excommunicata*; cui vacanti ſecundum conſcientiam ſuam de idoneo paſtore proſpicere, & hac ratione ejuſdem continuationem, confirmationem, profectum in hęreſi, & in oppoſitione contra Papatum, promovere non debent: nec promotoribus cooperari.

Deinde, non præſentant, nec poſſunt præſentare epiſcopis. Quia *in Belgio noſtro* epiſcopi non ſunt, cui eccleſia illa ſubjecta ſit: & ſi eſſent epiſcopi, non poſſent tamen illi, ſecundum conſcientiam ſuam epiſcopum *hæreticum*, *& de jure excommunicatum*, agnoſcere illique poteſtatem talem

 tribue-

tribuere, & ipſius judicio ſive admittente, ſive repudiante præſentatum ſtare. Uti conſtat ex jure *canonico*, antiquo & novo, & *Caſuiſtis*. *Sed excipient* forte.

Except. 1. Papa diſpenſat, aut cum Leodienſi capitulo, Abbate Geertrudis Lovanienſi, Abatiſſa Thoorenſi, &c. diſpenſare poteſt, faciendo quodammodo ex peccato, non peccatum. *Reſp.* Sit ita: & diſpenſare poteſt, forte & aliquando diſpenſaret, ſi jam non diſpenſârit, ut clericus quis Papiſticus reformatam religionem, immo & reformatum ſive miniſtrum ſive proponentem ad tempus alicubi ſimulet, religionem reformatam publicè privatimve doceat, defendat. An ideo reformati poteſtate & potentiâ pręditi, in conſcientiâ tenebuntur talis hiſtrionæ & ſimulationis exercitium ſive docentis coram reformatis, ſive præſentantis paſtorem aut proponentem reformatum in eccleſiâ reformatâ admittere, & tueri? Non arbitror.

Inſtantia. Quidquid ſit de patronorum clericalium peccato contra conſcientiam, & *Papæ diſpenſatione*: ſaltem jus quæſitum, ejuſque uſus nemini auferendum eſt; quamvis Gentilis, Judæus, hæreticus, impius, Epicureus, atheus, Idololatra, Papæ nuntius, aut legatus à latere, immo ipſe Papa eſſet. *Reſp.* Si jus quæſitum, & poteſtas eſſe Epiſcopo aut clerico alicui Papiſtico, in panegyri aut comitiis e. gr. regni, aut territorii alicujus nunc reformati miſſam celebrandi, aut præſidendi, aut primum ſuffragium ferendi, aut regem ungendi coronandi, aut principem introducendi, aut crucem ei præferendi, aut dandi benedictionem, aut confeſſionem audiendi & abſolvendi; an dicerent *patronatus* patroni, illi hoc jus non auferendum? Ergone *Papæ* jus quæſitum, *in regnum Angliæ*, non fuiſſet auferendum? Nec eidem *Papæ jus* quęſitum in præbendas alternis menſibus vacantes, ab *Ill. DD. Ordd. Ultrajectinis*, fuiſſet auferendum? Jus *patronatus capitulis canonicorum Ultrajectinorum* (quamvis per propiorem unionem *Ultrajectinam* a. 1579. confœderatii Belgii pars & domeſtici eſſent facti) introductâ & ſtabilitâ reformatione, ablatum eſt. Si *clericalis patronatus* illi ablatus; an concederetur clericis Papiſticis extraneis in *viſceribus eccleſiæ* reformatæ & *fœderati Belgii* exercendus; ut ſcil. lupi darent ovibus *cuſtodes*, *paſtores*? Supra regulam illam, Jus quęſitum nemini auferendum, variis inſtantiis infregimus, nominatim de jure primi concubitus, &c. Adde nunc, ſi placet, de jure antiquo *Weſtphalico Frydingh*, & *Eeymers*: de quo *in 4. part. ſelect. diſp. tit. de Jure poli & ſoli.*

Except. 2 Quid ſi clerico alicui jus hoc donatum eſſet à laico, (e. gr. à duce *Burgundiæ*, &c. uti prætendit *Abbas Geertrudis*): ergo illud tanquam patronatus laicalis habendus, & exercitium ejus ab Ill. fœderati Belgii Ordini-

Digitized by Google

dinibus permittendum eſſet, æque ac laicorum patronorum patronatus laicalis, adhuc permittuntur. *Reſp.* 1. Non obſtante σοφῷ hoc, verè ἀσόφῳ, pharmaco, non permiſerunt Ill. ipſorum dominationes, hunc patronatum *Abbatis Geertrudis Lovanienſis*, uti conſtat ex *Actis Februarii* & *Martii bujus anni* 1668. *Ill. DD. Ordd. Generalium*, & Claſſis Sylvæ-ducenſis. *Reſp.* 2. Jus illud patronatus laicale datum fuit aut ſine prædio, aut cum prædio cui annexum erat. Si illud, jam non valet talis abalienatio & tranſlatio; non magis quam tranſlatio per venditionem? Sin iſtud, jam ut prædium in eccleſiam, aut clericos per donationem tranſlatum eſt, & dicitur eccleſiaſticum aut clericale & bonum ſacrum, quia ab eccleſiâ aut clericis poſſidetur; nec eſt amplius ſæculare, laicale, profanum: ſic & jus illud patronatus non eſt amplius laicale, ſed eſt clericale. Sicuti omnia prædia & telonia, omnes decimę, omnes ſervi, omnes agri, &c. Eccleſiæ, epiſcopatui, paſtorali curæ, capitulo, monaſterio, &c. donata, dicuntur eccleſiaſtica, ſacra mortuę manus, & mortizata; quia poſſeſſio eorum eſt immortalis, & nunquam hæredem habere deſinent, & nunquam ad priorem dominum revertuntur, nec alienari poſſunt, aut in uſus ſęculares impendi. De quo videndi *Canoniſtæ*, & ſcriptores de *lege Amortizationis*.

II. *Quæſt. An jus patronatus clericale à capitulo aut monaſterio abalienari, & in laicum aliquem transferri poſſit, ſive per donationem, ſive per venditionem, ſive per tranſmutationem, idque abſque tranſlatione prædii, cui annexum?* *Reſp.* Neg. Sed excipiat quis.

1. *Except.* Si laicus, cui jus donaretur aut venderetur, *Belgii fœderati* ſubditus eſſet, & reformatæ religioni addictus; an non præſtaret exerceri illud jus in eccleſiâ reformatâ à reformato, quam à *capitulo aut monaſterio Papiſtico?* *Reſp.* 1. Capitulis & monaſteriis Papiſticis in Belgio exiſtentibus jus præſentandi paſtores habiles in eccleſiis reformatis jam inde à conſtitutâ publicâ reformatione in Belgio ablatum eſt (uti ſupra dictum): Multò magis ablatum, & auferendum eſt capitulis, *& monaſteriis, extra Belgium* noſtrum conſtitutis. Si ergo hodie capitulum aut monaſterium intra aut extra Belgium (e. gr. Leodienſe, aut Geertrudis Lovanienſe) per donationem, aut venditionem, aut permutationem, aut contractum innominatum, illud transferret in laicum aliquem reformatum, aut in eccleſiam ſeu presbyterium e. gr. *Sylvaducenſe*, *Hagienſe*, &c. Aut in Academiam quam ſcholamve Illuſtrem Belgii: *Nego illud permittendum*; aut à reformatis acceptandum atque exercendum. Ipſi enim olim patroni, non habent; quod transferant. Sicuti cujus bona fiſco applicata ſunt, non poteſt dominium eorum transferre in alium. Nec concederetur ab *Illuſtr. Belgii Ordd.* ut Papa Romanus turnos olim ſuos in *capitulis Ultrajectinis*, per donationem aut ven-

Digitized by Google

venditionem aut contractum innominatum transferret in viros quamvis reformatiſſimos. *Reſp.* 2. Dato ab *Abbate Geertrudis*, aut *capitulo Lamberti Leodienſi*, aut Abbatiâ Trudonenſi jus patronatus, cum prædio aut toparchiâ ſeu *ambacto* (Belgicè **Ambachts-Heerlijckheyt**) cui annexum eſt; donari aut vendi alicui reformato in Belgio ἐν ἀρχῇ conſtituto, an melius aut tolerabilius, minorique cum eccleſiæ diſpendio exercendum putamus? Experientia nôs docuit utplurimum hæc longè aliter evenire. Rationes hic non explicabo, cur plerumque intolerabilior & durior ſit ſervitus patronatus laicalis, patroni religione reformati, & poteſtate, potentiâ, gratiâ hic præpollentis; quam patronatus clericalis patroni Papiſtici, extranei, nullâ dignitate, poteſtate, potentiâ, gratiâ, in Belgio noſtro eminentis. *Reſp.* 3. Quamvis prædii dominium eo modo, quo dictum eſt, tranferret in aliquem reformatum in Belgio, aut in aliquem paſtoratum, aut in collegium aliquod eccleſiaſticum: non tamen transferre poſſet jus patronatus antehac illi prædio annexum, ſed à tempore publicè ſtabilitæ reformationis in Belgio reſectum & abrogatum: non magis quam in Romanos imperatores Gratiano ſuccedentes Pontificatus maximus olim conjunctus cum majeſtate imperiali, ſed à tempore Gratiani & deinceps reſectus atque abrogatus, transferri potuit. Aut quam in epiſcopos Ultrajectinos ſuccedentes Henrico de Bavariâ unâ cum epiſcopatu transferri potuit dominium temporale olim epiſcopatui annexum: quippe jam reſectum & alienatum anno 1628. & in Carolum V. translatum.

CAP. IX.

Examinantur ea, quæ contra ſententiam & diatriben noſtram de jure patronatus, à quibuſdam adducta ſunt.

§. 1. CHriſtianus *Weberus theologiæ Doctor. tract.* de Jure patronatus anno 1647. ſubjicit *Narratiunculam* (ut vocat) *clauſularem pag.* 154. „ Acerrimum, inquit, hujus juris patronatus hoſtem „ profiteri ſe videtur *Gisbertus Voetius* Doctor Calvinianus. Ubi il„ lud vocat *injuſtum jus patronatus*, *malum quod tollendum*, *non toleran*„ *dum p.* 79. *de H. I. Pſeudojus Pontificium*, *fermentum expurgandum p.* 74. „ *Deſectum p.* 69. *lolium p.* 55. & 64. *hydram p.* 60. *morbum p.* 50. *informe* „ *monſtrum p.* 48. &c. Adducitque adverſum id tum generalia tum ſpecialia „ argumenta. Id quod indicare tantum hoc loco ſufficit; diſcutere vero „ vim argumentorum non proficit. Faciat ipſum, cui volupe. Non enim „ eſt *Tractationis Rotundæ*.

Pag.

Digitized by Google

Pag. 116. *Bezam*, & *Daneum*, durius contra jus illud loquentes citat. Sed cur acerrimum hujus juris hoſtem indigitat? Si defectus eſt, ſi malum, ſi ἀταξία, ſi *pſeudojus Pontificium*, ſi repugnat juri & ordini divino Apoſtolico, antiquo eccleſiaſtico; quomodo illud probare, amare, laudare tueri, quomodo uſum ejus alicui ſuadere ac commendare potero? *Bonum eſt quod omnia appetunt*, juxta philoſophum: atqui jus patronatus non eſſe bonum, ſed malum ſolidè me probaſſe arbitror. Non potui per conſcientiam, malum vocare bonum Jeſa. 5. verſ. 20. *Si malè locutus ſum, teſtificare de malo: ſin bene cur me cadis?* Joh. 18. v. 23. Ipſe *pag. 13. poſſit. 1.* dicit, *jus patronatus, prout eſt eccleſiaſticum practicabile, in eccleſiâ Romanâ Pontificiâ, exortum, inventum, & excogitatum fuiſſe.* Optimè: & hoc ego in tr. de *Jure Patronatus* probavi ac defendi. Et ipſe pag. 116. & 117. theſin ſuam repetens, refert Doctorem „ Finckelthæum tract. de hoc jure pag. 6. non vereri dicere Jus patronatus in „ verbo Dei fundatum eſſe, locum tamen non addere. Ibidem ſic ait: „ *Hugo Grotius* in pietate Ordinum pag. 59. Jus illud à regibus & prin- „ cipibus in eccleſiam deveniſſe contendit. Quem tamen cum iis, qui à „ *Cæſare Juſtiniano* originetenus deducunt, operosè refutat, *Giſbertus* „ *Voetius* part. alterâ diſp. de *Jure patr.* Solius Papiſmi inventum, com- „ mentum, & excrementum reputant (l. reputans). Sane nec in *Pandectis*, „ nec in *Codice Juſtinianeo*, ſed tantum in *Novellis Juris* patronatus mentio „ occurrit. *Lutheri noſtri* ſententia de hoc jure patronali eccleſiaſtico reperi- „ tur *tom. 3. Geneſ. German. fol.* 55. & *ſeqq.* & *tom. 4. fol.* 357. Quæ vero „ durius contra illud pronuntiata in ſcriptis ipſius occurrunt, eorum ſenſus „ ex cauſis pronuntiandi (ſic *Gerhardo* cenſente *tom. 6. L. c. pag. 194.*) pe- „ tendus eſt.

Eandem juſtitiam & æquitatem, ſi adhibere voluiſſet in durius (uti *pag.* 116. 155. innuere videtur) *à Beza*, *Daneo*, dicta: utique non opus fuiſſet odioſam illam amplificationem pag. 116. inſerere: *More quidem ſacramentariis perſamiliari, qui quod ſibi non arridet, authori & inventori Satanæ attribuunt, ac adſcribunt.* Sed tu candidè dicas, an jus patronatus in *eccleſiâ Romanâ Pontificia*, ex tuâ ſententiâ, *exortum, inventum & excogitatum*, autori Deo adſcribendum ſit? Non dices, ut : cum *proteſtantes in Germaniâ* illud transformaverint, & veteri juri patronatus, novum jus ſubſtituerint: uti fateris in præfat. Notum eſt, quid de jure canonico ſeu Pontificio, pronuntiarit Lutherus, & quomodo illud *Witebergæ* combuſſerit: ſi tale quid dicerent & facerent reformati, an *D. Weberus* probaret, an vero condemnaret, tanquam ἴδιον cacoëthes Sacramentariorum?

 Quod

Quod ad me, ego ſuperſtitiones, ἀταξίας, & ſimilia ἀνώμαλα in Papatu orta, aut inde ad nos devoluta, quamvis alicubi in eccleſiâ aliquâ reformatâ reſidua ac tolerata, ex juris divini tabulis, ſubinde etiam ex antiquitate eccleſiaſticâ improbavi: uti conſtat ex 4. *partibus ſelectar. diſp.* & ex *Politicâ Eccleſiaſticâ.* Quid hic criminis? Dices forte; jus patronatus novum, jam in eccleſiis *Proteſtanticis in Germaniâ* admiſſum & bene poſitum. Cum autem illud ſit ſaltem tolerabile, non eſſet *Bezæ, ac Danei* ac tuis elogiis denigrandum. Atqui ego *jus patronatus Papale*, prout à me ex Canoniſtis Pontificiis deſcriptum eſt, & novum in Belgio noſtro à nonnullis patronis vindicatum atque uſurpatum refutare, exſertè intendi. Quomodo alicubi *in Germaniâ* adhuc vigeat & uſurpetur, non reſpexi nec attendi. Si argumenta aliqua & elogia, illud etiam tangunt, eique applicari poſſunt: non eſt crimen. Cum oppugno omne mendacium, & mendacia aliqua modificata & ſpecioſa, alicubi in aulis, in caulis, in ſcholis (e. gr. Jeſuiticis) & ſenſu & uſu obtineant: ideo crimen nullum committo; nec hoſtilitatem in aulas, caulas, ſcholas profiteor, ſed bene in mendacium.

Quod ſi in terris Proteſtantium patronatus quis reformatus, & novi juris permiſſione, conſuetudine, immo & lege obtineat, an mihi ille probandus eſſet tanquam *juri divino & antiquo eccleſiaſtico conformis*? an ipſe *D. Weberus in conſcientiâ*, eundem tanquam juris divini probaret, & commendaret? aut ſaltem ſic toleraret, ut tacendo conſentire videretur; juxta regulam, *Malum bene poſitum, non eſt loco movendum*? Sed cur D. Weberus conſuetudine immo & lege in terris proteſtantium, fundatum jus illud ad parochiam vacantem promovendi tales, qui viduas aut filias defunctorum miniſtrorum in uxores ducturi ſunt? cur tam apertè illud perſtringit ac ſolidè confundit, dicendo, eſſe ſimpliciter impium & profanum. An non metuit, ne *acerrimus* hujus legis aut conſuetudinis *hoſtis* audiat; apud *Proteſtantes* illos tum eccleſiaſticos tum politicos, apud quos mos ille adhuc in viridi obſervantiâ eſt. Nominatim apud *Juriſconſultum Lipſienſem*, quem *a.* 1639. tractatum *de hoc jure* ſcripſiſſe, ibidem teſtatur; *& cujus rationes plebeias, confutatione non indigentes judicat*, p. 103. Celebrem *JC. Mathiam Stephani* legem illam ſeu morem illum laudare, & τὸ νόμιμον ac δίκαιον ejus prædicare memini. Nihilominus *D. Weberus* eam arietat iſtis argumentis *p.* 104. „ Si inquit, mos ille laudabilis aut ſaltem „ tolerabilis eſt, ecquare non inſeritur conſtitutionibus eccleſiaſticis illorum „ territoriorum, ubi viget? Arbitror autem publicè ejus puditum fuiſſe. „ Adhæc quis tu es, qui negabis, me legitimè inferre.

„ Quicunque ſine deputatâ parochiali nuptâ non poteſt acquirere paro- „ chiam, illum neceſſario oportet uxoratum eſſe. Can-

Digitized by Google

„ Candidatus miniſterii, *in Marchiâ*, *Pomeraniâ*, ducatu Megapolitano, „ & aliis quibuſdam locis inferioris Saxonię, non poteſt ſine parochiali „ nuptâ parochiam acquirere *p.* 222.

„ Ergo illum neceſſariò oportet uxoratum eſſe.

Eſt & alterum, quod à primis Proteſtantibus conceſſum perſtringit, „ pag. 152. Theologi, inquit, noſtri primigenii non debuiſſent alienationem „ bonorum eccleſiaſticorum indulgere ſæcularibus. *Idem pag.* 100. per„ſtringit parochorum ætate provectorum ſubſtitutionem affectantes, & „ *pag.* 101. Res nunc eo devenit, ut ſubſtitutio ſine ſucceſſione, ſi non „ expreſſe, ſaltem tacite, nunquam fere quæratur. Haud aliter ac hodie „ coadjutura cum ſpe ſucceſſionis in Epiſcopatu ſolum ambitur, &c. Hæc eo fine non adduco, quaſi illa, pręſertim primum & tertium, non probem: ſed ut illi ſuggeram non debere reformatos cogi ad ſilentium de *ὀνόματι* patronatus: quaſi ſcil. comparatè ad Auguſtanę confeſſionis theologos, canendum ipſis eſſet cum Poëta.

Nobis non licet eſſe tam diſertis,
Qui Muſas colimus ſeveriores.

Ipſe *Weberus* non tantum rationes contra jus patronatus adductas non ſolvit, ſed ipſum jus rationibus non probat; tantum ex jure canonico explicat, quod & quale ſit illud jus, & quomodo mutatum in terris & eccleſiis Proteſtanticis in Germaniâ nunc obtineat. De juris canonici autoritate, ſupra *part.* 1. *lib.* 2. ſatis ſuperque diſſeruimus; nec hic repetimus: ſed illis præſuppoſitis, hoc ſolummodo notamus, non eſſe à *D. Webero*, diligentiſſimo ejuſdem explicatore ritè probatum, & contra rationes meas aſſertum.

Eſt alter, qui in libro, cui tit. *Theologi Paradoxi*, &c. anno 1649. Groningæ edito pag. 225. ſic ſcribit. *Jus patronatus quale obtinet in hâc noſtrâ Provinciâ, nullâ ratione licitum vel tolerandum eſſe. Reſp.* Hanc aſſertionem curſivo (uti vocant) charactere expreſſam, tanquam meam proponit, inque eam invehitur. Sed hic fidem in ipſo deſiderare cogor. Oſtendat eam n diſp. meâ a. 1637. 1639. 1643. editâ. Sin minus agnoſcat ipſe, & cognoſcat lector *ἀγνοίας ἐλέγχω*, ſeu mavis artem malæ fidei. Sed odium mihi conflandum erat, apud patronos, qui pro hoc jure tanquam pro aris, & focis decertant. Tantum vero abeſt, ut ego *ius patronatus nullâ ratione* ab eccleſiâ, claſſe, ſynodo, Magiſtratu *tolerandum* in *cit. diſp.* aut ullibi in ſcriptis meis dixerim; ut exſertè contrarium determinârim & conſuluerim: quippe qui cum aliis in ſynodo Nationali Dordracenâ paſſus fuerim *artic.* 5. ordinis eccleſiaſtici adjici illud: *ſalvo cuique iure patronatus*, &c. Vide ſupra §. 6. & 7. Sequitur in theologo paradoxo. §. 2.

De

„ De eo jam olim habuit meus Antagoniſta diſputationem publicam „ & cum ego in ſyſtemate *Loc.* 15. §. 66. modeſtiſſimè ſtatuiſſem etiam ſub „ jure hoc Patronatus ſatis ſuper eſſe diſciplinæ ad tuendam veritatem & „ pietatem in ſacro ordine, in ſuâ Impiâ pietate mihi litem ſuper eodem „ movit, & me remiſit ad ſcripta & conatum in contrarium R. D. *Acronii p. m. Reſp.* Cum ſcriberem diatriben de Jure patronatus, anno 1637. eandemque anno 1639. ſecundis curis, ederem; opinionem hujus theologi *de Jure patronatus ſyſtem.* Loc. 15. §. 66. 1. nec oppugnabam, nec ſpectabam, nec eam noveram aut noſſe poteram: quod ipſius ſyſtema tunc non eſſet in rerum naturâ. Et cum diatribæ noſtræ *part.* 2. §. 7. citatum libellum ſupplicem Illuſtri heroi *Gul. Ludov. Naſſavio Provinciæ Groning-Omlandicæ* præfecto, & Illuſtr. ejuſdem provinciæ Ordd. nomine ſynodi oblatum, & poſtea forma tractatus ſub nomine *Joh. Acronii tunc miniſtri Groningani* anno 1605. editum, hunc *theol. profeſſorem Groninganum ad Acronii paſtoris* Groningani tractatum non remittebam, nec eidem litem ſuper judicio ipſius movebam, nec etiam movere poteram; quod ipſe profeſſor theol. Groninganus non eſſet, nec ſyſtema ab ipſo cit. tunc exſtaret. Quod dicit, me in *impiâ Pietate* ipſi litem moviſſe, in eo peccat contra nonum *decalogi præceptum.* Titulum libelli, *pietas in parentem*, & nomen autoris præſcriptum, ſi viderit, utique non debet illum mihi tribuere. Filius meus eundem me inſcio, inconſulto, ſcripſit, profeſſori alicui legendum, cenſendum dedit, ad prœlum & ipſe & profeſſor ille correxit; nec ego quidquam iſtius vidi niſi quod caſu aliquo ex poſtremis quaternionibus unus, abſente ab urbe filio, ad manus meas per puerum typographi, aberraverit. Norunt hic, filio meo familiariter uſi, & ipſum, & alios quoſdam contra theologum *Groninganum* apologias cauſę ſuæ ſive realis ſive perſonalis inſtituentes, ſtudio caviſſe, ne de ſcriptione illâ inſtituendâ & edendâ quidquam reſciſcerem: Quod autor theologi paradoxi, ſatis prodidiſſet, ſe in me ſcripturum, quidquid alii in ipſum ſcriberent; & ſe æſtimaturum omnes illos, qui in ipſum ſcriberent meos eſſe, & à me in ipſum immiſſos: Et hinc eſt, quod plerique apologetici illi ſcriptores, hic aut alibi habitantes, nec coram, nec per literas, nec per amicos mihi ſignificarent, ſe ſcriptionem illam ejuſque editionem moliri. Si quid innotuerit mihi de uno atque altero apologetico contra ipſum ſcripto, tunc ſub prælo ſudante, id excurrente rumore ſolummodo innotuit: Cæterum quale illud ſcriptum eſſet, quid contineret, quo ſtylo, quo titulo, quo tempore impreſſio abſolvenda, nec cognovi, nec inquiſivi, nec typographiam in eum finem frequentavi, nec ſcriptum exemplar vidi aut videre expetii: nedum ut impreſſionis & editionis curam ſuſciperem, aut materiam aut

ſtylum

ſtylum ſcripti autoribus ſuggererent aut præformarent. Hæc ita teſtati ſunt illi ſcriptores, tum publicè in ſcriptis, tum teſtimoniis, quæ adhuc in manibus ſunt. Autor parodoxi hæc omnia non curavit, ſed proprium commentum ſuum toties pertinaciter repetiit, & ex proprio conceptu ſeu propriâ ſuâ affirmatione defendit: occinendo nobis alicubi, *jura perjura, ſecretum prodere noli.* Quid facerem? niſi ut obnixè petentibus & intercedentibus ſynodis, ſynodalibus deputatis, ſilentio & patientiâ quidquid hoc eſt oneris bajularem, donec juxta promiſſum Pſal. 37. v. 5. *Volve ſuper Jehovam*, &c. Sed pergit autor theologi paradoxi.

„ Proteſtor me illa ſcripta nec vidiſſe, nec videre velle: De illorum „ quoque conatuum juſtitiâ & ſucceſſu nihil dico; cum de mortuis, nil „ niſi bene loquendum. *Reſp.* 1. Si nec vidit nec videre vult, non poteſt de eo & de rationibus illic adductis judicare, nec ea improbare, aut contemnere, aut ἐξουθενίζειν. *Reſp.* 2. Quod addit de *illorum quoque conatuum juſtitiâ & ſucceſſu nihil dico: cum de mortuis nihil niſi bene loquendum:* illud forte ad figuram rhetoricam dictam *præteritionem*, referri poſſet: quæ qualis ſit, docent Rhetores, & inter eos *Gerh. Voſſius lib. 5. orator. Inſtitut. pag.* 348. *edit. in* 4. Pergit ſcriptor theologi paradoxi.

„ Mihi ſatis eſt, quod ipſa diſciplina fœderati Belgii §. 5. juri patro„ natus derogatum nolit, nec poſſit ſtare aſſertum contrarium, quin „ omnes noſtrę Omlandiæ miniſtri (ne longius evager) pro intruſis & omni „ legitimâ vocatione deſtitutis habeantur.

Reſp. 1. Quod tolerandum ſtatuerit *ſynodus Dordracena*, ſupra *cap.* 6. ſatis ſuperque declaratum eſt. Itaque de facto non abrogavit, aut derogavit: abrogatum tamen, eique derogatum voluiſſet, & ſtatim poſt ſynodum *in Hollandicâ ſynodo Leidenſi*, anno 1619. aliiſque in ſynodis provincialibus, hoc declarârunt & tentârunt, & deinceps datâ occaſione ſynedria, claſſes, ſynodi non deſtiterunt petere à patronis ne eo uterentur, & à *Magiſtratu*, ut illud abrogaretur. Legantur acta ſynodalia & petitiones *ſynodorum Hollandicarum* per deputatos ſuos *anno* 1619. & 1625 Illuſtr. Hollandiæ Ordinibus exhibitæ. Quidquid ſit, ſynodus Dordracena, & ſynodi provinciales, nunquam jus illud probârunt, nec meam ſententiam & theſin de illo jure improbârunt: quæ hæc eſt, *jus patronatus ſecundum jus divinum eſt & injuſtum & uſurpatio ejus illicita: in foro ſcil. conſcientiæ ſeu poli*: Itaque exercitium ejus rectè omittitur à dictis patronis; & non toleratur ab eccleſiis, aut Magiſtratibus, ſi his poteſtas & potentia adſit illud tollendi.

Reſp. 2. Et mihi ſatis eſt quod *juri divino, & antiquo eccleſiaſtico*, & novo reformato repugnat (uti abunde illud probavi); quodque nulli pa-

Dato hoc ita factum, ut tu quidem ſynodum interpretaris, verbis generalibus, non tamen declaravit, neminem poſſe communem doctrinam aut veritatem de injuſto & illicito jure patronatus publicè privatimque profiteri, verbis aut ſcriptis defendere, patronos ab exercitio dehortari, abrogationem ejus à Magiſtratibus datâ occaſione petere. Hoc enim ſi ſanciviſſet, jam ſynodi, claſſes, ſynedria, miniſtri poſt habitam ſynodum Nationalem a. 1619. uſque in hunc diem graviter peccaſſe viderentur illis, qui τὸ *prajudicare*, ad profeſſionem veritat s, ejuſque defenſionem, & ad petitiones Ill. DD. Ordinibus, & hortationes patronis factas, extenderet. Sic pergit: Et alias ſatis antiqua ſit diſtinctio inter beneficia electiva & collativa.
„ *Reſp.* Quidquid ſit de illâ diſtinctione, quam ex verbo Dei, & antiquitate eccleſiaſticâ nondum probatam vidimus: Beneficium eccleſiæ reformatæ non agnoſcunt nec ita appellant. Paſtoratum ſeu miniſtri officium agnoſcunt; illudque electivum ſtatuunt. Quod aliquo alio reſpectu etiam officium ſeu munus collativum appellari poſſet; quod nemo ſibi rapere debet (*Hebr.* 5. *v.* 4.), ſed collatum ab electoribus acceptare. Pergit ſcriptor theol. parad.
„ Nam pręterquam, quod pleræque eccleſiæ ſuam reformationem de-
„ bent huic juri, ex quo patroni zelotæ illis de bonis & orthodoxis paſto-
„ ribus proſpexerunt. *Reſp.* Hoc totum eſt per accidens; quamvis enim
„ juſta egerint aliqui patroni, hinc tamen juſtitia & bonitas patronatus non evincitur. Tyranni uſurpantes, aut abutentes, aliquando juſta quædam egerunt, & *Muhammediſtæ* (e. gr. *Mahometus poſt captam Conſtantinopolin, apud Cruſium in Turco-Græciâ lib.* 1.) Chriſtianæ religionis exercitium & propagationem promoverunt; ideo tamen tyrannis, aut *Muhammediſmus*, probandus non eſt. Si quis, ſimiliter diceret, reformationem noſtram in Belgio multum debere actionibus ſcenicis, & hiſtrionibus: illi enim detexerunt ſordes Papatus, *Clericos Papales* in odium & contemtum adduxerunt, legerunt & rhytmicæ ſuę Rhetoricæ inſeruerunt hiſtorias & dicta ſcripturę; & ſic removendo impediens, & homines ad lectionem ſcripturæ alliciendo, viam ſtraverunt reformationi & reformatis concionatoribus. Hinc tamen non cenſuerunt eccleſiæ Belgicę, hiſtrioniam, actiones ſcenicas, *hiſtriones ac Rhetores Rhymicos probandos eſſe*: ſed ab initio introductæ reformationis, uſque in hunc diem improbârunt, eorumque inhibitionem & abrogationem à Magiſtratibus petierunt: *uti ex actis ſynodalibus, claſſicalibus,* & conſiſtorialibus conſtare poterit: Quamvis zelo & pietati eccleſiaſticorum, non ſemper reſponderit ſucceſſus. Hoc boni agebant aliqui Aſiarchæ (*Actor.* 19. *v.* 3.) quod Apoſtolum Paulum rogabant, ne ſe daret in theatrum. *Erant igitur* (inquit Beza in notis) *nonnulli ex iſtis quoque prophanis, aliquatenus ſaltem Euangelium amplexi, ut etiam Romæ S. Paulus* ali-

Digitized by Google

aliquos ex ipſo Neronis prætorio Chriſto lucri fecerat. Sed hinc non ſequitur in foro poli licitum & juſtum eſſe ſacerdotium illud Gentilium, & exhibitionem ludorum in honorem Deorum: quamvis ad tempus reliquias iſtius mali in neophytis Chriſtianis, aut in catechumenis tolerarent. Aſiarchæ qui fuerint, Beza ibid. verbulo oſtendit ex Cujacio. Fuſe de iis Albaſpinus epiſcopus Aurelianenſis in libris obſervationum, in notis ad canones Concil. Eliberini: quæ cum lectu digniſſima mihi viderentur, ſeorſim anno 1643. hic recudenda dedi; eademque anno 1658. tertiæ parti *ſelect. diſpp. p.* 369. & *ſeqq.* inſerui. Multum etiam debet eruditio quibuſdam monachis & monaſteriis, quibus & in quibus, dominante Barbarie, tanquam ſcholis & ſcientiæ aſylis aliqua eruditio conſervata, & inde propagata fuit. Ideo tamen non probamus monachatum & monaſteria; ſed contra eorum abrogationem promovemus, quantum in nobis eſt. Vera religio quibuſdam monachis, ſacerdotibus, Epiſcopis, Cardinalibus, veritatis teſtibus, multum debet: nec tamen monachatum, ſacerdotium, Cardinalatum, Epiſcopatum probamus. Promotio & propagatio fidei Chriſtianæ, plurimum debet Imperatoribus Romanis jam inde à Conſtantino, uſque Gratianum; qui erant & dicebantur Pontifices: Pontificatum à Chriſtianâ eccleſiâ tam diu in illis toleratum, nemo ſanus probabit, aut cuiquam imperatori autor erit, ut eum, hac tempeſtate affectet, & ſuſcipiat, aut titulo illo ſuperbiat: nec puto in *Imperatore* reformatam religionem profeſſo, ſuſceptionem iſtius Pontificatus, aut tituli oſtentationem, ob reditus & emolumenta muneri & titulo illi olim in Gentiliſmo aſſignata, à reformatis laudandam. Multum debet introducta reformatio in Belgium, toparchis, nobilibus, conſulibus, ſenatoribus, religione Papiſtis, aut neutralibus, aut Libertinis, quin & Abbatibus quibuſdam, & capitulis, qui libertatem contra tyrannidem Hiſpanicam vindicando, impedimentum propagandę reformationis ſuſtulerunt. Libertiniſmum tamen *Papiſmum*, *monachatum*, *Abbatiam*, capitulum non probamus. Sed forte inſtabis, ſi eccleſia primitiva toleravit & ad communionem recepit in ſacerdotio illo adhuc exiſtentes, aut ſaltem nomine & titulo illo inſignitos, & Imperatores Chriſtiani permiſerint ut in munere & titulo perſeverârent, abſque præcipuis muneris iſtius functionibus (qualis eſt, ſacrificium diis offerendum) exercendis: ergo videtur bonum eſſe & honeſtum in foro poli & ſoli; atque adeo eccleſiæ probatum.

Reſpondemus, negando conſequentiam. Eccleſia Chriſtiana, etiam Apoſtolica, & ipſi Apoſtoli, tolerârunt quoſdam polygamos à *Judaiſmo* & *Gentiliſmo* ad fidem tranſeuntes (*vide Danei comment. ad* 1 *Timoth.* 3. *v.* 2. & *Bezam de repudiis & devortiis*): non tamen probârunt polygamiam: multo

multo minus probavit eccleſia, aut etiam toleravit, ut quis cælebs aut μονόγαμος in fidei & eccleſiæ communionem receptus, poſtea uni uxori ſuæ ſuperinduceret alteram, aut plures: aut ut uxore ſuâ repudiata (*more Gentilium & Judæorum*) aliam duceret. Sicuti non probavit aut toleravit antiqua eccleſia, ut quis fidem Chriſtianam profeſſus, Gentilis ſacerdotis munus & titulum ſuſciperet. Uti conſtat ex *Concil. Eliberini* canonibus, & *Albaſpinus* in notis ſuis obſervat. De concubinatu in antiquâ eccleſiâ aliquando tolerato (diſt. 24. c. *Is qui*) non tamen probato, idem dicendum eſt.

„ Satis adhuc ſupereſt diſciplinę apud eas eccleſias, in quibus obtinet, „ ut in hâc noſtrâ *Omlandiâ*, ad eos miniſterio arcendos, qui vel moribus „ improbi; vel doctrinâ heterodoxi forent. Quæ duæ peſtes ſi caveantur & caveri poſſint, in cæteris minus moroſè erit inhærendum, & ordi-„ ni jam recepto, etſi forte ſui illi inſint nævi, ſilenter acquieſcendum? *Reſp.* 1. An *in Omlandiâ*, aliiſque in locis, ubi obtinet patronatus, ſatis adhuc diſciplinæ ſuperſit, ad eos miniſterio arcendos, &c. ego nec ajo, nec nego: ſed maximè expertis & iſtic & alibi tum miniſtris tum ſenioribus, judicium hoc committo. *Reſp.* 2. Non tantum claſſibus præſentatum recipientibus & in miniſtrum iſtius eccleſiæ ordinantibus ſpectanda eſt *doctrinæ orthodoxia*, & morum probitas, ſed & dona concionandi, aliæque qualitates, e. gr. diligentia, natales legitimi, parentum adhuc illo loco viventium infamia, &c. Si vox & pronuntiatio eccleſiæ illi ingrata eſſet; aut tam frequens auditorium tranſire nequeat; ſi conciones quod ad inventionem, diſpoſitionem, elocutionem ſint tenues, & pauperculæ, ob defectum judicii, aut memoriæ, aut eruditionis, ſi non ſit δυνατὸς ad refutandos adverſarios, ſiquidem neceſſitas hoc poſtularet, illis in locis, ubi frequentes Anabaptiſtæ, aut Remonſtantes, aut Pontificii. *Reſp.* 3. Duæ illæ peſtes ſi caveri poſſint, & ſi caveantur: non ſequitur ad alia modo recenſita attendendum non eſſe, e. gr. ad natales legitimos. Notum eſt, *in Germaniâ*, & quibuſdam *Belgii* partibus *Germaniæ* proximis, quo in æſtimio ſint ſpurii, & quâ authoritate iſtic pollere queant. Nolo dicere nullum ſpurium abſolutè ad miniſterium promovendum: ſed tantum non convenire, ut in tali loco, ubi infelices ejus natales innotuerunt, & ſpurii tam viles & contemti ſint, promoveatur? *Reſp.* 4. Cum dicit, *quod ordini in Omlandia & alibi recepto forte illi ſui inſint nævi*, non videtur improbare aut improbare velle jus patronatus, *cum eccleſiis Belgicis*, & cum *Clariſſ. Henr. Altingio*; mox infra producendo? *Reſp.* 5. *Si per minus moroſe inhærendum & ordini iam recepto* (patronatus ſcil.) *ſilenter acquieſcendum*, intelligit veritatem illam de jure patronatus nunquam publicè & privatim, vivâ voce aut ſcri-

pro eſſe profitendam, nec unquam datâ occaſione patronos eſſe inſtruendos & ab errore revocandos, nec unquam ab eccleſiis, earumve claſſibus aut ſynodis Magiſtratum eſſe ſollicitandum; ne autoritate & potentiâ ſuâ tueatur exercitium juris patronatus, ſed potius totum illud abroget: utique illi aſtipulari nequeo: Ob certas rationes, inter quas unam hanc ſolummodo indico, quod verbis & exercitio perpetuo loquentibus patronis, & eccleſiis ac miniſtris ſilenter acquieſcentibus, malum illud & ἄτοπον cum tempore fieret & haberetur bonum, juſtum, pium; & *hæreſios* aut *ἀταξίας* condemnarentur, quotquot illud non probant. Quomodo in eccleſiâ antiquâ defectus diu tolerati (e. gr. calicis uſus in euchariſtiâ) tandem tanquam bonum neceſſarium, & quaſi *de jure divino*, eccleſiis impoſitum fuit.

Aliter ſentiebat, & in *Acad. Groninganâ* publicis lectionibus proponebat *Clariſſ. Henr. Altingius in theol. problematicâ Groningana* ab authoris *eruditiſſ. filio* paterna veſtigia premente, & nunc ſyſtematis cit. ſcriptoris *in theologicâ profeſſione facto collega, anno* 1662. edita, ubi loco XV. *probl.* 10. *Jus patronatus definit, & originem ejuſdem avaritiæ ac rapacitati, ſuperſtitioni ac tyrannidi adſcribit*, & *ἐπίκρισιν* talem ſubjicit. Quod non ſit jus divi-
„ num, *ſed merè humanum*, &c. quod ſit *Antichriſtianum, Simoniacum,*
„ *tyrannicum*, & *injuſtum. Antichriſtianum*, quia ab Antichriſto excogi-
„ tatum eſt, & jure canonico, quod Antichriſti, definitum. *Simoniacum*;
„ quia jus eccleſiæ ære vendit, quibus non convenit. *Tyrannicum*, quia
„ Antichriſtus oppreſſit libertatem eccleſiæ à Chriſto acquiſitam. *Injuſtum*
„ ϗ ἄμικτον; quia beneficia ſine labore non pręſtanda, &c. Hinc cum re-
„ formatione jus patronatus alibi prorſus eſt abrogatum; alibi ad modera-
„ tionem revocatum, ne obſit purioris doctrinæ prædicationi & propa-
„ gationi eccleſiæ. Nimirum ut pręſententur perſonæ idoneę, & præben-
„ dæ convertantur in ſtipendia ſtudioſorum. Atque tunc aliqua *eccleſiæ ſer-*
„ *vitus* ferenda eſt. *Theologi, Juriſconſulti*, claſſes, ſynodi paſſim poſt habitam *Synodum Dordracenam*, non ſiluerunt, ſed judicio ſuo improbârunt jus patronatus, ejuſque abrogationem & eccleſiarum ab illo liberationem à ſupremis poteſtatibus petierunt. Indico nunc ſolummodo, *artic.* 5. & 29. ſynodi Zuydholl. Leidenſis habitæ ſtatim poſt ſynodum Nationalem Dordracenam a. 1619. cui ſynodo intererant *Feſtus Hommius* ejus electus præſes, *Balthazar Lydius*, ejus electus ſcriba, *Henricus Arnoldi van der Linden* ad concipiendam petitionem ad Ill. Hollandiæ Ordines deputatus: quæ petitio adhuc in manibus eſt, an poſtea typis edita, neſcio. Et notandum, quod tres illi paulo ante interfuerant ſynodo Nation. Dordracenę anno 1619. Saltem à ſynodo Leidenſi, petitio lecta, interpolata, probata, & Ill. Ordd. tra-

Digitized by Google

tradita fuit. Adde acta ſynodi Goudanæ anno 1620. *artic.* 11. Et quamvis ex voto abrogatio nondum obtineri potuiſſet, ſynodus Woerdana a. 1625. *artic.* 56. decernebat ut petitio contra jus patronatus antehac à ſynodo Leidenſi anno 1619. conſcripta Ill. Ordd. per deputatos ſynodi exhiberetur. Synodus Gorinchemenſis anno 1631. *artic.* 44. rurſum movebat contra jus patronatus. Itidem ſynodus Brielana anno 1633. *artic.* 39. quæ deputatis ſynodi gratias egit, pro traditione ſolidæ (uti loquuntur) Remonſtrantiæ contra jus patronatus. Rurſum de eodem jure actum in ſynodo Woerdanâ 1635. *artic.* 46. & in ſynodo Hagienſi 1644. *artic.* 43. & in ſynodo Woerdanâ 1645. *artic.* 35. quo oſtenderunt ſe illud improbare, tanquam illicitum & injuſtum, in foro ſcil. poli, ſeu ſecundum jus divinum. Quomodo & D. Altingius modo cit. illud *injuſtum* pronuntiat; quæſtionem enim propoſuerat. *Quid de jure patronatus ſecundum verbum Dei ſentiendum & tenendum?* Similia judicia, de jure patronatus, in actis claſſium & ſynodorum Noort-Hollandicarum, aliarumque provincialium anno 1619. & deinceps inveniri poterunt. *Antonius Matheus* primarius juris in hac Academiâ anteceſſor in promotione *Jacobi van den Helm* XVII. *Kal. Maji* anno 1654. orationem habuit contra jus patronatus, & inceſſit Pontifices quod hanc *contra naturam injuriam, & eccleſiæ ſervitutem, jus literis ſacris, & Apoſtolorum inſtitutis, & libertati eccleſiarum adverſum*, non tantum non coërcuerint, ſed etiam multis reſcriptis confirmarint. Legatur hæc oratio, cum aliis Clariſſ. viri orationibus, anno 1655. edita, à filio ejus, nunc eximio juris in hâc Academiâ anteceſſore. Ante ſynodum Dordracenam anno 1619. in claſſibus & ſynodii provincialibus variæ motiones fuerunt contra Jus patronatus, in ſynodo *Zuyd Holl. Hagienſi* 1592. *artic.* 13. Et in ſynodo Schiedamenſi a. 1602. *artic.* 30. ubi occaſione querelæ Groninganorum (per correſpondentem) de exercitio juris patronatus, & poſtulati auxilii à ſynodo Zuyd-Hollandica, decretum eſt petitionem faciendam Ill. comiti Naſſavio provinciæ præfecto, & Ill. provinciæ illius Ordinibus. Inter gravamina à provincialibus ſynodis ad Nationalem Dordracenam delata, erat aliquod contra jus patronatus. *Sibrandus Lubbertus* c. *Grotii Pietatem pag.* 10. improbat jus patronatus; & *Godefr. Sopingius* contra bonam fidem *Sibrandi*, ab anonymo (*Grotio* ſcil. aut aliquo ejus hyperaſpiſte anno 1616. editam) *pag.* 48. & *ſeqq.* & anonymum & *Bilſonum* Epiſcopum Anglicanum, ab anonymo citatum, jus illud tuentes ſolidè refutat. *Antonius Walens* in libro edito de officio miniſtrorum, & autoritate ſupremi Magiſtratus ſupra miniſtros contra *Joh. Wttenbogardum* anno 1615. *part.* 3. ubi de officio miniſtrorum in vocatione paſtorum, dicit ſe fusè non recitaturum omnia, quæ adhibenda ſunt in vocatione miniſtro-

ſtrorum, quandoquidem plures celebres theologi in ſcriptis ſuis hoc egerint: „ſicuti, inquit, etiam peridone è *Johannes Acronius* antehac miniſter „Groningæ, & poſtea *Veſaliæ*, in libro ſuo impreſſo 1604. & *Wernerus* „*Helmichius* in ſimili libro, impreſſo Delfis anno 1611. Hactenus *Walæus*: unde conſtat, quid laudando librum Joh. Acronii, in quo ex profeſſo oppugnatur jus patronatus, ipſe ſenſerit de jure patronatus. Et cum ibidem prolixè ex ſcripturis, antiquitate, & communi ſententiâ reformatorum electionem presbyterio cum conſenſu eccleſiæ aſſerit, & oppoſitam ſententiam *Joh. Wtenbogardi*, Magiſtratibus id tribuentem, ex profeſſo oppugnat; manifeſtum eſt, eum nec in totum nec ex parte electionem tribui velle dictis patronis, qui non ſunt Magiſtratus. Quę theologorum & miniſtrorum Zelandorum, tunc temporis, & poſt habitam *ſynodum Dordracenam* ibique relectum ordinem eccleſiaſticum anni 1586. *in ſynodo Nationali Hagienſi* conſtitutum, perpetua fuerit ſententia & praxis, vel inde conſtat, quod cum muneratius toparchæ *in Cloetingen*, *anno* 1648. (ni fallor) ſopitum jus patronatus ſuſcitate tentaret, *eccleſia Zelandicæ* per miniſtros ſuos ſe ſtrenuè oppoſuerint, & interceſſione ac commendatione *Celſiſſ. principis Arauſonienſis Wilhelmi* II. tunc *in Zelandiâ præſentis* apud *Ill. Ordines* uſi, recidivum illud malum patronatus averruncârint.

Orthodoxi *in Hollandiâ*, qui ſe opponebant factioni Remonſtrantium, anno 1617. per deputatos quoſdam ex ſuis miniſtros viros eruditiſſimos & expertiſſimos, ſecundam contra-remonſtantiam *Ill. Hollandiæ* Ordinibus exhibuerunt, in quâ pag. 121. (edit. Latinæ in 4.) inter alias novitates Remonſtrantium, præter quinque articulos, numerant 45. *Miniſtros verbi, ſeniores, diaconos à Chriſtianis Magiſtratibus eligi debere*: quam ibidem notant repugnare confeſſionis Belgicæ *artic.* 31. Accedamus, nunc ad extraneos, qui jus hoc improbârunt; inter quos primum nominandæ eccleſię Scoticæ, quæ in ſynodo Nationali anno 1649. ejus abolitionem petierunt, & à regni iſtius Parlamento 9. Martii 1649. obtinuerunt, *Act.* 39. ubi ita habet decretum: Ad præſervationem do„ctrinæ, & defenſionem ac vindicationem libertatis eccleſię Scoticanæ, & „promotionem in hoc operis reformationis, uſque ad extraneum ſuę poten„tiæ (**to the utmoſt of their power**), & conſiderato, quod patronatus & „præſentationes eccleſiarum, ſint malum & ſervitus ſub quâ Dei populus „& miniſtri hujus terræ diu gemuerunt, & quod nullam habeat authori„tatem in verbo Dei, ſed tantum fundatum ſit in communi lege, & ſit „conſuetudo Papiſtica (ſeu Pontificia), & introductum ſit temporibus „ignorantiæ & ſuperſtitionis, & quod ipſum adverſetur ſecundo libro diſci„plinæ, in quo non ſine ſolidis & bonis rationibus, numeratur inter abuſus,

quorum

„ quorum reformatio deſideratur; & quod repugnet variis actis ſynodorum „ generalium, & quod præjudicet libertati populi, plantationi eccleſiarum, & miniſtrorum liberæ vocationi ac introitui in ſuum munus. Scio poſtea aliter decretum fuiſſe in Parlamento Scoticano 1662. poſtquam epiſcopi iſtic jam introducti eſſent: facit enim juris patronatus exercitium, ad exercitium autoritatis epiſcopalis in conſtituendis eccleſiarum paſtoribus. Sed hæc mutatio, non tollit nobis judicium & teſtimonium ſynodorum Scoticarum & Parlamenti anno 1649.

Notet lector, *ſecundum librum diſciplinæ* à parlamento anno 1649. citatum, ſynodi nationales Scotiæ conceperunt & conſtituerunt, ejuſque ſubſcriptionem ab omnibus miniſtris præſtandam decreverunt, anno 1590. rege, & Commiſſariis regiis approbantibus. Ita refert Robertus Baylius theologus Glaſcuenſis in Examine Admonitionis Doctoris Bramble epiſcopi Londino-Derrienſis in Hiberniâ, Delfis Anglicè edito, & in Belgicum ſermonem traducto atque edito Ultrajecti anno 1649. In dicto ſecundo libro diſciplinæ *cap.* 12. Juris patronatus abolitio petitur, quippe quod *fluxerit à Pontifice & Iuris Canonici corruptelâ*: uti loquuntur.

Adde nunc omnes ſupra citatos, qui probant vocationem & electionem miniſtrorum pertinere ad presbyterium & eccleſiam; imprimis eos, qui negant eſſe *penes Magiſtratum*. Quibus nunc adde eruditiſſimum inter Belgas theologum *Gerſonem Bucerum* in *Diſſertatione de gubernatione eccleſiæ*, maximè de presbyterio & epiſcopatu, contra *Georgium Downamum anno* 1618. *pag.* 130. & *ſeqq.* Et Franciſcum Junium in eccleſiaſtico *lib.* 3. *cap.* 1. *p.* 149. edit in 8. „ Tertium, inquit, mutationis genus memoria „ noſtra inolevit, cum ii qui everſa Papæ (ut vocant) tyrannide procurant „ Eccleſiarum inſtaurationem, jus illud Eccleſiaſticum inſtitutionis & or„ dinationis reſtitui non curant Eccleſiis; ſed omnia committunt fidei „ Magiſtratus, & ab eo in rebus Eccleſiæ utramque paginam faciendam „ putant; idque hoc nomine, quod Chriſtianus magiſtratus eſt. Atqui ſi „ Papa injuſtus fuit poſſeſſor & prædo juris Eccleſiaſtici, ac proptereà Ma„ giſtratus extorſit ei quod alienum jus prædatus eſſet, quid juris ſit in hac „ cauſa Magiſtratus ipſe ex jure civili, tacentibus nobis, judicaturus eſt. „ Non enim hîc faſtus eſt Principum, ait Chryſoſtomus, non ſervilis ſub„ ditorum ſtatus; ſed principatus ſpiritualis, hoc magis excellens quo plus „ laborum & curarum pro vobis ſuſcipitur, non quo plures honores inqui„ runtur: nam Eccleſiam ſicut domum unam oportet inhabitare, & „ ſicut corpus unum affici.

Ex Auguſtanæ confeſſionis theologis Mich. Havemannus in Helice Hierotacticâ anno 1646. *tit.* 12. Ubi *pag.* 150. electionem presbyteriis & *eccleſiis vin-*

Digitized by Google

vindicatâ, *pag.* 150. hæc ſubjicit: „ Errant inquit, hic Pontificii, qui jus „ vocandi Miniſtros Eccleſiæ, tantum reſtringunt ad Pontificem & Epiſco- „ pos. Errant Pſeudo-Politici & Arminiani, qui hoc jus vocandi referunt „ ad Regalia Magiſtratus. Quibus contradicunt jam jam allegati textus. „ Contradicit ipſum nomen, qui enim docet in Eccleſiâ, Miniſter Ec- „ cleſiæ, non Miniſter Magiſtratus dicitur. Ergo vocari debet ab Eccle- „ ſiâ, non autem à ſolo Magiſtratu. Contradicit Regnum Chriſti, quod à „ Regnis hujus Mundi diſtat, tantum, quantum à cœlo terra, quod „ abſolutum politici Magiſtratus Dominatum ferre nequit. Contradicit „ praxis Eccleſiæ purioris. Contradicunt excellentiſſimi Theologi *D. Chem-* „ *nitius part.* 3 *locor. p.* 325. *Sicut Pontifex Romanus*, inquit, *in eo commiſit* „ *ſacrilegium cum ſuis, quod electionem & vocationem miniſtrorum eripuit* „ *Eccleſiæ, & ad ſe ſolum, ſuoſque transtulit. Ita ejuſdem criminis reus eſt* „ *Magiſtratus, quando excluſo Miniſterio & reliquâ Eccleſiâ ſibi ſoli poteſtatem* „ *conſtituendi Miniſterii in Eccleſiâ vendicat. D. Jacobus Andreæ diſp.* 29. *de* „ *Jure Voc. Miniſt. Impia & injuſta eſt alieni juris uſurpatio, cum Magiſtra-* „ *tus Politici primum illud eligendi deſignandique perſonas Eccleſiaſticas ſuffra-* „ *gium Presbyterio adimunt*, &c. *Vide. Bald. Caſ. Conſc. l.* 4. *c.* 4. *caſu* 3. *D.* „ *Gerhard Tom. VI. de Miniſtr. Eccl. Tom. III. Gieſſ. Diſp.* 1. *Mentzerum Exegeſ.* „ *A. C. artic.* 14. *D. Hunninm in demonſtr. miniſt. Luth. cl.* 3. *n.* 6. His etiam „ contradicit Jus Canonicum. *C. Cleri. diſt.* 63. Verba ſic habent: *Cleri Ple-* „ *bis & ordinis conſenſus & deſiderium requiratur. Et c. vota. diſt.* 63. *Vota* „ *civium, teſtimonia populorum, honoratorum arbitrium, electio Clericorum* „ *in ordinationibus Sacerdotum expectantur. Vide c. Epiſcopos diſt.* 63. Con- „ tradicunt ſtolidæ opinioni deſipientium horum Politicorum Excellen- „ tiſſimi Juriſconſulti. *D. Erneſtus Cottman. reſp. Acad.* 24. *n.* 32. *Cl. Dn. D.* „ *Remking. de Regim. Secul. & Eccl. l.* 3. *cl.* 1. *c.* 6. *Aſſerit n.* 2. *Ipſam vocatio-* „ *nem non pertinere ad jus Politiæ. Et n.* 15. *Quare cum ex triplici ſtatu* „ *conſtet Eccleſia: Eccleſiaſtico, ſub quo Paſtores, Politico, ſub quo Magiſtra-* „ *tus ſecularis; & Populari, ſub quo quivis de populo: ſingulis ſuæ partes in* „ *vocatione debentur, ita ut prima quidem debeantur ſtatui Eccleſiaſtico, qui* „ *de vocandorum integritate vitæ, ſinceritate doctrinæ & dexteritate docendi* „ *omnium optimè judicare poteſt. Et n.* 17. *Eccleſiaſticus ſtatus debet conſulere* „ *de perſona idonea. Popularis approbare, politicus decernere.*

„ *Et poſtea pag.* 154. Optimum igitur erit, ſi miniſterium, eligat, exa- „ minet, ordinet; Magiſtratus nominet, decernat, & confirmet, populus approbet. Ubi hoc ſaltem innuit patrono aut Magiſtratui electionem non „ competere. Atqui patronatus, uti hodie in Belgio, & alibi prætenditur & uſurpatur, eligit (& non tantum nominat ac commendat aliquem); abſque

Epiſcopi,

Epiſcopi, aut presbyterii,aut claſſis electione & conſtitutione, eumque ſolummodo offert claſſi,ut eum examinet & in miniſterio confirmet, ſeu in miniſterium & eccleſiam introducat.

Statius Buſcherus in *Theologiæ ſynopſi* anno 1524. cap. 31. §. 5. *nec magiſtratus nec patroni jus habent citra eccleſiæ conſenſum ſeu conſtituendi ſeu removendi miniſtros.* In commentario ſubjecto loquens ad conſuetudinem in Germaniâ obtinentem: Patroni eccleſiarum, ait, qui ſuis impenſis, &c. „ habuerunt olim in eccleſiâ, & adhuc habent jus nominandi & præſen- „ tandi ſeu proponendi miniſtros, &c. quia ipſorum eſt miniſterium „ alere reditibus ad id collatis, quos citra ipſorum conſenſum rapere, & „ cuiquam tribuere nemo rectè poteſt; niſi patroni ſint hoſtes eccleſiæ: tum „ enim vocatio veræ eccleſiæ membris permittenda. Atqui hoc ubique & ſemper non permittitur, cum à Pontificiis Patronis religionis reformatæ hoſtibus, invitæ eccleſiæ miniſtri obtruduntur. Exempla nota ſunt, & clamant in cœlum.

Omnes itaque tum invariatę (uti vocant) Auguſtanæ confeſſionis,tum reformati theologi, cum Magiſtratui negant electionem, eamque eccleſiæ & presbyterio tribuunt; eâdem, immo longè majori ratione electionem negare debent patrono.

Ex Pontificiis Antoninus in ſummâ *part.* 3. *tit.* 12. *cap.* 12. §. *de patronatu quærit.* Plures vias à jure inventas dicit, per quas eccleſiis providetur de rectore. Et negat *electionem*, *ſolennem nominationem*, *poſtulationem*, cadere in patronum laicum. *Collationem* dicit ſpecialiter pertinere ad prælatum; *nec cadere in laicum de jure communi: ſed bene cadere ex privilegio ſpeciali à Papâ alicui conceſſo: qui laicos ad iſta poteſt habilitare.* Ibi, *ſimplicem petitionem abſque præſentatione cadere in populum non-patronum.* Et ſi non eſſet patronus, à populo *non præſentandum rectorem*, ſed ab epiſcopo *inſtituendum. Hadrianus* VI. *anno* 1522. *bullâ ſuâ* revocabat omnes conceſſiones juris patronatus ab *Innocentio* 8. etiam conſiſtorialiter factas iis, qui eccleſiam non ædificaverant. Ut videant hodierni laici patroni Papiſticæ profeſſionis, quam nihil aut quantillum ipſis, ſecundum jus & theologiam Pontificiam competat; & quâ conſcientiâ tantum apud nos ſibi ſumant atque uſurpent.

Supra Thuanum Hiſt. lib. 1. & Concil. Burdigalenſe anno 1582. (apud *Bochellum lib.* 5. *tit.* 8. *c.* 7.) *Fileſacum* citavimus. *Zypæus* in Jure Pontificio *lib.* 3. *p.* 253. oſtendit, quanti faciat Jus Patronatus,cum ſcribit: „ Ad inſtar „ Juris Patronatus, ſeu ex eo nata eſt Regalia,

..... *Matre pulchrâ filia pulchrior.*

Oooo 2 CAP.

CAP. X.

Oppoſita legitimæ vocationis ſunt] 1. *Circulatio & circum ambulatio abſque ullâ certâ eccleſiæ vocatione.* 2. *Miniſterii deſertio.* 3. *Ex Miniſterio violenta expulſio.*

§. 1. CIrcumcurſatio, aut potius *circumvagatio, circumambulatio*, eſt hominum, qui ſine certâ vocatione & ad hanc aut illam eccleſiam affixione, ſubinde conciones habent & inde collectam aut honorarium exſpectant. Quales vulgo dicti ſunt *ambulantes Levitæ*, alluſione factâ ad *Judic.* 17. *v.* 7. 8. In Papatu tales ſunt, qui in compitis, in triviis, in portibus, &c. ad miſſas celebrandas, venatoribus, mercatoribus, aliiſque iter agentibus ſe offerunt. Qui ergo ſedent, circumeunt, aut proſtant ad miſſas pro defunctis proque aliis neceſſitatibus celebrandas; ſunt ambulantes levitæ. In Miſſali dicuntur miſſæ votivæ; ut e. gr. pro vitandâ mortalitate, vel tempore peſtilentiæ, pro infirmis, pro peregrinantibus vel iter agentibus, pro Papâ, pro ſponſo & ſponſâ. In antiquis Miſſalibus (*Pariſienſ.* anno 1506. in 8.) extant tituli, pro deſiderantibus pœnitentiam, pro defuncto nuper baptizato, pro cujus animâ dubitatur, pro peſte animalium, pro amico incarcerato, pro navigantibus, pro facientibus nobis eleemoſynas, &c. *fol.* 207. & *ſeqq.* Tales olim erant inſtitores reliquiarum vernaculè dicti Muyl-Stooters / Caſſe-Boeven; de qualibus in *Joh. Bocacii* narrationibus. Contra tales vagos & ambulantes reformati tempeſtivè vigilârunt: uti docet Ordo noſter eccleſiaſticus artic. 7. *Nemo vocabitur ad verbi miniſterium, abſque certi loci occupatione: niſi mittatur ad alicubi eccleſiis ſub cruce prædicandum, aut alioquin eccleſias colligendas.*

§. 2. Miniſterii deſertio eſt vel ſpontanea: vel ob graves cauſas aut neceſſaria. *Spontanea* eſt cum quis proprio motu miniſterium deſerit, ut privatus vivat, & otio fruatur. Hæc deſertio illicita eſt, quamdiu quis animi & corporis viribus ad propagationem fidei, & eccleſiæ ædificationem requiſitis (ſi non excellenter, ſaltem mediocriter) adhuc inſtructus eſt. Rationes pete, ex dilectione Chriſti *Joh.* 21. *v.* 16. *coll.* cum 2 *Corinth.* 5. *v.* 14. *Ex* exemplo Chriſti Joh. 9. v. 4. *Oportet me operam dare operibus ejus, qui miſit me, donec dies eſt.* Ex exemplo & præcepto Pauli, 1 Cor. 9. v. 16. 17. *Etenim ſi Euangelizem, non eſt, quod glorier, neceſſitas enim mihi incumbit. Væ autem mihi eſt, niſi Euangelizem. Nam ſi volens hoc faciam mercedem habeo; ſin invitus, diſpenſatio credita eſt mihi.* Et inde, uſque ad finem ca-

pitis

Digitized by Google

pitis 2 Timoth. 4. v. 1.-6. *Obteſtor te igitur*, &c. *prædica ſermonem*, &c. *Opus perage Euangeliſtæ*, *miniſterii tui plenam fidem facito.* Ex eo, quod in confirmatione publicè coram eccleſiâ reſponderint, ſe in corde ſuo ſentire, quod à Deo ad hoc munus vocati ſint; ergo ſanctificati & *ἀφωρισμένοι* (*Rom. 1. v. 1.*) ſicuti Paulus ſe dicit *ſervum Jeſu Chriſti*, *ex vocatione Apoſtolum*, *ſeparatum ad Euangelium Dei.* Quod ſi verè ſentit & dicit, ſe internè à Deo vocatum, is talis non eſt niſi tractus ſit, & totus inclinet ad Chriſto in tali opere ſerviendum, atque adeo ad illud ſe comparet ac devoveat, & inſtar Barnabę ac Pauli, *exponat animam ſuam pro nomine Jeſu Chriſti* Actor. 15. v. 26. *Ex* dignitate & excellentiâ operis miniſterialis de quâ ſupra *lib. 2. tract. 1. cap. 7. Denique ex mercede*, quæ pro operâ illâ, promiſſa eſt *Daniel. 12. v. 3.* Analogicè huc referri poſſet *Math. 19. v. 28.* Quod hic dicimus de miniſtris, ſuo modo etiam dici poſſet de candidatis miniſterii & proponentibus. Qui enim hactenus ſanctificati, præparati, & ordinati ſunt ad miniſterium; & ex merâ vanitate, ambitione, avaritiâ, ignaviâ, contendendi aut vindictæ ſtudio, huic ſancto labori ſe ſubducunt; inſtar *Meros* (*Judic. 5. v. 22.*) maledictioni proximi ſunt. Saltem, *uti Demas deſerens Paulum*, *amore inductus præſentis ſeculi notatur 2 Timoth. 4. v. 10.* ſic & iſti non vanè apud nos notari & obſervari ſolent. Sæpe enim accidit ut in aliâ vocatione temporali parum felices ſint: non raro etiam, ut cum eccleſiæ ędificationi inſervire noluerint, ejuſdem & ſacri miniſterii detractioni, vexationi, deſtructioni, & diſturbationi, clam aut palam incumbant. Juxta gnomas, *corruptio optimi peſſima: omnis Apoſtata eſt oſor ſui ordinis.* Experientia ſtultorum magiſtra, nos hoc docuit. Odioſum eſſet exempla deſertorum miniſtrorum, proponentium, theologiæ ſtudioſorum, quæ meo tempore ſe obtulerunt, hic referre. *Inter canones* noſtri ordinis eccleſiaſtici 12. ſic habet: Quandoquidem miniſter „ verbi ſemel legitimè vocatus, per omnem vitam ad miniſterium obliga„ tus eſt: non licebit ipſi ad alium vitæ ſtatum ſe transferre: niſi ob gra„ ves & momentoſas rationes, de quibus claſſis cognoſcet & judicabit.

Memini ante complures annos (44. *aut circiter*) in ſynodo *Groningo-Omlandica* judicatum eſſe, miniſtrum deſertorem, muneris alicujus politici ſeu ſæcularis ambiendi & obtinendi causâ, indignum eſſe, qui ad tale munus promoveatur.

Et hæc quidem de miniſterii generali deſertione. Deſertio particularis eſt; cum hoc miniſterium, in quo legitimè conſtitutus eſt, illegitimè deſeritur, abſque ullâ ad alterius eccleſiæ miniſterium vocatione, aut abſque legitimâ eccleſiæ dimiſſione aut abſque claſſis ſynodive, cui ſubeſt, præcedenti cognitione, judicio, & dimiſſione. De tali particularis eccleſiæ & mi-

Digitized by Google

miniſterii deſertione, ordinis noſtri eccleſiaſtici artic. 10. Miniſter ſemel le-
„ gitimè vocatus eccleſiam illam à quâ abſque conditione aſſumtus eſt, de-
„ ſerere non poteſt, ut alibi vocationem amplectatur, abſque conſenſu
„ ſynedrii cum diaconis, & iis qui antehac munere ſenioris aut diaconi,
„ functi ſunt, etiam Magiſtratus, & præcognitione claſſis. Sicuti, nulla
„ alia eccleſia, eum recipere poterit, antequam legitimum teſtimonium
„ de dimiſſione eccleſiæ & claſſis, ubi miniſtravit, exhibuerit.

Deſertio ob graves & neceſſarias cauſas, legitimè à ſynedrio & claſſe cognoſcendas ac judicandas, innoxia & legitima eſt. Inter eas, ſunt duæ principales, *Una*, ſuperveniens defectus memoriæ, vocis, morbi chronici aut ſymptomatis, decrepiti ſenii. De hac ordinis eccleſiaſtici *artic.* 13.
„ ſancit ut tales miniſtri, honorem & nomen miniſtri retineant, illiſque
„ de honeſtâ ſuſtentatione, ab eccleſiâ proſpiciatur.

Altera eſt, tranſlatio ad aliam eccleſiam. Canoniſtæ agunt de *Renuntiatione*, quâ epiſcopus parochum à ſuâ eccleſiâ, aut eccleſiam à ſuo parocho liberat. Dicitur autem *renuntiatio*, quia renuntiat Epiſcopus ſuæ inſtitutioni & conſtitutioni dicti parochi, in illâ eccleſiâ factæ; per quam conjugium quaſi inter parochum & eccleſiam contractum. Sex cauſas numerant, ob quas epiſcopi poſſint facere renuntiationem; eaſque *ad c.* 10. *Extrav.* de Renuntiatione, iſtis verſiculis complectuntur.

Debilis, ignarus, malè conſcius, irregularis:
Quem mala plebs odit, dans ſcandala, cedere poſſit.

Nos putamus melioris diſtinctionis causâ omnem deſertionem eccleſiæ & miniſterii diſtingui poſſe in univerſalem ſeu abſolutam omnis miniſterii deſertionem: & in particularem hujus eccleſiæ. Utraque eſt vel ſpontanea, vel invita, vel mixta. *Univerſalis ſpontanea eſt*, quando quis ob ſenium, aut defectum ſive memoriç, ſive vocis, ſive viſus, ſive auditus, ſive inceſſus, ſive morbi alicujus chronici, & incurabilis, fit emeritus, *Univerſalis invita fit per depoſitionem:* quando quis ob juſtas cauſas ab omni miniſterio removetur: de quâ, *cap. ſequ. Univerſalis mixta* eſt, quando quis volens nolens, ab omni miniſterio excluſus, non tam libertate quam libertiniſmo, quod ad religionis profeſſionem, & quod ad mores, ac vitæ occupationem (quo propendebat) fruitur. *Particularis ſpontanea*, dici poſſet *tranſitio* quando miniſter volens, eccleſiam aliquam legitimè vocantem & trahentem ſequendo, ſuam deſerit.

Particularis invita, dicitur *remotio* ſeu *depoſitio*; quando quis à præſentis eccleſiæ miniſterio, abſque ullâ præcedente, aut oblatâ vocatione ad alterius eccleſiæ miniſterium eccleſiaſticè dimittitur; aut violenter à populo aut Magiſtratu ejicitur: quæ dicitur *ejectio*; de quâ mox §. *ſequ.*

Par-

Particularis mixta eſt, quando quis volens nolens eccleſiam deſerit. Quod fit vel cum actuali tranſlatione, aut tranſitione ad aliam, vel abſque actuali tranſitione ad aliam. Tranſlatio, aliquando fit per *permutationem.*

Quęſtionibus aliquot ſubjectis uberius hæc explicare conabimur.

I. *Quæſt. An forma, civitatis, aut magnitudo, poteſtas, celebritas civitatis, aut majus ſtipendium, aut melior habitationis commoditas, legitima ſit cauſa tranſitionis & diſceſſus à propriâ eccleſiâ. Reſp.* Neg. Si major & frequentior ſit eccleſia in pago, & majoris atque extenſioris ædificationis, per miniſterium ipſius occaſio iſtic ſe offerat: an muri & portæ, quibus eccleſia, ad quam vocatur, munita eſt, in alteram partem inclinare facient? Quod ad lautius ſtipendium, non abnuo, quin illud in conſiderationem veniat: ſiquidem præſenti ſtipendio familiam ſuam honeſtè & decorè ſuſtentare nequeat, nec augmenti ſpes aut commoditas ſit; nec ipſe de ſuo defectum hunc ſupplere poſſit; aut ſi debita contrahendo, ſuę & miniſterii ſui exiſtimationi multum deceſſurum ſit, denique de bono & fideli miniſtro in eccleſiâ vacante ſubſtituendo, certa quaſi ſpes ſit. Alioquin in conſcientiâ & ſeriò expendendum, an allicium majoris ſtipendii, aut melioris ac commodioris domus, cum horto, &c. aut loci ſitus magis vicinus parentibus, cognatis, amicis; aut uxoris cupiditas & votum eò tranſmigrandi, ſufficiens cauſa ſit dilectam eccleſiam & lumine tuo apprime gaudentem, deſerendi. Si is affectus in te eſſet, qui erat in Apoſtolo, utique non arbitror te hoc ab animo tuo tam facile impetraturum. *Os noſtrum apertum eſt erga vos, Corinthii, cor noſtrum dilatatum eſt. Non habitatis anguſtè in nobis; ſed anguſti eſtis in viſceribus veſtris* 2 Cor. 6. v. 11. 12. *Nam ante dixi, vos in cordibus noſtris eſſe, ad commoriendum & convivendum.* 2 Corinth. 7. v. 3. Quæ non dico, ut nunquam à pręſenti eccleſiâ ad aliam tranſeundum cenſeam; ſed ne facile & temere hoc fiat. Imprimis, ne videamur mercenarii, aut viri mutabiles, deſultorii, & quaſi leves & vanæ mulierculæ. *Varium & mutabile ſemper fœmina.*

II. *Quæſt. An major & frequentior eccleſia majorem ædificationem inferat, & conſequenter majoritas illa ſufficiens ſit ratio, tranſitus & tranſlationis miniſtri à ſuâ ad majorem illam eccleſiam? Reſp.* 1. Neg. Majorem ſemper eſſe ędificationem, ubi major & frequentior eſt eccleſia. Eſt enim neceſſitas, utilitas, & majoritas ædificationis, proportionaliter intelligenda. Ut e. gr. parvæ eccleſiæ collectæ in mediis hoſtibus, aut in limitibus territorii reformati, aut in urbe, ubi ſcholæ & eccleſiæ ſectarum florent, magis utile & neceſſarium eſt miniſterium τοῦ Δῶνα, viri docti, pii, prudentis, vigilantis, 1 *Timoth.* 3. & *Titum* 1. quam miniſterium alterius cum illo non comparandi.

Digitized by Google

randi. Deinde in minori civitate & eccleſiâ, aliquando ſinguli ſunt concionatores aut ad ſummum bini: ſed in magnis urbibus & eccleſiis ſunt plures; quibus ſi aſſignentur ſui diſtrictus ſeu ſua membra; videbimus miniſtros in vicis, oppidis, minoribus civitatibus aliquando frequentiorem habere eccleſiam ſuæ ſpeciali curę commiſſam, quam miniſtros in magnis civitatibus; ideoque fieri poſſe ut ſi communem eccleſię cauſam reſpicias, plus iſtic ædificaturus ſit miniſter, operaque ipſius iſtic magis utilis ac neceſſaria, quàm in frequentiori majoris civitatis eccleſiâ. Spectanda ergo & ponderanda ſunt in caſu deſertionis & tranſitus ad aliam eccleſiam, non tantum frequentia eccleſiæ (uti perperam nonnulli ſentire videntur) ſed etiam neceſſitas & utilitas hujus miniſtri præ aliis in tali eccleſiâ, quamvis minori; ſed forte limitaneâ, infidelibus aut heterodoxis proximâ, aut inter hoſtes colligi cœptâ; aut heterodoxiis, ſciſmatis, contentionibus, vexationibus, infeſtâ. Conſiderandum etiam, an per diſceſſum & abſentiam miniſtri majus damnum, analogicè æſtimatum, paſſura ſit eccleſię ædificatio; quam lucrum factura per præſentiam illius miniſtri in eccleſiâ illâ, ad quam tranſiturus eſt. Denique an non minori cum periculo, difficultate, quaſſatione, eccleſię vocanti per alterius vocandi miniſterium proſpici poſſit: quam deſertę aut deſerendæ, de idoneo ſucceſſore. Malè ergo invitâ & maximo periculo expoſitâ eccleſiâ, inhiat quis alteri & ad eam vel abſque legitimâ dimiſſione properat: cum lupis aditus fit eccleſiam illam intrandi. Prudenter ergo factum à miniſtris illis, quos ego in miniſterii mei *tyrocinio* novi, qui de communi, in viciniâ illâ, conſilio noſtro, vocati ad aliam eccleſiam, vocationi peremptoriè non conſentiebant, nec dimiſſionem petebant ac recipiebant, niſi aut ante ſignatis promiſſis & nominum ſubſcriptionibus certi eſſent de tali vocando ſucceſſore; aut eodem in conventu, in quo dimiſſio, ſucceſſoris vocatio decerneretur. Ex malis moribus temporum, bonæ tunc iſtę leges ſeu conſuetudines natæ. Simulac enim vacaſſet aut vacatura eſſet eccleſia ruralis; Remonſtrantes *concionatores* tum per ſe tum per in diſtrictu illo *toparchas*, *ſatrapas*, *prætores*, *ſecretarios*, quæſtores, etiam per pręfectos tum politicos tum militares, per aliquem ex *collegio deputatorum* Ill. DD. *Ordinum*, aut ex camerâ rationum, per quoſcunque alios ſibi occurrentes, ſimplices incolas & agricolas ſive religioni addictos, ſive ab eâ alienos, ſive neutrales tentabant, adhibitis partim promiſſis partim minis. Eſt & alius caſus, quo ex puſillâ eccleſiâ ad triplo numeroſiorem pius & fidelis miniſter, & quidem longe majori commodo ſuo, ſe transferri nòn patitur, quamvis alias eò inclinaret: quod non vanè præſumeretur, illo diſcedente ſtipendium & miniſtrum, peculiarem iſtius linguæ & gentis, tam paucis auditoribus, in poſterum non con-

concedendum; & conſequenter cœtum illum diſſolvendum. Exemplum novi, & factum eruditi ac pii illius miniſtri, causâ hâc perceptâ, non potui non quam maximè probare: quamvis antea tranſlationem illam ob multas rationes unicè optaſſem, & pro virili apud illos promoviſſem, quos hæc cura tangebat. *Factum etiam* anno 1618. in *ſynodo Zuyd-Hollandicâ Delfenſi*, ut miniſter Schiedamenſis *ab eccleſiâ Delfenſi*, longè frequentiori, & celebriori in unâ ex primariis Hollandię urbibus, vocatus & admodum expetitus, illique muneri ac loco convenientiſſimus, ipſeque eò inclinans, Delfenſibus adjudicatus non ſit: ob particulares rationes à *Schiedamenſi* eccleſiâ & Magiſtratu iſtic propoſitas. Ita ut in his aliiſque tranſlationum caſibus, ſola majoritas eccleſiæ, & conſequenter ædificationis (uti aliquando judicatur), tanquam ſeptemplex clypeus obtendi non debeat. Videndum an non ſint rationes merè ſęculares, œconomicæ, quæ ad tranſitionem illam impellunt.

III. *Quæſt. An miniſter eccleſiam & miniſterium ſuum aliquo in caſu honeſte deſerere poſſit, abſque ullâ praviâ & legitimâ ad aliam eccleſiam vocatione? Reſp.* Aff. Cum conſtat clandeſtinum miniſtrum alieno ſchemate aliquandiu iſtic inter homines verſatum, ſuperioribus innotuiſſe, aut ſaltem admodum ſuſpectum eſſe. Quo in caſu ipſe legitimam dimiſſionem petere, & inſpectores eccleſię clandeſtinæ eidem ad pericula & incommoda prævenienda, curare poterunt. Aut cum miniſtro palam miniſtranti, ad tribunalia pertractio, carcer, & alia longè graviora ob præſumtum aut prætextum crimen, intentantur. Quo in caſu inſpectores illius eccleſiæ ſpontè illi dimiſſionem ſcribere, eumque nolentem volentem ad diſceſſum compellere tenentur: nunquam revocandum, niſi tempeſtate illa per rerum & hominum mutationes diſſipatâ & aëre ſerenato. Exempla ejuſmodi legitimæ dimiſſionis & diſceſſionis ab eccleſiis; noſtrâ ætate, data ſunt in Galliâ, hic non memoranda.

IV. *Quæſt. An talibus in caſibus curari poſſit, ut vocatio ad aliam aliquam eccleſiam tacitè & tempeſtivè offeratur miniſtro, & ſic dimiſſione à ſynedrio decretâ, illico inde diſcedat & ad capeſſendum alibi miniſterium tranſeat? Reſp.* Quidni? Hæc eſſet prudentia juſtorum. Eccleſia, à quâ vocatio miniſtri curari poſſet, eſt vel *manifeſta*, vel *clandeſtina*. Manifeſta ſive major & frequentior ſit, ſive *æqualis*, ſive *longe minor*, ſaltem non ſit illic loci, quo poteſtas & potentia eorum dominorum pertingat, quibus miniſter antea ſubjectus fuit. Clandeſtinam eccleſiam talem etiam conveniret eſſe, quæ ſaltem iiſdem dominis territorialibus politicè non eſſet ſubdita, quibus eccleſia, quam deſerit, ſubjecta fuit. Quod ſi hoc haberi nequeat; diverſi ſchematis, à priori, oſtentatione, clandeſtinum

 mi-

miniſterium cum domino ſubeat. Quod ſi nulla prævia vocatio haberi queat, & neceſſitas, uti in præmiſſis caſibus, miniſterium illud deferendi incumbat, dimiſſio danda; aut ſi jam ſubito inde diſceſſerit, abſque morâ inſtrumentum dimiſſionis, eidem mittendum. In priori caſu, miſſione jam decretâ & conſignatâ, aut etiam vocatione ad aliam eccleſiam jam oblatâ & acceptâ, poſſet forte illic loci, ob rationes, aliquandiu hærere: & quidem abſque periculo.

V. *Quaſt. An pius & fidelis miniſter aliquo in caſu deſiderare poſſit tranſlationem ad aliam eccleſiam; & an claſſis, ſynodus ad hoc cooperari debeat? Reſp. Aff. utrumque.* Cum ſive abſque culpâ ipſius, ſive aliquo ipſius παροράματα averſio multorum in eccleſiâ, aut contentio presbyterii, ſaltem potioris partis, aut collegarum, aut Magiſtratus cum ipſo, exiſtimationem & autoritatem miniſterii imminuunt; & ipſe alacriter, debitâ cum εὐθυμίᾳ, ac ſpe ſucceſſus iſtic laborare nequit.

VI. *Quaſt. An aliquo in caſu, miniſtri vocati ex minori ad ampliorem & celebriorem eccleſiam, non ſequi; aut vocati ex majori eccleſiâ ad minorem ſe qui poſſint? Reſp. aff. utrumque*: Et varia utriuſque ſunt exempla. Spectandus eſt ſtatus utriuſque eccleſiæ, à quâ & ad quam. An illa abſque miniſtri ſui nunc alio vocati donis, diligentiâ, autoritate, in orthodoxiâ, pietate, eutaxiâ, pace & concordiâ conſervari poſſit: ſeu, an remiſſio, prolapſus, & mutatio in deterius, non vanè metuenda aut præſumenda. An dilectio, æſtimatio, autoritas miniſtri, tanta futura ſit in eccleſiâ nunc vocante, ac quidem hactenus fuit in eccleſiâ præſenti; & conſequenter an tanta ædificatio in illâ ſit exſpectanda, quantam expertus eſt in illâ. Rurſum, an eccleſia minor, ad quam quis ex majori tranſiturus eſſet, per alium æque aut magis inſtaurari, ad unitatem reduci, ab erroribus, aut contentionibus revocari poſſet; ac per iſtum. Sunt etiam varia conſideranda in miniſtri transferendi qualitatibus, & ſtatu familię, cognitionis, &c. ob quæ manendum potius, quam tranſeundum, aut vice versâ, ſuaderem. Hæc & ſimilia circumſtantialia pæne innumera accidere poſſent: de quibus prudenter judicandum. Quidquid ſit, ſola major, frequentior, celebrior, in majori & celebriori civitate eccleſia, à qua miniſter in minori eccleſiâ, in pago, in oppido, aut in minori civitate conſtitutus vocatur, non debet unicum & perpetuum eſſe motivum, ad tranſitionem. Exempla in *Belgio noſtro* quamplurima ſunt miniſtrorum, qui à *Groningana, Enckhuſanâ, Harlemenſi, Dordracenâ, ad Amſtelodamenſem*; à Verianâ *Zelandicâ* & *Enckhuſanâ ad Leidenſem*; à *Schiedamenſi ad Delſenſem*; à *Campenſi ad Euchuſanam*; à *Woerdanâ ad Leovardienſem*; à *Zwollanâ, Zirizeanâ Alckmarianâ* ad *Hagienſem* aut *Leidenſem*; ab *Heuſdanâ* ad *Gorinchemenſem*, *Hagienſem*, *Harlemen-*

lemenſem, Dordracenam, &c. à *Monachodamenſi*, & ab *Ameidenſi* ad varias majores; ab *Harderovicenâ* itidem ad varias majores; non tranſierunt. Nec deſunt exempla miniſtrorum, qui à majori eccleſiâ ad minorem tranſierunt, uti ab Hagienſi & Delfenſi ad Brielanam, à Dordracenâ ad ruralem ſeu vicanam. Ut jam non dicam de tranſitione ab æquali (aut ſaltem ferè æquali) ad æqualem, à Dordracenâ ſcil. ad *Roterodamenſem*: à *Roterodamenſi* ad *Delfenſem* & *Ultrajectinam*; ruſum de non tranſitione ab æquali aut fere ęquali, à *Dordracenâ* ſcil. & *Fliſſinganâ* ad Ultrajectinam.

VII. *Quæſt. An quis vocatus ad profeſſionem theologicam, eccleſiæ ſuæ miniſterium deſerere, & oblatam profeſſionem ſuſcipere poſſit? Reſp.* Quæſtio hæc propriè inſtituitur, de totali miniſterii deſertione, per vocationem, ad ſolam profeſſionem theologicam? Siquidem tranſitus à ſolo particularis eccleſiæ miniſterio ad miniſterium alterius eccleſiæ, & adjunctam ibidem *theologiæ* profeſſionem; vix anxiam deliberationem requirere videtur. Sed ut gratiſſimum in eximiâ aliquâ eccleſiâ miniſterium, cum profeſſione theologicâ, commutetur, cuilibet & ſemper ſuadendum non eſt. Pereruditus inter Belgas *theologus Wernerus Helmichius Ultrajectinus* ex miniſterio eccleſiæ Delfenſis ad profeſſionem theologicam in *Acad. Leidenſi* vocatus, ſtationem ſuam non deſerebat. Contra *Carolus Gallus* ex profeſſione theologicâ in eadem *Acad. Leidenſi*, ad miniſterium eccleſiæ alicujus *in ducatu Geldriæ* tranſibat. Alius quis theologię in celebri Germaniæ Academiâ profeſſor, alicubi concionatoris munus ſuſcipiebat. Si tamen alii non ſuppetant, quibus tutò profeſſio theologica committi poſſit; aut periculum ſit, ut te onus illud non ſubeunte, aliud quod pruriens & novaturiens ingenium, aut *theologus* [illegible], & minimè practicus, ne quidem theoreticè practicus, aut orthodoxus quidem & pius, ſed apparatu eruditionis theologicę haud ſatis inſtructus, ad cathedram illam promoveretur: utique *ſynedrio* tuo volente, (ſi cauſæ Dei ſtudeat) & ſuadente, acceptanda profeſſio. *Seminaria miniſterii* deſerenda non ſunt, nec admittendum ut corruptio orthodoxię aut genuinæ pietatis illic aliquem habeat acceſſum. Extra hunc caſum, etiam ad profeſſionem bonâ conſcientiâ à miniſterio ſuo tranſit, cui modo dona concionandi ſubinde eccleſiæ ad quam tranſit, aut vicinæ alicui aut vicinis impartiri liceat. Qui unam eccleſiam hactenus ædificavit, jam multas per Dei gratiam ædificabit; mediatè ſcil.

VIII. *Quæſt. An etiam vocatio ad profeſſionem philoſophicam, aut linguarum Hebreæ & Græcæ, aut hiſtoriæ temporum imprimis eccleſiaſticæ, aut ad Rectoratum ſcholæ trivialis, præſentis miniſterii & eccleſiæ deſertionem ſuadere poterit? Reſp.* De profeſſione hiſtoriæ eccleſiaſticæ videtur affirmandum, ſi alii in ſtudiis illis ita exercitati, & ad ejuſmodi provinciam apprimè idonei non ita haberi poſ-

poſſint. Qui voce & ſcriptis hiſtoriam eccleſiaſticam tradit, illuſtrat controverſias theologicas, & theologum agit. Ante annos aliquot *David Blondellus*, celeberrimus antiquarius eccleſiaſticus, conſilio & judicio eccleſiarum à particularis eccleſiæ miniſterio in Galliâ, ad commentationes de antiquitatibus eccleſiaſticis traductus eſt. De aliis profeſſionibus, non videtur concedendum; niſi neceſſitas defectus ſupplendi in Academiâ, & ὑστέρημα aliquod ſeu diminutio in donis concionandi, ad hoc compellat. Quod ſi profeſſio hiſtoriæ ſacrę alicubi conſtitueretur, eadem de ejus ſusceptione quęſtio eſſet, ac de ſuſceptione theologicæ profeſſionis. Eſt enim theologica profeſſio, aut ad eam pertinet; explicatio librorum, ſectionum, capitum hiſtoricorum ſcripturæ; aut ex ſelectis ejuſmodi ſectionibus, & textibus *hiſtoriæ* ſacrę collectio. Exempla *Tornielli*, *Saliani*, *Jac. Capelli*, &c. *in diſp. de Hiſtoriâ ſacrâ* citata ſunt.

IX. *Quæſt. An permutatio eccleſiarum à duobus concionatoribus fieri poſſit?* *Reſp.* Ut ipſi contractum talem ineant, Neg. Ut utriuſque miniſtri ſynedria, claſſes aut ſynodi, hoc procurent, idque ad utriuſque eccleſię bonum, cum ſcil. rationes ſunt, cur hic in illâ, ille in iſtâ eccleſiâ magis videatur ædificaturus; ſaltem minori cum periculo, aut ſcandalo illic verſaturus. Hic tamen accuratè attendendum, ne cum alteram eccleſiam ab ingrato aut ἀτάκτῳ concionatore liberamus, alteram decipiamus; & poſt perditam priorem, etiam hanc perdendam aut turbandam proſtituamus; aut praxi noſtrâ ſentire videamur, eccleſiam eſſe propter miniſtrum; & non miniſtrum propter eccleſiam. In Papatu infinitæ fere digladiationes ſunt circa permutationes beneficiorum. An præter Papam, vel ordinarium, *Abbas*, *legatus* aut nuntius *Pontificis*, *vicarius epiſcopi*, *archidiaconus*, Officialis, Coadjutor, &c. poſſint eſſe autores permutationis: Quinam poſſint permutare? Quænam beneficia poſſint permutari? Quænam impedimenta obſtent permutationibus? An jus patronatus cum quâcunque re permutari poſſit. De quibus, aliiſque *Johannes à Choquier* in *tract. de permutationibus beneficiorum anno* 1616. ubi præter Juris Canonici, & Paparum determinationes, *S. congreg. Concil. Trident.* reſolutiones, Rotæ Romanæ deciſiones, Doctorum opiniones, quinque tractatus de permutationibus benęficiorum citantur, *Boëti Eponis*, *Friderici de Senit*, *Petri Andreæ Gammari*, *Petri de Peruſio*, *Petri de Ubaldis.* Sed univerſa illa permutationum praxis, nihil ad res noſtras facit: quandoquidem apud nos officia ſunt & miniſteria eccleſiaſtica (non beneficia); quorum permutatio, rariſſima hic avis, & nigro fere ſimillima cygno.

X. *Quæſt. An exſpectativæ miniſterii eccleſiaſtici concedi poſſint, theologico ſtudio initiatis, aut pueris trivialibus, aut infantibus in arundine longâ adhuc equitantibus, aut infantulis in cunis vagientibus?* *Reſp.* Ab eccleſiis, earumve presby-

Digitized by Google

presbyteriis, aut claſſibus aut dictis patronis, aut principibus, & Magiſtratibus concedi poſſe, Negamus. Quod ſi tamen hoc tentet patronus, aut Magiſtratus: videtur cenſurâ eccleſiaſticâ notandus, qui talem Exſpectativam ſibi oblatam recipit, aut prece pretiove Simoniacè acquirit. Coadjutoriæ cum ſucceſſione in epiſcopatum, aut abbatiam, aut paſtoratum in gratiam Coadjutoris datæ, peculiari & excellenti quâdam ratione exſpectativam ſucceſſionis continent. Sed eæ nunc prohibitæ à *Concil. Trident. ſeſſ.* 25. *c.* 7.: niſi graviſſimâ ex cauſâ, & neceſſariâ vel eccleſiæ utili, per
„ ſummum Pontificem cognitâ: & de tali perſonâ, in quâ omnia concur-
„ rant, quę in coadjutore requiruntur, ne ſacrę dignitatis apex, jus pute-
„ tur hæreditarium; uti cum Choppino loquitur *Zypæus lib.* 3. *cap.* de *Clerico ægrotante*. Ab eodem Concilio *trid. ſeſſ.* 25. *c.* 15. prohibitum, *ne unquam coadjutoriæ dentur filiis; in beneficiis vel eccleſiis, in quibus patres ſunt beneficiati*: Sic ex & cum Concilio Zypæus; qui immediatè ſubdit. *Si tamen ordinarii & capitula teſtentur, utiles eccleſiæ fore, etiam poſt Tridentinum hodie conceduntur à Papâ: ſolo tamen, cum futurâ ſucceſſione* Hic vide & diſce verum eſſe à Juello in Apologiâ Papiſtis objectum, quod nec ſuis nec alienis legibus continentur. Idem accidit in *commendis*, uti appellant, in Galliâ potiſſimum obtinentibus: de quibus *Concil. Trid. ſeſſ* 25. *c.* 21. & Zypæus ibidem loc. cit., ex quo hæc enotamus: Anno, inquit 1617.
„ Epiſc. Aturienſis, præſentibus Cardinalibus Sourdio & Guiſio, aliiſque
„ ab ordine eccleſiaſtico ad regem deputatis, luculentâ oratione hos abuſus
„ regi propoſuit, ut medicinam adferret; ſi in prærupto adeo malo cauterio
„ opus non ſit, ne in poſterum eccleſiæ, quæ ei patres dare debet, infan-
„ tes dentur: immo embriones nondum nati aut formati, qui eccleſiam
„ quam regere debent, immo lucem non viderunt; nondum per lavacrum
„ inter Chriſti oves recepti ſunt, & jam mitrâ, pedo, & baculo paſtorali
„ donat; ut oves Chriſti regant;
„ *Dum dubitat natura virum, faciat ve puellam*
„ Viris præficiuntur.

XI *Quæſt. An & quomodo concionator extra eccleſiam ſuam alicubi ad tempus, operam ſuam commodare poſſit? Reſp.* Affirmatur, his ſcil. conditionibus.

1. *Ut* ipſe non currat, nec ab aliis intrudatur: ſed eccleſia aut ſynedrium indigens commodatitiâ ipſius operâ, ab illo legitimè petat, eumque ad id vocet & invitet. Alioquin applicabitur ipſi illud Jeremiæ 23. v. 21. *Non mittebam prophetas, & currebant.* Et illud Rom. 10. v. 15. *Quomodo autem prædicabunt, niſi miſſi fuerint?* Quod ſi nullum ſit ſynedrium, nulla ordinatę eccleſiæ facies, tum auditores & veræ religionis amatores, commo-

modationem illam petent. Quod ſi eccleſia & ſynedrium, ita in partes ſit ſciſſum, ac ſtatus ejus ita perturbatus, ut debitos & ordinatos conventus non celebrent, nec celebrare velint & poſſint, atque adeo ſynedrium inſpectionem & curam eccleſiæ ſibi commiſſam non impleat: jam proximè in curam illam ſuccedet claſſis: aut claſſe deficiente, & nolente, in illo neceſſitatis caſu, eccleſiæ iſtius curam ſuſcipere; jam ſuccedet ſynodus.

2. Secunda conditio eſt, ut commodandi ipſius miniſtri ſynedrium & eccleſia, omnibus in timore domini expenſis, inclinationem & approbationem ſuam declaret: nec miniſter in commodationem illam conſentiat: niſi præhabito eccleſiæ ſuæ conſenſu. Uti miniſter vulgaris, non poteſt operam ſuam alicui ad menſes, aut ſemeſtres addicere ac commodare, niſi prœunte conſenſu ejus, cujus eſt miniſter: ſic nec miniſter eccleſię, poſtulatę commodationi annuere poteſt, ſine ſuæ eccleſiæ, cujus ἴδιος miniſter eſt, conſenſu.

3. *Ut* eccleſia illa, quæ commodationem poſtulat verè eâ indigeat: & non per fictionem, aut per improbam calumniam, neceſſitatem aliquam prætexat. Vera neceſſitas eſt, cum per mortem, aut per ejectionem, aut per chronicos miniſtrorum morbos, opus miniſterii iſtic debitè impleri nequit: & per Principum, aut Magiſtratuum, aut patronorum tergiverſationem, aliave objecta impedimenta, eccleſia ſuppletionem defectuum, & vocationem miniſtrorum, exequi conſequi & nequit.

Conſectar. Eſt ergo ἀταξία, ſtabilito eccleſiarum noſtrarum ordini *artic.* 30. 31. repugnans, ſi ſynodus particularis abſque ullâ præcedente deliberatione & concluſione ſynedrii; aut claſſis (in caſu ſcil. provocationis, malæ adminiſtrationis, ſchiſmatis, &c.) de neceſſitate, & petitione commodationis peremtoriè decernat; atque unà deſignet, miniſtrum commodatum eumque eccleſię illi, quantum in ſe eſt, obtrudere ſatagat.

Forte excipiat quis. *Except.* 1. A ſynodis quibuſdam particularibus, decreta aliquando & curata eſt talis commodatio e. gr. in eccleſiâ Goudanâ, & Roterodamenſi. *Reſp.* 1. De actionibus ſynodorum circa eccleſias Roterodamenſem & Goudanam, quid ſit infra *part.* 3. *tit.* de *claſſ.* & *ſynod.* videbitur. Hic ſolummodo nota, quod Miniſtri illic aliquando ad ceſſationem ab exercitio miniſterii ſui redacti erant. In ipſis eccleſiis illis & claſſibus de auxilio per vocationes aut commodationes miniſtrorum antea actum. Hæc aliaque negotia, ab ipſis miniſtris aut ſenioribus, aut claſſibus, aut deputatis ſynodi, per modum querelæ, aut implorati ſynodalis auxilii, aut provocationis à claſſe ad ſynodum, aut emiſſi gravaminis, tractanda objiciebantur.

2. Ex.

Digitized by Google

2. *Except.* Si Magiſtratus hoc poſtulet, jam ſynodus tenetur, ſaltem poteſt hoc agere. *Reſp.* Negamus à ſynodo ad mandatum aut ad petitionem Magiſtratus iſtius pagi, aut oppidi, aut civitatis, ubi eſt eccleſia, illâ invitâ, nedum inſciâ aut non auditâ, commodationem hanc poſſe decernere, concionatorem commodandum eligere & vocare, aut non currenti nec volenti, autoritate ſuâ illud imponere, ac dimiſſionem ab eccleſiâ ipſius impetrare & curare. Quod ſi eccleſiaſticè à ſynedrio aut claſſe tale negotium ad ſynodum delatum eſſet, aut propter malam ſynedrii & claſſis adminiſtrationem circa commodationem & commodati electionem, aut per legitimam ad ſynodum provocationem, aut per ipſius ſynodi evocationem devolutum; eidemque ſynodo, poſt debitam inquiſitionem, exploratum eſſet, tantum eſſe præſentem eccleſię illius defectum, ut neceſſario quam primum per commodationem miniſtri aut miniſtrorum, eidem ſuccurri debeat: tum demum ἐννόμως commodatio *à ſynodo* decerni & ſynedrio præſcribi poſſet; aut ſi ſynedrium tergiverſetur, ab ipſâ *ſynodo*, aut à claſſe immediatè curari.

3. *Except.* Magiſtratu hoc volente, & à ſynodo immediatè hoc poſtulante, non poteſt non ſynodus hoc è veſtigio agere. Illi enim mandandi poteſtas adeſt; ſola parendi gloria ſynodo relicta eſt. *Reſp.* 1. Neg. major. Vide in 4. *part. ſelect. diſpp. tit.* de Cœcâ obedientiâ, &c. *Reſp.* 2. In ſpiritualibus & eccleſiaſticis negotiis ac cauſis, Magiſtratus non habet poteſtatem primo & immediatè determinandi, mandandi, & ſynodis imponendi; uti in negotiis & cauſis ſæcularibus & ſymbioticis: quia non ſunt proprii & publici anteceſſores in talibus, nec poſſunt ſe tales facere, juxta Hebr. 5. v. 4. *Neque ſibi ipſi quiſquam ſumit huic honorem, ſed, qui vocatur à Deo, ſicut & Aaron. coll.* cum *Rom.* 10. *v.* 15. *Jerem.* 23. *Numer.* 16. *v.* 2. *Paralip.* 26. *v.* 17. & *ſeqq.* Quæ cum opponimus *Libertinis*, *Hobbeſianis*, *Eraſtianis*, *Remonſtranto-Socinianis*, eorumque ſequacibus; non magis contemnimus, & blaſphemamus Magiſtratus ſupremos & ſubalternos (uti valdè imperitè aut improbè hoc orthodoxis impingebant adverſarii); quam reformati ſanctiſſimam virginem Θεοτόκον, cum illi religioſam adorationem, & mediationem apud Deum non attribuunt. *Reſp.* 3. Dato, competere Magiſtratui mandandi poteſtatem: ipſi Remonſtrantes Magiſtratui municipali e. gr. *civitatis Roterodamenſis*, aut *Alckmarianæ*, aut *Monachodamenſis*, aut toparchę alicui, quamvis cauſæ ſuę faventiſſimo, non tribuiſſent talem poteſtatem in ſynodum Hollandicam; ſed Illuſtr. Hollandię Ordinibus.

4. *Except.* Magiſtratus loci poſſet commodato ſumere: quod ſi à ſynodo aliquando hoc curari voluerit, id merę συγκαταβάσει & indulgentiæ ipſorum

Digitized by Google

rum imputandum eſt : Si aliquando jure ſuo uti noluerint, non tamen jus illud ipſis negandum eſt. *Reſp.* Hoc tantundem eſt, ac ſi dicas, poſſe Magiſtratum urbicum, paganum, oppidanum, aut toparcham, ſecluſo ſynedrio, eoque non audito, immo & invito, miniſtros pro arbitrio ſuo, aliunde vocare & in eccleſiâ illâ conſtituere. Nititur hæc aſſertio πρώτῳ ψεύδει de immediata & formali poteſtate Magiſtratus in ſacris & eccleſiaſticis; ab Eraſtianis, ab Hobbeſio in ſuo Leviatham & tract. de cive, Remonſtranto-Socinianis aliiſque *Cæſareo-Papatus* ædificatoribus antehac dictato. Sed pſeudo-axioma illud, ſupra *part.* 1. *lib.* 1. à nobis refutatum eſt. Et vocationem ac conſtitutionem miniſtrorum per Magiſtratum repugnare *juri divino*, antiquo eccleſiaſtico, *catecheſi*, *confeſſioni*, liturgiæ, & ordini noſtro eccleſiaſtico, adhęc communi theologiæ & conſenſui eccleſiarum & theologorum proteſtantium ac reformatorum, ſpecialiter & Belgicorum; ſupra oſtenſum eſt, cum ageretur de jure patronatus.

Inſtantia: Magiſtratus quis eccleſiæ ſuæ miniſtris ex miniſterio ejectis, alios neutrales vocavit, aliquos etiam commodatos ſubinde acceſſivit, abſque ullo eccleſiaſtico judicio, voto, poſtulato intercedente. *Reſp.* 1. Ex hoc anomalo particulari facto, nullum jus edolari poteſt. Quin ipſi juri Magiſtratus, quod à Remonſtranticâ theologiâ temporum (non *Euangeliorum*) per *Joh. Wttenbogardum*, in libro *de poteſtate Magiſtratus*, &c. anno 1610. & per *Hugonem Grotium in Pietate Ordinum*, *anno* 1613. Magiſtratui tribuebatur, directè repugnabat: Illi enim exſertè ſoli Magiſtratui ſupremo, non municipali, poteſtatem illam vindicare conabantur. *Reſp.* 2. Factum illud improbatum non tantum ab eccleſiâ patiente, ſed etiam ab aliis in vicinis provinciis: uti conſtat ex actis *ſynodi Hollandicæ Dordrac. a.* 1590. *artic.* 51. ubi ad querelam eccleſiæ de anomala vocatione & introductione concionatorum quorundam ex *Zuyd-Hollandiâ*, decretum fuit, Remonſtrantiam aliquam *Ill. Ordd.* exhibendam, & concionatores, qui paſſi ſunt ſe ita vocari, *de culpâ ſuâ monendos eſſe ad ſynodum Hagienſem* 1591. cum ab eâdem illâ patiente eccleſiâ ſimiles querelæ delatę eſſent, conſilia de accommodatione concepta ſunt. In ſynodo *Goudanâ anno* 1587. *artic.* 7. decretum, ut *Ill. Hollandiæ Ordd.* demonſtraretur quæ mala exſpectanda eſſent, ſi miniſtri à particulari magiſtratu eligerentur. Sed operæ pretium erit audire celeberrimi tunc temporis theologi *Franc. Junii* judicium de Magiſtratus illius anomaliis in rejiciendis ex miniſterio ſuo miniſtris, in aliis vel commodato ſumendis, vel vocandis ac conſtituendis. In epiſtolis clarorum virorum *à Simone Gabbema anno* 1663. *editis centur.* 3. *epiſt.* 37. *ſcripta* 14. *Decembr.* 1599. *NN.* (hoc eſt, Senatui Ultrajectino, uti ex pręcedente *epiſtola* 36. ad *Grynradium*, & hujus epiſtolæ contentis colligi debet);

Digitized by Google

bet); ubi ſic: „ Oro & obſecro V. A. ut me pro ſtudio & officio meo „ erga Rempub. & Eccleſiarum veſtram expoſtulantem vobiſcum & paucis „ communicantem de rebus veſtris feratis æquo animo, ut feciſtis ante „ paucos annos, & ignoſcatis dolori meo, ſi quid fortè præter exſpecta- „ tionem veſtram quaſi in conſilium videbor mittere. Audio juſſu V. A. „ quemdam nomine Bergerum ad miniſterium verbi in Eccleſiam veſtram „ vocatum eſſe, & Urſinum his paucis diebus abdicatum. Miratus ſum „ non mediocriter utrumque factum; ſed poſterius maximè, quia res ve- „ ſtra & Urſini aliquo pacto eſt mihi cognita. Verum tamen de utroque „ paucis conferentem vobiſcum (ſpero) æquis animis audietis. D. Berge- „ rus hactenus mihi ne de nomine quidem fuit notus in utramvis partem; „ quamobrem eo liberior futurus ſum in ſcribendo, quia nulla odii, nul- „ la gratię ſuſpicio ineſſe poteſt. Siquis me de homine ignoto in Eccleſiam „ ad miniſterium verbi vocando conſuleret, equidem hoc ſimpliciter re- „ ſponſurus eſſem, cùm vocatio Eccleſiaſtica ſit divinæ ordinationis, ac „ non humanæ ſolùm, Deum ante omnia, atque adeò ſolum audiri opor- „ tere (hic enim verè obtinet illud Pauli dictum *Galat.* 1. ſi placere vellem „ hominibus, Dei ſervus non eſſem) Deum autem duo imperare in hoc „ argumento, certam cognitionem ejus qui vocatur, & legitimum voca- „ tionis modum. Siquis ergo ignotus eſt cujus vocatio agitur, certè eos „ qui noverunt audiri neceſſe eſt, ut cognoſcatur via & teſtimonio non „ ſolùm politico vel civili, quod laxius, verum etiam Eccleſiaſtico, „ quod arctius], qualis in repub. qualis in Eccleſia fuerit is, cujus in conſi- „ lium mittitur vocatio. Nam, ut Chriſtus per Paulum præcipit, eum „ oportet irreprehenſum eſſe 1 *Tim.* 3. & bonum habere teſtimonium „ etiam ab exteris, ne in probrum incidat & laqueum diaboli. Tum mo- „ dus vocationis ut ſit liber atque legitimus, intereſt Dei, intereſt Eccle- „ ſiæ, intereſt etiam veſtra, qui expreſſo articulo auctoritate publica per- „ ſcripto ita cautum eſſe Eccleſiæ veſtræ ante annos aliquot (ſi bene me- „ mini) voluiſtis. Hęc omnia ſi in Bergero vocando bene fideliterque pro- „ viſa ſunt, bene eſt. Metuo tamen, & graviter metuo, ut is etiam apud „ exteros bene audiat, qui ne apud domeſticos quidem mihi bene audire „ per omnia viſus eſt: ut ego cùm ipſius, tum veſtra publica & Eccleſiæ cau- „ ſa optaverim; ipſius, quia melior eſt bona fama theſauris multis; ve- „ ſtra, quia hoc quoque ad veſtram exiſtimationem pertinet; Eccleſiæ „ denique, quia pax omnium concutitur, & præripitur omnis ædificatio- „ nis modus, ubi nec bona opinio de aliquo eſt concepta, nec conveniunt „ ab exteris domeſticiſve teſtimonia. Ad Urſinum venio, quem exauctora- „ tum à V. A. audio. Quid agam, Viri Ampliſſimi, credam ne id à vobis

 pla-

,, planè, aut ab aliquo ſpecie auctoritatis veſtræ fuiſſe factum? Jubent me
,, boni quidem credere: non credere jubet bona de vobis opinio. Quid
,, enim? credamne vos publicum incendum Eccleſiæ veſtræ non ita pri-
,, dem feliciter eluctatos nunc infeliciter in idem malum ruere quodam (ut
,, ita dicam) infortunio Reipub. & Eccleſiæ veſtræ? Verum tamen feciſſe
,, ſtatuam, ut mihi ſit agendi cum A. V. ſuper ea re argumentum. Pono
,, igitur ſic factum eſſe. Cauſam, modum, eventum contemplemur. Urſi-
,, nus abdicatur aut rei alterius, aut vocationis Bergericæ cauſa, quod in-
,, terceſſerit, & ſi quid eſt ejuſmodi. Ob rem alteram non putem, cùm
,, ſciam hominem integrum vitâ & doctrinâ eſſe; ergo ob cauſam Bergeri
,, factum eſt. Cur autem, obſecro? an quia interceſſit & oppoſuit ſe, do-
,, nec planè fuiſſet cognitum? Videte, Viri Ampliſſimi, quam procul ab
,, eo judicio abſim. Bonâ veniâ veſtrâ hoc mihi licebit ex Scriptura dicere,
,, ſi non interceſſiſſet, ubi certum de Bergero non habuit legitimumque te-
,, ſtimonium, contra officium veniſſet. Jubet enim Dominus Servis ſuis
,, in Eccleſia videant, ne citò cuiquam imponant manus. Qui citò aut
,, temere id faciunt, reprehenſione digni ſunt; non qui religioſo metu pe-
,, detentim procedunt in vocationis divinæ exploratione. Si quid tumultariè
,, factum eſt; non deprecabor: ſed ſi in Presbyterio ex officio & fide (ut
,, factum arbitror) amplius deliberandum cenſuit; duo reputetis obſecro
,, per ſanctiſſimum Dei nomen; unum, qui foras iſta efferunt quæ in
,, conſilio Presbyterii aut alio ullo dicuntur, non agere bona fide, nedum
,, fraterna charitate: alterum, nullo jure divino aut humano quemquam
,, pro ſententia liberè in collegio dicta multari poſſe. Hoc enim ſi licet,
,, quæ unquam libertas in conſiliis futura eſt? Ad modum venio; delator
,, auditur, qui ex collegio eliminat contra officium viri boni & Chriſtiani
,, fratris; accuſatus ſi non auditur, ſi inauditus damnatur, per Deum im-
,, mortalem quis hanc rationem probaturus eſt? Non puto id à V. A. fa-
,, ctum; ſi factum eſt, aliquo alio fine factum puto: de quo quia non
,, cognovi, tantum V. A. rogatas velim, ut à fervidis præcipitibuſque
,, conſiliis eos revocetis auctoritate prudentiaque veſtra, qui rem eò dedu-
,, ctam volunt. Et quem eventum res habitura ſit, quæſo; expendite. Ju-
,, dicia bonorum quę foris, quæ domi futura ſint quum reputo, equidem
,, perhorreſo; diviſiones & domi & foris, incendiumque illud ſopitum de-
,, nuò redardeſcens; gravia denique, graviora quam putetur, in repub. Ec-
,, cleſiaque incommoda. Ebiatharem Sacerdotem lęſæ Majeſtatis reum
,, Salomo rex ille ſapientiſſimus non eſt ultus gravius quam prout Urſi-
,, num ulciſci volunt qui vobis ſunt conſilii iſtius auctores. Quæ cum ita
,, ſint, oro & obteſtor V. A. ne vos in conſilia ejuſmodi ſinatis abripi; date
illud

Digitized by Google

„ illud Chriſto Domino & Servatori noſtro, qui nos vindicat & à peccatis „ noſtris; date Eccleſiis quę laborant omni pietatis ſtudio pro ſalute veſtra; „ date Eccleſię & reipub. veſtræ, quæ nihil niſi damnum ex actione hac ſenſura eſt; date mihi, quem confirmo in hac cauſa eſſe, ſi unquam fui, „ cupidum tranquillitatis & ſalutis, & honoris veſtri. Efficite ut Deus in „ vobis via pacis charitatiſque honoretur; ita vos amet & honoret DEUS „ OPT. MAX. & me fufferte vero ſtudio & amore veſtri apud V. A. pro „ veſtra exiſtimatione laborantem.

Hactenus Junius. Qui idem, eidem ſenatui ſtudium veræ religionis & diſturbatæ ac diſparſæ eccleſiæ reſtituendę præ ſe ferenti, *anno* 1597. dedicatoria Analytico commentario *in Exodum* præfixæ quædam inſparſerat, quę rerum geſtarum gnaris ſatis indicant, quid de actionibus Magiſtratus illius circa eccleſiaſtica cenſuerit. Nota *Bergerium* cujus meminit *Epiſtola Junii* abſque ullâ electione aut vocatione eccleſiaſticâ *à Magiſtratu anno* 1599. hic intruſum, & doctrinâ & vitâ morbidum, omni miniſterio indignum fuiſſe: & *anno* 1605. ut talem ab eccleſiâ approbante Magiſtratu depoſitum fuiſſe. De quo vide *hiſtor. eccleſ. Clariſſ. D. Triglandii.*

XII. *Quæſt. An in antiquâ eccleſiâ commodationes, & translationes miniſtrorum illicitæ fuerint? Reſp.* Videtur ex canone aliquo tale quid collectum fuiſſe ab iis, qui reſiſtebant Procli vocationi *ad ſedem Conſtantinopolitanam.* De quo *Socrates lib. 7. hiſtor. eccleſ. cap.* 35. ubi ait, *illos hoc aſſerentes, videri vel ex invidiæ adverſus Proclum eadem confinxiſſe: vel tum canones, tum alias ad eccleſiarum utilitatem non raro geſtas, penitus ignoraſſe.* Idem variis exemplis tranſlationem probat; Alexandri à civitate quadam Cappadociæ Hieroſolymam, apud *Euſeb. lib. 6. cap.* 9. Perigenis à Patrenſi eccleſiâ ad Corinthiacam; *Nazianzeni* à *Saſimorum* urbe in Cappadociâ, Nazianzum; Meleſii, ab eccleſiâ Sebaſtienſi ad Antiochenam; *Doſithei* à Seleucienſi ad Tarſenſem in Ciliciâ: Addit &, *Berentii, Johannis, Palladii, Alexandri, Hieropuli,* &c. Canonem ab illis prætenſum, ibidem exhibet: „ Si quis epiſcopus ad aliquam eccleſiam regendam deſignatus, ad „ eam non iverit, cum illud ob ſuam ipſius culpam, ſed vel quod popu- „ lus illum rejecerit, &c.

Ejectio miniſtrorum ex functione miniſterii per Principem aut Magiſtratum, eſt vel *directa*, vel *indirecta & conſecutiva.* §. 3.

I. *Directa* rurſum, eſt vel ad tempus, vel abſoluta, totalis, & in perpetuum. *Illa* eſt ſequeſtratio, ſeu ſuſpenſio ab ordinariâ functione miniſteriali in illâ eccleſiâ. *Iſta*, eſt totalis & peremtoria prohibitio publicę functionis in illâ propriâ, & in aliis eccleſiis Principi aut Magiſtratui ſubjectis. Utraque vel eſt ob cauſas politicas, vel ob mere eccleſiaſticas.

 II. *In-*

Digitized by Google

II. *Indirecta* ſeu conſecutiva eſt cum princeps aut Magiſtratus, ſive juſtè, ſive injuſtè, ob cauſas politicas, aut eccleſiaſticas, directè miniſtrum ad perpetuum carcerem condemnat; aut in inſulam aut virum aliumve locum à loco eccleſiæ remotum (ex. gr. Anathot. 1 *Reg.* 2. aut Pathmon *Apocal.* 1.) deportat; aut proſcriptione, aut perpetuo exilio multat; aut etiam extremo ſupplicio afficit. Ad quod ſequitur, remotio à functione miniſterii, ſeu curſus miniſterii abruptio.

I. *Quæſt. An miniſter ob delicta ſive publica ſive privata pœnâ tali à Magiſtratu puniri poſſit, quæ inferat abruptionem miniſterii, aut ceſſationem ab eo? Reſp.* Aff. Quia in civilibus & criminalibus Magiſtratui juxta cum aliis civibus ſubjectus eſt: uti alibi contra Pontificios probatur, ex *Rom.* 13. *v.* 1.-7. &c. Quod autem hac ratione tollitur miniſterium aut functio ejus, id totum eſt per accidens: atqui propter conjunctum per accidens, τὸ per ſe & directè agendum omitti non debet. Magiſtratus quæ Deus conjunxit, κύριῳ λόγῳ πρώτως (*Math.* 5. & 19.) ſeparare non debet: ſed cum maritum N. capitali ſupplicio juſtè afficit, propriè & directè non ſeparat maritum ab uxore, ſed tantum per accidens: ſeparatio enim illa ſequitur aut concomitatur mortem mariti.

II. *Quæſt. An ſolius Magiſtratus ſit, directè & per ſe deponere aut ſuſpendere miniſtrum à miniſterio; invitâ aut etiam inſciâ eccleſiâ, ejuſve ſynedrio, idque ob cauſas merè eccleſiaſticas? Reſp.* Cum ejuſdem poteſtatis ſit inſtituere & deſtituere: Et Magiſtratui electio, vocatio & inſtitutio miniſtri in hâc illâ vel eccleſia non competat, ex jure divino, antiquo eccleſiaſtico, doctrina & ordine reformatorum (ut ſupra ſatis ſuperque probatum eſt); Præterea ſuſpenſio, aut depoſitio à miniſterio ſit gradus aut modus cenſuræ eccleſiaſticę; ſicuti ſuſpenſio à cœnâ, aut excommunicatio membri eccleſiæ: ſequitur à ſolo Magiſtratu directè & primò non eſſe deponendum aut ſuſpendendum miniſtrum. Si tamen hoc faciat; & miniſter cum eccleſia, quia impedire non poteſt (quod illis non ſit poteſtas armorum realium 2 *Cor.* 10. *v.* 3.) hoc pati debeat: glorioſè patiatur. *Sponte non cedam, coactus non reſiſtam, ajebat Ambroſius. Melchior Sylveſter Eckhardus in Paſtore* conſcientioſo, *claſſe* 1. *quæſt.* 8. *pag.* 19. ſic quærit.

„ *Si* Magiſtratus *Pontificius Orthodoxos verbi miniſtros ob zelum, quo Errores Papiſticos publicè inſectantur, loco moveat, iiſque alios ſinceros quidem, at mitiores, licet donis Anteceſſoribus ſuis impares, ſubſtituat, repugnante utrique facto Eccleſiâ,* Quæritur, *num Succeſſorum vocatio pro legitimâ habenda, & illorum Miniſterio utendum ſit?*

Et reſpondet ibidem *pag.* 19. „Occurrit circa hanc Quæſtionem ſententiarum divortium, quibuſdam *rigidè negantibus*, quibuſdam contrà *circumſpecte*

Digitized by Google

„*cumſpecte affirmantibus.* Pro affirmativâ diſtinguendum eſt *inter Eccleſiam liberam & preſſam.* In Eccleſia *liberâ* talis vocatio nullo pacto locum „habet: Etſi enim *Jus Patronatus* ſit penes Magiſtratum, non tamen ſine „Eccleſiæ conſenſu Miniſter ab officio removeri poteſt. Quod ſi in Eccle„ſia *preſſa* tale quid de facto contingat, Eccleſiæ quidem eſt jus ſuum, „contra vim imminentem, quantum poteſt, ſalvum & integrum certis „rationibus tueri, Magiſtratui tamen terminos poteſtatis ſuæ excedenti, „& Jus Paſtores conſtituendi & deſtituendi ſibi ſoli arroganti, pręfractè „& obſtinatè reſiſtere non poteſt, abſque *evidenti periculo*, ne puræ reli„gionis exercitio, cum multarum animarum diſpendio, prorſus fraude„tur. Et quamvis hæc vocatio non *omni ex parte* ſit plena & legitima, „(deficit enim conſenſus eccleſiæ, quem alias omninò oportet accedere) „non tamen omninò pro *nulla* habenda, quia Magiſtratus, licet diverſæ „religionis, hactenus Eccleſię illius *Nutritor & Patronus* audire vult, quod „ſinceros in doctrinâ Miniſtros, tametſi non ex voto, Eccleſiæ præficiat. „Quod ſi ergò Orthodoxorum quiſquam, eo modo vocatus, publici ſui „officii partes dextrè exequatur, auditorum eſt *officium ipſum* intueri, non „*modum*, quo ad illud pervenit, neque quidquam de verbi efficacia, quæ „non à *dignitate perſonæ*, ſed è *Dei ordinatione* dependet, addubitandum. „Volum. II. Conſ. Dedeck. pag. 97. & App. p. 179. In Eccleſiâ *preſsâ* mul„ta (modò cœleſtis veritatis confeſſioni non adverſentur, aut conſcien„tiam periculosè gravent) ſunt ferenda, quæ in Eccleſia *liberâ* non ad„mittenda. Præſtat ergò cum gementibus ſub jugo, de ſtricto jure, ad „gravius malum declinandum, nonnihil remittere; quàm omnia ad vivum „reſecare, & diſputando moroſius exagitate. Interim caveat etiam atque „etiam eo modo vocatus, ne in gratiam ſuperiorum *publicum adulatorem* „*& veritatis proditorem* agat, neve blandimentis auditoribus ſuſpicionem „moveat, quaſi cum juratis Euangelii hoſtibus colludat, ſuoque ſilentio „eorundem Erroribus & technis calculum adjiciat; ſed ita tam docendo, „quam refellendo ſe gerat oportet, ut omnibus palam ſit, ſe nihil, quod „ſuarum partium, ſubdolè intermittere; ſic omnium bonorum applauſu „& commodo officio ſuo præeſſe poterit.

Hæc analogicè applicanda ſunt depoſitioni miniſtri per Magiſtratum aut Principem, aut toparcham, eandem religionem cum & in eccleſiâ illâ profitentem: ſic tamen, ut omnibus dehortationis motivis, apud deponentem aut expellentem propoſitis; aut imploratione auxilii Magiſtratuum ſive ſuperiorum, ſive inferiorum (ubi ſecundum politiam & regimen in iſtis aliiſque caſibus illud rite fieri poteſt) tum à miniſtro injuſtè depoſito aut expulſo, tum ab eccleſiâ illâ, ejuſque claſſe & ſynodo tenretur fini-

ſtræ illius ſententiæ ſive reſciſſio, aut irritatio. *Carpzovius, lib.* 1. Juriſprudentiæ conſiſtorialis *tit.* 3. *difinit.* 41. negat, patronis, Magiſtratibus, nobilibus in pagis jus deponendi miniſtrum competere: quamvis quandoque hoc ſibi affectent, prætexentes regulam juris: *Quod is habeat jus dimittendi, qui habet jus vocandi paſtorem.* Sed reſpondet ſecundum ordinem in *Saxonia*, & aliis Germaniæ partibus receptum ac ſtabilitum, paſtorem non lubitu ſolius patroni, ſed conſenſu & approbatione totius eccleſiæ (cleri ſcil. Magiſtratus, ac plebis: uti probârat *d. tit. definit.* 27.) vocari; & depoſitionem pertinere *ad Epiſcopum*, ſi iſtic ſit, & ad conſiſtoria eccleſiaſtica. Et citat pro hac ſententiâ *Balduini caſus conſcientiæ lib.* 5. *cap.* 5. *caſ.* 12. *Theodorum Reinking J. C. lib.* 3. *de regim. ſecul. & eccleſiaſtico claſ.* 1. *cap.* 9. *num.* 37. & ICC. ac Canoniſtas quoſdam Pontificios, qui patronis & Magiſtratibus jus deponendi negant, & Epiſcopis tribuunt. Ibidem citat ordinationem eccleſiaſticam Elector Saxonici, & Reſcriptum conſiſtorii ſupremi 12. *April. anno* 1631. Et rationes has allegat, quod remotio miniſtrorum ſit actus juriſdictionalis; & epiſcopus, non patronus juriſdictionem eccleſiaſticam exerceat: & quod tandem metuendum ſit, ſi jus remotionis patrono competeret, ſæpe leviculam „ob cauſam (& quidni πρόφασιν cauſę non cauſæ) eccleſiam orbatam iri „paſtoribus; qui cum timore remotionis, officium eſſent facturi, aut ad „placitum patronorum vivere ac docere cogerentur: quorum utrumque „ab intolerabili tyrannide parum abeſt, *Balduin. dict. caſu conſcientiæ*, in „principio. Hactenus *Carpzovius*.

Ut videas aliquem illic eſſe recurſum miniſtris per patronos aut Magiſtratus depoſitis, ad judicium conſiſtorii; & conſequenter, hâc in parte, eſſe conditionem longè meliorem talium miniſtrorum, quam eorum quos Magiſtratus aut toparcha pro arbitrio (ſępe ob bene dicta aut facta, exemplo *Achab.* 1 *Reg.* 22. *v.* 26. 27. *Jeroboami* 1 *Reg.* 13. *v.* 4. 2 *Paral.* 16. *v.* 10. *Amaſia* 2 *Paral.* 25. *v.* 16.) deponit aut expellit. Jeſa. 29. v. 20. 21. *Cum ſuccidentur omnes invigilantes iniquitati. Peccare facientes hominem in verbo, & increpanti in portâ laqueos tendent: & declinare fecerunt in inanitate* (בַּתֹּהוּ) *juſtum.*

Quęſtio hic movetur, An miniſter ad mandatum Magiſtratus oppidani, aut nobilis pagani, aut toparchæ, à miniſterio deſiſtere, aut oppidi pagove excedere debeat; an præſentem & violentam per apparitores impeditionem actus miniſterialis, aut ex oppido pagoque eductionem exſpectare? Sed pro ſtatu rerum, & ratione circumſtantiarum, poſſent prudentes conſultores miniſtro patienti, prius aut poſterius conſulere. *Henricus Gebhardus al. Weſenerus JC. in tract. de poteſtate eccleſiaſticâ Jenæ* 1627. edita

Digitized by Google

edita in 8. *pag.* 314. aliquid circa hanc quæſtionem dicit, non tamen ſatis diſtinctè determinat. „Divus, inquit, Ambroſius, cum ex Juſtinæ „Imperatricis mandato de Eccleſia juberetur exire; *Hoc ego*, inquiebat, „*ſponte non faciam, ne lupis ſepta ovium tradere & prodere videar. Hic* „*ſi placet, occide, hoc loco mortem prona ſuſcipiam voluntate. Niceph. l.* 12. „*c.* 19. *Hiſtor. Tripart. lib.* 9. *c.* 20. Bernhardus quoque ad eum reſcribens, „qui Eccleſiam ſuam cui præerat, relinquere volebat: qua ratione in quie- „tus curam tibi creditam animarum exponere debeas, omninò non vi- „deo. Alligatus es uxori tuę; noli quærere ſolutionem. 1 *Cor.* 7. ma- „trimonium ſpirituale cum Eccleſia uti matrimonium carnale eſt indivi- „dua vitæ ſocietas, *c. ſi vir.* 3. *q.* 1. Obligaſti te Eccleſiæ, *niſi* §. *verum de* „*renunciat.* cui in vitæ renunciare non potes, *L. ſecundum de R. J.* in præ- „judicium ſcilicet Eccleſiæ, *c. non oportet.* 7. *q.* 5. *c. mulieri* 33. *q.* 5. Ne „quidem in perſecutionibus. Hinc Nicolaus Papa ab Epiſcopo quodam „conſultus: an Eccleſiam ſuam adverſis perſecutionum periculis agita- „tam relinquere poſſit? Si pernitioſum eſt, inquit, proretam in tranquil- „litate navem deſerere, quantò magis in fluctibus? *c. ſciſcitaris* 7. *q.* 1. „Indecens eſt, prius ſolvere militiæ cingulum, quam cedat victoriæ ad- „verſitas pręliorum *c.* 1. *extra. de renunciat.* Ex quibus conſtare poteſt, il- „lud olim etiam in Eccleſia obtinuiſſe, ut quiſquis vel Sacerdos ordina- „tus, vel Epiſcopus conſecratus fuerat, non utique ei poſtea licuiſſe onus „ſivè honorem injunctum libere, quandocunque vellet, deſerere; munuſ- „que ſemel ſuſceptum reſignare & permutare. *c. ſanctorum* 20. *diſtinct.* „*Novell.* 3. *c.* 2. *Nov.* 5. *c.* 7. *Nov.* 123. Meminit Tertullianus Socratis Græ- „ci, & Catonis Romani, qui uxores ſuas amicis communicaverunt. *Ter-* „*tull. in Apologet. Salvianus lib.* 8. *de gubern. Dei. Sic & Ammianus Marcel-* „*linus lib.* 14. refert: Saracenos habuiſſe uxores precarias, atque eas data „acceptavè mercede ad tempus conduxiſſe, refert *Annaus Robertus lib.* 1. „*rer. judicat.* 7. ubi ſubdit: Hos ergo nequitiæ ſuæ patronos advocent iſti „viles, profani, & ſimoniaci rerum divinarum negotiatores, dum pro- „miſcuis reſignationibus & permutationibus beneficia & Eccleſias, quæ „Prælatorum ſpirituales ſunt uxores, avara nundinatione mercantur, & „mutata fide habita inter ſe commutant. Hoc verè eſt ædificare Sion in „ſanguinibus, & Jeruſalem in iniquitate. Hoc eſt dignitatum Eccleſiaſti- „carum apicem & Dei ſanctuarium jure hereditario contra canones „tranſmittere. *c. conſuluiſti extra de jure Patron.* Hæc fuit Janua, per quam „lupi in ovile irrumpentes cuncta hæreſibus infecerunt, & oves dignis pa- „ſtoribus deſtitutas abegerunt. Hinc vitiorum ſuccreſcentium prima ori- „go: Hinc deformitatis Eccleſiam maculantis prima labes: tum denique re-

„regulas Chriſtianæ diſciplinæ vidimus perverti, omniaque ex illo fluere „ac retrò ſublapſa referri. Addamus cum Poeta, *fracta vires* aut potius „*Fracti mores, averſa Dei mens*, ut eſt apud *Virgilium lib. 2. Æneid.* Ipſa „experientia docet, plerumque iſtos Eccleſiæ miniſtros, magnis malis & „ærumnis implicari, qui ſuos auditores & oviculas temerè, & non niſi „ſumma cogente neceſſitate deſerunt, inquit *D. Simon Pauli p. 1. methodo- „rum cit. de eccleſia p. 289.*

Recolligamus nunc oppoſita vocationis, tum primariò tum ſecundario, tum directè tum indirectè aut minus directè. Et ſunt.

I. *Intruſio*, qua quis ſeipſum intrudit, ſeu *curſus* (*Jerem. 21. v. 21.*) abſque ullâ vocatione aut miſſione.

II. *Jactata* & pretenſa vocatio miſſio extraordinaria atque immediata à Deo: ſive ex corde ſuo id fingant; ſive à diabolo decluſi ſint interna aliquâ ſuggeſtione per raptum ſeu ecſtaſim diabolicam; aut externa apparitione & alloquio. *Internæ* ſuggeſtionis, allocutionis, viſionis, exempla habemus in *Sibyllis*, *Pythoniſſis*, & fatidicis inter Gentiles & in primorum *Anabaptiſtarum* pſeudoprophetis in Hollandiâ & Monaſterii: quæ nos tangimus in 2. *part. ſelect. diſp. tit.* de prophetiâ §. 11. Et tit. de probationibus ſpirituum *part. 2. §. 2.* *Externæ* apparitionis & allocutionis exemplum dedit David Georgius de cujus viſione externè ipſi objecta, *tit.* & §. *cit.*

III. *Jus patronatus*: de quo ſupra ſatis ſuperque.

IV. *Epiſcopalis* electio, aut inſtitutio, aut conſtitutio, aut vocatio.

V. *Politica* vocatio, aut electio, aut conſtitutio, aut inſtitutio (verè obtruſio & intruſio) facta à toparcha, ſatrapa, Magiſtratu. Cujus illuſtria ſpeciminâ olim data Ultrajecti a. 1591. & temporibus Remonſtranticis *Buræ*; ubi *Albertus Huttenus* anno 1616. (ſi bene memini) intruſus abſque ullo ſynedrii & membrorum eccleſiæ conſenſu, ſive antecedente, ſive concomitante, ſive conſequente. Qui ibidem à miniſtro claſſis Gorinchenenſis peregre per ſatrapam accito in miniſterio confirmatus eſt: quamvis uſurpans & ἄτακτος ille confirmator monitus à ſynedrio ſeu ſenioribus iſtius eccleſiæ ne confirmationem perageret, dimidiâ horâ ante inchoatam concionem iiſdem ſolenniter promiſiſſet ſe non facturum. Ad hanc vocationem reducitur aliquomodo palliata illa obtruſio, cum Magiſtratus aliquos proponit aut nominat ſynedrio, ex quibus unum eligere cogitur; aut cum ſynedrio relictâ nominatione, Magiſtratus aut toparcha unum ex tribus quatuorve nominatis eligit. Quâ pragmatiâ aliquando ille quem jam ante delegit aut præſtituit toparcha aut Magiſtatus in eccleſiæ iſtius miniſtrum, aut cui ſive mediate ſive immediate miniſterium illud promiſit, aut

Digitized by Google

aut etiam dedit & contulit, compareat inter nominatos à ſynedrio: hic jam non referam. Ad politicam electionem & vocationem liberæ eccleſiaſticæ vocationi repugnantem, etiam reduci poteſt, cum à Magiſtratu aut toparcha deſignatus, & præſtitutus, à ſynedrio, aut parte aliquâ ſynedrii volente nolente, per ſubſequentem aut conſequentem vocationem vocatus, claſſi offertur, ejuſque approbatio obtinetur.

VI. *Inveſtitura*, quam vocant, tempore Papatus à regibus aut Principibus ſæcularibus uſurpata: ad quam Cæſareo-Papatuſ ædificatores, Magiſtratui vocationem miniſtrorum tribuentes, provocare ſolent. Sed fruſtra. Aut enim inveſtituram illam ſibi vindicârunt tanquam eccleſiaſticè electi & vocati epiſcopi ſubſequentem approbationem: ipſorum enim erat providere an talis epiſcopus iſtic reſidens ſtatui & tranquillitati Reipublicæ non præjudicaret. Qualem politicam Magiſtratus approbationem ſive generalem & implicitam, ſive ſpecialem & explicitam circa vocationem miniſtrorum, ſupra explicuimus: & tunc nihil facit ad probandum jus patronatus, aut jus electionis & vocationis miniſtrorum Magiſtratui vindicandum. Aut inveſtitura illa erat epiſcopi quà principis politici, non quà epiſcopi eccleſiaſtici; ſeu reſpiciebat non epiſcopatum eccleſiaſticum, ſed principatum ſæcularem epiſcopatui annexum ac connexum. Et tunc ad miniſtri ſeu paſtoris eccleſiaſtici vocationem per Magiſtratum probandam abſurdè adducitur. Notandum illud *Joh. de Beka* in hiſtoriâ epiſcopor. Ultrajectin. *in Goſuino epiſc.* 37. „Dominus autem Cardinalis ad poſtulationem archiepiſcopi Colonienſis ex tunc *Henricum de Vianâ* cathedrari juſſit, *cui ſimiliter & ipſe rex per paſtoralem baculum & annulum, temporalem iuriſdictionem dedit.*

VII. *Simoniaca* electio aut vocatio. Quando ſcil. aliqua ex tribus ſimoniæ ſpeciebus intercedit: de quibus in 4. *part. ſel. diſpp. tit. de Simoniâ.* Ad hanc refer interceſſionem cujuſvis contractus innominati, *do ut des*, *facio ut facias*, &c.

VIII. *Exſpectativa* ſucceſſionis. De quâ Canoniſtæ; & nos ſupra.

IX. *Vicariatus*: cum promiſsâ ſucceſſione. De quo Canoniſtę.

X. *Commenda*, de quâ Canoniſtę, & nos ſupra.

XI. *Ambitus*, & *Mendicatio.*

XII. *Permutatio*: de quâ ſupra.

XIII. *Tranſlatio* aut *tranſitio*, ad aliam eccleſiam: quæ quando licita aut illicita, ſupra determinatum eſt.

XIV. *Vocatio conditionata*, id eſt, cum conditione, ſeu ex hypotheſi, & intercedente iniquâ ſtipulatione. Quales patronorum vocationes aliquando accidere, aut accidiſſe experientia docuit; & conqueritur ſynodus

 Gro-

Digitized by Google

Groningo-Drentica in libro Joh. Aronii anno 1605. Groningæ edito in 4.

XV. *Coadjutoria*: de quâ ſupra.

XVI. *Non reſidentia*, & *pluralitas beneficiorum*: de quibus ſupra. Ad. de autoribus ibi cit. Hieronymi Gigantis tract. de reſidentiâ epiſcoporum.

XVII. *Penſiones* ſeu penſionum ſtipulatio; quæ tanquam hypotheſis & *conditio ſine quâ non*, antecedunt peremptoriam electionem aut vocationem, ad munus eccleſiaſticum. *Hieronymus* Gigas Foroſempronienſis anno 1562. peculiarem tract. edidit de *Penſionibus* eccleſiaſticis, 100. quæſtiones, & quinquaginta reſponſa in materiâ penſionum continentem: qui tractatus recuſus eſt *anno* 1619. Coloniæ, ſumtibus *Petri Henrici in* 8.

XVIII. *Reſignatio*: De quâ Canoniſtæ.

XIX. *Regreſſus*: De quo Canoniſtæ.

XX. *Subrogatio*, ejuſque reſcriptum, & Reſcriptum per diſpenſationem. De quibus Canoniſtæ.

XXI. *Annata*: de quarum origine *Steph. Paſchaſius lib.* 3. *Recherces cap.* 23.

XXII. *Gratia* & *Indulta* Apoſtolica; de quibus Canoniſtæ, & Sanctio pragmatica, cum commentar. *Guinieri*, &c.

* APPENDIX.

Quia hoc capite, & proximè præcedentibus jam excluſis, nonnulla vel hæſitatione aliquâ, vel incidente diverticulo, non inſerui, de quibus alioquin inſerendis antea cogitâram: viſum eſt, occaſione nunc χρόνῳ obſtetricante, & re proprius inſpectâ ac deliberatâ, per appendicem hic exhibere. Quia autem mentionem feci petitionum ſeu *Remonſtrantiarum Illuſtr.* & *Potent. Hollandiæ Ordd.* oblatarum; exemplar unius Remonſtrantiæ contra jus Patronatus, *Nobiliß. ampliſſ.* & *prudentiſſimis civitatum Hollandicarum Magiſtratibus, per deputatos ſynodales* tranſmiſſæ, hic typis deſcribendum do: ut videant juniores quæ fuerit perpetua eccleſiarum & fidelium Dei miniſtrorum ſententia.

De

Digitized by Google

DE
JURE PATRONATUS.

EXTRACT.

Uyt ſeeckere Remonſtrantie, aengaende het Jus Patronatus, by de gedeputeerde des Synodi van Zuyd-Hollant, ende des Claſſis van Leyden overgeſonden aende Reſpective Vroetſchappen van Hollant en Weſt-Vrieſlant.

Achtbare wijſe en voorſienige Heeren.

„ DE Gedeputeerde des Zuyd-Hollandſchen Synodi ende Claſſis van „ Leyden, hebben uyt laſt des ſelven Synodi laetſt gehouden tot „ Gorinchem, aen hare Ed: Groot-Mogende op den 22. Septembris, deſes „ Jaers in't breede geremonſtreert den droevigen toeſtant der Kercke van „ Woubrugge, dewelcke nu byde 2. Jaren langh onvoorſien blijft van „ een wettich ordinaer Dienaer, &c. niet door nalatigheyt en gebreck „ vande Kercken-Raden ende Lidtmaten der Gemeente, &c.

„ Ende om dat aen d'ander ſyde d'Ed: Heer van Woubrugge ſich een „ abſoluyt recht in deſen aennemende ſuſtineert uyt kracht van het Jus Pa- „ tronatus, over de Kercke ſodanich recht te hebben dat ſijne Ed: vermach „ een Predicant te verkieſen, en te beroepen, ſonder eenige kenniſſe, veel „ min bewilliginge of toeſtemminge der Gemeynte, volgens welcke ſu- „ ſtenue, &c.

„ Soo iſt nochtans, dat nademael het de Heeren Ed: belieft heeft deſe „ particuliere ſaecke van *Woubrugge* haer allen gemeen te maken, ende al- „ ſoo aenleydinge te geven om eenmael over het Jus Patronatus, en d'oeffe- „ ningh van het ſelve, met het welcke de Gereformeerde Kercken langen „ tijt ſijn beſwaert geweeſt, en dagelix meer beſwaert werden, ende waer „ over de ſelve ſoo meenichmael by haer Ed: Groot-Mogende hebben gedo- „ leert ende verſocht van dien onchriſtelicken en ondraeghlicken laſt ontſla- „ gen te mogen ſijn, te handelen: de voorſz Gedeputeerde nodich geacht „ hebben in deſe Kerckelijcke materie, hare Ed: Groot-Mogende eenige „ bedenckingen over het ſelve Jus Patronatus, en d'oeffeningh van dien „ eerbiedelijcken aen te dienen, en te verſoecken, &c.

„ Welcke bedenckingen de Gedeputeerde voornoemt oock goet en no- „ digh gevonden hebben, in't kort uwe Achtbare voor te dragen, &c.

Digitized by Google

„ Verſoecken dienvolgens gantſch eerbiedighlijck dat uwe Achtbaerh.
„ voornoemt.
„ Daer op neerſtigh believe te letten en toe te ſien, dat het Jus Patro-
„ natus, 't welck in Godes H. Woort niet gefondeert, maer alleen in de
„ Pauſſelijcke rechten gegrondt is, in ſijn gebruyck in de Kercken deſer
„ Landen niet verder ingevoert en werde, als 1. Godts Woordt, ten 2. de
„ Nederlantſche confeſſie, en andere voornaemſte in ordre en leere der Ge-
„ reformeerde Kercken van Chriſten-Rijck: ten 3. de practijck vande eerſte
„ Kercke: ten 4. de conditien, eygenſchap en vryheyt der Gereformeer-
„ de Kercken, hier te Lande toe laten.
„ * *Eph.* 4. 11. 12. *Act.* 13. 2. ende 20. 28. ende 24. 3 *Tit.* 15. 1 *Tim.* 4. 4.
„ Want I. Godts H. Woort ſeght wel uytdruckelijck dat Chriſtus ſijne
„ Gemeynte Herders en Leeraers heeft gegeven, ende beveelt deſelve
„ Herders en Leeraers de beſorgingh en regeeringh der Kercke, oock om
„ met toeſtemminge der Gemeynte dienaren des Woorts te beroepen en te
„ verordenen. In welcke en diergelijcke Schriftuer-plaetſen blijckt, dat
„ Wereltlijcke Patronen, en dan noch ſulcke die vreemt ſijn vande Gere-
„ formeerde Religie en Godts-Dienſt, eenige maght of geſagh in deſe ſou-
„ den hebben: maer wel dat de verkieſingh beroepingh en inſtellingh der
„ dienaren ſodanigen werck is, 't welck niet dan door wettige opſienders
„ der Kercke met toeſtemminge der Gemeynte, en mach, noch en kan
„ uytgevoert werden: en dienvolgens den Kercken en mach werden be-
„ nomen, ſonder de wille Godts tegen te gaen, en ſijn ordonnantien te
„ verbreecken.
„ Ten II. De Nederlantſche belydeniſſe des gelijck, dewelcke in de leſte
„ gehouden Synode Nat. tot Dordrecht van alle de aenweſende verklaert
„ is den Woorde Godts gelijckformigh te weſen, en derhalven den na-
„ komelingen ſonder eenige veranderingh moſt nagelaten worden (welck
„ oordeel de Hoogh Mog. H. Staten Generael begeeren dat kraghtigh en
„ bondigh ſal ſijn, als haer Ed. in de voor-reden van de acten deſſelven
„ Synodi ſpreecken) ſeyt in den 51. Artijckel, dat de Dienaren tot haer
„ Ampten behoren verkooren te werden door wettige verkieſingh van
„ hare Kercken. Deſe van haer Ed. Hoog-Mog. geapprobeerde confeſſie
„ hebben alle dienaren des W. moeten onderteeckenen, ende alſoo, die
„ gelijck beſweerende, verklaren dat deſelve met de H. Schriftuur accor-
„ deert; ſulcx dat ſy van de ſelve noch in't geheel noch ten deele konnen
„ afwijcken, ſonder in meyn-eedigheyt en ongehoorſaemheyt tegen hare
„ Hoog-Mog. ſich ſwaerlijck te vergrijpen: en ſich van d'een-ſtemmigheyt
„ van andere in leer en ordre Gereformeerde Kercken af te ſcheyden, die
oock

Digitized by Google

„ oock de verkieſingh en beroepingh der dienaren verklaren Kerckelijck
„ te moeten geſchieden, als in de Switſerſche *Art.* 17. in de Boheemſche
„ *Art.* 9. In de Franſche *Art.* 31. In de Schotſche *Art.* 22. en in andere
„ diergelijcke te ſien is.
„ Ten III. d'Exempelen van d'eerſte Kercke betuygen oock ſeer naeck-
„ telijck, dat die ordre vande Predikanten te verkieſen en te beroepen, die
„ bequaem en den volcke aengenaem waren, door de Regeerders der
„ Kercke ſtricktelijck is onderhouden en na-gevolght geworden, ſelfs
„ dan wanneer de Magiſtraten geen heydenen, maer Chriſtenen waren:
„ gelijck ſulcx uyt Cypriano die ontrent 250. Jaren na Chriſtum geleeft
„ heeft, *Epiſt.* 35. ad Felicem: uyt *Theodoreto Eccleſ. Hiſt. lib.* 4. *c.* 6. In't
„ Jaer 370. ten tijden des Keyſers Valentiniani: uyt het vermaerde Con-
„ cilie van Niceen, ten overſtaen des Keyſers Conſtantini gehouden *Tom.* 1.
„ *Concil. lib.* 3. *p.* 351. *edit. Colon.* Welck beſluyt ontrent 50. Jaren daer na
„ onder den Keyſer Theodoſio in den Synodo van Conſtantinopolen ver-
„ nieuwt is, als uyt Theodoretus *lib.* 5. *cap.* 9. klaerlijck afgenomen
„ en beweſen wordt. Met welcke ſich oock Leo Biſſchop van Romen,
„ die ontrent 200. Jaren daer na geleeft heeft, *Epiſt.* 39. conformeert,
„ ende is van Carolo Magno ontrent 450. Jaren daer na beveſtight, gelijck
„ *diſtinct.* 63. te ſien is. Oock is het ſelve ſoo nauw onderhouden gewor-
„ den, dat in het 6. *Algemeene Concilium* is beſloten, *diſt.* 63. dat een die
„ op een ander wijſe in den dienſt der Kercke ingekomen ſoude ſijn, ſij-
„ nes dienſts ontſet ſoude werden. Waer mede hare Ed. Groot-Mog. ſich
„ inden Jaere 1618. hebben gheconformeert, als wanneer hare Ed.
„ Groot Mog. gecommitteerden alle de Claſſen deſer Landen, met haer
„ autoriteyt hebben geaſſiſteert, omme alle ſulcke Predicanten die onder't
„ pretext van't Jus Patronatus, ſonder mede gaende Kerckelijcke verkie-
„ ſingh en beroepingh den Kercken opgedrongen waren, oock allen daer-
„ om harer dienſt te ontſetten; gelijck onder anderen eene Lucas Mola-
„ nus, die op ſulcken wijſe in den dienſt van Woubrugge (alwaer nu
„ deſelve ſwarigheyt ontſtaen is) ingekomen was, van ſijn dienſt ontſet,
„ en belaſt is in *collegio ordinum* te blijven. Ende hebben deſelve Gedepu-
„ teerde *ad cauſam* de goede Gemeynte aldaer belaſt, dat's een oprecht ſuy-
„ ver Prædicant ſouden beroepen met advijs des Claſſis en toeſtemminge
„ vande overheyt dier plaetſe. Welcken volgens de Synodus van Zuyd-
„ Hollant gehouden tot Leyden Anno 1619. *Art.* 65. den ſelven Nico-
„ laum verklaert heeft van ſijnen dienſt ontſet te ſijn; ende in de Kercke
„ van Woubrugge eenen Balduinus Hameus door wettige verkieſingh
„ en beroepingh der Gemeynte, ende toeſtemminge vande Ed. Vrouwe

Digitized by Google

„ van Warmondt, in dienſt beveſtight is geworden. Sal nu de Ed. H. van
„ Woubrugge in de ſelve Kerck opgelijcke wijs' een Predicant in voeren,
„ ſonder kennis, toeſtemmingh en verkieſingh der Gemeynte tegen Godts
„ Woort, de Nederlandtſche belydeniſſe des geloofs, de practijcque der
„ Kercken, ende de voorgaende ordre van haer Ed. Groot-Mog. ſelve, &c.
„ ſoo en ſullen de Kercken die aen Gods Woort en de confeſſie verbonden
„ ſijn het ſelve met goede conſcientie niet konnen toeſtaen, noch een ſo in-
„ gedrongen *ex re judicata* voor wettich erkennen en in haer gemeenſchap
„ ontfangen: ende ſoude onweder-ſprekelijck volgen, &c.
„ Eyndelijck ten 4. De conditien, eygenſchap ende vryheyt der Gere-
„ formeerde Kercken, hier te Lande ſijn ſedert de reformatien nu ſoodanigh
„ dat in die ſelve geen Kercken-Dienaer, alleen door preſentatie vanden
„ Patroon ſonder verkieſingh ende beroepingh der Gemeynte, ingevoert
„ mach worden, gelijck ſulx ſelfs uyt de Pauſſelijcke Canonijcke rech-
„ ten, na dewelcke 't Jus Patronatus gereguleert moet werden, blijckt:
„ Want die ſeggen uytdruckelijck, dat geen Patroon en vermach een
„ Kercken-Dienaer te preſenteren in een Parochiale Kerck, welcke ge-
„ duurende ſijn Jus Patronatus in een Collegiale of gewaerdighde Kerck
„ (ſoo ſy die noemen) verandert is. Nu door de Reformeerde ſijn de
„ Kercken hier alle in collegiale of conſiſtoriale en gewaerdighde Kercken
„ verandert. Want onder't Pauſdom ſijnde, warenſe meeſt alle ſimpele pa-
„ rochien ſonder conſiſtori of collegien, en dienvolghende ſonder eenige
„ Kerckelijcke regeeringh en diſcipline, als daer zijnde minder en meer-
„ der excommunicatien. De Biſſchoppen en hare Collegien hadden doen
„ ter tijdt alleen het geſagh en authoriteyt om dat te doen, ende in die
„ ſimpele Parochien vermochten doenmaels (niet na Godts Woort, maer
„ na de Pauſſelijcke rechten) de Patronen bequame en den volcke aenge-
„ name Paſtoren den Biſſchop te preſenteren, om vanden ſelve in den dienſt
„ der Parochien ingeſtelt te werden. Maer de reformatie in-gekomen ſijn-
„ de, is door d'authoriteyt der hooger overheyt de macht der ſleutelen,
„ de Biſſchoppelijcke Regeringh ontnomen, ende den Collegien en conſi-
„ ſtorien als regeerders van een yder welgeſtelde Kerck gereſtitueert, ge-
„ lijck het ſelve uyt alle Kercken-Ordeningen met d' autorit. van hare H.
„ Mog. geſtelt, en ſonderlingh uyt die vande Jare 1619. *Art.* 4. 16. 37.
„ blijckt. Waer uyt dan volght dat de Kercken alhier geen ſimpele Paro-
„ chien meer, maer collegiale Kercken ſijn. 't Is nu ſoo dat de Canonijc-
„ ke rechten ſeggen, dat een Patroon in ſulcke Parochien, die in colle-
„ giale Kercken verandert ſijn, geen recht van preſentatien mach gebruyc-
„ ken, maar dat de Herder in de ſelve door 't Collegie vande ſelve Kerck
ſal

„ ſal verkoren worden, en dat de Patroon alleen het recht van approbatien „ behout, meer uyt eerbiedigheyt dan nootſaeckelijckheyt: gelijck „ blijckt *lib. 3. decret. Gregorii Tit. 38. de Jure Patronatus Cap. 25. lib. 1.* „ *Inſtit. juris Canonici tit. 28. tollitur. Item Rochus de Curte papienſis p. 260.* „ *edit. Francof. anno 1619. quaſt. 2. & Paulus de Citadinis p. 587. quaſt. 71.*

„ *Hinc eſt quod Reformata Eccleſia* noyt en hebben konnen toeſtaen, „ *ut qui jus illud pratendunt*, *id ipſum abſolute exercerent* ſonder mede- „ gaende verkieſingh en beroepingh der Kercken, toeſtemminge der Ge- „ meynte ende *approbatie* der Magiſtraten. &c.

„ Uyt alles wat voor verhaelt is, blijckt klaerlijck dat de Gereformeer- „ de Kercken het recht ende de vryheyt om Kercken-Dienaren te verkie- „ ſen en te beroepen met recht aen haer houden, &c.

„ Dewijl hare Ed. Groot-Mog. al in den beginne der Reformatie in't „ Jaer 1578. den 6. 7. Septembris, met expreſſe reſolutien 't gebruyck en „ d'exercitien van't voorſz Jus Patronatus genoechſaem hebben afge- „ ſchaft; dat de M. H. Staten Generael door haer Gecommitteerde 't ge- „ ſchil over deſe materien ontſtaen tuſſchen den Graef Enno van Ooſtvrieſ- „ lant en ſijne onderdanen, *non obſtante* de Graef een poſſeſſie van't 60. Ja- „ ren pretendeerde, ſoo hebben afgedaen (*ut ex. 2. ar.* des Delf-Sielſchen „ verdraghs en *6. ar.* des Haechſchen accoordts inden Jare 1595. en 1603. „ blijckt) dat de *nominatie*, *vocatie*, *preſentatie*, en *collatie* der Predican- „ ten of Kercken-Raedt ſal by de Gemeynte ſtaen: maer de *confirmatie* „ (*ſic vocatur approbatio*) by ſijn genade: en met deſen verſtande; ſo de Heer „ Grave den tijt van 40. dagen differeert met de confirmatie te doen, dat „ alſdan die gene die hem ſullen ſijn voorgedragen in haren dienſt ſullen „ mogen treden, &c.

„ Indien doch verſtaen wierde dat de Patronen als Patronen, &c. noch „ eenigh geſagh over de beſtellingh der Kercken-Dienaren hier te Lande „ ſouden hebben, ſoo believe uwe Achtbare in bedencken te nemen.

„ Dat het recht van Patronaetſchap verkregen wort by ſulck een die met „ bewilligingh des Biſſchops *Eccleſiam fundat*, *adificat & dotat*, tot ge- „ noeghſaem onderhoudingh der Kerckelijcke dienſten, *ſic ut is vere Pa-* „ *tronus ſit & juſtum titulum habeat*, *qui illa tria beneficia Eccleſia praſtitit*, „ ofte door erffenis *aut aliter ſibi legitime acquiſiverit*, &c.

„ Alſoo dat het nodigh ſy *ut ii qui jus illud ſibi arrogant*, eerſt gehou- „ den te ſijn niet alleen met brieven van verleye, &c. maer met oorſpronc- „ kelijcke vaſte documenten te bewijſen, *quo titulo & jure illud poſſi-* „ *deant.*

„ *Liquet etiam*, &c. dat dickwils verſcheydene perſonen te ſamen een

pa-

„rochiale Kerck oprichteden, &c. *In illo caſu nemo eorum, ſibi titulum* „*patroni poterat vindicare, ſed una erant Compatroni & ſimul tanquam unus* „*patronus*, &c.

„ Dat nu de Pauſſelijcke Canonijcke rechten vereyſſchen dat deſe fun- „datie, edificatie en dotatie moeten t'ſamen gaen, bewijſen veel Rechts- „Geleerde uyt deſelve rechten : *interalios Rochus de Curte Papienſ. pag.* 7. „en 338.

„ 2. Dat een geheele Gemeynte Patroon ſijn kan van een kerck, *ſi com-* „*munibus ſumptibus edificata ſit, ſed ſic ut ſinguli non ſint patroni, ſed* „*pluralitate ſuffragiorum patronum conſtituant in preſentando, dicunt Rochus* „*de Curte p.* 210. *Paulus de Citadinis p.* 571. 544. *en Johann. Nicola* „*Delphinus p.* 840. *qu.* 16. gelijck deſelve oock bewijſt *p.* 464. *§.* 110. dat „de begiftingh van een parochiale kerck genoeghſaem moet ſijn tot on- „derhoudingh vande Prieſter ende kerck, als oock tot voldoeningh van „ſulcke laſten als den dienſt vereyſcht. 3. Dat als een kerck vervallen of „verongeluckt en vergaen ſijnde van een andere op een andere plaets „wort opgetimmert, &c. alſdan het Jus Patronatus te niet is, *ut patet* „*lib.* 1. *Inſtit. Juris Canon. tit.* 28. de *Jure Patronatus cap. tollitur*, ende „*Rochus de Curte p.* 349. §. 14. Ten 3. believe, &c.

„ Uwe Achtbare believe ten 3. te bedencken, alwaer het ſoo, &c. dat „evenwel geen Patroon volgens de canonijcque rechten, *ad quod jus Pa-* „*tronatus regulari debet*, ſoodanigen onbepaelden ghebruyck van't ſelve „kan noch en mach toegeſtaen werden, als eenige haer ſelven aennemen „en oeffenen willen, van welcke ſommige,

„ Eerſtelijck haer ſelven toeſchrijven, &c. daer nochtans *cum jure ca-* „*nonico patroni nil aliud* en vermogen den een bequaem en den volcke „aengenaem perſoon *Epiſcopo nominare & preſentare*, ſonder dat vry ſtaen „ſoude, of aen niemande, of aen haer ſelfs de preſentatie te doen, en daer „op te verkieſen en te beroepen. Want als ſomtijts in de Canonijcke „rechten de verkieſingh een Patroon toegeſtaen wort, ſoo wort daer „door verſtaen de uytkippingh die een Patroon doet om yemanden te pre- „ſenteren. Welcke uytkippingh geen ſodanigen recht aen den ſoo verko- „renen en geeft, als de verkieſingh van't Capittel doet, gelijck onder an- „dere Paulus de *Citadinis p.* 588. §. 74. 75. aenwijſt, &c.

„ 2. Eenige onderſtaen haer 't Jus Patronatus t'oeffenen die nochtans „volgens de Canonijcque rechten daer toe niet gequalificeert en ſijn, *ſicut* „*ii qui* een valſche en ketterſche leere hebben, en oock de leere en Gere- „formeerde kerck voor valſch en ketterſen oordeelen, *lib.* 1. *Inſt. Juris* „*Canonici tit.* 28. *cap. tollitur*, ende *Rochus de Curte Paulus de Citadinis* *p.* 217.

Digitized by Google

„ *p.* 217. ende 557. §. 8. *dicunt expreſſe & rationes aſſignant, quare tales Jure* „ *Patronatus gaudere non poſſint.* Ende ſeecker nademael een Patroon tot „ de kerck over de welck hy Patroon is, van een geſint ſijnde, die moet „ voorſtaen en beſchermen, *hoc ſchandaloſum iſt*, dat een Kerk een ſooda-„ nigen voor haer Patroon ſal moeten erkennen, die Pauſſelijck geſint „ ſijnde, haer en haer leer voor ketters oordeelt; ende ſal ſulck een meer „ letten op ſijn authoriteyt als op de ſtightingh der Kerck? Ende den jam-„ merlijcke ſtaet vande kercke van Woubrugge leert genoegh, *quid à tali-*„ *libus Patronis exſpectandum eſſet ſi pro libitu ſuo poſſent agere*, &c.

„ 3. Eenige die ſich voor Patroon houden, en willen de Kercken-Raden „ en Gemeynten in't verkieſen en beroepen van Predicanten, in't minſte „ niet eens kennen, maer gaen die voorby, maecken den perſoon die ſy „ verkoren hebben en beroepen, den Claſſi bekent, *ut porro ab ea in mi-*„ *niſterio confirmetur. Quod omnino abſurdum eſt. Nam in papatu* hadde „ den Biſſchop de Kerckelijcke regeringh over ſimpele Parochien, *& per* „ *conſequens* moſten hem de Paſtoren gepreſenteert werden, &c. *ſed indi-*„ *carimus*, &c. Dat dat een geuſurpeerde heerſchappy van Biſſchoppen „ was, en dat door de reformatie die Kerckelijcke regeringh, na Godts „ woort, niet den Claſſen, maer den Kercken-Raden gereſtitueert is: *ſic ut* „ *non Claſſes ſed* de Kercken-Raden ſijn in plaets vande Biſſchop, welc-„ ken volgens de preſentatien aende Kercken-Raden moet geſchieden, die „ dan de vryheyt moeten behouden om te oordeelen, of de genomineer-„ de met ſtightingh in hare Kercken tot den dienſt ſouden konnen ge-„ vordert worden, of niet gelijck oock de Synodus van Zuyd Hollandt „ laetſt tot Gorcum gehouden 't ſelve *Art.* 44. alſoo verſtaen heeft.

„ 4. Andere wederom verkieſen en beroepen, ſoodanigen perſoon, die „ de Gemeynten niet aengenaem en ſijn, ende daer van beleefdelijck be-„ right ſijnde, en willen geen afſtant doen. *Quod pugnat cum libertate* „ *Eccleſiæ, qua (ut ex verbo Dei probatum eſt) talis eſt*, datmen haer geen „ Predicant opdringen magh; maer dat die door verkieſingh der Kercken-„ Raden en bewillingh der Gemeynte moet werden ingeſtelt, &c. Nu dit „ en kan niet beſtaen, by ſo verre een Patroon de Gemeynte een onaenge-„ naem perſoon tegen heugh en meugh opdringen magh. 2. *pugnat cum* „ *Jure Canonico papali.* Want dat ſegt dat een Biſſchop niet en vermach „ den gepreſenteerden inden Kercken-Dienſt te ſtellen, indien hy de Ge-„ meynte onaengenaem is, &c. als blijckt in 1. *part. decret. diſt.* 92. *c.* 5. „ *& lib.* 3. *decret.* Greger. *tit.* 38. *de Jure Patronatus Cap. Quoniam. Paulus* „ *de Citadinis p.* 729. *qu.* 29. *Concil. Ant. p.* 18. *Johan. Nicol. Delphin. p.* 1013. „ *Adde* dat de redelijckheyt ſelfs dat vereyſcht: Want indien het heyl des

 volcx

„ volcx de hooghſte wet moet weſen, ſoo behoort oock in alle Kercke-„ lijcke actien en byſonder d'inſtellingh der Predicanten, het heyl en de „ ſtichtingh der Kercken de hooghſte wet te ſijn, den welckmen niet en „ kan ſchijnen voor te hebben, wanneermen de Kerck een perſoon over-„ dringht, &c. alſoomen van ſulck een perſoon niet wel eenighe ſtich-„ tingh kan hoopen: maer veel eer ergernis en ſcheuringh verwachten „ moet.

„ 5. Eenige Patronen preſenteren aen de Claſſen, d'een reyſe voor, „ d'ander na, alſulcke perſoonen die de Gemeynten onaengenaem ſijn: „ waer door het gebeurt dat de Kercken jaer op jaer komen ledig te ſtaen. „ 't Welck de Heer tot Woubrugge tot driemael toe heeft gerepeteert, „ &c. Ende voor de derde reyſe door een volmachtichden heeft laten aen-„ ſeggen, dat ſijne Ed. wederom een ander perſoon verkoren hadde, maer „ niet van ſinne was dien bekent te maecken, eer en al voren dat ſijne Ed. „ wiſte, dat de Claſſis willigh was den ſelven te examineren, en in den „ dienſt te beveſtigen. *Qui modus agendi*, &c. oock ſtrijdt tegen de Cano-„ nijcke rechten die niet toe en laten dat een layck Patroon meer als twee-„ malen preſentere, *ut refert Rochus de Curte Papienſis p. 95. qu. 35. & ra-„ tionibus confirmat.*

„ 6. Andere *qui jus patronatus pratendunt* en willen niet lyden dat de „ vacerende kercken haer met goede Herders voorſien, en oock en doen „ ſy het ſelfs niet op de behoorlijcke ordre en tijdt; maer vreemt vande Ge-„ reformeerde Religie ſijnde, ſchijnen weynigh daer na te vragen dat de „ Kercken jaer op jaer onvoorſien blijven. *Qui modus agendi non ſolum „ pugnat cum eo* 't welck de Synodus Nat. van Dordr. *art.* 4. over 't ſelve „ Jus Patronatus ſeght, dat de preſentatie geſchiede binnen 2. of 3. maen-„ den, na dat den dienſt ſal hebben gevaceert, op pene van verſteck voor „ die reyſe; maer oock tegen de Canonijcke rechten, die haer maer den „ tijt van 4. maenden toe laten, oft dat by faute van dien de Biſſchop de „ Kerck met een bequaem perſoon voorſien ſal *lib. 3. decret. Gregor. tit.* 38. „ de Jure Patr. *Cap. 27. Rochus de Curte p. 24. 241.* &c.

IV. *Bedenckingh.*

„ Eyndelijck uwe Achtbare believe te bedencken. Indien verſtaen wer-„ de dat de gequalificeerde Patronen mede te ſeggen ſouden hebben in de „ beroepingh der Predicanten, &c. ſulcx datſe ſouden vermogen de ver-„ kieſingh en beroepingh by de Kercken-Raden, met de toeſtemmingh „ vande Gemeynte gedaen, te confirmeren en t' approberen; ofte door „ blijck van genoeghſame redenen t'improberen, &c. en dat in ſulcken „ gevalle queſtie quam te rijſen 1. over het Jus patronatus ſelfs, te weten

wien

,, wien het ſelve competeert, ofte wien niet 2. over't gebruyck van't ſelve
,, jus, hoe verr' het ſelve verdragelijck is, ende niet verdragelijck 3. over
,, de qualificatie vande perſonen, die vande Patronen den Kercken-Raede
,, voorgeſtelt worden. 4. Of een Patroon een Kercken-Dienaer van ſijnen
,, dienſt mach ontſetten: datmen in ſulcken kas moge weten, wie over
,, ſoodanige en diergelijcke geſchillen d'eygentlijcke rechter dient te we-
,, ſen.

,, I. De Canonijcke rechten ſeggen, dat het geheel en al de Kerckelijcke
,, regeringh toe komt t'oordeelen vande gelegentheyt tuſſchen Patroon en
,, Patroon, tuſſchen de Patroon en de Kercke. Item of een Patroon be-
,, hoorlijck is gequalificeert om dat recht te gebruycken. Gelijck *lib. 2. de-*
,, *cret. Gregor. de judiciis tit. 1. Cap quarto* blijckt. Maer de Gereformeer-
,, de Kercken hier te lande en hebben't ſelve hen ſelven noyt willen aen-
,, nemen, noch hen ſelven eenige Wereltlijcke macht en politijcke autho-
,, riteyt toe ſchrijven; maer laten het oordeel daer van aen haer Ed:
,, Groot-mog: vertrouwende, &c. te meer dewijl de Ed: Heer van Wou-
,, brugge ſeyt, een bepaelde recht te hebben, ende wil oeffenen als de
,, rechten toe laten: daer van ſijne Ed: noyt ſedert de reformatien in poſ-
,, ſeſſie is geweeſt: dat oock de kercke niet en weet, onder wat conditien
,, en titulen het recht voor tyden aen het Ed: huys van Warmondt is ge-
,, komen: dat oock ſijne Ed.'t ſelve recht over de kerck wil exerceren,
,, niet tegenſtaende dat ſijn Ed. vreemt is vande Gereformeerde Religie, de
,, Kerck aldaer op ſijn eygen koſten niet en heeft opgetimmert, noch den
,, Kercken-dienſt met nodich onderhout voorſien.

,, II. Het oordeel doch over het billicke ende onbillicke oeffeningh
,, van't Jus Patronatus inde Gereformeerde kercken deſer Landen, en hoe
,, verre die na Godts woort, Nederlandtſche Confeſſien en gemeene
,, pracktijckque der Gereformeerde kercken gehouden ſijn't ſelve te ver-
,, dragen, komt die pene toe, welcken de Heere Chriſtus ſijn woort, &c.
,, de Regeringh ſijner Kercken vertrouwt en bevolen heeft. Welcken
,, volgens de Syn. Nat. tot Dordrecht anno 1619. inde voorgemelde limi-
,, taten *art.* 8. ſeyt, dat de verſchillen ſoo daer eenige tuſſchen de Patro-
,, nen en de kercken over de preſentatien mochten ontſtaen, bygeleyt en
,, afgedaen ſullen worden van het Claſſis of Synodus particulier. Oock ver-
,, trouwen wy, &c.

,, III. Deſgelijcx blijckt mede dat het den kerckelijcke vergaderingen
,, toekomt t'oordeelen vande bequaemheyt, ende aengenaemheyt, ofte
,, onbequaemheyt, en onaengenaemheyt vande Perſonen, die de Patronen
,, tot den dienſt mochten preſenteren, en dat die op leere, leven, gaven,

Digitized by Google

„ manieren ende aengenaemheyt der ſelver moeten letten. Want Paulus
„ gebiedt 1 *Tim.* 5. 22. dat ſy niemanden lichtelijck de handen ſullen opleg-
„ gen, &c. niet deelachtich worden aen andere menſchen ſonde. Waer
„ tegen ſy doen ſouden inden ſin op een ſimpele preſentatie, ſoude ver-
„ der onderſoeckingh onbequame, onaengename en onſtichtelijcke per-
„ ſonen inden dienſt quamen te beveſtigen, &c.

„ Op't IV. en laetſte houden de Gereformeerde kercken deſe Landen, dat
„ een Patroon geen macht en heeft, een Kercken-Dienaer wettelijck in
„ ſijn dienſt beveſticht ſijnde, van ſijnen dienſt te ontſetten, of te doen
„ verplaetſen, ſonder mede ofte voorgaende ontſlagingh vanden Kercken-
„ Raedt en Claſſe, gemerckt dat yet ontbonden wort, door het gene dat
„ het gebonden heeft: Ende dat de macht der ſleutelen de kerck van Gode
„ in ſijn woort gegeven is, om de waerdige in den dienſt te houden, en
„ d'onwaerdige t'ontſlaen: en eyndelijck dat de preſentatie eens perſoons
„ tot den dienſt hem geen macht en geeft om den dienſt te beroepen, en
„ dienvolgens en mach geen Patroon een Kercken-Dienaer de macht van
„ geen kerck te dienen benemen, alſoo hy aen den ſelven noyt en heeft
„ kunnen geven. All' het welck over een komt met den 9. *art.* van 't Sy-
„ nodus Nationael van Dordrecht, en met het geen de Pauſſelijcke rechten
„ daer van ſeggen: als onder andere by *Paulum* de *Citadinis p.* 688. *qu.* 72.
„ en 73. te ſien is.

„ Dit ſijn Achtbare, wijſe voorſienige Heeren de bedenckingen over
„ het Jus Patronatus, en d'exercitien van dien, &c.

Cum præcedente capite dixerim poſſe eccleſias, aut ſynedria aut ſynodos, contra decretum aut factum *Magiſtratus Politici*, apud ſuperiores, aut inferiores Magiſtratus conqueri, & ἀπολογεῖν, ubi ratio & ſtatus regiminis hoc ita fert, aut ipſum Magiſtratum informare, & à malè informato ad melius informatum provocare: non importunè declarationem eccleſiarum reformatarum in Galliâ anno 1612. typis editam in 4. hic inſerendam duxi.

DE-

Digitized by Google

DECLARATION des EGLISES REFORMEES de FRANCE.

Aſſemblées en Synode National à Privas.

LEs Egliſes reformeés de ce Royaume aſſemblées en Synode National à Privas, apres le ſerment fait par elles, ſuivant leur couſtume, de leurs fidelitez, & treſhumble obeïſſance au commandement & ſervice de leurs Majeſtez, ayans appris par le rapport de ſieurs deputez des Provinces, que lettres Patentes du Roy ont eſté adreſſées aux Parlements & Chambres de l'Edict, contenans abolition & remiſſion des pretenduës fautes commiſes en la convocation des aſſemblées particulieres deſdictes Provinces, comme auſſi de ce qui s'eſt paſſé devant & en ſuite d'icelles, n'ont deu ſe rendre inſenſibles à cét opprobre ſi grand & ſi contraire à l'integrité de leurs intentions, & à la fidelité, qu'ils ont touſiours teſmoignée au ſervice du Roy & au bien de l'Eſtat; & n'ont peu qu'eſtre outrées de treſ juſte douleur, de ſe voir fleſtries d'un tel blaſme à l'occaſion deſdites aſſemblées provinciales: qui toutesfois ont eſté tenuës conformément à ce qui ſe pratiquoit du temps du Roy Henry le Grand, d'heureuſe memoire; & meſme avec permiſſion octroyée aux dictes Egliſes par la lettre qu'il pleuſt à la Royne eſcrire à l'aſſemblée generale de Saumur, le vingtdeuxieſme d'Aouſt, mille ſix cens onze: par laquelle il leur eſtoit enjoint de ſe ſeparer & retirer chacun en leur Province, pour y rapporter à ceux, qui les avoyent deputez, les bonnes intentions de leur Majeſtez. Sur quoy la dicte aſſemblée generale ayant pris pied, & tiré le droit de faire leſdites particulieres, auroit ordonné aux deputez de chacune Province d'y repreſenter les Cayers, pour y eſtre veuz & les reſponſes faites ſur iceux: ce qui auroit eſté bien ſceu, & meſmes creu raiſonnable par Meſſieurs du Conſeil, puis que par les inſtructions données aux Commiſſaires envoyez par leurs Majeſtez ez Provinces pour les inexecutions & contraventions de l'Edict, il leur eſtoit enjoinct de s'y rendre promptement avant la tenuë deſdictes aſſemblées: & de fait elles ont la plus-part eſté auctoriſées, ou par la convocation, qui a eſté faicte de quelques unes par le Lieutenant de Roy, ou par la conduite & moderation en quelques autres de Preſidens ez Cours ſouveraines, & aſſiſtance de Magiſtrats, Officiers du Roy,

„ & autres perſonnes de qualité ayans charge expreſſe de leurs Majeſtez „ de s'y trouver, ou meſmes en d'autres par la preſence de quelques uns „ des ſuſdits Commiſſaires envoyez par leſdites Provinces : Tous leſquels „ n'auroyent voulu tremper en ce crime pretendu, s'il y en euſt eu: & tant „ s'en faut que Meſſieurs du Conſeil euſſent jugé qu'il y euſt de la faute, „ qu'au contraire ils ont benignement receu les Cayers des remonſtrances „ & treſhumbles ſupplications dreſſez eſdites aſſemblées, & iceux depuis „ reſpondu : Bien loin de les eſtimer criminelles & dignes de la ſuſdite abo- „ lition & remiſſion; *laquelle contriſte & navre grandement ceux de la Reli- „ gion, en ce qu'elle apporte ſur eux & leur poſterité la tache d'un crime, pour „ lequel eviter, ils ont ci-devant en toutes occaſions librement expoſé & leurs „ biens & leurs vies.* Mais ils ont auſſi ſubject de ſe douloir, en ce qu'il „ ſemble qu'on vueille par là raviver les haines amorties de leurs compa- „ triotes, pretexter à l'advenir les excez des plus animez à l'encontre „ d'eux, & les rendre en fin odieux & dedans & dehors le Royaume: Ef- „ fects, qui ne pouvans les envelopper ſeuls en un dommage particulier, ſans „ rejallir contre le bien, repos & affermiſſement de cét Eſtat, redoublent „ grandement leur amertume, pouſſez qu'ils ſont du ſentiment de bons, „ vrais & fideles ſubjects, tels qu'ils ont eſté & ſeront à touſiours.

„ A ceſte cauſe leſdites Egliſes conformément aux inſtances par leurs de- „ putez generaux tant au Conſeil, que par la Requeſte, qu'ils ont preſen- „ tée à la Cour de Parlement de Paris le quatrieſme du mois de May der- „ nier, declarent, comme elles ont fait par eux, n'avoir jamais requis, „ *demandé ou pourſuivi leſdites lettres d'abolition, pour n'eſtre de fait, de parole, „ ni de penſée coulpables des fautes preſuppoſées par icelles;* & qu'elles ſont „ preſtes en general & en particulier de reſpondre de leurs actions, les ma- „ nifeſter & faire voir au jour, eſtimans plus doux toutes ſortes de ſupplices „ que de laiſſer eux & leur poſterité fleſtrie d'une note d'infamie ſi hon- „ teuſe, laquelle pourroit à l'advenir les priver de l'honneur & de la gloire, „ qu'elles ont touſiours eüe d'eſtre recognuës par tous les bons François, & „ eſtimées par les eſtrangers, treſ-fideles ſubjects au Roy, incorruptibles, „ entiers & treſ-affectionnez au bien de l'Eſtat. Declarent en outre qu'el- „ les ne ſe veulent aider, ni ſervir en façon quelconque deſdites lettres, & „ & qu'elles deſavoüent toutes les pourſuites & conſentemens, ſi aucuns „ y en a eu, & ceux qui les pourroyent avoir demandées ou approuvées, „ comme entierement contraires & prejudiciables à la ſincerité de leurs „ intentions & à leur fidelité ſi eſprouvé, laquelle ils proteſtent d'abonbant „ vouloir teſmoigner par l'employ treſ-volontaire, qu'ils feront tousjours „ de leurs biens, vies & honneurs, en l'execution de tous les devoirs, ſervices

&

„ & obeïſſances, que leurs Majeſtez peuvent attendre d'eux, comme de
„ leurs treſ-humbles, treſ-fideles & treſ-obeïſſans ſerviteurs & ſubjects.
„ Faict à Privas en Vivarez, le premier de Juin, 1612.

CHAMIER *conduiſant l'Action.*
DU MOULIN *Adioint.*
DE MONSENGLARD *eſleu pour recueillir les actes.*
MANIALD *eſleu pour recueillir les actes.*

Quia præcedenti capite mentionem feci prætenſæ vocationis extraordinariæ, per externam apparitionem, & exemplum ejus in Davide Georgio indicavi, apparitionem illam ab ipſo Davide deſcriptam hic exhibeo ex apographo; quod ex exemplari ſcripto manu cujuſdam **van der Linden** (cujus uxor *Maria Davidis* ex aliquo Davidicorum filiorum neptis) & poſt dictum **van der Linden** cum familiâ exſtinctum peſte reperto, deſcripſerat *Leonardus Coninckſbergen* tunc temporis, iſtic conſilii militaris graphiarius & auditor, meus olim in Academiâ Leidenſi commilito, cui cura domus emortualis, omniumque eâdem contentorum ab heredibus commiſſa erat. Sic ergò ſcriptum erat.

„ *Neemt waer een Geſicht, van eenen die de Waerheyt ende dat*
„ *recht Godts lieſt, openbaer by dage.*

„ SIttende in een Huys boven op den Solder: iſt geſchiet dat de Geeſt
„ ſpoedich is gheworden, over een Man David ghenoemt, dat hy
„ ſpreeckende worde, ſo hem de Heere inden mont leyde, van dat recht
„ ende woort ſijns Godts, welcker woort door't gehoor in mijn binnen-
„ ſte in-geſeyt is geworden, dat oock daer uyt mijn harte ende alle de ſin-
„ nen mijns gemoets ſijn ontloocken geworden als een t'oſt, ſoo dat ick
„ mijn niet onthouden konde, van leven ende vraechde mijns binnenſten
„ geeſtes, dat ick ſulcx niet boeck-ſtaven kan, om dat het mijn onuyt-
„ ſpreecklijck blijft, ende ſiet ick worde gedrongen, van mijn werck op
„ te houden: Waer over ick my beſorchde, oft mijn lanwigheyt, traeg-
„ heyt ende matheyt bejegenen mochte, ende mijns wercx niet af en liet:
„ Hoe wel ick daer toe gedrongen worde. Ten laetſteu wort mijn leven-
„ digh ende ſtemmelijck in geſproocken, ſonder eenigh bedenckinghe
„ ofte voorraet in een ſtemme des Geeſtes, namelijck: alſoo waerach-
„ tich, ja niet minder, maer verder meerder, in ſijn levendige onbe-
„ driechelijcke gewiſſe weſen: hebt ghy huyden (deur 't levendige ge-
ſpreck

Digitized by Google

„ ſpreck (Davids te ſijne monde , uyt-gegaen) gehoort , geſien , ge-
„ ſmaeckt, ende gevoelt Jeſum ſtaende ter rechter handt Godes inden
„ Hemel, Warachtichlijcker dan Stephanus dede doen hy deſe woorden
„ ſprack, ofte oock dan *Jeſaias*, als hy de heerlijckheyt Godts ſitten
„ ſach op ſijnen ſtoel ofte throon. Ick ben een Man , &c. Leeſt *Jeſaias* 6.
„ *Actor.* 7. Dus ſpreeckt nu overluydt alſoo: Dat ghy een man van onrey-
„ nen lippen ſijt , nochtans geſien hebt die heerlijckheyt Godts, leven-
„ dich in't binnenſte dijns herten. Hier op wert mijn aengeweſen vanden
„ Gheeſt dat ick leſen ſoude *Jeſ.* 6. *Act.* 7. Dat ick doen niet en wiſte wat
„ ick daer geſchreven vinden ſoude. Soo gedachte ick wat dat ick mochte
„ ſijn: nochtans was ick in mijn binnenſte vol viers ende brant des levens.
„ Soo dat ick niet en wiſte, hoe ende wat my was, ofte lette want ick
„ jonck ſijnde, den Geeſt niet en kende, ende om mijnder ſwackheydts,
„ konde ick dat niet uytſpreecken, ofte te kennen geven: wat mijn weder-
„ voer , mijn ſelven te kleyn ende onwaerdich kennende ſulcke hooge
„ Geeſtes woorden te ſpreecken, als die mannen Godes, ſoo liet my effen-
„ wel daer over de Geeſt niet ruſten, ſonder ſprack my in : dat ick bene-
„ den gaen ſoude, ſoo ſterckelijck ofte ſtemmelijck, oft door een men-
„ ſchen mont geſchiet waer. Ick en was ſlaperich, noch vaeckerich, noch-
„ tans en waſt avont noch nacht, maer in een ſomerſchen dach, naer
„ noen ten drie uuren ofte vier uuren, in't laetſte des Mey Maents , of in't
„ eerſte van Junio, was den tijt dat dit geſchiede. Antwoordende, ſeyde
„ ick, Heere ghy weet hoe't hier ſtaet: oorſaeck waerom ick niet be-
„ neden mach , en dit ſelve mocht vijf ofte ſes mael geſchien. Soo gebeur-
„ de dat de Vrouwe vanden Huyſe nergens van wetende, boven by ons
„ quam: ſprack ſy; Iſſer ymant boven, die beneden komen wil, mach
„ af gaen : dat volck is wech : hier in verwonderende worde ick ghedre-
„ ven beneden inde Camer ofte Sael te gaen : gaende nu vijf ofte ſes-
„ mael over die Camer , gints ende herwaerts , werde ick ten laetſten
„ in 't midden ſtaende gehouden ende ſtemmelijck toe-geſproocken,
„ ſtaet ende ſiet. Soo ſtond ick metten aengeſicht vanden lichte ten want-
„ waerts, ende ſiet een geſichte van eenen naeckten man, ſtont voor my
„ even als ick ſtond vanden lichte metten aengeſichte ten wantwaerts,
„ dat ick hem maer van achteren ſach, ende ſtont op ter vloer met ſijn voe-
„ ten ſeer wonderlijck my omſien, wederom ſprack de Geeſt tot my. Siet:
„ Siende ſach ick met bevinge den man neder dalen, ofte neder ſincken
„ met den voeten allenghskens, ende ſtillekens onder gaen tot den hoof-
„ de geheel onder, ende wech was, ſonder den vloer daer hy op ſtondt ,
„ ende in ſonck die en ſach ick niet op ofte toe gaen. Weder ſprack de
ſtem-

Digitized by Google

„ ſtemme (ofte Geeſt.) Siet, doen ſach ick den ſelven naeckten Man, onder
„ inder aerden, ſoo volkomelijck ende waerachtich als doen, doen wer-
„ de ick in mijn gemoet ontſtelt, ende verſchrickt, vragende in mijnder
„ herten, Heere waer mach den Man ruſten, ſijn voeten ſtaen, of dat hy
„ metten hoofde mocht vaſt ſijn, wilde ick wel weten, doen merckte ick
„ dat hy ſweefde tuſſchen Hemel ende aerden, ende dreef als een vogel op
„ ter lucht doet: Maer dat ghy mijn wel verſtaet, hy was inder aerden
„ ſoo ick u geſeyt hebbe; ende die ſtemme (ofte Geeſt) antwoorde my:
„ Sijn voeten ſtaen nergens op, noch en ruſt op geen uyterlijck weſen, of
„ ſijn hooft en is daer toe niet vaſt oft gehechtet, ſonder hy drijft, en is
„ een eeuwigh afgront, daer hy is: Soo liet hy my weder ſien, doen ſach
„ ick den ſelven naeckten Man uyter aerden waſſen, ofte op ſtijgen, als
„ een boom ofte plante doet, maer al van achteren, dat hooft quam eerſt
„ voort, daer na den hals, ſcholderen, armen, lendenen, benen, ende
„ voeten allenghskens ende ſachtelijck, dat hy weder op de vloer als ten
„ eerſten volkomelijck ſtondt, doen werde ick geneyght hem te willen
„ aen taſten, of hy levendigh of doot waer, maer dat wert my niet toe-
„ gelaten, ende die Geeſt antwoorde, hy is noch doot (niet levendich.)
„ Doen werde ick ſiende op ſijn voeten, ende werde gewaer, dat ſy noch
„ vaſt aender aerden, ende vuyl vander aerden waren, maer dat lichaem
„ vande voeten opwaerts, was ſoo klaer ſchoon ende blinckende, ſoo dat
„ ſulcken ſuyveren heerlijcken Mans beelt nergens gehoort ofte geſien
„ was, wyder viel mijn aenſichte, op de voeten: ende ſiet doen wor-
„ de ſy oock reyn ende ſchoon van der aerden, want de aerde ofte vuy-
„ligheyt daer gantſch af ginck, ende ſiet doen quam, ofte ſach ick dat
„ leven in hem, ſijn lendenen werden eerſtmaels van achteren treckende
„ ende ſchrickende gelijck een menſch ofte beeſt, dat eerſt gedoot wert,
„ alſoo lillende leyt ende beeft, ſoo trecken de ſenuwen, ende aderen
„ gints ende herwaert, ſoo dat wel begrijpelijck is. Een weynich daer na
„ hief hy ſijn ogen op ende weder neder latende, verſtelde ende verroerde
„ het gehele lichaem, ſoo dat hy vol ende ſeer levendich worde. Ten laet-
„ ſten verhief ofte beurde hy het eene been voor, het andere na vander
„ aerden, ende ſettenſe weder neder. Siet doen keerde hy gantſch om
„ met ſijn aengeſicht, tot mijn aengeſicht na dat lichte, ende blinckte
„ in't aengeſicht als een Sonne, ſoo helder alſmen dat uytſpreecken mach.
„ Hebbende eenen ſchonen breden baert, ende quam tot mijn gaen, als
„ of hy my doorgegaen hadde, of hy my door dat lichaem of voorby
„ ginck weet ick niet, want in't gaen dat hy tot my quam was ick noch
„ in't aenſien ſijns glans ſoo verwondert, ende verſchrickt, alwaer ick uyt

„den lichaem geweeſt, ende ſtondt nochtans op mijne voeten, dat ick
„mette penne letterlijck niet en kan ſchrijven noch uytſpreecken, oock
„was hy ſoo groot ende wonderlijck ſoo machtich en onſichlijck, nie-
„mant ontſiende ſach ick volkomelijck dat alle Vorſten, Heeren, Princen,
„Graven, Coningen ende Keyſeren deſer Werelt voor hem in ſijn oogen
„waren, als nu tegenwoordigh die wormkens op ter aerden, ende inder
„aerden by den menſchen geacht ſijn, ende ſoo luttel beweginge van is,
„niet dien dieren viſſen of vogelen alleen, maer die wormkens ſegh ick
„niet en mydet, ofmen daer op of beſijden treedt, by den leven behou-
„det ofte doodet, veel min waren alle die, ja alle menſchen kleyn ende
„groot, ſterck ende kranck, edel ende onedel: ende ſtreeck daer als ee-
„nen wint henen: Want ick hem nu na ſien wilde, was hy wech en
„ſach hem niet meer: doen ſprack de Geeſt tot my; dat is Godt Meſſi-
„ach. Die nieuwe creatuer den eerſten waren menſch Godes vanden He-
„mel: den naem des perſoons houde ick hier op, ſonder is nochtans wel
„bekent inden mont, averſt ſal na luyden des woorts ter rechter tyt
„meer gehoort bekent ende bemint worden. Dit heb ick daer naer ſeven
„ofte acht dagen te ſeggen wederhouden. Ten laetſten berſtet my ter
„harten uyt, bins oock al gewis dat Viſioen van Godt recht is: anders
„wilde ick't niet opbrengen, want even als ick dat uytterlijck ſach,
„ſie ick't inden Geeſt geſchieden, in't Jaer des Saligheyts anno 1539.
„1539.

LIB. III. TRACT. III.

DE

CONDITIONIBUS IN MINISTRO ELIGENDO REQUISITIS.

Conditiones in Miniſtro eligendo requiſitæ ſunt triplices.

1. *Genuinæ*, quæ ordinario adeſſe debent.
2. *Putatitiæ*, quæ adeſſe non debent.
3. *Tolerabiles*: quæ aliquando in Miniſtro tolerari ſolent, & poſſunt.

CAP.

CAP. I.

De genuinis conditionibus ſeu requiſitis: ſcil. pietatis, orthodoxiæ, ingenii, eruditionis, eloquentiæ, prudentiæ.

PIetatem primo loco requiri, eamque debere electoribus perſpectam eſſe, extra dubium ponimus: Ex 1 *Timoth.* 3. *v.* 1.-6. & 2 *Timoth.* 2. *v.* 2. 21.-25. & 3. *v.* 10. 11. 12. 17. De hoc requiſito pietatis ſupra *lib.* 2. *tract.* 3. *cap.* 3. & 4. Nomine pietatis complector omnes virtutes tum primas ſecundum priorem, tum ſecundas ſecundum poſteriorem tabulam decalogi. Inter primas virtutes refero *amorem Dei*, *amorem Chriſti* (2 *Corinth.* 5. *v.* 14. 15): & ſervator noſter hoc prærequiſitum innuit, in confirmatione aut renovatione vocationis *Petri* ad Apoſtolatum *Joh.* 21. *v.* 15. & *ſeqq.* *Devotionem* inter eaſdem numeramus; eamque requiri exemplo Apoſtoli probamus. *Philip.* 1. *v.* 3. 4. 1 *Cor.* 9. 27. cum 2 *Cor.* 11. *v.* 27. Quid ſit devotio, & qui ejus actus, explicuimus in tract. de *Exercitiis pietatis*. Ubi imprimis precatio, meditatio, praxis reſipiſcentiç, & fidei, conſideranda. Eſt etiam inter *primi ordinis* virtutes in miniſtro requiſitas, ſpecialiter notanda *patientia*, & *tolerantia*. Ad quam *Timotheum* excitat Apoſtolus 1 *Tim.* 6. *v.* 11. 12. Et Spiritus S. Ananiæ requiſitum patientiæ in Paulo ad Apoſtolatum vocato prænuntiat *Actor.* 9. *v.* 15. 16. Et Paulus eandem in functione muneris ſui prædicat 2 *Cor.* 6. *v.* 4. 5. 6. & *cap.* 11. *v.* 23.-33. & 1 *Cor.* 4. *v.* 9.-14. Ad eandem virtutem *patientiæ* hortatur ſuum Timotheum 2 *Tim.* 2. *v.* 3. *Tu igitur perfer adverſa* (κακοπάθησον) *ut bonus miles Jeſu Chriſti.* & cap. 4. v. 5. *perfer adverſa, opus perage Euangeliſtæ.* Eandem Chriſtus Petro præſcribit & prædicit *Joh.* 21. *v.* 18. 19. Patientiæ exemplar fuit Chriſtus unicus miniſtrorum magiſter *Hebr.* 12. *v.* 3. cum 1 *Petr.* 2. *v.* 21. 22. 23. §. 1.

I. *Quæſt. An & quomodo præcognoſci poſſit in vocando pietas, amor Chriſti*, &c. *Reſp.* Ex frequentibus de Chriſto & amore Chriſti ſermonibus; & apprehensâ, captatâ, quęſitâ talium ſermonum occaſione *Cantic.* 1. *v.* 4. De amoribus tuis, &c. Ex oſtenſo zelo pro gloriâ & cauſa Chriſti promovendâ: ex gaudio & exultatione ejus cum nomen Dei honoratur, & ſalus hominum, ac regnum Chriſti promovetur; & ex dolorè ejuſdem, cum contrarium evenit 2 *Cor.* 11. *v.* 29. *Pſ.* 119. *v.* 36. *Jeſa.* 24. *v.* 16. Ex familiari converſatione cum Deo in precibus, lectione, auditione, meditatione verbi divini *Pſal.* 119. per totum. Exſtinctione & mortificatione amoris mundi 1 *Cor.* 7. *v.* 30. 31. *Gal.* 6. *v.* 14. *Philipp.* 3. *v.* 7. 8. Hæc er-

Digitized by Google

go, & ſimilia ex converſatione & colloquiis ipſius ante exploranda & obſervanda eſſent: ne æs præ auro, aut μόρφωσιν præ vero homine ſpirituali, aut ſtatuam Dedaleam præ homine Dei ad omne opus bonum perfectè inſtructo (*2 Tim.* 3. *v.* 17. 1 *Cor.* 2. *v.* 14. 15.) eligamus.

II. *Quæſt. An præſtet ab eccleſiâ haberi miniſtrum pietate ſuperiorem; ſed ingenio, aut eruditione, aut eloquentiâ inferiorem: quam alterum ingenio, aut eruditione, aut eloquentiâ ſuperiorem; pietate inferiorem*, *Reſp.* Si duorum inter ſe comparatio inſtitui debeat, & alter ex duobus eligengendus eſſet, nos pietate ſuperiorem cenſemus præferendum. Ut & mediocrem in eloquentiâ aut eruditione, ſed eximium in pietate præferri velim, mediocri in pietate, quamvis in eruditione aut eloquentia eximio. Sicuti enim pietas ad omnia utilis eſt: ſic eximia pietas maximè utilis ad diligentiam & fidelitatem miniſtri excitandam, & conſequenter ad eccleſiam maximè ædificandam. Et ut mores dicentis dicuntur perſuadere, non oratio: ſic vis pietatis ἀνυποκρίτου magis perſuadebit, quam docta & diſerta concio; & conciones ſimplices ac ſcripturariæ cum precibus fortium in fide & pietate, nihilominus efficaces, magis afficient ac trahent corda τεταγμένων ad vitam æternam (*Actor.* 13. *v.* 39.); comitante eas peculiari benedictione divinâ. Exempla nobis dederunt piiſſimi & *zeloſiſſimi* in primâ reformatione miniſtri. Quorum aliquos meâ ætate adhuc ſuperſtites novi; aliquos ante meam ætatem, aut ante aliquam meam iſtarum rerum cognitionem, defunctos, mihi ab aliis indicatos memini. Nec defuerunt hic & alibi eximiè eruditi ac diſerti, qui comitante aut antecedente ſingulari pietate, humilitate, zelo Dei ſecundum ſcientiam, myſterium fidei tenentes in bonâ conſcientiâ, & animosè decertantes pro fide ſemel ſanctis datâ, *ratiocinationes* everterunt, *omnemque ſublimitatem, qua ſeſe extollit adverſus cognitionem Chriſti*, *& in captivitatem* redegerunt *omnem cogitationem ad obediendum Chriſto* 2 Cor. 10. v. 5.

III. *Quæſt. Cur tantopere in miniſtro requiritur patientia? Reſp.* Quia ratione vocationis & muneris ſui debitor eſt omnibus; & *Græcis & Barbaris* tum ſapientibus tum inſipientibus *Rom.* 1. *v.* 14. Debet *ſe omnibus ſervum facere*, ut omnes lucrifaciat; & debet infirmis fieri infirmus, ut infirmos lucrifaciat; debet omnibus fieri omnia, ut omnino aliquos ſervet 1 *Cor.* 10. *v.* 19. 20. A mundo, qui in malo poſitus eſt & ab omnibus eccleſiæ hoſtibus, tum infidelibus, tum hæreticis, tum tyrannis & perſecutoribus petitur; Satan ſtabat ad dextram Joſuæ ſacerdotis *Zachar.* 3. *v.* 1. Debet cum Chriſto contradictiones peccatorum (*Hebr.* 12 *v.* 3.) ferre; inſidias, pericula, moleſtias, vexationes à falſis fratribus exſpectare

(*1 Cor.*

Digitized by Google

(2 *Cor.* 11. *v.* 26. *Galat.* 2. *v.* 4.) : omnes oves ſuas πρωτοφορεῖν. Oſtendit hoc Apoſtolus in ſuo exemplo 1 *Cor.* 4. cum 2 *Cor.* 11. Et *Jeremias* in ſuo, *cap.* 15. *v.* 10. - 21. *cap.* 20. *v.* 7. - 11. Lutheri dictum refertur, quod *omnis fidelis miniſter ſit vir contentionum.* A quo non abludit *Corn. à Lapide* ad verba *Jerem.* 15. *v.* 10. *virum rixæ & diſcordiæ.*

„ Sic, inquit, Chriſtus Judæis fuit vir rixæ, &c. Sic qui Reſpublicas & „ religiones, (*cur non addit, eccleſias?*) deformatas & collapſas refor- „ mare volunt, libertinis ſunt viri rixæ. Conferenda huc quæ ſupra *lib.* 2. *tract.* 1. *cap.* 3. de difficultate miniſterii fuſius diſſerimus: unde concludimus ferreâ & heroicâ patientiâ opus eſſe miniſtris; & Deum orandum, ut miniſtris ſuis det *faciem fortem* contra faciem eorum & frontem fortem contra frontem eorum. Et adamantem fortiorem ſilice & frontem eorum, &c. *Ezech.* 2. *v.* 8. 9.

Amorem & ſtudium veritatis requiri, & explorari debere in vocando §. 2. ſive proponente ſive miniſtro, diſcimus ex Tit. 1. v. 9. *Tenacem fidi illius ſecundum doctrinam ſermonis*, &c. 1 Timoth. 6. v. 3. 4. *Si quis diverſam docet doctrinam*, &c. *Is inflatus eſt*, &c. *O Timothee depoſitum illud cuſtodi, & averſare profanos illos de rebus inanibus clamores, & oppoſitiones falſo nominatæ notitiæ. Quam nonnulli præ ſe ferentes circa fidem aberrârunt à ſcopo.*

Signa, unde quis lubricitatem in vocandis miniſtris aut proponentibus deprehendat, ſint iſta. 1. *Si* acuti quidem; ſed ſuperbi, petulantis, deſultorii ſit ingenii. 2. *Si* ſit contradictorii ſpiritus; Et ſi in dubiis movendis ſatagat magis, quam in dubiis & objectionibus aliorum, quavis occaſione, ſolvendis. 3. *Si* preſentia & ex verbo Dei recepta theologemata faſtidiat; & novis atque inauditis curioſitatibus inhiet. 2 Timoth. 4. v. 3. 4. *ſed auribus prurientes*, &c. 4. *Si* per ἀνθρωπαρεσκείαν & ſimulationem nova illa & in cerebro natantia paradoxa ſubinde prodita, apud orthodoxos, qui abeſſe aut prodeſſe poſſint, rejiciat, aut revocet, aut ſpecie aliquâ refutet, minus tamen ſolide: interim contra communes, & genuinas refutationes ac reſponſiones caſcis ratiunculis ac ſophiſmatis excipiat. Quale artificium in iis, qui καινοφωνίας conceperunt, aut eas parturiunt, aut jam pepererunt, diligenter obſervandum, & frequenter obſervatum eſt, atque etiamnum hodie obſervatur. 5. *Si* extollat & exaggeret heterodoxorum aut hæreticorum, ingenia, ſubtilitates, methodicas conciones, & quaſi inſolubiles ratiocinationes ac diſſertationes. Quomodo inter primos & primipilos *Remonſtrantes* in Belgio noſtro, qui ſe Socinianos negabant, & orthodoxam de Trinitate doctrinam adhuc profitebantur: negabant tamen Sociniana à quoquam orthodoxorum ſolide refutata; nec ipſi ſolidam.

Digitized by Google

dam refutationem dabant, aut moliebantur. Quod quid aliud erat, quam hoſti manus dare; aut ſaltem in Dubitantium, Scepticorum, Neutralium caſtra concedere? Aliis pręteritis, duo ſolummodo exempla hic indicabo, *Joh. Wttenbogardi* & *Grotii*: quorum ille confeſſionem de *Trinitate*, poſt edita *DD. profeſſorum Leidenſium* excerpta ex Apologiâ, *Celſiſſ. Principi Arauſonienſi Henrico Friderico* obtulit, quę typis edita eſt: ut his technis toti Chriſtianiſmo exoſa, & ab omnibus politiis (exceptâ forte *Tranſilvaniâ*) proſcripta nova monſtra Arriana, à Remonſtrantibus removere videretur. Interim inter ſocios ſuos Remonſtrantes fovebat, & fraternitatem ac ſocietatem cum iis colebat; quos ſatis noverat Socinîſmi κυρίας δόξας amplecti. Et ipſe adhuc optare, & quaſi exſerto capite exſpectare ſe profitebatur, ſolidam *Socini* refutationem. Vide præſumtiones & probationes de Remonſtrantium Sociniauiſmo in 1. *part. ſelect. diſpp. tit.* de neceſſitate & utilitate doctrinæ de Trinitate, adductas. Et de *Joh. Wttenbogardo*, notas noſtras ad epiſtolam miniſtri cujuſdam Sociniani, cum catechizatione catech. Remonſtrantici, noſtro idiomate editas. *Grotius*, cum in *Pietate Ordinum Hollandiæ*, in portenta Sarmatica & Arriana tragicè declamaſſet ad ſuſpicionem omnem à ſe, & odium à Remonſtranticâ & Vorſtianâ causâ avertendum, & ipſe de Satisfactione Chriſti contra *Socinum* anno 1617. doctè ſcripſiſſet, quod ſcenæ hoc tunc inſerviret: poſtea tamen à Crellio Sociniano operosè refutatus, vadimonio deſerto nihil repoſuit, nec à ſociis ſuis Remonſtranticis, quorum ingenioſiſſimi & doctiſſimi aliqui ſupererant, quidquam reponi curavit: quin contra ſcriptis ſuis exinde editis, aliiſque indiciis ad Sociniana nonnulla ſe accedere oſtendit: quæ excepit cataſtrophe Grotii ad Papiſmum inclinantis, aut ſaltem ſyncretiſimum cum Papiſmo molientis. De quo eruditus theologus Jacobus Laurentius in *Grotio* Papizante, & celeberrimus *Rivetus* in ſcriptis *c. Grotium*. 6. Si in inferioribus diſciplinis adverſus bene inter Chriſtianos poſita, faſtidiis, dubitationibus, & oppugnationibus ſuis, præludat. Qui enim lubricam hanc viam ingreſſus eſt, facile ad nova heterodoxa & paradoxa in theologiâ prolapſurus non vanè præſumitur; niſi jam prolapſus ſit. Experientia hoc nos docuit, & dies manifeſtaturus eſt. Nemo enim repente fit peſſimus.

§. 3. *Ingenium* requiritur in eligendo. Quamvis enim improbo labore, quaſi per infundibulum, aliqua per inſtitutionem alicujus, infundi poſſent, quæ tempore examinis præparatorii, ad pręformatas quæſtiones inſtar pſittaci reſponderet, ſiquidem idem prædagogus obtingeret examinator: ſi tamen ingenio deſtituitur, conceptus prædicabiles (ita loquar) formare non poterit nec catechumenorum reſponſione sdijudicare, eaſque vel approbare, & uberius

uberius explicare, vel improbare & corrigere; multò minus ad quæſtiones & objectiones à catechumenis propoſitas aut ad caſus conſcientiæ ab ovibus oblatos reſpondere. Quid dicam cum heterodoxorum promachis, occaſione ita ferente, diſputationes ſubire?

Quod ſi quis dicat, fieri poſſet, ut quis cætera ſatis ſtupidus, diſertas habeat conciones: Sic eſt; ab aliis ſcriptas, ac memoriæ mandatas, ſibique non ſatis intellectas. Pollent enim nonnunquam obtuſa ingenia aliquâ memoriæ vi: uti & ſemi-fatui, immo & pſittaci; qualis ille *Cardinalis Aſcanii Columnæ*, à quo orationem dominicam, Symbolum, & ſalutationem angelicam, recitatam ferunt. Quid ſi tales ab aliquo aures eorum diu multumque obtundente, eandemque viam toties eunte redeunte, pędagogicè inſtituti eſſent; & ubi ad rem ventum eſſet, ad quæſtionem, quotuplex eſt peccatum? Reſponderent, *Duplex Juſtificans, & non juſtificans?* Quod ſi alius coram auditoribus ſuis, cum παῤῥησίᾳ volubiliter expeditè & diſertè diſſereret de peccato originali in angelis & in diabolis: hac tamen cum differentiâ, quod in iſtis dominetur, in illis non dominetur. Inhærent aliquando termini ex diuturnâ pædagogi obtruſione an intruſione; quos ingenio deſtituti, malè conjungunt, aut malè ſeparant. Immo quid ſi ingenio apprehenſivo non plane obtuſi, judicio tamen deſtituti, ipſi ex lectione bonorum autorum conarentur formare conciones, aut reſponſa theologica; interim objectionem aut exceptionem arriperent pro orthodoxi iſtius theologi ſententiâ; aut conditionatum ac limitatum quid, tanquam abſolutè & indiſtinctè aſſertum. In 4. *part. ſelect. diſpp. tit.* de argumentis theologicis ab abſurdo conſequenti, ἀκρισίαν quorundam detexi, qui tamen ingenioſi ſibi videntur. In delectu ingeniorum ad ſtudia, prępſertim ad ſtudia theologica (de quo *lib.* 1. bibliothecę noſtrę *cap.* 1.) attendendum eſt ad vim apprehenſionis, judicii, memoriæ; quæ titulo ingenii complectimur. Requiſitum memoriæ ad conciones habendas, ad teſtimonia ſcripturę publicè pro concione, & in collationibus, cum domeſticis aut adverſariis publicè privatimve alleganda ac recitanda, omnino neceſſarium. Neque enim conciones ex libro aut ex ſcedis ſuis vel integras vel ex parte legere, aut in collationibus ad monitorem aut ſuggeſtorem aliquem aut ad propria ſcripta paſtori confugere licet, ſaltem minime decorum eſt.

De requiſitâ eruditione in rebus theologicis, etiam in linguis ac ſcien- §. 4.
tiis theologiæ ancillantibus, actum eſt in Bibliothecâ noſtrâ *lib.* 1. *cap.* 3. 4. 5. & *ſeqq.* Et ſupra *lib.* 2. *tract.* 1. *cap.* 3. ubi de miniſterii difficultate. Et *part.* 1. *lib.* 2. *tract.* 2. *ſect.* 2. & *tract.* 3. *cap.* 1. 2. 3. ubi agenda eccleſiaſtica & paſtoralia explicantur: unde requiſita eruditio invictè colligitur.

Elo-

Digitized by Google

§.5. *Eloquentiam* requiri, vel ſolum concionandi officium & artificium *part.* 1. *lib.* 2. *tract.* 2. *cap.* 3. §. 2. deſcriptum, evincere poterit. Neque enim paſtores in ſacris & publicis ſunt κωφὰ πρόσωπα. Quamvis δύναμις ἑρμηνευτικὴ, & eloquentia etiam à privatis agendis abeſſe nequeat: qualia ſunt *errantium convictio*, *afflictorum conſolatio*, *tepidorum adhortatio*, *labentium correptio*, *diſſidentium conciliatio*. De quibus *part.* 1. *lib.* 2. *tract.* 3. *cap.* 3. §. 4. & *cap.* 4. Et pluribus in Exercitiis pietatis *cap.* 24.

§.6. *Prudentiam* in Paſtore requiri, diſcimus ex 1 *Corinth.* 3. *v.* 1. 2. & 9. *v.* 11. 12. *Galat.* 4. *v.* 20. Comparantur paſtores Oeconomis: atqui illi debent eſſe fideles & prudentes *Luc.* 12. *v.* 42. 1 *Cor.* 4. *v.* 1. 2. Comparantur ἡγεμόνες in politia: talibus autem convenire prudentiam, indubium eſt. Quin omnibus fidelibus prudentia neceſſaria eſt. *Epheſ.* 5. *v.* 15. quanto magis paſtoribus *Math.* 10. *v.* 16. Prudentia enim eſt habitus agendi ea, quæ homini ſunt bona. Philoſophus 6. *Ethic. Nicomach. cap.* 9. comites ejus (quos adminiſtras alii appellant) numerat quatuor εὐβουλίαν, σύνεσιν, γνώμην, δεινότητα. Ex prudentiæ apud Moraliſtas tum philoſophos tum theologos deſcriptione, facile apparebit talem virtutem in paſtore & rectore ovium *Chriſti* requiri. Vide deſcriptionem & explicationem prudentiæ apud Ethicos ad locum *Ariſtotelis* cit. & apud Scholaſticos ad 22. *quæſt.* 47. 48. 50. *Leſſium* de Juſtitiâ & jure *lib.* 1. Tractatum peculiarem *Chavaſſii* de verâ & perfectâ prudentiâ.

CAP. II.

De putatitiis eligendorum requiſitis, hoc eſt, requiſitis non-requiſitis, ſeu pſeudo-requiſitis.

§.1. QUamplurima ſunt, quæ aliquando, aut ab aliquibus injuſtè requiri poſſunt in vocandis, ad miniſterium, aut in miniſterio tolerandis.

I. *Eſt cœlibatus* quem Papatus in omnibus non tantum ad paſtoralem curam, ſed etiam ad alios gradus eccleſiaſticos promovendis requirit. *Concil. Trident. ſeſſ.* 24. *can.* 9. *Bellarmin. lib.* 1. de membris *eccleſ. milit. cap.* 18. & *ſeqq.* Sed refutant requiſitum hoc cœlibatus, *Chemnitius* in Exam. *Concil. Trident. part.* 3. *Fr. Junius* in *animadverſ.* ad *Bellarmin.* aliique Papatus Antagoniſtæ. Poſt multos alios *Georgius Calixtus* conjugium Clericorum peculiari tractatu anno 1631. vindicavit ex ſcripturâ, rectâ ratione juſtiſque naturæ legibus, eccleſiaſticâ antiquitate per ſingula ſæcula uſque ad ſeptimum. Additis teſtibus veritatis ſub Papatu, uſque ad *Caſſandrum* & *Wicelium*

Digitized by Google

Wicelium incluſè. Imprimis hic notandum quæ in *Concilio Tridentino* diſceptata ac deliberata fuerunt ſuper cœlibatu ſacerdotum *lib. 7. hiſtor. Concil. Trident.* Poſt *Calixti* tractatum prodierunt ſcripta *Andr. Riveti* contra *Grotii* anotata ad *Caſſandri* conſultationem: ubi etiam agitur de cœlibatu ſacerdotum. Specilegium forte aliquod fieri poſſet, ſi operæ pretium eſſet. In Germaniâ paſſim uſque ad tempus reformationis, immo & poſt illud, clericos non paucos clanculum duxiſſe uxores, quæ aliis concubinę videbantur, ex fide dignis accepi. Saltem in Galliâ illud circa annum 1001. adhuc non tam monſtroſum fuiſſe, ut apertè ducerent uxores, colligimus ex Ivonis *Carnutenſis epiſt.* 200. & 218. ad epiſcopum Pariſienſem ſcribit: *p.* 379. „De canonico eccleſiæ veſtræ, qui contra prohibitionem „veſtram matrimoniales tabulas ſibi compoſuit, nullam ſententiam ad „manum habeo, quam dilectio veſtra ignoret, ſi ſcripta apud ſe repoſita „diligenter exploret. Verùm tamen conſilium quod mihi ipſi darem, ſi „aliquem de commiſſis mihi fratribus uxoria compede adſtrictum deprehenderem, tutum eſſe intelligo: videlicet ut ſacramentum conjugii maneat, clericus verò qui poſtpoſita clericali continentia de ſuperiori ordine ad inferiorem deſcendit, ſtipendia militiæ clericalis amittat.

Adhæc ſic annotat *Fr. Juretus* editor epiſtolarum *Ivonis.* Unde colligi „poteſt, tunc temporis in *eccleſiâ Gallicanâ* difficile fuiſſe continentiam „clericis perſuadere, & multos exſtitiſſe uxoribus alligatos. Et citat ibidem *epiſt.* 200. & 186. Ex *Nicol. Monach.* ſcriptore vitæ *S. Godefridi epiſcopi Ambrunenſis lib. 2. cap.* 8. refert *eum infames* clericos, vel impuro matri„monio copulatos, non ſolum à ſuo conſortio, ſed etiam à chori ingreſſu „conſtanter arcere ſolitum.

Idem lib. 3. c. 15. dicit multum negotii cum clericis impuro conjugio pollutis, fuiſſe epiſcopo ut corrigerentur. Ibidem ex *chronologiâ Antiſſiodorenſi* ad *ann.* 1119. refert *Guidonem archiepiſt. Viennenſem* presbyteris, diaconis, ſubdiaconis, prohibuiſſe uxorum contubernia. Idem ex *Anſelmi Cantuarienſis* epiſtolis nondum æditis, & ex *Matheo Paris*, quod cum *Rex Angliæ* præcepiſſet, ut presbyteri eccleſias & fæminas haberent, ſicuti tempore patris ſui & *Laufranci archiepiſcopi*; *Anſelmus* tamen omnes uxoratos eccleſiis ſuis privari juſſerit. In Angliâ clerici uxorati circiter annum 1000. per Edgarum regem expulſi ſunt. Nihilominus prævalente illâ tyrannide multi habuerunt ſuas uxores, ſed ſchemate concubinatum. De quo Illyrici catalogus *lib. 9. pag.* 978. *& ſeqq.* Legatus ducis Bavariæ in oratione coram *Concil. Trident.* 27. *Junii* 1662. habitâ, de clandeſtinis presbyterorum in Germaniâ conjugiis, ſic teſtatur: In proximâ „ajebat, viſitatione per Bavariam factâ, tam frequens concubinatus re-

„ pertus fuit, ut vix inter centum, tres vel quatuor inventi ſint, qui aut „ manifeſti concubinarii non fuerint, *aut clandeſtinà matrimonia non con-* „ *traxerint*, *aut uxores palam non duxerint. Ibid. ſol.* 58. 6. (*edit. Pariſ. in* 8. *anno* 1563. apud *Joh. Dallier.*) „ Nec vero ignorat Illuſtr. Princeps, quid „ à pleriſque ne ſeria aliqua morum repurgatio ſuſcipiatur, objici ſoleat. „ Cùm verendum ſit, ſi Clerus ex rigore antiquiorum Canonum reformari „ debeat, fore omninò, ut plerique omnes præſertim Parochi, Parochia- „ rumque miniſtri, (qui ferè omnes concubinarii ſunt) ſuas Eccleſias de- „ ſerant, & confugiant ad ſectarios, ubi concubinas liceat in uxores ſu- „ mere, & unumquemque ex libertate carnis, ita, ſicuti velit, vivere. „ Negari haud poteſt, quin hæc omnia in malis ſacerdotibus exſpectanda „ ſint; in bonis autem nullo modo. Verum utcumque hoc metuendum „ videatur, non defuit tamen olim, nec nunc deeſt huic malo nodo con- „ gruens cuneus. *Ibid. ſol.* 49 6. Cæterum exiſtimant, plerique viri re- „ rum Germanicarum periti, tale nunc eſſe in Germania ſæculum, quaſi „ per quandam occultam naturæ vim, quæ non modo omnes libidinoſos, ſed „ etiam moderatos, vereque Catholicos eò perduxit, ut plerique omnes „ caſtum matrimonium contaminato cœlibatui præferendum arbitrentur. „ Quam ob rem animadvertitur paſſim præclara ingenia doctiſſimoſque „ homines ducere uxores malle, ut careant Eccleſiaſticis beneficiis, quàm „ Eccleſiaſtica beneficia acceptare, & carere uxoribus. Videlicet cùm vi- „ deant reliquam Cleri multitudinem gulæ libidinumque flagitiis cooper- „ tam, magno detrimento eſſe ac dedecori Catholicæ religioni, ne ipſi „ in hoc contaminationis grege verſari cogantur, eorumque videri conſi- „ millimi. Hinc etenim doctorum hominum in clero penuria extitit, „ hinc Cleri deteſtanda inſcitia taxit originem, hinc hæretici ſumpſerunt „ vires, Eccleſia verò debilitata eſt. Periti igitur qui preſſius hæc negocia „ accuratiuſque diſcuſſerunt, exiſtimant quod ad ſublevandam penuriam „ docti, idoneique Cleri, vix alia ratione, præſertim hac ætate noſtra „ in Germania Clerus inſtaurari ac ſaltem ad obeunda neceſſaria Eccleſiæ „ munera ſatis frequens haberi queat, niſi more primitivæ Eccleſiæ docti, „ mariti & ad docendum inſtructi admittantur ad ſacros ordines: præ- „ ſertim verò ad prædicandum & amplificandum populo verbum Dei. Le- „ gis enim divinæ cum non ſit, ut oportet hominem Sacerdotem eſſe cœ- „ libem, ſiquidem conſtet ex veterum monumentis atque hiſtoriis, mari- „ tos ſacris ordinibus initiatos eſſe, & non modò ad ſacerdotii dignita- „ tem, ſed etiam ad ſublimitatem Epiſcopi pervenire.

De fœdâ & vagâ libidine clericorum conſulendi ſcriptores Papales, ab Illyrico in catalogo, & à *Mornæo Pleſſiaco* paſſim citati.

II. *Eſt*

II. *Eſt regularitas* requiſita; ut ſcil. adſint omnes conditiones, & nulla abſit ex mox indicandis. Regularitati opponitur irregularitas: de quâ operosè Pontificii Caſuiſtæ. Nos ex Jeſuitę *Valerii Reginaldi praxi fori pænitentialis* lib. 30. tract. 2. breviter hic notitiam irregularitatis exhibemus. Definitur ipſis, *impedimentum canonicum ex facto vel defectu proveniens: quo quis prohibetur ad eccleſiaſticos Ordines promoveri, & in iiſdem miniſtrare.* Hoc impedimentum ibidem, ex *Majolo*, *Covaruivia*, *Henriquez* aſſerit variis aliis nominibus in Jure canonico indicari: qualia ſunt, „non audeat promoveri. Non aſpiret ad ordines, Non promoveatur, Pro„hibetur ordinari, Non adducitur ad miniſterium altaris, Ad miniſte„rium eccleſiæ admitti non poteſt, A ſacerdotii officio alienus ſit, Prohi„betur à ſacerdotio, A clericali officio cogatur abſtinere, Ceſſabit à *Cle„ro*, Non poteſt ſuſcepto miniſterio perfrui, Dejicitur officio vel Clero, „Alienus à regula, Impedimentum præſtat, ne pertingat ad ſacros Or„dines.

Ibidem diſtinguit inter cenſuram, & irregularitatem. *Illam* dicit eſſe vinculum, quo quod ad animam ligantur delinquentes: ut ad reſipiſcendum à delicto, vel illud in poſterum cavendum inducantur. Quod vinculum tollitur *abſolutione*. *Iſta* eſt impedimentum inhabilitatis inſtitutæ (*à Jure canonico*) ad reverentiam divinorum: quod tollitur *diſpenſatione* aut *rehabitione*.

Addit ibidem irregularitatem hanc efficienter ita eſſe à jure canonico, ut illius quoddam fundamentum ſit in jure tum naturali tum divino.

Generalia documenta de irregularitate, & modis, quibus tollitur irregularitas, ſtudio nunc præterimus. Species irregularitatis enumerat duodecim.

In 2. *ſpecie*, quæ eſt ex defectu corporis noto irregularitatem ex defectu ſolius unguis. In tertiâ ſpecie quæ eſt ex defectu ętatis, noto irregularitatem ex defectu anni 25. incepti. In quintâ ſpecie ex defectu naturalium, noto, ſpurios à principe ſæculari legitimatos eſſe irregulares, & filios hæreticorum, ut & Fidelium qui hæreticos receperunt, aut defenderunt, aut iis faverunt, in paternâ lineâ, quoad 1. & 2. gradum, & in maternâ quoad primum tantum. In ſextâ ſpecie, quæ eſt ex bigamiâ, noto irregularem non eſſe, qui plures habuit concubinas, ſed unicam uxorem virginem duxit: nec etiam eum, qui contraxit quidem cum multis, ſed cum unâ tantum & quidem virgine copulam habuit: nec eum qui viduam aut vitiatam duxit. In ſeptimâ & octavâ ſpecie, ex homicidio aut membri mutilatione; noto irregulare, ex eo, quod dicit carnifici, ut aliquid apte, quo citius is, qui morte plectitur, exſtinguatur. Item ſi quis, dum reus ad

by Google

„ſupplicium dicitur, conſilium dat capiendi viam breviorem, quo illud „ſubeat citius; aut ſollicitet accelerari executionem juſtitię, dicendo ver„bi gratiâ horam eſſe tardam, &c. aut ſi qui videns funem, quo aliquis „ſuſpendendus eſt, non eſſe bene ligatum; aut gladium quo trucidandus „eſt, non bene ſecare, eâ de re admoneat, &c. Qui ad defenſionem juſtam patris aut matris, aliquem mutilaverit. Qui Monachus peritus artis chirurgicæ incidit tumorem mulieri, quæ contra præceptum ipſius expoſuit ſe vento, & inde mortua eſt. Quia monachis & conſtitutis in majoribus ordinibus prohibita eſt chirurgia, *cap. ſententia.* Ne clerici vel monachi. Qui bis Baptizatus fuerit; etiamſi illi id contigerit per ignorantiam. Qui in adultâ ætate Baptiſmum ab hæreticis ſuſceperunt: & qui in infantiâ Baptizati ab hæreticis, in adultâ ætate illis conſenſerunt. Has aliaſque irregularitates cum rejicimus, inter putatitia requiſita numeramus, vacuitatem à quoque iſtorum factorum. Subjiciamus nunc aliqua, quæ in eccleſiis extra Papatum ſubinde indebitè in vocandis requiri aut requiſita eſſe, obſervavimus.

III. *Requiſitum* non-requirendum eſt, ſubſcriptio libri concordię. De quo *Hoſpiniani hiſtoria de libro concordiæ; & Admonitio Neoſtadiana de eodem*, ejuſque admonitionis defenſio. Subſcriptio & *receptio Decreti Ordinum Hollandiæ, pro pace Eccleſiarum* anno 1614. de quo ſcriptum *anonymum* tit. *Chriſtiana & neceſſaria Declaratio*, &c. *Lat.* & *Belg.* 1615. & Triglandii Hiſtoria eccleſiaſtica. Subſcriptio & receptio Ordinis eccleſiaſtici ab *Ordinibus Ultrajectinis* anno 1612. conditi & præſcripti. Similes ſubſcriptiones in Belgio aut extra Belgium requiſitas, inter tendiculas refero, quibus optimi & eccleſiæ alicujus ædificationi quam maximè idonei, arceantur.

IV. *Requiſitum*, conformabilitas, & conformatio cum toparcha, aut ſatrapâ, aut prætore, aut conſulibus, aut Magiſtratu, ſive in theologicis, ſive in ſæcularibus negotiis & cauſis: ita ut ſatis exploratum ſit, eum verbis & factis conformabilitatem ſuam ſatis ſuperque declaraſſe. Fundamentum iſtius requiſiti quæritur in duabus hypotheſibus. Quarum prior eſt, Paſtor eccleſiæ eſt miniſter Magiſtratus, ſicuti alii ipſorum miniſtri ſive *domeſtici*; quales cubicularii, curſores, pœdagogi liberorum, menſarii (Belg. *Caſſiers*): ſive *publici*, ut quęſtores, actuarii, à rationibus, tabularii, oſtiarii, apparitores, teſſerarii ſeu vigiliarum præfecti, centuriones, &c. *Poſterior* eſt, *Cujus pane quis veſcitur, ejus verbum loquitur*: uti habet noſtratium proverbium. Jam vero paſtores (uti putatur) veſcuntur pane toparchæ aut Magiſtratus, ut dicendum ipſis ſit cum hoſtibus Judæorum Ezrę 4. v. 14. *pro viciſſitudine ſalis palatii, quem comedimus*, &c. Itaque quamvis toparchâ aut

aut conſulibus orthodoxè *e. gr. de libero arbitrio* & gratiâ, aut de clavibus & diſciplinâ eccleſiaſticâ, aut de miniſterii eccleſiaſtici neceſſitate, &c. ſentientibus, quis munus paſtorale in illâ eccleſiâ ſuſceperit, & per multos annos obierit: mutatâ in aliquo iſtorum ſententiâ toparchæ aut Magiſtratus, & ipſe paſtor ſententiam ſuam mutare, ac falſam e.gr. de conditionatâ prædeſtinatione, aut de ſynergiâ liberi arbitrii in primo converſionis momento, aut de apoſtaſiâ ſanctorum, aut aliam quam fanaticam ex *Thoma Hobbes Cive*, aut *Leviathane* amplecti & profiteri debet; ſaltem veritates illis oppoſitas jam non amplius, uti hactenus ſolet, publicè privatimve docere. Hoc enim eſſet rebellio, ſeditio, reſiſtentia, toparchæ, aut conſulibus, aut Magiſtratui facta: uti canebat *fiſtula Remonſtrantium* ab anno 1610. uſque 1618.

V. *Requiſitum* non requirendum eſt *Formalitas & conformatio. Formalitas* in ſtudio & praxi pietatis, ut reformatio & renovatio noſtra uſque ad civilis honeſtatis, & formaliſticæ pietatis ac religionis (*μόρφωσιν εὐσεβείας 2 Timoth. 3. v. 5.*) terminos producatur, nec ultra illas Herculis columnas contendat. *Conformatio* cum hoc præſenti ſæculo; non quidem in craſſis quibuſque peccatis & flagitiis; ſed in conſuetis & communiter poſitis; quæ adiaphora, aut parvæ vanitates praxios currentis appellantur; & morum patriç ſeu nationis & quaſi legis vicem tenent. Ejuſmodo *Formaliſta & conformiſta*, viris de hoc ſæculo, dicuntur & habentur χαρίεντες, ſuaves, humani, lepidi, civiles, converſabiles, quoſvis obligantes. Contra qui tales non ſunt, ſed Deum timent, & ἀπρόσκοπον conſcientiam coram Deo & hominibus ſervare ſtudent (*Actor.* 24. *v.* 16.) qui ſtudent ad omnia Dei præcepta attendere, nec ſe conformant huic ſæculo; conformiſtis; tepidis & laxis illis dicuntur præciſiſtæ, rigidi, phantaſtici, humoriſtæ, *hypochondriaci*, ſingulares; Geuſii monachi, Geuſii Jeſuitæ, Anabaptiſtæ, zelotæ ſpiritus (*Belg.* Geeſt-Drijvers); *Tremuli* (vernaculè Quakers), Pharizæi, hypocritæ, αὐθάδεις, ſuperbi, execratores, condemnatores, contemtores fratrum. Tales nonnunquam arceri; & Formaliſtas, ac Conformiſtas ab aliquibus requiri, commendari, promoveri; facile credet ille, qui aures & oculos habet, & præcedentium ſæculorum hiſtorias perluſtravit. De zelo, ſingularitate, ſimplicitate, præciſitate, formalitate, hypocriſi, agimus in 2. *part. tit. ſelect. diſpp. tit.* de ſimplicitate & hypocriſi; & in 3. *part. tit.* de theologiâ practicâ, & de Præciſitate.

VI. *Requiſitum* non requirendum eſt tepor, neutralitas, facilitas; quam perperam nomine pacis, & moderationis, indigitant. Hoc volunt, ut ſit ἀνθρωπάρεσκος, verſatilis, cereus, tepidus, ſecurè tranquillus, inſtar Gallio-

nis *Actor.* 18. *v.* 17. Qui in dogmaticis multa non attingat, aut ea ſuſque deque habeat; qui de diſſidentibus in dogmatis dicat, *Tros Tyriuſve mihi nullo diſcrimine agetur*; qui in moralibus & practicis multa prętereat, aut in medio relinquat; qui peccata non ita characterizet, ut ad hunc aut illum peccantem facile applicari poſſit; ut in generali explicatione materiæ aut doctrinæ alicujus ſubſiſtat & totus ſit; in uſibus parcus, in applicatione nullus; ut conſolationes & generales atque abſtractas adhortationes uſibus ſuis inſpargat, à reprehenſionibus, & elenchis abſtineat; ut ad dominicales textus conciones ſuas circulariter inſtituat, & textus explicationi inhęreat; applicationem conſcientiis auditorum relinquat.

VII. *Requiſitum* non-requirendum eſt, amplexus opinionis alicujus novæ à communi & receptâ theologiâ recedentis; aut ſaltem ſi quis eam & rationes ejus non percipit, favor erga parturientes aut promoventes talem opinionem, e. gr. de gratiâ univerſali; de ſyncretiſmo cum Remonſtrantibus; de Magiſtratus poteſtate interna in eccleſiaſticis, ejuſdemque directo, immediato, primo regimine eccleſiarum; de diſciplinæ exercitio ab eccleſiâ tollendo; de fanaticis opinionibus *Hobbeſianis* alibi indicandis; de ratione humanâ, infallibili normâ interpretationis ſcripturæ; de remiſſione peccatorum, adoptione & ſpiritu adoptionis poſt Chriſti mortem, demum datis; de typis ex textibus V. T. (abſque ſcripturariâ probatione) ſive aſſertis, ſive conjectatis, ſive præſumptis, qui alibi indicandi erunt; de novem præceptis legis moralis decalogicæ; de dictorum feſtorum e. gr. Chriſti nativitatis, circumciſionis, paſſionis ſeu mortis, &c. æſtimio & ſolenni celebratione ſupra diem dominicum; de probando & defendendo fœnore trapezitico, ab univerſali Chriſtianiſmo, & ſynodis Belgicis damnato; de conſuetudine circumferendi pocula ſalutis, à me in 4. *part. ſelect. diſpp. tit. de Ebrietate p.* 501 *deſcripta.* Sed infinitum eſſet recenſere, ob quam ſententiam veritatis, aut ob quos mores quamvis bonos & laudabiles, immo ob quam ἰξοχὴν virtutis, aut diligentiæ in functione muneris ſui pium & maxime idoneum miniſtrum nonnulli aliquando arcere ſtudeant, ne vocetur; & ſi vocetur ab eccleſiâ, approbationem Magiſtratus, quæſitis prætextibus, & conſutis dolis, impedire.

VIII. *Requiſitum* non requirendum, ut ducat & promittat ſe ducturum viduam aut filiam concionatoris defuncti. De quo ſupra. Adde Thummium in explic. decalogi *p.* 247. Simile iniquum requiſitum eſſet (quale alicubi in rerum naturâ fuiſſe, ex aliquo audivi), ſi vocandus & eligendus, patroni domeſticam quam multorum annorum famulatu delaſſatam, aut ejuſdem cognatam, aut clientem ducturum ſepromittat: ut promiſſio illa ſit electionis, conditio, ſine quâ non. Nec omnino abludit ab hoc requiſito, ſi quis vocandus pro-

promittat ſe ducturum filiam alicujus concionatoris jam emeriti, aut propediem futuri emeriti; qui hâc conditione illi procurat vocationem ad iſtam eccleſiam.

IX. *Requiſitum* non requirendum eſt, ſi vocandus aut vocatus neutiquam idoneus, promittat ſe operam daturum, ut fiat idoneus. Ita in Papatu pingue aliquod beneficium aliquando conferri ſolet magnatum liberis aut cognatis, qui operam theologiæ non dederunt, nec unquam daturi videntur: hâc ſpe & conditione, quod operam theologiæ daturi ſunt, & *[illegible]* ſibi paraturi. Vide Canoniſtas de exſpectativis, de coadjutoriis, &c. Quin aliquando talem conditionem, ſtipulationem & promiſſionem, non intercedere, aut ſi intercedat, eſſe merè *ceremonialem* (uti memini ſcriptorem quem cauſas politicas tractantem, *juramentum* quod præſtant reges, appellare *ceremoniale*); ex praxi non tantum quotidiana ad oculum patet, ſed etiam colligi videtur, ex *Concil. Trid. ſeſſ.* 23 *cap.* 6. ubi decernit, ut nemo ante annum decimum quartum (inchoatum ſcil.) beneficium eccleſiaſticum obtineat; & ubi obtinuerit, eccleſiæ alicui in„ſerviat, vel in ſeminario Clericorum, aut in aliquâ ſcholâ, vel univerſi„tate, de licentiâ epiſcopi, quaſi in viâ ad majores ordines ſuſcipiendos „verſetur. Et *ſeſſ.* 24. *cap.* 18. ubi promovendi ad paſtoratum, ſeu ad curam eccleſiæ parochialis jubentur examinari, à delegatis examinatoribus. „Sint vero, ajunt, hi examinatores Magiſtri ſeu Doctores, aut licentiati „*in theologiâ aut iure canonico*. Et ſeſſ. 21. in Remiſſionibus ex Canoniſtis & Caſuiſtis determinatur. Quod Doctor in ſacrâ theologiâ vel jure cano„nico, vel alias *perſona graduata & litterata*, &c. poſſit legitimè ordina„ri ſub titulo literaturæ. *Addunt alii ibid citati*, hoc etiam ex æquitate „& epieicheia procedere in baccalaureo in theologiâ vel jure canonico, „*qui eſt bonus ſcholaſticus* (id eſt, trivialis.) *Seſſ.* 5. *cap.* 1. Docentes ſa„cram ſcripturam in ſcholis, & ſcholares ibi ſtudentes, privilegiis omni„bus de perceptione fructuum, præbendarum & beneficiorum ſuorum „in abſentiâ à jure communi conceſſis, plenè gaudeant, & fruantur. Unde colligimus beneficia & munera eccleſiaſtica conferri iſtic non theologis, & eadem poſſidentes tum demum in ſcholis ſtudére, ut theologicam ſcientiam ſibi acquirant. Remiſſiones ad *cit. ſeſſ.* 5. *cap.* 1. *lit.* 5. ex deciſione SS. congregationis Cardinalium, excipiunt, *Obtinentibus eccleſias parochiales* poſt Concilium Trident. abſentibus ſtudiorum cauſâ fructus perceptionem non concedi. Sunt tamen & manent parochi, quamvis jam demum ſtudeant theologiæ, & prærequiſitam aptitudinem ad tale munus ſibi acquirere conentur. Hæc refero, ut noſtri nunquam ſymbolizent cum Papâtu, ineptum in examine deprehenſum, in curam paſtoralem mittendo

cumque

eumque in miniſterio confirmando hâc conditione; ut ſtudendo ſub inſpectione, tutelâ, & ductu alicujus aut aliquorum, ad id deputatorum; qui per locos communes eum ſucceſſivè examinent; etiam conciones habendas, in ſcriptis exhibitas perluſtrent; aut aliquoties conciones publicè in eccleſiâ habitas ipſi auribus ſuis audiant, & ſi animadverterint in iis quid minus theologicum, de eo concionatorem moneant.

CAP. III.

De requiſitis & conditionibus quibuſdam, de quarum tolerantia quæritur.

QUæſt. I. *An ſpurii ſint vocandi ad miniſterium? Reſp.* De ſpuriis ſupra *part.* 1. *lib.* 3. *tract.* 1. *ſect.* 3. *cap.* 5. Diſtinguimus ſpurios in ſimplices, quales filii naturales geniti à liberis ſeu ſolutis perſonis, cætera honeſtis: & qualificatos (ita loquar), quales 1. ex inceſtu nati 2. vulgo quęſiti. 3. ex adulterio nati: ſive ſimplici cum alter genitorum eſt conjugatus, alter ſolutus; *ſive qualificato*, cum uterque parens eſt conjugatus.

1. *Concl.* De ſpuriis ſimplicibus, nolim abſolutè negare: ſiquidem infamiam illam in hoc ſæculo, ſeu mavis exiſtimationis atque honoris diminutionem compenſent & tegant eximiis zeli, pietatis, eruditionis, eloquentiæ, prudentiæ donis: ſic tamen, ut legitimo thoro natum cæteris paribus, in electione præferendum exiſtimem, præſertim in illâ eccleſiâ, ubi hic defectus natalium vulgo notus eſt. Quod ſi tamen natalibus reſtitutus, & legitimatus ſit, non tam rigidè differentiam hanc attendendam puto; præſertim apud illas Nationes ubi conſuetudine receptâ non tam viles & contemti ſunt ſpurii. Vide de ſpuriis abſolutè ab omni munere ſive eccleſiaſtico ſive politico non excludendis ſupra *part.* 1. *lib.* 3. *tr. ſect.* & *cap. cit.* Jure canonico irregularitas contrahitur per ſpuriatum. Sed in his aliiſque legibus diſpenſatio locum habet. Vide *ſeſſ.* 24. *Concilii Trident. cap.* 6. & *Remiſſiones ibid.*

2. *Concl.* De qualificatis ſpuriis non auſim affirmare, eos ordinariò eſſe vocandos. Quod ſi extremæ neceſſitatis caſus ſit; quo alii ad miniſterium mediocriter idonei iſtic haberi nequeant, amplectendum videtur illud.

Ut quimus, ajunt, quando ut volumus non licet.

Præſertim ſi iſtic vulgò notum non ſit; aut ſi ſit, contemtum tamen ejus minuat ἰξοχὴ eruditionis, pietatis, &c.

II. *Quæſt. An qui meretricem duxerit, quæ paulo ante initum conjugium,* aut

aut cum conjugio curſum prioris pragmatiæ abrupit? Reſp. Lex Moſaica *Levitic.* 21. *v.* 7. ſacerdotibus præſcribit: *Mulierem meretricem & prophanam non capient, & mulierem repulſam à viro ſuo non accipient; quia ſanctus eſt Deo ſuo.* Si per meretricem Hebr. זונה & חללה intelligatur meritoria ſeu *ſcortum & vile proſtibulum* (uti habet Vulgatus): utique nec miniſtro talem ducere nunc permittendum eſſet, nec admittendum ad miniſterium, qui talem duxerit. Quia ut virtus, pietas, & *ἀνέγκλητος* converſatio uxoris miniſtri non parum facit ad exiſtimationem miniſterii, & ædificationem eccleſiæ: ſic macula talis & infamia miniſtro, ac miniſterio contemtum & vilipendium conciliat. Et dato, meretricem illam, poſt diuturnam turpiſſimæ negotiationis exercitationem, inter convertitas (uti quieſcentes curtiſanæ, Romæ appellari ſolent) nomen ſuum profeſſam: nulli tamen minus conveniret eam ducere, quam verbi miniſtro, aut miniſterii candidato. Sed ſi per חללה vitiatam & uni huic culpę ſuccumbentem, cætera olim & exinde piam & honeſtam, intelligas: utique præciſe & abſolute ob talem ductam, à miniſterio excludendum non cenſerem; nec ſemper ab eccleſiis noſtris à miniſterio excluſi, aut ex miniſterio extruſi ſunt qui talem duxerint: ſiquidem eximia ejus pietas & prudentia, & miniſtri ipſius excellentia dona ſuaſerint, utrumque ſingulariter, pro ſuâ cujuſque parte, eccleſiæ ædificationem promoturum.

III. *Quæſt. An vocandus ſit, cujus uxor adulterium exercet? Reſp.*

1. *Concl.* Si ipſo volente, aut ſaltem tolerante ſeu connivente hoc fiat: ipſe leno videtur. Nullo modo ergo vocandus.

2. *Concl.* Quod ſi in uno adulterii actu præoccupata fuiſſet, & poſt ſeriam pœnitentiam à marito veniam obtinuiſſet, nec illud iſtic loci, ubi vocandus eſſet, vulgò ita notum eſſet; & ille requiſitis ad miniſterium inſigniter præ multis aliis inſtructus eſſet, & uxor eximiâ pietate, morum integritate ac modeſtiâ, prudenti converſatione nunc effulgeret: non auſim ob præteritam uxoris, nunc per Dei gratiam reconciliatæ offenſam, virum illum ab omni miniſterio arcere. Quamvis alium quem, cæteris paribus, meo ſuffragio, ſi quod mihi in tali caſu competeret, præferendum ducerem, & præferrem: & viro illi conſulerem, ut aliam quam vocationem potius affectaret atque amplecteretur. Hac enim ratione præterita offenſa melius tegi & ſepeliri poſſet; quæ alioquin, ipſo in eccleſiaſtica functione conſtituto, non poſſet non refodi, theatrizari, & datâ aut quæſitâ quâcunque occaſione, ſcenis & libellis agitari.

3. *Concl.* Si uxor ob adulterium legitimè & juſtè repudiata fuerit, aut etiam per leges terræ iſtius ultimo ſupplicio affecta, & ipſe nunc in honeſtọ cœlibatu, aut in altero conjugio vivat; non arbitror eum à miniſte-

 rio

Digitized by Google

rio arcendum : ſiquidem dona & requiſita non vulgaria , ſuadeant ipſius operam eccleſiis fore utiliſſimam.

4. *Concl.* Quod ſi uxor diu multumque impuritatibus illis commaculata, poſtea pœnitentiâ, ac pietate & honeſtate ſingulari ſe omnibus commendaret : nolim tamen vocatione mariti, quamvis cætera apprimè idonei, eccleſiam & ſacrum miniſterium omnibus venerandum, gravari. Laudatur dictum illud *Cæſaris (apud Plutarchum in Rom. apothegm.) Oportet Cæſaris uxorem etiam à calumniâ puram eſſe.* Nec fruſtra Apoſtolus 1 *Tim.* 3. *v.* 11. requirit ut uxores vocandorum ad diaconatum, *ſint venerabiles, non calumniatrices, ſobriæ, fidæ in omnibus.* Idem 1 *Timoth.* 5. *v.* 10 in eligendâ viduâ requirit. *Ut ſit in operibus bonis bono teſtimonio ornata*, &c. *& omne opus bonum aſſiduè ſectata.* Ad Titum 1. v.6. In eligendo epiſcopo ſeu presbytero requirit; ut ſit *inculpabilis, unius uxoris vir, liberos habens fideles, qui non ſint obnoxii crimini luxus, aut ſubjici neſcii*, Levitic. 21. v.9. *Filia autem viri ſacerdotis cum cœperit fornicari, patrem ſuum contaminat, igni comburetur.* Ex locis citatis præveniri aut ſolvi poſſunt objectiones, quas ſubinde à nonnullis factas eſſe novimus : Quarum prima eſt.

1. *Object.* Modo vocandus ſit ἀνέγκλητος & idoneus ad miniſterium, non eſſe ſpectandum ſi quid culpandum ſit, aut aliquando fuerit in uxore. *Reſp.* Habes 1 *Timoth.* 3. *v.* 11. & 6. *v.* 10. *Tit.* 1. *v.* 6. Si in electione ad diaconatum attendendum ſit ad uxorem; quanto magis in electione ad epiſcopatum. Et ſi ad liberos epiſcopi attendendum eſt, multo magis ad uxorem quæ eſt una cum ipſo, & in unam carnem cum marito; quod de liberis dici nequit.

2. *Object.* Atqui pœnitentiâ & emendatione abrupit priorem vitę curſum. *Quem pœnitet peccaſſe, pæne eſt innocens :* juxta poetam Tragicum. Et *Galat.* 6. *v.* 1. 2. *Math.* 18. *v.* 21.. - 35. *Luc.* 7. *v.* 44. - 90. docemur remittere peccatoribus pœnitentibus, eoſque ſuſcipere. *Reſp.* Sed inde non ſequitur eos ſemper ad miniſterium, aut munera politica promovendos.

IV. *Quæſt. An miniſter ob infame aliquod crimen aut flagitium, vulgò notum, legitimè ab eccleſiâ depoſitus, poſt peractam pœnitentiam & ſatisfactionem (uti appellant) & ſuſceptionem ab eccleſiâ: denuò poſſit ac debeat vocari ad miniſterium, aut in ejuſdem eccleſiæ miniſterium (ſiquidem nondum ab altero occupatum ſit) reſtitui? Reſp.* Sunt nonnunquam, qui miſericordiâ quâdam erga hominem illum, non erga eccleſiam & miniſterium, commoti, ſi non reſtitutionem in idem miniſterium, ſaltem promotionem ad aliud ſummâ ope moliuntur : quos ergo non judicabo jam, an aliæ ſint motivæ, per maculatos illos & civiliter infames potius, quam integræ vitæ & famæ,

in-

inſuper pietate, eruditione, eloquentiâ, diligentiâ venerabiles, ad alicujus eccleſiæ miniſterium promovere contendant. Juſtè tamen præſumi poteſt, ſubeſſe hic aliquem reſpectum minimè pium: cum videmus eoſdem illos tam cupide circa maculatorum & infamium promotionem laborantes, tam frigidos aut tepidos eſſe circa promotionem pietate, eruditione, eloquentiâ inter multos alios excellentium: utinam tales aliquando non arcerent!

Prætextunt quidem indigentiam, & pœnitentiam, publicamque confeſſionem (quæ quam ægra, & quam coacta aliquando ſit, ego non dicam): ſed inde non ſequitur, ad miniſterium denuò promovendum.

Filia ſacerdotis ſi ſcortata fuiſſet, igni plectebatur *Levit.* 21. *v.* 9. ſive reſipiſceret, ſive non reſipiſceret. Et juxta ordinem noſtrum eccleſiaſticum *artic.* 80. deponendus eſt à miniſterio, qui peccatum aliquod commiſit, quo coram mundo infamis redditur. Nulla limitatio iſtic additur, ſi ſcil. pergat in illo peccato abſque reſipiſcentiâ & culpæ confeſſione. Nulla etiam exceptio, pœnitentis, aut culpam confitentis.

Quid ſi homicidio, adulterio, furto perjurio, & craſſo ſacrilegio furando nummos pauperum, aut non nominando flagitio ſe infamen reddidiſſet; an per ſubſequentem pœnitentiam & emendationem regularis & habilis ad miniſterium conſtitueretur? *Stephanus Quaranta* in Summâ bullarii, earumve conſtitutionum Pontific. &c. *pag.* 606. tribus limitationibus excipit contra pœnam degradationis, & mortis à Pio V. in clericos Sodomitas ſtatutam Sed hoc impuris illis relinquendum eſt. Quod ſi ſtatuta Hollandica, adulterum inhabilem declarant ad munus publicum: quanto magis eccleſia propter adulterium in ſacri miniſterii ſtatu commiſſum, τὸν λειτ. inhabilem habere & declarare deberet. Subjicio hic reſponſum, nomine facultatis theologicæ à me anno 1639. conſcriptum ad caſum ab *eccleſia Gallo-Belgica* N. *presbyterio* propoſitum.

„ *Ad quæſtionem Rever. presbyterii eccleſiæ*
„ *Gallo-Belgicæ N. ſic reſpondemus*,

„Nullo modo conſultum videri, ut miniſtri adulterio polluti & propterea „ exauthorati, reſtituantur ſive in eâdem, ſive in aliâ quâcunque eccleſiâ.

„ I. Si enim infames non debeant primum eligi; multo minus poſtquam „ miniſterium obtentum proſtituerunt, debent reſtitui, hoc eſt, denuo „ eligi. Antecedens probatur ex 1 *Timoth.* 3. 2. coll. cum *Tit.* 1. *v.* 7. Au„ reus commentarius Calvini ad 1 *Timoth.* 3. *v.* 2. ſic habet: *Pro quo ad* „ *Titum poſuit* ἀνέγκλητον, *utroque nomine ſignificat, non debere ullâ infamiâ* „ *notatum eſſe, qua autoritatem illi deroget. Neque enim inter homines re-* „ *perietur, qui purus ſit omni vitio: ſed aliud eſt laborare: communibus vitiis*

 qua

„*quæ exiſtimationem non lædunt; quia cadunt in homines honeſtiſſimos: aliud*
„*probroſi eſſe nominis, vel aliquâ turpitudine eſſe fœdatum. Ergo ne auto-*
„*ritate careat epiſcopus, jubet eligi qui ſit honeſta & integra fama, nullique*
„*notabili vitio obnoxius.*
„ Adde quæ ibidem habet de polygamis; qui tamen apud Judæos non
„erant infames, ubi polygamia pro lege fere obtinebat. Ubi rurſus no-
„vum argumentum à minori ad majus: Jam vero adulterium reddere ali-
„quem infamem & facto & jure conſtat; de illo quidem ex communi ex-
„perientiâ, de iſto ex JCC. ad *tit. D.* & *C. ad L. Juliani de adulter.*
„ II. Crimen adulterii capitali ſupplicio hominem ſubjicit, ſecundum
„leges Moſaicas, & pleratumque Gentium, & Statuta imperii ſub *Carolo* V.
„*artic.* 120. De quo conſulendi commentatores ad *Levit.* 24. *v.* 10.
„*Deuter.* 22. *v.* 22. & *Juriſconſulti* ad *l.* 9. & 30. *C. de publ. Judic. Item L.* 5.
„*Inſtitut. h. t.*
„ Apud nos idem ſtatuit Jus Militare *artic.* 3. ad quod commentarius
„*Pappi à Tzatzberch* notat ab Illuſtri comite *Naſſovio Gul. Ludovico* Friſiæ
„præfecto, legionibus Friſicis anno 1601. legem hanc peculiarem eſſe
„latam: Ut adulter virgis cæſus ex militiâ & caſtris ejiceretur. Atqui pu-
„blicè virgis cæſus inhabilis fit ad militiam; ut ne quidem in gregarium mi-
„litem admitti poſſit. Et quamvis politia aliqua per receptam conniventiam
„adulteri vitæ parcit: ad munera tamen omnia inhabilem declarat; ut
„videre eſt in ſtatutis Hollandiæ tit. Ordinantien van Politie.
„ Unde conſequentia fiat ad munera eccleſiaſtica, à genere ſcil. an ſpecies
„ſub eo contentas: Immo fortius ſtringit à muneribus politicis ad eccle-
„ſiaſtica.
„ III. Quia non poteſt non graviter laborare illius autoritas paſtoralis:
„*tum apud extraneos, à quibus non habet bonum teſtimonium*; quod tamen
„requirit Apoſtolus 1 *Timoth.* 3. *v.* 7. ubi vide *commentar. Calvini, Danæi,*
„&c. Tum apud domeſticos; imprimis cum peccata reprehendit, & diſci-
„plinam exercet. Quid opus tanti emere τὸ pœnitere?
„ IV. A minori ad majus, ſi accuſati infamis criminis, ſed nondum
„convicti, non ſunt admittendi ad miniſterium: multo minus admitten-
„di ſunt convicti. Antecedens probatur ex *Tit.* 1. *v.* 7. *coll.* cum 1 *Tim.* 3.
„*v.* 2. Ubi ad dubium, de accuſatis non convictis à ſe motum ita reſpondet
„*Danæus: Si veriſimilis nota & ſuſpicio infamia, aut mala turpiſque vita*
„*iis inhæret, &c. eligi non debent.*
„ V. Quia exautoratio propter ejuſmodi crimina, & deinde reſtitutio,
„viderentur ſe eodem fere modo habere, quo *pœnæ canonica* clericorum in
„Papatu; qui ad alia collegia ſacerdotum, aut canonicorum, aut ad alia
mo-

Digitized by Google

„ monaſteria ablegantur, ut videantur ſcil. exautorati. Quem morem no-
„ ſtri ſemper, & quidem meritò exagitarunt.

VI. Convenit noſtra ſententia cum antiquâ & ſeveriore diſciplinâ ecclesiæ: per quam lapſi in hæreſin, aut aliud aliquod crimen, & depoſiti propterea, non admittebantur poſtea ad ullum gradum eccleſiaſticum. Sed lapſu temporis, multum de hâc diſciplinâ remiſſum fuit, & conſtitutum, ut etiam recipi poſſent, ſi pœnituiſſent. Quod cum Luciferiani damnarent, hæretici ſunt habiti.

„ Vide *Concil. Niceni can.* 10. *diſt.* 50. *c.* 1. *Si lapſus*, & cap. 2. *presbyte-*
„ *rum* & *cap.* 3. 4. 7. 9. & *cap.* 39. ubi de presbyteris & diaconis in adul-
„ terio deprehenſis. Sed *cap.* 13. & *ſeqq.* reſtitutio lapſi in clericatum poſt
„ peractam pœnitentiam conceditur.

„ VII. Ex noſtris *Beza* in tract. de repudiis & divortiis *pag.* 270. (*edit.*
„ *in* 8.) Quod autem in eccleſiaſtico munere conſtitutos, & poſtea adul-
„ terii convictos ſemel à miniſterio excludunt, rectè omnino conſtitutum
„ videtur: *ac proinde graviter omnino peccare qui ejuſmodi homines poſtea*
„ *ſummo cum eccleſiaſtici miniſterii dedecore rurſum admittunt.* Sed aliud eſt
„ ab eccleſiaſticâ functione, quam ab eccleſiæ ſinu in perpetuum arcere.
„ Illud omnino faciendum arbitror: iſtud ut caritati Chriſtianæ plane re-
„ pugnans deteſtor. Quod autem eum non admittunt ad miniſterium cu-
„ jus uxor fuit adultera, itemque à miniſterio excludunt eum qui adulte-
„ ram non rejecerit, quatenus temperandum arbitrer, dupra dixi.

„ Hactenus *Beza*, qui in margine citat *Can. Apoſtol.* 61. & *Concil.*
„ *Neocæſar. c.* 1. 8.

„ VIII. Accedit in hoc ſpeciali caſu, ſeu in applicatione ad hypothe-
„ ſin. 1. Quod quamvis eſſet in N. ingenii, eruditionis, prudentię, elo-
„ quentiæ, zeli, pietatis, ac virtutum omnium exſuperantia; nulla ta-
„ men neceſſitas, nulla penuria (hoc ſaltem tempore) cogit eccleſias *Gallo-*
„ *Belgicas* ad extremum hoc refugium tot difficultatibus implexum. Sunt
„ qui minori cum offenſione, & majori cum honore religionis & ædifi-
„ catione eccleſiæ, partes has implere poterunt. 2. *Quod* triſtiſſimum hoc
„ ſcandalum per totum Belgium ita divulgatum ſit, & adverſariis tam ſæ-
„ pe noſtris objectum: ut certe animus omnino meminiſſe horreat, lu-
„ ctuque refugiat. Videndum ergo ne tali occaſione recrudeſcat hoc vul-
„ nus. Nuper *Froymandus profeſſor Lovanienſis* libro quodam, qui in lite-
„ ratorum Papiſtarum manibus verſatur, cui tit. *Cauſa deſperata Papatus*
„ *Giſb. Voetii Criſis* cap. 18. pag. 83. *Nec*, inquit, *te tam propinquum fu-*
„ *gere poteſt, bis annis proximis duos N. eccleſiæ Francicæ* vulgò **Waal-Kerck**
„ *miniſtros adulteriorum & libidinum manifeſtos, publicâ ibi infamiâ labo-*

 raſſe,

raſſe: ut à civibus fide dignis nuper accepimus. Hactenus reſponſum noſtrum ad caſum anno 1639. à ſynedrio *eccleſiæ Gallo Belgicæ* N. propoſitum.

V. *Quæſt. An attendendum ſit ad crimina & infamia flagitia à vocando ſeu eligendo in Ethniciſmo, aut Judaiſmo, aut Muhammediſmo, aut hæreſi commiſſa. Reſp.* Omnino. *Oportet*, inquit Apoſtolus 1 *Timoth.* 3. *v.* 7. *autem eum* (ad epiſcopatum ſcil. promovendum) *etiam bonum habere teſtimonium ad extraneis, ne in probrum incidat & laqueum diaboli.* Eum ergo, non cenſerem promovendum;qui delicta infamantia apud Gentiles,aut Judeos, aut Muhammediſtas,aut hæreticos,commiſiſſet: quamvis poſt converſionem & acceſſum ad veram religionem atque eccleſiam, probum & irreprehenſibilem ſe oſtendiſſet. Quod ſi donis excelleret, & extrema idoneorum ad miniſterium penuria ac neceſſitas urgeret, & flagitii infamis notitia ex alio fortaſſe orbe huc allata non ſit,nec tam facile adferri poſſit; deliberandum relinquerem illis, qui rerum circumſtantias nôrunt, an tutius ſit, talem vocari, aut præteriri. Sed de delictis gravibus quidem, non tamen infamantibus iſtic, ubi ea commiſiſſet, aliter judicandum eſt. E. gr. de polygamiâ præteritâ in Ethniciſmo,aut Judaiſmo, aut Muhammediſmo, &c. uti rectè obſervat *Daneus in* 1 *Timoth.* 3. *v.* 2. in requiſitis dici, *qui eſt unius uxoris vir*; non, *qui fuit.* Siquidem præterita polygamia non infamaverat apud Gentiles aut Judæos. Similiter judicandum eſt, de cultu idolorum, de miſſæ celebratione, de perſecutione eccleſiæ, de hæreſis aut Judaiſmi aut Muhammediſmi profeſſione, traditione, defenſione. Aliqua enim iſtorum peccatorum commiſſa fuerant ab Apoſtolo *Paulo*, à *Dionyſio Areopagitâ*, aliiſque primis religionis Chriſtianæ cum Apoſtolis, & poſt Apoſtolos præconibus; ut & à primis *Waldenſium*, *Bohemorum*, & reformationis perrendentis miniſtris; quales *Lutherus*, *Zwinglius*, *Farellus*, Oecolampadius, Bucerus, Capito, &c. Et in Belgio noſtro *Chriſtophorus Fabritius*, *Dathenus*, *Guido de Bres*, &c. De *Oneſimo*, ſi poſtea Euangelii præco ſit factus (uti innuit *Hieronymus in comment. ad epiſt. ad Philemonem*), quæri poſſet, an & quomodo furtum ab illo commiſſum non impediverit ipſius promotionem ad miniſterium. *Reſp.* Neg. Quia clandeſtinum erat, nec vulgò notum: ideoque nullam inde contraxerat infamiam. Erat inſuper hoc *Oneſimo*, per Pauli interceſſionem à *Philemone* condonatum; cui juſtâ reſtitutione ſatisfecerat: ſiquidem Philemon oblatam à *Paulo* admittere voluerit.

Pariter de Cypriano quæri poſſet, an non impedire debuerit promotionem ejus ad Epiſcopatum; quod in Gentiliſmo dæmonum cultor, magus, Chriſtianorum preſecutor fuiſſet: teſte *Nazianzeno Orat.* 19. quę eſt in

in laudem *Cypriani*. An autem *Cyprianus Nazianzeno* celebratus fuerit *Antiochenus*, an vero *Carthaginenſis* (cujus opera habemus), diſceptat *Jacobus Billius, ad finem ſcholiorum in Orat. 29. Reſp.* Neq quia dæmonas colere, dæmonis operam magicè ſollicitare ad virginem adamatam in amorem ſui pelliciendam, apud Gentiles non infamabat. Vide Virgilii *Eclogam tit. Pharmaceutriæ, Theocriti Idyllion 2. tit. Pharmaceutria, Horatii in Canidiam, Virgilii Æneid.*4. unde aliiſque à commentatoribus ad loca illa annotatis colligimus fuiſſe frequentatum inter Gentiles, nec infamiam conciliaſſe. Uti etiam patet de praxi Magiæ ex *Actor.* 8. *v.* 18. & 13. *v.* 7. 8. & 16. *v.* 16.-21. & 19. *v.* 19. Vide *commentarios ad loca cit.* imprimis & *Grotii notas ad Actor.* 19. *v.* 19. qui citat *Ireneum* de Simonianis prædicantem: *Amatoria quoque & agogima, & qui dicuntur paredri, & oniro pompi & quæcunque ſunt alia perierga apud eos ſtudioſè exercentur.* Vide & commentatores ad *Gal.* 5. *v.* 20. ad vocem *φαρμακεία*.

VI. *Quæſt. An qui in Muhammediſmo Doctor, ſeu legis peritus, in Gentiliſmo ſacerdos, in Judaiſmo Rabbinus, in Papiſmo Cardinalis, Epiſcopus, parochus, monachus præſertim ordinis Lojolitici, Abbas, Inquiſitor hæreticæ pravitatis, canonicus,* &c. *Reſp.* Negatur tales arcendos, ſiquidem donis inſtructi ſint: præſertim ſi eruditione pietate, zelo, & virtutibus humilitatis, ſimplicitatis ſeu candoris, temperantiæ, ſe commendent. Exempla promotorum à noſtris ad miniſterium dederunt Oecolampadius, *Bucerus, Muſculus, Marloratus, Ant. Caracciolus Epiſcopus Tricaſſenſis, Thomas Tilius* Abbas, *Daniel Peirollus* Jeſuita promotus ad miniſterium, & profeſſionem theologiæ *Nemauſenſem.* Cautè tamen & timidè agendum, præſertim circa monachos ex infernis (utor epitheto *Calvini*) clauſtrorum ad nos nunc tranſeuntes, præter experientiam quotidianam, monet nos *Calvini relatio* in libro de ſcandalis, & dictum *Fr. Junii* in ſcripto *Gallico* contra *Charroni* librum de *tribus veritatibus*: *Non facile eſt demonachare monachum.* Idem dico de illis, qui in ipſo miniſterio, aut in præparatione ad miniſterium, declinârunt ad heterodoxias Socinianas, aut Remonſtranticas, aut Zwenckfeldicas, &c. quorum exempla non deſunt. Quamvis enim poſtea ad orthodoxiam externâ profeſſione reverſi fuerint ad obtinendum miniſterium; non tamen tam facile promovendi ſunt. Ut enim inimico reconciliato non facile fidendum; ſi nec concionatori heterodoxa antehac amplexo; quamvis jam videatur recoctus. Si alibi, certe hic abundans cautela non nocet.

VII. *Quæſt. An certus ætatis annus requiratur, ante quem ad miniſterium nemo promovendus ſit? Reſp.* Concilii Neo-Cæſarienſis celebrati anno

Digitized by Google

anno 314. *canon.* 11. ſic habet : Presbyter ante triginta annos non ordi-
„netur, etiamſi valde idoneus fuerit : ſed hoc tempus obſervet. Domi-
„nus enim Jeſus trigeſimo anno Baptizatus eſt, & cœpit docere. Tam ra-
„tionale fere eſt hoc ſtatutum ac ſequens ejuſdem Concilii XI. Si quis,
„inquit, in morbo conſtitutus illuminatus fuerit, ad honorem presbyte-
„rii promoveri non poteſt ; fides enim non eſt ex propoſito, ſed ex ne-
„ceſſitate : niſi forte propter ſequens ejus ſtudium & fidem, atque homi-
„num raritatem. Ratio quam adducunt ab exemplo Chriſti non cogit; non magis quam illa, Chriſtus anno ætatis duodecimo contulit cum Doctoribus : Ergo noſtrates adoleſcentuli anno ætatis duodecimo ordini licentiatorum aut Doctorum theologiæ adſcribendi ſunt. Arena ſine calce. Quod ad Chriſtum, an ille trigeſimum ætatis annum ingreſſus fuerit, aut impleverit; hoc ex *Luc.* 3. *v.* 23. haut ita liquidum eſt : Καὶ αὐτὸς ἦν ὁ Ἰησοῦς ὡσπερ ἐτῶν τριάκοντα ἀρχόμενος. Novimus enim particulum ὡσεὶ, aliquando præciſè & definitè affirmare, ut *Joh.* 1. *v.* 14. Aliquando dubitanter aſſerere, aut τὸ *præter propter* ſeu *circiter ſignificare.* Triginta annorum fuiſſe ajunt Ignatius epiſt. ad Trallianos, & Chryſoſtomus & Euthymius in *Math.* 3. Diſſentiunt *Irenæus lib.* 2. *cap.* 39. Epiphanius hæreſi 51. qui poſterior dicit, fuiſſe 29. annorum & menſium 10. cum ad baptiſmum veniret. *Scaliger lib.* 6. de Emendatione temporum *pag.* 549. ſtatuit, ſive fere
„triginta annorum fuiſſe dixeris, ſive triginta abſolutorum, eodem reci-
„dere epilogiſmum annorum ætatis Chriſti. Hoc enim modò Chriſtus
„XXVIII. anno Actiaco natus fuerit. Sed tamen cave aliter putes, quam
„Chriſtum triginta annorum natum fuiſſe ; & tunc triceſimum primum
„illi iniviſſe, cum acceſſit ad Baptiſmum, ut à nobis demonſtratum eſt.
Baronius ad ann. 31. §. 8. ſententiam Ignatii, & συμψήφων ſequitur : ait quę ab eccleſiâ Romanâ in antiquo Rituali, & apud *Albinum Flaccum cap.* 6. *de offic. eccleſiaſt.* eandem eſſe traditam pluribus de hoc agit in apparatu *num.* 106. 110. *Richardus Montacutius* in Apparatu ad origines eccleſiaſticas appar. XI. §. 12. vult Chriſtum ineunte anno trigeſimo Baptizatum : & *Baronii* ac *Scaligeri* ſententias acriter atque acerbè refellit : Jeſuita *Joh. Deckerius* in diſp. quâdam Græci anno 1605. editâ *pag.* 32. præfatus, *arduum, ſcabrum & lubricum* eſſe ſcripturæ textum, quo Lucas multa ait non multis. *Et Jeſus erat incipiens*, &c. contendit 32. anno inchoato Chriſtum Baptizatum. Quem Epitomator Baronii *Spondanus anno* 31. §. 8. ſic notat : *Vix eſt, ut piorum aures vel audire patienter admittant talem contra ipſius Lucæ Euangeliſtæ verba novitatem.* Sed nos his miſſis, dicimus conſequentiam non valere, ut præciſè annus ætatis trigeſimus ſive inchoatus ſive completus requiratur : uti factum à *Concil. Neo-Cæſar. can.* 11. modo

do

do cit. Et à Græcis apud Mart. Braccar. can. 20. *Ut ſi quis triginta ætatis annos non impleverit, presbyter non ordinetur: quia & ipſe dominus trigeſimo anno baptizatus eſt.* Si quis ante annum 30. immo & ante 24. aut 25. virilem animum & curam gerat, & τύπον ſe exhibeat fidelium *in ſermone, in converſatione, in caritate, in ſpiritu, in fide, in puritate* 1 Tim. 4. v. 12. ſi intentus ſit lectioni, ſi ejus profectus ſit manifeſtus 1 *Tim.* 4. *v.* 13. 15. ſi vigilans, temperans, compoſitus, & ſi æquus, ſi aptus ad docendum 1 *Timoth.* 3. *v.* 2, 3. ſi non ſit obnoxius crimini luxus, aut ſubjici neſcius, ſi ſibi pertinaciter non placeat, non iracundus, ſi tenax ſit fidi illius ſecundum doctrinam ſermonis, ut poſſit & exhortari doctrinâ illâ ſanâ, & contradicentes convincere *Tit.* 1. *v.* 7. 9. Non debet *juventus* ejus contemni 1 *Tim* 4. *v.* 12. Juventutem conſtituimus cum *Daneo comment. ad v.* 12. ab anno 17. uſque 25. Unde virilis ætas. Ingenia hominum non ab antiquitate, ſed à probitate cenſenda ſunt. Si *νεανίσκοι juvenes* ſint, quales deſcribit *Johannes epiſt.* 1. *cap.* 2. *v.* 14. Vide exempla juvenum ad munera politica & eccleſiaſtica promotorum apud *Lorinum* in commentar. *Sapient.* 4. *v.* 8. Ex recentioribus, reformatæ religioni addictis exempla eorum adduci poſſent, qui quidem juvenes ætate, prudentia vero, eruditione, pietate ſenes, ad miniſterium promoti ſunt. Sed chartæ & tempori parcendum: uno indicato *Ant. Zadeele*, qui haut multum viginti annos egreſſus, doctrinâ tamen & virtute veteranus, in paſtorem eccleſiæ Pariſienſis electus, docendo, conſulendo, rebus eccleſiaſticis, quam maximè arduis gerendis, juventutem ſuam ſic ornabat, ut in primâ ſynodo eccleſiarum Gallicarum clam Pariſiis celebratâ, (à quâ confeſſio conſcripta, & per Ill. Colignium Regi oblata) præſes conſtitueretur. Vide juvenilia geſta viri hujus in primis miniſterii annis, in vitâ ejus à *Jac. Lectio J. C.* deſcriptâ, & ſeorſim in 8. *tunc editâ*, & 1618. *à Melchiore Adamo*, Vitis theologorum exterorum inſertâ. Ut ordinariò *ætas* 24. *aut* 25. annorum requiratur non eſt improbandum, & ut prius in eccleſiæ miniſteriis (qualia ſunt lectiones verbi, catechizationes, ægrorum viſitationes) exerceantur ac probentur; uti fieri ſolet *in eccleſiis Bohemicis*: aut ut prius in muneribus ſcholaſticis induſtriam, dexteritatem, fidem ſuam probent: quod etiamnum hodie fit in *eccleſiis Hungaricis*.

De *νεοφύτοις*, quamvis ætate provectis, ordinariò non promovendis, monet Apoſtolus 1 *Timoth.* 3. *v.* 6. de quibus ibidem *Daneus in commentariis*. Monet de iiſdem ordo noſter eccleſiaſticus *artic.* 9.

VIII. *Quæſt. An negotiorum & cauſarum ſæcularium ſcientes eſſe debeant? Reſp.*

1. *Concl.* Scientes & antehac circa illa verſati tum contemplando tum

 agendo;

agendo; à miniſterio arceri non debent: ſiquidem nunc ſatis inſtructi & ad miniſterium idonei judicentur. Tales erant *Tertullianus* ad presbyterium ſeu ſacerdotium, *Ambroſius* ad Epiſcopatum, *Photius ad patriarchatum* promotus. Nec defuerunt inter reformatos, aut etiamnum deſunt, qui antehac ſtudiis & pragmatiis politicis ac forenſibus aut praxi medicâ, aut aliis negotiis ſæcularibus occupati fuere. Quorum aliquos novimus, quamvis quod ad ſtudia linguarum ac ſcientiarum theologiæ ancillantium ὀψιμαθεῖς, ad eximiam eruditionem theologicam, & eloquentiam ſacram perveniſſe, & in functione miniſterii inter præſtantiores & majorum gentium concionatores fuiſſe numeratos.

Ut jam non dicam, tales ὀψιμαθεῖς, ſæpe prælatos fuiſſe vulgaribus candidatis in ſtudiis & ſcholis, ab ineunte ætate enutritis: quod induſtria, dexteritas, fides, prudentia, in ſæcularibus negotiis gerendis probata & explorata eſſet, & de eorum eximiâ pietate, zelo, ſacrarum literarum cognitione, eloquentiâ jam ſatis ſuperque conſtaret. Imprimis in primâ reformatione Belgicâ, & ætate proximè ſequente, tales electiones fuiſſe ſatis frequentes, noſtratibus non eſt ignotum. Neque enim ſcholæ erant ubi ingenia ad ſtudium & miniſterium ſacrum delecta inſtitui & præparari poterant: & literati, ſi qui *ex Germania* ſcholis, aut monaſteriis ſæcularibuſque ſacerdotiis ad noſtros adventabant, ſæpe haut ſatis accuratè miniſterii dignitatem tuebantur. Quod *Calvinus in libello* de ſcandalis, de quibuſdam ex monachis ad miniſterium in Galliâ promotis, merito conqueritur; idem & de ſuis quibuſdam ex monachis concionatoribus *Belgicæ eccleſiæ* conqueri poſſent. Acta conſiſtorialia, claſſicalia & ſynodalia, rerum geſtarum ignaros docebunt.

2. *Concl.* Quin non minus, ſed magis aptum puto fore ad miniſterium & regimen eccleſiæ, ad diſciplinæ adminiſtrationem, ad caſuum conſcientiæ explicationem, ad conſiliorum theologicorum ſuggeſtionem, ad apologias vivâ voce aut ſcripto prudenter & tempeſtive inſtituendas: qui in præparatione ad miniſterium non tantum diſciplinam politicam, ſed & juriſprudentiam didicerit: de cujus ſtudio tum in præparatione ad miniſterium tum in ipſo miniſterio egimus in *Bibliotheca lib.* 1. *cap. ult.* & *lib.* 2. *cap.* 22. Certe, qui inter reformatos, poſt tractata juris ſtudia ad theologiam ſe contulerunt, in eximios eccleſiæ miniſtros, & theologiæ profeſſores evaſerunt: quales Juſtus Jonas, *Calvinus*, *Beza*, *Olevianus*, *Daneus*, *Zadeel*, *Georgius Sohnius*, *Franciſcus Junius*, &c.

3. *Concl.* Non requiritur ut futurus paſtor ſeu epiſcopus ſæcularium negotiorum peritus ſit, ad ea in miniſterio ſeu epiſcopatu tractanda & dirigenda: qualia ſunt hæreditatum diviſio, quam Chriſtus à ſe amovet

Luc. 12.

Luc. 12. *v.* 13. 14. tutela pupillorum. 3. promotio & directio contractuum. 4. Matrimoniorum conciliatio. 5. nuptiarum & funerum cura. 6. belli cura & munera militaria. 7. Mercatura. 8. cura & præfectura aggerum. 9. Civitatum, palatiorium, curiarum, templorum, aliorumque operum publicorum ſtructura. 10. Quæſtura ſeu munus theſaurarii. 11. *Litium*, quæ inter homines occaſione præcedentium negotiorum & operum oriri ſolent, tractatio. Opponimus huic miniſtrorum implicationi & pragmatiæ ſæculari.

Primo, Quod ſcriptura hæc negotia tractanda miniſtris non imponit 1 *Timoth.* 3. & *Tit.* 1. *Actor.* 6. 1 *Cor.* 4. 2 *Corinth.* 11. ubi obligationes & onera miniſtri recenſentur.

Secundo, quod contra prohibeat 2 Timoth 2. v. 4. *Nemo qui militat implicatur hujus vitæ negotiis.*

Tertio, Quin negotia litigioſa inter fideles non à paſtoribus, ſed à quibuſvis in eccleſiâ Apoſtolus tractari vult 1 *Cor.* 6. *v.* 6.

Quarto, Quia tantâ mole curiarum & laborum ex vi muneris onerantur miniſtri, præterquam quod aſſidui eſſe debent in lectione & meditatione ſcripturæ; ut particularibus illis negotiis occupari non poſſint, niſi poſthabitis aut ſequeſtratis miniſterii functionibus. Improbamus ergo cacoëthes Papatus, ubi ante tempora reformationis plerumque fiebant epiſcopi, canonici, ſcholaſtici, præpoſiti, archidiaconi, non tam literarum & rerum ſacrarum, quam ſæcularium periti; in quibus etiam toti, aut ſaltem maximam partem occupabantur. En tibi teſtimonium Iſidori Clarii in notis ad 1 Timoth. 3. v. 1. *Nihil minus norunt, quam eas partes, quæ illis à Paulo aſſignantur; neque quidquam aliud nunc intelligitur nomine epiſcopi, quam fructus, & vectigalià & immanes honores.* Poſt conſtitutam reformationem, idem non infrequens eſſe, nec in poſterum fore, vel ex ipſius *Concil. Trident.* decretis ſupra cit. colligimus, *ſeſſ.* 21. *cap.* 6. ubi decernitur imperitis & illiteratis parochialium eccleſiarum rectoribus, ſi alias honeſtę ſunt vitæ, coadjutores aut vicarios pro tempore deputandos eſſe. Hinc vides, quanta theologiæ notitia in animarum curatore requiratur. Et ſeſſ. 23. cap. 18. *Officia ſeu dignitates illa, quæ* ſcholaſteriæ *dicuntur, non niſi Doctoribus, vel magiſtris, aut licentiatis in S. paginâ, aut in jure canonico, & aliis perſonis, & qui per ſe id munus expleant, conferantur*, & *ſeſſ.* 22 *cap.* 2. ubi requiritur ut ad eccleſias cathedrales aſſumendus ad minimum ſex menſes in ſacro ordine fuerit conſtitutus; & ut magiſter ſive Doctor, aut Licentiatus in ſacra theologiâ, aut jure canonico, merito ſit promotus. Vides hic non requiri ſcientiam theologicam: ſed ſufficere poſſe, ſi modo habeat Juridicam, h. e. juris canonici. Quomodo autem differant theologi à Canoniſtis, explicatur à Caſuiſtis, ubi quærunt, utrum

Canoniſta, an theologus in promotione ad beneficium eccleſiaſticum; præſertim ad beneficium curatum, ſit præferendus. Sed & hodie ſatis patet quam docti theologi ad *Cardinalatus*, archiepiſcopatus, epiſcopatus, &c. promoveantur

IX. *Quæſt. An tonſurâ & habitu clericali à laicis diſtincti eſſe debeant?* *Reſp.* Ita ſancit *Jus canonicum. Clement.* c. *Quoniam*, De vitâ & honeſtate Clericorum *Concil. Trident. ſeſſ.* 14. *cap.* 6. Pręter hæc multa alia Clericis à *Jure canonico* pręſcribuntur; *Cajetanus* in ſummula in voce *Clerici*: Cle„ricorum peccata ſpecialia ex tranſgreſſione juris poſitivi, ſunt tot ut vix „ numerari queant. Nos aliqua hic attigimus, reliqua diſſlamus. De veſtibus *Durantus in Rationali lib.* 3. per totum & *Joh. Stephanus Durantus lib.* 2. *de ritibus eccl. cathol. cap.* 9. prolixè. *Barthol. Gavantus in* theſauro *ſacr. Rit. tom.* 1. *part.* 2. *tit.* 18. 19. *De tonſurâ* Idem *tom.* 1. *part.* 2. *tit.* 1. *pag.* 87. Ex noſtris refutant iſta *Hoſpinianus*, *de Origin. Monachatus cap.* 10. 12. 13.

X. *Quæſt. An vocandi ſint epiſcopi, archidiaconi, presbyteri, parochi, canonici, abbates, præpoſiti, Scholaſtici, vicarii, &c. qui religionis profeſſione reformati, titulos & ſchemata illa aſſumſiſſent: ut ſub iis ſuccedentes ſuis prædeceſſoribus (ſed heterogeneis) epiſcopis, archidiaconis, presbyteris, parochis, canonicis, abbatibus, præpoſitis, ſcholaſticis, vicariis, ſacerdotibus animarum, &c. tempore dominantis Papatus ſtatus illos obtinentibus; iiſdem emolumentis, reditibus, honoribus, præbendis, beneficiis fruerentur?* *Reſp.* Neg. abſolutè: ſi in illo ſtatu manerent. Quod ſi ſtatu illo relicto, pietate, aliiſque donis excellerent, non video cur omnino excludi debeant, niſi forte propter ſcandalum illic loci exoriturum. Qualis autem ſtatus ſit ejuſmodi titularium clericorum, qui ſub titulis & ſchematiſmis illis apparentes, realibus reditibus ex bonis eccleſiaſticis (quæ ipſi tanquam commendata habent & poſſident) frui dicuntur; ſupra ex *part.* 1. *lib.* 4. *tract.* 2. & ex conſilii theologici, de bonis eccleſiaſt. partibus duabus, ulterius cognoſci poteſt.

XI. *Quæſt. An requiratur ut ex plebeis & infima ſortis parentibus; an vero ut ex magnatibus, aut ex nobilibus, patriciis, aut honoratis, orti præferantur?* *Reſp.* Jure divino non aſtringimur ad alterutrum. Nec etiam legibus ullis humanis, politicis aut canonicis, hic quidquam determinatum eſt. Inferioris ſortis homines eſſe excludendos, aut poſthabendos, non docemur; *Jacobi* 2. *v.* 1. 2. *coll.* cum 1 *Corinth.* 1. *v.* 26. 27. Sæpè pauci ex magnatibus, fide & pietate excellunt; pauciores zelo propagandæ fidei, & animas ad Chriſtum adducendi. Evincunt hoc exempla Apoſtolorum, qui piſcatorum filii, ipſique piſcatores; & exemplum Prophetæ *Amos* qui ex paſtoribus *Tekoah* ad prophetiam vocatus fuit. Ubi tamen delectus ha-

habeii poteſt, putarem, cæteris requiſitis paribus, ex plebeis parentibus ortum, in patriâ ſuâ non eſſe præferendum alteri ex nobilibus aut civibus honoratioribus orto. Ob gnomam à ſervatore noſtro *Luc.* 4. *v.* 24. cum *Math.* 13. *Marc.* 6. uſurpatam: ubi vide commentar.

4 *Concl.* Nobilibus aut honoratioribus editi, atque ab iis educati, ſiquidem idoneos ſe oſtendant, non ſunt excludendi; præſertim ſi humilitate ornati ſint. Facile enim tales in domo regnatrice nati & educati, ad miniſterium promoti, ſupra fratres ſe efferre poſſent, & privilegiis, atque exemtionibus gaudere vellent. Interim, cæteris paribus (nedum imparibus), nollem in eccleſiis extra patriam plebei, ſemper præferri nobilem, aut honoratum. Uti viciſſim nolim, ſemper plebeium, aut pauperem, honorato aut ditiori in electione præferri, ob paupertatem, aut quia indiget.

XII. *Quæſt. An qui aliorum libertate, non ſuis propriis, aut parentum expenſis, in ſtudiis enutriti ſunt, ſi quod ad cætera pares inveniantur, ſint præferendi illis, qui ex propriis aut parentum bonis, expenſas fecerent? Reſp.* Sic in praxi aliquando à quibuſdam judicatum eſſe novimus: ſed ut ſemper & ordinariò ſic fiat, probare non poſſumus. Rationes ſunt, 1. *Quia* de iſtis præſumi poteſt, quod diligant multum; quippe qui plus caritatis & zeli ad propagandam religionem & ædificandam eccleſiam expenſis illis hunc in finem de ſuo factis oſtenderunt; quam illi. 2. *Quia*, præſumi poteſt, quod iſti minus futuri ſint ſerviles & ἀνθρωπάρεσκοι, quam illi, qui jam conſueti ſunt ad oculos & manus aliorum reſpicere, & ab iis dona exſpectare; atque adeo ſubjicere ſe potentioribus & magnificis; ubi non debent: non ſine præjudicio autoritatis miniſterialis. 3. *Quia* viliores ſunt, & magis contemti in oculis eorum, qui hoc norunt; inſuper cum ſuis Mecænates ſe præſtiterunt. 4. *Quia*, uti propheta in patriâ ſuâ acceptus non eſt *Luc.* 4. *v.* 24. ſic alumnus, in illâ civitate, quæ ejus parentes & tenuem eorundem conditionem novit; & ubi ad huc in ſeculo ſunt, qui ex ſuo, aut ex publico eum aluerunt. Rationes cur plerumque ex plebeis aut pauperibus orti, aut egeni ex pulvere ſuſcitati, in patriâ ſuâ minus honorentur, à commentatoribus ad *Math.* 13. *v.* 57. *Marc.* 6. *v.* 4. *Luc.* 4. *v.* 24. *Joh.* 4. *v.* 44. allegantur 1. recordatio educationis ſimul: nimia enim familiaritas parit contemtum 2. æmulatio & invidia. 3. vanitas & perverſitas mundi, qui ubique exotica & peregrina præfert domeſticis 4. quia plerumque à mundanis hominibus dives æſtimatur, pauper contemnitur. Notum illud Hieronymi: *In meâ patriâ Deus venter eſt, & in diem vivitur, & ſanctior ille, qui ditior. Plutarchus in libro de Exilio:* Ex prudentiſſimis & ſapientiſſimis paucos admodum *reperias, in quibus fovendis aut ornandis* patria ſolli-

licita *fuerit*, *vel qui in patriâ ſunt evecti.* Ex mox, *probatiſſimus quiſque & optimus peregre vivit.* Exempla quamplurima ex ſacra & ſæculari hiſtoriâ produci poſſent. Chriſti, de quo Luc. 4. & Math. 13. v. 54. *Et cum veniſſet in patriam*, &c. *nonne iſte eſt fabri filius? nonne mater ejus dicitur Maria*, &c. *& ſorores ejus nonne omnes apud nos ſunt*, &c. *& offendebantur in eo* Johann. 7. v. 3. *neque fratres ejus credebant in ipſum.* Joſephi Geneſ. 37. v. 4. Davidis 1 Sam. 17. v. 28. Jeremiæ cap. 39. v. 12. & 12. v. 5. 6. & 15. v. 21. Hæc ſi perpendat miniſter aut candidatus miniſterii, vocationem ad patriam declinabit potius, ſi fieri poſſit, quam deſiderabit: niſi per rerum & temporum ſtatum, ad conſervandam aut inſtaurandam illic eccleſiam, cum Paulo dicere debeat: *Et nunc, ecce ego vinctus ſpiritu proficiſcor Hieroſolymam*, &c. Actor. 20. v. 22. Novi amicum mihi conjunctiſſimum, qui ad urbem patriam cum ſe vocatum intellexiſſet, è veſtigio, haut parum commotus, mihi his verbis ſignificabat: *Vade in Ninive civitatem magnam.* Ibat eò, ſed poſt annorum non ita multorum miniſterium, cum ſurrexiſſet novus rex ſuper Ægyptum, qui Joſephum non noverat, inde diſceſſit, ſatis contemtim habitus ὑπὸ τῶν τότε ἀρχόντων.

XIII. *Quæſt. An ſi quis in juventute infame aliquod flagitium commiſiſſet, poſtea veram reſipiſcentiam & vitæ emendationem omnibus probaſſet, ſi quod ad eruditionem, eloquentiam, prudentiam, diligentiam idoneus reperiatur, ad miniſterium promovendus ſit? Reſp.* Ego inclinarem in negantem: & judicarem, talem ſi verè pius ſit, & diligat Dominum Jeſum atque ædificationi eccleſiæ & honori miniſterii ſtudeat, non debere deſiderare aut petere epiſcopatum. Melchior Sylveſter *Eckbardus in Paſtore conſcientioſo claſſ.* 1. *quæſt.* 11. Quęrit an theologiæ ſtudioſus in juventute criminis alicujus convictus, ſed poſtea annos aliquot inculpatè & honeſtè tranſegerit, ſit promovendus? Et inclinat in affirmantem, hâc tamen cum limitatione 1. ſi „non ex obſtinatâ animi malitiâ, ſed vel ignorantiâ, vel ex juvenili af„fectu & fervore in tranſverſum raptus, &c. 2. ſi à tempore commiſſi cri„minis, plures anni effluxerint, intra quod ſpatium facti memoria paula„tim deletur, & contracta labes eluitur. 3. ſi ſe ad frugem receperit, &c. „4. ſi denique non eo loco, ubi crimen admiſſum, vocetur; ſed ubi nihil „vel parum de eo conſtat. citat ibidem *Conſil. Dedekeni* & *Paulum Tarnovium de miniſterio.* Quod ſi per crimen intelligitur tale, quod hominem in foro civili plane infamem reddit (e. gr. homicidium, adulterium, perjurium, proditio, armata ſeditio aut rebellio) & hoc commiſſum ſit à ſtudioſo theologiæ, hoc eſt, Naziræo (ita loqui liceat) & Deo atque eccleſię peculiariter conſecrato: non puto eccleſiam & miniſterium talis viri promotio-

ne

ne à contemtu ſatis præſervari. Præſtaret, ut ille ad ſtudium medicinæ, aut aliam quam vitæ occupationem ſe conferat. *Zanchius lib.* 1. *epiſtolarum, pag.* 195. alium caſum proponit, adoleſcentis circiter annorum viginti, qui captus amore ancillæ cum eâ rem habuerat, & filiam ex eâ ſuſceperat? Quam poſtea ducere quidem voluiſſet, ſi conſenſus patris, ſub cujus poteſtate erat, acceſſiſſet. Sed cum illud ſperari non poſſet, ancillæ ſummam numerarat, quâ ipſa contenta erat: quę non ita multò poſt alteri nupſit. Filiolam etiam ad ſe receptam honeſtè educârat; quæ poſtea in familiam patris ipſius recepta fuit. Poſt factum illud, per annos aliquot tam piè & honeſtè vixerat, tamque conſtans de doctrinâ & vitâ ipſius apud eccleſias concepta opinio, ut in paſtorem eccleſiæ alicujus eligeretur: in quam electionem ipſe non conſentiebat, niſi per reſponſum & conſilium theologicum exemto ſcrupulo, quo ſe propter admiſſum illud facinus infamem in eccleſiâ eſſe judicabat, nec licere ſibi tantam provinciam ſuſcipere; cum oporteat vocandos ad epiſcopatum *ἀνεπιλήπτους* & *ἀνεγκλήτους* eſſe. Ad caſum propoſitum omnibus expenſis reſpondet, *Zanchius* potuiſſe eccleſiam bonâ conſcientiâ eum eligere, & ipſum electum, miniſterium illud ſuſcipere.
„ Probationes ejus ſunt, *p.* 197. Apoſtolus enim non ait illos tantum eligen-
„dos eſſe Epiſcopos, qui ſemper fuerint *ἀνέγκλητοι καὶ ἀνεπίληπτοι*: ſed qui ſint,
„ utpote unius uxoris viri (ſicut explicat per partes) vigilantes, ſobrii, &c.
„ Qualis fuerit Auguſtinus in ſua adoleſcentia, qui etiam ex fornicatione
„ ſuſcepit filium, quem *Adeo datum* vocari juſſit, non puduit ipſum, editis in
„ lucem ſcriptis palam confiteri: quotus quiſque tamen eſt, qui eum Epiſ-
„ copatu indignum fuiſſe dixerit? ſubſequuta certè vera adoleſcentis re-
„ ſipiſcentia, & per tot annos continuata vita Chriſtiana, ſatis abundè do-
„ cet, an Deo probetur nec ne probetur. Quod ſi Chriſto probatur, cur
„ Eccleſiæ Chriſti improbetur? Quum igitur Apoſtoli ſumma ſit, eos tan-
„ tùm ad officium Epiſcopale eligendos eſſe, qui ſint honeſtæ, & integræ
„ famę, nullique notabili vitio, quod autoritatem illis deroget, obnoxii;
„ Quumque talis eſſe prædicetur juvenis iſte, non videmus, cur facinus
„ illud, in quod per infirmitatem, multis jam antè annis, lapſus eſt: &
„ poſt quod admiſſum, ſeſe juxta legem Domini, geſſit: & quod deni-
„ que vera & conſtans reſipiſcentia ſubſequuta eſt: meritò debeat, aut
„ poſſit in infamiam illi verti, fraudi eſſe, authoritatem derogare, Eccle-
„ ſias idoneo paſtore defraudare.

LIBRI III. TRACT. IV.

DE

PRÆPARATIONE VOCANDORUM.

DE præparatione juniorum ad miniſterium, multa repeciuntur in *tractt.* de theologiâ, de præcognitis theologicis, de ſtudio theologico, de miniſtro ſeu paſtore eccleſiæ: quos alibi, datâ occaſione indicavimus; & nos ſymbolum aliquum huc contulimus *lib. 1. tractatus* noſtri, cui *tit. exercitia & bibliotheca ſtudioſi theologiæ*, & in Diatribis, *de theologiâ, philologia, hiſtoriâ, philoſophiâ ſacra.* anno 1668. recuſâ. Ut hic minus operoſe de præparatione agendum ſit. Dividimus hanc præparationem, in proximam, propinquam, remotam.

CAP. I.

De præparatione candidatorum, ſeu proponentium.

§. 1. Ubi ſtudioſi Academici examine præparatorio probè defuncti, & inter candidatos miniſterii, ſeu proponentes (uti vocant) adſcripti fuerint; porro præparandi & exercendi ſunt.

1. *In* cognitione & doctrinâ ſacrâ.

2. *In* praxi pietatis.

3. *In* praxi eccleſiaſticâ; de quibus mox paucis: præmiſſo extracto ex conſilio ſeu reſponſo Rever. deputatorum ſynodi Provincialis Zelandiæ, quod Actis ſynodi Nationalis Dordracenæ inſertum eſt *ſeſſ.* 18. *pag.* 48. *edit. in fol.*

„ Abſoluto hoc in Academiâ aliquâ ſtudiorum curſu, non inutile eſſet „ eos exteras Academias & Eccleſias inviſere, ac tam diu in celebribus „ locis ſubſiſtere, donec, quid illic laudabile eſſet, perluſtraſſent, ac per„ didiciſſent. Ut ita domeſticis & exterorum exemplis inſtructiores ad ſuos „ redeant.

„ Domum reverſi, teſtimonium ab Eccleſiarum Paſtoribus, & Acade„ miarum Rectoribus aut Profeſſoribus, aut facultatum Decanis, Eccleſiæ „ & Claſſi, in qua ſunt victuri, exhibeant: vocationem legitimam ad mu„ nus Paſtorale expectantes.

Et,

Digitized by Google

„ Et, ut viſis hiſcè teſtimoniis, nemo niſi præmiſſo examine præpara„torio ad exercitia formandarum concionum admitti debet; ita neceſſe „eſt, alia etiam exercitia accedere, quibus amplius idonei reddantur, ad „ſanctam hanc Miniſterii ſacri functionem.

„ Hic vero non eſſet inutile, hujuſmodi Miniſterii candidatos, inter„dum S. Scripturam publicè in templis prælegere. Atque hoc pacto eve„niet, ut toti Eccleſiæ innoteſcant, & coram illius facie ambulent. Tota „Eccleſia, morum, pietatis & probitatis illorum teſtimonium habeat. De„nique illi ita prudenter ſe gerant, ne quidquam committant, quod vo„catione illorum [ad quam ſe præparant,] indignum ſit: & ſic omnibus „innoteſcant & ab omnibus probentur, qui omnibus præfuturi ſunt. „Deinde iſtâ lectione publicâ, accedet παῤῥησία quędam, qua aſſuefient „conſpectui totius multitudinis. Vox etiam & elocutio illorum formabi„tur, ut paratiores accedant ad dicendum coram populo, quod illis poſt „accuratius examen etiam concedi poſſe judicamus, modo Claſſis conſen„ſus antecedat.

„ Deinde expediet illos frequentes adeſſe Paſtoribus, cum iis de variis „conſcientiæ caſibus conferre, eoſdemque in viſitatione ægrorum atque „conſolatione afflictorum comitari, ab iiſque diſcere, quomodo tales „ſint compellandi, afflicti erigendi; denique quæ, & quales preces in„terdum pro re natâ, concipiendæ. Etſi enim ex Scholis exercitati in di„cendo ab Eccleſias venire debent; tamen quæ didicerunt, ad praxin „ſunt revocanda; id quod à Paſtoribus neceſſe habent addiſcere.

„ Et quia vocati ad S. Miniſterium, regimini Eccleſiæ aliquando ſunt „præficiendi: Eccleſiarum vero regimen in Scholis exactè non ad„diſcitur, non abs re foret, ſi aliquot ante vocationem menſibus, in urbi„bus celebrioribus poteſtas illis fiat, ut interſint Presbyteriis, item con„ventibus Diaconorum, ſub certis tamen & limitatis conditionibus; at„que ita intelligant, quomodo Eccleſiæ regimen ſit inſtituendum, quæ „ratio interrogandi & colligendi ſuffragia, quomodo diſciplina exercen„da, quid in variis caſibus facto opus ſit. Item quæ cura ſit habenda pau„perum. Et, ſi quæ ſunt ſimilia, quæ uſu potius quam pręceptis addiſcun„tur. Quorum omnium magnus illis uſus futurus, quando ad Paſtorale „munus vocabuntur.

„ Denique, cum hactenus in examinibus ante promotionem, tantum „doctrinæ habita fuerit ratio, an nempe Orthodoxi eſſent, quod fatemur „eſſe primarium; deliberari tamen poteſt: an non etiam expediat exa„men practicum inſtitui, in quo examinentur? an etiam tenaces ſint ſer„monis illius, qui eſt ſecundum pietatem, & idonei ad tradendam Ethi-

 cam

„ cam Chriſtianam, ad mores hominum in omni virtutum genere infor-
„ mandos? Oportet enim Dei hominem perfectè ad omne bonum opus
„ inſtructum eſſe, neque tantum ad doctrinam & redargutionem, ſed &
„ ad correctionem & inſtitutionem, quæ eſt in juſtitiâ, paratum eſſe. Ad
„ quam rem optandum eſſet, ut in Collegiis & Academiis adoleſcentum
„ animi Theologiâ Practicâ imbuerentur, & variis conſcientiarum caſibus
„ inſtruerentur.

§. 2. In cognitione ſacra pręparari & exerceri debent; ut quidquid temporis vacuum eſt à concionibus formandis, à privatis devotionis & pietatis; exercitiis, & à pragmatiis quaſi paſtoralibus (de quibus mox infra); illud impendent tum in privatas lectiones, meditationes ſcripturarum & bonorum autorum, tum in collegia & exercitia ſocialia. Privatis ſtudiis & collegiis illa tractabit, quæ Bibliothecę noſtrę *lib.* 1. *cap.* 14.- 19. tractanda commendamus: ſiquidem aliqua ex iis in curſu Academico, & in peregrinatione diligenter non tractaverit.

Eſt enim cacoëthes illud nonnullorum improbandum, qui ſimulac examine præparatorio defuncti ſunt, putant ſe ab omni labore & progreſſu in ſtudiis quaſi manumiſſos & rude donatos. Quò fit, ut in conciuncula unâ atque alterâ ſubinde conſcribendâ, aut ex aliorum ſcedis editiſve libellis memorię mandandâ, tantum occupari, ſolidæ eruditionis theologicæ, ſi quam ſibi comparârunt, & linguarum atque artium, explicationi & defenſioni ſcripturæ, ancillantium, paulatim obliviſcantur, & ubi in miniſterio conſtituti fuerint, magis magiſque deficiant tandem ad ſtatum idiotarum deveniant: excepto quod commentatores in ſcripturam alioſque autores, quos ad conciones formandas, ſubinde conſulunt, latinè loquentes legere queant. Hinc eſt quod in quibuſdam orbis Chriſtiani partibus tanta ſolidè eruditorum concionatorum frequentia non ſit, quantam difficilia tempora requirerent Supra *lib.* 2. *tract.* 1. *cap.* 3. & *part.* 1. *lib.* 2. *tract.* 3. *cap.* 2. & 3. oſtenſum eſt, quam difficile ſit miniſterium, & quam multa miniſtro agenda ſint.

Tempora talia poſſent incidere, & forte jam inſtant, ſi non ſint; quibus adverſus heterodoxias ſive in fidei dogmatis ſive in practicis, ſive θύραθεν ſive ἔνδον, motas in acie ſtandum eſſet. Quomodo reſides animi, deſuetaque bello pectora tum in ſuâ quique ſtatione privatis alloquiis, colloquiis, diſputationibus; tum in claſſicis & ſynodicis conſultationibus, non tantum rectè ſuffragando; ſed & ſcribendo, collationes & diſputationes cum heterodoxis ſubeundo, *Apologias* apud Principes heterodoxos, aut heterodoxis forte faventes inſtituendo (ſi ad talia deputentur), ſibi, eccleſiæ, cauſæ ſatisfacerent? *Melchior Canus* de ſuis theologis conqueritur

lib. 9.

Digitized by Google

lib. 9. de locis theologicis cap. 1. pag. 498. „Hoc vero ſæculo fuiſſe etiam „in Academiis multos, qui omnem fermè theologiæ diſputationem ſo„phiſticis ineptiſque rationibus tranſegerunt, utinam ipſi non fuiſſemus „experti. Egit autem diabolus, quod ſine lachrymis non queo dicere, ut „quo tempore adverſum ingruentes ex Germania hæreſes, oportebat „ſcholæ Theologos optimis eſſe armis inſtructos, ea nulla prorſus habe„rent, niſi arundines longas, arma videlicet levia puerorum. Ita irriſi „ſunt à pleriſque, ac meritò irriſi, quoniam veræ theologiæ ſolidam effi„giem nullam tenebant, umbris utebantur, eaſque ipſas utinam non ſeque„rentur. Feruntur enim è ſcripturæ ſacræ principiis, cujus iſti vel umbras „non ſunt aſſecuti. Quo circa homines verbotenus in Theologia magi„ſtri, pugnavere illi quidem adverſum eccleſiæ inimicos, ſed valde tamen „infeliciter. Male enim ſe res habet, cum quod ingenio, & eruditione „effici debet, id tentatur à viris, qui & ingenio parum valent, nec ſunt „admodum eruditi.

Praxis devotionis & pietatis hoc tempore imprimis excitanda & exer- § 3.
cenda; tum ſolitaria; tum *ſocialis* in familia: ſiquidem occaſio ſit. 2. in conventu & aſſociatione ſtatà aut occaſionatà, trium quatuorve ἰσοψύχων.

Nec negligenda extraordinaria exercitia, jejunia ſcil. privata ſubinde celebranda exemplo *Pauli 2 Cor. 11. v. 27 in jejuniis ſæpe.* Quod præcipuè illis agendum, quibus vegetæ & juvenilis ætatis fervor, valetudo athletica, corporis temperies & robur huc quaſi impellet, *ut corpus ſuum contundant, & in ſervitutem redigant.* 1 Corinth. 9. v. 27. *Pauli* imitatorem Timotheum, hâc conſideratione potu aquæ 1 *Timoth. 5. v.* 23. diætam ſuam ſervaſſe, credibile eſt: ut tanto melius juveniles cupiditates fugeret, juxta monitum *Apoſtoli* 2 Timoth. 2. v. 22. *juveniles autem cupiditates fuge.*

Otioſis ambulationibus, vagationibus, garritibus, ſpectaculis, ambulando per tabernas, latitando per popinas, ſectando delicias, menſas opiparas captando, choros puellarum frequentando, domicellas inſtar aulici ceremoniarum magiſtri comitando, ducendo, & quaſi in pompâ circumducendo; naziræatus (ita loquar) & ὑψηλὴ πολιτεία domino Jeſu ac ſublimi miniſterio conſecratorum, ritè non ſervatur. Vide *comment. A Lapide & Danei in 1 Tim. 5. v.* 23.

Praxis præparatorii miniſterii & regiminis eccleſiaſtici, conſiſtit 1. *In* § 4.
prælectione publicâ verbi divini 2. *In* concionibus publicè habendis. 3. *In* pomeridianis lectionibus ſeu concionibus catecheticis. 4. *In* catechizandis rudibus in eccleſiâ, in ſcholis, in familiis. 5. *In* viſitandis ægrotis aliiſque afflictis, in pagis & oppidis concionatore deſtitutis, & ubi vices

concionatoris decumbentis aut abſentis concionibus catechizationibus, concionum repetitionibus, ſupplent. Ubi vero concionatore præſente concionem aut conciones habent, tale quid non tentent, niſi ob certas rationes poſtulante id concionatore 6. *In* viſitandis internè aut externè afflictis, illic loci ubi habitat: non quidem quibuſvis, ſed vel cognatione, vel familiari converſatione, vel vicinitate, ſibi propius conjunctis. Quod ad viſitationes captivorum, & extrema exſpectantium, ut & quorumvis aliorum afflictorum, non eſſem autor, ut ſine neceſſitate, eos inviſeret; ſed potius concionatorem aut ægrotorum conſolatorem viſitationibus defungentem, comitetur, ſiquidem illis hoc conſultum videatur. 6. *In* privatis concionum repetitionibus, in ſuâ familiâ, aut in alienis familiis (quæ hoc expetunt); aut in privatis conventibus trium quatuorve, &c. in nomine Chriſti ad hoc congregatorum, qui dicerent cum centurione: *Nunc ergo omnes nos in conſpectu Dei adſumus, ut audiamus.* Actor. 10. v. 33. 7. *In* aſſiſtentiâ duorum aut trium, &c. adultiorum & zelotarum, ſi qui iſtic ſint, aut haberi queant, *privatim prophetantium*, hoc eſt, ſe exercentium in explicatione libri alicujus, aut tmematis, ſacræ ſcripturæ; aut loci locorumve aliquot communium, aut capitis, capitumve aliquot practicorum; aut quarundam controverſiarum. De exercitio prophetico ſupra egimus 1. *part. lib.* 2. *tr.* 3. *c.* 2. 8. *In* frequentatione conventuum ſynedrii: ſiquidem iſtic loci acceſſus pateat. 9. *In* converſatione cum exercitato aliquo miniſtro, quem quâvis datâ occaſione conſulat ſuper caſibus & conſiliis ad regimen eccleſiaſticum ſpectantibus. 10. *In* exercitiis ſocialibus domeſticis: quibus proponentes domi ſuę, volente patre familias, præeſſe imprimis convenit. Qualia ſint illa exercitia, ſupra *part.* 1. *lib.* 2. *tract.* 3. *c.* 6. dictum 11. *in.* collatione, cum uno atque altero proponente, ſi haberi poſſint, ſuper caſibus conſcientiæ, & conſiliis theologicis, vivâ voce, etiam ſcripto, exercitii causâ, explicandis. Atque hactenus recenſita ſint illa, in quibus proponentes, & jam factos concionatores occupari velimus: ad quæ noſtros motivis, ſcriptis, exemplis manuducere conamur.

CAP. II.

De propinquâ præparatione in Academiis ſeu ſcholis majoribus.

PRopinqua præparatio fit in ſcholis majoribus; quæ vel *ſcholæ illuſtres* ſeu *gymnaſia*; vel *Academiæ*, quæ & *univerſitates*, ſeu *ſtudia univerſalia dicuntur.* Hic Conſideranda 1. Academiæ & ſcholæ earumque inſtitutio & regimen, cum methodo à docentibus ac diſcentibus ſervandâ. 2. Academica ſtudia & exercitia theologorum. 3. Peregrinatio, ſeu exterarum Academiarum viſitatio.

De Academiarum ortu, multiplicatione, objecto, pędiâ ſcil., regimine, §. 1. ordine diſcendi & docendi, utilitate, privilegiis ex profeſſo hoc loco agendum non eſt. Spectat illud ad peculiarem diſciplinam, quam *ſcholaſticam* appellant. Cujus guſtum aliquem dedit *Alſtedius* in *Encyclopædiâ lib.* 23. Sed plura habet de ſcholis & modo diſcendi & docendi, in *ſyſtemate Mnemonico* majori anno 1610. ubi *lib.* 1. *cap.* 20. catalogum exhibet eorum, qui de ratione ſtudiorum & de ſcholis commentati ſunt. Nos *lib.* 2. *Bibliothecæ cap.*3. plures ejuſmodi delineavimus cum indice materiarum, hoc eſt, indicio autorum, qui materias illas tractant: aliorum inſuper quorundam autorum indicium & fecimus, ejuſdem libri *cap.*23. in diatribis de theologiâ, philologia ſacrâ, &c.

I. *Quæſt. An præſtet multas eſſe Academias & illuſtres ſcholas: an vero paucas? Reſp.* Sunt qui putent multitudinem, occaſionem dare heterodoxiis, novitatibus, & diſſenſionibus ac contentionibus. Sed illud eſt per accidens. De multitudine politiarum, & eccleſiarum idem dici poſſet; ad monarchiam totius orbis, & omnium eccleſiarum, ſuadendam. Sed ſi ex opponenti illo quæretur, an ſuam, an vero hanc noſtram, aut Hardero-vicenam, aut Franekeranam, aut Leidenſem in Belgio ſolam eſſe velit; & an in Germania Heidelbergenſem, aut Marpurgenſem, aut Witebergenſem; & in Angliâ Oxorienſem, aut Cattabrigienſem; quid reſponderet.

II. *Quæſt. An præſtet collegia in Academiis inſtitui, quæ receptacula ſint ſtudioſorum? Reſp.* Quiſque ſenſu ſuo hic abundet; ego non potui non probare difficultates *Lipſii;* ex quo illas legi in primâ centuriâ epiſtolarum anno 1568. edita, *epiſt.*89. ad Paulum Buſium Academiæ Leidenſis curatorem.

De exercitiis & ſtudiis theologiæ ſtudioſorum in curſu Academico §. 2. *lib.* 1. *Bibliothecæ* ſatis me egiſſe arbitror. Tantum hic repeto, practicam

 theo-

Digitized by Google

theologiam illic eſſe tradendam. Et ad praxin pietatis ac virtutes ſtudioſorum eſſe attendendum.

I. *Quod ad theologiam practicam* ea tum publicis prælectionibus, tum privatis examinantium collegiis doceatur. Duplici autem methodo id fieri poteſt: quarum unâ uſus practici ſubjiciuntur ſingulis locis communibus, & doctrinæ capitibus: & ſingulis tmematis aut particulis ſcripturæ explicatis. Alterâ ſynopticè & ſyſtematice traditur 1. theologia practica; quam nonnulli, *moralem*, alii *caſuiſticam* appellant; & quidni *decalogicam* 2. *Exercitia pietatis*, τὰ ἀσκητικά. 3. *Politica Eccleſiaſtica*. In primâ & tertiâ non paucæ quæſtiones controverſæ tractari debent: uti deprehendes, ex 3. & 4. *part. ſelectar. diſpp.* & ex ſyllabo quæſtionum *ad decalogum*, quem 4. *part. ſelect. diſpp.* ſubjici curavimus. Doceri etiam debet theologia practica, in collegiis practicis examinantium ad caſus conſcientiæ *Ameſii*, aut ad ſyllabum quæſtionum decalogicarum; & in collegiis practicis, ad Aſceticam, aut titulos & ſubtitulos ejuſdem; & ad ſynopſin, aut ad titulos & quæſtiones politicæ eccleſiaſticæ. Porro de docendâ in Academiis theologiâ practicâ & de cavillis, in conatus & labores noſtros hâc in parte, ab aliquo emiſſis, videri poteſt Tertia pars *ſelect. diſpp. tit.* de theologiâ practicâ, & præfatio ad tractatus noſtros, *De luſu alea* & præfatio cum *cap. 1. Aſcetica*; denique præfatio ad primam politicę eccleſ. partem. Imprimis etiam promovetur ſtudium theologiæ practicæ, per collegia practica repetentium conciones, & *proponentium*; qualia magno cum fructu in hâc Academiâ habita, deſcribimus in *Bibliothecâ lib. 1. cap. 17.*

II. *Quod ad* praxin pietatis & virtutis in ſtudioſis theologiæ obſervandam & promovendam, adhibenda arbitror, quę hic pro modulo adhibere conſuevimus.

1. Commendationes pietatis, & adhortationes ad eam in publicis lectionibus, & in collegiis, datâ quâque occaſione; nec non ſingulis præceptores de methodo ſtudiorum conſulentibus, aut quâcunque aliâ occaſione alloquentibus, factæ.

2. *Hortatio*, ad diligentem *ſabbathi* Chriſtiani obſervationem, audiendis publicis concionibus, & *catechizationibus*, iiſque domi privatim ruminandis, & apud pueros domeſticos aut totam familiam repetendis; parvulis & rudibus ſive domeſticis (ſiquidem occaſio ſit), ſive vicinitate, aut conſanguinate, aut aliquâ neceſſitudine, aut familiaritate, propioribus ac notioribus catechizandis: denique ſolitariò in Muſeo, legendo aliquem pſalmum aut aliquot pſalmos, & partem aliquam in libello piarum meditationum (quales mox infra indicabo); canendo pſalmum; ſcrutando conſcientiam; & renovendâ praxi reſipiſcentiæ ac fidei. Cui fini, ſimu-

lac

Digitized by Google

lac ex ſcholâ triviali in Academiam advenerit, legendus eſt ipſis (ſi antehac lectus non ſit) libellus de Exercitiis pietatis.

3. *Concionis*, & *catechizationis publicæ* hebdomadalis, ad minimum unius, auditio.

4. *Obſervatio* exercitiorum pietatis domeſticorum in familiâ, ſi ſint, aut haberi poſſint.

5. Per ferias, lectio *martyrologii* (ſiquidem ante in curſu triviali domi apud parentes lectum non ſit); & vitarum tum antiquorum, ut *Auguſtini*, *Chryſoſtomi*; *Baſilii*, *Nazianzeni*, &c. tum recentiorum theologorum, Germanorum, & exterorum: quas collectas edidit *Melchior Adamus*.

6. Collegia ſcribentium exercitia meditationum, & precationum.

7. *Collegia repetentium conciones*: de quibus in bibliotheca *lib. 1.c.17.*

8. Adhortatio, & adductio ſtudioſorum ad ſubeunda illa præparatoria; ut admitti poſſit ad edendam coram eccleſiâ aut ſynedrio fidei ſuæ confeſſionem, & cœnam domini participandam: ſiquidem nondum participarit, aut albo eccleſiæ inſcriptus ſit. Hac occaſione repetitione praxis reſipiſcentiæ, fidei conſcientię, cœnæ domini (quam in exercitiis pietatis *cap.5. 7.* 8. 13. delineamus) ſe exercebit.

9. *Tractatus* aliquis ad ſtudium & praxin pietatis exſtimulans. Hu ic affinis eſt, *oratio* noſtra *de pietate* cum ſcientiâ, conjungendâ: quæ cum Exercitiis pietatis denuo edita eſt.

Atque hæc quidem agenda & urgenda tempore prioris *curſus Academici*, quam voco præparatoriam; quando principaliter philoſophica & philologica tractantur de quibus *lib. 1. bibliothecæ cap.* 3. & 4.

Curſus theologici in Academiis, tria conſtituti intervalla, de quibus in §. 3.
Bibliothec. lib. 1. cap. 5. & *ſeqq. coll.* cum diatribus de theologiâ, philologiâ ſacrâ, &c. Illic dictis hic nihil addo; niſi ut horis ſubceſivis ſubinde doceat juniores, & *Neo-Academicos*, ſelecta capita, tmemata, commata ſcripturæ ex linguis originalibus exponere; curſoriè repetat cum iiſdem aut aliquo eorum, logicam imprimis & metaphyſicam, deinde & phyſicam atque Ethicam, ſiquidem rationes ejus id ferant,

Quod ad exercitia & praxin pietatis.

1. *Ut* in privatis precibus & meditationibus quotidie ſe exerceat.

2. *Ut* quotidianis domeſticis exercitiis, ſi iſtic habeantur, aſſiduò interſit; & ſi non habeantur, ea ſuadeat, & inſtitui curet, quin in & iis præſidem & doctorem agat: volente patre familias, aut matre, ſi pater non ſit.

3. *Ut* exercitia pietatis eccleſiaſtica diligenter frequentet; imprimis diebus dominicis; quibus etiam propriam animam privatis & ſolitariis precibus ſoliloquiis, meditationibus, doxologiis, renovatæ reſipiſcentiæ fi-

fidei, conſcientiæ praxi paſcet: denique repetitionibus concionum & catechizationibus ſive in familiâ, ſive in privato amicorum quorundam & familiarium, conventu.

4. *Ut* in collegiis & exercitiis propoſitionum ad omnis generis textus & de quavis materiâ habendarum preces ante & poſt concionem fundat, accommodatè ad textum & materiam concionis, & ad præſentem eccleſiæ & rerum ſęcularium ſtatum. De textibus proponenti præfigendis aliquid egimus *lib.* 1. *bibliothecæ cap.* 17.

5. *Ut* in collegio examinantium, & ſcribentium deciſiones caſuum conſcientiæ, & quæſtionum practicarum; item adhortationes, conſolationes conſilia theologica ſe exerceat. De caſibus, *conſil.* &c. ſupra *part.* 1. *lib.* 2. *tr.* 3. *c.* 3. & *lib.* 1. *biblioth. cap.* 17.

6. *Ut* ægrotorum conſolatores, & concionatores, cum noſocomia, carceres, ergaſteria, privatas ægrotantium aut aliter afflictorum domos viſitant, captatâ occaſione, comitetur.

Hiſce exercitiis præparatoriis, in praxi pietatis, in rerum ſpiritualium cognitione, ſenſu *αἰσθήσει* (*Philipp.* 1. *v.* 9.), *δυνάμει ἑρμηνευτικῇ* tam in concionibus quam in precibus tum publicis tum ſocialibus apud ægrotos, moribundos, energumenos, lugentes in domo emortuali, in conventibus conſiſtorialibus, & claſſicis, apud vigiles caſtrenſes, apud milites in acie ſtantes, in navibus, incumbente tempeſtate, aut ante conflictum, &c. breviter in arte precandi, in *rhetoricâ divinâ* (uti titulus à *Gul. de Alverniâ al. Pariſienſi* pręfigitur *tract. de precatione*), proficiunt *filii prophetarum.* Et experientia nos docuit, ſic pręparatos, cum ad ordinem proponentium promoti fuerint, non fugere, ubi ad conſolationes ægrotorum aut aliter afflictorum, ad preces alicubi occaſione & neceſſitate ita ferente concipiendas vocati fuerint; nec etiam tantum ex libro preces legere, ſive pręſenti tempori & particulari neceſſitati conveniant, ſive non conveniant. Nedum, ut alios privatim publiceve ſine libro precantes, ad precationes ex libro conſtringere tentarent; aut quem ſine libro ut concionantem, ſic & precantem, ad claſſem *Enthuſiaſto-Quakerorum* referrent: quaſi ſcil. precari modo & more *Chriſti*, *prophetarum*, *Apoſtolorum*, antiquorum eccleſiæ Doctorum & martyrum, eſſet furere furores enthuſiaſticos. *Bacchatur vates, magnum ſi pectore poſſit Excuſſiße Deum.*

Nec tamen improbamus, immo quam maximè probamus, ut proponentes, concionatores ante concipiant, & ſi opus, etiam ſcripto conſignent (temporis anguſtiâ non prohibente) hypotypoſin precationis hic & nunc habendę. Ne verè dicant, uti dicere ſolent, nonnulli Formuliſtæ, precationes ſine libro orantium eſſe *meras rhapſodias*, eſſe confuſos & non-cohærentes conceptus, &c.

CA-

CAP. III.

De remotâ præparatione, in ſcholis trivialibus.

SEquitur præparatio remota, *in ſcholis trivialibus*. De quibus aliquid delibavimus *lib. 1. Bibliotheca cap. 1.* Nos *Anno* 1652. cœperamus aliquam *diatribam* de ſcholis moliri; ſed quam, aliis negotiis & diſputationibus urgentibus, tunc non perfecimus. Primam tamen partem, ut tunc typis expreſſa & publico examini ſubjecta erat, hic exhibeo.

In delineatione Politica Eccleſiaſtica, occaſione præparationis ad miniſterium, locum aliquem ſcholis part. 2. *aſſignavimus. De quibus in præſenti, poſtulante ita D. Reſpondente, nonnulla problemata in chartam conjicimus. Diſtinguemus ea ordinis & melioris doctrinæ causâ in quatuor Claſſes:*

I. De Scholis in genere.

II. De Infimis, ſeu Scholis vulgaribus.

III. De Intermediis, ſeu ſcholis literatorum, trivialibus.

IV. De Scholis ſupremis, ſeu de Univerſitatibus.

De Scholis in genere, quædam præcognoſcimus, & deinde quærimus. Præcognita ſint, quid nominis, quid rei. Priori præcognito, chartas impleri ſupervacaneum eſſet: cum Studoſis noſtris proclive ſit *Alſtedii Encyclop. lib.* 24. qui eſt de *Scholaſtica cap.* 1. aut vulgares lexicographos inſpicere. Poſteriori, perſpicua hæc deſcriptio ſatisfacit: Schola eſt ordo ſeu ſocietas docentium & diſcentium ea, quæ publicè privatimque ſunt utilia. Omittimus hic explicationem cauſarum, requiſitarum, &c. & paucula iſta quærimus. § 1.

I. *Probl. Sitne ſocietas Eccleſiaſtica, an Politica, an mixta, an neutra. Reſp.* Tria priora ſuo modo cum diſtinctione dici poſſent: quartum tamen potius videtur dicendum, ſi propriè loqui velimus. Omnis hominum communitas ſeu ſocietas publica, conſideratur *vel Eccleſiaſtice, vel Politicè*, pro ratione duplicis ſummi boni ſeu finis, formæ, relationis, & poteſtatis. Hic tertium non datur. Nam *œconomica ſocietas eſt privata, non publica*; & ſic *poteſtas Patria, maritalis, herilis*. Jam vero ſocietas Scholaſtica, nec civilem, nec Eccleſiaſticam poteſtatem habet, niſi participatè, quomodo aër, paries, conclave lucidum eſt, non tamen formaliter; & quomodo liberum arbitrium tribuitur appetitui inferiori, non formaliter, ſed per participationem, quatenus ſcil. πέφυκε in actionibus ſuis ſubjici libero arbitrio, & ab eo dirigi. *Schola* ergo eſt in *Republicâ*, & *in Eccleſiâ*, eſt aliquid Reipublicæ & Eccleſiæ, & pertinet ad Rempubl. & ad Eccleſiam; nec tamen for-

Digitized by Google

maliter eſt Reſpubl. aut Eccleſiâ; ſed ab utrâque differt, ſicuti embryo ab animali, plantarium ab horto aut pomario.

II. *Probl. An conſtitutio, cura & regimen Scholarum pertineat ad eccleſiam, an vero ad Rempublicam? Reſp.* Ad utramque: & ratio peti poteſt ex præced. probl. Ubi vero Eccleſiæ ſunt in Republica à verâ religione alienæ, Scholæ ipſarum propriæ curandę & ordinandæ ſunt ab illis ſolis, ſive ſint clandeſtinæ, ſive per conniventiam privatæ, ſive per tolerantiam privata publicæ, ſive per ſtabilitam edictis permiſſionem publicę, quales *e. gr. reformata in Galliâ* vulgares, triviales, & *inter Academias Nemauſenſis, Montalbanenſis, Sulmurienſis.*

III. *Probl. An pertineat ad Theologiam, & Theologum tractare de Scholis. Reſp. Si ſtrictius* Theologiam accipias, & notet communem cognitionem credendorum & faciendorum ad ſalutem, *Neg. Sin late accipias*, pro diſciplina, quæ rerum ſacrarum & Eccleſiaſticarum omnem notitiam complectitur, atque adeo univerſam Politicam Eccleſiaſticam, *Aff.* Et ſic omnino pertinet ad Theologum: ſic tamen, ut à communione hujus tractationis non excludantur, Philoſophi, Politici, Juriſconſulti, nec ulli Literati, aut ſcientiarum Magiſtri. Theologos autem non mittere falcem in alienam meſſem, docent variarum Eccleſiarum conſtitutiones Eccleſiaſticæ, *e. gr. Genevenſis, Hungaricar., Tranſſylvanicar., Bohemicar.*, ut antiquorum *Conciliorum decreta*, & *Jus Canonicum* prætercam. Nec dicendi ſunt præſtantiſſimi Theologi fuiſſe ardeliones; qui peculiares tractatus de ſtudiis & ſcholis ordinandis ſcripſerunt, ut *Bulling.*, *Cythr.*, aliique *in Bibliotb.* noſtrâ *lib. 2. ſect. 1. c. 2.* indicati, aut qui aliis *tractatt.* materiam de Scholis immiſcuerunt, ut *Melanthon* in Conſiliis, *Hoſpinian. in tract. de Templis* & monachis, *Zepp. in Polit. Eccleſ.* Eorum exemplo & nos anno 1636. concionem de Scholis coram Eccleſiâ publicè habitam, tanquam præparatoriam ad hujus noſtræ Academiæ ſolennem introductionem, vulgari paſſi ſumus, & in recurrente *curſu locor. communium, ad part. 2. Polit.* Eccleſiaſt. aliquid de Scholis delibare ſolemus; & *lib. 1. bibliotb.* conſilium & votum noſtrum de ſtudiis atque exercitiis Academicis aperimus.

IV. *Probl. An Scholæ ſint neceſſariæ, an tantum utiles.* Reſp. Aff. Pr. Niſi Eccleſiam perire, & Rempublicam nullam eſſe, aut in barbaricam hominum colluviem, & Cyclopicam ſocietatem degenerare velimus. Videatur *Althuſii* oratio de ſcholis, cum Politicâ ipſius edita, aliique Autores infra citandi. Quibus addantur *tractatus Plutarchi*, de educatione liberorum, & *Petri Pauli Vergerii tit.* de Ingenuis moribus, qui ejuſdem fere argumenti eſt cum libello *Plutarchi*: unde non paucæ rationes ſuppetent pro neceſſitate Scholarum.

Scho-

Digitized by Google

Scholæ infimæ ſeu vulgares, atque adeo quibuſvis communes ſunt illæ, §. 2. in quibus pronuntiatio & ſcriptio linguæ vernaculæ, cum elementis & praxi religionis, nec non civilitate morum, aliiſque quibuſdam artibus & linguis in vita communi neceſſariis aut utilibus docentur. Poſſunt ergo diſtingui *in duas Claſſes*: ut *prior* ſit eorum, ubi omnibus communiter neceſſaria docentur: poſterior eorum, ubi ea inſuper docentur, quæ aut omnibus, aut pleriſque utilitati aut ornamento ſint, alicui tamen ordini hominum neceſſaria. *In prioribus* ergo pueri aut puellæ ſive ſeorſim (quod præſtat), ſive conjunctim informantur. 1. In lectione & proponuntiatione linguæ vernaculæ. 2. In bonis moribus, ſeu civilitate morum: quam puerilem informationem non puduit *Eraſmum* peculiari libello deſcribere. 3. In precibus, pſalmodiâ, lectione. Scripturæ: quarum exercitia in Scholis benè conſtitutis quotidie repeti ſolent. 4. In formulis precum, unà cum generalioribus capitibus Catecheſios, deinde & totâ Catecheſi memoriæ mandandâ, ejuſque intelligentiâ per multiformes quæſtiones captui ſingulorum accommodatas imprimendâ. 5. Denique aſſueſiunt, & deducuntur ad conciones, & exercitia publica in templis. In poſterioribus, pueris quidem (nam iſtius generis Scholę puerorum & puellarum ſeorſim apud nos aperiuntur) præter ea quæ ad religionem, & ad bonos mores pertinent. 1. Traditur *calligraphia*. 2. *Arithmetica*. 3. Lingua aliqua exotica (apud noſtrates *Gallica*, alibi alia) quæ peregrinaturis, aut nobilibus, aut mercatoribus in uſu eſt, aut uſui eſſe poſſet. 4. Ars ſcribendi epiſtolas. *Puellis* inſuper artes manuariæ, quas *Minervæ* appellare ſolent, non tantum communes ſeu vulgares, quę imprimis neceſſarię, ſed & rariores ac magis artificioſæ. Utriſque adjiciuntur plerumque ad oblectationem & ornatum, *Muſica vocalis & inſtrumentalis*; etiam ſubinde initia *artis pictoriæ*, ſi qui aut quæ hoc deſiderent. De Scholis prioris claſſis quæritur, an ſint neceſſarię, & in omnibus civitatibus, oppidis, vicis erigendæ? *Reſp.* Aff. cum *Zepp. l. 1. c. 9.*

1. *Rat.* Quia homines ibi formantur ad humanitatem, & ad civil. ſocietatem: ne inſtar hamaxobιων & *Nomadum*, aut barbarorum ſolivagorum, cyclopicos & belluinos mores induant. Illa ſocietas ſcholaſtici, & puerilis converſatio, & ſub legibus σκηπτούχου aut ῥαβδούχου βασιλῆος (*ludimagiſtri* ſcil.) aſſuefactio, eos præparat ad formam ſymbioſios & ſocietatis Politicæ, ſub legum & magiſtratuum præſidio. Si quis ergo bonos cives quærat, is plantaria bonorum civium, ſcholas ſcil., non negligat. Confer *Xenophontem de Republ. Lacedemoniorum*, ubi de præclaro inſtituto educationis puerorum.

2. *Rat.* Quia homo, ut per rationem eſt homo, ſic per ſermonem hu-

Digitized by Google

manum cum aliis hominibus communicat, & à brutis externè diſtinguitur. Videatur *Philoſophus* cum ſuis interpretibus *lib. 1. de Interpr. cap. 1.* & recentiores Logici de uſu ſermonis. Et *Hermann. Hugo in præf. ad tract. de primâ ſcribendi origine.* Atqui ſermonis illius recta pronuntiatio, & ſcriptio in ſcholis excolitur.

3. *Rat.* Quia conſequenter homo per ſcriptionem & ſcriptorum lectionem ac relectionem in negotiis ſuis memoriam ac recordationem hoc inſigni ſubſidio juvare debet: Etiam cum aliis hominibus, præſertim abſentibus, ſcribendo & viciſſim ab illis ſcripta legendo, communicare ac colloqui poteſt. Si ergo ſcientiâ legendi & ſcribendi deſtituti ſint, quomodo erunt boni patres & matres familias, quomodo in ſuis emendis & vendendis, & in aliis quibuſvis actionibus, in contractibus civilibus ineundis, mutandis, diſſolvendis, & vel in infimę conditionis negotiis curandis feliciter verſabuntur? An non erunt, inſtar cœcorum, qui ubique impingunt aut ſubſiſtunt, niſi ab aliis ducantur? Et hoc in caſu, non habentur familię & œconomię bene conſtitutæ. Atqui ex illis cum conſtent Reſpublicę, quomodo mercaturâ, artibus, legibus, prudentiâ, obedientiâ & honeſtate civium florebunt? Et quomodo ſemper ſuppetet copia civium, è quibus aliqui occaſione ita ferente, in Senatores plebejos, aut centumviros, aut pedaneos, aut agratios, aut ordinis altioris munerarios adoptari poſſint.

4. *Rat.* Quia ratio Chriſtianiſmi, religionis profeſſio, atque ejuſdem exercitia publica domeſtica, privata, lectionis & ſcriptionis ſcientiam, & conſequenter ſcholarum per civitates & vicos inſtitutionem requirit. De lectione Scripturæ *idiotis & laicis* (ut cum Pontificiis hic loquar) omnibus non tantum permittendâ, ſed & imponendâ, vide *Rivetum in Iſagoge*, & *antagoniſtas Bellarmini*, *Wittakerum*, *Chamierum*, *Ameſium*, *Franc. Junium*. Exercitia pietatis *Ludov. Baylly*, aliique delineârunt. De Catechizationis neceſſitate alibi actum eſt, in *1. ſcil. part. polit. eccleſ. lib. 2.* Triplicem eam requirit celebris *Synodus Dordracena. anno 1619.* ſcholaſticam, domeſticam, eccleſiaſticam. Quomodo autem Scholaſticę catechizationes vigebunt, ſine ſcholis? Sola ratio à lectione Scripturæ in linguâ vernaculâ, & catechizatione petita, peremptoriè pro Scholis concludit.

5. *Rat.* Quia metuendum eſt, ne defectu ſcholarum non tantum ignorantia religionis, qualis ſub tenebris Papatus, ſed & *cyclopica barbaries* obtentura ſit, & homines in antiquos *Cannibales*, *Scythas*, *Hamaxobios*, *Lappinos*, tandem etiam in novi & antiqui orbis antropophagos degeneraturi. Clerici Papales ante reformationem in tam craſsâ ignorantiâ rerum divinarum & humanarum miſeros ſubditos detinebant, ut pauci eſſent qui

qui artem ſcribendi & legendi tenerent, atque ita de brutali eorum ignorantiâ triumpharent: ita ut *Abbas monaſterii Neuhuſiani in Vangionibus* diceret: Si Lutherus non veniſſet, ſe perſuaſuros fuiſſe populo ut fœnum ediſſent. Referente *Scultero* in *annal. Euangelii* reformati ad annum 17. pag. 15.

6. *Rat.* Quia perpetua praxis reformatorum exemplum hic præbet. Illi enim à primâ reformatione ubique ſcholas aperuerunt, & uſque in hunc diem curant, ibique catechizationes inſtituunt: imprimis in *noſtro Belgio*; ubi non tantum domi ſuæ in omnibus vel minimis viculis, & viciniis (25. aut 20. familiarum), in omnibus præſidiis, eorumque caſtellis, & munimentis, tempore belli exſtructis, in omnibus civitatum angulis ludimagiſtros minervalibus, & ſtipendiis publicis alunt; ſed & in plantationibus Eccleſiarum in Indiis. Exemplo noſtrorum excitati aut potius conſtricti Pontificii, certatim ſcholas tales erexerunt, & non tantum per publicos ludimagiſtros, ſed etiam puellas per veſtales in quibuſdam monaſteriis, & in *beginagiis*, aut in domibus privatis per *beguinas & cloppas* (quas vocant) certatim inſtitui curârunt: quarum poſteriorum operâ imprimis in clandeſtinis ſcholis, & catechizationibus, in terris reformatis, utuntur. Adde quod orphanis pauperibus ubique locorum tum apud reformatos, tum apud Pontificios, propriæ ſcholæ, & proprii ludimagiſtri aſſignati ſint.

V. *Probl. Quid ſi alicubi non ſit copia virorum, neceſſariâ cognitione, pietate, morum gravitate probatorum, qui ſcholis præfici poſſent; an ergo ſcholæ nullæ aperiendæ, aut apertæ non retinendæ? Reſp.* Neg. In hoc caſu neceſſitatis, miniſtri juvenes aut viros maximè probatos ad munus hoc capeſſendum excitare, eoſdemque inſtruere & præparare debent; interim nihilominus, vel per ſe, vel per miniſterii candidatos ſcholas ubique aperire, ac pueros inſtruere.

VI. *Probl. An ſcholæ poſterioris claſſis ſint neceſſariæ? Reſp.* Pueris nobilibus, & patriciis ad Rempublicam natis aut educandis, præcipuè mercaturam exercituris, aut munere quæſtorum, notariorum, &c. functuris, aut præſtantioribus artibus ſe applicaturis, ſunt neceſſitariæ: aliis compluribus admodum utiles. De ſcholis puellarum nobilium, & honoratiorum idem fere cenſeo ſtatuendum, quod *Melanthon* alicubi de Germanicis nobilium virginum monaſteriis per reformationem in bonos uſus convertendis.

Schola trivialis (quæ & pędagogia, gymnaſium, ſchola latina, ſchola particularis, ſchola claſſica, dicitur), eſt *ſocietas diſcentium & docentium, linguas, artes, religionem & bonos mores; quibus pueri ad Academica ſtudia præparantur.* Eſt enim vel mediocris, vel excellentior. *Illa* eſt, in §. 3.

 quâ

Digitized by Google

quà lingua latina & græca, cum Rhetoricâ, Poëſi, elementis Logicæ, & Catecheſi traduntur. *Iſta* in quâ 1. *Rhetorica* & *Logica practica* plenius inculcantur, adhibitis exercitiis geneſios, analyſeos, diſputationum, declamationum. 2. *Lingua græca* magis familiaris redditur, ſcriptione thematum græcorum oratione ſoluta & ligata. 3. Ars Hiſtorica, & ſynopſis hiſtoriæ ac chronologiæ proponitur. 4. Elementa Arithmetica, Geometrica, Sphærica, Phyſica traduntur. 5. Linguæ Hebraicæ guſtus datur illis, qui petunt, aut quorum rationes ita ferunt. 6. Denique *Theologia Catechetica*, examinando & diſputando accuratius docetur. De ſcholarum iſtarum ordinatione conſulendi *Chytræus*, *Bullingerus*, *Rivius*, aliique Autores ſupra indicati. Quibus adde *Zepperum lib. 1. Polit. Eccleſiaſt. cap.* 10. & *Conradi Dietrici* orationem de bono Præceptore; imprimis & conſtitutiones Scholaſticæ ſcholarum *Hollandiæ*, *Harderovicenæ*, &c. typis editæ. Quæritur.

I. *Probl. De harum ſcholarum neceſſitate & utilitate. Reſp.* Rationes pro ea ſumuntur. 1. ex neceſſitate & utilitate Academiarum, quæ ſine præparatione triviali nullæ eſſent. 2. Ex utilitate eorum quæ in iis docentur, in ſe & per ſe, abſque reſpectu & aſpiratione ad ſtudia Academica: ut *Rhetorica*, *Logica*, *Arithmetrica*, &c. *Poëtica*, *Hiſtorica*, *Lingua Latina*, *Græca*, *catecheſios*; quarum utilitates pluribus orationibus deſcriptę ſunt: quas require in collectaneis orationum à recentioribus ſcriptarum, & in prętationibus ad libros in ſingulis artibus editos. 3. Adde ſuffragia & conſilia ſapientum, & ſecundum ea praxin Regum, Principum, procerum, politiarum, civitatum in Chriſtianiſmo, etiam vicorum & agrariorum quorundam in Belgio fœderato. Quod ad Pontificios, habentur apud eos, præter triviales, quas *Auguſtiniani*, Jeſuitæ, aliique regulares antehac aperuerunt, & etiamnum hodie aperiunt, ſcholæ publicæ civitatum; & confraternitates ſeu domus fratrum, quæ ſunt collegia literaria; adhæc ſcholæ Epiſcopales ſeu capitulares, quas *ſeminaria clericorum*, ſeu Epiſcoporum appellant. De quibus vide *Concil. Trident. ſeſſ.* 23. *c.* 18.

II. *Probl. An ad amplificationem trivialium, ſcholæ vernaculæ puerorum in civitatibus non facile admittendæ ſint? Reſp.* Ita cenſet *Zepperus lib.* 1. *cap.* 9.; idque ob has rationes: *Primo*, ut omnes pueri in latinas ſcholas deducantur, & ibi ſaltem aliquid ex latinæ linguæ rudimentis, aliiſque artibus imbibant; quod ipſis domi aut peregre aliquando uſui eſſe poſſit. *Deinde*, ut evitentur pravæ æmulationes, quæ inter utriuſque ſcholæ pueros ſuccreſcere & exerceri ſolent. Sed nos putamus, ſiquidem rebus & uſibus omnium civium apertio ſcholarum inſervire debeat, non eſſe eliminandas ſcholas vernaculas, & linguarum exoticarum.

III.

Digitized by Google

III. *Probl. An ad ſuperiores & Academicas lectiones admittendi, qui curſum trivialem non abſolverunt. Reſp.* Si per ſuperiores lectiones intelligas eas quæ in artibus & facultatibus habentur in ſcholis illuſtribus (uti vocant) ſeu Gymnaſiis, quæ claſſicis ſuis quæque ſcholis inviduo nexu conjunctæ & ſæpe ſub unius *Rectoris* inſpectione inſtitutę ſunt, puto ordinem illum ſervari poſſe, & utiliter ſervari. Sin vero intelligas, quæ in univerſitatibus ſeu Academiis propriè dictis, in quorumvis gratiam habentur, non puto inter auditores & φιλῶντας diſcernendum eſſe; non magis quam in Eccleſiis, ubi oſtia omnibus patent, & quilibet auditores admittuntur. Vide theſin ſeq.

IV. *Probl. An ſcholis trivialibus præficiendi ſint Rectores & hypodidaſcali, qui cætera quidem idonei, ſed veræ religionis ignari, aut ab eâ alieni? Reſp.* Neg. Hoc enim repugnat inſtitutioni ſcholarum: quæ facta eſt imprimis ad Catecheſin & exercitia pietatis.

Schola ſuprema, quæ etiam *univerſitas*, *ſtudium generale*, *Academia* dici ſolet, eſt *ſocietas docentium & diſcentium peculiari poteſtate inſtructa, ad publicas in omnibus diſciplinis lectiones & exercitationes coram quibuſvis ex lege & quidem gratis habendas, & idoneos quoſque teſtimoniis, præmiis, gradibus decorandos.* De nomine Academię, vide *Joh. Gieſſenium in tract. de Jure & regimine Academiarum.* De re ipsâ hæc conſider. §.4.

I. Fundamentum, ſeu cauſa efficiens, ſunt illi, penes quos eſt poteſtas publica & ſuprema. Eſt enim, ut rectè Philoſophus, Politica poteſtas ἀρχιτεκτονική: & ſine illius aut ordinatione, aut ſaltem permiſſione neceſſaria *Academiæ* requiſita haberi nequeunt.

II. Conſiſtit Academia, in ordine *docentium & diſcentium.* Quorum actus *ordinati & coordinati* conſiderantur vel materialiter vel formaliter. Materialiter conſiderati & in genere ſunt, tradere & accipere, docere & diſcere. In ſpecie conſiderati, ſunt prælectiones, diſputationes, declamationes, *demonſtrationes anatomicæ & botanicæ*, & manuductiones ad praxin, quæ & quatenus publicè haberi poſſunt. Quibus inſerviunt, privata exercitia explicationum, examinum, diſputationum, declamationum, concionum, cum propiori & magis familiari manudictione ad praxin in quâque facultate. Nos Theologica exercitia *lib. 1. bibliotheca* delineavimus. Qualia autem & quot exercitia publica aut privata, in Academiâ quâque vigeant, oſtendunt ſeries lectionum, quæ ſingulis ſemeſtribus edi ſolent. Quænam in univerſum illic vigere debeant, aut poſſint, ex Scriptoribus de Academiis infra indicandis, & ex ſpecialibns Academiarum deſcriptionibus earumque legibus, & *Melanthonis* conſiliis *part. 1.* cognoſci poteſt. *Formaliter* ordo docentium & diſcentium, eorumque actus conſide-

derantur in ordinatione & regimine Academiarum. Hic ſtudioſi ſunt cives & ſubditi: profeſſores per *Rectorem* & *Senatum Academicum*, Regentes, alicubi cum juriſdictione abſoluta; alibi cum limitatâ uſque ad modicam coërcitionem per incarcerationem, mulctas pecuniarias, relegationem incluſè; alibi vero abſque ullâ juriſdictione civili aut criminali.

Ad regimen ſpectant hæc tria. 1. Receptio per immatriculationem. 2. Dimiſſio cum communi teſtimonio, ſi qui illud petant. 3. Collatio gradus Academici: quod eſt teſtimonium peculiare, ſolenne, & eminens, & quidem cum effectu: ut ſaltem actus doctorales, ſi eos alicubi ritè exerceant, ipſis prohiberi non poſſint, ab iis qui ſint ejuſdem ordinis.

III. Requiſita ad Academiam, aut ad eſſe ejus, aut ad bene eſſe neceſſaria, aut quâcunque ratione inſervientia, magis aut minus, ſunt. 1. Locus commodus, tum civitatis, tum ipſius palatii Academici, adjacentibus areis, ambulacris, porticibus, cœli, ſolique beneficiis ac privilegiis dotatus. 2. Typographiæ, *Theatra Anatomica*, *horti Botanici*, *turres Aſtronomicæ* cum apparatu inſtrumentorum per totam matheſin, & ſi fieri poſſit, cum officinis & fabricis, ubi talia inſtrumenta conficiuntur, etiam *laboratoriis chymicis*: pharmacopoliorum ubique copia eſt. 3. Ante omnia, æraria & certi reditus; unde honeſta & promta ſtipendiorum exolutio. 4. *Collegia, burſæ hallæ*; quæ in quibuſdam Academiis magno uſui eſſe judicantur: ab aliis tamen propter abuſus multiplices, aut ſuſque deque habentur, aut repudiantur. 5. Honeſta corporis *exercitia*, & animi relaxationes: quæ aut totales ſunt, & vocantur feriȩ Academicæ, docentibus ac diſcentibus communes: aut laboribus ac ſtudiis interpoſitæ; quales ſunt communiores, gymnaſtica globi, pilȩ, &c. laniſtica, equeſtris, &c. præſertim *Muſica vocalis* & *inſtrumentalis*, pictura, &c. Omnia exercitia (uti vocant) Academica, ſed educationi magnatum & nobilium appropriata, qui ad munera bellica præparantur, peculiari tractatu deſcripſit *Georgius Gympelzhaimerus tit.* Gymnaſma *de exercitiis Academicorum*, *Argentinæ anno* 1652. 6. *Privilegia* olim ſtudioſis conceſſa quamplurima ſunt: quæ ab has claſſes revocari poſſunt.

1. *Privilegia* piarum cauſarum, Eccleſiarum & clericorum, militum, Doctorum, pauperum, civium peregrinorum, mulierum in dote.

2. *Speciales quædam prærogativæ*, ratione publicæ utilitatis introductæ.

3. *Privilegia* ſecuritatis, quibus immunes ſunt ab oneribus perſonalibus, patrimonialibus, vectigalibus, collectis, repreſſaliis, &c.

4. *Privilegia* ratione fori, quæ plurima ſunt. Hæc, aliaque peculiari tractatu perſequitur *Horatius Lucius de privilegiis ſcholarium*; ex quo compendioſè Chriſtianus *Liebenthael in Diatribe de Privilegiis ſtudioſorum*; cum

qua

qua *Rintelii. anno* 1635. edita eſt diſputatio *Helſrici Huldrici Hunnii* de iiſdem privilegiis. Sed operoſiſſimè ingenti numero privilegia omnia cumulavit *Rebuſſus tract. peculiari.* Quid de illis ſit, infra tribus verbis diſquiremus.

5. *Leges Academicæ.* Quæ & quales communiter ferri ſolent, ex ſingularum Academiarum ſtatutis, cognoſcendum.

6. *Jurisdictio*, Quę tamen in quibuſdam Academiis nulla eſt. In aliis aliqua, in civilibus ſcil. & in criminalibus uſque ad *incarcerationem*, mulctas, pecuniarias, relegationem. In aliis plenior: ſed admixtis aliquot ex judicibus urbicis. In aliis omnimoda & abſoluta.

7. Præfecti & Miniſtri, ſunt *Curatores ſeu Scholarchæ, Cancellarii, Vicecancellarii*, Rectores, Decani facultatum, Syndici, Secretarii, Promotores, Pedelli, Miniſtri horti, Anatomię, &c.

8. *Mæcenates, Muſagetæ*, & literarum ac literatorum Fautores, Promotores, inter Principes, imprimis neceſſarii ſunt. A quibus longè abeunt, præter vulgares barbaros & miſomuſos, aulici aliqui virtutis & ſapientiæ hoſtes & ſi qui principes talium conſilia atque exempla ſequuntur, qui per contemtum ſtudioſos ac literatos paſſim appellant capita ſcholaſtica, ſaccos ſcholaſticos, *pedantes ſeu pedaneos, vulpes ſcholaſticas*, &c. Sed omnes hoſtes Academiarum ſuperabat Papa Paulus II. *qui* (teſte *Platinâ*) *humanitatis ſtudia ita oderat & contemnebat, ut ejus ſtudioſos uno nomine hæreticos appellaret. Hanc ob rem Romanos adhortabatur, ne filios diutius in ſtudiis literarum verſari paterentur; ſatis eſſe ſi legere & ſcribere dedicisſent.* Idem cum ingreſſu ad Pontificatum, omnes literatos ex aulà expellebat, & à muneribus magno pretio, pro more curię Romanæ (*confer Toletum in caſibus libr. 5. cap.* 20. de ſocietate officiorum) emtis deturbabat. Inter prælatos, alioſque clericos, non paucos Papis ſuis ſimiles fuiſſe, diſces *ex vitâ Eraſmi*, ejuſdemque *colloquiis*, Encomio Moriæ, Anti barbarorum. Alii tamen fuere *Nicolaus* V. *Pius* II. *Leo* X. *Sixtus* V.

Scholæ ſuperiores ſeu univerſitates à nobis deſcriptæ, diſtinguuntur, in §. 5. primarias, & ſecundarias. *Illæ* ſunt, quæ ſtrictè Academiæ dicuntur, quæque peculiariter atque exſertè titulo & privilegio Academico à ſupremâ poteſtate, dotatæ ſunt. *Iſtæ* ſunt, quæ ſtrictè & propriè ſcholæ illuſtres & gymnaſia dicuntur. Quæ cum numero profeſſorum & ſtudioſorum, univerſalitate omnium diſciplinarum, juriſdictione, copiâ exercitiorum, adminiculorum, privilegiorum, tam ad bene eſſe quam ad eſſe requiſitorum, paria facere poſſint cum Academiis, immo etiam plures ſubinde in aliquibus ſuperare; non video aliquam inter eas differentiam relinqui, niſi in poteſtate ſolennis promotionis ſeu collationis graduum cum effectu; quę

ſcil. populorum & *Principum Europeorum*, ſaltem imperii *Germano-Romani*, tacito conſenſu rata habeatur. Nam alterum illud quod addi poſſet, de majori libertate ſtudioſorum *in Academiis*, quam in ſcholis illuſtribus, non facit differentiam eſſentialem. Siquidem & Scholæ illuſtres poſſunt inſtitui, ubi à Rectoris, Profeſſorum, Præfectorum, inſpectione ac directione, quod ad excolenda ſtudia, frequentandas lectiones, liberi & exemti ſint ſtudioſi: & vice verſa poſſunt eſſe, immo ſunt *celebres Academiæ*, ubi ſtudioſi inſpectioni, & ſuis quique lectionibus atque exercitiis aſtricti ſunt. *Catalogum Academiarum* propriè dictarum & ſcholarum illuſtrium contexere conati ſumus anno 1636. eumque concioni de Scholis vernaculo idiomate tunc editę ſubjecimus. Numerus Academiarum tunc erat 114. Scholarum magis ant minus illuſtrium 60. Sed poſtea aliæ aliquot partim de novo erectæ, partim mihi innotuerunt. *Longius* ab Academiis propriè dictis recedunt.

I. *Seminaria* clericorum, de quibus decretum *Concilii Tridentini* ſuprà indicatum & varii *Doctores ac deciſiones*, quas colligit *Auguſtinus Barboſa in collectaneis ad Concil. Tridentin.* & in collectaneis *Bullarii*, in voce *ſeminarium.* Et nonnulla breviter attingit *Zypæus in novo jure Pontificio lib. 1.* cap. de officio ordinarii in fine.

II. *Lecturæ*, capitularium ſeu canonicorum, in omnibus eccleſiis cathedralibus, & inſignibus collegiatis inſtituendæ. De quibus *Concil. Trident. loc. cit.* Hinc olim inter capitulares introductus titulus *ſcholaſtici*, & officium dictum Scholaſtria: quod explicant *Molanus* & *Barboſa in tract. de Canonicis.*

III. *Lecturæ* hodiernæ, in omnibus pœne monaſteriis: in quibus veſtigia aliqua primi & antiqui monaſteriorum inſtituti. Fuerunt enim monaſteria, & canonicorum collegia, ſcholæ theologicæ, ſeu collegia theologica. Vide *Zepperum* lib. 1. cap. 8. *& Hoſpinianum loc. cit.*

IV. *Collationes*, quas inſtituere ſolent inter *Arabes* & *Perſas* in domibus magnatum aut potentiorum; quæ ſapientiæ ſtudioſis tanquam ſcholæ aperiuntur, & ubi inſignes bibliothecæ inſtruuntur. Hæc omnia Academiis affinia ſunt: multum tamen ab iis diſſident: quia ſunt aut ſtudia regularia, non libera: aut domeſtica, non publica: omnia particularia, non univerſalia, ſive ratione ſcientiarum, ſive ratione quorumvis auditorum. Hactenus prima pars diatribæ de ſcholis à nobis edita: cui non vacat nunc plura addere.

Digitized by Google

** Appendix 1. ad cap. 2. Tractatus de Præparatione.*

SUpra *cap.* 2. egi de propinquâ ad miniſterium præparatione: & remiſi ad *Bibliotheca lib.* 1. & ad diatribam de theologiâ, philologiâ, &c. ubi hic præterita de ſtudiis & exercitiis Academicis, pertractantur; indicatis autoribus, qui de ratione ſtudiorum, & de methodo ac ratione *ſtudii theologici*, ſua conſilia publicarunt. Illis nunc addantur *Benedicti Aretii* opuſculum de formandis ſtudiis, ſubjectum Examini theologico edit. *duodecima* anno 1598. *Davidis Cythræi* orationes aliquot, in opere orationum in 8. *pag.* 313. 472. 650. 683. *Jacobi Martini* Pædia anno 1631. *Joh. Conradi Danhauweri* Polemoſophia ſeu *dialectica ſacra* 1648. qui duo tractatus ad artem & methodum analyſeos, geneſios, interpretationis ſcripturæ, præſertim diſputationis, à ſcriptoribus logicis antehac in *Gymnaſiis Logicis*, & *Logicis ſpecialibus*, traditam, plenius cognoſcendam, à theologiæ ſtudioſis utiliter legentur. Nec abſurdi quid ageret, qui ſyntaxes artis mirabilis *Petri Gregorii Tholoſani* (quos poſtea commentariis illuſtravit) percurreret, ad geneſin, compoſitionem, & inventionem, in curſu ſtudiorum, utcumque utiles.

Joh. Amoſi Comenii opera didactica omnia anno 1657. in fol. quibus methodus & modus multa compendioſè diſcendi traditur. *Ejuſdem* Latinitatis ſchola tricIaſſis 1657. in 12. *Caſparis Schioppii*, de pædiâ humanarum ac divinarum literarum 1636. *Franciſci Sanctii Brocenſis*, de autoribus interpretandis, ſive de Exercitatione, 1581. *Matthei Dreſſeri*, de libris quos legere, & de orationis, &c. 1596. Ejuſdem de diſcendi ordine, conſilium 1611.

Autores de Academiis & ſcholis, qui poſt annum 1650. prodierunt, aut antea editi ad manus meas venerunt.

Hermanni Conringii de antiquitatibus Academicis diſſertationes ſex, 1651. in 4. Ejuſdem de bibliothecâ Auguſta, & de omni re bibliothecariâ, in 4. De antiquitatibus Academicis, aliiſque ad Academias pertinentibus *Joh. Gieſſerius theologus Rintelenſis* antehac in Bibliothecâ noſtrâ indicatus, erudite egit in tract. de *iure & regimine Academiarum ſtatuſque eccleſiaſtici*, anno 1627. ubi prioribus quinque diſputationibus proprie agitur de Academiis, & 6. cum 14. de poteſtate Pontificis in erigendis Academiis, & de comparatione Academiarum à Pontifice, cum Academiis à Pontifice non erectis diſquiritur; & 15. de bonis eccleſiaſticis. Nos ſupra *part.* 1. *lib.* 3. *tr.* 4. *c.* 1. *pag.* 323. de inſtitutione Academiarum per *Pontifices*, ſententiam noſtram explicuimus. *De promotionibus Academicis*,

Digitized by Google

cis, aliquid occurrit in *Vitâ Melanthonis* à *Joach. Camerario* ſcriptâ.

Exercitia Academica ſtudioſorum theologiæ quæ in hâc Academiâ privatis in collegiis habita memini, ſunt.

I. Diſputantium per totam theologiam.

II. Diſputantium de controverſiis Socinianis, aut Pontificiis, &c.

III. Examinantium de controverſiis *Pontificiis*, *Socinianis*, Judaicis, &c. aut ad loca ſcripturæ, à Pontificiis, Socinianis, aliiſque heterodoxis pro erroribus ſuis allegari ſolita.

IV. Examinantium ad exceptiones Pontificiorum, Socinianorum, aliorumque heterodoxorum, quas locis ſcripturæ pro veritatibus noſtris allegari ſolitis, opponunt.

V. Examinantium ad Manuale, aut compendium manualis *Martini Becani* ubi hæc tria imprimis quærebantur. An ſtatum controverſiæ ſincerè proponeret; hoc eſt aſſertiones ſeu theſes Pontificiorum, & antitheſes noſtras, aut theſes noſtras & antitheſes Pontificias; abſque ullà præteritione, additione, detractione, aut quacunque mutatione. 2. An argumenta noſtra, præſertim præcipua ſincerè proponeret, iiſque reſponſiones aut exceptiones ſuas aptaret. 3. An ſuorum argumenta, ſaltem primaria, ſincerè proponeret. Collegia examinantium ad *Ludov. Crocii*, aut *Stechmanni* Photinianiſmum ſæpius habita: quæ alioquin ad catechiſmum *Racovianum* inſtituta fuiſſent, ſiquidem exemplaria ejus à Gymnaſtis haberi potuiſſent. Sed ab anno 1648. cum denuo edita fuit *catecheſis Racovianâ* cum refutatione *Nicol. Arnoldi* occaſio fuit catecheſin illam in collegiis privatis examinandi.

VI. Collegia ad 1 *Thomæ* & 1.2. ubi per illa quæ bona approbanda aut non rejicienda; in ſtudio theologico provectioribus dabatur guſtus *theologiæ ſcholaſticæ*; & ad illa quæ minus ſolida, aut abſurda & falſa, cenſura exercebatur.

VII. Ad primam partem theologiæ ſcholaſticæ *Becani* aut ad alias quaſdam ejuſdem partes, eâdem methodo procedebatur.

VIII. Collegia ad *Alagonæ* compendium ſummæ Thomæ.

IX. Collegia catechetica, ad comentarium catecheticum *Urſino-Pareanum*, aut ad *Mellificium catecheticum Henrici Dieſtii.*

X. Collegium examinantium ad catecheſin Remonſtranticum: cujus fructus fuit, catechizatio noſtra catecheſios Remonſtranticæ a. 1641. edita.

XI. Collegia examinantium ad Apologiam Remonſtrantium.

XII. Collegia examinantium ad ſelecta loca ſcripturæ, quæ *phyſicum* aut *metaphyſicum* quid attingunt: quorum locorum indiculus aut catalogus editus eſt cum diatribus de theologia, &c. anno 1668. XIII.

Digitized by Google

XIII. Collegia examinantium ad quæſtiones theologico-philoſophicas, per primam partem theologiæ; quarum index editus eſt, cum diatribis de theologiâ, &c. anno 1668.

XIV. Collegia ad materias & quæſtiones theologico philoſophicas, ad ſecundam partem theologię: quarum index editus eſt cum diatribis de theologiâ, &c. anno 1668.

XV. Collegia examinantium, ad dictatam epitomen politicæ eccleſiaſticæ.

XVI. Collegia examinantium, per totam theologiam; Belgico ſermone: ubi tum à profeſſoribus theologiæ, tum à concionatoribus examina; eâ methodo & eo modo, quo in claſſibus examina præparatoria & peremtoria, inſtituuntur: ut per hoc præparatorium exercitium, cognoſcant exercentes, an tutò examini ſe ſiſtere queant.

XVII. Collegia ad hiſtoriam ſacram libris veteris & novi teſtamenti contentam: ad quæſtiones tum ſimplices tum controverſas, eum in finem dictatas.

XVIII. Collegia examinantium de hiſtoriâ eccleſiaſtica ſeu de rebus eccleſiæ Poſt-Apoſtolicæ, uſque in hunc diem, ad epitomen *Johannis Leti*: aut ad epitomen *Georgii Hornii*; aut ad partem quam, aut partes aliquas hiſtoriæ eccleſiaſticæ *Joh. Henrici Hottingeri*: aut ad ſceleton titulorum & ſubtitulorum hiſtorię eccleſiaſticæ, per ſingulas centurias: ſubtitulos illos notavimus in *1. part. ſelect. diſp. tit.* de Patribus *pag.* 104.

XIX. Collegia examinantium ad *epiſtolam ad Romanos*, aut ad *Hebræos*, aut ad *Euangelium Lucæ* aut ad *Acta Apoſtolorum*, &c. ubi 1. explicatur textus Gręcus 2. Examen grammaticum ſuper eo inſtituitur. 3. Deinde Examen Rhetoricum: circa tropos & figuras. 4. Analyſis logica proponitur.

XX. Collegia examinantium ad ſelecta capita, aut tmemata, aut commata ſcripturæ, ex originalibus explicanda, cum obſervationibus philologicis; & controverſiis de reali interpretatione.

XXI. Collegium examinantium de theologia naturali, ad aliquem theologię naturalis ſcriptorem.

XXII. *Collegium anti-Judaicum*: ubi omnes falſę theſes & hypotheſes *Judæorum* proponuntur, & refutantur.

XXIII. Collegia proponentium, ad textus à præſide unicuique præfixos. Cum quibus conjungi, aut à quibus ſejungi poſſent, Exercitia tum ſcripto tum vivâ voce reſpondentium ad propoſitos conſcientiæ caſus, item ad poſtulata conſilia, &c. De quo *lib. 1. Biblioth. cap.* 17. Et de conſiliis ſupra *part. 1. lib. 2. tr. 3. cap.* 3. De adhortationibus, correptionibus, in Exercitiis pietatis *cap.* 24. De conſolationibus ibidem, & *cap.* 19. 20. 21.

XXIV. Collegia repetentium conciones publice in Eccleſiâ habitas. De quibus in *biblioth. lib.* 1. *c.* 17. de meditationibus & precationibus in Exercitiis Pietatis *cap.* 3. & 4.

XXV. Collegia *locor. communium*, ad varios autores, aut ad nudos titulos & ſubtitulos: Et ad problemata prioris partis *theol.* typis edita.

XXVI. Collegia privatim diſputantium, de controverſiis theologicis in univerſum, aut de controverſiis Pontificiis, aut Socinianis, &c.

Quæſtiones aliquot de exercitiis Academicis ſubjicimus.

I. *Quæſt. An utiles aut decoræ, aut licitæ ſint; promotiones Academicæ Doctorum Licentiatorum Magiſtrorum, Baccalaureorum? Reſp.* Aff. cum *Melanthone part.* 2. *conſilior. pag.* 165. *edit. in* 8. Hyperio in opuſculis Theologicis *part.* 2. *Pezelio part.* 7. *argum.* & *reſponſ. pag.* 265.

Nihil enim aliud ſunt promotiones, quam ſolemnia & publica eruditionis teſtimonia. *Eckhardus* in faſciculo controverſiarum, ſeu quæſtionum, &c. de quibus inter theologos *Auguſtanæ confeſſ.* & *Calvianos* diſceptatur *cap.* 24. & *ult.* hanc ponit.

„ II. *Quæſt. An fas & licitum ſit titulos Doctoris aut Magiſtri in Acade-*
„ *miis petere à Calvinianis.* Neg. Niſi fallat *libri titulus*, hoc ita ſcribi videtur: ut controverſiarum numerus augeatur. Sed unde probat *Calvinianos* ita ſentire? Ex tribus ſolummodo citatis, *Caroloſtadio*, *Zwinglio*, *Gualtero. Reſp.* 1. Quare *Caroloſtadium* annumerat Calvinianis? cum nihil ille ex Calvini ſcriptis didicerit, quippe quæ tunc in rerum naturâ non erant. Quis qualiſve fuerit *Caroloſtadius*, non eſt, quod hic commemoremus. Judicium ejus de gradibus Academicis, ex faſtidio & juſtâ rejectione promotionum in Papiſmo, & ſpecialiter ex propriæ ſuę promotionis improbatione, ortum arbitror. Ipſe enim *theologiæ* Doctor promotus erat, cum in ſacrarum literarum cognitione nullus eſſet: quippe qui ſeptennio poſt acceptum *gradum Doctoratus*, in bibliis demum cœpiſſet ſtudere. Quod autem in alterum extremum hic contenderit, & *Anabaptiſtico* aliquo afflatu in his aliiſque eclipſim aliquam paſſus fuerit; id per latus ejus dictis Calviniſtis imputandum non eſt: erat enim tunc theologus *Lutheranus* (ſiquidem ab homine quis denominandus ſit) profeſſor theologiæ in Academiâ *Lutheranâ*, non *Calvinianâ*. Vide vitam ejus apud *Melchiorem Adamum*, in Vitis *Theologorum Germanorum*.

Sed dato fuiſſe *Calviniſtam*, uti non fuit; an ideo particularis ipſius opinio, aut ſcrupulus, communem controverſiam faciet inter Lutheranos & Calviniſtas: cum Calviniſtę jam inde à primo iſtius denominationis ortu uſque in hunc diem in contrariâ ſententiâ fuerint: uti ipſe *Eckhardus* ex parte fatetur, cum dicit, tollere titulos & honores Academicos, *eſſe ipſorum*

rum Calvinianorum factis atque exemplis contrarium. Non exemplis tantum, ſed communi ſententiæ & perpetuæ praxi contrarium eſt: ut docuerunt Academiæ reformatę in *Angliâ*, *Scotiâ*, *Germaniâ*, *Belgio*, præſertim Baſilienſis; ubi tot promotiones in quâque facultate, etiam in theologiâ, celebratæ ſunt.

Reſp. 2. *Zwinglius*, non erat Calvinianus; ſed ſi ὁμόνοιαν in ſententia de cœnâ domini reſpicias, Calvinus potius dicendus eſſet *Zwinglianus.* Nec *Zwinglius* verbis ab *Eckhardo* citatis (an integrè & bonâ fide, neſcio) condemnat juſtas promotiones Academicas, ſed dicit *ſe cum faſtidio legere titulos, Doctor & profeſſor theologiæ*: vanè ſcil. & otioſe oſtentatos, ab illis, qui aliquando titulum habent ſine re.

Reſp. 3. *Gualterus*, qui citatur in 21. *Johannis p.* 407. 408. notat inſo-„lentiam & faſtum eorum, qui titulos magnificos prece & pretio redi-„munt, ut apud vulgus ſeſe venditent. Norat etiam eos, qui ubi eccleſię „jam multis annis inſervierunt ſub extremam ſenectam ad ſcholas redeunt, „ut ibi doctores creentur, & inde majori cum faſtu ad eccleſiam revertun-„tur, cui & humilitatis & modeſtiæ exemplum debebant præbere. Sunt „hæc indigna Chriſti miniſtris, quibus legitima vocatio & publicæ eccleſię „teſtimonium ſufficere debet.

Abuſum ergo & modum petendi ac ſumendi gradum Academicum improbat. Quod autem addit prætexentibus conſuetudinem, repugnare Chriſti præceptum Math. 23. v. 8. *nolite vocari Rabbi:* id ſatis rectè exponi poteſt. Chriſtus Judæos ſuperbientes & vanè ſe illis titulis, ſępe ſine re, offerentes, reprehendit: idem ergo textus opponi poteſt, & rectè à Gualtero oppoſitus eſt pompaticis & faſtuoſis illis Doctoribus, quos ibi notaverat.

Quod ad textum *Math.* 23. *v.* 8. quem *Eckhardus* dicit à Caroloſtadio & Gualtero objectum, committitur fallacia à dicto ſecundum quid ad dictum ſimpliciter; uti patet ex adjuncta prohibitione v. 9. *& patrem veſtrum ne vocate in terris*, &c. Et ex v. 7. *Amant vocari ab hominibus Rabbi.* Hæc textus illius explicatio, à commentatoribus reformatis communiter proponitur. Sed inſtar omnium audiamus Pezelium ex Melanthone *part.* 7. *Obj.* & *reſp. pag.* 268. ſic explicantem: Vidi, inquit, Reverendę memoriæ „D. Lutheri manum, qua in libro Facultatis Theologicæ Witebergenſis „annotaverat hæc verba Caroloſtadii: Ego ſciens peccavi, quod pro pecu-„nia non admodum magna, quæ promotori debetur in Academiis, pro-„movi Doctores Theologię Deinceps verò in æternum non volo tribuere „ulli gradum Doctoris. Quia ſcriptum eſt: Nolite vocari Rabbi. Promo-„verat autem Caroloſtadius (qui ſic à patria dictus eſt, cùm nomen ei alio-qui

Digitized by Google

,, qui eſſet Andreæ Bodenſtein) Lutherum quoque ipſum, quem poſtea, ,, ęmulatione adverſus eum ſuſcepta, odiſſe cœpit.

,, Eſt autem hęc ſimpliciſſima dicti Chriſti ſententia. Prohibet non no- ,, men officii & miniſterii in Eccleſia, ſed audaciam inſtituendi ſectas aut ,, novum genus doctrinæ. Prohibet item faſtum & ſuperbiam deſpicien- ,, tem alios, & non referentem munus & officium ad publicam utilitatem. ,, Illi igitur contra Chriſti prohibitionem peccant, qui ſic Rabbi vocari vo- ,, lunt, ut Chriſto unico Magiſtro ſeu ſummo Doctore excluſo, audiri ,, velint ipſi, afferentes nova dogmata aut cultus novos, quorum autor ,, non eſt Chriſtus. Item, qui nomina officii in titulos inanes convertunt, ,, neque ſentiunt magis laboris & doloris ſeu oneris, quam honoris nomi- ,, na eſſe. Ideoque titulos tantùm quærunt, ipſa re neglecta, hoc eſt, offi- ,, cio docendi, & labore confutandi adverſarios Euangelii, & ſtudio ſer- ,, viendi Eccleſiæ.

Reſp. 3. Quod ſi Gualterus, aut forte alius quis noſtrę profeſſionis, abſolutè repudiaſſet tanquam ſuper vacuum aut otioſum ejuſmodi ſcholę teſtimonium, cum haberi debeat & poſſit ab eccleſiâ aut conventibus eccleſiaſticis (uti ordinariò apud nos habentur): an illud Calvinianis imponendum eſſet, & in numerum controverſiarum Calvinianarum, quibus repugnant Lutheranis, referendum, & caput 28. Faſciculi inde conſtituendum. Quid ſi theologus quis Lutheranus peculiarem opinionem & quidem in quęſtione theologicâ ſatis momentoſâ, defendiſſet; an æquum putarent, ſi reformati hanc opinionem Lutheranis ſeu invariatæ confeſſionis Auguſtanæ paſtoribus & Doctoribus impingerent. Lutherani erant, non Calviniani, *Oſiander*, qui juſtitiam Dei eſſentialem defendebat; *Illyricus*, qui peccatum originale faciebat ſubſtantiam hominis; *Victor. Strigelius*, qui pro ſynergiſmo contendebat: *Johannes Iſlebius*, qui legem in eccleſia docendum negabat; *Huberus*, qui electionem & redemtionem univerſalem ſomniabat; *Hesbuſius*, cum Helmſtadienſibus, qui negabat Chriſtum ob realem idiomatum communicationem eſſe omni præſentem; Quinque miniſtri, Ratisbonenſes, qui anno 1587. damnabant omnes contractus, ubi ultra ſortem aliquid accipitur; *Johannes Æpinus*, qui Chriſtum apud inferos quid paſſum ajebant, quam opinionem adoptavit Illyricus. *Magdeburgenſes* aliqui, qui contendebant philoſophiam nullo modo ad theologiam eſſe utilem, ſed pernitioſam; *Stancarus*, qui ſtatuit Chriſtum tantum ſecundum humanum naturam, eſſe mediatorum; *Hemmiarius*, qui gratiam univerſalem deprædicat. Ut jam nihil dicam de Georgio Majore, de Philippo Melanthone, de Paulo ab Eizeo: de quibus, ut & omnibus modo recenſitis *Joh. Micralius in ſyntagm. hiſtor. eccleſ. p.* 1037.

Reſp. 4.

Digitized by Google

*Reſp.*4. Et quid ſi quis ex Calvinianis, quos ita appellat, opinatus fuiſſet, non opus eſſe examinibus, teſtimoniis, & promotionibus Academicis; quid tum? Academiarum enim poteſtas, quod ad promotiones in theologiâ eſt merè delegata, ex jure conſtitutione, ac conceſſione humanâ. Nam quod alibi Academici ſtudioſos theologiæ examinant, iiſque teſtimonium, & gradum conferunt: hoc in Belgio noſtro, ſi non cum iiſdem formalitatibus, ſaltem quod ad rem præſtant claſſes, cum pręparatorie examinant, & ad ordinem ac gradum proponentium examinatos promovent, ac iiſden facultatem coram eccleſiis concionandi tribuunt.

III. *Quæſt. An publicæ lectiones, & diſputationes, ut & lectiones ſeu inſtructiones privatæ in quâque diſciplinâ, haberi poſſint à ſingulis profeſſoribus? Reſp.*

1. *Concl.* De publicis lectionibus ex profeſſo habendis in alienâ diſciplinâ, & quidem eo ordine & modo, quo habentur, à collegis profeſſoribus, iſtius diſciplinæ doctoribus. *Neg.* Quia profeſſor theologiæ non eſt conſtitutus ad explicandum *jus Romanum*, aut *aphoriſmos Hippocratis*, &c. Nec profeſſor medecinæ conſtitutus eſt ad explicandum corpus juris, aut theologiam. Nec profeſſor *logicæ aut philoſophiæ*, ad explicandam hiſtoriam univerſalem, aut linguam Græcum. Nec theologus, ad diſciplinas philoſophicas, ſyſtema-ticè tradendas.

2. *Concl.* Ut tamen per cognitionem, uti vocant, diviſivam, aut per digreſſionem, aut per commentarium ad axiomata ſuę diſciplinæ, quam profitetur, aliquam materiam aut quæſtionem admiſceat, cujus ſedes eſt in diſciplinis à ſuâ, quam profitetur, alienis, id publico profeſſori prohiberi non poteſt.

3. *Concl.* De privatis collegiis & inſtitutionibus, in quâcunque diſciplinâ, ſic cenſemus, non debere prohiberi e. gr. *Jureconſulto*, aut medico, aut theologo, ut diſciplinam aliquam ad Facultatem artium pertinentem, domi privatim domeſticos aut contubernales ſuos, aut alios amicos, familiares, neceſſarios doceat. Ita paſſim à Juris profeſſoribus oratoriam, aut politicam aut hiſtoriam, hactenus privatim doceri novimus; & à medecinæ profeſſoribus, phyſicam, aſtronomiam aliaſque partes matheſios. *Julius Pacius* in fine commentarii ad *Ariſtotelis* libros de animâ, refert ſe iſtum, ut & commentarium in 8. libros *phyſ.* ἀκροασ. intra privatos parietes anno 1562. dictaſſe cum publicam juris profeſſionem in Acad. Heidelbergenſi ſuſtineret. Clariſſ. *Erpenius* Arabicæ linguæ profeſſor in privato collegio manuductionem ad ſolidam linguæ Græcæ cognitionem dictabat: cum tamen non deeſſent illic linguæ iſtius publici profeſſores. Et quotidiana exempla ſunt profeſſorum in linguis, aut Philoſophiâ, qui viciſſim privata collegia theologica, aut medica, aut juridica ſuſcipiunt.

4. *Concl.* Hoc tamen cautum velimus, ne quis in privatis ad alienam diſciplinam exercitationibus, διαῤῥήδην doctrinæ profeſſorum iſtius diſciplinæ ſua opponat.

IV. *Quæſt. Quo uſque profeſſor tum publicè tum privatim intra limites profeſſionis in quâque facultate ſe continere debeat? Reſp.*

1. *Concl.* Si profeſſor inſtitutionum, codicem aut pandectas; & profeſſor codicis, aut pandectarum, Inſtitutiones publicè explicaret, plane ἄτακτον videretur. Aut ſi anatomes & chirurgicæ profeſſor publicè demonſtrationes botanicas, & vice verſâ botanices profeſſor publicè anatomicas inſtitueret. Aut ſi philoſophiæ practicæ profeſſor, phyſicam publicè explicaret, & vice verſâ phyſicæ profeſſor, Ethicam aut politicam. Aut ſi theologus *veteris teſtamenti profeſſor*, novum teſtamentum aut locos communes explicaret; & vice verſâ.

2. *Concl.* Quod ad collegia privata, ad quamvis diſciplinam philoſophicam à profeſſore e. gr. *phyſicæ*, aut *Ethicæ*, &c. haberi ſolent. Et ſic à profeſſore e. gr. Inſtitutionum, aut pandectarum, quævis collegia juridica; à profeſſore anatomes aut Botanicæ, quævis collegia medica.

3. *Concl.* Sed quia quarta facultas artium complectitur non tantum profeſſores ſcientiarum philoſophicarum, ſed & linguæ latinæ, ſeu humaniorum literarum, linguæ Græcæ, linguæ Hebraicæ, hiſtoriarum, eloquentię, poëticæ, quæri poſſet, an philoſophis ſtrictè ita dictis conveniret, publicas habere lectiones e. gr. in linguâ Gręca, aut in hiſtoriis, &c. & viciſſim profeſſori hiſtoriarum aut linguæ Gręcæ, lectiones habere in phyſicâ, aut logicâ, aut Ethicâ, earumque diſciplinarum ſyſtemata methodicè tradere. Videtur hoc minime convenire: præſertim ſi philologię aut hiſtoriarum profeſſor, phyſicam aut Ethicam, phyſicæ aut Ethicæ illic à philoſophis tradi ſolitæ oppoſitam, oſtentaret.

V. *Quæſt. An theologia naturalis, & quæſtiones theologico-philoſophicæ, aut philoſophico-theologicæ publicè aut privatim in collegiis, à theologis, aut à philoſophis explicari debeant? Reſp.* Ab utriſque: ſiquidem philoſophi in Academiis reformatis ſint ejuſdem religionis & theologiæ, cujus theologi. Si enim e. gr. in Academiâ reformatâ ſit philoſophus Pontificię religionis (qualem novimus antehac alicubi fuiſſe) non videtur tutum ut hæc collegia privata ab illis habeantur: cum varias ſanę philoſophiæ ſententias ac doctrinas, ob conſcientiam & placita Papiſticæ religionis, à talibus corrumpi, neceſſe ſit. Idem dicimus, de philoſophię Doctore Socinianæ aut Remonſtranticæ, aut cuicunque alteri heterodoxiæ addicto.

Conſect. Monſtroſum eſſet, ſi profeſſor phyſicæ aut metaphyſicæ, aut matheſios, aut logicæ querelas de profeſſore theologo apud ſuperiores inſti-

ſtitueret, ob collegii privati, ad *theologiam quam naturalem à philoſopho* ejuſdem Academiæ conſcriptam, aut collegii ad ſelecta ſcripturæ loca, quæ naturale quid attingunt, aut collegii ſuper quæſtionibus theologicophiloſophicis, ſuſcipiendi, indicium in ſerie lectionum factum. Cum tamen antea ejuſmodi collegia ſæpius inſtituiſſent theologi, abſque ullâ querelâ aut oppoſitione profeſſorum philoſophię: quaſi hâc ratione ipſis confluxus ad collegia philoſophica, aut ad audiendas lectiones ſuas impediretur. Quod ſi theologis tales materias publicis lectionibus, diſputationibus, & editis libris proponere fas eſt. (Vide *Zanchium* de operibus creationis, *Danei* phyſicam, Ethicam & politicam Chriſtianam) quidni in collegiis privatis quæſtiones mixtas enodare, & loca ſcripturę (quorum indiculum dedimus *in Diatribâ de theologiâ*) ex originali explicare, & materiam, cum locis ſcripturæ concordantibus, & cum rationibus phyſicis communiter in ſcholis Chriſtianiſmi tradi ſolitis, conferre liceat. Siquidem philoſophus quis, gratâ vice veris & favoni uſus, theologos, temporum difficilium neceſſitati cedentes, ad talia indicia ex ſerie lectionum inducenda compellere poſſe glorietur: is ſciat nihilominus veritati opportunè importunè per theologos propagandæ fibulam minime imponendam; multo minus eradenda, quæ libris & ſuis & aliorum theologorum ac philoſophorum de quæſtionibus naturalibus, metaphyſicis, logicis, &c. oppoſitè ad inſipientem philoſophiam, ſcripta ac perſcripta habentur.

VI. *Quæſt. An profeſſoribus humaniorum literarum, aut poëtica, aut hiſtoriarum, aut eloquentia, aut lingua Græca, aut lingua Hebraica, aut Arabica, privata collegia logica, aut phyſica, aut Ethica, aut aſtronomica, aut geometrica*, &c. *aperire conveniat? Reſp.* Quidni? ſunt enim non tantum publici & probati in iſtâ Academiâ pręceptores: ſed etiam eadem facultate cum phyſicis, Logicis, Ethicis, Mathematicis continentur; & in Academiis Germanicis vices ſuas habent in promotionibus *Magiſtrorum ſeu Doctorum philoſophiæ.*

Et in Academiis Belgicis (quamvis in hâc noſtrâ nondum illud obtineat), tales promotiones fieri, non eſt inſolens. Exemplo ſit collatio gradus Magiſterii in *Acad. Groning. Omlandicâ* anno 1651. facta per *Jacobum Alting.* Hebrææ linguæ profeſſorem: qui iſtâ occaſione *orationem panegyricam* habuit de promotionibus Academicis apud *Hebræos* anno ſequenti 1652. typis editam.

Memini etiam me vidiſſe diſputationem inauguralem pro gradu magiſterii philoſophici ſub præſidio *Sibrandi Lubberti theol. profeſſ. Franequerani* propoſitam: Quâ occaſione, & cur illud factum ſit, ignoro. Ut brevis ſim, velim probari, profeſſoribus Academicis alicubi lege prohibitas

Digitized by Google

bitas fuiſſe privatas inſtitutiones, in ſcientiis alienis ab illâ, quam publicè profitentur. Habeant ergo eloquentiæ, ut hiſtoriarum, aut *Græcæ* hebraicæve linguæ profeſſores, collegia logica, aut ethica, aut phyſica, aut Politica; & viciſſim profeſſores Logicæ, aut phyſicæ, aut philoſophię practicę, &c. collegia poëtica, oratoria, topographica, linguę Græcæ, &c. Siquidem rationes eorum ita ferant.

VII. *Quæſt. An in Academiis, privatæ inſtitutiones, ſeu ſcholæ, ſeu collegia (ita dicta) admittenda ſint eorum, qui ibidem publici profeſſores non ſunt? Reſp.* Aff. modo conſtet prodidaſcalos illos, non fovere & tradere dogmata veræ religioni & pietati repugnantia, aut philoſophemata communem Chriſtianiſmi philoſophiam evertentia; aut Medecinam, receptæ medecinæ ejuſque Doctoribus, & praxi, nec non facultati medicæ hic & nunc, oppoſitam. Hoc autem in Academiis paſſim receptum eſſe conſtat, ex communi experientiâ, & mihi ex meâ: quippe qui adoloſcens in *Acad. Leidenſi* privata collegia logica ſub præſidio ſtudioſi alicujus, & privata collegia Græca ſub præſidio alterius ſtudioſi ac commilitionis noſtri in *linguâ Græcâ* apprimè verſati, frequentavi; & poſtea annis provectior, aliis collegia logica tum didactica, tum practica, tum diſputantium aperui. Tale quid etiam hodie in illâ Academiâ obtinere, notum eſt. In Academiis Germaniæ hoc frequentiſſimum eſſe, cum ex multis aliis indiciis tum evidentiſſimè conſtat ex *libello literatiſſ. Johannis Caſelii celeberrimi profeſſoris Helmſtadienſis*, anno M. D. IIIC. *Helmſtadii edito tit.* Νέος καὶ προδιδάσκαλος.
„ *Ille ad tirones Academicos, hic ad eos, qui in academiis privatas ſcholas*
„ *habent.* Inde iſta ſolummodo excerpo D. 4. 6. Nec in publicis auditoriis
„ ſemper primum advenientibus accommoda tractantur à Doctoribus.
„ Quocirca & aliis datur locus, qui privatim doceant, à quibus novitii
„ quaſi præexercitentur, ut publicè docentes majore commodo ſuo au-
„ diant, &c. *Paulo poſt*, Atque hæc hactenus: nunc me convertam ad
„ privatos magiſtros Academicos, &c. Rectè faciunt, & ex uſu juventu-
„ tis, qui recta domi docent, ne quid ullo in genere, aut parte diſciplinæ
„ deſideretur, &c.
„ Præſto igitur nobis eſtote, docti juvenes, iſtis laboribus, & parate
„ vos iſtis exercitiis ad graviora onera ſubeunda: ut propediem vel nobis
„ decedentibus ſuccedatis cum dignitate & commodo publico, vel in co-
„ lonias migretis, ubi novas quaſi politias condatis literarias. Non temere
„ eſt, quod vos diligentius ſive actius paullo appellandos cenſeo, &c.

Poſtea *pag*. F. ſic affatur privatim in Academiis docentes: Hic juvenes,
„ hic juvate rem literariam, & in ſcriptoribus utriuſque linguæ expli-
„ candis deferte operam minoribus. *Pag*. F. 3.

Quo

Digitized by Google

„ Quo magis diſcentes egent veſtrâ operâ. Interpretum enim munere „fungentes, de juventute noſtrâ præclarè merebimini, &c. Ex his operis, „fateor, initio mercedis non multum reportabitis: putate nonnihil, &c. „pag. ſeqq. imprimis mathematicas diſciplinas commendat, *quas à tyro-„nibus diſci. & ab illis doceri vult.* De Aſtronomiâ ſic ſtatuit: *ſecreta ejus „& pertractationem ſummis artificibus reſervo. Vos item rectè tradetis initia, „eaque rectè diſcent adoleſcentes.* Pag. G. 1. & G. 2. in aliis diſciplinis, logicâ, phyſicâ, Ethicâ juniores à privatas ſcholas habentibus, inſtrui vult, etiam in diſputationibus exerceri.

Hactenus ille de prodidaſcalis, privatim ſtudioſos Academicos docentibus. In Academiis, extra Germaniam, idem obtinere nôrunt peregrinati; & qui celebrium profeſſorum vitas legunt. Vix enim quenquam ad publicum illud docendi munus promotum reperias, qui inſtitutionibus aliorum in curſu Academico non proluſerit, & iiſdem ſe ad cathedram, quaſi præparaverit, ac commendaverit. *Ger. Joh. Voſſius* oratione in obitum *Thomæ Erpenii* anno 1624. habitâ refert: Ubi *Erpenii* in Academiâ Salmurienſi anno 1609. commorantis *nomen ad aures ſtudioſæ veniſſet iuventutis, inſtitutionem Bignorai* (profeſſoris linguæ hæbraicæ) *veterani doctoris, ſed fortaſſe ſenio iam fatiſcentis, privatæ adoleſcentis operæ longiſſimè poſthabuit.* Certè florentibus ejuſmodi prodidaſcalis contingit, plurimorum ingenia excitari, δύναμιν & διάθεσιν διδακτικὴν ac ἑρμηνευτικὴν à multis acquiri, florere Academias, & ſtudia Academica; ac perpetua Doctorum, profeſſorum, Gymnaſiarcharum ſeminaria præſto eſſe. Atque hoc reſpectu in variis Academiis, digne promotis iſtic Magiſtris aut Doctoribus facultas conceditur publicas aliquot lectiones habendi, & in publicis diſputationibus præſidendi: In Academiâ Baſilienſi per ferias æſtivas, eruditioribus ſtudioſis lectiones publicè habendæ permittuntur: uti memini *D. Joh. Cloppenburgio* commilitoni & contubernali in Academiâ Leidenſi amiciſſimo, & poſtea collegæ aliquandiu in miniſterio *eccleſiæ Heuſdanæ* conjunctiſſimo, in peregrinatione ſuâ conceſſum fuiſſe, ut publicis prælectionibus *Jeſa.* 53. caput explicaret. De diſputationibus ſub præſidio promoti magiſtri aut Doctoris publicè habitis, ex editis libellis & theſibus cognoſci poteſt. In *Academiâ Jenenſi Quirinus Kubachs* juris ſtudioſus Illuſtrium quæſtionum politico-juridicarum *centurias* tres à ſe conſcriptas, & per partes à juris ſtudioſis ſub præſidio ſuo defenſas, edidit anno 1615. Ne aliunde exempla conquiram, memorandus mihi *Haloinus Gothofredus Ultrajectinus* philoſophiæ & theologiæ Doctor, qui anno 1609. in miniſterio eccleſiæ Heuſdanæ immaturâ & luctuoſâ & illi & eccleſiis Belgicis morte, ad meliorem vitam tranſlatus fuit. Vir erat magni ingenii, & pro

Digitized by Google

illâ ętate excellentis eruditionis, vitæ & converſationis caſtigatæ, ortho- doxiæ tenax & zelotes, poſtquam Arminianas, quæ tunc ſerpebant, novitates, probè exploráſſet ac perſpexiſſet: uti ego tunc theologiæ in *Acad. Leidenſi* ſtudioſus coram ex ipſo, & ex ſcriptarum in 1. *cap.* ad Rom. concionum in ædibus viduę poſt obitum ipſius, lectione didici; & juxta mecum, ſatis certi erant auditores, ex habitis illis concionibus, in quibus præmonebat contra novos illos ſpeculatores. Propterea etiam ſuſpectus ac formidoloſus miniſtro illi in urbe *Ultrajectinâ*, qui conſilio & ductu *Joh. Wttenbogardi* anno 1608. introductus Remonſtrantiſmum hic moliebatur, & jam aures Senatus urbici aut vocalium in illo ſenatu, nec non *Ill. DD. Ordd.* per miniſtrum illum politicum, (qui omnium, apud ipſorum dominationes, potens tunc cluebat) occupaverat.

Quo factum ut tam excellentis ingenii, tam eximiæ eruditionis, tam felicium donorum concionandi, tantę in ſtudiis, & pragmatiâ eccleſiaſticâ diligentię, tam ἀνεγκλήτου vitæ & converſationis, nulla haberetur ratio, cum occaſio eſſet ad Ultrajectinæ hujus urbis eccleſiam eum traducendi: cum tamen civis eſſet, & ἴδιος, in ſtudiis Academicis in *Belgio*, & in exteris Academiis ac promotionibus, peculiari favore, patrocinio, & liberalitate *Ill. DD. hujus provinciæ Ordinum* nutritus; tantiſque eruditionis & virtutis teſtimoniis ornatus ex peregrinatione rediiſſet; & tam probè ac fideliter in eccleſiâ hujus provinciæ, in aggere Martini (**Mertens-Dijck**) miniſterio aliquamdiu defunctus. Et ut videas, quomodo præſtantiſſimi quique tepidis aut novaturientibus non aſſentientes, & ſubſervientes, ab iiſdem arceri ſolent; miniſtro *Heuſdano Nicolao Houweningen*, qui miſſionem ipſius petitum venerat, non tantum Ill. Ordd. (ſine quorum conſenſu & approbatione tales ἴδιοι peculiariter obſtricti, ad miniſteria in hâc provinciâ obeunda, dimitti non ſolent), conſenſus procuratus fuit, ſed & dicto *miniſtro Heuſdano*, præter expenſas in diverſorio hic factas, inſuper honorarium 100 *flor.* donatum fuit. Qui poſtquam bene & ἀδαπάνως hic habitus eſſet, & onere illo non gravante ſaburratus, non verebatur illis, qui hæc procurârant, ante diſceſſum dicere, ſi hinc abducens doctorem theologiæ tanto honorario mactor, quantum mihi exſpectandum, ſi *Doctorem theologiæ* vobis adducerem. Hæc ab eodem *Miniſtro Heuſdano*, mihi aliiſque ita narrata memini. Ut redeam eo, quod dicere inſtitueram, *Haloinus* hic *Gothofredus* in peregrinatione ſuâ, Magiſterio philoſophiæ decoratus, *Heidelbergæ* ſceleton Ethicę, Oeconomicæ, politicę, ex Ariſtotelis textibus ubique annotatis, publicis diſputationibus ſub præſidio ſuo ventilandum propoſuit, & typis deſcriptum vulgavit. Idem in Illuſtri ſchola *Herbornenſi*, quæ tunc non minus ac Aca-

de-

demię, immo ſupra Academias aliquot florebat) totam logicam à ſe contextam, diſputationibus publicis ſub præſidio ſuo ventilandam propoſuit, & typis diſcribendam dedit. Inde digreſſus ad Academiam Baſilienſem ſe contulit, ibique aliquandiu ſtudia theologica proſecutus, titulo doctoris theologi inſignitus fuit, ſolenni diſputatione 3. Septembr. anno 1603. conſcriptâ & habitâ, hoc tit. *Theorema theologicum Conſubſtantiationis & Tranſubſtantiationis dogma iiſdem argumentis everti & refelli.* Ubi decem adducit rationes, quibus utrumque dogma evertatur. Hanc diſputationem dedicârat Ill. provinciæ Ultraject. Ordd. his verbis: Cum Deo, vobiſque, „viri Illuſtres, viſum ſit, me ex Academiis evocatum functioni eccleſiaſticæ mancipare; en voluntate veſtrâ peractâ, domum meditor; me„que coram vobis ſiſto; hoc unum teſtatum faciens, mihi nihil aliud curę „futurum, quam ut poſt Deum vobis patrięque meæ inſervire queam: „cum vos ſitis illi, qui me primum in Illuſtri collegio Paulino ſub excel„lentiſſimo viro Domino *Franciſco Meyero*, poſt autem in celeberrimis & „inclytis Germaniæ Academiis ad humanarum & ſacrarum literarum ſtu„dia liberaliter foviſtis, &c. Oblitus ſui indicare in manus meas deveniſſe exemplar tomi Ariſtotelici, qui practica continet, Gręci ex editione *Wecheli* in 4. quem laudatus noſter *Haloinus* Heidelbergæ triverat, paſſim ſubductis lineis & notulis marginalibus, plerumque loca concordantia Ariſtotelis indicantibus, conſcribillati, præcipuè in politicis, & Ethicis Nicomachicis. Ut vel hinc, & ex diſpp. practicis in 8. editis videas, non trivialiter tantum compendium aliquod Ethicum aut politicum legendo, ſed ipſum Ariſtotelem Gręcè loquentem verſando, & imprimendo philoſophatum fuiſſe. Ignoſcat lector memoriam illius viri civis Ultrajectini, & aliquamdiu in eccleſiâ patriâ eccleſiaſtæ fideliſſimi, atque ibi in Domino defuncti, hâc occaſione celebranti. Ad inſtitutum ut revertar, concludo ſtudia Academica maximè promoveri, & Academias beatas eſſe, ubi multi juvenes jam eruditionem aliquam nacti, tum domeſtici tum extranei, privatas inſtitutiones ſive ſolitarias & pædagogicas (ita loquar) unius atque alterius in unâ domo, ſive ſocias aliquorum in collegia coëuntium, inſtitutiones, & repetitiones eorum quæ à publicis pręceptoribus audiverunt, audiunt, audituri ſunt, ἰυλάκτως ſuſcipiunt. Si qui filios, nepotes ex filio, filia, fratre aut ſorore, aliove cognatione, aut affinitate aut aliqua ſingulari neceſſitudine propius junctos domi ſuæ inſtitueret; non arbitror ipſi invidiæ aut φιλαργυρίᾳ, vel umbram actionis in tales inſtitutores relictam fore.

VIII. *Quæſt. An inter ſtudioſorum privilegia numerari debeat exemtio ab omni paſtoris & eccleſia (cujus membra ſunt) inſpectione, inſtructione, admonitione,*

cor-

correptione ? Reſp. Neg. Velim ex aliquo ſcriptore privilegiorum ſupra cit., aut ex ſcriptore politico, aut aliquo ſcriptore, qui regimen & diſciplinam eccleſiæ & officia paſtorum juxta ſcripturas agnoſcit, aut ex exemplo alicujus reforma tæ Academiæ aut Illuſtris ſcholæ, hoc demonſtrari. Ergone ſtudioſus, aut non recipietur in membrum eccleſię: aut ſi recipiatur in membrum eccleſiæ, id fiet abſque conſuetâ ſtipulatione & promiſſione: aut ſi more & modo ſolito in receptione ſuâ promiſerit, promittet cum intentione non ſtandi promiſſis; aut ſi promiſerit, integro animo, poſtea tamen ad ſuggeſtionem alicujus, ſecum diſpenſabit in promiſſione illâ? Miniſtri etiam & ſeniores in confirmatione ſuâ, ſolennem promiſſionem emittent coram eccleſiâ, cum intentione eam ſervandi, abſque additâ exceptione membrorum illorum, qui ſunt Doctores aut ſtudioſi Academici? Sed abſurdum hoc pręſumtæ exemtionis ſupra *lib.* 1. *tract.* 1. *cap.* 3. & 4. ſatis ſuperque profligavimus. Adulterationem veræ doctrinæ per profanas vocum novitates, aut luxationem ac laxationem pietatis molientes, talia commenta exemtionum, & tranſlationum eccleſiaſticæ poteſtatis ad Principes & Magiſtratus expromere ſolent: uti oſtendimus in exemplo Arminianorum. Neſcio autem, an quiſquam ἑτεροδιδασκαλούντων & ἀτάκτων antehac contenderit, grande nefas, aut ſaltem abſurdum committi, ſi pater filium; aut tutor pupillum; Aut eccleſiæ paſtor ovem ſuam, ſtudioſum Academicum privatim domi dehortaretur à periculoſis & ſcandaloſis aſſertionibus philoſophicis publicè defendendis. E gr. ſtudioſus quis in aliquâ Academiâ diſputationem de *Dubitatione* typis excuſam ſub præſidio ordinarii profeſſoris philoſophię, defendendam propoſuit. Sed defenſio per ejuſdem Academiæ theologos impedita fuit, & ſtudioſus defendens à ſtudiorum Mecænatibus, ob hoc factum reprehenſus. Et ſynodus iſtius provinciæ aliquamdiu poſt habita, cum innoteſcerent illi geſta in iſtâ Academiâ, decernebat DD. profeſſoribus theologiæ gratias, ob impeditam illam diſputationem, agendas eſſe, eoſque rogandos, ut porro invigilarent. Hic quæri poſſet an theologi iſtius Academiæ, & Mecænates defendentis, & ſynodus peccaverint in libertatem philoſophandi, in privilegia ſtudioſorum, in autoritatem, libertatem, exemtionem profeſſoris philoſophi, qui diſputationem illam à ſe perlectam typographo tradi, excudi, valvis Academicis affigi & exemplaria diſtribui paſſus, & præſidium præſtare paratus erat; etiam actu præſtitiſſet, ſi impedimentum illud non interveniſſet. Item quęri poſſet, an ſtudioſus quis, injuſtitiâ ſive verbis ſive factis in commilitones aut præceptores; aut blaſphemiâ, temerario juramento, in Deum, intra Academiam peccans & ſcandalum præbens, à parente, aut tutore, aut proprio (ita loquar) paſtore, etiam rerum circumſtantiis, & ordine ita po-

ſtu-

ſtulante à ſynedrio eccleſiaſtico reprehendi poſſet, abſque prævio judicio, & conſenſu Rectoris aut Senatus Academici moneri aut Academiæ curatorum. Quod ſi quis novus ædificator eccleſiæ in eccleſia, hoc eſt, ſæcularis poteſtatis & Magiſtratus in poteſtate eccleſiaſtica, & presbyterio, poſſe attentionem ad talem ſtudioſum, & correptionem ejuſdem competere in caſu de moribus, non vero in caſu erroneæ, aut hæreticæ, aut blaſphemæ, aut Epicureę atheæve doctrinæ: petemus rationes, ex jure divino, naturali, eccleſiaſtico, civili, municipali. Ut autem lectores ſciant hanc unam eſſe ex *νεοσοφίας* ſpeculationibus, quarum abſque impedimento propagandarum gratiâ, *τὸ πρόξυλον* illud exemtionis, libertatis, privilegii Academici, tantopere urgetur: De verbo ad verbum eam hic exhibeo ex diſputatione quę *Leidæ* impreſſa, publicè affixa, & cujus non pauca exemplaria more ſolito diſtributa erant: Titulus erat.

„ Diſputatio philoſophica *de Dubitatione*, quam favente *Deo T. O. M.* „ ſub præſidio clariſſimi doctiſſimique viri NN. philoſophiæ in inclytâ Ba„tavorum Academiâ Leidenſi *Profeſſoris ordinarii* celeberrimi publicè „ventilandam proponit NN. ad diem 3. *Decembr.* &c. Lugduni Batav. „apud viduam & hæredes *Johannis Elſeviry Academ. Typographi* cIↄ. Iↄc. „ LXV.

„ *Theſ.* III. Ad primum quod attinet, De omnibus omnino dubitan„dum eſt, in quibus vel minima dubitandi ratio occurrit: *de exiſtentia no„ſtræ mentis, de exiſtentia Dei:* de exiſtentiâ omnium rerum materialium. „Non quod Deum, mentem noſtram aut ullas res materiales exiſtere ne„gemus: ſed quod *aſſenſionem cohibere* oporteat ab iis omnibus, uſque „dum plane certa ſint atque indubitata, nihilque de iis pro certo affirmare, „ſi aliquam, quamvis puſillam & minimam dubitandi rationem in illis re„periamus. Cæterum, quamdiu validæ rationes nobis non ſuppetunt, qui„bus omnium illorum exiſtentia invictè probetur, judicium noſtrum ſu„ſpendere debemus, uſque dum eæ nobis occurrunt: alias facile nos falli „contingit.

„ IV. Id autem dubitationis nomine indigitamus. Quum enim de „omnibus, quæ hactenus maximè vera & certa exiſtimavimus? non au„deamus quicquam affirmare, quia per ſæpe deprehendimus nos in iis eſſe „deceptos, & multa falſa pro veris admiſiſſe, certè nullum occurrit „nomen, quo illud inſignire melius poſſimus, quam nomen dubitatio„nis.

„ V. Quia verò difficile eſt opinionibus iſtis non aſſentire & confidere, „propterea quod à nobis conſiderentur tanquam dubiæ quidem aliquo „modo, ſed nihilominus valde probabiles, idcirco utile erit, *ſi illas tan-*

„*quam falſas habeamus*, id eſt, ſi aſſenſionem noſtram ab iis, *tanquam ab* „*apertè falſis*, cohibeamus, tantiſper dum certiſſima reperta fuerint prin- „cipia, ex quibus illarum veritas aut falſitas clare demonſtretur.

„ VI. Quando itaque id, de quo dubitatur, pro falſo habetur, non hoc „ita eſt accipiendum, ac ſi contrarium ejus & oppoſitum idcirco deberet „eſſe verum & tale, ut de eo dubitari non poſſit. V. C. cum dubitamus an „ullæ res materiales exiſtant, non ideò debemus nec poſſumus conclude- „re reverâ nullas res materiales exiſtere: at vero eatenus id, quod dubium „eſt, haberi debet pro falſo, ut oppoſitum illius ſit quoque dubium & „pro falſo habeatur, quo judicium non magis in unam, quam aliam par- „tem propendeat.

„ VII. Dubitandum proinde de exiſtentiâ mentis noſtræ. Ratio eſt, „quia nondum ſatis cognitum nobis eſt quid illa ſit; atqui, ut notum eſt, „de nullâ re licet quærere an ſit, priuſquam quid illa ſit, intelligatur. De- „inde meritò dubitamus de exiſtentiâ noſtræ mentis, quia necdum certi „ſumus, an illa magis neceſſaria ſit & requiratur ad nos conſtituendos, „quam corpus vel ulla res materialis. Denique quia nulla nobis neceſſi- „tas incumbit, quæ nos mentem exiſtere pro certo cogat affirmare: imò „verò ratio potius nobis ſuadet, quamdiu non plane certi ſumus de aliquâ „re, judicium quoque de eâ non eſſe ferendum, antequam perfectam de „eâdem ſcientiam fuerimus adepti.

„ VIII. Præterea quia nullæ validę rationes nobis ſuppetunt, quibus re- „rum materialium exiſtentia probetur, illæ quoque in dubium à nobis re- „vocari debent. Idque propter duas præcipuè rationes. Quarum prima eſt, „quia deprehendimus interdum ſenſus errare; nam turres è longinquo con- „ſpectæ ſæpius nobis ut rotundę apparuerunt, quæ tamen rotundæ non „erant: halitum oris noſtri, quia calidiori tempore non cernitur, nullum „eſſe putamus: & ſic in plurimis aliis.

„ IX. Quando autem ſenſui error tribuitur, non eo ſignificatur ſenſum „falli quando aliquod objectum ipſi apparet, quaſi illud ipſi apparere eſſet „falſum, ſed ſenſus falli dicitur, quando, cum aliquod objectum ipſi „apparet, ſtatim ex eo judicat illud reverâ tale eſſe, quale ipſi apparet: ex. „gr. cum videt parietem album, quia iſte paries ipſi apparet ut albus, ideò „concludit iſtum parietem neceſſario eſſe debere album: quod falſum eſt; „nam iſte paries, qui ipſi apparet ut albus, icterico apparet flavus, nec ta- „men propterea ſequitur, eum flavum eſſe.

„ X. Altera ratio, propter quam res omnes ſenſibiles in dubium revocari „debent, eſt, quia quotidie in ſomnis quam plurima videmur ſentire, & „quidem diſtinctè ſentire, quæ reverâ non ſentimus, quapropter exper-
ge-

Digitized by Google

„ gefacti experimur falſum fuiſſe, quod in inſomniis putaveramus eſſe ve-
„ riſſimum.

„ XI. *Dubitandum inſuper eſt de communibus notionibus*, quas antea pro
„ maximè veris habuimus, quales ſunt, *duo & tria* faciunt quinque:
„ *idem non poteſt ſimul eſſe* & non eſſe: *quod factum eſt*, infectum fieri
„ non poteſt: *totum eſt majus ſuâ parte*: & ſimiles. Idque, *primò*, quia
„ longa experientia nos docuit plurimos, imo nos ipſos deceptos fuiſſe
„ in iis, quæ arbitrabamur nos quam clariſſimè percipere. Deindè etiam,
„ quia author noſtræ originis nobis adhuc eſt ignotus; neſcimus enim, quia
„ naturam ejus ignoramus, an forte nos tales creaverit, ut ſemper falla-
„ mur, etiam in iis, quæ videntur eſſe clariſſimè perſpecta: quod non mi-
„ nus poſſibile Deo videtur fuiſſe, quam efficere ut aliquando fallamur.

„ XII. Denique etiam ſeriò & ordine philoſophaturo exiſtentia Dei in
„ dubium eſt revocanda, hoc eſt, dubitandum eſt an Deus, id eſt, ens ſum-
„ me perfectum exiſtat; Nam cum de nullâ re adhuc pro certo poſſimus
„ affirmare quod exiſtat, quoniam non habemus de ullâ cognitionem cer-
„ tam & inconcuſſam, de quâ ne minima quidem ratio dubitandi ſit reli-
„ qua, certè nulla nobis eſt neceſſitas, nullæ nos movent rationes, quæ pro
„ certo nos cogant concludere Deum exiſtere.

„ XIII. Hæc doctrina proculdubio non ſolum ſupervacua, verum etiam
„ impia primo intuitu multis videbitur; nam, dubitare an Deus exiſtat, pro
„ ſummâ impietate ſemper fuit habitum, quia de eo ne gentiles quidem du-
„ bitaverunt; præſtantiſſimi quippe ipſorum ſenſerunt iſtiuſmodi homines,
„ qui vel Deum negant, vel de ejus exiſtentiâ dubitant, pœnis ac verberibus
„ potius eſſe coërcendos, quam argumentis refutandos.

„ XIV. Sed, ut omnes difficultates, quæ hæc dubitatio videtur in ſe
„ continere, tollantur, ſciendum eſt, ipſam non debere extendi *ad res fidei*
„ *& religionis*: nec etiam ad communem uſum vitæ; tum quippe dubita-
„ tio iſta eſſet non inutilis modo & hyperbolica, verum etiam maximè
„ damnoſa; occaſio enim rerum agendarum ſæpiſſimè præteriret, ante-
„ quam nos dubiis noſtris poſſemus evolvere.

„ XV. Proinde ut antecedentia omnia rectè intelligantur, accuratiſſimè
„ eſt diſtinguendum inter communem uſum vitę, & contemplationem ve-
„ ritatis Philoſophicam. Ad communem uſum vitę quod attinet, quamvis
„ multæ ſint res, quę incertæ & dubię videntur, tamen *illas intrepidè de-*
„ *bemus apprehendere*, ac ſi veræ eſſent & exploratæ, iiſque, ut clarè per-
„ ſpectis, aſſentiri, quia tum non rebus cognoſcendis, ſed agendis tantum
„ incumbimus: imò verò ea, quæ ſunt veriſimilia tantum nonnunquam co-
„ gimur amplecti, ut certa: vel, quando omnia incerta planè ſunt & igno-

„ ta, ex multis ignotis unum tantum eligere, idque non minus firmiter te-
„ nere, poſtquam electum eſt, quam ſi ob rationes graviſſimas id potius
„ quam aliud quicquam fuiſſet electum, quamdiu nempè nullæ nobis oc-
„ currunt rationes, quæ in contrariam partem nos impellant.

„ XVI. Quantum verò ad hanc dubitationem, ſi reſtringatur ſolum-
„ modò *ad contemplationem veritatis*, nullum nec impietatis, nec dam-
„ ni periculum in eâ occurrit; nam procul omni dubio tanto minori in er-
„ randi periculo nos verſamur, quo clarius aliquid intelligimus, antequam
„ ipſi aſſentiamur: contra verò illi graviſſimè peccant, qui de re non ſatis
„ perſpectâ judicium ferunt; nam, ſi judicium ipſorum eſt falſum, à vero
„ illos avertit: ſi autem ſit verum, non quidem à vero, ſed tamen à veri
„ cognitione avertit eos.

„ XVII. Cui accedit nos non dubitare, ut velimus manere incerti,
„ quemadmodum Sceptici, qui dubitabant ut dubitarent: ſed, ut per hanc
„ dubitationem ad clariorem veritatis cognitionem poſſimus pervenire.

„ XVIII. Ex quo patet hujus dubitationis neceſſitas & utilitas. Neceſ-
„ ſaria eſt hæc doctrina; abſque illâ enim nihil unquam firmum & ſtabile in
„ Philoſophiâ ſciri poteſt.

„ XIX. Utilis eſt præterea, nam liberat nos ab omnibus præjudiciis:
„ viam nobis ſternit ad mentem à ſenſibus avocandam: rectâ nos ratione
„ uti docet: & efficit, ut de iis, quæ non obſtante tam rigidâ dubitatio-
„ ne, vera nihilominus eſſe deprehendimus, non amplius poſſimus dubitare.

„ XX. Verum quidem eſt, dubitationem ſolam ad veritatem aliquam
„ ſtabiliendam non ſufficere: ad illud tamen præparandum animum utilis
„ eſt, & eum in finem ſolummodò adhibenda.

„ XXI. Hoc pacto ſi quis dubitaverit, nullum eſt dubium, quin tandem
„ ſit perventurus ad firmiſſimam ſcientiam multarum rerum, de quibus an-
„ teà dubitavit, aut etiam ne cogitavit quidem.

Nos hoc Dubitationis principium refutamus in 3. *part. ſel. diſp. tit. de fide, conſc. & theol.* dubitante.

* APPENDIX II.

De peregrinatione.

DE arte & modo peregrinandi varii exſtant libelli, ut *Zwingeri*, &c. & itineraria alibi indicata. Nobis hic propriè de peregrinatione ſtudioſorum dicendum. Quod ad juris & politicæ ſtudioſos, ad quæ ipſis attendendum ſit in peregrinatione, ab aliis jam deſcriptum eſt. Nos hic inſeremus, quæ ex *Ranſovio* exhibet *Canonherius* in ſeptem *libr. aphoriſmorum Hippocratis*, interpretationibus, &c. *lib.* 1. *pag.* 363.

Quæ

„ Quæ, inquit, ad perfectam Politicam ſcientiam faciunt, præcipuè inquirere inveſtigare, ac addiſcere debet, ea enim ſunt, quæ ab Henrico Ranzovio enarrantur.

„ I. COSMOGRAPHICA.

„ *Longitudo & latitudo loci, non Geometrica, ſed Coſmographica. Elevatio poli. Declinatio magnetis à polo mundi. Declinatio arcus ſeu lingula Compaſſi, & pyxidis nauticæ, ac Horologiorum ſolarium à linea meridionali. Sub quo parallelo ſitus locus, an ſub Æquatore, an inter Æquatorem & Tropicum, an ſub Tropico, an inter Tropicum & circulum Arcticum, an ſub circulo Arctico vel Antarctico, an intra Arcticum & Polum, an ſub ipſo Polo. Sub quo climate. In qua Zona, Temperata an intemperata, torrida an frigida. In quo Hemiſphærio, Boreali an Auſtrali. An nobis Periæci, Antæci, Antichthones ſeu Antipodes. An Amphiſcii, an Heteroſcii, an Periſcii. Umbrarum ratio ſeu proportio Gnomonis & umbræ. Quantitates diei & noctis. Minima maximeque noctium æſtivalium ſolſtitialium luces. Ortus & occaſus Solis diebus ſolſtitialibus. Crepuſculorum matutinorum veſpertinorumque initia & fines.*

„ II. ASTRONOMICA.

„ *Horoſcopus aſcendens Medium cœli ſeu cor cœli. Zenith, Stella verticalis, Nadir. Stella Topica, Stella Dominans, Signum cœli, ac gradus ac planeta cui locus ſubjectus eſt.*

„ III. GEOGRAPHICA.

„ *An locus ſit mediterraneus, an pars continentis. Iſthmus, Cherſoneſus ſeu peninſula. Inſula parva, mediocris, magna, maxima. An inſula continentis vel maris. An ſit ora maritima, tractus maritimus* ander Seekant. *An ad mare, vel oceanum. An ad ſinem, vel portum maris. An ad porthmum ſeu fretum. An ad flumen ſeu fluvium aut fluvii oſtia ſita urbs ſit. An inter Syrtes,* &c.

„ IV CHOROGRAPHICA.

„ *Situs urbis generalis, qua regione, quo regno, ducatu, archiducatu, principatu, marchionatu, comitatu, epiſcopatu, præpoſitura, præfectura, civi-*

,,tate. *Situs relativus, collatione facta ad proximas regiones vel urbes. Verſus quam mundi plagam, quem cœli cardinem ſpectet. Plagæ directio. Diſtantia miliarium plagalis, & directionalis. Termini ſeu fines, quibus regionibus, montibus, ſilvis limitetur, circumſcribatur, ſeparetur. Amplitudo regionis collata ad alias, quàm longa, lata, Ambitus, Circuitus. Urbium, civitatum, oppidorum, arcium, caſtrorum, pagorum, vicorum extra oppida, villarum frequentia, & celebritas,* groſſe und kleine Dorffer. *Diviſio regionis, partes præfectura,* Ambte/ Horde/ Wirck/ *epiſcopatus, præpoſituræ. Urbes præcipuæ, metropolis, civitates majores, matrices* Hauptſtet/ *Emporia* Kauffſtet/ Hanſeſtet/ und van der Stapel iſt/ oder da ein Niderlag iſt/ Handelſtat/ *Coloniæ, municipia, oppida libera* Keyſerſtten und die einen Roland haben/ *ſtipendiaria, confœderata, Principibus ſubjecta. Provincia ſtipendiaria, proconſulares, prætoria, præſidiales. Vicinia regionum, urbium, oppidorumque, & quales vicini. Tutus acceſſus & tranſitus* ſicher Paſſe/ ab: unnd Zuefuhr. *Via, publica, itineris qualitas. Statuæ mercuriales.*

V. TOPOGRAPHICA.

,, *Situs ſpecialis,* wo es lige/ *An edito, declivi, vel humili loco ſit. In loco paluſtri, in planicie, valle, monte, radice montis, promontorio, rupe. An urbs muro includat colles. Regionis vel urbis figura. Extenſio plagalis, à qua plaga mundi, in quam extendatur,* wo es ſich hinaus ſtrecke. *Magnitudo, longitudo, latitudo Geometrica, Ambitus. Diviſio parteſque urbis. Foſſa cingens urbem, quàm lata, profunda. Valli, propugnácula, ſpecula. Muri ex qua materia, quales, quanti, quàm longi, quàm alti, craſſi. Mœnia, Turres, Portæ, Oſtia, Vici oppidi, Plateæ, Aquaductus publici. Pontes an lignei, lapidei, penſiles, ſublicii, verſatiles. Molæ quæ aguntur aqua, ſeu vento, ſeu iumentis, ſeu hominum manibus, quarum noſtra ætas reperit varias. Ædificia in quibus ſpectatur commendaturque ſitus, magnitudo, materia, forma, figura, ſpendor, pulchritudo, elegantia, ornamenta, proſpectus, Janua, Limen, Periſtylium, Atrium, Veſtibulum, Cœnaculum Triclinium, Granarium, Valetudinarium, Sacellum, Conclavia. Cubicula Andron, Gynecæa, Thalamus, Vaporarla, Culina, Pennaria, Cellaria, Horrea, Granium, Stabula, Balnea privata, Apodyteria, Hypogæum, Aquaductus privati: Et aliæ res neceſſariæ: ad œconomicos uſus, aliaque commoditates: Aviarium, Vivarium. Ædes publicæ, Fora ac varia ejus generis macella, Apothecæ, Pharmacopolia, Gymnaſia, Xenodochia, Noſocomia, Balnea publica. Thermæ magnificè extructæ. Baſilicæ. Theatra, Scenæ, Sphe-*

„ *riſteria, Paleſtra, Amphitheatra, Labyrinthi, Circi, Hippodromi, Catadromi,*
„ *Porticus, Xyſtus, Arcus triumphales, Trophæa, Signa, Statuæ, Metæ, Columnæ,*
„ *Obeliſci, Coloſſi, Pyramides, Cryptoporticus, Bibliopoliorum, Bibliothe-*
„ *carum, Scholarum, Academiarumque ædificia, Collegiorum, Synagogarum,*
„ *Atheneorum, Muſæorum, Archivum. Templa, Fana, Delubra, Sacella, Eccle-*
„ *ſiæ cathedrales, cui Divo conſecratæ, Aræ, ornatus templorum, Pictura vel ima-*
„ *gines in templis. Idola, Organa templorum, Horologia admiranda, Turres,*
„ *Campanæ, Tintinnabula, Baptiſteria, Monaſteria, Cœnobia, cujus ordinis. Curiæ,*
„ *Armamentarium, Nobilium ſedes* Junckheern Hoffe/ Ritterſitz te/ *Arces re-*
„ *giæ, earumque celebritas, caſtra, prædia.*

VI. GEORGICA.

„ Facies & natura quatuor temporum anni, Veris, Æſtatis, Autumni,
„ Hyemis, in ea regione ferè uſitata. Venti loco peculiares. Locus apricus
„ ſeu expoſitus Soli, tum à ventis, inſalubris. Aëris qualitas, commoditas,
„ temperies, ſalubritas. An ibi plerumque ſeneſcant homines, aut citò mo-
„ riantur, quibus morbis ſint obnoxii. Pulchritudo regionis, locus amœnus,
„ Terra plana, ſalebroſa, montoſa, ſylvoſa, aquoſa, ſolida. Fundus, ſoli qua-
„ litas ſeu natura. Terra uliginoſa, paludoſa, lutoſa, gleboſa, argilloſa, pin-
„ guis, macra, arida, arenoſa, fabuloſa, glareoſa, lapidoſa, carbonaria. Agri,
„ cultus agrorum, ratio colendi, quid & quantum ſeratur, quid reddant res
„ ruſticæ, Soli naturalis bonitas, ſoli ubertas, fertilitas. Meſſis, copia an-
„ nonæ, proventus frumentorum, rerum variarum copia, & voluptates quę
„ inde percipiuntur. Gramina, prata, paſcua, fœniſecium, horti Luſtheuſer/
„ Labyrinti hortenſes ſeu herbacei. Herbæ, herbarum variæ ſpecies, vires
„ herbarum ibi notæ, & expertæ medicinæ ad morbos hominum pecorum-
„ que. Pulvinus, areola, topium ſive topiarium. Flores, frutices, ſuffrutices,
„ Arbores, arborum varia genera, Fructus, fructuum multitudo, magnitu-
„ do & qualitas, Aromata, Vineæ, vini genera. Sylvę quæ cęduæ, quæ fru-
„ ctiferæ, quæ incæduæ, lucus, ſaltus. Montes, in quibus conſideratur lau-
„ daturque celebritas, ſitus, altitudo, longitudo, extenſio plagalis, proſpe-
„ ctus, radix montis, Stagna in cacumine, ortus fontium, fluviorumve, me-
„ talla, gummæ, herbæ, frutices, genera arborum, ſilvæ, feræ, venationes.
„ An montes colantur. An ſint idonei agris, hortulis, vinetis. Item ſpe-
„ cus, quæve aliæ res ibi inveniantur. Monumenta vetera, vel ſi quid ha-
„ bent novum, prodigioſum & memorabile. Stagna, lacus, fontes, rivi,
„ amnes, flumina, fluvii. In fluminibus attenditur ſcaturigo, ubi oriantur
„ ſeu naſcantur, quo tendant, & ubi exeant fluvii oſtia, quos amnes & rivos

reci-

„recipiant, quæ flumina illabantur. Amplitudo, latitudo, flexus, longitu-
„do, profunditas. An idoneum ſit flumen navigationi & navigantibus,
„an alicubi, & ubi vadoſum. Quæ oppida, quos pagos præterfluant, quæ
„prata & nemora irrigent, quæ genera, quantamque piſcium copiam alant.
„Quot, qualibus, quantiſque pontibus ſternantur, quæ molarum genera,
„& quot numero moletrinas agant, & ſi quos uſus alios præbeant locis
„quæ præterlabuntur, vel quid novum aut inſolitum & proprium præ aliis
„habeant. Aquæ qualitas, dulcis, ſalſa, amara, limpida, ſalubris, quid ge-
„neret, quid emittat. Piſcinæ. Thermæ quorum mineralium participes,
„cujus qualitatis, quarum virium, quos morbos curent, lavandi ratio. Sali-
„næ, ſalis genera, ſalis fodiendi, coquendi, præparandi ratio. Mineralia.
„Metallifodinæ **Bergwerck**/ Venæ metallicæ; Metallorum genera & pro-
„ventus, Aurifodina, Argentifodina, Calcifodina. Æraria fodina, Ferraria
„fodina. Margaritæ, Gemmæ, Aves, avium genera. Piſces, piſcium varia
„genera. Serpentes, viperæ, venena, venenorumque remedia ibi cognita.
„Terra leporaria, Theriotrophia. Pecora, greges, Armenta, varia anima-
„lium genera. Commoda vitę alia, quibus maximè abundat aut deſtituitur
„hæc regio. Et ſi quid ſolum hoc habet novum, inuſitatum, inſigne.

VII. NAUTICA.

„ In mari à navigantibus attenduntur, vaſtitas, profunditas, an idoneum
„ſit mare velificantibus. Aquæ qualitas, color, an ſalſa, pellucida, turbi-
„da, viridis. Fundus, arena, color & qualitas. Vada, Brevia, Syrtes
„**lauffender Sand oder trib Sand**. Dorſa **Reff**/ Saxa latentia mediiſque in
„fluctibus aræ, **Blinde Klippe**. Saxa ſcyronia, Cyaneæ ſeu Symplegades,
„Rupes, Scopuli. Promontoria, Naufragia, Sinus, Portus ſeu ſtatio navium,
„Porthmus. Fretum, Euripus, Gurges, vertex, vorago, Umbilicus maris.
„Æſtus maris, fluxus, refluxus, receſſus, reciprocatio maris, vadum. Æ-
„ſtuaria **Seilenſchlieſſen**/ Naves, Cymba & harum diverſæ formæ & ap-
„pellationes.

VIII. POLITICA.

„ Populi frequentia, Lingua ejuſque idiomatis pronunciatio, aut cum a-
„liis linguis vicinitas ſeu cognatio. Nomina quædam propria virorum &
„mulierum rariora. Victus ratio, cibus, ciborum varietas & differentia,
„potus, commeatus, cereviſia, vinum, vini differentię, coquendi artes ſin-
„gulares, ut vulgò aut alibi incognitæ, artificia obſonatoria, id eſt, ad
„cibum & potum pertinentia, piſtoria. Veſtitus virorum & mulierum,
Spon-

Digitized by Google

„Sponſarum, Ruſticorum, Civium, Nobilium, Sacerdotum, Mona-„chorum. Item veſtitus funebres, & veſtes ad ornatum pertinentes. Inge-„niorum facunditas, Civium incolarumque ingenia, induſtria, ſtudia, mo-„res, probitas, humanitas, hoſpitalitas aliæque virtutes & vitia, concor-„dia & diſcordia. Diverſoria rara vel nulla, Libertas, Servitus. Artificia „mechanica, Navigationes, Negotiatio, Facultas, Machinæ. Nundinę „Jarmarck/ Pferdmarck oder Roßmarck. Merces vel importandæ vel ex-„portandæ, Mercatura, Monetæ, Pondera, Menſuræ cum aridorum „tum liquidorum, Ulnæ, Perticæ ſeu virgæ menſorię, Jugerum quantitas. „Politia, Reſpub. Civilis forma Politicæ gubernationis, honeſta, juſta, „Statrecht/ Burgerrecht/ Seerecht. Judicia jure & legibus conſtituta, „Jus, Leges, Jus criminale ſeu pœnæ capitales Halſsgericht, Immunita-„tes, Dignitates, officia civilia & forenſia. Onera publica, tributa, vecti-„galia, cenſus, Bellicoſitas, bellandi virtus, & diſciplina militaris, Vi-„ctoriæ illuſtres, Dignitates bellicæ quæ & quibus conferantur, Officia „militaria. Ritus ſponſaliorum, nuptiarum, pædoſympoſiorum, nuptia-„rum, conviviorum, conjugiorum, Choreæ, Ludicra exercitia, Fune-„bres pompæ, Sepulturæ, Exequiarum ratio. Societas, Curia, Tribus. „Tribuum dignitates, Familiarum privilegia, Conventus ſolennes, Muta-„tiones publicæ & harum cauſæ.

IX. SCHOLASTICA.

„Literarum characteres in ea regione peculiares, quales olim literæ Go-„thicæ, Bibliopolę, Bibliothecę, Libri rari & ſecreti, antiqui codices ma-„nuſcripti, non impreſſi. Antiquæ notationes in rupibus atque ſaxis inci-„ſę. Alięque antiquitates & res viſu memorabiles, ut Gigantum ſtrata lecti-„ſternia, quæ in ducatu Megapolenſi Vandalorum cœmiteria appellantur. „Antiqua numiſmata. Antiquæ vel recentes artificioſiſſimæ picturæ. Item „columnarum, Statuarum, obeliſcorum, pyramidum ſepulchorum ac alio-„rum monumentorum inſcriptiones. Epigrammata, Propemptica, Epi-„thalamina, Epitaphia, Epicedia, Elegiæ, Satyrica, Tragica, Rhapſodia, „Centones, Technopegia. Carmina leonica, ſerpentina, concordantia, „antiſtropha, reciproca ſeu retrograda, correlativa, ænigmatica, ęnigmata. „Rithmi, dicteria, adagia, proverbia, apophthegmata. Cantiones & melo-„dię artificioſæ, ſuaves, veteres & recentes, in genere diatonico, chroma-„tico, & euharmonico. Partes dulciſonę 2. 3. 4. 5. 6. vocum, &c. Or-„gana muſica privata omnis generis, Muſica officina & inſtrumenta, Or-„ganiſtę, Muſici practici & inſtrumentales. Inſtrumenta Geometrica, Aſtro-

„ nomica, mathematica, Mechanica. Opera mechanica egregia, automa-
„ ta, machinæ hydraulicæ. Artifices in artibus mechanicis excellentes,
„ Pictores nobiles, Statuarii, Sculptores, Carpentarii, Architecti, Auri-
„ fabri artificioſi, Artificeſque alii. Item lanificia. Scholę puerorum, puel-
„ larum, Auditoria, Academiæ, frequentia ſtudioſorum. Artes liberales,
„ lectiones publicæ in ſcholis & Academiis, ſtudia, inſtitutionis ratio,
„ ſcholaſticum regimen, diſciplina Scholaſtica, Pedagogi, Gymnaſiarchæ,
„ Ludimoderatores, Magiſtri ſcholarum, Rectores, profeſſores Academia-
„ rum, Doctorum ſtipendia. Viri docti, Philoſophi, Mathematici, Arithme-
„ tici, Geometrę, Aſtronomi, Aſtrologi, Muſici Theorici, Componiſtę ut
„ vocant, Poëtę, oratores, Hiſtoriographi, Alchimiſtæ, Medici, Veterina-
„ rii. Aucupes Wildſchutten/ Piſcatores, pro indagandis hiſtoriis & natu-
„ ris ferarum, volatilium, & aquatilium, Avium & piſcium varia genera.

X. ECCLESIASTICA.

„ Eccleſia, Reſpublica eccleſiaſtica, Feſta, Religio, Cultus divinus,
„ Superſtitio, Idololatria. Exercitia ſacra, Ceremoniæ, Ritus varii & ho-
„ rum initia ac progreſſus, Miſſę. Cantiones ſacrę. Conciones, Doctrinæ.
„ Auditorum frequentia, devotio, pietas, ſanctitas, jejunia, Eleemoſy-
„ na. Peregrinationes religionis ergo Walfahrt. Dignitates & officia ec-
„ cleſiaſtica, Concionatores, Doctores celebres, theologi, Eccleſię mi-
„ niſtri, Archiepiſcopus, Suffraganeus, Decanus, Monachi, Canonici,
„ Prior, Abbas, præpoſitus, Epiſcopus, Cardinalis, Pontifex, Heretici,
„ Prophetæ, Sancti. Salaria & ſtipendia miniſtrorum eccleſiæ ampla, præ-
„ bendæ opimæ, proventus & poſſeſſiones Eccleſiaſticorum, Privilegia,
„ Clericorum, Diſciplina eccleſiaſtica, Leges de contrahendis matrimoniis,
„ Judicia, ſive conſiſtoria eccleſiaſtica.

XI. HISTORICA.

„ Urbis antiquitas ſeu origo. Quando primum condi cœpta urbs, Urbiſ-
„ que partes, Templa, Curiæ, arces. Primi conditores, Nomina appella-
„ tioneſque veteres ac recentiores, Etymologia ſeu ratio nominum. Inſi-
„ gnia regionis, civitatis, & ratio ſignificatioque inſignium. Primi inhabi-
„ tores, Incolæ qui olim eas terras tenuerunt. Antiquiſſimæ originis fami-
„ liæ patriæ, Nobilium, Veterum incolarum patriciorumque virtus. Res
„ celeberrimæ à veteribus incolis pace belloque geſtæ, Hiſtoriæ memora-
„ biles. Gubernatores illuſtres, Pontifices, Imperatores, Cardinales, Reges
ve-

Digitized by Google

„ veteres virtute præſtantes, qui olim præfuerunt, Comites, Barones, Marchiones, Landgravii. Imperator, Rex, Dux, Dominus, Satrapa, præfectus, Conſules, Senatores clari, qui nunc præſunt. Viri illuſtres, Nobiles, Prophetæ, Hæretici, Sancti, qui claruerunt olim, quos genuit illa terra. Viri nobiles, claræ virgines, mulieres, ſenes decrepiti, Sapientes Weltweiſe, Reſque aliç memorabiles.

XII. CHRONOLOGICA.

„ Hiſtoriç ſpeciales, Annales, Monſtra, Portenta, Oſtenta, Prodigioſa iſtis locis viſa, Cometę, Ecclipſes magnæ. Immenſa frigora, gelidiſſimæ hyemes, Torridæ aſtates. Fulgura, Tonitrua, fulmina. Incendia, Tempeſtates magnę, Inundationes, Diluvia, Wolckenbruch. Grandines Magnæ & noxiæ. Nives profundiſſimæ, Terremotus; Locuſtæ, Caritas annonæ, Fames, Peſtilentiæ: circa quas annotandum, quot extiterint, quales, quando cœperint, quandiu ſævierint, quando finierint, ex quibus partibus ſint ortæ, quot & quos è medio ſuſtulerint, quomodo & quibus novis certiſque remediis aliqui in ea peſte ſervati fuerint. Bella, prælia, conflictus, monomachiæ, obſidiones, expugnationes urbium devaſtationeſque & calamitates aliæ, quibus ex cauſis ortæ, & per quos excitatæ. Seditiones, pacificationes, fœdera, & quibuſcum contracta. Nobiles præſtantes. Patricii excellentes, Facinoroſi nobiles, Pyratæ Seerauber & eorum facinora. Et qui horrendis caſibus periere, an propria culpa pœnas accerſiverint, an verò fato in hęc mala inciderint.

„ Optima domum reportet, & ex peregrinatione fructum capiat. Nam inanis profecto, vanuſque merito dicendus eorum curſus, atque vagatio erit, qui ſine prudentiæ lumine, limine egrediantur, & itinera peregrina ſuſcipiant hac voluptate, ut oculorum aſpectum viſu urbium, ac arcium, nemorumque & fluviorum duntaxat paſcant, aut novum aliquem cultum & habitum geſtumque referant.

„ Prudens enim viator, in perluſtrationis ſuæ ſpaciis, eos fluvios imitatur, quos per medium maris, ſine omni ſalis aſpergine, dulcedinis ſuæ ac coloris tenaciſſimos delabi audimus.

„ A peregrino ea ponimus obſervanda quæ ad finem peregrinationis ſpectant, qui eſt acquiſitio politicæ prudentię quæ ad Patriæ ſalutem publicamque utilitatem conferre debet, alioquin fruſtra peregrinabitur. Nam quemadmodum nemo credit artis medicæ peritum eſſe, eum, qui herbarum cognitionem nullam habet: aut inſignem Architectum qui ſtatuam doricam à Corinthiaca diſcernere, nequit: ſic nec ille cenſetur tempus

„ operaſque ſuas benè collocaſſe, quas peregrinando inſumſit, qui ea, quæ „ prius noſſe debebat, peregrinatione ſua non adjuvit, & auxit. Exempli „ gratia, ſi quis homo politicus ſit, & conſiliarium agat apud Principem „ quendam vel in Republica, ac in Galliis dicat ſe aliquantiſper vixiſſe: „ quæratur ex eo quot milliaria Gallia, aut Hiſpania in longitudine vel la- „ titudine contineat? Quas habeat munitiones? ubi nam aditu facilis „ aut difficilis ſit? Quot flumina non vadoſa habeat? Quæ præcipua vir- „ tus Hiſpanorum? quæ item Gallorum? Quod maximum vitium in utra- „ que gente? Quibus rebus potiſſimum delectentur hi vel illi? in quo no- „ biles Galliæ ab Hiſpaniæ nobilibus differant? in quo item vulgus diſcre- „ pet, & quæ illius ſint ſtudia, qui mores? Quod diſcrimen inter ædifi- „ cia harum gentium? uter Regum in utroque regno majore potentia pol- „ leat. Quomodo ſubditi in illis regnis Principi ſuo vel obediant, vel ſe „ opponant? Quam diſſimilitudinem habeat ſervitus Gallorum à ſervitute „ Hiſpanica. Quo pacto in his regnis annonæ caritas evitetur? quæ ratio „ Aulæ in utroque regno, & quomodo proſpiciatur agricolis, ne belli „ temporibus damno afficiantur? Si igitur ac hæc apte reſponderit, bene res „ ſe habet: ſin minus magnum indicium eſt eum aliis rebus incubuiſſe, „ quàm ut iſta peregrinando cognoſceret quæ virum politicum, aut conſi- „ liarium noſſe conveniebat, etiamſi ſciat quibus generibus ſaltandi utan- „ tur vel Galli, vel Hiſpani: Nam ea potiſſimum obſervanda ſunt, quæ ad „ finem principalem tendunt, non leviora, ad finem non ordinatum ten- „ dentia, licet etiam illorum uſus aliquis eſſe poſſit aliis in rebus.

Atque hactenus *Rantzovius* & ex eo *Canonherius*, de *peregrinatione politicorum.* Nos ſpecialiter peregrinationem theologiæ ſtudioſorum, candidatorum miniſterii, miniſtrorum, profeſſorum theologiæ ſpectantes, ad duo hæc quæſita reſpondemus.

1. *Quæſitum:* Per quas terras peregrinatio theologica potiſſimum, inſtituenda? *Reſp.* Per Europeas illas ubi eccleſiæ & Academiæ proteſtanticæ aut reformatæ habentur. Ita olim non pauci ſtudioſi Belgę curſu in Academiâ *Leidenſi* abſoluto, primum *Franekeram* ob florentiſſimum iſtic *linguæ Hebraicæ* ſtudium, ſe conferebant: peregre profecti, *Heidelbergam*, *Herbornam*, *Baſileam*, *Tigurum*, *Genevam*, *Sedanum*, aut *Salmurium*, *Londinum*, *Oxonium*, *Cantabrigiam* luſtrabant.

Fuerunt aliqui, qui heroico auſu terras & eccleſias orientales luſtrârunt, inter quos duos novi; qui in theologiæ & linguæ Hebreæ atque affinium orientalium ſtudio haut vulgariter provecti, *Adamum Boreelium*, & *Davidem de Willem*: qui poſtea tamen ex peregrinatione reduces politices

&

Digitized by Google

& Juris ſtudio ac praxi ſe dederunt, & ad ampliſſima atque honoratiſſima munera promoti ſunt: Ille Conſiliarius & ſyndicus *provinciæ Zelandicæ*; iſte conſiliarius *Celſiſſ. principis Arauſonienſis*, & Senator in ſupremâ Brabantiæ curiâ conſtitutus. Illius prudentiam, fidem, & induſtriam in arduo illo munere exequendo; ut & excellentem, tum linguarum, tum rerum divinarum & humanarum ſcientiam, alii qui propius iſta inſpexerunt, deſcripturi ſunt: ſiquidem ſemel tantum occaſione aliquâ illuſtrem illum virum a. 1626. Middelburgi videre, & compellare contigit. Ejus ſtudia, & eruditio ex lectione tranſlationis Latinæ commentarii *Hugonis Broughtoni* in *Danielem* Anglicè conſcripti in peregrinatione, & juvenili ætate, ab illo factæ, & Baſileæ excuſæ pateſcunt. *Iſte* in dignitatibus modo memoratis conſtitutus, ſæpe Ultrajectum excurrens, me alloquio ſuo; & de literariis, publicisque tum eccleſiaſticis tum politicis negotiis familiari collatione, nec non ſcriptis ad me literis dignatus eſt. Ejuſdem peregrinationes earumque fructus publico præconio celebravit celeberrimus theologus *Andr. Rivetus* in epiſtolâ dedicatoriâ Prælectionibus in decalogum præmiſsâ. Quamvis autem pleriſque miniſterii candidatis contingere nequeat peregrinatio Orientalis, ob immanes expenſas: autor tamen eſſem illis, qui plura domi vident, & quorum parentes aut tutores, non abhorrent à ſumtibus illis ſuſtinendis, ut eò excurrant, ad eccleſias perluſtrandas; imprimis ad cognoſcendos ſacrorum præfectos, eoſque pro viribus de verâ religione & eccleſię reformatæ doctrinâ, regimine, ſtatu, informandos. Alii φιλομαθεῖς, quorum rationes non ferunt ut orientales plagas & eccleſias luſtrent, legant *Edoardi Brerewodi Scrutinium religionum*; & *Edwini Sandis* Relationem, & *P. Geſlini* ſanctam chorographiam Gallicè; *Joh. Henr. Hottingeri* compendium theatri Orientalis, & topographiam eccleſiaſticam Orientalem, edit. *Heidelbergæ* 1662. in 8. Ejuſdem *Enneadem diſſertat. philologico-theologicar. edit. Tiguri* 1662. in 4. ubi *diſp.* 9. agit de perpetuo Latinę & Gręcæ eccleſię diſſenſu contra Leonem Allatium; cui ſubjicit ibidem Compendium theologiæ Judaicæ: quod cum *Buxdorfi* ſynagogâ Judaicâ utiliter lecturi ſunt qui chartaceâ peregrinatione debent eſſe contenti. Peregrinationem theologorum per terras Europeas ubi nullum reformatę religionis exercitium toleratur, non auſim ſuadere. Neque enim video, quomodo tuto illic verſari, & omnia perluſtrare poſſent: ut indirectâ ſaltem idololatriâ aut ſuperſtitione (quarum modos nos explicamus 3. *part. ſel. diſp. tit.* de Idololatriâ & de ſuperſtitione) ſe non polluerent, aut à zelotis idololatris periculum aliquod ipſis non crearetur. Quod ſi cui proponenti aut miniſtro in miniſterio eccleſiaſtico aut in conſortio & ſub alis publici legati, aut reſidentis, aut conſulis (uti appellant) alicubi peregrinari daretur; utique occaſionem illam non negligendam putarem: eâque uſu ſunt

Digitized by Google

theologi qui *Venetiis* aliiſque in partibus. *Italiæ*, in *Moſcoviâ*, in *Græciâ*, &c. peregrinati ſunt. Notum eſt *Belgis* noſtris, nec diſſimulavit *Bertius* in *Oratione de vitâ & obitu Jacobi Arminii*; quam ægre tulerint inclyti ſenatores Amſtelodamenſes, alicui ſui & theologiæ ſtudioſi, peregrinationem ipſius Italicam, ipſis inſciis & inconſultis ſuſceptam. Adeo ut ab a. 1584. uſque ad annum 1611. nulli alumnorum ſuorum (quos complures aluerant) peregrinationem ullam permiſerint. Quamvis autem *Bertius* in dictâ oratione *Arminii* factum purgare allaboret, omittere tamen non potuit, quin theologiæ ſtudioſis peregrinationem Romanam diſſuaderet his verbis: „Hoc interea alieno periculo diſcat pia & *Chriſti* eccleſiæ devota „juventus, præſtare, *Italiam* nunquam attigiſſe, quam tanto cum famæ „diſcrimine Antichriſti myſteria cognoviſſe. Quod autem ſubjicit ibidem. *Non plus habere periculi* (anno ſcil. 1584.) *Italiam videre, quam vicinam Antwerpiam aut Brugas* (a. 1609. & deinceps), quod *multò plus & illis locis ſit libertatis, & iſtis ſuperſtitionis*: id Americæ incolis perſuadeat; non Europeis. Novi familiarem mihi in Acad. Leidenſi medicinę ſtudioſum, & ab Arminii placitis non ita alienum, ex Italiâ reducem, de hâc *Bertianâ* libertatis in Italiâ fictione interrogatum, candidè & apertè negaſſe, tutò quem reformatum iſtic verſari poſſe, abſque externo honore idolicis & ſuperſtitioſis, tum rebus, tum ritibus exhibendo, aut externè cum Papiſtis ſe conformando. Quod ſi temporibus, & hominibus in tempore mutatis, talem libertatem hodie aut antehac aliquando reformatis omnia ſacra & profana cupidè perluſtrantibus conceſſa fuerit: ſaltem anno 1584. & anno 1609. ibidem conceſſam fuiſſe, nemo prudentioribus facile perſuadebit. De peregrinatione *Italicâ & Romanâ* alibi ex lex Urſino, Pareo quid monui.

II. *Quæſitum*: Quænam potiſſimum à theologis in peregrinatione, perluſtranda & cognoſcenda ſint? *Reſp*. 1. *Academiæ & ſcholæ*, earumque Doctores theologi, exercitia publica & privata, methodi docendi & diſcendi, ſcripta iſtic edita aut jam edenda, bibliothecæ theologicæ, aliaque ad politiam ſcholaſticam pertinentia, cognoſcenda. 2. Eccleſiæ, frequentiores aut celebriores; earumque doctrina, ritus, regimen, diſciplina, præſtantiſſimi quique concionatores; Exercitia pietatis publica & privata, &c. breviter quæcunque pertinent ad eccleſiaſticas res, perſonas, actiones; per omnes politicæ noſtræ eccleſiaſticæ titulos & ſubtitulos, hic non enumerandos. Imprimis etiam in origines, antiquitates, mutationes eccleſiarum ſive in melius ſive in pejus; & in libertates, perſecutiones, martyria, martyres, hæreſes, ſciſmata, uniones ac ſyncretiſmos, &c. inquirendum.

PAR-

Google

PARTIS SECUNDÆ LIBER QUARTUS DE HIERARCHIA ROMANA.

Hierarchia Romano-Papalis complectitur omnes clericos, ſeu homines ſacros, ſeu ſpirituales, ita dictos.

Qui diſtingui poſſunt in quatuor Claſſes, quatuor Tractatibus explicandas,

Tractatus
- I. De *clericis gubernantibus.*
- II. De *clericis miniſtrantibus.*
- III. De *clericis adjuvantibus.*
- IV. De *clericis ſupererogantibus.*

LIBRI IV. TRACT. I.

DE CLERICIS GUBERNANTIBUS.

Gubernantes ſunt
- *Pontifices maximi.*
- *Patriarchæ* & *Primates.*
- *Archiepiſcopi* ſeu *Metropolitani.*
- *Epiſcopi* ſeu *Prælati.*
- *Decani.*

CAP. I.

De Pontifice maximo.

Pontificii ad modulum hierarchiæ, ſeu mavis mythologiæ, cœleſtis à *Pſeudo-Areopagitâ* delineatæ, finxerunt ſuam hierarchiam Eccleſiaſticam: *eſt enim militans Eccleſia à triumphante exemplata:* citante *Lælio Zecchio* ex quâdam gloſsâ Canonicâ, *lib. de Republ. Eccleſiaſt. cap.* 29. §. 1.

Ut enim cœleſtis in tres hierarchias dividitur, & quælibet earum in tres choros ſeu ordines ſubdividitur: ſic & Eccleſiaſtica. In quâ tamen divi-

diviſione non parum variatur, aliis voces hierarchiæ, Clerici, eccleſiaſtici latius, aliis anguſtius accipientibus: conſequenter ex Clero omnes ordines Religioſorum excludentibus, quos alii includunt; ſicuti & ipſi monachi communiter ſeipſos includunt, quinimmo haut obſcurè omnibus aliis Clericis ſe præferunt.

Nos, ut omnes extra plebem Eccleſiaſticam quomodocunque conſtitutos complectamur, latiorem ſignificationem ſequemur, & eos intelligemus nomine Cleri & Eccleſiaſticorum, quos Belgæ noſtri vulgari linguâ vocant **de Geeſtelickheyt/ de geeſtelicke Heeren**: contradiſtinctè ad homines Laicos & Sæculares. Et ut Monachi cum appendicibus ſuis, Clericorum nomen in favorabilibus affectant; ſic & hodie in odioſis ſub illo titulo & nomine tributum Bellicum una cum aliis Clericis ſęcularibus in Galliâ & in Belgio Hiſpanis ſubjecto pendere coguntur. Sequar hic *Poſſevini lib. 3. biblioth. ſel. cap.* 20. Clericorum diſtinctionem, in gubernantes, miniſtrantes, adjuvantes, ſupererogantes.

Ad gubernantes refer Papam, Cardinales, Patriarchas ſeu primates, Archiepiſcopos, Epiſcopos, Decanos, &c. Ad *miniſtrantes*, Parochos ſeu Curatos; ſacerdotes, Canonicos, ſeu Capitulares. Ad *juvantes*, Doctores Juris canonici, Doctores Theologos: cum quorumque Vicariis, Miniſtris, Officialibus. Ad *ſupererogantes*, omnes Monachos cum appendicibus.

§. 2. Supremus hierarchiæ & Majeſtatis in Eccleſiâ militante, apex eſt Papa, qui à ſuis ſalutatur *Pontifex maximus* (cum Chriſtus vocetur, *ſacerdos, & Pontifex magnus* Hebr. 4. v. 10. cum 10. v. 21.); *Optimus maximus in terris Deus*; *Reipublicæ Chriſtianæ monarcha inviĉtiſſimus*; *Pontificiæ omnipotentiæ conſervator*, &c. quæ enotata vide in ſcriptoribus de Antichriſto, & paſſim in Myſterio Iniquit. *Mornæi Pleſſiaci*, ejuſque Præfatione. Pontificis primatus œcumenicus ſeu monarchia Eccleſiaſtica, infallibilitas, poteſtas temporalis ex jure divino, & humano, à Proteſtantibus & Reformatis unanimiter oppugnatur; ejuſdemque Antichriſtianiſmus κατ' ἐξοχὴν ſic dictus, validè probatur. Præcipuos aliquot Autores, qui pro Papâ aut contra illum ſcripſerunt, indicavi *part. 2. ſelect. Diſp. tit. Inventarium Eccleſ. Romanæ* pag. 684. - 688.

Hic ſolummodo digitum intendam ad ſcripta illa, ex quibus perfecta admirandi illius idoli ſeu monſtri cognitio hauriri queat.

1. Sedem ejus Romam, cum hodiernis admirandis deſcribunt topographi generales & ſpeciales; inter quos *Leander Albertus* in deſcriptione Italiæ. 4. Regione fol. 107. - 158. edit Ital. in quarto, aliique in Archontologiâ coſmicâ poſtrem. edit. & à nobis partim in *Bibliothecâ*, partim in

2. *part.*

Digitized by Google

2. *Part. Diſp.* loco modo citat. indicati. Imprimis lectori Theologo obſervandæ præcipuæ Baſilicæ, ſeu ſeptem Eccleſiæ, de quibus liber *Onuphr. Pannini* & Anonymi cujuſdam libellus Italicus anno 1589. Romę in 8. editus, tit. *Lecoſe miraviglioſe dell' alma citta di Roma:* ubi de Eccleſiis, ſtationibus, reliquiis; nec non *Camilli Fanucii tract. Italicus de piis operibus urbis Romæ.* Adhæc deſcriptio Bibliothecæ Vaticanę, autore *Angelo Rocca.* Denique *Roma ſubterranea* Italicè ſpiſſo volumine deſcripta ab *Antonio Boſio* antiquario Eccleſiaſtico Romano, & aucta à *Joh. Severano de S. Severino*, Romæ 1650. apud Ludov. Grignani, in 4. Lectori curioſo & antiquario, imprimis conſulenda præter tritos nunc Antiquarios. 1. *Antiquitates* Romæ compendioſè ab *Andrea Palladio*, & plenius ab *Andreâ Fulvio* quinque libris exhibitæ adjectis etiam figuris, & indice appellationum antiquarum & recentium. 2. *Boſii Roma ſubterr. præſertim lib.* 2. 3. *Leander* modo cit. 4. *Athan. Kircheri Oedipus Ægyptiacus*; ubi admirandorum obeliſcorum accuratiſſima deſcriptio: inter quos eminet *Vaticanus à Sixto V.* tranſlatus & erectus. Modum architectonicum tranſlationis ante *Kircherum* deſcripſerat Monantholius in commentar. ad Mechanica Ariſtotelis. Architecto Dominico Fontanæ equiti ad opus hoc per Sixtum exſtimulato, ſed tum ob alia, tum ob immenſas expenſas faciendas difficili, reponebat dictus Sixtus: *Ne cura tibi ſit ſumtuum magnitudo; ſi unus milio non ſufficiat aureorum, addantur duo, aut quot eorum opus fuerint; dummodo, quod imperamus, executioni mandetur.* Ita refert *Kircherus tom.* 3. *Oedipi Syntagm.* 11. *pag.* 372. Ut vel hinc noſcas Monachi Franciſcani divitem mendicitatem. Si hortos, palatia, bel vedere, culinam, cellam, cum Apicianis dilitiis & condituris, coronam, ſandalia, totumque apparatum, quin & ſtabula cum palfrenariis, & miniſtrorum choragium perluſtres, videbis ſervorum ſervos, quin & mendicos Franciſcanos nunc eſſe dominos. Sed de luxu Pontificum conſulat curioſus Lector Itinerarium, ſeu delitias Italiæ, vitas Julii II. & III. Leonis X. &c.

II. *Ordinem*, numerum, nomina, inſignia, gentem, annos regiminis, ſingulorum Pontificum habes in vitis Pontificum, & in annalibus & Hiſtoriis Eccleſiaſticis, in vulgaribus Chronologis. Inter eos, ex noſtris indico *Sethum Calviſium* & *Helvicum*; ex Pontificiis *Gabrielem Bucelinum in nucleo Hiſtoria univerſalis*, & *Franciſcum Longum* à *Coriolano Capucinum*, in *Breviario Chronologico* Pontificum & Conciliorum. Ex illis diſces numerari (præteritâ ſcil. Papiſsâ Johannâ) à Petro uſque ad Alexandrum VII. incluſè 241.

III. *Hiſtoriam* rerum ab illis geſtarum habes apud vitarum Scriptores, *Martinum Polonum*, *Anaſtaſium*, *Platinam*, *Stellam*, *Onuphrium*, *Ciacconium*;

& *P. Jovium*, qui vitam Leonis X. & Hadriani VI. deſcripſit; nec non apud Hiſtoricos & Chronologos univerſales, & annaliſtam *Baronium*, collatum cum Pleſſei myſterio iniquitatis, ejuſdemque Myſterii contra *Couſſetellum* defenſione per *Andream Rivetum*, *Gallicè*. Concilia ab ipſis celebrata, ibidemque acta, præ aliis ſtudiosè notavit Franciſcus Longus à Cariolano modo cit. Studioſi noſtri, ut compendium faciant, æſtivas, aut hyemales ferias impendant lectioni Myſterii Pleſſei. Si quis κορυφὰς & floſculos virtutum Papalium curſim deguſtare velit, is die uno atque altero percurrat *Steph. Zegedini ſpeculum Pontificum*. *Innocentii* X. geſta leges in libello tit. *Donna Olympia*, quæ ejus fratria: Ital. Gall. Belg.

IV. *Scripta* eorum ab ipſis aut ipſorum mandato & nomine ab aliis compoſita ſunt, aut privata (ita loquar) ſeu Theologica, aut publica, ſeu Papalia. *Illa* omnia tum Pontificum, tum pſeudo-Pontificum (uti loquuntur) uſque ad Urbanum VIII. colligere conatus fuit *Ludovicus Jacob* à *S. Carolo in tract. cui tit. Bibliotheca Pontificia*. Ubi *lib.* 1. Pontifices recenſet, qui ſcriptis claruerunt: *lib.* 2. Autores, qui tum in generali, tum in particulari eorum vitas, laudes, autoritatem poſteritati conſecrârunt: addito catalogo hæreticorum, qui contra Pontifices ſcripſerunt.

Iſta ſunt, 1. *Ipſorum brevia*, *motus proprii*, *omneſque bullæ*, quæ aut cauſam quam particularem determinant, aut in regimine Eccleſiæ quid ſtatuunt. Omnes poſt conſtitutum corpus Canonicum editas collegit *Laertius Cherubinus*, eaſdemque in compendium redegit filius ejus *Flavius Cherubinus*, & Scholiis illuſtravit. Reliquas ante illud tempus editas quęre in tomis Conciliorum, collectionibus decretalium Antonii Auguſtini, & in corporis Canonici decretalibus, Sexto, Clementinis, Extravagantibus. Ex omnibus novellis bullis, ſelegit *Barthol. Quaranta* eas, quæ ad directionem regiminis univerſalis Eccleſiaſtici pertinent, eaſque tit. *Conſtitutionum ſummorum Pontificum* evulgavit, adjectis commentariis. Antiquiſſimis illis, quę jactantur, Epiſtolis decretalibus primorum Epiſcoporum urbis Romæ, larvam antiquitatis detraxit *Blondellus in ſuo Pſeudo-Iſidoro*.

2. *Indulgentiæ*, tum generales, quæ propriè & ſtrictè indulgentię dicuntur: tum particulares, quę gratię, diſpenſationes, exemptiones dicuntur. *Iſtæ* ſunt infinitæ, quibus expediendis & ſignandis fervent Apoſtolica cancellaria, camera pœnitentiaria, h. e. culina Romana. *Illæ* uno volumine Romæ editæ ſunt, quod ſolo compendio utens, hactenus videre non potui: habuit tamen exemplar, & citat alicubi *Petrus Molineus*, in *Novitate Papatus*: ſi bene memini.

3. *Epiſtolas* poſteriorum aliquot Pontificum (utinam plures!), Pii V. impartiit nobis *Franc. Goubau* 1640. Leonis X. à *Bembo* ipſius nomine ſcriptas, ipſe

ipſe *Bembus*, qui Paulo III. eaſdem dedicavit. Adjunge illas ad Papam ſcriptas, quales aliquæ in collectaneis epiſtolarum *Hier. Ruſcelli Ital.*; quas Belleforeſtus in Gallicum traduxit tit. *Litera Principum*; & alibi in collectaneis, aut in Hiſtoriis contractę leguntur. Pręterea epiſtolas & negotiationes Cardinalium, ut *Oſsati*, *Perroni*, *Bentivoglio*, quæ proſtant: ut genio, ſtudiis, molitionibus, conſiliis, myſteriis Romanis penitius perſpectis, diſcas proteſtanticis & reformatis Regibus, Principibus, Politiis aſſiduò contrà tyrannidem ejus invigilandum, & in procinctu ſtandum.

4. Inter *libros* Paparum numerandi, qui ipſorum operâ, aut mandato, editi, aut authoritate immediatè muniti, quales *Miſſalia*, *Breviaria*, *Pontificalia*, *Epiſcopalia*, &c. reformata poſt *Concil. Tridentin.* & ex decreto ejus juſſu Paparum edita. Inſuper index expurgatorius, & index librorum prohibitorum Romanus, qui poſterior à Pio IV. editus, deinde à Sixto V. ampliatus, tertio à Clemente VIII. recognitus, denique juſſu & autoritate Urbani VIII. auctus & anno 1626. editus. Huc refer correctiones Bibliorum vulgatæ verſionis per Sixtum V. & Clementem VIII. de quibus ex noſtris *Thomas Jameſius* tractatum ſcripſit: tit. *Bellum Papale, ſeu Concordia diſcors Sixti* V. & *Clementis* VIII. Nec prætereunda immanis falſificatio Patrum Romæ in typagraphiâ Papali recudendorum; quæ tamen initio facto à falſificatione Cypriani *lib. de Unitate eccleſiæ*, in ſpongiam incubuiſſe videtur. Vide, quæ de hoc flagitio Papali monuimus in Deſper. causâ Papatus.

v. *Electio* ſeu modus eligendi & authorizandi Pontifices, deſcribitur in *Ceremoniali Romano lib.* 1. *ſect.* 1. 2. 3. 4. Cujus compendium dedit *Franc. Ingoligiâ*, ſecretarius S. congregat. Cerimonialis: infra in appendice exhibendum. Deſcribitur etiam ab *Iſidoro Moſconio lib.* 1. *de Majeſtate Eccleſiæ militantis*, *part.* 1. *cap.* 2. 3. Et *Lelio Zecchio lib. de Republ. Eccleſiaſt. tit. de ſtatu Pontificum.* Ab utroque multæ quæſtiones de Requiſitis eligendi, de Electoribus, de modo electionis, de poteſtate electi determinantur: quas ibi videat, cui vacat, aut in *Azorii Inſtitut. moral. part.* 2. *lib.* 4. Videnda imprimis tria conclavia de electionibus Urbani VIII. Gregorii XIV. & Clementis XIII. Francofurti a. 1617. typis Hartm. Palthenii edita in 4. & epiſtolæ Oſſati ac Perroni Gall.: unde diſces, multa paulatim mutata eſſe, & electionem ex ſolis Cardinalibus, & quidem Italis, faciendam, & talibus, qui ſimulent, aut probabiliter credantur, non eſſe jurati in partes Gallicas aut Hiſpanicas: Secus ſi fiat, per Regum iſtorum Legatos excluduntur, & contra eos in anteceſſum ſcedulis in conclavi oblatis exſertè excipitur; appoſitâ comminatione, ſi talis eligatur, eum à Rege ſuo non agnoſcendum. Hęc ego de conclavibus anno 1658. Sed hoc anno 1668. nacti ſumus conclavia 32. à Clemente V. uſque Alexandrum VII. incluſè Ital. in 4.

De ordinariis penſionibus Cardinalium, deque extraordinariis imbribus aureis, qui circa illa tempora ex ærariis Gallico & Hiſpanico, aliiſque in ſinus Cardinalium pluunt; nulli non Romæ notiſſima ſunt. Sed lector hiſtoriarum iſtarum cupidus ſcrutator, conclavia & epiſtolas citatas ipſe aliquando perlegat.

VI. *Agenda* Papalia conſiſtunt in electione & receptione Imperatorum, Regum, Principum, &c. ad urbem venientium, in canonizatione Sanctorum, benedictionibus variis, creatione & initiatione Cardinalium, Conſiſtoriorum celebratione, proviſione Eccleſiarum, publicatione pacis & fœderis, ordine equitandi, vel ad Eccleſias in urbe, vel peregre ad alias urbes; morte ſuâ, morte & exequiis Cardinalium, celebratione feſtorum, vigiliarum, anniverſariorum, &c., reverentiis exhibendis, ordine in præcedentiis & ſeſſionibus ſervando, celebrandis Miſſis & officiis divinis, deque veſtium, rituum, utenſilium apparatu. Quæ omnia minutim deſcripta vide in *Chriſtophori Marcelli* Archiepiſcopi Corcyrenſis *ceremoniali Romano.* Pompam Papæ Clementis VIII. ex urbe Ferrariam proficiſcentis anno 1598. libello Italicè edito nobis exhibet Angelus *Rocca*; qui etiam in noſtrum idioma traductus eſt.

VII. *Collegia* & congregationes, per quæ tyrannis regiminis & juriſdictionis Papalis per omnes Eccleſias & Politias conſervatur, promovetur, executioni datur, ſunt.

1. *Conſiſtorium*, peculiari nomine ſic appellatum, quod conſtat ex Cardinalibus cum Papâ in unum congregatis. Quod & quale ſit hoc collegium, quæ ejus agenda, quis modus, quis ordo, docet Gabriel Palæotus Cardinalis in tract. de ſacri Conſiſtorii conſultationibus, anno 1596. Venetiis apud *Marcum Anton. Salterium.*

2. *Cancellaria Apoſtolica*, cujus deſcriptionem & ſtatum exhibet *Hier. Paulus Barchinonenſis*, libro, cui tit. practica Cancellariæ Apoſtolicæ.

3. *Camera Apoſtolica*, quę eadem eſt cum camerâ rationum, ſeu theſaurariâ, ſeu ærario Papali. Ejus præcipui officiales ſunt Camerarius, Theſaurarius, præſidens, Commiſſarius, Auditor, & ſex Clerici cameræ, qui ex domeſticis Prælatis à Papâ eliguntur. De quibus *Zecchius cap. 5 6. 7.*

4. *Pœnitentiaria Apoſtolica*, quæ etiam Prætorium appellari videtur. Ejus Officialis præcipuus eſt pœnitentiarius Papæ: quo munere inter alios functi ſunt ſcriptis celebres *Martinus Polonus, Navarrus, Toletus*. In hâc camerâ caſus conſcientiæ determinantur, veniæ ſeu gratiæ conceduntur: ſed non niſi qualificatis, ut habet *taxa pœnitentiaria*. Cujus infamis libri indicium aliquod fecimus in *Deſper. causâ Papat.*, & in *part. 2. ſelect. Diſp. tit. de Indulgentiis part. 2. §. 7.* Ad cameræ pœnitentiariæ apparatum referri debent tractatus

de

Digitized by Google

de Caſibus reſervatis, quales *Joh. Capeaville Vicarii Leodienſis* tertium editus anno 1614. Et *Franciſci Coriolani Capuccini*, anno 1623. Sunt enim caſus reſervati ipſis, Epiſcopales. Abbatiales, Papales.

5. *Curia Papalis*, ſeu forum externum Eccleſiaſtico-Papale, quod contentioſum ſeu ligitioſum dici ſolet: ubi lites & cauſæ, ſive ex jure, ſive ex voluntariâ ſubmiſſione ex toto orbe Papali eò delatæ tractantur. Exſtat *Veſtrii Barberani J. C.* liber de Modo procedendi in curiâ Romanâ.

6. *Rota Romana:* ubi cauſæ & lites ex ube & totâ Romaniâ ſeu patrimonio Petri eò delatę tractantur.

7. *Collegia* Officialium & Magiſtratuum tum Romanorum tum inferiorum per totam Romaniam, ditionem Avenionenſem, & ubicunque Papa temporalitatem obtinet, aut prætendit.

8. *Officium inquiſitionis* fidei.

9. *Sacræ congregationes* Cardinalium; per quas Papa nihil non expeditè exequi poteſt, Deo permittente. Ejuſmodi ſunt quindecim à *Sixto* V. inſtitutæ: de quorum qualitatibus, officiis, electione, conventibus, conſiliariis, ſecretariis, &c. Bulla *Sixti* V. anno 1588. 23. Martii, quam etiam exhibet Quaranta in ſummâ *Bullarii*, ſeu conſtitutionibus Pontificum, &c. pag. 243.-259. Nos nudos titulos hic referemus: & ſunt, pro ſanctâ inquiſitione: pro ſignaturâ gratiæ: pro erectione Eccleſiarum, & proviſionibus conſiſtorialibus: pro ubertate annonæ: pro ſacris ritibus & ceremoniis: pro Claſsè parandâ & ſervandâ: pro indice librorum: pro interpretatione & executione *Concilii Tridenti*: pro gravaminibus ſublevandis: pro univerſitate ſtudii Romani: pro conſultationibus Regularium: pro conſultationibus Epiſcoporum & aliorum Prælatorum: pro viis & pontibus & aquis curandis: pro *Typographiâ Vaticanâ*: pro conſultationibus negotiationum ſtatus eccleſiaſtici.

10. *Collegium* de propagandâ fide, per quod tanquam emiſſitios oculos videre poteſt, quidquid in omnibus orbis angulis pro aut contra ſe agatur, aut agi poſſet. Eidem huic fini inſerviunt generales Ordinum ſeu religionum Romę reſidentes, quibus à Privincialibus omnia notatu digna tranſcribuntur. Adhæc *Cardinales protectores nationum*, Religionum, domuum piarum; ad quorum indicia vivę vocis oraculum (hic ſtylus Curię) ex tripode illâ reddatur. Præterea Primates & archiepiſcopi, quibus à ſuffraganeis ſuis ſuggeri poſſint, quæ ſcitu digna Monarchæ ſuo referant, ſive ſcripto, ſive coram, ſi tanti ſit. Denique *legati* à latere & *nuntii Apoſtolici*: quos poſteriores, per omnes orbis ſtationes in excubiis diſpoſitos habet, nihil non in aulis & comitiis, Regum ac Regnorum, in Curiis & Conciliis diœceſianis Epiſcoporum, in comitiis provincialibus quorumvis Re-

gularium expiſcari, & ad *magnum Piſcatorem Romanum* deferre poſſunt.

11. *Aula domeſtica*: quę quanta ex colluvie cubiculariorum, atrienſium, pediſſequorum, ſatellitum, coquorum, hortulanorum, equiſonum ſeu palfrenariorum, architectorum, pictorum, cantorum, &c. conflata ſit, quantoque luxu diffluat, nôrunt Romipetæ; & ex parte docent nos muti magiſtri, tit. Delitiæ ſeu itinerarium Italiæ, & *Jovius in vitis Leonis* X. & *Hadriani* VI. & liber editus ab Archimagyro quo Papali tit. *Apicius*. Unicum tantum ſpecimen referam luxus *Leonis* X. qui 100. palfrenarios aluerat; quem numerum ſucceſſor *Hadrianus* VI. cum non ſine ſtupore intellexiſſet, redegit ad 12. Quis ad hæc non exclamet cum *Bernardo lib.* 4. *cap.* 2. de conſideratione ad *Eugenium*: *Dæmonum magis, quam ovium paſcua ſunt*? ſcil. *ſic factitabat Petrus*, &c.

§. 3. Præfecti officiales, miniſtri & adjutores Papæ, per quos ſua tum domi tum foris exſequitur, in genere ſunt omnes Clerici tum ſęculares tum regulares, tum ſuperiores tum inferiores. Curiales, qui domi & intra muros, aut etiam foris rebus Papę ſpecialiter inſerviunt à *Zecchio* enumerantur ſequentes: Illuſtriſſimi (Nonnulli hodierno ſtylo, eminentiſſimi) Cardinales, illuſtriſſimi Legati, Vicarius domini Papæ, *Summus pœnitentiarius*, Vicecancellarius, *Camerarius* & clerici camerę, Theſaurarius, Pręſidens cameræ Apoſtolicæ; Advocatus pauperum, Advocatus fiſcalis, Procurator fiſci, Commiſſarius cameræ Apoſtolicæ, Clericus ſacri Senatus, Auditor cameræ Apoſtolicę, Datarius, Secretarius domini Papæ, referendarius, Auditores rotæ, protonotarius Apoſtolicus; Gubernator urbis, Senatores urbis, Judex Marcelli & turris Nonnæ, Viſitatores Carcerum, Advocati Conſiſtoriales, Procuratores ſacri palatii, Sollicitatores cauſarum, Notarii, Congregationes curiæ Romanæ, Judex delegatus. Quorum munera, ſtatus, pręcedentiæ, à *Lelio Zecchio lib. citat.* ſpecialiter explicantur. Addi poſſunt inquiſitores, curſores, magiſter ſacri palatii, Sacellanus, Bibliothecarius ac plures alii, qui in Hiſtoriâ pompaticæ profectionis, & deductionis *Clementis* VIII. ab Angelo Rocca recenſentur, quique in ſolennibus proceſſionibus Romanis, Pontificum coronationibus, & funeribus comparent. Conferatur *Moſconius lib. cit.* qui varios ſtatus in Eccleſiâ Romanâ, ſed univerſaliter conſideratâ, deſcribit; & Diſcurſus politicis de ſtatu Romæ Gallicè ad regem *p.* 121. & *ſeqq.* Pręterea laudati & indicati ab aliis, ſed quos non vidi, *Blaſius Bagnus* de pręcipuis Eccleſiæ Romanę dignitatibus, *Lanceloti Conradi* Templum judicum, *Michael Manrique* de præcedentiis Eccleſiaſticis. Inſuper *Stevanus* de oſculo pedum Pontificis. (Hic tractatus Oceano Juris inſertus eſt); *Johan de Choquier* de libertate Eccleſiaſticâ; Jeſuita *Gretſerus* in conſideratio-

tionibus ad Theologos Venetos de libertate & immunitate eccleſiaſtica; Idem in commentariolo de Imperatorum, Regum ac Principum Chriſtianorum in ſedem Apoſtolicam munificentiâ.

Amplitudinem regni Papalis, omneſque nationes, regiones, eccleſias, &c. primates, Archiepiſcopos, Epiſcopos illi ſubjectos, exhibet *Hier. Paulus Barchinonenſis* in practica Cancellariæ Apoſtolicæ. edit. anno 1503. Sed quia ab illo tempore magna rerum mutatio intervenit: conſulendi libri quinque *Auberti Mirei*, *tit.* Notitia Epiſcopatuum orbis Chriſtiani an. 1613. in quibus ſtatus eorum antiquus, medius, hodiernus explicatur: additâ *lib.* 5. Geographiâ Eccleſiaſticâ, ubi urbes titulo Epiſcopali illuſtres alphabeti ſerie digeruntur & Eccleſiarum maximè illuſtrium origines, progreſſus, viciſſitudines notantur. Cui jungi poteſt ejuſdem *Mirei* Politia Eccleſiaſtica, ſive ſtatus religionis Chriſtianæ anno 1619. Denique regulæ Cancellariæ Apoſtolicæ, à *Mandoſa*, aliiſque Commentariis illuſtratæ.

Conſectar. 1. Ex hâc ſciographiâ Monarchiæ, Curiæ, & Aulæ Papalis, colligimus optimè dictum *à Luthero* in lib. de captivitate Babylonicâ: *Papatus eſt robuſta venatio Nimrod.* Eſt enim Monarchia ſeu tyrannis temporalis ſpecie & titulo Religionis & Eccleſiæ producta ac promota; juxta illud Poëtæ:

------ *Quidquid non poſſidet armis, Religione tenet.*

Sinonias illas artes, & totam Romanæ curiæ pragmaticam, hiſtoricè detectas leges in Pleſſei myſterio. Arcana & ſimulacra præſentis imperii Papalis ſingulari perſpicaciâ eruit, & graphicè depinxit *Edwinus Sandis* in Speculo Europæ Anglicè aliquoties edito, & a. 1641. in Gallicum tranſlato, cum additionibus quibuſdam & diſtinctionibus in capita 44. cui ſubjecta eſt chorographia ſacra *P. Geſlin*, eodem idiomate: ubi *c.* 7. breviter de regimine & ductu imperii Papalis. Adde Diſcurſum politicum de ſtatu eccleſiæ & curiæ Romæ à *J. B. D. S.* regi oblatum 1626. in 8. Gallicè.

Conſectar. 2. Habere Reges & Principes quod in regno, regimine, officialibus, ac Miniſtris ordinandis, ſubordinandis, coordinandis ab exemplo ſubtiliſſimæ hujus πολιτείας & architecturæ mutuentur: relictis tamen illi, impietate, perfidiâ, injuſtitiâ, tyrannide & uſurpante & abutente, aliiſque diaboli excrementis.

Conſectar. 3. Habere Eccleſias noſtras, cum ſpeculum hoc typhi ſæcularis, & fraudulentæ tyrannidis intuentur, à quo quam longiſſimè fugiant: inhærendo ſimplici & ſpirituali regimini à Chriſto per Apoſtolos in Scripturis tradito.

Conſectar. 4. Malè ſentire illos, qui putant artem arte deludendam; & non niſi paucorum ariſtocraticâ dominatione, in unum Monarcham po-

li-

liticum, aut in primatem ſeu patriarcham eccleſiaſticum contractâ, aut ad eundem reductâ & inde derivatâ (ſaltem in quâque Eccleſiâ Nationali) optimè ordinem in defendendâ veritate atque unitate ſervari poſſe. Non enim ſunt facienda mala ut eveniant bona; nec licet ἀλωπεκίζειν πρὸς ἑτέραν ἀλώπεκα. Politico monarchæ univerſali, ſupra totum Chriſtianiſmum conſtituendo, ſi quis bonum unitatis politicæ & eccleſiaſticæ prætexeret, quid putes Reges & populos totius Chriſtianiſmi reſponſuros.

Conſectar. 5. Inſulſa, ſtolida, & improba calumnia eſt; quâ nonnulli carnales hypocritæ, libertini, cothurni, neutrales, Epicurei ſeu athei, regimen eccleſiæ presbyteriale, ex ſacrâ ſcripturâ derivatum & in eccleſiis reformatis obtinens, titulis *Papæ*, *Papalitatis*, *hierarchiæ Papalis*, *imperii in imperio*, *Reipublicæ in Republicâ*, *collateralitatis*, inſectantur.

* *Appendix ad Cap.* I.

In capite hoc, tango rationem eligendi Pontificem, & lectorem amando ad Ceremoniale Romanum, & ad Conclavia nunc edita: quibus addo diſcurſum politicum de ſtatu, &c. 1626. modo cit. *pag.* 93.-121. Sed quia poſt editum Ceremoniale, aliqua mutata ſunt, & nimis prolixam illam deſcriptionem Ceremonialis, cuivis forte legere non vacaret, operæ pretium me facturum arbitror, ſi hanc epitomen Italico ſermone editam, de verbo ad verbum hic exhibeam.

COM-

Digitized by Google

„ # COMPENDIO

„ Delle coſe più principali,

„ CONTENUTE NEL CERIMONIALE
„ DI GREGORIO XV.
„ de electione Romani Pontificis.

„ *DI FRANCESCO INGOLI*
„ *già Segretario della Sacra Congregatione di*
„ *eſſo Cerimoniale.*

„ Per facilitare alli Signori CARDINALI il nuouo mo-
„ do di eleggere il PAPA, e per iſtruttione
„ delli Maeſtri di Cerimonie.

„ *CON LICENTIA DE SVPERIORI, E PRIVILEGIO.*

„ IN VENETIA, Appreſſo Antonio Pinelli,
MDCXXIII.

Ggggg Per

Digitized by Google

,, *Per li Signori Cardinali Inſermieri.*

,, 1. HAnno da pigliare da Scrutatori la caſſetta vuota, 'e ſerrata à chia-
,, ve, per li Voti de gl' Infermi. come nel cerimon. à car. 113.
,, 2. Debbono portare a gl'Infermi le ſchedole dello ſcrutinio, quando ſi
,, fa lo ſcrutinio, e le ſchedole dell' Acceſſo, quando ſi fà l'Acceſſo. Equan-
,, do ſi fa lo ſcrutinio, debbono portare vna delle tauollette del giuramen-
,, to della Bolla Gregoriana, acciò gl'Infermi lo preſtino, e poſte da gl'In-
,, fermi le lore ſchedole ſignate, e ſigillate nella caſſetta, le debbono ripor-
,, tare alla Capella dello ſcrutinio, & iui aperta la caſſetta, e contate le
,, ſchedole publicamente metter le nel Calice. come à car. 113.
,, 3. Quando poi ſi fa l'Acceſſo, ſi deue in luogo della tauolletta del
,, giuramento portar con la caſſetta, e ſchedole dell' Acceſſo vn foglio de
,, nomi de' Cardinali, con li Voti dati alli nominati nello ſcrutinio, e queſto
,, riconoſciuto publicamente come à car. 113.
,, 4. Se l'Infermo non può ſcrivere, farà ſcrivere un' altro per lui, & li
,, Cardinali Infermieri daranno il guramento di ſervare il ſecreto à quello,
,, che per lui hauerà ſcritta la ſchedola. come à car. 113.
,, 5. Li Signori Cardinali Infermieri poſſono dopò il Decano, preſtare li
,, loro Voti, per potere, mentre gli altri Cardinali preſtano li loro, andar
,, da gl'Infermi à pigliar li ſuffragii di eſſi, nel modo di ſopra eſplicato, ſi
,, debbono però aſpettar li ſuffragii de gl'Infermi, prima di cominciare la pu-
,, blicatione dello ſcrutinio, e dell' Acceſſo come à car. 113.

,, *Per li Signori Cardinali Ricognitori.*

,, LI Ricognitori eſtratti dall' ultimo Diacono per ſorte, come ſi dice
,, nel Cerimoniale nuovo à car. 120. §. Sextus actus. verſ. Recognito-
,, res. Sono obligati finito lo Scrutinio, ò ſolò, ouero accompagnato con
,, l'Acceſſo, à riuedere ſe gli Scrutatori haueranno fatto bene il lor'vffitio
,, nel leggere, e notar li ſuffragi dello Scrutinio, e dell' Acceſſo, e nel far la
,, ſomma di eſſi, e nel con frontare gli Acceſſi con lo Scrutinio, e final-
,, mente nel far altre coſe ſpettanti al loro vffitio, come ſi diſpone in detto
,, Cerimon. à car. 120. §. Sextus actus.

,, *Per il Signor Cardinale Decano.*

,, PRima, entrato nel Conclaue con la proceſſione, innanzi l'Altare della
,, Capelle, oue ſi celebra, deue dire, l'Oratione DEUS, QUI
,, CORDA FIDELIUM.

2. Dopò

„ 2. Dopò, che da tutti li Cardinali ſaranno giurate le Conſtitutioni „ de'Romani Pontificis electione, eſſorta con vna breue oratione li Car- „ dinali, à fare buona elettione, e con li debiti riti, ordinati dalla Bolla, e „ Ceremoniale Gregoriano.

„ 3. Commanda, che ſi ſuoni la campanella alla prima, ſeconda, e terza „ hora della notte ſeguente all'ingreſſo del Conclaue, à fine che à quell'hora „ ſi chiuda, eſcluſi prima tutti quelli, che non vi hanno da rimanere.

„ 4. Deue dire la Meſſa, e communicare li Signori Cardinali auanti il „ primo ſcrutinio.

„ *Per il Signor Cardinale Camerlengo.*

„ 1. HA facoltà inſieme con li Capi d'Ordini, di chiamare li Cardinali „ alle Congregationi, e di proporre le neceſſità occorrenti, & „ hà cura, che ſi chiuda bene il Conclave, in ead. Bulla §. ſtatuimus „ etiam.

„ 2. Se bene ogni terzo dì ſpira la facoltà, e poteſtà de Capi d'Ordini, non „ però ſpira quella del Camerlengo. in ead. bulla §. ipſorum.

„ 3. Si deue aſtenere da tutte le coſe notate nel §. Camerarii. della Bolla „ di Pio IV.

„ 4. Chiuſo il Conclave, ſi conſegnano le chiaui di eſſo à Lui, al Ma- „ reſciallo, al Maeſtro di Cerimonie, & à gli altri Cuſtodi.

„ 5. Deue, inſieme con li tre Capi d'Ordini, e Maeſtro di Cerimonie, „ con torcie acceſe, riconoſcere con diligenza tutto il Conclaue, cercando „ bene ogni cantone, per vedere ſe alcuno di quelli, che non deuono ſtare „ in Conclaue, ſia rimaſo dentro, per cacciarlo fuori.

„ 6. Il Cardinale Camerlengo, e li tre Cardinali Capi d'Ordini, che ſono „ in quel giorno della clauſura del Conclaue, Eſſecutori della Bolla Gregor. „ conforme al §. vt autem, di detta Bolla, debbono deputare alcuni col „ Maeſtro di Cerimonie, che la ſera ſteſſa, ò la mattina, innanzi lo ſcru- „ tinio, riuedino diligentemente il Conclaue, per riconoſcere, ſe ſarà ben „ chiuſo, e della clauſura douerà farne Inſtrumento publico il Maeſtro di „ cerimonie, rogandoſi di eſſo, alla preſenza di due, ò più teſtimonii, il „ quale Inſtromento deverà leggere come ſi dice più a baſſo alla preſenza „ del ſacro Collegio, auanti il primo ſcrutinio.

„ *Per il Signor Cardinale ultimo Diacono.*

„ PRima. Innanzi, che ſi cominci lo ſcrutinio, il Sig. Cardinale vltimo „ Diacono deue pigliare da vna Tauoletta, che ſarà ſopra la Tauola del

 Calice,

„ Calice, certe palle, con li nomi de Cardinali preſenti in Conclaue, e poſte
„ In ſpartimenti, ouero in cauature, ſecundo l'ordine delle loro promotio-
„ ni, e quelle publicamente deue numerare, & inſieme leggere li nomi in
„ eſſe deſcritti, acciò da tutto il Sacro Collegio ſi ſappia, che il numero di
„ dette palle corriſponde al numero de' Cardinali preſenti in Conclaue, e
„ che li nomi de Cardinali in eſſe deſcritti confrontano con li nomi del-
„ li medeſimi Cardinali preſenti in Conclaue. come nel Cerimon à
„ car. 109.

„ 2. Deue mentre và leggendo li nomi in dette palle deſcritti, metter le
„ medeſime palle ad vna ad vna nella ſacchetta di damaſco pauonazzo, che
„ ſarà preparata nella tauola del Calice, e meſſaui l'vltima palla, deue agi-
„ tare più volte la ſacchetta, acciò le palle ſi meſcolino bene inſieme.

„ 3. Deue cauar à ſorte tre Scrutatori, eſtrahendo vna palla per volta, e
„ letto con alta voce il nome del Cardinale ſcritto in detta palla lo farà ve-
„ nire à ſedere alla Tauola del Calice, per Scrutatore, e così farà de gli altri
„ due, poſando in tanto le tre palle nelli ſpartimenti della tauoletta nomi-
„ nata di ſopra, come à car. 109.

„ 4. Deue cauar tre altre palle, vna per volta, per li tre Cardinali Infer-
„ mieri, li nomi de'quali recitati prima con voce alta, acciò non ſi ſcor-
„ dino, dourà notare nella carta, che ſarà nella Tauola delli Scrutatori, co-
„ me à car. 109.

„ 5. Finito lo ſcrutinio, ſe in eſſo ſarà eletto il Papa, deue eſtrahere tre
„ altre palle, una per volta, per li tre Cardinali Ricognitori, leggendo forte
„ li nomi loro, e notandoli, come di ſopra: E fatta queſta eſtrattione, ri-
„ metterà tutte queſte tre vltime palle inſieme con le ſie prime, nella ſac-
„ chetta, come à car. 109. & 120.

„ Se poi nello ſcrutinio non ſarà ſeguita l'elettione del Papa; queſt'vlti-
„ ma eſtrattione de Ricognitori, ſi farà dopò l'Acceſſo, ò ſia ſeguita, ò
„ non ſeguita l'elettione del Pontifice, come à car. 120.

„ *Per li Signori Cardinali Scrutatori.*

„ PRima, ſedono alla Tauola delli Calici, dopò, che ſono ſtati eſtratti
„ dall'vltimo Diacono.

„ 2. Debbono moſtrar la caſſetta per li Voti de gl'Infermi aperta al ſacro
„ Collegio, acciò la veda vuota, e poi ſerrarla publicamente, ponendo la
„ chiaue ſopra la Tauola, e detta caſſetta così ſerrata conſegnarla alli
„ Signori Cardinali Infermieri, come nel cerimoniale à car. 113.

„ 3. L'vltimo Scrutatore porta il bacile delle ſchedole dello ſcrutinio,
ouero

Digitized by Google

,, ouero acceſſo al Cardinale, che preſente in Capella non può per infer-
,, mità accoſtarſi all'Altare, accio pigli vna di eſſe, e laſcriua, e ſigilli ſe-
,, cretamente: Porta ancora la Tauoletta col giuramento, della Bolla Greg.
,, acciò eſſo Infer mo giuri, e riporta la ſchedola di lui nel Calice à car. 113.
,, verſo il fine.

,, 4. Il primo Scrutatore finiti li ſuffragii, meſcola le ſchedole poſte nel
,, Calice, come nel cerimoniale à car. 114. in princ.

,, 5. Il primo Scrutatore numera publicamente le ſchedole poſte nel Cali-
,, ce à car. 114. verſ. quintus actus.

,, 6. Li Scrutatori publicano lo ſcrutinio, come à car. 114. verſ. ſextus
,, actus.

,, 7. L'vltimo Scrutatore infilza le ſchedole dello ſcrutinio con l'ago, e
,, ſeta roſſa à car. 115. §. ſeptimus.

,, 8. L'iſteſſo vltimo Scirutatore, dopo hauer legate le ſchedole, acciò
,, non eſchino dal filo, le ripone nell'altro Calice vacuo, come à car. 115.
,, verſ. 8.

,, 9. Li Scrutatori publicano gli Acceſſi, come ſi fa lo ſcrutinio, e l'ulti-
,, mo Scrutatore infilza le ſchedole dell' Acceſſo nella ſeta turchina, e poi
,, le lega, e ripone nell'altro Calice voto, come à car. 116. in princip.

,, 10. Quando ſarà ſeguita l'elettione del Papa con gli Acceſſi, li Scru-
,, tatori fanno la collatione di eſſi nel modo deſcritto nel Cerimon. à
,, carte 117. verſ. Primus Scrutator, col ſeguente, & à car. 118. & 119.
,, fin'al verſ. Quintus actus. Laqual collatione, acciò ſia meglio inteſa, ſi
,, può eſplicare con le ſeguenti ſei regole breui, e chiare.

,, La prima delle quali è, che in queſta collatione il fine, e ſcopo prin-
,, cipale de'Scrutatori è, di vedere ſe gli Acceſſi dati al nominato nello Scru-
,, tinio ſono validi, ò nulli.

,, La ſeconda è, che conforme alla Bolla Greg. l'Acceſſo è valido, quan-
,, do nel la Schedola di eſſo copulatiuamente ſi ritrouano due circonſtanze,
,, prima che nelle Schedole dello ſcrutinio ſe ne troui vna, che habbia li
,, medeſimi ſigillo, numero, e moto dell' Acceſſo: Secondariamente che
,, il Cardinale nominato, nell'Acceſſo ſia diuerſo dal nominato in queſta
,, Schedola dello ſcrutinio.

,, La terza è, che l'Acceſſo è nullo, quando nella Schedola di eſſo
,, manca vna di dette circonſtanze, cioè, ò che li ſegni diſcordano, ò
,, che in queſta, & in quella dello ſcrutinio, è nominato lo ſteſſo Cardi-
,, nale.

,, La quarta è, che per vedere ſe l'Acceſſo habbia, ò non habbia le cir-
,, conſtanze dette nella ſeconda Regola, biſogna per trouar la prima cir-

„ conſtanza far tre coſe, primieramente conuiene di cercare il ſigillo dell' Ac-
„ ceſſo nelle Schedole dello ſcrutinio, guardandole ad una, ad una. Secondo
„ ritrouato queſto Sigillo, ſi deue aprire l'vna, e l'altra Schedola; nel luogo
„ però de ſegni ſolamente, e Terzo ſi deue guardare, ſe amendue queſte
„ Schedole confrontano nel numero, e nel motto, e ritrouato queſto con-
„ fronto, per ſapere la ſeconda circonſtanza, baſta à veder nell'*Eligo* della
„ Schedola dello ſcrutinio, e nell'*Accedo* di quella dell'Acceſſo il Cardinale,
„ ò Cardinali nominati: perche, ſe ſaranno diuerſi l'Acceſſo ſarà buono,
„ conforme à quanto ſi è detto nella ſeconda Regola. Si poi ſarà nominato
„ nell'vna, e nell'altra lo ſteſſo Cardinale, l'Acceſſo ſarà nullo, conforme
„ alla terza Regola.

„ La quinta regola è, che quando non ſi troua la prima circonſtanza
„ de' Sigilli, e Segni, che confrontino, l'Acceſſo è nullo.

„ La ſeſta, & vltima regola è, che per fare queſto confronto con facilità
„ conuiene, di notare li Sigilli e ſegni de gli Acceſſi de' corriſpondenti Scru-
„ tinii, nel foglio ſtampato, conforme à quello, che diſpone il Ceremo-
„ niale à car. 118. cioè nella prima colonna ſotto le parole. *Sigilla, & ſigna*
„ *Acceſſuum*; li Acceſſi, che ha ottenuto l'Eletto: E nella ſeconda colon-
„ na, ſotto le parole: *Sigilla, & ſigna ſcrutinii Acceſſibus reſpondentia*; li
„ ſigilli, e ſegni delle Schedole dello ſcrutinio, che ſi ſaranno trouate con-
„ frontare con li predetti Acceſſi: E finalmente nella Terza colonna ſotto
„ le parole: *Cardinales nominati in Scrutinio*, li nomi dé Cardinali nomi-
„ nati nelle ſchedole dello Scrutinio notate nella Seconda colonna: perche
„ in queſta maniera poſte tutte queſte coſe auanti gli occhi, in vn tratto
„ ſi fa la collatione, e ſi vede, ſe l'Elettione del Papa è Canonica. E perche
„ ſi poſſa meglio intendere queſt'Ultima regola, ſi pone qui ſotto l'Eſſem-
„ pio del medeſimo Cerimoniale nell' allegata carta. 118.

„ EXEMPLUM.

„ Folii impreſſi, in quo Acceſſus, & Scrutinii, Sigilla, ac Signa concor-
„ dantia annotantur.

„ Literæ „ Alpha- „ beti in- „ dicant „ Sigil- „ lum.	Sigilla, & Signa Acceſſuum.	Sigilla, & Signa Scrutinii Acceſſibus reſpondentia.	Cardinales nominati in Scrutinio,
	ACD. 43. Deus.		
	BRF. 32. Bonitas.		*Card. S. Euſebii.*
	RGI. 50. Beatitudo.	*BBF. 32. Bonitas.*	*Card. S. Sixti.*
	NSP. 26. Gloria.	*RGI. 50. Beatitudo.*	

Per

„ *Per tutti li Signori Cardinale in comune.*

„ PRima, ſubito finita l'Oratione *Deus qui corda fidelium*, che ſi dice
„ dal Decano nell'ingreſſo del Conclaue, ſi giurano le bolle de Electio-
„ ne Romani Pontificis, e con eſſe la nuoua Conſtitutione Gregoriana.
„ 2. Dopo l'Oratione hortatoria del Decano per la buona elettione del
„ Papa, tornano alle loro Celle.
„ 3. Dopo pranzo vanno alla Congregatione, e gli Officiali del Conclaue,
„ & altri, ſecondo il ſolito preſtano li giuramenti conſueti.
„ 4. Non eſcono del Conclaue per tornare la ſera, come ſi faceua pri-
„ ma; ma in eſſo biſogna, che rimanghino.
„ 5. Nel ſeguente giorno all'ingreſſo dopo pranzo auanti il ſecondo ſcru-
„ tinio, ſi fà la riſegna de'Conclauiſti, facendoli entrar prima tutti in vna
„ Cappella.
„ 6. Nelle Congregationi, e ſcrutinii debbono vſare le Crocchie fatte
„ di ſajetta, conforme al Decreto fatto nella Cregatione de Cardinali
„ in queſta Sede Vacanti di Papa Gregorio XV. fel. mem. alli 12. Lu-
„ glio 1623.
„ 7. Li Capitoli del Conclaue ſi poſſono fare dopo l'ingreſſo del Con-
„ claue, ſe non ſono ſtati fatti innanzi, anche a fauore de Conclauiſti.
„ 8. Si deue veder prima di venir all'elettione ſe in Conclaue v'è Cardina-
l, le che non habbia voto.
„ 9. La ſeguente mattina dopo chiuſo Conclaue, ſi và dopo il ſuono
„ della campanella alla Capella a celebrar la Meſſa; & à communicarſi,
„ & a far lo ſcrutinio.
„ 10. Debbono pigliare, e ſcriuere, e piegare, e ſigillare le ſchedole,
„ come ſi nota nel Cerimoniale a car. 109. verſ. Tertius actus. & à car. 111.
„ per tutta. Auuertendo, di far vn ſegno con ſeta a quel ſigillo, che haue-
„ ranno adoperato nel ſigillare la ſchedola dello ſcrutinio, e di notar in
„ carta il numero, e motto, che haueranno in eſſa vſati, per poter adope-
„ rare il medeſimo ſigillo, e far gli ſteſſi numero, e motto nella ſchedola
„ dell'Acceſſo, acciò non foſſe da ſcrutatori, conforme alla Bolla Gregor.
„ giudicato nullo. E nel ſigillare ſi deue hauer particolar cura, che li ſigilli
„ ſiano ben'impreſſi, acciò ſi poſſino conoſcere da Scrutatori, quando ſi
„ farà il confronto.
„ 11. Debbono portare la loro ſchedola nel Calice, e giurare nel porla
„ nella patena per metterla in eſſo calice, come a car. 112.
„ 12. Quando ſi publica lo ſcrutinio, debbono notare li ſuffragi, che han-
no

„ no li Cardinali nominati in eſſo ſcrutinio, come nel Cerimon, a car. 114.
„ §. Sextus actus.
„ 13. Publicato lo Scrutinio ſommano inſieme li ſuffragi, che hanno ot-
„ tenuti li nominati nello ſcrutinio e nótano le ſomme come a car. 114.
„ in fine.
„ 14. Quando non è ſeguita l'elettione del Papa nello ſcrutinio, ſi viene
„ all'Acceſſo, nel quale li SS. Cardinali debbono oſſeruare quanto ſi diſpo-
„ ne à car. 116. per tutta; Auuertendo di notar gl'Acceſſi nel foglio ſtam-
„ pato, ſecondo l'vſo antico, e quando ſi fa il confronto di eſſi Acceſſi con
„ lo ſcrutinio, di notarſi nell'altro foglio ſtampato, ſecondo il Ceremoniale
„ nuouo à car. 118. oſſeruando le regole, per conoſcere la validità de gli
„ Acceſſi date di ſopra nel cap. de'Signori Cardinali Scrutatori, al nu-
„ mero. 10.

„ *Per li Maeſtri di Cerimonie.*

„ PRima, li Maeſtri di Cerimonie debbono dar ordine, che ſia fatta la
„ prouiſione delle coſe neceſſarie per lo Scrutinio, & Acceſſo, che ſo-
„ no l'infraſcritte.
„ 1. Due Calici grandi & vna Patena.
„ 2. Vna Sacchetta per metterui le Palle per cauar li Scrutatori, infermie-
„ ri, e Ricognitori.
„ 3. Le Palle debbano eſſer groſſe come vna noce, e tante, quanti ſono
„ li Cardinali, & in ciaſcuna di eſſe deue eſſer ſcritto il nome d'vno di detti
„ Cardinali preſenti.
„ 4. Due Bacili, per le Schedole dello Scrutinio, & Acceſſo.
„ 5. Vn'altro Baciletto piccolo, per portare le ſchedole Stampate alli
„ Cardinali infermi.
„ 6. Vna Caſſetta alta vn palmo, e larga, e lunga altretanto, d'Argento,
„ con la ſua ſerratura, e chiaue, con un forame nel coperto, tanto grande,
„ che per eſſo ſi poſſa mettere vna ſchedola piegata.
„ 7. Vna Scatolletta, con aliquanti Aghi groſſi, con dui gomittelli di eta
„ groſſa, vno di roſſa, per lo Scrutinio, & vno di turchina per l'Acceſſo, in
„ vn'ago s'infilzera à la ſeta roſſa, & in vn'altro la turchina.
„ 8. Schedole Stampate, per lo Scrutinio mattina, e ſera, e ſimilmente
„ per l'Acceſſo.
„ 9. Li fogli, con li nomi de Cardinali ſecondo l'vſo antico.
„ 10. Li fogli, per riconoſcere gli Acceſſi, ſe ſono buoni, l'eſſempio de
„ quali è nel Ceremoniale nuouo a car. 118.

11. Tauole

Digitized by Google

„ 11. Tauole tre, ò quattro, e più ſe vi potranno capire, da mettre in „ mezzo la Cappella, oue ſi fà lo Scrutinio, vna dietro l'altra, tanto grandi, „ che vn Cardinale vi poſſa ſcriuere.

„ 12. Tanti Calamari con inchioſtro, poluerino, e poluere, e due pen- „ ne ben acconcie, per ciaſcuno, quante Tauole ſaranno, computando anche „ in queſte la Tauola, oue ſedono li Scrutatori.

„ 13. Cera roſſa, da mettere nelli luoghi de' ſigilli delle ſchedole ſtam- „ pate.

„ 14. Carta da ſcriuere nella Tauola de' Scrutatori.

„ 15. Due Tauolette d'Ebono, con la Formula del giuramento della Bol- „ la Gregoriana, ſcritta inciaſcuna di eſſe, in carta pergamina, con lettere „ formatelle, e grandi.

„ 16. Chiuſo il Conclaue, il Maeſtro di Cerimonie ſi deue far conſegna- „ re le chiaui, che di eſſo ſuol tenere.

„ 17. Il medemo Maeſtro di Cerimonie, con il Camerlengo, e Capi „ d'Ordini, con Torcie acceſe, viſitano il Conclaue, per vedere ſe vi ſono „ perſone, che non vi habbino da ſtare, per cacciarli fuori.

„ 18. Con li Deputati a riuedere la Clauſura del Conclaue, ſi roga di „ eſſa clauſura innanzi due, ò più teſtimonii, e legge il rogito alla preſenza „ del Sacro Collegio, innanzi il primo Scrutinio.

„ 19. Præparano li Maeſtri di cerimonie le ſchedole dello Scrutinio, e „ dell'Acceſſo; come nel cerimoniale nuouo à car. 103. verſ. ſchedula- „ rum præparatio, & à car. 111. verſ. quartus actus, & verſ. cæterum, e „ coſi præparate, le mettono ſeparatamente nelli bacili, ſopra la Tauola „ de' Scrutatori, cioè quelle dello Scrutinio in vn Bacile, e quelle dell'Ac- „ ceſſo nell'altro.

LAUS DEO.

CAP. II.

De Cardinalibus.

NOtitia Cardinalium eccleſiæ Romanæ hauriri poteſt, & quidem §. 1. compendio, ex tractatu aliquo peculiari, quales indicantur, *Hieronymi Plati* de officio & dignitate Cardinalis, *Johannis Hieronymi Albani* liber de Cardinalibus; *Auguſtini Valerii Cardinalis*, de officio Cardinalis, Andreæ Barbatii tract. de præſtantiâ Cardinalium ad Beſſarionem; Ejuſdem tract. de Cardinali legato à latere. Uterque inſertus eſt Oceano

 ju-

juris *part.* 2. *fol.* 63. & 131. *Claudius Martinus Bajardus* de Cardinalatus officio & origine. Idem de Legato Cardinali à latere miſſo. Indicat utrumque tractatum *Ludov. Jacob à S. Carlo* in Biblioth. Pontificiâ *lib.* 2. *pag.* 290. *Bernardinus Roſergius* vel de Roſergio Gallus archiepiſcopus *Tholoſanus* qui vixit anno 1460. de poteſtate Cardinalium. Extat M. S. in Bibliotheca cardinalis *Sirleti*, poſtea *Aſcanii* Columnæ: indicante Ludovico Jacob de S. Carolo in bibliothecâ Pontificiâ *lib.* 2. pag. 281. Ex his recenſitis hactenus nullum legi, aut vidi. Interim compendium compendiorum mihi præſtiterunt *Lælius Zecchius* & *Iſidorus Moſconius* in tractat. ſupra cit. quod ſi quis digitum ad fontes, unde plura derivari queant, intendi velit, indico ſequentes autores, qui collectim pleniſſimum apparatum præſtabunt.

I. Inter ſcripta & ſcriptores Rituales, eſt pervulgatum illud archiepiſcopi Cocyrenſis ceremoniale Romanum *lib.* 1. *ſect.* 1. 8. 15. & lib. 2. *ſect.* 1. 2. 3. *Johannes Bapt.* de Rubeis in Novo rationali divinor. *Offic. l.* 1. *cap.* 53. ubi nonnulla attingit.

II. Inter didactico-polemicos ſcriptores, *Alvarus Pelagius lib.* de planctu eccleſiæ artic. 16. *Antoninus* in ſummâ Theologicâ, partis tertiæ *part.* 2. *tit.* 22. *Auguſtin.* Triumphus in ſummâ de poteſtate eccleſiæ *qu.* 10. Turrecremata *lib.* 1. ſummę de eccleſiâ *cap.* 81.-85. *Waldenſis lib.* 2. doctrinalis fidei *artic.* 3. *cap.* 54. *Viguerius* Inſtitut. *cap.* 17. §. 1. veritate 11. *Joh. Anton.* Delphinus *lib.* 2. de eccleſiâ *Bellarminus* tom. 1. controverſ. lib. 1. de Clericis *cap.* 16.

III. Intèr Caſuiſtas, & practicos, Azorius *tom.* 2. *theol.* moralis *lib.* 4. *capp.* 1. 2. 3. Philippus Rovenius Reipubl. Chriſtianæ *lib.* 1. *cap.* 15. *Gabriel Palæotus* Cardinalis de ſacri conſiſtor. conſultationibus. Alii Caſuiſtæ, aut omnino prętereunt, aut parcius attingunt, ut *Sylveſter*, *Graſſiis*, *Toletus*, Vincentius Candidus, *Valerius Reginaldus*.

IV. Inter Canoniſtas præter *Barbatium* & *Albanum* modo cit. Hoſtienſis, aliique gloſſatores & commentatores ad diſt. 23. cap. *In nomine*. Et, cap. *miniſterii*, de officio archipresbyt. *Dominicus Jacobatius* lib. 1. de conciliis.

V. Inter Jureconſultos, & Politicos, Duarenus tract. de eccleſiaſt. miniſter. *Tholoſanus lib.* 15. *ſyntagm. cap.* 4. *Contzen lib.* 6. politic. *cap.* 35.

VI. Inter hiſtoricos & antiquarios, *Creſpetius* in ſummâ cathol. fidei, in voce *Cardinalis*; *Polydorus Virgilius lib.* 4. *c.* 9. In primis *Onuphrius Panuinus* in libro Pontificum & Cardinalium: Anton. Aubry in hiſtoriâ generali Cardinalium, Gallicè anno 1642. Pariſ. in 4. tom 1. in quo alterum tomum promittit. *Antonius Sanderus* in elogiis Cardinalium magis illuſtrium Lovanii 1626. in 4. *Balthazar Porrerus* in elogiis cardinalium Hiſpa-

ſpanorum. Goodwinus de Cardinalibus Anglis, in libro de epiſcopis Angliæ. *Arnoldus Wion* in ligno vitę, ubi de cardinalibus ordinis *Benedictini*. Andreas du Cheſne in hiſtoriâ cardinalium Gallorum, Gallicè. *Andreas Victorellus* in additamentis ad vitas Pontificum & Cardinalium Alphonſi Ciaconii. Ejuſdem additamenta ad vitas *Leonis* 11. *Clementis*. 8. *Pauli* 5. *Gregorii* 15. *Urbani* 8. & multorum cardinalium. Ejuſdem liber exemplorum, Cardinalium multorum virtutes exprimentium, ejuſdem defenſio Cardinalium exercitibus prefectorum. Vitæ Cardinales alicujus ſeorſim ſcriptæ & editæ, ut *Pompei* Columnæ per *Paulum Jovium*; *Caſp*. *Contareni* per *Johannem Caſam*; *Bellarmini* per Fuligattum Ital. quam latino ſermone donavit Sylveſter de petrâ ſanctâ, &c. Ludovicus *Jacob à S. Carolo* in bibliothecâ Ponrificum promittit bibliothecam Cardinalitiam, immo & paratam dicit *lib. 2.p.* 353. an ediderit, neſcio. *Antonius Scappus* edidit tract. Romæ in 4. *de birreto* rubeo Cardinalium dando. His addendæ hiſtoriæ univerſales & particulares, quæ res ſedis & eccleſiæ Romanæ attingunt: imprimis hiſtoria Concilii Tridentini, *Guicciardini*, *Sleidani*, *Thuani*, Myſterium iniquitatis Pleſſei cum antagoniſtis Couffetello & Gretſero, & defenſione *Riveti*. Denique ſcriptores vitarum & geſtorum Pontificiorum præced. part. citati, pluresque ex bibliotheca Ludovici *Jacob* de *S. Carolo* cognoſcendi.

VII. Inter epiſtolas & epiſtolographos, epiſtolæ Cardinalium, & ad Cardinales, quales *Oſſati*, *Perroni*, *Bentivoglio*, &c. Et epiſtolæ Cardinalis *Ludoviſii* ad nuntios Papæ Viennæ & Bruxellis, & horum reſponſiones, quæ inſertæ ſunt cancellariæ Hiſpanicæ in Germaniâ, a. 1622. *num*. 10. 12. 22. 23. 24. 25. 27. Agmen claudat *Statera Cardinalium*, nuper Italicè edita, & inde Gall. ac Belg.: ubi ingenia, mores, ſtudia, geſta hodiernorum Cardinalium ſatis curioſè delineantur.

Nos primo ex pontificiorum ſententiâ Cardinalem breviter deſcribemus. §. 2.
Deinde quæſtiones aliquot proponemus. In deſcriptione ſpectanda. 1. nomen. 2. origo. 3. Electio cum adjunctis. 4. Poteſtas, officium, & dignitas. 5. Numerus & diſtinctio. 6. Status eorum.

I. Quod ad vocem *Cardinalis*, quæ latinis idem quod cardineus, derivatur à cardine, quę metaphoricè ſignificat ſummam totius rei aut cauſæ. Eſt ergo *Cardinalis*, idem quod præcipuus, principalis. Hinc trita in ſcholis appellatio virtutum cardinalium, & ventorum cardinalium. In libro officiorum Theodoſii Cardinales dicuntur pręfecti prætorio Aſianæ diœceſios, & pręfectus Africæ: quod majores cęteris eſſent. Alciatus cenſet, eccleſiaſticos hoſce fuiſſe appellatos Cardinales, exemplo civilium magiſtratuum. Sunt enim clerici cardinales (uti ſic loquitur jus canonicum

 diſt.

diſt. 23. cap. *in nomine)*, hoc eſt, principales; *quia ſicut cardine regitur oſtium: ita debet per iſtos eccleſiâ regi officium.* Sunt verba gloſſæ cap. *miniſterium* de officio archiepresb. Cardinales ergo (quamvis ſolum eſſent acolythi) ſunt quaſi totius eccleſię Romę cardines; quippe qui Romæ reſidentes, & Papę aſſidentes atque aſſiſtentes, ſicuti Apoſtoli Chriſto (uti loquitur *Auguſtinus de Anconâ)* univerſalem eccleſiam cum ipſo curant. Et huc Canoniſtæ ac theologi in Papatu non incelebres trahunt illud 1 Sam. 2. *domini* ſunt cardines terræ, &c. De quo mox pluribus. Eſt autem vox Cardinalis admodum ambigua. In jure enim canonico accipitur pro quovis epiſcopo aut clerico, qui in ſuo ordine principalis eſt: uti ex cap. *in nomine* diſt. 23. manifeſtè apparet. Siculus *Andreas* cognomento *Barbatius*, probat teſtimonio *Guidonis archidiaconi* Bononienſis, quod etiam approbat *Polydorus lib. 4. cap. 9.* olim in quacunque eccleſiâ principales ſacerdotes ſeu epiſcopos, dictos fuiſſe cardinales, id eſt principales. *Duarenus lib.* 1. de ſacris miniſter. *cap.* 13. putat olim hâc voce denotatos presbyteros eccleſiæ cathedralis, qui comparate ad aliarum eccleſiarum presbyteros erant præcipui ſeu principales. Quid, quod qui hodiè Cardinalatum defendunt, fateri cogantur nomen illud tam ſtrictè, uti nunc, non fuiſſe uſurpatum. *Nomen*, inquit Jeſuita *Contzen lib. 6. Politicæ* cap. 35. *recens eſt, res antiquiſſima.* De quâ antiquitate mox videbimus. Idem paulo ante, *Unde colligimus, aliarum eccleſiarum etiam fuiße Cardinales. Cardinalis Cuſanus* lib. 1. *de concordantiâ catholicâ* cap. 17. ſcribit eccleſiam Romanam aliquando capi pro proxime unitis Romanæ eccleſiæ: hoc eſt, ut ego interpretor, pro eccleſiâ intra muros cum clericis ſuis. Probationem adducit ex libelli *Leonis* IX. *cap.* 32. ubi dicit. „Romanam eccleſiam eſſe „ut cardinem, in quo volvitur oſtium eccleſiæ, & ſtabile ſemper manebit, & ejus clerici propter propinquitatem ad cardinem, dicuntur Car„dinales.

§. 3. *Origo Cardinalium* altius ſecundum humanæ hiſtoriæ veriſimilitudinem accerſi non poteſt, niſi ab anno 1049. ſub Papatu *Leonis* IX. Et inde catalogum Cardinalium inchoant archivorum hâc in parte ſcrutatores: quales *Onuphrius in libro* de Romanis Pontificibus & Cardinalibus, & Aubery in hiſtoriâ generali Cardinalium, Gallicè anno 1642. Poſterior viderat omnes ſcriptores, qui uſque ad annum 1642. prodierant & quorum aliqui omnia archiva & varias bibliothecas huc facientes perquiſiverant. Nomina & editiones librorum in præfatione indicantur. Inter Canoniſtas *Guido* archidiaconus & *Franc. Zabarellus* Cardinalis ex teſtimonio *Martini Ciſtercienſis* hiſtorici narrant, anno 230. ſedente quodam Pontiano (qui in ordine Pontificum non ponitur) fuiſſe Romæ 236. ſacerdotes Cardinales; & 67. annis

Digitized by Google

annis poſt à *Pontifice Marcello* diviſos fuiſſe titulos presbyteris, & conſtitutos ab illo 15. Cardinales, qui mortuos ſepelirent & infantes baptizarent. Hanc eorum opinionem refert & probat *Polydorus lib.* 4. *cap.* 9. Idem tamen novellam facit eorum originem, eique antiquitatis prærogativam haut obſcurè negat. Similiter *Stephanus Paſchaſius* in ſuis Recherces de France *lib.* 3. *c.* 5. & *Petrus Matheus lib.* 7. hiſtor. narrat. 2. Nec diffiteri poteſt *Adamus Contzen loc. cit.* cum correcturus *Volaterranum* qui anno 1031. ita nominari incepiſſe dixerat, aſſerit jam anno 950. hoc nomen uſitatum fuiſſe. Ecce antiquiſſimam antiquitatem. Non deſunt tamen viri docti in Papatu, qui ſuos Cardinales neſcio ex quo *Saturni* ſæculo accerſunt. Alii enim ex ordine Levitarum eos derivant, & illos iſtorum typos faciunt juxta textum *Deuter.* 17. *v.* 8. 9. 12. Sic *Joh. Bapt. Vivianus lib.* 4. Rationalis juris Pontificii *tit.* 17. *p.* 59. Alii in 70. ſenioribus *Num.* 11. *v.* 16. 17. eorum ordinem quærunt. Sic *Sixtus* V. in bullâ 20. *Matt.* 1588. Alii per conjecturam ex ingenio, in morem caſcorum criticorum, à Chriſto Cardinales conſtitutos, eoſque fuiſſe Apoſtolos: quorum ſcil. ſucceſſores ſint hodierni Cardinales. Et ſic *Sixtus* V. ibid. *Denique* omnium maximè inepti & ridiculi Hoſtienſis, aliique Canoniſtæ & inter theologos *Antoninus*, & qui eum hic ſequuntur, qui verba illa 1 Sam. 2. *Domini ſunt cardines terræ* ita accipiunt, ac ſi *cardines* notaret illuſtriſſ. ſeu eminentiſſ. Cardinales. Textus vulgatæ tranſlationis ſic habet: *Domini enim ſunt cardines terræ, & poſuit ſuper eos orbem.* His verbis recitatis ſubjicit *Antoninus* partis tertiæ *part.* 2. *tit.* 22. poſt explicatum etymon cardinis. *Domini ergo Papæ ſunt cardines terræ: quia ſcil. Cardinales habet aſſiſtentes ſibi.* Poſtea declarat, quod dicantur domini tripliciter: primo quia ſunt domini Dei pecu-„ liares per perfectam bonitatem. Secundo, quia ſunt Domini Papæ fratres „ & familiares per eximiam dignitatem, id eſt, Cardinales. Tertio, quia „ ſunt domini mundi gubernatores per conſultabilitatem: & ſic cardines, „ id eſt, Cardinales eccleſiæ ſunt domini: & poſuit dominus ſuper eos orbem, ſcil. ad gubernandum conſilium. Ut cum Barbaris & philologiæ ſacræ ignariſſimis agam, Arias Montanus vertit: *Domini ſunt ſtationes terræ, & poſuit ſuper eas confuſionem.* Et Tigurina, quæ verſio ab ipſis recuſa in Hiſpaniâ & Lugduni in Galliâ. *Domini ſunt columnæ terræ, & poſuit ſuper eas orbem.* Verſio Syriaca: *obumbravit dominus ima terræ, iiſque orbem impoſuit.* Et Arabica: *obumbravit profunda terræ, & habitabiles reddidit ſuper eam regiones.* Mariana in ſcholiis biblicis exponit: *Domini ſunt fundamenta terræ, quaſi dicat, ipſe omnia poteſt.* „ Immanuel Sa in ſuis notationibus; „ cardines. 1. columnæ ſeu ſuſtentacula, ſcil. terra ipſa, quæ eſt veluti mun-„ di fundamentum, vel ipſius terræ fundamenta (ut vocat ſcriptura) ſcil.

 partes

„ partes in medio ſolidiores, quibus reliquę nituntur, & forte ſaxeæ. *Lyrani* poſtilla: hic primo ponitur Dei magnificatio. Et primo quantum ad „ potentiam, & hoc in actu creationis cum dicitur, *domini enim ſunt cardines*, &c. Et hi quidem propriè hæc verba interpretantur, convenienter contextui & locis concordantibus *Pſal.* 24. *v.* 1. & 89. *v.* 12. 13. Allegoricum interpretamentum ſectari ſunt Rabbini in paraphraſi chaldaica, quę cardines exponit de juſtis facientibus voluntatem Dei. *R. David Kimchi* in commentar. utramqne interpretationem proponit. Gloſſa ordinaria per cardines intelligit prælatos & principes. Sed quocumque modo accipiatur, Cardinales hinc exſculpi non poſſunt, niſi conſequentiâ ductâ à genere ad ſpeciem affirmativè. *Etſi*, inquit Polydorus loc. cit. *reor nunquam tale quid ſomniatum eſſe ab Anna, quæ inibi loquitur, cur non potius illud referendum eſt ad epiſcopos & presbyteros, qui perdiu antea cardinales, id eſt præcipui ſive primarii & nuncupati ſunt, & res religionis geſſerunt?* Merito ergo de talibus ineptis interpretibus ibidem exclamat: *Vide, non ſecus iſti Juriſconſulti aliquoties detorquent ſacras literas quò volunt, ac ſutores ſordidas ſolent dentibus extendere pelles.* Sed non ſoli ſunt Canoniſtæ, ſed etiam primi ſubſellii theologi, ut Antoninus archiepiſc. *Florentinus ab Adriano* VI. canonizatus: *Viguerius in Inſtitut.*, & *Joh. Baptiſta de Rubeis in novo rationali* lib. 1. c. 55. p. 188. ubi hoc argumentum explicat. „ Nomen, inquit, Cardinalatus, ſicut & hoc nomen Papa, nec tempore Chriſti, nec tempore Apoſtolorum fuit in uſu, ſed longo tempore poſt eos. „ Quidam autem dicunt quod hoc nomen fuit illis impoſitum à Pontiano „ papa, qui vixit anno Domini 221. Alii vero tempore Silveſtri cæpit eſſe „ in uſu hoc nomen Cardinalis, propter proprietatem officii à Chriſto inſtituti. Quod nomen, & officium, ab Anna Samuelis matre pronunciatum fuit 1 *Reg.* 2. Domini enim ſunt cardines terræ, & poſuit ſuper eos „ orbem. In his enim verbis tria oſtendit. Primo, eorum inſtitutionem, „ nempè, quia domini ſunt, hoc eſt, conſtituti à Domino. Secundò, eorum dignitatem deſcribit, quando dicit, cardines terræ, eo quod Romanæ Eccleſiæ deſerviunt, quæ Eccleſia eſt caput, & cardo omnium „ eccleſiarum, ut ait Anacletus, & recitatur in cap. Sacro ſancta. 22. diſt. „ Vel, ideo dicuntur cardines terræ, quod ſicut oſtium in cardine vertitur, „ & per eum regitur, ita conſilio & aſſenſu cardinalium Summus Pontifex „ regit Eccleſiam univerſalem. Et ſicut Cardo inhęret firmiter oſtio; ſic „ Cardinales Chriſto, qui eſt oſtium, vel dicuntur Cardinales, à cardine; „ quia ſicut in cardine regitur oſtium, ita per iſtos debet in Eccleſia regi „ officium: unde etiam dicuntur Cardinales, quia per eos regitur univerſalis Eccleſia. Gloſ. in *lib.* 1. decret. c. miniſterium. Tertiò, diſcribit uni-

„ univerſitatem authoritatis eorum, quando dicit, & poſuit ſuper eos or-
„ bem. Nam alii prælati ſunt in partem ſolicitudinis; ut habetur 2. qu. 6.
„ Iſti verò Cardinales, in adjutorium gubernationis totius orbis, & in ple-
„ nitudinem poteſtatis, & propter hoc dicuntur eſſe in plenitudine pote-
„ ſtatis. Ex inſtitutione Nicolai 2. anno Domini 1059. ad illas ſolum
„ ſpectat eligere Summum Pontificem. Status, & officium Cardinalium
„ fuit figuratum in veteri teſtamento per ſeniores quos Moyſes elegit in ad-
„ jutorium regiminis populi Iſrael, & in Sacerdotibus levitici generis, ut
„ habetur *Deuter.* 17. Si difficilè & ambiguum judicium, &c.

Electio Cardinalium intelligi poſſet dupliciter: vel quâ ipſi eligunt, vel quâ eliguntur. *Illa* eſt, qua Cardinales Papam eligunt: de cujus modo, forma, requiſitis. Ceremoniale, Summa Sylveſtrina in voce electio, *Azorius part.* 2. *lib.* 4. *c.* 2. aliiſque Scriptores præcedenti capite indicati. *Iſta* eſt, quâ Cardinales à Papâ eliguntur. De quâ hic agitur; & in quâ conſideranda 1. Requiſita eligendi, ſeu qui & quales eligantur. 2. Per quem eligantur. 3. Quomodo eligantur, electi promulgentur, atque inthronizentur. §.4.

I. Hic duplex conſideratio occurrit, una, quales eſſe debeant, ex voto & præſcripto ipſius eccleſiæ Romanæ: *altera*, quales ordinariò ſint & fiant. *Prima* habetur imprimis ex *Antonino*, & deinde ex Concilio Baſileenſi *ſeſſ.* 23. & *Concil. Lateranenſi*, cujus decretum inſertum eſt corpori juris canonici *lib.* 7. decretal. *tit.* 4. qui eſt de Cardinalibus, *cap.* 4. Et ex *Rovenio*, *Contzen*, *Palaotto loc. cit.* ex *Moſconio lib.* 1. *cap.* 6. Altera habetur ex quotidiana experientia, & novella ſuperioris, & præſentis ſæculi hiſtoria. Ex omni hominum ſtatu, ut Regum, Principum, Paparum filii, conſanguinei, amici, neceſſarii, qui gratia & amicitia hujus ſæculi prævaleant; aut divites qui oblato magno auri pondere præponderent, ut plurimum præferuntur. Lege modo nomina Cardinalium apud *Onuphrium*, & Stateram hodiernorum Cardinalium; Imprimis & vitas *Leonis* X. & *Cardinalis Columnæ per Jovium. Clementis* VII. apud Platinam. De Cardinalibus ad nutum Regum aut principum eligendis vel ex eo conſtat, quod Papa ſibi aliquot eligendos ſervat in pectore (tanquam ignotum ſcil. Athenienſium Deum) quos ad electionem, nominationem, deſignationem Regum (ſimulac locus vacaverit), facit Cardinales. Ex omnibus ſedi Romanæ & Papę in individuo officia præſtantibus, præferuntur plerumque domeſtici ipſius & officiales. Ex omnibus nationibus præferuntur Itali, & ex Italis peculiariter cœlo Cardinalitio propinqui videntur familia Medicea, & tres illuſtres Romanæ *Farneſia*, *Urſina*, *Columnenſis*: tales enim in ſolo & cœlo Italo-Romano nati atque educati, cardinibus mundi proximi videntur.

Digitized by Google

tur. Jeſuita *Contzen cap. cit.* §. 4. de Cardinalibus Italis ſic conqueritur: „Quam multi Italorum Germaniæ epiſcopos ſuis pares in externa guber„natione arbitrantur, & myricis abietes conferunt? Quam non pauci Ger„maniam magnam urbem imaginantur? Quidam non ignobilis ex Germano quærebat: an Cęſar etiam multos haberet pagos? En aſinos Cardinales, immo Cardinaliſſimos. Non dicam jam de Cardinali ſimio, cui *Julius* 3. factus Pontifex pileum ſuum donabat, de quo *Thuanus. hiſtor. lib.* 1. *Johanni Caſæ* viro alioquin in literis ſæcularibus non vulgariter doctò, propter poëma in laudem flagitii ſodomitici in juventute ſcriptum, pileum, quamvis voluiſſent, non auſi fuerunt conferre: non quidem ob illud flagitium (*quod magnas & ſalutares virtutes, optimique Principis* titulum in Papa, non tollit; judice Epiſcopo *P. Jovio in vitâ Leonis* X.), ſed ob ſcandalum nationum, apud quas ſcelus illud tam familiare non eſt, ac Romæ. De quo antehac in 1. *part. ſelect. diſp. tit. de atheiſmo part.* 4. §. 3. *pag.* 204. Diſſimulandum tamen non eſt, quod inter ſemiviros illos partes, & *mundi* (ex ſignificatione 1 Joh. 2. verſ. 16.) *cardines*, aliqui hodie, quamvis pauculi, aſſumantur eruditione theologi & moribus magis civiles, partim ſchemate politico, partim ex neceſſitate, ut Papa ſcil. habeat quorum conſilio & auxilio circa quæſtiones theologicas, religioſas ceremonias, formas regiminis & juriſdictionis Romano-Papalis uti poſſit. Et tales fuerunt e. gr. Aliaco, *Cuſanus*, *Cajetanus*, *Contarenus*, *Polus*, *Hoſius*, *Toletus*, *Bellarminus*, *Baronius*, *Carolus Borromeus*. Quales non ſine opinione ſanctitatis vixiſſe putantur.

II. Electio olim facta dicitur per clerum Romanum. Sed tunc nondum erant Cardinales moderni generis, ſed presbyteri & clerici eccleſiæ Romanę. Nunc honoris causâ conſiſtorium Cardinalium quaſi partem aliquam facere videtur in hâc electione: ſed haut aliter, ac *Pilatus* in *Credo*. Ex ſpontaneâ & gratuitâ Papæ conceſſione eſt, quod non niſi de conſenſu majoris partis collegii novos Cardinales creat. Eſt enim noti juris (canonici ſcil.) quod Papa ſolus poſſit in conſiſtorio Cardinales creare, & deponere; nec tenetur conſenſum Cardinalium requirere. Sic commentatores canoniſtici *Joh. Andreas* & *Abbas c. ſane*, de conv. conjug. Ratio eſt, quia Cardinales aſſiſtunt Papæ per modum miniſterii, & non per limitationem poteſtatis. Sic *Cardin. Palæotus in libro de ſacri conſiſtor. conſultat. part.* 1. *qu.* 3. ubi diſtinguit inter conſenſum & conſilium: & inter Papæ poteſtatem ordinariam, & abſolutam, quæ plenitudo poteſtatis dicitur. Conſilium rurſum diſtinguit, in neceſſitatis, reverentiæ; auxilii, officii, perfectionis, præparationis, utilitatis: quod poſtremum hic ſolummodo ſpectari dicit. Idem *part.* 4. *qu.* 1. ubi diſputat. An ſufficiat Cardinali promovendum

Car-

Digitized by Google

Cardinalem ſimpliciter approbare, ſi dignus ſit, an alterum potius digniorem proponere debeat. Hanc executionem Pontificiæ omnipotentiæ à conſiſtorio Cardinalium ſufflaminari non poſſe, docuit *Julius* III. qui viliſſimum ſervulum ſimii in âulâ ſuâ cuſtodem galero ſuo donabat, fruſtra reclamantibus Cardinalibus; quos in ruborem dabat, niſi jam depuduiſſent, unicâ illâ exprobratione: *Quid in ſe eximii vidiſſent, quod ſe creaſſent Pontificem.*

III. Ordo electionis talis deſcribitur in Ceremoniali *lib.* 1 *lect.* 8. celebratur ordinariò Cardinalium creatio quatuor anni temporibus: aliquando tamen fit extra tempora. Eſt hic notandi actus *nominationis*, *pronuntiationis*, *publicationis*, *gubernationis*, *deductionis*, *juramenti*, *viſitationis*, *clauſuræ & apertionis oris*, *titulationis*, *annulationis*, *oſculationis*. Ergo quartâ feriâ quatuor temporum, Papa Cardinalibus in conſiſtorio ſecreto cauſas exponit, quæ ipſum moveant ad novorum Cardinal. creationem; & ſi potioribus conſiſtorii ſuffragiis in ſententiam Papæ eatur, agitur de numero promovendorum. 2. Sextâ feriâ Pontifex in ſecreto conſiſtorio *nominat* eos, qui ſibi videntur ſive ob merita perſonarum, idonei, ſive ob principum juſtas preces. In eodem conſiſtorio, conſenſu majoris partis audito, à Papâ *pronunciantur* ſolemni verborum formulâ; quæ ut & ſequentes ritus ſucceſſivè peragendi in ceremoniali leguntur. Juramentum præſtandum habetur *in Concilio Baſileenſi*, idemque ex eo excerptum exhibet *Adamus Contzen lib. 6. politic. c. 35. §. 2. Indicat Lud. à S. Carolo lib. 2. p. 300. Paravii in biblioth. eccleſiæ cathedralis* exſtare *tract. M. S. Dominici de Dominicis ſeu de monte, de creatione Cardinalium.*

Quod ad poteſtatem & excellentiam Cardinalium, conſideranda ſunt 1. munus ſeu officium eorum. 2. dignitas. 3. honor precedentiæ. 4. privilegia. 5. beneficia & reditus. § 5.

1. Peculiare & proprium ipſorum munus ſpectatur vel in genere; vel in ſpecie. *In genere*, quod ſint fratres, conſiliarii, adjutores Papæ in regendâ eccleſiâ univerſali aut Republicâ Chriſtianâ ſeu eccleſiaſticâ: qui non ſolum aliquando, uti epiſcopi in Concilio univerſali, ſed quotidie Papæ aſſiſtunt, nec aliquod arduum negotium ſine eorum præſentiâ peragitur. Sic *Zecchius lib. cit. tit. de Cardinal.* §. 3. *In ſpecie*, 1. *quod* poſt. 17. mutationes in electione Papæ, (*Bellarmin. lib. de clericis c. 9.*) illi nunc ſoli eligunt Papam: non tamen poſſunt etiam *Papâ* mortuo, & ſtante interregno, ullum Cardinalem eligere.

2. Soli tempore interregni preter electionem, aliqua agere poſſunt ab ipſis Pontificibus conceſſa. Autores noſtri in paucnlis recenſendis, unum & quidem principale prætereunt, quod ſcil. Cardinales caveæ ſuæ, hoc

 eſt,

eſt, conclavi incluſi, articulos aliquot ad Cardinalatus poteſtatem & dignitatem ſpectantes & ab eligendo Pontifice ſervandos concipiunt, & juramento ſe mutuò obſtringunt: quod tamen nullus Cardinalis factus Papa illud juramentum ſervare, aut eo obſtringi hactenus voluerit. Hæc ſane peculiaris poteſtas. De agendis, ritibus, moribus conclavium, videndæ *epiſtolæ Perroni*, & *tria conclavia latinè Francofurti 1617. edita*; quæ etiam indicat *Ludovicus Jacob à S. Carolo lib. 2. biblioth. Pontific. pag. 291.* & quidem ſine ullâ additâ cenſurâ, aut cautelâ. Idem autor pag. 291. Indicat Romę *MSS.* aliquot conclavia in bibliothecis Vaticanâ & Barberinâ ſervari. Sed illa anno 1668. edita in manibus habemus: uti ſupra cap. præced. indicavimus. Formulam juramenti ſuper electione Pontificis à Cardinalibus præſtandi conceperat *Concil. Baſileenſe ſeſſ. 23.* & inde extrahit *Adam Contzen lib.* & *cap. cit.* §. 6. Sed illud puto cum toto Concilio in ſpongiam incubuiſſe.

3. Quod ſoli conſiſtorium ſeu eccleſiam conſiſtorialem conſtituunt, ibique tanquam miniſtri ſcil. & conſiliarii Papæ agunt agenda. Quæ autem illa ſint, & quis eorum ordo ac modus, materia, ex tract. *Cardinalis Paleotti* ſupra cit. & ex hiſtoricis ſuperioris & hujus ſæculi cognoſci debet. *Ludovicus à S. Carolo pag. 291. 292. Clementis*, aliorumque Pontificum conſiſtoria & diaria in biblioth. Vatic. & *Barber. MSS.* exſtare aſſerit.

4. Quod præficiuntur ſacris congregationibus: de quibus *cap. præced.* §. 2. Quarum determinationes autoritate proximæ ſint Pontificis: ita ut ſi non de fide, ſaltem quaſi de fide ſint; quarumque oppoſitę ſententiæ, ſi non ut hæreſes, ſaltem ut quaſi hæreſes condemnentur.

5. Quod obeant munera legatorum Papę. Sunt autem legati Papæ duplices, *nati*, & *conſtituti*. *Illi* ſunt, qui non conſtituuntur, ſed quorum dignitati ordinariæ in eccleſiâ ea dignitas & jus legationis annexum eſt: quales e. gr. *archiepiſcopus Cantuarienſis*, *Rhemenſis*, *Piſanus*. *Iſti* ſunt, qui ex Cardinalibus aut prę latis etiam ex aliis quibuſcunque ſive domeſticis ſive extraneis clericis aut officialibus à Papa, non ſine conſilio Cardinalium (quamvis aliter poſſit) conſtituuntur. Qui rurſum tanquam legati ad provincias nomine Pontificis regendas, vel ad reges & principes mittuntur. Priores *nuntii Apoſtolici*, poſteriores legati *de latere*, vel cum poteſtate *legati de latere*, vel *legati* ſimpliciter appellari ſolent. Aliquando uni utraque dignitas confertur, & nuntii ſcil. Apoſtolici ad regendam provinciam, & *legati de latere miſſi*, ad Principes ſcil. Talis erant *Bentivoglio* in Belgio Hiſpanico, qui editis relationibus & epiſtolis nunc ſatis innotuit. De legationis & legati poteſtate, effectu, &c. videndus *Zypæus lib. 1. Juris canonici novi* p. 75. tit. *De officio legati.* Et *Zecchius lib. cit.* qui compendio hoc agit

Digitized by Google

agit, & alios autores indicat. *Poſſevinus etiam lib. 5. biblioth ſeſſ. c. 42. - 46.* breviter nonnulla perſtringit: breviſſime denique *Rovenius lib. 1. de Republicâ Chriſtianâ cap. 12.* Si alicujus neceſſitas aut cura politica poſtulet, ut horum emiſſariorum arcana penitus perſpiciat, illi conſulo *Claudii Bajardi*, aut *Andreæ Siculi ſeu Barbatii tract. de legato à latere*, aut *Antonii Querengii canonici Patavini* & refendarii Pontificii tract. de qualitatibus nuntiorum à Papâ ad diverſos Principes deſtinatorum, conquirat. A legatis & nuntiis differunt delegati judices; quorum magna eſt poteſtas, ſupra Ordinariam: quia committentis Papæ vicem gerunt. De quo Zypæus lib. 1. Juris canonici novi *p.* 70.

6. Denique extravagantia heterogenea munera ſunt, quæ in togâ aut in ſago haut infrequenter obeunt. Tantum moneo lectorem, notet in hiſtoriis ſequiorum ſęculorum, Cardinales illos, qui ſtante novitate Papatus, immo & poſt fictam ac prætenſam reformationem aliquam in *Concil. Trident.* muneribus militaribus functi ſunt. Recens adhuc eſt memoria *Cardinalis la Valette* in Galliâ, & Cardinalis regii ſeu infantis Hiſpanici, in Belgio Hiſpanico. Ante quem Cardinalis Albertus Auſtriacus (poſtea factus princeps Belgarum) gubernationem Belgii & belli adminiſtrationem; & hanc Cardinalis Andreas Auſtriacus, aliquamdiu ſuſceperunt. Cardinalis Bathori Transſylvanus bellator a. 1599. menſe Octobri in armis cęſus eſt. Quid pro illo ac contra illum apud Papam actum ſit, narrat Cardinalis d'Oſſat in *epiſt. lib.6. ep.199.* Quidquid enim antiquorum canonum talibus opponi poſſet, habent promtam exceptionem *Cardinalis d'Avila*, qui conclavi cum aliis iſtius ordinis incluſus, ſuper electione Pontificis ita contendebat, ut ſocium quem à ſe diſſidentem ad duellum provocaret, ſub hâc diſtinctione: Quod quamvis vocatione eſſet clericus, genere tamen ac domo Cavaillerus. Vide relationem hanc inter epiſtolas *Cardinalis Perroni*, ubi conclave aliquod hiſtoricè deſcribitur. Confer, quæ de prælatis, aliiſque clericis bellatoribus perſtringimus in Deſper.causâ Papat. Præter tract. gallicum *Caſtanei* epiſcopi ex profeſſo bella epiſcopalia defendentem, ibique cit. innotuit mihi ex *Ludov.* de *S. Caroli biblioth. Pontific. Andreæ Victorelli defenſio Cardinalium* exercitibus præfectorum: cujus tamen exemplar nondum contigit videre.

II. Dignitas Cardinalis tanta eſt; ut omnium prælatorum pręferenda ſit. Hoc canunt *bulla Pontificum*, *Jus canon. in 7. decretal. tit. cit. Extravagans Johan. 22. execrabilis* §. non itaque, & inde tanquam rationem exemtionis eorum in ſanctione pragmaticâ, adducit gloſſator ejuſdem *Coſmas Guymier*: „quia Romano Pontifici in dirigenda Chriſtiana Republ. collaterales aſſi-„ſtunt, potiori ſunt prærogativâ attollendi. Hinc etiam omnes communi-

ter ſalutantur *illuſtriſſimi*, & quidam ex illis, ob accidens ſeu *adjunctum* familię aut miniſterii regii, *eminentiſſimi*. Rationes ſunt, quia ſunt fratres Papę: *quia* ſunt in ſtatu perfectionis, & repræſentant ſtatum perfectorum, non perficiendorum, uti hoc explicat Zecchius: *quia*, fundat hoc loci dignitas: eſt enim Romana eccleſia dignior aliis; & conſequenter ejus clerici digniores omnibus aliis: *quia* aſſiſtunt Papæ, ut Apoſtoli Chriſto, ejus contemplationi vacantes: *quia* conſequenter habent majorem erga Deum caritatem, omnibus epiſcopis: *quia* repræſentant Apoſtolos, &c. Videat, cui vacat, de his differentem *Zecchium loc. cit.* & *Moſconum lib. 1. part. 1. c. 5.* & 6.

III. Pręcedentia Cardinalium, *Chaſſaneus in Catalogo* gloriæ mundi. Specialiter præcedentiæ eorum in concilio, determinatæ ſunt à *Julio* III. *bullâ* 24. *anno* 1560. Notum eſt eos omnibus clericis extra concilium præferri, excepto ſolo Papâ: nec minus principibus ſæcularibus. Quid autem futurum eſſet Imperatori, aut regi Galliarum, aut Hiſpaniarum ſiquidem occaſio ita ferret, non memini me legiſſe determinatum, nec vacat nunc inquirere. De Cardinale legato à latere dubium non eſt, quin illi præcedentia competeret: quia repræſentat ſolem in hoc mundo; & imperator tantum eſt luna. Quin omnibus Cardinalibus, quâ talibus, hunc honorem tribuendum eſſe, evincere videntur tranſcedentes illi tituli; quos coacervat *Moſconius cap. cit. p.* 113.

„ Dicuntur cardinales Vicemgerentes Apoſtolorum, filii primi gradus „ amoris, Pontificis filii ſummæ dilectionis, & fratres, immò pars corpo„ ris ipſius, cardines Eccleſiæ Dei, Patres ſpirituales, conſiliarii, coadjuto„ res, & Papæ aſſeſſores, Reges, Patres conſcripti in Diademate Princi„ pis, Principes enim ſunt Senatores, & Patritii maximi, luminaria Eccle„ ſiæ, Seniores Populi, ſtellæ fixæ in cælo, ſunt illuſtres, & illuſtriſſimi, „ ſplendidiſſimi, Reverendiſſimi, potentiſſimi, lucernæ ardentes, candela„ bra lucis decoris, & præſtantię, Divi, & Venerabiles, & Religioſiſſimi, „ ſunt canonici Urbis Eccleſiæ, repræſentantes non ſolum clerum Urbis „ Romæ, ſed & ipſam Eccleſiam; & tandem in illis reſidet Majeſtas Reipub. „ Chriſtianæ.

IV. *Beneficia* & reditus eorum ſunt ſalaria, quę iis à Papa aſſignantur. *Contzen lib. & cap. cit.* §. 1. Præterea ſunt beneficia varia, epiſcopatus, ſcil. prioratus, abbatię, canonicatus, dignitates in capitulis, curę paſtorales, &c. quot & quanta coacervare queunt. Accedunt penſiones ordinariæ Regum, Principum, populorum, Ordinum religioſorum, &c. quibus quaſi reſidentes aut agentes, aut patroni aut protectores officia aliqua in curiâ præſtant aut præſtare putantur.

V. *Pri-*

Digitized by Google

V. *Privilegia* ſunt, quod tantum à Papa judicantur *Conſtit.* 8. *Pauli* IV. Addit *Cherubinus in ſcholiis ad conſtit.* 15. *Eugenii* 4. *& à Cardinalibus*: & quod tantum à ſolo Papâ deponantur & excommunicentur, Idem ad *conſtit.* 60. 67. *Pii* IV. *Quod* non teneantur reſidere in ſuis beneficiis eccleſiaſticis. Ita fert communis conſuetudo; quę contrarię legis de reſidentiâ, abrogationem indicat. Quod veniant in materiâ favorabili nomine curialium. *Cherubinus* in ſcholiis ad *conſtit.* 8. *Sixti* IV. *Quod* eximantur à ſolutione onerum cameralium, *Conſtit.* 9. *Pauli* V. *Quod* conventiones in conclavi factas juramento firmatas non teneantur ſervare, cum facti ſunt Papæ. Ita *Mandoſa in comment.* ad regulas *Cancellariæ*, & *Barbatius*, aliique Canoniſtæ, cum quibus facit *Cherubinus ad conſtit.* 63. *Pii* IV. Et hactenus auditum non fuit aliquem cardinalem, poſtquam Papa factus eſt, tali juramento voluiſſe teneri. Ratio in promptu eſt, quia juravit & obſignavit tanquam cardinalis, ſe talia ſervaturum; ſed Papa factus reſignat, & ſeipſum à juramento illo abſolvit. Sunt & alia privilegia à *Caſuiſtis* notata, circa electionem confeſſarii, circa beneficia eccleſiaſtica, &c. Et quod cardinalem percutiens incurrat excommunicationem, &c. *Quod* non condemnatur *presbyter Cardinalis niſi* 44. teſtibus, & *diaconus Cardin. niſi* 27. Sic *Jus canonicum* 2. *qu* 7. *cap.* 5. Sed his aliiſque iſtius farinæ miſſis, duo non ſunt pretereunda: quorum *unum*, quod ita ſint *Papæ annexi, ut tanquam pars corporis ipſius, ſanguinem de eorum corpore non minuant*, *inconſulto Papa.* Sic Gondiſ. à Villadiego in tract. de orig. *Cardinal. qu.* 5. *num.* 13. & cum eo *Moſconius lib.* 1. *part.* 1. *cap.* 5. *pag.* 114. *Alterum* eſt, quod facinoroſus qui ad ſupplicium ducitur, à morte liberetur, ſiquidem cardinalis ipſi obviam factus pileum ſuum miſero imponat. Sic *Caſtr. in L.* addictos in *pr. C. de appell.* citante mihi *Nordermanno in tract. de Jure principatus* §. 60. qui tr. inſertus eſt, nucleo diſcurſuum de jure publico, Gieſſæ a. 1621. per *Hampelium edito.* Aliàs referri memini, facinoroſum, ſi modo togam cardinalis attingat, ſupplicio eripi.

VI. *Ornamenta* eorum ſunt, galerus ruber, ex decreto *Innocentii* IV. inſuper birretum rubrum, & vehiculum, quo per urbem vehantur. Horum inſignium qualitatem, modum, ac rationem aſſignat (citante *Zecchio* tit. cit. § 6.) *Manfredus tract. de Cardinalibus* c. 5. Saltem birretum rubrum tam neceſſarium eſt, ut ſi abſens creatus intra annum cum ornamento hoc ad curiam ſe non contulerit, eo ipſo dignitate privetur. Ita habet bulla *Sixti* V. 3. *Decembr.* 1586. Quæ & quanta mira pandat *Anton. Scappus* in tract. de birreto rubeo cardinalium, velim ſcire. Sed libri copia non eſt. In conclavi electuri Papam, utuntur veſtibus croceis. Ex conſtitut. *Gregorii* XV. 16. Novembr. 1621. Libet nunc aliquid delibare de myſteriis coloris rubri. *Du-*

rantes in Rationali mirè *καβαλίζειν* de quatuor coloribus, quibus utitur ecclesia. Ruber cardinalium capellus, ab Innocentio 4. qui Genuenſis erat, primum datus, & veſtes rubeę more procuratorum à *Paulo* 2. qui erat Venetus. Sic *Joh. Bapt.* de Rubeis in novo rationali *div. offic. cap.* 53. qui ibidem præmiſerat, rationem hujus aſſumti coloris hanc eſſe quod debeant eſſe parati ad effuſionem ſanguinis pro defenſione eccleſiæ. Alii tamen rationem à dignitate & ſplendore eorum accerſunt; Sed ſi hieroglyphica ſectari libeat, *Beza* noſter rem acu tetigit, in elegantiſſimo & acutiſſimo hoc epigrammate, cui tit.

CARDINALIS PURPURATUS.

Semiviros quicunque Patres radiante Galero
Conſpicis, & rubra ſyrmata longa toga:
Crede mihi, nullo ſaturatas murice veſtes,
Divite nec cocco pallia tincta vides.
Sed quæ rubra vides, ſanctorum cæde virorum,
Et merſa inſonti tota cruore madent.
Aut memor iſtorum, quæ celet crimina, veſtis
Pro dominis juſto tacta pudore madet.

95. In diſtinctione cardinalium conſideranda 1. Numerus, 2. Adjuncta munera ſeu officia Eccleſiaſtica. 3. Tituli. 4. Opus.

I. *Quod* ad numerum videtur ille, ut numerus quantitativus potentiâ infinitus eſſe, & ſemper augeri aut augendus, occaſione ita exigente. Voluit tamen *Sixtus* v. infinitum ſeu indefinitum illud augmentum numero ſeptuagenario definire, in Bullâ 50. anno 1586. Sed quia Papæ Romani nec ſuis nec alienis legibus continentur, & circa cardinalium inſtitutionem & deſtitutionem utuntur, non jure ordinario, ſed plenitudine poteſtatis; valet ea Bulla tantum, quantum quiſque Pontifex eam vult valere. Hinc eſt, quod *Moſconius part. 2. de Majeſtate Eccleſiæ militantis cap. 5. pag.* 115. diſertè ſcribit: *Hinc dignitatem ſummi Pontifices non ſolum extinguere non procurant, ſed numerum & eorum privilegia indies augere nituntur.* Cum primum electio Pontificis ad cardinales fuit remiſſa, erant cardinales Diaconi numero 18. Presbyteri 28. Epiſcopi 7.: qui tamen numerus non ſemper eodem modo fuit plenus. Aliquando enim, ut tempore *Innocentii* 11. vel *Celeſtini* 11. erant numero 40. deinde decrevit ad 35. poſtmodum ad 30. poſtea ad 25. adhæc ad 20. poſtmodum ad 10. demum in 8. remanſit cardinalium collegium, quatuor ſcil. Presbyteris & totidem Diaconis, ut anno 1276. in electione *Nicolai* 3. Deinde numerus paulatim crevit

Digitized by Google

crevit & aſcendit ad 15. deinde ad 20. ut tempore *Bonifacii* VIII. & uſque ad *Sixtum* IV. nunquam aſcendit ad 30. & in *Concil. Conſtantienſi* cautum fuit, ne plus quam 24. cardinales viventes ſimul eſſent. *Alexander* VI. viventes 50. permiſit, & nullus eorum exceſſit numerum. *Leo* X. unâ vice creavit 31. & tunc aſcendit numerus ad 63. *Paulus* III. & IV. & *Pius* IV. ad 63. auxerunt; ſequens ad 70. tertius ad 76. Donec *Sixtus* V. ad 70. redigeret. Hæc hactenus ita ἱστορεῖ *Moſconius pag.* 125. Per quos autem novi tituli inſtituti, infrà dicetur. *Rodolph. Boterem Hiſtoricus Gallus* ad *ann.* 1598. edit. Lat. in 4. „ De hinc, inquit, cardinalium excrevit numerus, & ut „ Ethnicus ille, creverunt opes, & opum furioſa libido, creati 60. (puto „ ſcribendum 70.) qui totidem diſcipulos referrent, teſte & arbitro *Petro* „ *à Monte* in Monarchia conſiliorum, ſed fines illos mortalium ambitus e- „ greſſus eſt: quandoquidem *Zabarella* Doctor purpuratus dolet ſuo ævo „ 236. fuiſſe, qui Romano oſtro & murice coruſcarent; *Julius* II. & alii „ vitæ ſolutioris, impuberibus propudioſiſque hominibus, &c. contulit. *Paulo* ante conqueſtus erat, *ſummam illam dignitatem*, &c. *jampridem numero laboraſſe & voluiſſe; cum ſub Euariſto, vel ut aliis placet, ſub Anacleto, non plures quam quatuordecim inſtituti eſſent.* Ratio inſtituti & aucti cardinalatus ex mundo, non ex cœlo aut fide Chriſtianâ, uti à *Botereo* feliciter deducitur, ſic ab altero Hiſtorico Gallo ſatis celebri *Petro Matheo lib.* 7. *narrat.* 2. §. 1. „ acutè & falsè innuitur: *Unde* Eccleſia, quæ ſacra Salminæ „ Athenienſium triremis tantum vehendis rebus ſacris deſtinata videbatur, „ locupletata rebus ſæcularibus conſervandis proſpicere anxiè cogitat: eâ „ igitur de causâ (N. B.) neceſſe fuit conſilium Senatumque Pontificum „ creare & cooptare, qui è Presbyteris & Diaconis cardinalibus, & princi- „ palium Romæ locorum rectoribus conſtaret, &c.

II. *Adjuncta munera ſeu officia*, ſecundum quæ cardinales diſtinguuntur, ſunt Epiſcopatus, Presbyteratus, Diaconatus. Hinc cardinales diſtinguuntur, in Epiſcopos cardinales, Presbyteros Cardin., & Diaconos Cardin. Poſtremi generis cardinalatus Regum aut Principum filiis plerumque confertur: ut familiæ & regni, aut principatus ſtatu ita poſtulante, ex clericatu ad ſæculum & conjugium tantò expeditius à Papâ dimitti poſſint. Exemplum datum fuit in cardinali Alberto Auſtriaco, qui anno 1598. ductâ Philippi II. filiâ primogenitâ Belgii Hiſpanici principatum adeptus eſt. Sunt alioquin munera illa titularia & otioſa, ac tituli illuſorii: ut ſcil. aliquod antiquitatis nominale ſimulacrum oſtentare queant.

III. *Tituli Cardinalium*, deſumuntur à titulis Eccleſiarum in urbe, quibus antiquitus præerant, tanquam Presbyteri, aut Diaconi, e. gr. *Petri*, aut *Salvatoris*, aut *Mariæ* majoris, aut *Stephani* & *Laurentii*. Nam typho ſæ-

culi

Digitized by Google

culi & conformatione Eccleſiæ in externis cum politiâ Imperii Romani ingreſsâ, Epiſcopi Romani præcipuas urbis Eccleſias magnitudine & ſplendore eminentes, elegerunt, aut ipſi condiderunt, quas baſilicas & Eccleſias *Patriarchales* appellârunt, & inſignia palatia illis adjuncta, ſeu patriarchia, quod his verſiculis quis complexus eſt:

Paulus, Virgo, Petrus, Laurentius, atque Johannes,
Hi Patriarchatus nomen in urbe tenent.

Prima Eccleſia Patriarchalis nunc dicitur *Johannis*, olim dicta *Salvatoris*, & *Literanenſis* à loco, & *Conſtantiana* ab autore, & *aurea* ab ornamentis. Huic *Gregorius* XI. & ſequentes Pontifices aſſignârunt ſeptem Epiſcopos ex vicinis oppidis, qui ſucceſſivè per ſingulos dies hebdomadis pro Papâ (ipſo ſive præſente ſive abſente) illic ſacra peragerent, vel Pontifici perſonaliter celebranti aſſiſterent. Et hi ab eo tempore dicti fuerunt, Epiſcopi cardinales; ſuntque 1. *Epiſcopus Cardinalis Oſtienſis*, qui electum Pontificem conſecrat; & propterea ſolus inter omnes Epiſcopos pallio in ſolennitate conſecrationis utitur. 2. *Sylvæ Candidæ*, alias S. S. Virginum *Rufinæ & Secundæ*, alias S. Rufinę, quæ Eccleſia nunc unita *Caliſto H.* 3. *S. Hyppolyti*, alias *Portuenſis*. 4. *Sabinus*. 5. *Præneſtinus*. 6. *Tuſculanus*. 7. *Albanus*. Reliquis quatuor Eccleſiis Patriarchalibus aſſignati ſunt ſeptem Miniſtri, dicti *Presbyteri Cardinales*, qui faciunt numerum 28. His quinque præcipuis Eccleſiis poſtea duæ additæ ſunt, *Calliſti*, & *S. Crucis in Hieruſalem*; denique duæ alię, *Anaſtaſii* ad tres fontes, & *S. Mariæ Annuntiatæ*, & hæ Eccleſiæ hodie ſolenni cum devotione viſitari ſolent. Hæc ergo ratio & origo titulorum, quibus cardinales inſigniuntur; ſed revera titulariter & umbraicè; quia plerique eorum nihil minus quam ſacra, non dicam Chriſtiana, ſed ne quidem Romano-ſuperſtitioſa, aut in Eccleſiis illis Romæ, aut alibi peragunt: quippe conſiliis in gubernatione mundi Papæ ſuo unicè aſſiſtentes, cætera mundanis ſuis pompis ac delitiis intenti. Porro non negamus, parœcias ceſſante Gentilium perſecutione, Romæ auctas eſſe, eaſque certis nominibus aut titulis diſtinctas, deſumtis vel à Sancto, in cujus memoriam dedicatæ, vel ab iis hominibus, qui ipſos titulos condiderunt. *Prioris* exempla ſunt *S. Chryſogoni*, *S. Mariæ trans Tyberim*, *S. Marci*, &c. *Poſterioris*, *Calliſti*, *Julii*, *Damaſi*, *Paſtoris*, *Equitii*, *Panmachii*, *Eudoxiæ*, *Faſciolæ*, &c. Inde tamen cum *Onuphrio* ordinem cardinalium, ut nunc ſunt, aut eſſe debent ex formulâ Romanâ, non accerſimus. Quod enim ille in tract. de præcipuis urbis Romę baſilicis *cap.* 2. rem altius repetens ex 28. titulis antiquis cardinales exſculpit, tantundem facit, ac ſi ex verâ religione *Noachi* ejuſque filiorum Gentiliſmum qui poſteros invaſit, derivaret. Certum enim eſt creſcente Romani epiſcopi potentiâ, edolatos eſſe

eſſe cardinales, & paulatim plures titulos excogitatos, ad augendum numerum cardinalium, qui iſtis titulis inſigniendi eſſent. Primus qui novum titulum auxit (teſte *Moſconio pag.* 125.) fuit *Calliſtus* III. anno 1458. *de S. Calliſto.* Deinde *Sixtus* IV. anno 1478. addidit *S. Nicolai.* Tertius *S. Mathei Leo* X. anno 1517. qui idem reſtituit & alios decem titulos de novo, & ſic ſucceſſivè *Julius* III. *Paulus* IV. &c. De quibus vide autorem cit. & *Onuphrium* in libro Pontificum & cardinalium.

IV. Opus cardinalium etiam diſtinctionem facit. Quamvis enim dicantur omnes debere aſſiſtere Papæ, privatimque & conſiſtorialiter conſilia ſuggerere, tanquam veri cardines terrę: ſunt tamen alii reſidentes, alii non reſidentes; & inter non reſidentes, nonnulli qui Romam aut faciem Papæ nunquam viderunt; inter quos infans Hiſpaniæ, filius *Philippi* III. Sed talibus ſuccurrit panaceą *diſpenſationis.* Reſidentes omnes ad conſiſtorium ſemper non vocantur. Eſt enim conſiſtorium apertum aut ſecretum, teſte Cardinale Paleotto. Ad hoc aliquos ex reſidentibus vocat, quos ipſi viſum. Exemplum ejus habet *Cardinalis d'Oſſat* in *epiſt. lib.* 6. *p.* 129. ubi novemdecim iſtic nominati vocabantur.

In ſtatu Cardinalium conſiderandæ Cardinalium ipſorum virtutes, ad quarum titulos tum exempla ex Hiſtoriis, tum teſtimonia domeſtica Scriptorum notari poſſent. *Zegedinus in libro, cui tit. Speculum Pontificum pag.* 75.–90. talem facit indicem titulorum: 1. Lenones, ſcortatores, adulteri, incæſti, Sodomitæ. 2. Rabidi ac Tyranni. 3. Magi ſeu Incantatores. 4. Athei. 5. Bellatores ac carnifices. 6. Sacrilegi. 7. Proditores ſeu ſeditioſi. 8. Blaſphemi. 9. Parricidæ ac venefici. 10. Turcæ domeſtici. 11. Bibaciſſimi. 12. Simoniaci. 13. Monſtroſi. 14. Spurii ſeu nothi, 15. Illiterati. 16. Artiani. Nos aliis magis otioſis tale ſpeculum Cardinalium, conſtruendum relinquimus, ex Vitis Pontificum, & præcipuis Hiſtoricis, jam inde ab anno 1100. uſque ad *Stateram Cardinalium* hodie viventium, Gallicè *Balance des Cardinaux*; & ex propriis ipſorum epiſtolis, ubi animi penetralia & ſtudia ſua, quidquid ſimulare didicerint, nuda omnium oculis exponunt. Præteritis hodiernis Cardinalibus, qui ex lectione *Stateræ* innoteſcunt, has ſolummodo categorias conſtituemus. §. 7.

1. *Atheiſmi* ſeu Epicureiſmi. Huc applica, quæ in diſp. de Atheiſmo, de Papis & ipſorum curialibus notavimus. *Henricus Stephanus in tract. præparat. ad Apologiam Herodoti cap.* 25. refert Cardinalem quendam letaliter decumbentem, & monitum ut adoraret unum Deum, reſpondiſſe ſe hoc facturum, ſed eum eſſe ſolum Papam: quippe qui Deus eſſet in terris, & quidem viſibilis, &c. legatur ab eo, cui vacat, integra Hiſtoria. *Melchior Adamus in Vitâ Melanthonis* refert Cardinalem quendam improbaſſe aperte doctrinam de Reſurrectione mortuorum.

II. *Avaritiæ* tum in acquiſitione, tum in uſu bonorum: conſequenter rapacitatis, Simoniæ. Beneficium Cardinalatus quid aliud eſt quam σῶμα & collectivum ex plurimis beneficiis conflatum, cum acceſſoriis penſionum, adhæc aureæ venationis ac piſcationis per regna & regiones Europę; quandocunque titulus nuntii Apoſtolici, aut Legati à latere ipſis obtigit. *Henr. Stephanus lib. cit. cap.* 23. refert recentem tunc temporis (anno ſcil. 1566.) fuiſſe memoriam libelli edit, *tit. Harengua*, quo Dominicani aliqui magno alicui cardinali dicam ſcribunt, ablatæ ſibi coronę aureæ. *Quis immenſam* (ait Nic. Clemangis de corr. ſtatu eccl. cap. 10.) *& inextricabilem voraginem ipſorum verbis æquare valeat, nulla prorſus ad hoc verba ſufficiunt, nullum ingenium, nulla facundia. Quoniam de re iſtâ plene differere non noſtra facultatis eſt, pauca ſolum ſummatim attingam ex acervo grandiſſimo excerpta.* Et ſubjungit *c.* 11. 12. 13. 14. ubi varias eorum artes & pragmaticas Mercuriales an Mammonicas perſtringit. cap. 12. teſtatur, *nummularios ſupremæ tabulæ non incongruenter eos à quibuſdam vocatos fuiſſe.*

III. *Ambitionis*, faſtus, ſuperbiæ. De quâ *Nicol. Clemangis, in libr. de corrupto Eccleſiæ ſtatu cap.* 10. „Jam verò Cardinalium, qui Papæ aſſident, „Spiritus, verba tumentia, geſtus tam ſunt inſolentes, ut ſi artifex quiſque „vellet ſuperbiæ ſimulacrum effingere, nullâ congruentius ratione id facere „poſſet, quam Cardinalis effigiem oculis intuentium objectando. Cardinalis Perroni vanitatem & oſtentationem ex propriis Epiſtolis edit. in fol. in tranſitu notavi *lib.* 3. *Deſper. cauſa Papat. ſect.* 2. *cap.* 10. *pag.* 678. 679. Vanæ & ridiculæ magnificentiæ atque oſtentationis ſpecimen in Angliâ anno 1517. à cardinale Campegio datum hiſtorici temporum, deſcribunt: ex quibus, *Peccartus Narrat. ridicular. cap.* 3.

IV. *Fraudis*, doli, perfidiæ, ſimulationis, adulationis, &c. Exempla exhibet *Deſper. cauſa Papatus loc. cit. in Perrono*, aliiſque Cardinalibus. Breviter pleriſque eorum, niſi ex dolis, fraudibus, artibus falſi, toti conflati eſſent, utique Cardines terræ non eſſent, nec *Papa homo peccati & filius perditionis* (2 Theſſal. 2.) ſuper iis tanquam fratribus, Conſiliariis & Apoſtolis ſuis poneret orbem. Quid quod omnes ſe perjurii & perfidiæ myſtas eſſe apertè profitentur, cum in conclavi in articulos quoſdam ab electo Papâ ſervandos jurant, quos nemo eorum, jam Papa factus, unquam ſervare voluit, ut Pontificiam omnipotentiam vindicaret. Cardinalis *Juliani* perfidia, quantum rei Chriſtianæ detrimentum attulerit, nunquam obliviſcetur Hungaria: De quo *Bonifacius Rerum Hungaricar. decade lib.* 6. Sed Lector harum rerum curioſus epiſtolas Cardinalium percurrat, imprimis *Perroni*, quarum aliquas indico *lib.* 2. *Deſper. cauſ. Pap. ſect.* 2. *p.* 679.

V. *Gulæ*,

V. *Gulæ, & ebrietatis.* De deliciis eorum, tum ex αὐτοψία eorum, qui ſacram urbem frequentant, tum ex vitis *Leonis* x. *Pompei Columnæ*, & ſimilium heroum ſatis conſtat. Belgis noſtris monumentum ebrioſitatis Cardinalis *Andreæ*, cui ann. 1599. belli Belgici præfectura ab Alberto Auſtriaco commiſſa erat, fixum eſt in vulgari ipſius cognomine **Dronchen Andries**/ aut **Droncken Drieſken**. quo vulgò notabatur. Quod etiam triumphali & chronoſtico rhytmo Muſicis modulis aptato in memoriam occupati anno 1600. munimenti Andreani (**S. Andries-Schants**) à Cardinali Andreâ conditi, inſertum legitur: **O dronck' Andries/ W's Schants verlies / Dort Aelbert trueren. Al iſſe ſterck / 'Tis Papen werck/ 'Ten kan niet dueren.**

VI. *Luxus*; De eo Eſpenceus, *Petrique domus polluta fluente luxu.* Itineraria Italiæ, *titulo delitiarum* edita, ſatis produnt ipſorum pompam pluſquam regalem, palatia & opera pluſquam magnifica, &c. Memini me legiſſe aliquando in *Delitiis* in noſtram linguam tranſlatis, Cardinalis alicujus veſpertinam recreationem (Belgicè **een Avont-dronck**) 2000. aureorum conſtitiſſe. *Statera Cardinalium hodiernorum*, refert de ſtupendâ ſumma, quam celebri curtiſanæ Cardinalis *Franc. Barberinus* donarat. *Jovius lib.* 3. vitæ *Leonis* x. *pag.* 130. humiliores Cardinalium ſervos ſerico & purpurâ multoque auro in coronatione *Leonis* x. præfulgentes, ipſos Cardinales ſacris aureis & pictis veſtibus indutos, equiſque militaribus vectos introducit.

VII. *Luxuria. Nicolaus Clemangis lib. cit. cap.* 12. „Nec enumerare volo „eorum adulteria, ſtupra, fornicationes, quibus Romanam curiam nunc „inceſtant. Nec referre obſcœniſſimam ipſorum familiæ vitam, à dominorum tamen moribus, nullatenus abſonam. Conſilium delectorum Cardinalium *Paulo* III. datum habet quid de familiaribus Cardinalium Curtiſanas publicè per urbem vectas palam affectantium. Simile proculdubio innuere voluit, quum omnis effutire non auſus fuerit, *Eſpenceus Theol. Sorbonicus: Mater & Ænea regnat in urbe ſui. Hugo* Cardinalis habito concilio Lugdunenſi, inde diſcedens Lenoniam hanc vocem emiſit: *Lugdunenſes multum ſibi, & aulæ Papali debere. Nam cum eo veniſſent primùm, reperiſſe ſe tria aut quatuor lupanaria, nunc autem unum tantum reliquiſſe: ſed illud unum ab Occidentali portâ ad Orientalem durare.* Hæc ex *Matheo* Paris, Illyridus in *Catal. teſtium verit. lib.* 16. *pag.* 1604. *edit. in fol.*

VIII. *Seditionis, ſciſmatis, factionis, perduellionis, proditionis*, turbationis pacis publicæ, & ſimilium ſcelerum. Hic dici poſſet, quæ regio in terris noſtri non plena laboris. *Clemangis* cap. 12. *ruinam univerſalis Eccleſiæ ex dirâ ambitione horum proborum virorum profectam queritur.* Luſtrentur Hiſtorici,

ſtorici, vix ullus eſt, à quo purpureus latè qui ſplendeat unus & alter pannus operi non intertexatur: ut Cardinalis *Balve*, apud *Comineum libr.* 2. *in fine.* *Surdiſius* apud *Gramundum lib.* 2. de quo mox. In faſtis Belgicis perennat memoria Cardinalis *Anton. Perenoti.* De cujus ambitioſis artibus ac machinationibus compendio agitur in πολλικωτάτῳ libello cui tit. *Ruardi Apotheoſis*, Lat. & Belgicè Ruards Hemelvaert.

IX. *Injuſtitiæ, oppreſſionis, tyrannidis, crudelitatis.* Exemplum inſigne refert *Gramundus Parlamenti Tholoſani Præſes lib.* 2. *Hiſtor. pag.* 103. de Cardinale *Surdiſio*, qui armatis ſatellitibus ſtipatus Nobilem quem ad Furcam à Parlamento Burdegalenſi damnatum & jam jam ducendum, carcere effracto liberabat.

X. *Immunitatis & exemtionis*, à Legum & Magiſtratuum poteſtate. Vide quomodo & quibus rationibus pro eâ diſceptârint in Galliâ in caſu Cardinalis *Surdiſii*, apud *Gramondum Hiſtor. lib.* 2. ad annum 1616. pag. 104. *Laurentius Surius in Commentar.* ad annum 1566. pag. 646. ad perpetuam rei memoriam extollit reformationem *Pii* V. quâ edicebat, ne Cardinalibus de ære alieno delatis parceretur, ſed contra eos Judices liberè pronuntiarent, pignori, quoque ab eis auferrent, domus ipſorum diriperentur, donec creditoribus eſſet ſatisfactum. Occaſionem hujus mutationis paulo ante dixerat, *quod Cardinales ære alieno gravâtos nemo facile vel in jus vocare, aut contra illos ferre ſententiam, vel latam exequi auderet.* Hic tunc ſtatus Cardinalium; qui per *Pii* V. calidum illud decretum tam multum à priori mutatus fuit, ac curſus ſolis, qui currit recurrit orbitam. Multa de variorum Cardinalium creatione, vitâ, morte, hic addi poſſent, ex Nicol. *Clemanges, ex Hiſtoriis Guiccirdini, Sleidani, Thuani, Concilii Tridentini*, ex *Goodwini tract.* de *Epiſcopis Angliæ*, ex *Gulielmi Prynne tract.* Anglico de Epiſcoporum conſpirationibus, ex Memoriis ſtatus Galliæ ſub *Carolo* IX. tribus tom. Gallicè, & Hiſtoria Eccleſiaſtica, itidem tribus tom. Gallicè, ubi utramque paginam facit Cardinalis *Lotharingus.* Sed quia aliqua ſublegerunt ex noſtris Hiſtoricis Eccleſiaſticis *Pleſſeus, Joh. Lætus, Hottingerus*: ex Chronologis *Calviſius, & Paulus Merula*, nec non Martyrologia, &c. aliis hæc colligenda relinquo: contentus elogium hoc Imperatoris Friderici I. ex Naucleri generat. XXXIX. fol. 761. appingere: „Cardinalibus uti„que veſtris clauſæ ſunt Eccleſiæ, non patent civitates: quia non vi„demus eos prædicatores, ſed prædatores: non pacis corroboratores, „ſed pecuniæ raptores: non orbis reparatores, ſed auri inſatiabiles corra„ſores, &c.

§. 8. De Cardinalibus nunc ita deſcriptis, non multum diſceptandum eſt.

I. *Quæſt.*

Digitized by Google

I. *Quæſt. An munus eorum ſit juris divini , & conſequenter neceſſarium. Aſſirmantibus incumbit probatio* : Quam nullam adferunt. Nos ex abundanti eos ex Eccleſiâ exterminandos dicimus , non tantum tanquam non utiles , ſed etiam tanquam fidei & regno Chriſti apprime noxios , quippe Antichriſtianiſmi cardines. Quod inde patet, 1. *Quia* nulla eſt Papæ poteſtas temporalis in hujus mundi Reges, Principes, politias , populos , ſive Chriſtianos ſive extraneos : ergo nulli ſunt cardines , nulli conſiliarii præſumtę poteſtatis. 2. *Quia* Papæ nulla eſt monarchia ſpiritualis, ſupra omnes orbis Eccleſias , nullus primatus , nullus Pontificatus Oecumenicus. Ergo nulli Miniſtri , & Conſiliarii ejuſdem univerſales. Conſequentia probatur ex communi regula : Acceſſoria ſequuntur ſuum principale; & ſublata ſubſtantia , ſeu principali, tollitur acceſſorium. Sed objici poſſet.

1. *Object.* Ex *Tit.* 1. Antagoniſta noſter *Cornelius Janſenius* in Spongiâ ſuâ talem probationem innuere videtur; cum ſic loquitur. Exempla voca„tionum ſive Epiſcoporum, ſive Diaconorum , ſive Presbyterorum & pro„pagationes per *Paulum* & *Titum* nemo niſi imperitus ignorat. *Reſp.* Hâc ſcil. probatione ſatisfaciebat quæſtioni à me in terminis ſic propoſitę: „ Quæ miſſio, quę vocatio , quę ſucceſſio legitima ullius Pontificis, Cardi„nalis, Sacerdotis miſſifici ; cum ipſa forma vocationis , & ſucceſſio vo„catorum ſit illegitima,mala,& mera creatura humana.Probationem ejus à genere ad ſpeciem affirmatè procedentem refuto *lib.* 2. *Deſper. cauſa Papatus ſect.* 3. *cap.* 1.

„ II. *Object.* Etſi ex Scripturis nihil haberetur , ipſa praxis ab Apoſtolis „ inchoata, in poſteros propagata, & continuo uſu obſervata ſatis ſuperque „ nos inſtrueret. *Reſp.* Sic idem noſter Antagoniſta. Cui ibid. occurrimus *pag.* 150. Breviter ex propria affirmatione ſeu ex mera conjectura Cardinales probarunt : & tamen rurſum negant quod affirmârunt , ſibique contradicunt. Sic *Bellarminus lib.* 1. *de Clericis cap.* 16. defenſurus Cardinales contra *Calvin. lib.* 4. *inſtitut. cap.* 7. dicit omnia tria officia Cardinalium (Presbyterale ſcil. aut Epiſcopale, electionem Pontificis, & perpetuam aſſiſtentiam in regenda univerſa Eccleſia) *eſſe antiquiſſima, & ab ipſo tempore Apoſtolorum ; & tamen non eſſe æquè antiquum , ut ſoli Cardinales duobus officiis poſterioribus fungantur.* Quod ibidem deducit & probat. *Poſtea tamen mutatus eſt ordo , & cœpti ſunt Cardinales Epiſcopis anteponi* , &c. Et paulò poſt : *antea Cardinales neque ſoli , neque primarii conſiliarii Pontificis erant* , &c. & quidem *primis ſexcentis aut* 800. *annis* , &c. Quid eſt contradicere ſibi , ſi hoc non eſt ? Illud quod eſt ratio formalis Cardinalis, eumque ſpecificè à quovis alio Epiſcopo aut Presbytero diſtinguit, non eſt antiquum : & tamen Cardinalis eſt antiquus. Primis 600.

 aut

aut 800. annis in Conciliis Italię ab Epiſcopo Romano coactis, Epiſcopi erant primi & principales, non verò dicti Cardinales. (Sic *Bellarm. loc. cit.*): & tamen Cardinales erant Cardinales, hoc eſt, inter & ſupra omnes Epiſcopos, non tantum Italiæ, ſed & totius orbis, *principales, primarii*: hęc enim ſunt ſynonyma. Rurſum, Cardinalatus ordo antiquus eſt, & habuit perpetuam ſucceſſionem jam inde ab Apoſtolis: Et tamen, *Poſtea mutatus eſt ordo, & cœpti ſunt Cardinales Epiſcopis anteponi, & Epiſcopatus gradus eſſe ad Cardinalatum.* Conciliet hæc, qui poteſt. Ut abſolvam, definiant mihi Cardinalem, ne diſputatio ſit logomachia; & unico textu Scripturę inſtitutionem divinam, aut unico decreto antiqui Concilii ordinem humanum antiquum probent. Quod cum hactenus non fecerint, quin contra novitatem poſterius introductam *Onuphrius*, & *Bellarminus ex tomis Concilior.* (ubi plura habentur Romana ſeu Lateranenſia) ab anno 300. uſque 800. probaverint; merito inter novitates Papatus poſthac numerabimus.

III. *Object.* Cum creſcerent *negotia Eccleſiæ, præſertim cum accederet principatus temporalis, tempore Pipini & Caroli Magni*, &c. *uſu docente & neceſſitate cogente his poſtremis annis ſexcentis vel ſeptingentis cæperunt paulatim omitti concilia Epiſcopalia, & res tota redigi ad Senatum Cardinalium*, &c. Sic *Bellarmin. cap. cit.* ſub finem? *Reſp.* Hic exſertè probatur novitas & mutatio ex neceſſitate introducta. Quod ſi dicas illam mutationem fuiſſe in accidentali aliquo, non in ſubſtantia rei: repono, hoc falſiſſimum eſſe, uti conſtat ex definitione Cardinalis, quę eſſentiam ejus explicat, & à quovis Preſbytero, aut Diacono, aut Epiſcopo per differentiam ſpecificam diſtinguit.

Inſtant. Saltem Pontifex Conſiliarios, & Senatum habere poteſt, qui ipſi aſſiſtant in regimine temporali. *Reſp.* Si regimen totius mundi aut Eccleſiæ univerſalis intelligas, *Neg.* Sin Romanæ ſeu patrimonii Petri. Nos in hac quæſtione neutrales ſumus: quandoquidem propriè ſpectat Regem & imperium Romanum, nec non Proceres, Magiſtratus, & populos in illo principatu Italiæ. Sed hoc dato, non erunt re & definitione Cardinales; ſed tantum nomine & adjuncto abuſivo titulo Eccleſiaſtico, qui deſumtus eſt à miniſterio Epiſcopi, aut Presbyteri, aut Diaconi, hujus aut illius Eccleſię; quod tamen nunquam obeunt aut obire cogitant.

IV. *Object.* Poſſet tamen jure humano, aut per συγκατάβασιν quam, ſive melioris ordinis, ſive pacis cauſa, ordo Cardinalium retineri; ſi modo reformationem amplecti vellent. *Reſp. Neg.* Quia caput univerſale Eccleſiaſticum nullum ordine humano retineri aut conſtitui debet: ergo nec ejus Conſiliarii, ſeu Senatus univerſalis. Si enim Cardinales abrogandos tanquam ſupervacaneos olim aſſertum fuit à *Petro de Aliaco* in articulis reformationis

nomine

nomine *Sigiſmundi* Imperatoris Concilio Conſtantienſi propoſitis: multò magis nunc illud tenendum, poſtquam ſiti addiderunt ebrietatem. Prudentia carnalis, & conſilia humana in rebus divinis, ſemper poſt ſe trahunt maledictionem.

v. *Object.* Si ita excludendos & abrogandos ſtatuis Cardinales, ut nec ipſis in foro conſcientiæ titulo & munere, & vi tituli ac muneris beneficiis ſeu reditibus Cardinalitiis gaudere liceat; nec Eccleſia ordinem illum agnoſcere & retinere debeat: jam injuria fit non tantum illuſtriſſimis illis aut eminentiſſimis, &c. (uti vocantur) ſed & ipſi Imperatori, Regibus, Principibus, qui eorum conſilio atque operâ in togâ aut ſago, haud rarò uti, eoſque ſummis in Politiâ præfecturis ornare conſuerunt. Conſequenter rebellionis, perturbatæ pacis publicæ, læſæ Majeſtatis, &c. crimina incurrunt illi, qui ita diſputant contra ſtatum Cardinalium. *Reſp.* Theologi Reformàti & Proteſtantes in Germania, Gallia, Polonia, &c. diſtinxerunt hactenus inter poteſtatem & dignitatem temporalem; & inter Papiſticum Epiſcopatum, Archiepiſcopatum, Cardinalatum, Abbatiatum, Prioratum, Monachatum, Præpoſituram, Archidiaconatum, &c. quamvis in una perſona per accidens conjuncta ſint: nec hoc rerum ſtatu ſeparentur. *Illud* agnoſcunt tanquam *κτίσιν* humanam, & ordinem Politicum, eique ſe ſubjiciunt, juxta 1 *Petr.* 2. *v.* 13. 14. *Iſtud* nihilominus improbant tanquam Papiſticum, Antichriſtianum, illudque nemini in conſcientia licitum docent. Sub hac diſtinctione à criminibus illis hodie immunes ſunt & habentur tanquam boni cives, in regnis & politiis illis, quamvis ſub regibus & principibus Romanæ eccleſiæ inſertis. Similiter Chriſtiani agnoverunt Romanos Imperatores Gentiles, & Muhammedicos; quorum tamen adjunctum Pontificatum aut *Caliphatum*, tanquam in conſcientia coram Deo licitum, nunquam probarunt. Quod ſi quis hanc diſtinctionem, fortè & alteram inter forum poli & ſoli, repudiet, & his ſimilibuſque in caſibus, loco rationum crimina majeſtatis intonet, ut principes & Magiſtratus in reformatos Theologos rectè ſentientes concitet, atque hac ratione omnis poteſtas, & libertas veritatem profitendi ac caſus conſcientiæ determinandi adimatur: iis nos ſaniorem mentem precamur. Quæſtiones de Cardinalibus in ipſo Papatu agitatas, ſtudio nunc præterimus. Quærat eas, cui hoc tanti eſt, apud *Bellarminum de Clericis lib.* 1. *cap.* 16. *Azorium* in theologiâ morali, *Zecchium* & *Moſconium libris cit.* Canoniſtas recentiores. Si quis auream legendam Cardinalium colligere cupiat, is præter autores à nobis hactenus indicatos percurrat ſequiorum ſæculorum hiſtorias tum politicas tum eccleſiaſticas uſque ad *Concil. Tridentinum*, cum hiſtoriâ *Concil. Tridentini*, *Sleidani*, *Thuani*, *Hottingeri*, *Illyrici* catalogo, *Pleſſei* Myſterio.

Quod

Quod compendio fieri poteſt, inſpectione indicum in vocibus *Cardinalis*, *curia Romana*, *conſiſtorium*, *conclave*, *Legati Pontificis*, &c. Cum epiſtolis Cardinalium, Bembi, Perroni, Bentivoglii. Et Statera Cardinalium Ital. Gall. Belg. ſupra cit. Quod ſi cui liceret, ad imitationem libelli Joh. Pierii Valeriani *de infelicitate literatorum*, infelicitatem aut ſpeculum infelicium Cardinalium adornare, heroibus illis permixtos videremus Bethunum in Scotiâ, Wolſeium in Angliâ, Lotharingum in Galliâ, &c.

CAP. III.

De Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Decanis.

ECcleſiaſtici ſeu clerici gubernantes enumerantur à *Poſſevino lib.* 3. *Bibliotheca ſelecta cap.* 20. *Pontifex Maximus*, *Cardinalis*, *Primas*, *Archiepiſcopus*, *Epiſcopus*, *Decanus*, (qui ſunt primi ordinis): *Præpoſitus*, *Archidiaconus*, *Archipresbyter*, *Vicarius*, *Conſiliarius*: qui ſecundi ordinis.

§. 1. Ut à poſtremo primi ordinis Gubernantium incipiamus, Decani ſunt, qui primi & quaſi præſides ſunt in aliquo collegio. Sunt autem ii vel collegii Cardinalium (de quibus Bulla 5. *Pauli* 4. a. 1555.): vel facultatis theologicæ in Academia; vel facultatis decretorum ſeu juris canonici. De Decanis capitulorum infra agitur: ubi de canonicis. Addo ego Decanos Chriſtianitatis (uti appellantur) in pago aut civitate N. N. qui ſunt primi & præfecti aliquot vicinorum parochorum, in aliquâ diœceſi e. gr. Diœceſis ſeu Epiſcopatus Sylvæ-Ducenſis diſtribuebatur in decem, ni fallor, decanias, & quælibet decania denominabatur à pago aut oppido, ubi decanus parochum agebat. Decanorum cujuſque collegii, generale officium eſt, convocare collegas ſeu confratres, & proponenda proponere. Decani in capitulo ſpecialia officia, eorumque poteſtatem & dignitatem, infra *tract.* 2., ubi de canonicis, referemus. Totum ejus munus, authoritatem, poteſtatem pendere ex more & conſuetudine, nunc ex ipſis Pontificiis fatetur *Phil. Rovenius* Archiepiſcopus Philippenſis (titularis ſcil. ſeu nominalis) *lib.* 1. *Reipubl. Chriſtiana cap.* 18. ubi addit, nullum in Jure canonico inveniri *titulum de Officio Decani.*

§. 2. De Patriarchis ſub V. T. ita dictis, ſupra actum fuit, *lib.* 2. *tract.* 2. *cap.* 1. Hic dicendum de Patriarchis ſtylo Romano ita appellatis. Dicuntur ergo Patres & Patriarchæ.

1. Ordinis alicujus monaſtici primi authores & fundatores; ſic e. gr. *Franciſcus*, dux normaque Minorum, ratione illorum dicitur Patriarcha

Barthol.

Digitized by Google

Barthol. Miranda in Manuali Prælatorum tom. 1. pag. 65. dicit *Franciſcum* ſupra Generalem & Provincialem ordinis ſui Patriarcham & primatem fuiſſe.

11. Joſephus maritus B. Virginis θεοτόκου, nunc in Papatu ſalutatur *Patriarcha.* Et fraternitatibus in honorem ejus & *Virginis Mariæ* inſtitutis & precum formulis colitur: uti conſtat ex libellis editis. Cultum illum ignoravit antiquitas, nec ita exercuit novitas Papatus, uti hoc currente ſæculo cœpit. Promovit non parum hunc cultum, *Iſidori Iſolani liber de donis S. Joſeph* 1520. Et *Tabulæ eminentium qualitatum S. Joſephi* Gallicè in 8. dedicatæ ſanctiſſ. Virgini Mariæ; autore *Carolo* de S. *Paulo* Abbate & Superiori Generali des *Feuillans*, Pariſ. 1629. Ubi in præfat. ad lectorem, & Tab. 1. tanquam fundamentum excellentium qualitatum ſternit *trinitatem creatam* ſeu *terreſtrem*; quæ referat trinitatem increatam: in quâ creatâ Trinitate, *Maria* ſit prima perſona portans imaginem Patris: *Jeſus* ſecunda perſona portans imaginem filii: *Joſeph* tertia perſona, portans imaginem Spiritus ſancti. Has Trinitatis creatæ perſonas dicit eſſe unitas quinque diverſis unionibus 1. unione converſionis. 2. unione adhæſionis. 3. unione præſentiæ. 4. unione cognitionis. 5. unione amoris. Miſſis fabulis, fictionibus, & vanis atque ineptis ſpeculationibus, per totum librum, exhibeo hic ſolummodo ex tabulâ 5. *pag* 401. ſequentia verba, ut videat lector quomodo Joſephum idolizent, & cultum illi deferant.

„ *Jeſus*, ait, eſt la ſource ineſpuiſable & eternelle de toutes les benedi-
„ ctions du Ciel: Joſeph & Marie ſont les deux canaulx per leſquels il fait
„ decouler les eaux de ſes graces ſur nous. Jeſus à dit dans S. Jean qu'il eſtoit
„ la porte du Ciel, & que perſonne ne pouvoit avoir entrée à ſon Pere
„ que par lui, c'eſt à dire, par ſes merites. Or comme la ſacrée Vierge eſt la
„ portiere, ainſi S. Ioſeph eſt le portier de cette porte; c'eſt de lui dont la
„ ſageſſe eternelle parle dans les Proverbes, quand elle dit qu'il veille conti-
„ nuellement à ſa porte pour la garder, & en effet chacun ſçait qu'elle lui
„ avoit eſté donnée en garde pendant qu'il a eſté ſur lá terre. O pecheurs
„ qui eſtés bannis du ciel! approchez vous avec confiance de ce portier,
„ & il vous y donnera entrée; venez à lui ô malades, & il vous fera parler
„ au vrai medecin de nos ames? venez à lui ô orphelins, & il vous mettra
„ ſouz la protection de noſtre Pere qui eſt aux cieux; venez à lui ô eſprits
„ aveuglez, & il vous fera approcher de la lumiere; venez ô ames affligées,
„ & il vous introduira à la ſource des vrayes conſolations; que les pauvres
„ s'approchent de lui, & il les fera arriver à la poſſeſſion du ſouverain bien;
„ Bref que les captifs ayent confiance en ſon ſecours, & il les fera entrer
„ en la liberté eternelle des enfans de Dieu.

Καινοφωνίαν de Trinitate increata & Trinitate creatâ, defendit exemplis *Bernardi* & *Joh. Gerſon*: qui ita locuti ſint.

111. Patriarchas vocant & ſacrorum & eccleſiarum præfectos, ſupra epiſcopos: qui cum patres appellarentur, hi patres patrum, ſeu principes patrum appellati ſunt: voce hâc ex ſcripturas mutuatâ ubi ראשי אבות *raſche abot*, Gr. πατεράρχαι, quibuſdam ſub V. T. tribuitur. De quibus Patriarchis ſupra *lib.2. tr.2. cap.1.* ubi *pag.341.* etiam de Joſepho Pontificiis catachreſticè & abſurdè nunc dicto Patriarchâ.

Patriarchæ in Hierarchiâ Romanâ (de quibus ſupra *part.1. lib.1. c.6.*) ſunt vel Oecumenici vel particulares, qui & primates dicuntur. Oecumenicus nullus alius nunc reſtat, quam Romanus: reliqui enim ſunt extra eccleſiam & hierarchiam Romanam, Conſtantinopolitanus ſcil., Alexandrinus, Antiochenus, Hieroſolymitanus. Ut tamen ſimulacro eccleſiæ & hierarchiæ antiquę totius orbis (hoc eſt, Imperii Romani) hominibus illudatur, titulares creantur Patriarchæ, *Conſtantinopol. Alexand. Antioch. Hieroſolymit.*; ſicuti & titulares Epiſcopi, Philippenſis, Epheſinus, &c. Originem poteſtatis & ſedis Patriarchalis ad *Concilii Niceni can.6.* & *7.* referre poſſumus. Cum ante illud Concilium duo eſſent epiſcoporum ordines, epiſcopi civitatum, & Metropolitani provinciarum (qui etiam Archiepiſcopi dicuntur); ſtabilitus tunc fuit tertius ordo, diœceſiων, qui dicti ſunt, *Exarchi*, (*Concil. Chalcedon. can.17. coll.* Actis Concil. Antiocheni 2.); & Patriarchæ, κατ᾽ ἐξοχὴν; cum antea omnes metropolitæ ſeu Archiepiſcopi, dicerentur Patriarchæ: Nominis hujus impoſitio, & gradus ac poteſtatis Patriarchalis inſtitutio, an ab humanâ prudentiâ, ad modulum & exemplar ſæcularis politiæ in Imperio Romano, regimen eccleſiaſticum formare ſatagente, rectè facta ſint, multis hic diſceptandum non eſt: quandoquidem eventus docuit, quomodo tandem ad primum Patriarcham, immo ad primatem ſupra patriarchas & epiſcopos omnes, hâc viâ ambitio contenderit: uti notatum à *Calvino lib.4. Inſtit. cap.7.* & *Martyre locor. claſſ.3. c.3. §.4.*

Baronius in Annalibus de nomine Patriarcharum, deque eorum inſtitutione, poteſtate, ſubjectione ad Dominum Papam more ſolito, ἱστορεῖ. Vide ad ann. 39. §.5.6. & 112. §.3. & 325. §.34.

Nonnulla de antiquis illis patriarchis occurrunt in hiſtoriâ *Concil. Trid. lib.3.* & plura apud *Joh. Seldenum* in annotationibus ad particulam annalium Eutychii patriarchæ Alexandrini, origines eccleſiæ Alexandrinę continentem, Arab. Lat. ab ipſo editam, in 4. Aliqua etiam in Jureconſultis ad *Novellam 123. cap.8.* & *9.* & ad *L.7. C. de ſummâ Trinit.* & ad *L.16. C. de ſacroſ.* eccleſiis: *Et in Canoniſtis ad cap.3.* Extrav. de *Electione* & *cap.23.* Extrav. de privileg. & exceſſibus. De patriarcharum Orientalium ſucceſſione,

ſione, electione, inthronizatione, geſtis, ſcriptis, reſponſis, miniſtris, ſeu adjutoribus, jam inde ab Orientalis eccleſiæ diviſione ab Occidentali, uſque in diem hodiernum, cognoſces ex Hiſtoriâ Eccleſiaſtica, & hiſtoricis Græcis aliiſque Orientalibus, quales Pſellus, Cedrenus, Glycas, Nicephorus philoſophus, Zonaras, &c. Et ex Jure Orientali Græcorum. Ex recentioribus, *Martino Cruſio* in Turco-Græcia, Brerewodo in Scrutinio religionum; Hottingero in Compendio theatri Orientalis, & topographiâ eccleſiaſticâ; Geſlino in ſanctâ topographiâ. Præter quinque hos patriarchas in orbe ſeu Imperio Romano, memorandi ſunt patriarcha Abaſſinorum, ipſorum dialecto dictus *Abouna*, id eſt, *Pater Noſter*; & Patriarcha Ruſſiæ ſeu Muſcovię: quorum ille antehac patriarchæ Alexandrino ſubjectus & ab illo conſtitutus fuit; nunc ab Imperatore Abaſſino eligitur: *Iſte* antehac patriarchę Conſtantinopolitano ſubjectus, & ab illo conſtitutus fuit; nunc abſque reſpectu ad ſedem patriarchalem Conſtantinopol. à magno Ruſſiæ Imperatore ex monachis Ruſſis eligitur. Sed miſſis Orientalibus, ad Hierarchiam Romanam revertamur.

Patriarchæ particulares, qui & primates dicuntur, ſuperiores & præfecti Archiepiſcopis. Debent autem ad minimum tres Archiepiſcopos ſibi ſubjectos habere. *Zecchius de Republ. eccleſiaſt. tit. de ſtatu Reverendiſſ. Patriarcharum pag.* 80. de his ſic loquitur: „Sex, inquit, præterea patriar„chæ exſtant ex privilegio vel conſuetudine, ſcil. Aquilejenſis, Grudenſis, „Bituricenſis, Cantuarienſis, Toletanus, Piſanus; quorum duo tantum „nomen patriarchæ retinuere, ſcil. Aquilejenſis, & Gradenſis, qui eſt pa„triarcha Venetiarum, &c. Hi patriarchæ prępoſiti ſunt maximis impe„riis & regnis, aliis Epiſcopis & Archiepiſcopis in illis regionibus conſtitutis „præpoſiti, ad quos ſumma graviorum negotiorum religionis defertur, &c. „ *Et paulo poſt*: Sunt minores Cardinalibus, & Archiepiſcoporum or„dinarii, & hi ipſorum ſuffraganei.

Hic merito dubitatur, an Zecchius omnes patriarchas ſeu primates enumeraverit. In omni gente, aut in regno, aut in regione, ſupra Archiepiſcopos primas eſt; ut in Hybernia Armachanus, in Germaniâ Magdeburgenſis, in Dalmatiâ Spalatenſis: Marcus Antonius de Dominis tranſiens ex Papatu ad reformatos ſcribebat ſe Archiepiſcopum Spalatenſem, primatem Dalmatiæ & Croatiæ. Dalmatia eſt regio Illyrici, hujus regionis primas eſt Archiepiſcopus Spalatenſis. Carnia regio eſt Illyrici, habens ſex civitates, in hac regione eſt civitas dicta Gradus *Grado*, quam aliquamdiu incoluerunt patriarchæ Aquilejenſes: Illis autem melioribus temporibus Aquilejam reverſis, Gradenſes peculiarem ſibi aſciverunt patriarcham, cujus ſedes Venetias tranſlata eſt, ita ut nunc non ſit nec dicatur amplius pa-

triarcha Gradenſis, ſed patriarcha Venetus. Aquileia regionis Carnorum metropolis eſt, quondam primaria urbs Italiæ, ſed quæ excila ab Hunnis ſub rege Attila, poſt jacuit, & hodie à paucis habitata, cujus Archiepiſcopus, Utini (quæ urbs Carnorum primaria ſub Venetis) reſidet. Hermolaus Barbarus tam ſacrarum literarum & rerum eccleſiaſticarum imperitus, ac literarum ſæcularium peritus, Aquilejenſem patriarchatum Romę cum Reipubl. Venetæ oratorem ageret, inconſulto ſenatu cum ſuſcepiſſet, „ exul factus eſt, & de poſſeſſione ejectus, vitam inopem aliquandiu traxit, „ Alexandri Pontificis ſummi ſportulâ quodammodo ſuſtentatus, pau„ cis verò pôſt menſibus peſtilentiâ contactus, deſertus ab omnibus, „ infeliciſſimo mortis genere oppreſſus eſt: quique laudatione, & elo„ quentiâ ſuâ innumeros ætatis ſuæ homines illuſtraverat, & funere, & ho„ nore ſepulchri ita defraudatus eſt, ut ubi ſepultus, quove hominis ca„ daver conjectum fuerit, ignoretur. Ita refert *Joh. Pierius Valerianus lib.* 1. de infelicitate literatorum pag. 13. edit. Amſterdam. 1647.

In Daniâ antehac Lundenſis Archiepiſcopus erat & dicebatur Sueciæ primas: uti habet Provinciale Eccleſiarum cum Bacchinonenſis practicâ Cancellariæ Apoſtolicæ anno 1503. Romæ editum, apud Johannem Beſickem, in 4.

IV. Patriarchæ dicuntur, ſaltem dici debent, Rectores quinque eccleſiarum in urbe Româ, quas Patriarchales vocant. Eas Provinciale omnium Eccleſiarum modo cit. ſic enumerat.

„ In civitate Romana ſunt quinque eccleſiæ patriarchales & ſunt hæ.

„ In primis eccleſia ſancti Johannis Lateranenſis quæ conſuevit habere „ priorem ordinis ſancti Auguſtini modo decanum.

„ Item eccleſia ſancti Petri quæ habet Archipresbyterum qui debet eſſe „ Cardinalis.

„ Item eccleſia ſeu monaſterium ſancti Pauli extra muros urbis, quod ha„ bet Abbatem ordinis ſancti Benedicti.

„ Item eccleſia ſanctæ Marię Majoris quæ habet Archipresbyterum qui „ debet eſſe cardinalis.

„ Item eccleſia ſeu monaſterium ſancti Laurentii extra muros quod ha„ bet Abbatem ordinis ſancti Benedicti. Quibus eccleſiis ſunt dominus „ Papa & ſex epiſcopi cardinales infraſcripti, videlicet.

„ In primis dominus Papa.

„ Epiſcopus Oſtienſis & Velletenſis.

„ Epiſcopus Albanenſis.

„ Epiſcopus Portuenſis & ſancte Rufine.

„ Epiſcopus Sabinenſis.

Epi-

Digitized by Google

„ Epiſcopus Tuſculanus.
„ Epiſcopus Preneſtinus.
„ Singulis autem urbis eccleſiis aſſignati ſunt presbyteri & diaconi Cardinales infra ſcripti & ſunt numero viginti ſeptem. Et in omnibus ponitur tituli Presbyter cardinalis, præterquam in baſilica duodecim Apoſtolorum: & poſtea diaconorum qui ſunt XIX.
„ In primis de eccleſiis presbyterorum Cardinalium.
„ Tituli ſancte crucis in Hieruſalem presbyter cardinalis.
„ Tituli ſanctorum Marcellini & Petri presbyter cardinalis.
„ Tituli ſanctorum quatuor Coronatorum presbyter cardinalis.
„ Tituli ſanctorum Johannis & Pauli presbyter cardinalis.
„ Tituli ſancte Anaſtaſie presbyter cardinalis.
„ Tituli ſancte Sabine presbyter cardinalis.
„ Tituli ſancti Stephani in celiomonte presbyter cardinalis.
„ Tituli ſancti Clementis presbyter cardinalis.
„ Tituli ſanctorum Nerei & Achilei presbyter cardinalis.
„ Tituli ſancte Suſanne presbyter cardinalis.
„ Tituli ſancte Potentiane presbyter cardinalis.
„ Tituli ſancti Sixti preſbyter cardinalis.
„ Tituli ſancte Eudoxie presbyter cardinalis.
„ Tituli ſancti Petri ad vincula presbyter cardinalis.
„ Tituli ſancti Martini in montibus presbyter cardinalis.
„ Tituli ſancti Euſebii presbyter cardinalis.
„ Tituli ſancte Priſce preſbyter cardinalis.
„ Tituli ſancti Vitalis preſbyter cardinalis.
„ Tituli ſancti Ciriaci in thermis preſbyter cardinalis.
„ Tituli ſancti Marci preſbyter cardinalis.
„ Tituli ſancti Marcelli presbyter cardinalis.
„ Tituli ſancti Laurentii in lucina presbyter cardinalis.
„ Baſilice XII. Apoſtolorum presbyter cardinalis.
„ Tituli ſc. Laurentii in damaſo presbyter cardinalis.
„ Tituli ſancte Balbine presbyter cardinalis.
„ Tituli ſancte Cicilie presbyter cardinalis.
„ Tituli ſancti Briſogoni presbyter cardinalis.
„ Tituli ſancte Praxedis presbyter cardinalis.
„ Tituli ſancte Marie in tranſtiberim presbyter cardinalis.
„ De eccleſiis diaconorum cardinalium quę ſunt octodecim in numero.
„ Sancte Lucie in ſeptem ſoliis.
„ Sanctæ Marie in Aquiro.

„ Sanĉti Theodori.
„ Sanĉte Marie in Coſmedin.
„ Sanĉtorum Coſme & Damiani.
„ Sanĉte Marie nove.
„ Sanĉti Adriani.
„ Sanĉte Marie in via lata.
„ Sanĉte Marie in porticu.
„ Sanĉti Angeli.
„ Sanĉti Nicolai carcere tulliano.
„ Sanĉte Marie in dominica.
„ Sanĉti Euſtachii.
„ Sanĉtæ Lucie in Cilice.
„ Sanĉte Lucie inter imagines.
„ Sanĉti Viti in Marcello.
„ Sanĉte Agathe.
„ Sanĉtorum Sergi & Bacchi.
„ Qui hodie per conſtitutionem Pauli 11. eſt presbyter cardinalis.
„ Sanĉti Georgii ad velum aureum.

Talis tunc ſub Alexandro 6. erat ſtatus Cardinalium presbyterorum, & titulorum. Poſt illud tempus non parva mutatio facta fuit: imprimis per auĉtionem ſeu acceſſionem. Vide ſupra cap. 2. de Cardinalibus. Sunt etiam primates regularium, ut in Germaniâ primas inter Abbates, eſt *Fuldenſis*.

Archiepiſcopi ſunt eccleſiaſtici, qui ſuprą epiſcopos eveĉti, dicuntur Archiepiſcopi, ſeu metropolitæ; quis omnes ſupra epiſcopos eccleſias gubernant. Dicuntur & Metropolitæ, quia in metropoli ſedes eorum conſtituitur, & epiſcopis in regione iſtius metropolis præficiuntur.

Tales autem in hierarchiâ Papali, numerabantur novem & oĉtuaginta, anno 1535. *in Oceano juris* (quem minorem appellant) *vol.* 6. *fol.* 86. *& ſeqq.* editionis Lugdunenſis. Orientales Archiepiſcopos, quos ibidem recenſent, hic prætereo, quia Papales epiſcopi non inſident ſedes illas, ſed Anti-Papales Græci, Armeni, Iberi, Syri, &c. Poſt illud tempus, aliquot ſedes Archiepiſcopales in Europâ, Papatui ademtę fuerunt; non paucę etiam de novo inſtitutę, partim in Europâ, partim in Americâ ſeu novo orbe. In Occidente Archiepiſcopatus conſtituti ſunt, ut Ultrajeĉtinus à Papâ *Paulo* 3. Mechlinienſis ab eodem, & plures alii in recentioribus editionibus praĉticæ cancellariæ Apoſtolicæ notati. Auĉtus eſt etiam Papatus Romanus Archiepiſcopatu Leopolenſi, & Polocenſi, cum anno 1596. & 1628. Archiepiſcopi iſtarum ſedium cum Epiſcopis quibuſdam Ruſſis & Lithuanis

nis deſertâ communione Eccleſiæ Greçcæ tranſirent ad communionem Romanam, ſeu mavis unionem cum eccleſiâ Romano-Papali amplecterentur. De quo vide hiſtoriam *eccleſiarum Slavonicarum* anno 1652. Ultrajecti editam *lib.* 4. *c.* 2. Et *Baronii append. ad tom.* 7. *annal.* In novi orbis partibus ab Hiſpano ſubactis conſtituti ſunt aliqui archiepiſcopatus, *Mexicanus*, in novâ Hiſpaniâ, *S. Dominicanus* in *Hiſpaniolâ*, &c.

Archiepiſcopus præeſt epiſcopis provinciæ aut regionis, aut diſtrictus iſtius, in cujus metropoli aut urbe primaria ſedes Archiepiſcopalis: Exceptis tamen epiſcopis exemtis, quales non pauci, qui in provinciali ſeu in practicâ cancellariæ Apoſtolicæ, & in Oceano juris (minori) loco ſupra cit. notantur. Hinc eſt, quod in locis exemtorum epiſcoporum poſſit populo ſolenniter benedicere, divina officia privatim vel publicè audire, mitrâ, pallio, aliiſque inſignibus indutus celebrare & jubere alium ſe præſente celebrare; non tamen juriſdictionem exercere: ſic Canoniſtæ, apud *Zecchium.* Uti etiam in diœceſi ſuorum ſuffraganeorum cauſas illis ſubditorum cognoſcere poteſt: Canoniſtæ, ad c. *paſtoralis*, *de Offic. Jud. Ordin.* Peculiare ejus inſigne eſt *pallium*, quod à Pontifice illi traditur, ſumtum de altari B. *Petri*, ubi benedicitur, & conſecratur. In receptione pallii debet accipi documentum publicum ejus receptionis: abſque hoc non poteſt fructus beneficii Archiepiſcopalis percipere, nec actus ejus exercere. Videatur de modo conferendi pallium, *Romanum* Pontificale. Et de *autoritate ac uſu pallii*, atque adeo poteſtate officio, & dignitate Archiepiſcopi Zecchius, & Iſidorus; imprimis & *Azorius part.* 2. *lib.* 3. *cap.* 3.4 *Tholoſanus lib.* 15. *ſyntagm. Juris cap.* 11. & 30. *c.* 6. Et de dignitate ac præcedentiâ *Chaſſaneus in catalogo gloriæ mundi part.* 4. Quas ingentes nummorum ſummas, quibus pallium Archiepiſcopale à Papâ mercantur, aut quas pro ejus collatione pendere coguntur, optimè nôrunt Archiepiſcopi, eorumque familiares, quippe ſcientiâ experimentali; Quod idem de theſaurariis Papæ, aliiſque primariis ejus miniſtris affirmari poteſt. Pallii hujus virtutem ſic deprædicat *Johannes* 9. (Nunc in Papatu numeratur 8.) in epiſt. ad *Wilibertum* epiſc. Colonienſem. „Tantæ, inquit, eſt virtutis, ut poſtquam collatum fuerit, cui „confertur, omnes de retroactis exceſſibus calumnias adimat, non quod „crimina purget, ſed quod tanta debeat eſſe circumſpectio ferentis, ut non „niſi his carenti tantum munus conferre pateretur. Unde imperfectus eſt „cui tantum donum aufertur, nec poteſt eſſe firmus ſive perfectus qui hu„jus ſacri non fuerit adjumenti collatione firmus & integer. *Coccius in Theſauro cathol. lib.* 7. *art.* 19. *Azorius lib. cit. cap.* 34. probaturus pallii hujus catholiciſmum, virtutem, & originem antiquiſſimam, ex *Gregorii M.* epiſtolas citat *lib. ep.* 30. & 39. *lib.* 6. *ep.* 23, &c. Sed celeberrimus autor Myſterii ini-

iniquitatis, ad ann. 590. ubi de *Gregorio M.*, oſtendit non eſſe epiſtolas illas iſtius temporis, à quocunque tandem fabricatæ, aut epiſtolis Gregorii inſertæ ſint. De ſimilibus Romanæ curiæ & Pontificis expilationibus, olim querelarum plena erant omnia: Quarum complures collegit *Illyricus in catalogo*, & *Mornaus Pleſſiacus in Myſterio.* Addenda eſt querela à *Duareno* poſt formatam ac ſtabilitam reformationem anno 1550. effuſa *lib. 1. de ſacris miniſterii, & beneficiis cap. 6.* „Quis enim eſt adeo imperitus rerum, ut „Romanæ curiæ artes non nôrit, & quantum ea hirudo Gallici exſorbeat „ſanguinis quotidie, non ſatis intelligat? Dicam quod à viris peritiſſimis, „ac diu in Republicâ verſatis non ſemel accepi, quanquam incredibile vi„detur, quotannis variorum diplomatum à Pontifice obtentorum nomine, „ad ſeptingenta, aut eo amplius aureorum millia Romam hinc exportari „ſolere, quæ ita illic velut capta vinctaque detineantur ac cuſtodiantur, ut „nullo unquam poſtliminio ad nos redeant. Quid multa? in proverbium „abiit jamdudum Romana permutatio, plumbi videlicet cum auro, non „minus quam illa *Diomedis* & *Glauci apud Homerum.*

Concil. Baſileenſe, & inde ſanctio pragmatica nomine *Caroli* VII. Galliarum regis edita, has expilationes minuere conabantur, & Concilium Tridentinum reformationem aliquam circa expilationes epiſcoporum præ ſe ferre videbatur, cum *ſeſſ. 21. cap. 1.* Epiſcopis eorumque miniſtris prohiberet quidquam, quovis prætextu, etiam ſponte oblatum accipere pro collatione quorumcunque Ordinum, aut pro literis dimiſſoriis, aut teſtimonialibus, aut pro ſigillo, aut aliâ quocunque de causâ. In Declarationibus ad *Concilii* cap. cit. refertur *Gregorius* XIII. declaraſſe, decretum hoc Concilii vindicare ſibi locum in collatione beneficiorum, præſertim curatorum: ita ut Ordinarius ejuſque Officiales in collatione beneficii pro ſigillo nihil poſſint accipere, nec etiam pro diſpenſationibus ad eum remiſſis; *non obſtante contrariâ conſuetudine, etiam immemorabili.* Eundem *Gregorium* ajunt ibidem, Epiſcopo Maſſarienſi declaraſſe, non poſſe Epiſcopum exigere annatam pro confirmatione vel benedictione Abbatiſſæ. Sed de reformatione aut aliquâ prohibitione ſpoliorum Papalium & Curialium occaſione pallii Archiepiſcopalis aut diplomatum Romæ obtentorum, aut vacantis beneficii in exigendis annatis, &c. nihil quod ſciam in Decretis Tridentinis (quæ capita reformationis appellantur) comparet.

Epiſcopi, etiam *Prælati* dicuntur. *Prælatus* eſt, qui ante alios latus vel
§ 3. poſitus eſt; ita ut hæc vox *latè accepta*, notet omnem habentem ex inſtitutione vel deputatione perpetua, curam animarum: ſtrictè vero & propriè accepta notet eum, qui ex officio, aut præſcriptione, aut privilegio habet juriſdictionem in foro contentioſo. Uti hoc explicant Canoniſtæ, ad c. *tua*,

de

de Clericis ægroto. Ita ut etiam *Archidiaconi* (de quibus infra *tract.2.*) hâc ratione dicantur prælati? Non vero *Decani, Plebani, Archipresbyteri*: de quibus infra *tract.2.*

Inſignia *prælatorum* ſunt, ut aliqui eorum poſſint uti mitrâ & baculo paſtorali, etiam ex ſtylo curiæ Romanæ, quod mantelletum vocatur, & deferre ſub pallio prædicto habitum lineum, quod *rochettum* appellatur, & annulum aureum in digito geſtare; juxta Canoniſtas ad c. *Clerici* de *Vitâ & honeſt. Cleric.* Quadraginta quatuor ſunt poteſtates ſeu licentiæ prælatorum, quas *Zecchius* ex Canoniſtis enumerat & explicat tit. de Statu Prælatorum *cap.1.* Qui ibidem recenſet viginti, ad quæ teneatur prælatus circa bona eccleſiæ; & ſeptem ad quæ tenetur circa ſpiritualia. Diſtinguunt prę-latos juriſdictionem habentes, in regulares & ſæculares. Et hos in *Archidiaconos*, & *Epiſcopos* hodie ſic dictos. De regularibus, qui ſunt Abbates, infra *tract.4.* agendum. De Epiſcopis ſæcularibus, in Papatu nunc dictis epiſcopis multa quæri poſſunt: ut, quæ ſit ipſorum poteſtas, quod officium, quæ dignitas, &c. de quibus in *decretis Concilii Tridentini*, in Jure Canonico antiquo, & novo (ex capitibus reformationis *Concilii Tridentini*, & bullis Pontificum, deciſionibus SS. congr. Cardinal. collecto); in Caſuiſtis, pręſertim *Azorio*, &c.; Et in Scholaſticis ad *Thomæ part.3. addit. ſeu ſupplem. qu.43. art.4.* & ſeqq. Poteſtatem Epiſcoporum explicant & defendunt ſupra alios *Sorboniſtæ*, ut *Fileſacus* tract. *peculiari*, *Fr. Halliger. tit. Defenſio eccleſ. hierar.* &c. a. 1632. & *Nicol. le Maiſtre tit. Inſtauratio*, &c. a. 1636. contra *Spongiam Lomelii*. Imprimis Concilium Tridentinum in poteſtate Epiſcopali tutandâ & extendendâ, haut parum laboravit: uti diſces ex Decretis, & ex hiſtoriâ *Concil. Tridentini*: *Officia & agenda* epiſcopalia deſcribunt peculiares tractatus, ut *Zerolæ* praxis Epiſcopalis, & *Piaſecii* praxis Epiſcopalis. *Libri Agendarii* modum epiſcopalia peragendi deſcribentes ſunt duo, *Pontificale Romanum*, *Cæremoniale Epiſcoporum.* De quibus juniores præmoneo, eſſe ea vel antiqua vel nova ex decreto *Concilii Tridentini* reformata, prout & *Miſſalia, Breviaria, Ritualia* ſeu *Paſtoralia.*

In reformatis multa aliter ſonant ac in antiquis. Formam *Pontificalis* immutatam dicit *Clemens* VIII. in Bullâ 38. a. 1596. editâ: ubi reformata Pontificalia obſervari jubet, & alia prohibet. Aliqui Reformati theologi, & ego cum illis juramentum Epiſcopale anno 1630. in *Philonio Romano* correcto, Pontificiis objeceram, abſque ullâ *Chriſti*, aut Euangelii, aut ſalutis animarum mentione. Exceperat contra *Cornelius Janſenius* in *Spongiâ ſuâ*; cui quid ego repoſuerim, vide *lib.3. Deſper. cauſ. Papat. ſect.3. cap.2. pag.374.* & ſeqq. Ubi cap. proximè ſequenti *pag.* 379. 380. tango emtiones pallii Archiepiſcopalis ſine quo, non ſive ingenti ſummâ à *Papâ* accepto, poteſta-

Mmmmm tem

tem & officium Archiepiſcopale exercere non poſſunt; item annatas, &c.

Sed poteſtatem, officia, dignitatem, inſignia, Epiſcopi, ſi lector compendio uti velit, indicata videat ab *Iſid. Moſconio lib.* 1. de Majeſtate eccleſiæ Militantis *part.* 1. *cap.* 8. Quod imprimis perſuaſum velim ſtupidis illis & improbis calumniatoribus, qui blaſphemant quod neſciunt (*epiſt. Judæ v.* 10.) & poteſtatem, regimen, diſciplinam eccleſiaſticam ex jure divino à reformatis eccleſiis hauſtam ac defenſam odioſis nominibus Papæ, Epiſcoporum, hierarchiæ Romano-Papalis, tyrannidis Epiſcopalis, Inquiſitionis Hiſpanicæ, ſordidare ſatagunt: ipſi *Cæſareo-Papatum* affectantes aut pro viribus promoventes. Quos, niſi reſipiſcant, Deus judicabit.

§. 4. Hic non prætereundi, *Vicarii Epiſcoporum*, officiales, &c.

Vicarii Epiſcopi qui etiam dicuntur *vice-Domini*, qui negotia Epiſcopi gerunt, quique in officio, munere, dignitate, loco, Epiſcopo ſuccedant. Et ſunt vel dati ab ipſâ lege, vel dati ab homine. *Illi* ſunt qui abſque aliâ hominis deputatione, eo ipſo quod conſecuti ſunt officium, efficiuntur Vicarii. Et ſic capitula ſede vacante in multis vicem gerunt epiſcopi. Et *Archidiaconi*, qui abſente epiſcopo ſunt ipſo jure Vicarii. Etiam *Archipresbyteri* civitatenſes, qui vicem gerunt epiſcopi in regimine ſpirituali. *Iſti* ſunt, qui ab ipſis epiſcopis conſtituuntur. Et ſunt vel particulares vel Generales. *Particulares* ſunt, qui ad negotia & cauſas temporales, aut ad negotia & cauſas ſpirituales ab Epiſcopo deputantur. Ad temporalia deputati, etiam dicuntur *Oeconomi*. *Generales* ſunt, qui ad omnes cauſas, tum temporales tum ſpirituales generaliter deputantur. Et hi dicuntur *ordinarii* in diœceſi, particulares vero *deputati*. Generalem & ordinarium vicarium, unum ſolummodo conſtituere poteſt epiſcopus: qui cenſetur una & eadem perſona cum epiſcopo, & ſunt unum conſiſtorium cum eo. Et quandoquidem Epiſcopus ſpiritualem & temporalem habet juriſdictionem, utramque exercet; ſpiritualem quidem, excommunicando, ſuſpendendo, interdicendo, conferendo, inſtituendo, confirmando præſentatos, eligendo, viſitando, corrigendo, puniendo, in foro pœnitentiali diſpenſando, vota commutando, & ſimilia faciendo. Hæc ex *Piaſecii Praxi Epiſcopali part.* 2. *cap.* 2. *Iſidoro Moſconio lib.* 1. *de Majeſtate militantis eccleſiæ part.* 1. *cap.* 10. qui ibidem decem conditiones in vicario requiſitas recenſet, ex jure canonico, & Canoniſtis ibidem indicatis: quas legat, cui vacat, & hæc tanti ſunt.

Duo hic addo, quod plerumque vicarii epiſcoporum, onerantur aut ornantur titulari epiſcopatu in Græciâ, aliiſque partibus Orientalibus, ut Philippenſi, Adrianopolitano, Myſienſi, &c.

Et quod vicariorum Generalium conſtituant vicarios, qui appellantur *Pro-Vicarii Generales*.

Offi-

Officialis Epiſcopi, ſeu curiæ epiſcopalis, ſimili officio fungitur in curia epiſcopali, quali Prætor in curiâ ſæculari. Dicuntur etiam *Officiales* in jure canonico.

I. *Officiales* Inquiſitionis, quos Pius v. ſub gravibus pœnis prohibet offendere, Conſtitut. 82. anno 1569. Kal. April. Quibus in omnibus fides habenda in iis quæ pertinent ad eorum officium; volente, jubente Innocentio 4. *Conſtitut.* 9. *Idib. Maji* anno 1252.

II. *Officiales* Pœnitentiariæ Romanæ, qui ſunt *Major pœnitentiarius, Regens, Datarius, Corrector, unus Magiſter in theologia; unus Doctor in decretis, Duo procuratores, duo ſcriptores, unus ſigillator:* juxta Pii V. *conſtit.* 83. *an.* 1569. qui abrogat Officiales antehac in camerâ pœnitentiariâ miniſtrantes, referendarios ſcil., correctores, Reviſorem, viginti ſeptem exercitia ſcriptorum, & octo procuratorum.

III. *Officiales* ſecretariæ Apoſtolicæ, quales Cardinalis præfectus ſignaturæ; Secretarii 32. ab Innocentio VI., acceptâ 60000. ducatorum quantitate, conſtituit.

IV. *Officiales* cancellariæ Apoſtolicæ; quales, Regens cancellariæ: *Janizeri*, ita dicti, hoc eſt, ſollicitatores Apoſtolici; Scriptores archivii; Cubicularii; Scutiferi; Ripales patronarii; Plumbatores; Cuſtos.

V. *Officiales* officii contradictarum, & audientiæ Pontificalis, (quod Cancellariæ ſubordinatur); quales vice-cancellarius, Auditor; quatuordecim patroni ſeu Procuratores; Corrector; Duo lectores; Duo Notarii. Officium hoc contradictarum dat literas remiſſorias, ſequeſtratorias, Exequutoriales, interdictorias & Brachii ſæcularis invocatorias. De hoc officio ejuſque literis, ſic ſcribebat Octavianus Veſtrus J.C. in Romanę aulæ *actionem*, & *judiciorum mores*, *Iſagoga* anno 1560. edit. 2. Venetiis apud Dominicum & Cornelium de Nicholinis *lib.* 1. *fol.* 10. b.

„ Verum à certis annis conſuevit Signatura in reſcriptis juſtitiæ mixtis „ ac pluribus etiam merè gratioſis, non tamen impetrationis beneficiorum „ omnes ab iſta literarum expeditione paſſim diſpenſare, & per ſolitam „ clauſulam, per Brevi Sanctitatis veſtræ hac ſupplicatione introcluſa facul„ tatem concedere, omnibus petentibus expediendi per Secretariam ſub „ annulo piſcatoris, adeoque frequens eſt ob diſpenſationem hujuſmodi „ impetrantium ad ipſam ſecretariam aditus, ut rarò fiant per audientiam „ ſimilium literarum expeditiones, remaneatque ejus auditor ocioſus & „ ferè antiquata ſua juriſdictio, Quo fit ut quotidie difformi & obſcœno „ cujuſque indocti ac imperiti viri dicendi ſtilo dicta, plerumque etiam „ ineptias continentia utpote ſi ad magiſtratus laicos eccleſiaſtici ſtatus „ cum facultate declarandi aggravandi, reaggravandi, & interdicendi prout

„ ſæpius vidi reſcribatur. Varioque, & ſępius incompto ac ferè illegibili ca„ ractere in humili etiam papyro ſcripta plerunque etiam undequaque deleta „ exeunt ad partes reſcripta, Amplius conſuevit quoque Signatura litigato„ res omnes petentes ab expeditione literarum apoſtolicarum ſuper ſeque„ ſtrationibus fructuum, remiſſionibus, & exequutorialibus diſpenſare, ac „ derogando regulis, (quas non ſine urgenti ratione ediderant antiqui pa„ tres,ut nonniſi ab hoc gravi collegio reviſæ,& non aliàs quam ſub plumbo „ expedire poſſent) paſſim concedere ut Auditor ſuo nomine ſuoque ſub „ ſigillo decernat. Quapropter expeditores contradictarum fuerunt pluries „ apud Pont. de præmiſſis conqueſti, ſed opinor potius rem ab ipſo non „ ſatis intellectam. Nam ubi ſub Pont. ſacroſanctoque nomine exirent iſtę „ judiciales literę,nunc ſub prorſus incognito apud regiones, vel plerunque „ nimis noto Auditoris nomine dantur: ubi forma erat gravis ſub plumbeo „ Sedis ſigillo ac venerandis apoſtolorum imaginibus, nunc ſub ſimplicis „ auditoris ſigno ſeu ſigillo: ubi aderat, & ſermonis, & ſcripturæ candor à „ tot prudentiſſimis viris per multa tempora perpolitus, & à tanto collegio „ omnia reviſa nonniſi juſtè, & ritè obtenta exibant. Nunc à quovis in„ docto ut dicunt Copiſta dictantur ac ſcribuntur, & innumerę exoriuntur „ nullitatum ſimplegades,quibus ſi meo conſilio ęquipollens accederet au„ ctoritas facile occurreret:ſed non deſunt in ſcæna interloquutores qui huic „ tabulæ manum admoveant, & rem ipſam melius abſolvant.

VI. *Officiales* Cameræ Apoſtolicæ; quales Camerarius; Theſaurarius, ſeu Magiſter ſacri ærarii; Gubernator urbis; Plumbator; Summiſta, &c. De audientiâ Cameræ Apoſtolicæ ejuſque officialibus, & modo agendi fusè Octav. Veſtrius in *Iſagogâ* modo cit. toto *libro* 2. ſpeciatim indicat ſeptem clericos qui Camerali audientiæ annis 60. præerant; inter quos *Johannes Caſa Florentinus Archiepiſcopus. Beneventanus.* De quo nos in 1.*part.ſelect. diſpp.tit. de Atheiſmo.*

VII. *Officiales* & adminiſtrantes bona temporalia monaſteriorum: quorum meminit *Concil. Trid. ſeſſ.* 25. *cap.*2. & qui à ſuperioribus Monaſterii eligi poſſunt.

VIII. *Officiales* confraternitatum; qui canonicè inſtituti eliguntur à confratribus; ſed confirmantur ab epiſcopo, aut ejus vicario generali: ſocietatibus tamen ſub protectione regis exceptis: Ita determinavit *SS.congr. Epiſcop. & Regul.* 11. Auguſti 1627.

IX. *Officiales* electi pro adminiſtratione beneficiorum monaſterii.

X. *Officiales*, ſui diſtributionem bonorum monaſterii habent. Vox officialis, multis aliis miniſteriis & præfecturis applicari poſſet.

Nos κατ᾽ ἐξοχὴν ita dictum Officialem hic intelligimus: qui tanquam prætoris aut Fiſcalis vice in curiâ Epiſcopali fungitur.

Epiſcopi diſtinguuntur, in majores & minores; in Epiſcopos eccleſia- §. 5. ſticos, & Epiſcopos Principes. Majores voco 1. *Qui* magnum & pinguem habent epiſcopatum: quales ſunt, qui 300. aut plures eccleſias parochiales ſibi ſubjectas habent 2. *aut* qui plures epiſcopatûs poſſident: quales aliquando fuerunt Archiepiſcopi Colonienſes, qui ſimul erant Epiſcopi Leodienſes, Monaſterienſes, Paderbornenſes. In Provinciali quod practicæ Cancellariæ Apoſtolicæ Venetiis anno 1572. editæ ſubjectum eſt, plures indigitantur epiſcopatus *uniti* aut *conjuncti*, ut Aquilenſis Forcanenſis, Adrienſis Pennenſis, Centatenſis Caſtellanenſis, Famenſis Foroſempronienſis, &c. 3. *aut* qui inſignem epiſcopatum inſident: quales in pingui, bellâ & delitioſa Italiâ; cum quibus compara epiſcopos olim in Norwegiâ, Iſlandiâ, Sueciâ. & in Scotiâ boreali, &c. reſidentes; & in partibus quibuſdam Luſitaniæ, de quibus celeberr. Poëta Buchananus, inde redux:

Jejuna miſera teſqua Luſitania.

4. *Aut* qui ſunt exempti, à ſuperioritate Archiepiſcopi, & primatis ſeu Patriarchæ; & immediatè ſubſunt Pontifici maximo: quales, Veſcanenſis, Trojanenſis, Rapollenſis, Monopolitanenſis.

Epiſcopi-principes. Quales ante annum 1528. epiſcopi Ultrajectini, & adhuc ſunt in Germaniâ, Saltzburgenſes, Bambergenſes, Monaſterienſes, Paderbornenſes, &c. Numerus & nomina Epiſcopatuum Papalium recenſentur in *Provinciali* cum Practicâ Cancellariæ Apoſtolicæ, Venetiis anno 1572. edito: ubi tamen miror omiſſos fuiſſe 14. novos epiſcopatus in Belgio à *Paulo* IV. ad poſtulatum Philippi II. erectos, per bullam finium (uti Clerici in Belgio appellant) datam 18. Maji 1559. Quos ſucceſſor ejus *Pius* IV. ſequenti anno 1560. bullâ ſuâ confirmavit. Bullas illas exhibent aliqui ex hiſtoricis Belgarum, ut *Dionyſius Mutſert* in *hiſtor. eccleſ. Belgicè 2. part. in fol. Aubertus Miræus in Donationibus Belgicis cap.* 140. & *cap.* 46. ubi bulla *Pii* IV. 1560. 5. Id. Martii. quâ limites Epiſcopatus Antwerp. deſignat. Sed à *Bullario Cherubini*, eas abeſſe comperio, & miror.

Subſunt autem omnes Epiſcopi in Belgio tribus Archiepiſcopis.

I. Archiepiſcopus *Mechlinienſis* habet ſex ſuffraganeos
- Antwerpienſem.
- Brugenſem.
- Gandenſem.
- Iprenſem.
- Ruremundenſem.
- Buſcoducenſem.

Digitized by Google

II. Archiepiſcopus *Cameracenſis* habet quatuor ſuffraganeos
- Attrebatenſem.
- Tornacenſem.
- Audomaropolitanum.
- Namurcenſem.

III. Archiepiſcopus *Ultrajectinus* habet quinque ſuffraganeos
- Daventrienſem.
- Groningenſem.
- Harlemenſem.
- Leovardienſem.
- Middelburgenſem.

Quæ turbę ortæ ſint per introductionem novorum epiſcoporum & quomodo diſplicuerit eccleſiaſticis & politicis; ex hiſtoriis Belgicis cognoſces; etiam ex *Famiani Strada hiſtor. lib.* 2. paulo poſt principium. Decretum Ill. DD. Ordd. Belgii anno 1581. quo Philippo 2. Belgarum Principi abrogant Imperium, introductionem Epiſcoporum inter alias cauſas numerat.

Imprimis Epiſcopus Leodienſis ſe acriter opponebat, ne ſponte aut volens novis Epiſcopis portionem ſibi ademtam cederet. Sed fruſtra; quandoquidem Papa judicans omnes, à nemine judicandus, ad poſtulatum *Philippi* 2. hoc ita determinârat, ad meliorem attentionem ad hæreticos: ſic tamen ut nullas eccleſias ſubjiceret illis epiſcopis, niſi in locis illis exiſtentes, quorum dominium temporale eſſet penes *Philippum Belgarum Principem*: ut exſertè hoc in bellis illis limitatur. Unde invicto argumento colligitur, & præter alia antehac indicavimus, toparchias, aut oppida, Gemert/ Borckhoven/ Cuyck/ &c. (de quibus in poteſtatem Ill. Ordinum Belgii, & liberæ Confœderatorum Reipublicę redactis nuper, rebus Papatus ita poſtulantibus, quęſtio mota fuit, an Imperio Germanico ſubjecta eſſent, & conſequenter Ill. Belgii fœderati Ordinibus, quidquam poteſtatis in eos competeret) ſupremo Reipublicæ fœderatæ dominio ſubjici, quo *Philippum* anno 1581. exuerunt. Quia eccleſiæ illæ ſubjectæ fuerunt *Epiſcopo Sylvaducenſi*, uti in ſynodi Diœceſianæ Statutis ſub ſecundo Epiſcopo Sylvæducenſi *Laurentio Metſio* a. 1571. conditis, & publicè editis, in decaniis iſtius Epiſcopatus ſuis quæque locis recenſentur.

Hęc cum nemine nomine Imperii Germanici, aut ullius territorii Germanici, (puta Leodienſis, alteriuſve) contradicente, in eccleſiis & pagis illis, ita geſta & obſervata fuerint; qua ſpecie nunc demum ad Imperium Germanicum pertinere dicerentur: cum Ill. Belgii Ordines jure ſupremi dominii illic publicum reformatæ religionis exercitium, uti in quoſcunque pagos à Sylvâ-

Digitized by Google

vâ-ducis & ab aliis Brabantiæ, Hollandię, Geldrię, &c. civitatibus dependentes; aut intra limites provinciarum ſitos, introducturi præſumuntur. Quod ſi forte pagus, aut toparchia fœderati Belgii feudum eſſet Imperii, aut epiſcopatus Leodienſis, inde non ſequeretur, illam toparchiam aut illum pagum non pertinere ad illam provinciam, aut ad fœderatum Belgium.

Sed age præter autores jam citatos, indicemus & alios, qui de Epiſcopis in genere, aut in particulari ſcripſere, *Arnoldum Havenſem* de erectione novorum in Belgio epiſcopatuum 1609. *Nicol. Gazæi* Tabulas eorundem Epiſcoporum & ſeorſim Cameracenſium & Attrebatenſium, Gallicè. Hiſtoriam Epiſcoporum Ultrajectinorum Hedæ, & Beka, quæ anno 1640. recuſa in fol. cum notis Arnoldi Buchelii.

Auberti Miræi Notitiarum totus orbis Epiſcopatuum *lib.* 5. anno 1613. ubi liber quintus inſcribitur geographia eccleſiaſtica; deſcribens ordine alphabetico omnes Epiſcopatus.

Auguſtini Barboſæ exacta notitia Epiſcopatuum totius orbis, Praxi exigendi penſiones & Votis decivíſivis canonicis inſerta *pag.* 387. edit. in 4. anni 1636.

Cratepolius de Epiſcopis Germaniæ in 8.

Nicolai Serrarii Moguntiacarum rerum *lib.* 5. anno 1604.

Chriſtoph. Brouweri antiquitates annalium Trevirenſium.

Goodwini hiſtoria Epiſcoporum Anglicanorum.

Melchioris Incboter annales eccleſiaſtici Hungariæ.

Johannis Chenu J.C. Archiepiſcoporum & Epiſcoporum Galliæ chronologica hiſtoria anno 1621.

Ejuſdem chronologia hiſtorica Patriarcharum Archiepiſcoporum Bituricenſium.

Nicolai Camurat Promtuarium ſacrarum antiquitatum Triraſſinæ diœceſios anno 1610.

Gulielmi Eyſengrein chronologic. rerum urbis *Spiræ* libri 16. uſque ad ann. 1563. ubi Epiſcopi Spirenſes deſcribuntur.

Sed facilius hic eſſet principium quam exitum invenire. Vix puto eſſe, ſaltem alicujus notæ, Epiſcopatus, quorum peculiares hiſtoriæ non ſint editæ: nec mirum; cum inſignium quoruncunque monaſteriorum & abbatiarum hiſtoricæ deſcriptiones exſtent.

Wilhelmus Prynne J.C. Anglus anno 1641. edidit tractatum Anglicum tit. *Antipathia*, &c. in quo ex hiſtoriis collegit, quęcunque Anglici, Scotici, Hybernici, Gallici epiſcopi adverſus reges, regna, leges, libertates parrârint, quæ bella, quæ diſſidia concitârint. Ad cujus imitationem, quique in ſuis regnis, nationibus, regionibus, epiſcopalia turbulenta conſilia,

lia, & factiones ex hiſtoriis enotare poſſunt. Nos operæ pretium facturi videmur, ſi brevem delineationem controverſiæ de Epiſcopatu anno 1548. & diatriben de Presbyterio anno 1658. editam, hic inſeramus.

CAP. IV.

Brevis delineatio controverſiæ de Epiſcopatu.

Anno 1648. ſeorſim edita.

De Epiſcopatu tam multa inter Pontificios & reformatos, imprimis etiam in ipſis viſceribus eccleſiarum reformatarum operosè ultro citroque diſputata ſunt; ut copiâ magis laboremus quam inopiâ; nihilque aliud reſtare videatur, quam ut ſtudioſis theologiæ δακτυλοδείκτας ſolum præſtemus, atque archetypos iſtorum conceptuum exhibeamus: indicatis una præſtantioribus partium auctoribus, ac præformato argumentorum & ſolutionum delectu. Hoc ergo cum in ordinario & recurrente curſu prælectionum ad politiam eccleſiaſticam aliquoties egerimus, ſummam eorum & epitomen his theſibus impertiri ſtatuimus, quia iamdudum complures efflagitant, quibus hoc denegare non poſſumus, Itaque. I. Narrationem ſeu hiſtoriam. II. Terminorum. III. Status controverſiæ explicationem. IV. Ipſius controverſiæ diſceptationem, *breviter delineabimus.*

§. 1. QUod ad primum, controverſia hæc ingreſſa jam, & ad faſtigium aliquod evecta autoritate epiſcopali vulgò creditur primùm mota ab *Aërio*, quem propterea hęreticis annumerant vulgares hęreſeon catalogi inter Pontificios, *Guidonis* ſcil., *Lutzenburgii*, *Alphonſi à Caſtro*, *Prateoli*, *Medicis*: ſecuti in eo (uti putant) nonnullos catalogos antiquorum. Sed quo jure hoc fecerint & quantum antiquorum autoritati aut ἀκριβείᾳ hâc in parte tribuendum ſit, oſtenderunt Antagoniſtæ Epiſcopatus infra citandi. Inter antiquos & probatos eccleſiæ Doctores, an & qui ſenſim invaleſcenti epiſcopatui tempore quatuor primorum conciliorum obſtiterint, aut apertè & in formâ controverſiam moverint, ſaltem ex ſcriptis, quę ſuperſunt, non liquet. Non tamen credendum, viros antiquæ & primigeniæ ſimplicitatis æmulos, & prudentiori oculo ſtatum eccleſiæ intuentes, incrementa & victoriam hujus uſurpationis cum typho ſęculi nimium ſymbolizantis, ſilentio tranſmiſiſſe. Qui Hieronymi & autoris ſub nomine *Ambroſii* commentarios in epiſtolam ad Titum legerit, videbit cauſam *Aërii* (quod ad ſummam rei) etiam tunc non obſcurè defenſam fuiſſe; cum lege & conſuetudine eccleſiaſtica in toto Imperio Romano Epiſcopatus

Digitized by Google

tus jam obtineret. Nec defuerunt ſequioribus, immo & corruptiſſimis eccleſię ſeculis, hujus cauſę patroni; inter quos ab ipſis Pontificiis tanquam primipili numerantur *Wiclefus* & *Armachanus*. Plures indicantur à noſtris in Illyrici catalogo teſtium veritatis. Quid ſenſerint *Waldenſes*, & *Huſſitæ*, qui ab eccleſiâ Romanâ ſeceſſerunt conſtat ex accuratiſſimâ illorum hiſtoriâ contextâ à *Joh. Paulo Perrino* (quæ latinè non exſtat, quod ſciam, ſed tantum linguis vulgaribus), & ex iſtorum conſtitutionibus eccleſiaſticis ante paucos annos editis. Poſt tempora reformationis aperte à reformatis eccleſiis tum doctrinâ tum ipſo opere ſeu praxi reformationis & παλιγγενεσίας Eccleſiarum oppugnatus fuit. Promachos & pręcipuos aliquot ſcriptores infra indicabimus.

Retentus tamen fuit, & contentioſè defenſus à Papatu. Vide inter alios *Bellarminum*; & ex recentiſſimis *Petavium* contra Salmaſium.

Hæret etiamnum hodie in eccleſiis Orientalibus aliiſque omnibus (quod ſciam), aut fere omnibus extra Occidentem & Romanam eccleſiam conſtitutis.

Quin & in ipſis eccleſiis reformatis alicubi ex Papatu retentus, & primum verecundius ſive excuſatus, ſive defenſus, poſtea acrius & confidentius, tanquam jure divino ſancitus, non ſine exprobatione ὑστερήματος & ἀταξίας, hâc in parte omnium aliarum eccleſiarum reformatarum, quæ humanum hoc ὕστερμα una cum reliquis Papatus traditionibus expurgârant. Mutari tamen cœpta illic jam à paucis annis rerum facies ita ut nemo epiſcopali poteſtate amplius uti poſſit? Quem exitum habitura ſit calamitoſa illa contentio, quæ totum regnum in partes traxit, Deus novit. Scoticis eccleſiis Epiſcopatus antè annos aliquot obtruſus, non tamen plane exſtincto regimini presbyteriali, nuper publicâ autoritate ſublatus, & eccleſiæ iſtius regimen priori ſuæ ſimplicitati reſtitutum fuit. De quo vide hiſtoriam rerum nuper in Scotiâ geſtarum. Hæc ita ſcribebam anno 1648.

Qui in Daniâ & *Suecia* dicuntur Epiſcopi, non ſunt ejuſdem ſpeciei, aut paris autoritatis cum Pontificiis & Anglicanis. Idem dicendum de hodierno *Epiſcopo* (uti nunc dicitur) antehac dicto *Superintendente* Tranſſylvaniæ, deque dictis ſuperintendentibus, aut ſenioribus aut inſpectoribus in Hungariâ, Bohemiâ, Poloniâ, Germaniâ: uti ex ſingularum eccleſiarum conſtitut. Eccleſiaſticis colligi poteſt.

Anabaptiſtæ etiam ſuum quendam Epiſcopatum, ſed tamen à Pontificio & Anglicano diſtinctum, condidêre.

Remonſtrantes in apologiâ, epiſcopaturirę videntur; quamvis eum in ſuâ ſocietate (quam vocant), & in ſuis ſegregibus conventiculis non ſervent: niſi forte imaginem aliquam aut ſchiographiam in tribus ſocietatis

Digitized by Google

Remonſtranticæ jam formatæ directoribus conſtituere voluerint. Sed puto ex contentione magis & ſubdolâ aliquâ πολιτείᾳ, hoc pomum eridos contra Eccleſias Belgicas jactatum fuiſſe; ut cauſæ ſuę Pelagianę & Semi-Socinianæ majorem gratiam aut ſaltem tolerantiam conciliarent apud Epiſcopos & Epiſcopales theologos in Angliâ: uti conjicere licet ex iis quæ ante editam eorum apologiam ſcripta ſunt à *Grevinckhovio* in prefatione libri contra *Ameſium*; & à *Tileno* in parænesi ad Scotos diſciplinæ Genevenſis zelotas; imprimis etiam ex iis quæ ventosâ oratione declamavit. *Hugo Grotius* in libro *cui tit. Pietas Ordinum Hollandiæ*, &c. Cui pro regimine noſtrarum eccleſiarum abunde reſponſum à *Sibrando Lubberto*, & *Sopingio. Diotrepha & epiſcopaturientes*, ſi non Epiſcopi, aut ſaltem embriones Epiſcopales in praxi & conatu, ſi qui in reformatis & maximè preſbyterialibus eccleſiis alicubi exſurrexerint, aut exſurgunt; hic partem non faciunt. Non ſegniter tamen eccleſiis perpetuò invigilandum, ne ἰσοτίμῳ regimini ipſorum, ſubrepat oligarchia, atque ita via proxima muniatur ad monarchias Epiſcopales.

Inter hodiernos Judęos, Mahumediſtas, Gentiles nonnullos etiam viget aliqua ὑπεροχὴ in ſacrorum curâ & præfecturâ, quam cum controverſo Epiſcopatu comparare poſſis. *Archiflamines* antiquorum Ethnicorum noti ſunt, & parallelismum aliquem inter illos & Epiſcopos ipſe compilator *Gratianus* non veritus fuit inſtituere.

§. 2. Ad ſtatum controverſiæ rectè conſtituendum, explicatio terminorum *Epiſcopatus & juris divini* præmittenda. I. *Epiſcopatus* hodie controverſus eſſentialiter dicit peculiarem & à miniſteriis presbyterorum ſeu concionatorum ſpecificè diſtinctum gradum, dignitatem & poteſtatem in eccleſiâ tum regiminis tum diſciplinæ; quæ à Pontificiis communiter *poteſtas juriſdictionis* appellatur.

Dico, *eſſentialiter*, ut ſeparem accidentalia, qualia ſunt, ſuprema aut ſubordinata poteſtas politica; varia munera & miniſteria politica, aulica, bellica; adhæc privilegia & immunitates politicę; denique poteſtas politica aut quaſi politica circa res & perſonas eccleſiaſticas: quæ cum Epiſcopatibus ſive perpetivâ ſucceſſione ſive arbitrariâ electione ſeu collatione paſſim conjuncta videmus.

De *accidentalibus* his videndi pręter Canoniſtas, *Joh. Choquier* tract. *de libertate Eccleſiaſticâ*; *Henrici Caſtanei tract. gallicus*, quo probare nititur Epiſcopos poſſe arma ſumere, & bellum gerere; *Joh. Marianæ de Inſtit. Principis.* Conferendi ex JCC. Lutheranis, *Renkingh de regimine ſeculari & eccleſiaſtico*, *Laurentius Ohm de Jure Epiſcopali*, *Henricus Gebhardus de Poteſtate ac Juriſdictone Eccleſiaſticâ*; qui applicatè ad Epiſcopos Germaniæ hæc pertractant.

Eſſentialis poteſtas Papalium Epiſcoporum præcipuè emicat in ordinationibus & miſſionibus miniſtrorum, in plantandis & conſtituendis eccleſiis, in confirmationis ſacramento, in conſecrandis regularibus, in celebrandis ſynodis, in cenſuris, ſeu in excercitio diſciplinę eccleſiaſticę. Canoniſtę variè ad trichotomiam aut dichotomiam revocare conantur. *Gebhardus modo cit. p. 193.* omnia ſic poſſe conjungi cenſet, ut Jura & functiones epiſcopales omnes ſint partim ordinis partim diœceſios. Hæ rurſum ſunt vel dignitatis Epiſcopalis ſeu dioeceſianæ, vel juriſdictionis. De hâc poteſtate vide *Zypai analyt. explic.* Iuris canonici novi, *Barboſa* collectanea, *Zerola praxin* Epiſcopalem, coll. cum Romano Pontificali & Cærimoniali Epiſcoporum: ubi agenda epiſcopalia minutim enumerata habes. Autoritatem Epiſcopalem ſupra & contra regulares alioſque clericos admodum auxit aut vindicavit *Concilium Tridentinum.* & in primis eandem uti antehac ſic & nunc, acriter defendit *Sorbona Pariſienſis*: uti conſtat ex *Fileſaci tract. de ſacrâ Epiſcoporum poteſtate*, & tractaribus aliquot ante paucos annos pro defenſione Epiſcoporum & Sorbonæ contra Regulares editis.

Nec omittendum, Epiſcopos ſeu prçlatos Papales, alios eſſe regulares, alios ſæculares. Illos eſſe Abbates & Priores quoſdam monaſteriorum, qui non tantum jure Abbatiali in monachos ſibi ſubjectos, ſed & jure Epiſcopali in ſubjectas ſibi eccleſias aut eccleſiam gaudeant: e. gr. Prior regularium *S. Auguſtini Lucenſis*, qui epiſcopalem poteſtatem in dimidiam iſtius urbis partem obtinet. *Abbas Fuldenſis*, in Germaniâ, aliique, ni fallor, complures, qui in eccleſiis ſibi ſubjectis, etiam ab aliorum Epiſcoporum Jure exemti ſunt. Dicuntur tamen abbates omnes communiter Prælati regulares, quamvis nullam aliam ſæcularem eccleſiam, ſed tantum propriam ſuam regularem ſibi ſubjectam habeant. De jure Abbatum exſtat prolixus *tractatus Tamburini.* Prælatis in Papatu proximè ſimiles ſunt Provinciales, & miniſtri aut prçfecti generales ordinum religioſorum: quorum iſtis etiam ſuffragia conceſſa in *Concilio Tridentino*; & meminit eorum *Bellarmin.* de *Conciliis.*

Eſſentialis poteſtas epiſcopatus Anglicani (ut nunc ſeponamus acceſſoria politica, Baronatus ſcil., & dignitates politicas, ac munera theſaurarii, conſiliarii regii &c. pro re natâ ipſis impoſita) quæ & quanta ſit, aut fuerit, breviter delineat *Hookerus* & *Mucketus*; quos eruditiſſ. ſcriptor altaris *Damaſceni* ſub nomine *Didoclavii* (qui eſt *David Calderwood* Scotus) refutavit. De Epiſcopatuum, quos Lutherani Principes in Germaniâ nunc tenent, jure & poteſtate (ſed ab Anglicanor. & Papalium in multis diſtinctâ) conſulendus imprimis *Laurentius Obm* modo cit.

II. *Jus divinum* eſt vel poſitivum ſeu immediatum ac directum; vel per-

 miſſivum

Digitized by Google

miſſivum ſeu mediatum & indirectum. Iſtud eſt rerum in ſe adiaphorarum, quas in hanc aut illam partem determinanda permiſit Deus poteſtati politicæ aut eccleſiaſticæ.

§. 3. Quod ad ſtatum controverſiæ, accuratè præcognoſcendum quis non ſit, & quis revera ſit.

I. *Proprius* & principalis controverſiæ ſtatus non eſt, An aliqua præſidentia aut perpetua aut univerſalis, aut ad tempus, aut particularis in particulari causâ aut negotio, ſecundum jus divinum ſive poſitivum, ſive permiſivum, hoc eſt, per liberam & arbitrariam conſtitutionem eccleſiaſticam, aut delegationem aliquam ſive ordinariam ſive extraordinariam, in eccleſiis obtinere debeat, aut poſſit.

II. *Nec* etiam, an omnis primitas, quæ primatui contradiſtinguitur, planè ſit illicita. Sive primitas illa miniſtro alicui more & conſuetudine, & magis ex voluntaria caritate ac benignâ æſtimatione collegarum tribuatur, quam ex jure aut certa lege: ſive ex conſtitutione & ordinariâ lege eccleſiaſticâ; idque propter donorum aut meritorum excellentiam, aut propter ætatis & annorum miniſterii ſupra alios profectum; aut ut confuſio evitetur, & negotia eccleſiaſtica certo aliquo ordine tanto melius curentur, juxta vulgatum illud: Quod omnes curant, nemo curat.

III. *Breviter* non quæritur hic quid ſentiendum de ſuperintendentibus, ſenioribus, inſpectoribus, viſitatoribus, præſidibus, antiſtitibus, deputatis, &c. ſed de epiſcopis, quorum poteſtatem præcedenti theſi deſcripſimus. Adeo ut fruſtra ſit *Franciſcus Maſonus* Anglus, qui probare voluit omnes eccleſias reformatas & Lutheranas habere & uſurpare aliquem epiſcopatum, quod ad rem, quamvis pleræque nomen declinent. De quo ſupra *part. 1. lib. 2. cap. 6. §. 17.*

IV. *Eſt ergo* ſtatus quæſtionis, De univerſali & perpetuâ poteſtate tum regiminis tum juriſdictionis, in & ſupra eccleſiam aut eccleſias ſubjectas non tantum, ſed etiam in & ſupra ipſos eccleſiarum parochialium ſeu particularium miniſtros, curatores, ac Rectores. Membra hujus controverſiæ ſunt vel magis theoretica, vel magis practica. *Illa ſunt.* I. An Epiſcopatus ſit *juris divini poſitivi.* II. An ſit *Juris divini permiſſivi.* III. An ſit *antiqui juris eccleſiaſtici*, *Iſta ſunt.* I. An in *Eccleſiis ſit tolerandus* II. *An illi ſubſtituendus*, aut in eccleſias, *unde exactus eſt*, *de novo introducendus ſit epiſcopatus limitatus ſeu modificatus*, *h. e. medius inter regimen presbyteriale & epiſcopale.*

§. 4. Quod ad primum controverſiæ membrum *primo* autores utriuſque partis indicandi. *Secundo* argumenta Neg. partis proponenda. *Tertio* objectionis adverſæ partis diſſoluendæ. *Quarto* poriſmata elicienda. Affirmantem

mantem hic tenent præter Pontificios Theologi aliquot Anglicani, inter quos imprimis hanc cauſam agunt *Hadr. Saravia Belga* contra *Bezam*; *Sutlivius* de presbyterio & Epiſcopatu, *Bilſonus* de perpetuo Eccleſiæ regimine; & inter recentiſſimos ſcriptores *Lancelotus Andrews*, *Joſephus Hallus*. Aliter tamen ſenſerunt non pauci ex præſtantiſſimis ejuſdem nationis theologis, *Humfredus*, *Greenham*, *Bradfordus*, *Fennerus*, *Cartwrightus*, *Perkinſus*, *Raynoldus*, &c. quin ex ipſo ordine Epiſcoporum & Martyrum *Latimerus* & *Hooperus*. Negantem hujus quęſtionis partem apertè tuentur eccleſię, quę per reformationem Epiſcopatum ſuſtulerunt, & aliud regimen ſubſtituerunt. Quarum cauſam tuentur *Calvinus lib. 4. Inſtitut. cap. 7.* & ſeqq. Antagoniſtæ *Bellarmini*, inter quos imprimis conſulendus *Ameſius*; & qui hoc unicum ex profeſſo agunt, *Beza* contra *Saraviam*, *Parkerus* de *politiâ eccleſiaſticâ*, *Gerſon Bucerus* theologus Belga contra *Georg. Downamum*, *David Calderwood* Scotus in opere, cui ſub nomine *Didoklavii* titulum dedit *Altaris Damaſceni*. Hi tres doctè & operosè epiſcopatum oppugnant, & objectiones omnes cum exceptionibus profligant. Quibus jungi poſſunt hiſtoriæ rerum nuper in Scotiâ & Angliâ contra epiſcopatum geſtarum: ubi acta, motivæ, rationes, & conſiderationes referuntur, quę non parum ad hanc quæſtionem faciant. Indicarem hic etiam illos, qui ſermone Anglico Epiſcopatum oppugnârunt, quales *Paulus Baines* in libello, cui tit. *Diœceſian. tryal*, & ex recentiſſimis poſt exortas turbas in Angliâ, complures: ſed ſtudio nunc abſtineo.

Inſtruamus nunc argumenta. I. *arg.* Quia nuſquam in ſcriptura talis epiſcopatus apparet; imprimis non indicatur iis in locis, ubi munera & functiones eccleſiaſticæ recenſentur, & occaſio urgebat ut hoc munus, quod vel ſolum poteſtatem, directionem, & curam eccleſiaſticam habet (ſecundum adverſarios) ante omnia miniſteria nominaretur; ut *Rom. 12. v. 6. 1 Cor. 12. v. 28. Epheſ. 4. v. 11.* In epiſtolis ad *Timoth.* & *Titum*. Tale eſt argumentum Calvini lib. 4. cap. 6. § 10. contra prętenſam poteſtatem & Monarchiam pontificis Romani.

II. *Arg.* Quia apertè & multis modis repugnat juri divino. Probatur id §. 5.
variis argumentis 1. *Quia* ſancitur ibi æqualitas miniſtrorum, & prohibetur omnis ὑπεροχὴ ſupra fratres, ad imitationem regiminis ſæcularis *Luc. 22. v. 25. 1 Petr. 5. v. 3. 2 Corinth. 1. v.* ult. 2. *Quia* ibidem presbyter, paſtor, epiſcopus, idem ſunt, quod ad rem. *Prius* prob. ex *Actor. 20. 20. 28. Tit. 1. v. 7. 1 Petr. 5. v. 1. 2. Poſterius* prob. *tum* in genere ex *1 Cor. 4. v. 1. 2. 1 Theſſal. 5. v. 12. Hebr. 13. v. 7. 17. 1 Petr. 5. v. 1. 2. 3. tum* in ſpecie & per partes. Quidquid enim ſoli epiſcopo vindicatur, presbyteriis & eccleſiis ibidem tribuitur, ut poteſtas ordinis & regiminis *1 Theſſal. 5. v. 12. 13. Hebr. 13.*

Digitized by Google

*v.*17. 1 *Petr.* 5. conſtitutio miniſtrorum *Actor.* 14. *v.*23. 1 *Tim.*4. *v.*24. (Confer, ſupra *lib.* 3. *tract.* 1. ubi de vocatione miniſtrorum) Celebratio ſynodorum. *Actor.* 15. *v.*6.22. poteſtas & exercitium diſciplinæ 1 *Cor.* 5. 2 *Cor.* 2. 2 *Theſſal.* 3. 3. *Quia* in particulari unius loci eccleſiâ fuerunt plures Epiſcopi *Philip.* 1. *v.* 1. cum *Actor.* 20. *v.* 17. 28. Ergo non eſt Epiſcopus diœceſianus, cui ſoli paſtoralis autoritas & cura in eccleſias commiſſa ſit.

III. *Arg.* Quia jure divino nullum eſt correlatum epiſcopi, eccleſia ſcil. diœceſiana, ſeu Epiſcopalis, aut cathedralis: ergo nullus eſt Epiſcopus. Minorem hanc probatam vide ſupra *part.* 1. *lib.* 1. *tr.* 1. ubi de Eccleſiâ Inſtitutâ, & de Eccleſiis cathedralibus; & in *Parkeri* tract. modo cit. ubi plenè & ſolidè dictas diœceſes examinat.

IV. *Arg.* Quia presbyteriale regimen jure divino per doctrinam & praxim Apoſtolicam apertè ſancitum eſt: ergo cadit Epiſcopatus. Hæc enim duo eſſe ἀσύςατα ipſi adverſarii concedunt. Minorem probatam vide ſupra *lib.* 2. ubi de paſtoribus, ſenioribus; & *part.* 1. *lib.* 1. & 2.

V. *Arg.* Poſſent hic addi abſurda conſequentia, & conſenſus primæ ac melioris antiquitatis, ut & teſtium veritatis, Waldenſium item & fratrum Bohemicorum, & reformatarum eccleſiarum jam inde ab anno 1617. exceptis ſolis reformatoribus in Angliâ; quorum aliqui tamen initio reformationis ibidem, non tam jus divinum prætendebant, quam νόμον καὶ χώραν, conſuetudinem, & jus eccleſiaſticum: ſed in reliquis hujus controverſiæ membris forſan commodius, aut alias hæc notabo.

§. 6. Argumenta & objectiones adverſæ partis ſive Pontificiorum ſive aliorum ſunt iſta.

I. *Object. Ex voce epiſcopi, quam à presbyteri voce diſtinguunt, & aliam diſtinctam rem ac poteſtatem eâ deſignari volunt. Reſp.* Sed contrarium patet ex *Philipp.* 1. *Tit.* 1. *Actor.* 20.

II. *Object Ex 70 diſcipulis, qui erant diſtincti ab Apoſtolis; quorum illis ſucceſſerunt presbyteri, iſtis epiſcopi. Reſp.* ſumitur non probatur hæc hypotheſis. Immo repugnat ſcripturæ 1 *Petr.* 5. unde conſtat omnes presbyteros & eccleſiæ miniſtros non tantum 70. diſcipulis, ſed etiam Apoſtolis ſucceſſiſſe, in iis quæ perpetua & ordinaria ſunt. Nam in extraordinariis, & quæ peculiariter Apoſtolatum ut ſic conſtituunt, non magis dicti epiſcopi ſucceſſores eorum eſſe poſſunt, quam quivis alii miniſtri. Erant enim immediatè à Chriſto vocati: præterea infallibiles: etiam inſtructi univerſali poteſtate qualvis totius orbis eccleſias plantandi, confirmandi, reformandi, dirigendi, &c. (uti ſupra *lib.* 2. *tract.* 2. *cap.* 2. explicuimus:) Unde probabitur epiſcopos in aliquo iſtorum ſuccedere Apoſtolis? Aut in

Digitized by Google

in alia aliquâ ordinariæ poteſtatis eccleſiaſticæ parte (ut, ordinis, aut regiminis, aut juriſdictionis) ſolis iiſdem ſuccedere, excluſis omnibus aliis miniſtris? Aut ſolos eos jure hujus prætenſæ ſucceſſionis, eſſe & dici paſtores eccleſiarum? Immo contrarium conſtat ex *1 Petr. 5. coll.* cum *Actor. 20.*

III. *Object. Ex exemplis Timothei & Titi.* Reſp. 1. Nulla eſt conſequentia: quia munus & poteſtas eorum fuit extraordinaria. Vide ſupra *lib. 2. tract. 2. cap. 3.* Nec probari poteſt, ullum actum controverſi epiſcopatus proprium *Timotheo* aut *Tito* tribui: uti plenè & accuratè nuper hoc oſtenſum eſt ab anonymo in tract. Anglico, cui tit. *Timotheus & Titus exepiſcopati.*

IV. *Object. ſubordinatur aut annectitur objectioni præcedenti, deſumpta ex ſubſcriptione epiſtolæ poſterioris ad Timotheum.* Reſp. 1. nec iſtam, nec ullam aliam epiſtolarum ſubſcriptionem eſſe partem textus ſacri & θεοπνεύστου, jam pridem à *Beza* in notis, aliiſque commentatoribus oſtenſum eſt. 2. Verba illa, unde epiſcopatum probant, ſequioribus ſæculis huic ſubſcriptioni ab aliquo infarcta (forte ut epiſcopatui jam emergenti hâc ratione ſuccurreret), colligere licet ex antiquis quibuſdam codicibus, à quibus abſunt, teſte Beza; & ex MS. & venerandæ antiquitatis codice Bibliorum, qui à *Cyrillo* Patriarchâ Conſtantinopolitano ante paucos annos donatus ſereniſſimo Magnæ Britanniæ Regi *Carolo*, in ejus bibliothecâ Weſtmonaſterienſi aſſervatur. Ibi enim verba illa ſatis durè infarcta non comparent, & conſequenter ſalvo, immo optimè fluente ſenſu eximenda? hoc modo: πρὸς Τιμόθεον δευτέρα, [τῆς ἐφεσίων ἐκκλησίας πρῶτον ἐπίσκοπον χειροτονηθέντα,] ἐγράφη ἀπὸ ῥώμης, ὅτε ἐκ δευτέρου παρέστη παῦλος τῷ καίσαρι νέρωνι.

V. *Object* Ex angelis ſeptem eccleſiarum *Apocal. 2. & 3. Reſp.* poſſe ſynechdochicè per angelum cujuſcunque eccleſiæ intelligi totum miniſterium, ſeu omnes miniſtros ſeu pesbyteros, immo totam eccleſiam per repræſentationem; intelligi. Et hæc exceptio de tropo, Rhetoricę utenti profanæ & ſacræ ſubnixa, ſufficeret impediendæ adverſantium victorię. Sed additur à nonnullis *cap. 2. v. 23. 24.* nos manuducere, ut ſic & non aliter intelligamus. Ibi enim dictum angelum eccleſiæ plurali numero compellari δώσω ὑμῖν ἑκάστῳ κατὰ τὰ ἔργα ὑμῶν. Et *cap. 2. v. 10.* μηδὲν φόβου ἃ μέλλεις πάσχειν. Et mox immediatè, ſubjicitur: ἰδὲ δὲ μέλλει βαλεῖν ὁ διάβολος ἐξ ὑμῶν, &c. Et poſtea redit ad numerum ſingularem: γίνου πιστὸς, &c. *Reſp. 2.* Unum aliquem ex miniſtris ordine primum aut perpetuò aut ſaltem pro tempore poſſe intelligi (qualis primus conſul aut primus nobilis in ſenatu, primus judex aut ſcabinus in dicaſteriis, primus miniſter in ſynedrio aut claſſe,

claſſe, prima claſſis in ſynodo) ad quem directa fuit epiſtola, & per quem ad reliquos. Sic *Bezá*, *Raynoldus*, &c. Et hinc ne umbra quidem argumenti pro controverſo epiſcopatu.

VI. *Object. Ex analogiâ regiminis eccleſiæ veteris teſtamenti, ubi Pontifex, & principes ſacerdotum, à reliquis ſacerdotibus diſtincti.* Reſp. 1. Conſequentia hæc infirma eſt: uti theologi reformati reſpondent Pontificiis ex hierarchico iſtius temporis regimine Oecumenici Pontificis monarchiam probantibus, Vide Antagoniſtas *Bellarmini*, alioſque de poteſtate Papæ. Habebat enim eccleſia illa ejuſque miniſterium multa typica, aliaque particularia & ambulatoria, ad quæ in ſpecie eccleſia *N. T.* non tenetur. *Reſp.* 2. Nondum probatum eſt ἀρχιερεῖς principes, qui ita dicuntur ſacerdotum, primatum & epiſcopalem autoritatem in eccleſiâ tunc obtinuiſſe *ſupra* alios ſacerdotes; & non primitatem ordinis.

VII. *Object.* Additur conſenſus communis & perpetua praxis eccleſiæ, jam inde poſt apoſtolos, uſque ad reformationem, imprimis Genevenſem & Gallicanam. *Reſp.* De hoc ad tertium hujus controverſiæ membrum dicendum erit.

§. 7. Hâc primâ queſtione determinatâ deducimus hæc poriſmata.

I. Quod ſi epiſcopatus non eſt *juris divini poſitivi*: ergo nec archiepiſcopi, nec metropolitani, nec primates eccleſiarum nationalium, nec Cardinales. Qui & quales ſint eccleſiaſtici illi gubernantes, cognoſces breviter ex *Lalii Zecchi lib. de Republ. Eccleſiaſticâ.* Et ſi quis plura requirat, videat autores ibi cit., & *Ugonium de præſtantiâ patriarchali*, (adde ex noſtris *Seldenum* in notis ad *Eutychium*), *Hieronymum Platum de officio & dignitate Cardinalium.*

II. Multò minus Papa Oecumenicus, cum ſuis nuntiis & legatis, curiâ, cancellariâ, camera, & examine officialium ac curialium. De quorum agendis, titulis, dignitatibus, prȩcedentiis autores Papales conſulendi: quos infra indicamus.

III. Nec juris divini eſſe Epiſcoporum vicarios, aut epiſcopos titulares, adhȩc archidiaconos, quos eccleſiaſticis gubernantibus vulgò annumerant.

IV. Idem ſtatuendum de præpoſitis ſeu archipresbyteris, Decanis capitulorum, Decanis parochorum ruralibus; qui ſe decanos chriſtianitatis in N. vulgo indigitant.

V. Nihil decedere ſed potius multum accedere reformationi, & eccleſiarum noſtrarum integritati, quod Epiſcopi, aliæque omnes creaturæ humanȩ jam deſignatæ in iis eſſe deſierint. Quiquid contra hirarchici nonnulli, cum *Grotio*, ἔγκλημα & ἀταξίαν reformationi noſtræ objicant.

Se-

Digitized by Google

Secundum controverſiæ membrum eſt, *An dictus epiſcopatus ſit juris* §. 8.
divini permiſſivi: hoc eſt an forma & modus regiminis & politiæ eccleſiaſticę in N. T. ſit indeterminatus & adiaphorus, & relictus liberę determinationi ſive eccleſiarum, ſive poteſtatum ſæcularium, ſive utrarumque, pro ratione & conditione perſonarum, locorum, temporum: haut aliter ac de ſpeciebus ſeu formis regiminis politici judicari ſolet. Affirmantem hic tenent nonnulli hierarchiæ patroni in Angliâ. Nec admodum ab iis diſcedere videtur *Georg. Downamus* in concione illâ, quam refutandam ſibi ſumpſit *Gerſon Bucerus*: ubi concedit regimen presbyteriale eſſe argenteum, ſed epiſcopale aureum. Quod ab illo dici non poſſet, niſi ſentiret poteſtati & libertati eccleſiæ permiſſum eſſe, ut talem regiminis formam ſibi eligat, quam putaverit rebus ſuis maximè convenire.

Negantem defendunt anti-hierarchici: inter quos imprimis doctè & operosè hoc agere mihi viſus eſt *Parkerus tract. cit. lib.* 1. Rationes apud ipſum vide. Summa ſummarum hæc ſit, quod textibus ſcripturæ & argumentis pro Neg. primæ quęſtionis ſupra allatis libertas eccleſiæ hâc in parte circumſcripta, illique exſertè præſcriptum quâ ſpecificâ regiminis formâ uti debeat, & Magiſter Eccleſiæ Chriſtus eam in his terris regi velit. Exceptiones adverſariorum capitales ſunt duę: quarum *Prior*, quamvis ex doctrina & mandato Apoſtolorum conſtaret de regimine presbyteriali, inde tamen jus divinum perpetuum & immutabile non inferri: Poſſe enim dici, totum hoc fuiſſe ambulatorium, & pro ratione iſtius temporis tunc quidem arbitrariò & liberè adhibitum, cum eccleſia N. T. primum plantaretur, cumque gemeret ſub cruce, & Magiſtratus ab eâ alieni eſſent: nihil tamen prohibère, quin aliter in poſterum gubernari poſſet, ſi ſcil. tempora mutarentur, & eccleſia ad libertatem & majorem ſplendorem perveniret. *Reſp.* Hoc λίαν μέγα αἴτημα ſi ſibi ſumere velint, non video quomodo Pontificiorum hiatum obſtructuri ſint, cum omnes ſuas traditiones dogmaticas & rituales, poſtmodum ingreſſas eccleſiis obtruſas defendunt. Vide epiſcopatus antagoniſtas ſupra cit. *poſterior exc. Exemplum & praxis Apoſtolica* circa regimen eccleſiæ non fundat jus divinum poſitivum & perpetuum. *Reſp.* Contra egregiè diſputat *Parkerus*, & poſt illum anonymi theologi Londinenſes, qui diſciplinam eccleſiæ adverſus Eraſti peculiarem opinionem ſuperiori anno, erudito tractatu vernaculè edito aſſeruerunt. Sed dato, non conceſſo, arbitrio & poteſtati eccleſię cujuſcunque relictam eſſe electionem & applicationem talis formæ regiminis, qualis quam maximè ædificationi eccleſię inſerviret? negamus tutius ac convenientius eſſe rigimen Epiſcopale quam presbyteriale: idque propter has rationes.

I. *Rat.* Quia eccleſia Apoſtolica tali regimine uſa non eſt; ſed presbyteriali, uti ſupra dictum eſt. Ne ergo ſapientiores eſſe velimus ipſis Apoſtolis.

II. *Rat.* Quia repugnat judicio & praxi primæ & antiquiſſimæ poſt Apoſtolos eccleſiæ. Tutius ergo eſt ejus ſimplicitatem imitari, cum typhus ſæculi, & tam multiplex rituum ac morum Gentilium κακοζηλία & mixtura eam nondum infecerat. Qualis autem fuerit praxis antiquiſſimæ eccleſiæ, infra ad tertiam quæſtionem tribus verbis indicabimus.

III. *Rat.* Quia proclivis occaſio, & facilis aſcenſus, ſeu mavis deſcenſus, ad cardinalem faſtum, tyrannidem eccleſiaſticam, ac injuſtam in fratres & clerum domini dominationem (contra 1 *Petr.* 5. 2 *Cor.* 1. *v. ult.*) denique ad papalem monarchiam. Uti triſtis experientia docuit: teſte hiſtoriâ eccleſiaſticâ, & inde compendio & concinnè hoc exhibente *Calvino lib.* 4. *Inſtit. cap.* 7. Et neceſſariâ conſequentiâ ex conceſsâ poteſtate Monarchicâ Epiſcoporum in ſuâ diœceſi, inferri Monarchicam Pontificis Oecumenici poteſtatem, inter alios ſolide probant *Parkerus* & *David Caldervvood* ſupra cit. Et certè à nullis clericis magis petita fuit libertas populi, poteſtas populi, poteſtas Clericorum, libertas conſcientię, fidei, ac pietatis, quam ab Epiſcopis.

IV. *Rat.* Quia in ſuperbia, ambitione, & hinc contentionibus, ſciſmatis, erroribus, reformationis & diſciplinæ impedimento, jugi dominici abjectione, debitæ obedientię negatione ſemper aut plerumque primi fuerunt. Et ne hic curſus eorum ſiſteretur, & ut ambitionis ſuæ faſtigium tanto melius attingere poſſent, curſitationibus, aſſentationibus, & prenſationibus aulicis libertatem atque autoritatem eccleſiaſticam prodiderunt; venalem eam habendo aut ludibriis hominum ſæcularium proſtituendo. Unum enim aut paucos, penes quos ſumma rei, turpiter κολακεύοντες adorant, illiſque ſe ſerviliter ſubjiciunt; ut omnes alios, præſertim fratres ſuos ſibi ſubjiciant, & proculcent. Experientia hoc docet. Conferat etiam, cui vacat, *Brightmanni commentar.* in *Apocal.* 3. *v.* 16. 17. Nec eſt quod excipiant, hæc vitia tantum hominum eſſe, non ordinis non muneris: Paulo poſt dicemus zizania hęc genio quodam iſtius poteſtatis ſeu ordinis ſponte & fertiliter pullulare.

V. *Rat.* Quia inſtar pontis eſt, per quem reducatur, aut facilius ingrediatur Papatus, aut quęvis alia hæreſis, & vera religio exturbetur; ſi modo circumveniatur Imperator, Rex aut Princeps quilibet, penes quem ſumma rerum. Exemplum dederunt tempora illa, cum mundus ingemiſceret videns ſe *Arrianum* factum. Vide Annales eccleſiaſticos ab anno 337.-361. Quid alibi ante paucos annos moliti ſint plerique epiſcopi; & quantum per eorum aut ignaviam aut perverſitatem profecerit cauſa Pa-

Papalis, docebunt hiſtoriæ, & prædixiſſe illud fertur celebris ille apud Venetos theologus *Paulus Scarpi.* Colluſio enim illa & homogenia in regimine hierarchico, & in ritibus nonnullis, cum tempore etiam dogmata poſt ſe trahit; aut ſaltem periculoſum cum Romanâ eccleſiâ ſyncretiſmum.

VI. *Rat.* Quia nimis ſymbolizare & colludere videtur cum Ethnico, Judaico, Mahumediſtico ſacrorum regimine. Quod quamvis per ſe & ſolum ejus cauſam non condemnat; tamen non commendat ſaltem.

VII. *Rat.* Quia nimis periculoſus eſt, & proximè illi adjacent, ſi non ſecreto infuſa ſunt, pietatis, diligentiæ, zeli tum in conſcientiâ propriâ tum in eccleſiâ publicè privatimque ædificandâ, curandâ, & vel ad ſanguinem certando, remiſſio, ἥττημα, ἀργία; denique inertia & ineptitudo. Quia enim tam multas eccleſias, & tam multa negotia ac cauſas diœceſianas curare volunt aut debent, & circa politiam & regimen exterius tam frequenter ſi non plerumque verſari, & hinc per nexum ac combinationem vix diſſolvendam ſeculares Principes ac poteſtates accedere, bona omnia, privilegia, & immunitates eccleſiaſticas curare, magnas expenſas facere, amplos reditus ſibi deſpicere, iis præeſſe, ſalutantibus & compellantibus vacare, τοῖς βιωτικοῖς aliiſque ſæcularibus negotiis nimium implicari; ut parum temporis ipſis reſtet quod propriis ſtudiis & meditationibus, propriæ conſcientiæ ac devotioni, publicis concionibus, adverſariorum convictionibus, privatis inſtitutionibus, conſolationibus, adhortationibus impendant: ita ut in his ſimilibuſque excellere ac paria cum aliis piis, eruditis, ac ſtudioſis miniſtris facere vix poſſint. Et quid ſi artibus & ſtudiis illis internè ac propriè eccleſiaſticis ſe omnino non ſubtraherent, & vicariis non demandarent (ut ferè facere ſolent); quotuſquiſque tamen ex plebe eccleſiaſticâ viri tam occupati univerſalioribus negotiis; & in illâ ὑπεροχῇ ſupra alios miniſtros conſtituti operam paſtoralem familiariter & privatim poſcere auderet pro ſe aut familiâ ſuâ, aut amicis?

5. *Quia* hinc conſequitur, quod pravâ æmulatione adverſus piiſſimos, doctiſſimos, diſertiſſimos, laborioſiſſimos miniſtros concitentur, cum quibus paria facere non poſſunt, & quorum miniſterium propterea apud populum fidelem in majori veneratione eſſe vident, quam ſuam ὑπεροχὴν epiſcopalem. Ex hâc prava æmulatione tandem naſcitur tacitum miniſtrorum illorum ſi non odium, ſaltem faſtidium, & non raro impeditio juſtæ promotionis eorum, forte & perſecutio.

6. *Quia* ἰδιοσυγκρασίᾳ quâdam non tantum libertatem populi, autoritatem miniſtrorum, diſciplinam eccleſiæ, reformationem inveteratorum abuſuum in doctrinâ aut moribus impedit, deprimit, & oppugnat; ſed &

autoritatem Magiſtratuum inferiorum, immò & ſupremorum, ipſorumque Regum, Principum, Imperatorum.

VIII. *Rat.* Suſpectum meritò reddit epiſcopatum, quod complures pietate, humilitate, eruditione, & prudentiâ præcellentes viri eum declinaverint & fugerint: non pauci etiam, cum ad tempus eum geſſiſſent, planè depoſuerint aut abjecerint, tanquam onus meliora impediens. Quomodo viri pii & ad ædificationem eccleſiæ jam efformati atque idonei, bonâ conſcientiâ fugere aut deponere potuiſſent hierarchicum hunc epiſcopatum, ſiquidem divino juri eundem eſſe credidiſſent cum illâ curâ paſtorali, de quâ 1 Timoth. 3. *Qui epiſcopatum deſiderat bonum opus deſiderat*, &c.

§. 9. Reſpondemus nunc ad objectiones.

I. *Objett.* Quia unitati, paci, & eutaxiæ eccleſiaſticæ hoc regimine optimè conſulitur, & ſciſmata præcaventur. *Reſp.* 1. Contrarium potius docuit experientia. Unde in antiquâ eccleſiâ tot monſtroſæ hæreſes, tot factiones, ſciſmata, contentiones, niſi à ſolis ferè Epiſcopis? An melius habuerit eccleſia Anglica aut Scotica per epiſcopatum, quam eccleſiæ presbyteriales in Galliâ, Belgio &c. dicat hiſtoria rerum geſtarum; & ſatis clamant libelli, qui in Anglia ſine numero volitârunt. Ante omnia ex illis ortum tandem bellum quod hodie nondum exſtinctum. (hæc ita ſcribebam anno. 1648.) 2. Et quidquid hic factum fuiſſet; damna præſentanea hinc emergentia præponderant bono, quod prætexitur. Quod ſuadet, epiſcopale regimen ſaltem hoc nomine non eſſe præferendum.

II. *Objett.* Quia hæc exſpectanda præmia, & ſpes promotionis atque aſcenſus ad majores dignitates eccleſiaſticas, alliciunt præſtantiſſima ingenia, etiam liberos magnatum, ut theologiæ operam dent, & gradus eccleſiaſticos ſuſcipiant *Reſp.* Rationes hæ ſunt κοσμικαὶ & meræ mundanæ, & conſequenter heterogeneæ. Talibus non uſus eſt Chriſtus cum vocaret diſcipulos & apoſtolos *Math.* 8. 19. 20. *Iohann.* 21. 8. *Actor.* 9. *v.* 15. 16. Qui Chriſtum propter Chriſtum non diligit, non ſequitur, & ex purâ vi dilectionis Chriſtum (*Iohann.* 21. 2 *Cor.* 5.) non prædiceat, non dignus eſt qui prædicet Chriſtum. Et qui talibus rationibus ſive magnatum, ſive mediocrium ſive plebeiorum liberi, huc impelluntur, rarò Chriſtum ἁγνῶς prædicabunt, ſed carnaliter & mundanè *Philipp.* 1. 16. coll. cum *cap.* 3. & 1 *Tim.* 6.

III. *Objett.* Quia hâc ratione regimini & tranquillitati Rerumpublicarum optimè proſpicitur contra anarchias, ſeditiones, factiones populares. *Reſp.* 1. Contrarium verum eſt, & docuit experientia. Repete hiſtoriam reformationis in Helvetiâ, Daniâ, Sueciâ, Galliâ, Germaniâ, Scotiâ. 2. Dato alicubi aliquid huc contuliſſe epiſcopos: non tamen negandum, quin ſæpe arbitrarium & pluſquam monarchicum regimen promoveant potius,

quam

quam innoxiam populi libertatem ac privilegia: ut in Belgio noſtro docuit exemplum novorum epiſcoporum. 3. Quidquid in Repub. præſtent; hoc totum habet ſe per accidens eccleſiæ: neque enim eccleſia eſt de ratione politię (quamvis ſit in politiâ), nec vice versâ.

IV. *Object.* Quia ſaltem optimè convenit regimini monarchico: immo, ut nonnulli contendere videntur, presbyteriale regimen, aut aliud quodcunque magis populare, eſt ἀσύςατον cum Monarchiâ. *Reſp.* 1. Contrarium docet experientia in Scotiâ, Galliâ, Poloniâ, & in Bohemiâ, quamdiu eccleſiæ noſtræ illic florerent. 2. Præſupponitur falſum & juri divino (*Luc.* 22.) repugnans, de eccleſiâ Chriſti aptandâ ad ſæculum, & efformandâ ad exemplar regiminis politici. Sic Papalis hierarchia ad modulum Imperii Romani perperam formata fuit. 3. Ergo non convenit ſaltem regimini democratico, aut ariſtocratico, aut democatico-ariſtocratico, quale eſt Helvetiorum, Venetorum, Genuenſium, Lucenſium, Belgarum Fœderatorum, Genevenſium; Quibus & affines ſunt liberæ civitates in Imperio, ut Lubeca, Argentoratum, Norimberga, Brema, &c.

Tertia quæſtio eſt magis theoretica, quippe hiſtorico-theologica; An Epiſcopatus ſit antiqui juris eccleſiaſtici. *Aff.* Pontificii, & Hierarchici. Sed *Neg.* ipſorum Antagoniſtę. Vide hanc cauſam diſceptatam inter alios à *Beza* contra *Saraviam*, imprimis etiam *Gerſone Bucero* contra *Downamum*. Adde ex recentiſſimis ſcriptoribus *Salmaſium* contra *Petavium*, & in antiquitate eccleſiaſtica verſatiſſimum *Davidem Blondellum* in Apologia, &c. 1646. Jam inde ab Apoſtolorum temporibus non obtinuiſſe talem epiſcopatum in eccleſiâ Alexandrinâ conſtat ex chronico *Eutychii* Patriarchę Alexandrini, imprimis etiam ex notis *Seldeni* ad illud *chronicon*. Quod ad reliquas omnes eccleſias in Imperio Romano, conſtat ex teſtimonio dicti Ambroſii, & Hieronymi, & ex ſcriptis ac monumentis quæ ſuperſunt ex primis tribus ſæculis, Eccleſias primum communi conſilio presbyterorum gubernatas fuiſſe, & à presbyteris unà cum Epiſcopo manus ordinandis fuiſſe impoſitas. Quin & tempore *Cypriani*, qui floruit ſub finem tertii ſæculi, presbyterorum autoritatem in regimine etiamnum obtinuiſſe, abunde docent ejus epiſtolæ: Erant ergo tunc nomine quidem diſtincti & κατ' ἐξοχὴν dicti epiſcopi, ſed re primi inter presbyteros, & præſides collegii eccleſiaſtici. Quin & poſt *Concilium Nicenum*, cum jam fimbrias ſenſim ſine ſenſu admodum dilataſſent Epiſcopi, non veritus fuit *Auguſtinus* dicere in epiſtolâ 19. ad *Hieronymum*: nomine & uſu eccleſiæ epiſcopum presbytero tunc ſuperiorem fuiſſe. Et ipſe *Hieronymus*, nihil etiam tunc feciſſe epiſcopum, quod non faceret presbyter, exceptâ ordinatione. Sed hæc aliaque in *Blondello* aliquando legent ſtudioſi. Nos leviter, quaſi lemmate quodam indicamus. §.10

Digitized by

§.11 Quarta quæſtio eſt, ſed magis practica; An in eccleſiis tolerari debeat aut poſſit Epiſcopatus? Hic diſtinguemus prius tolerantia & tolerantes, *Tolerantes* ſunt vel integræ eccleſiæ & collegia eccleſiaſtica: vel ſinguli miniſtri: vel privati fideles: vel Magiſtratus fideles. *Tolerantia* eſt vel purè paſſiva; vel mixta ſeu aliquo modo ſive directè ſive indirectè activa. *Illa* eſt vel tacita & ipſo facto; vel expreſſa, quæ fit verbis, ſtipulatione ſcil. & promiſſione aut ſubſignatione. *Iſta*, poteſt eſſe *duplex*. *Una*, cum quis promittit *ſilentium* perpetuum atque *univerſale*; adeo ut confeſſionem melioris & orthodoxi ſenſus ſui nullam editurus ſit, nec aliorum conſcientias publicè privatimve informaturus, nec cauſam veritatis defenſurus, nec directè aut indirectè quidquam ad reformationem aut ſublationem ejus conſulturus, acturus. *Altera*, cum qui inſuper promittit ejus promotionem & ſtabilimentum per communia & recepta ibi eccleſiaſtica collegia, decreta, eorumque executionem contra diſſentientes aut ab ordine jam conſtituto deviantes: ita ut non in ſolo ſilentio, ſubductione, & abſentiâ ab illis ſubſiſtatur ſed & poſitivo ſuffragio. aut ſi ſuffragium ipſius potioribus aliorum ſuffragiis vincatur, poſitivâ executione, quæ fit nomine collegii (contra quam exſertè non proteſtatur) partem faciat. Rurſum tolerantia eſt *vel* primæ introductionis Epiſcopatus per eccleſiaſticorum potioribus ſuffragiis in collegiis ſuperantium abuſum; aut per politicorum uſurpationem & abuſum, fruſtra contra proteſtante & gemente eccleſia: vel continuationis ejuſdem epiſcopatus, qui antiquitus ibi obtinuit. Nunc concluſionibus aliquot pro modulo determinemus, poteſtati nos hic conſilia prudentiæ ſuggerere quæ tutiſſima, aut minus periculoſa, & conſcientiæ integritati ac tranquillitati nec non eccleſiæ ac religionis bono maximè convenire nobis videntur, ſalvo tamen aliorum judicio.

I. *Concl.* Tolerantiam primæ introductionis quæ fit invitâ plane eccleſiâ per Magiſtratum, nullo modo ſanciendam puto à totâ eccleſia & conventibus eccleſiaſticis, nec ab ullis miniſtris ſigillatim approbandam; ſed potius miniſterium ibi deſerendum: ne quis pontem ſternat, per quem paulatim Antichriſtianiſmus ſive eccleſiaſticus, ſive pſeudo-politicus (qui longè pejor & intolerabilior eſt) ingrediatur. An autem privata eccleſiæ membra ſigillatim ſibi illic aut alibi proſpicere, & aliorum orthodoxorum cœtuum communionem quærere debeant potius, atque ita navem conſcientiæ & fidei ſuæ in tuto collocase, quam in illo uſurpationis & ἀταξίας mari diutius perclitari; merito diſquiri poſſet. Ego quamvis condemnare nunc nolim factum eorum qui manerent in illâ externâ communione; nulli tamen autor eſſe velim ut maneret, nedum ut terminare auſim, neceſſariò eſſe manendum. Ratio eſt, ſi ita malos & tyrannidem eccleſiaſticam ſemper toleramus,

Digitized by Google

leramus, illi proficiunt in deterius & audaciores facti ad alia ac pejora tentanda ſe conferunt, & ſic tandem malum redditur inſanabile; & nos non proficimus in melius, moleſtâ tolerantiâ paulatim degenerante in faciliorem, & hâc in indifferentiam, ad quam tandem plerumque ſequi ſolet approbatio, ſi non noſtra, ſaltem noſtrorum poſterorum. *Principiis obſta, ſero medecina*, &c.

II. *Concl.* Eandem primæ introductionis per potiora ſuffragia miniſtrorum non videri ſaltem præſtandam à piis miniſtris ſigillatim; ſed potius ab uſurpatoribus & Diotrephis illis ſecedendum, quod ad miniſterii ſocietatem & communionem; ne participes fiant peccati eorum: quomodo apoſtolus loquitur de iis qui cito alicui manus imponunt 1 *Timoth.* 5 Non tamen videri privatos quoſque fideles pari neceſſitate conſtringi ad deſertionem communionis eccleſiaſticę; ſed poſſe meliora tempora exſpectare.

III. *Concl.* Tolerantiam poſſe promitti & preſtari à miniſtris quod ad continuationem epiſcopatus antiquitus recepti, & de novo eccleſiaſticè ac politicè ſtabiliti: modo nihil teneantur facere, aut verbis aut ſubſignatione promittere, quo ſaniori ſenſui ſuo de regimine eccleſię; ejuſque modeſtę & prudenti explicationi ſive publicæ ſive privatæ, & debitis ac legitimis conſiliis de pleniori reformatione quidquam præjudicent, & contra bonam cauſam ejuſque pios zelotas *directè* aut *indirectè* quid agant: ita ut tantum tolerent malum, quod & quamdiu illud legitimè tolli non poteſt. Etiam ſedulò cavendum, ne nimis diuturna & patiens tolerantia paulatim inducat nos ad neutralitatem & indifferentiam, & ſic tandem ad approbationem. Atque per hujus diſtinctionis ſive in ſenſu ſive in praxi, non obſervationem, puto alicubi ante hac occaſionem datam fuiſſe controverſiæ inter miniſtros Conformiſtas & non-conformiſtas. De privatis fidelibus qui, ut miniſtri, promiſſionibus, ſubſignationibus, aliiſque in illo regimine eccleſiaſtico communicationibus non ita implicantur, non eſt dubitandum, quin à communione eccleſiaſticâ ideo non teneantur ſecedere, tolerando regimen epiſcopale antiquitus ibi receptum, aut per reformationem non mutatum: ſic tamen ne ſe & poſteros ſuos in genuini regiminis Apoſtolici cognitione & agnitione confirmare deſinant, omniaque legitima conſilia & media quâcunque occaſione pro modulo & vocatione adhibere, quibus aliqando in melius hæc tolerata mutari poſſint. Ex hâc ratione arbitror Browniſtas ita dictos, ſive Separatiſtas in Angliâ ab orthodoxis, quamvis maximè Anti-hierarchicis, oppugnatos fuiſſe.

IV. *Concl.* Non poſſe ab eccleſiâ aut eccleſiaſticis conventibus diutius tolerari continuationam recepti epiſcopatus, ubi poteſtas & potentia adeſt, ſaltem potioribus ſuffragiis eum mutandi & reformandi. Talis enim tole-

rantia

rantia vitioſa eſt, & ſimilis illi *Sardicenſium* & *Laodicenſium Apocal.* 3. Ubi vide *commentar. Brightmanni.*

§.12 Quinta quæſtio, itidem practica eſt; *An conveniat admittere Epiſcopatum modificatum & limitatum, qui εὐταξίας causâ habeat unius inter concionatores titulo Epiſcopi ὑπεροχὴν & præſidentiam, ſalvâ presbyterialis regiminis ſubſtantiâ, eique accommodatam.* *Reſp.* 1. Ubi non eſt, ut introducatur, Neg. Hæc enim ſciographia ὑπεροχῆς, & titularis ac levis epiſcopatus in antiquâ eccleſiâ, & nuper in Scoticâ primævam ſimplicitatem ac libertatem regiminis eccleſiaſtici peremit, & tyrannidi ac factioni, indeque emergentibus aliis malis occaſionem dedit. *Reſp.* 2. Ubi eſt, ut retineatur, ſiquidem poteſtas & potentia adſit eum tollendi ibidem, Neg. Quod ſi poteſtas & potentia non adſit, tum abſque ullâ approbatione tanquam ἥττημα quoddam, tolerandus eſt. Rationes communes contra eum militant iſtæ.

I. *Quia* oligarchia introducitur; & efferuntur aut efferunt ſe ſupra fratres, qui perpetuâ miniſterii paritate & humilitate ſuâ gaudere deberent.

II. *Quia* via munitur ad monarchiam epiſcopalem: uti experientiâ edocti ſumus.

III. Reliquæ rationes ad ſecundam quæſtionem allatæ huc analogicè applicentur.

IV. Ratio rationum eſt quod tales periculoſæ occaſiones otioſè admittendæ aut accerſendæ non ſint.

§.13 Adjiciamus nunc problemata quædam conſectaria, aut ſaltem hinc controverſiæ affinia, quorum alia inter ſolos Pontificios theologos & Canoniſtas agitantur; ubi nos conflictus ſpectatores ſumus: alia etiam nos, noſtros aut noſtros aliquâ ratione attingunt. Iſta ſunt.

I. *Probl.* An ſapiat hierachiam Antichriſtianam, ſiquis aſſerat Epiſcopis competere dominium ſpirituale in eccleſiam eccleſiæque miniſtros; aut Epiſcopos quà tales ac proprio quodam jure dicendos dominos ſpirituales. *Reſp. Aff.* ex *Luc.* 22. 2 *Corinth.* 1. 1 *Petr.* 5.

II. *Probl.* An eandem hierarchiam ſapiat ſive aſſertio ſive conſuetudo illa, ſecundum quàm Epiſcopi verbi miniſtros, aut ludimagiſtros, aut privatos fideles, Eccleſiaſticè exorbitantes arreſto detinent, cuſtodiæ committunt, mulctis pecuniariis, verberibus &c. punire præſumunt: contra textus modo *cit. coll.* cum 2 *Cor.* 10. *v.* 4 aureum illud dictum Ambroſii: *Arma noſtra ſunt preces & lachryma.* Et illud Bernardi ad Eugenium: *I ergo tu & uſurpare tibi aude aut dominans Apoſtolatum, aut Apoſtolicus dominatum.* *Reſp. Aff.* Vide hanc uſurpationem in Papatu apud Diaz in praxi

praxi criminâli canonicâ, & in *commentario Lopez de Salzedo* ad praxin Diaz.

III. *Probl.* An qui Papalem hanc & ſæcularem epiſcoporum ἀλλοτριοεπισκοπὴν in criminalibus non approbant, Anabaptiſticæ ἀταξίας, aut Puritaniſmi, (hoc eſt, hæreſeos ſecundum nonnullos) accuſari poſſint? *Reſp.* Neg. Docebit hujus temporis hiſtoria, quam juſtis de cauſis *cameræ ſtellata, & celſa commiſſio*, cum epiſcopali *juramento ex officio*, & poteſtate coactiva & criminali Epiſcoporum in Anglia à Parlamento, etiam ſereniſſ. & potentiſſ. rege probante, abrogata ſit. (Sic ſcribebam a. 1648.) Nec niſi cyclopica licentia objici poteſt non tantum eccleſiis, ſed & politiis reformatis (pręſertim in Belgio noſtro) quæ talem practicam criminalem Epiſcoporum tanquam indecoram uſurpationem, ſi non tyrannidem averſantur.

IV. *Probl.* An epiſcopi in Gentiles, Mahumediſtas, Judæos, Pontificios, Arrianos, Socinianos, alioſque extra iſtam religionem & eccleſiam conſtitutos, poteſtatem epiſcopalem, ſpiritualem, aut eccleſiaſticam ſive regiminis ſive juriſdictionis exercere poſſint, contra *Iohan.* 21. 1 *Petr.* 5. *v.* 1. 2. 3. cum 1 *Cor.* 5. *v.* ult. *Reſp.* Neg. Quidquid enim hic fingatur & diſtinguatur, mera eſt uſurpatio poteſtatis politicę.

V. *Probl.* An ubi Epiſcopatus adhuc obtinet, piis miniſtris eum liceat affectare, aut ſaltem oblatum aut obtruſum recipere: idque hoc ſolum fine ut arceantur pejores, heterodoxi ſcil., profani, tyranni, perſecutores; aut cum orthodoxiæ ac diſciplinæ conſervatio, unitas, libertas, ſecuritas, reformatio eccleſiæ aliter redimi non poteſt. *Reſp. Neg.* 1. *Quia*, Non ſunt facienda mala &c. ex *Rom.* 3. Malum enim nunquam eſt eligibile, ut rectè ibid. Cajetanus. 2. *Quia* hâc ratione non tantum hierarchici in ſenſu ſuo confirmantur, ſed uſurpatio epiſcopalis apud neutrales & inſtabiles immo & apud rectè ſentientes in honoris thronum collocatur, & omnis reformationis ſpes ac conatus magis præſcinditur. 3. *Quia* puſillis, & piiſſimis fidei noſtræ conſortibus ſcandalum præbetur, contra *Math.* 18. *coll. cum* 1 *Cor.* 8. 4. *Quia*, ſibi abſque ſcrupulo conſcientiæ ex duobus illis malis minus (uti prætexitur) liceat eligere: quid ſolide reſpondebitur tum theologis tum Principibus ac politicis, qui non obſtante quod conſcientia ipſorum meliotibus imbuta eſſet, in Papatus communione manſerunt, prætextu ejuſmodi bonæ intentionis modo indicatæ.

VI. *Probl.* An poſſit ſuaderi Epiſcopo depoſituro alioquin Epiſcopatum ex proprię conſcientiæ convictione; ut eum retineat, ſaltem ad tempus, in bonum eccleſiæ, & reformationis: ut quidem magnus Theologus hoc ſuadebat *Hoopero Epiſcopo & martyri Anglicano*. *Reſp.* Rationem ex ſcripturâ nullam video, qua ſuaderi hoc poſſit.

Digitized by Google

VII. *Probl.* An Epiſcopis competat poteſtas temporalis. *Reſp.* Quà talibus, *Neg.* quamvis ex legitimâ conſtitutione principatus per ſucceſſionem aut electionem illis jure competere poſſit. Sed an conveniant aut expediat, ut ordinariò poteſtates & munera polititica & militaria epiſcopis, aliiſque miniſtris eccleſiaſticis imponantur, alibi & pluribus diſceptandum.

VIII. *Probl.* An cum non niſi per Papalem Epiſcopatum, aut Monachatum, aut Antichriſtianam ipſius Papæ Monarchiam eccleſiaſticam aſcendere quis poſſit aut aſcenderit, ad poteſtatem politicam; ſubditi etiam reformatæ religionis teneantur in conſcientia poteſtati illi politicæ (juxta *Rom.* 13.) ſe ſubjicere, eamque debitè honorare: quamvis in conſcientiâ & externâ profeſſione ſua improbent Papæ aut epiſcoporum poteſtatem ſpiritualem, item monachatum, prioratum, abbatiam, &c. *Reſp.* Aff.

IX. *Probl.* An introducendi ſint in eccleſias presbyterialis regiminis (quales noſtræ Belgicæ, Gallicæ, &c.) dicti ſuperintendentes, aliique ſupra reliquos miniſtros quocunque titulo ὑπερέχοντες *Reſp.* Neg. Et rationem nullam video, cur tale quid urgeret miniſter Belgicus: niſi *Diotrephicam*; quod ipſe forte affectaret & ſpe devoraret illam ὑπεροχήν.

CAP. V.

Continens diſquiſitionem de presbyterio & Epiſcopatu.

Anno 1658. 25. Septembr. & 16. Octobr. ad diſputandam propoſitam.

Intereſt cauſa Dei & Eccleſiarum noſtrarum, ut opus reformationis à crimine ἀναρχίας, ἀταξίας, & diſturbata atque everſa Politia divina ritè purgetur. Quamvis autem Pontificiorum aliorumque quorundam Epiſcopatus, contra presbyterium, ζηλωτῶν criminationes ſatis ſuperque à pluribus hactenus profligata ac protrita ſint: viſum tamen in gratiam amicorum quorundam id nunc poſtulantium, cauſa illius diſceptationem ὡς ἐν τύπῳ denuò proponere. Quod ut magis commodè & ad votum amicorum fiat, duas aſſertiones alicubi formatas, mihique exhibitas, in præſenti examinabo.

PRIOR ASSERTIO.

„ Regimen, quod vocant, presbyteriale nullum prorſus habet fundamentum in jure divino; multò minùs in praxi Catholicâ Eccleſiæ antiquæ per decurſum annorum plus quàm mille quingentorum.

POSTERIOR ASSERTIO.

„ Epiſcopatus ſive diverſitas graduum inter Miniſtros Euangelicos, nullo modo repugnat juri divino; quin etiam conformis eſt praxi univerſalis eccleſiæ purioris primitivæ.

Examen

Digitized by Google

Examen & refutatio aſſertionis prioris.

ASſertionis hujus utrumque membrum antequam refutamus, in tranſcurſu notari velimus, circa ejus formationem ſeu conſtructionem. §. 1.

I. Quod nulla definitio regiminis presbyterialis præmiſſa fuerit: ſed tantum deſignetur per *qui vocant*. Quinam illi ſunt *qui vocant*, an οἱ πολλοὶ, an ſapientes; an defenſores illius regiminis, an adverſarii, an neutrales? Si enim omnes unam eandemque rem nomine *regiminis presbyterialis* non intelligant; jam laboraretur luſu ambigui & fallacia ἑτεροζητήσεως; evaderetque tota hæc diſceptatio in diſputationem de non ente, & in colloquium ἀπροσδιόνυσον.

II. *Quod* rigidiſſimè dicatur, *nullum prorſus habere fundamentum in jure divino*. Certè moderatiùs & benigniùs judicârunt illa inter hierarchiæ defenſores, qui cenſuerunt modum & formam regiminis prudenti ac liberæ gentium, ſeu eccleſiarum determinationi à Deo relictum eſſe; & conſequenter, cum ſecundum circumſtantias perſonarum, locorum, temporum, quæque ſpecialiter aliquem ſpecialem modum regiminis determinaverint, illud ipſum eſſe *juris divini* permiſſivi: haud aliter ac regimen *ſæculare monarchicum*, aut *ariſtocraticum*, aut *democraticum*, aut *mixtum*, in aliquâ gente ſtabilitum. Ex illorum ergò ſententiâ regimen presbyteriale, quamvis non ſit *juris divini poſitivi*, eſt tamen *permiſſivi*; & hactenus haberet aliquid fundamenti in ſcripturâ. Hinc eſt quod *Georgius Downamus in concione de Epiſcopatu (pag. 595. apud Gerſonem Bucerum* qui eam diſſertationi ſuæ de gubernatione eccleſiæ inſeruit,) profeſſus ſit, illud eſſe *bonum argentum, licet aurum* (regimen ſcilicet Epiſcopale) *melius ſit*. Uti ergò regimen ſæculare democraticum aut ariſtocraticum non dicetur nullum prorſus habere fundamentum in ſacris literis ab eo qui prefert monarchicum: ſic nec ab epiſcopatus zelote, cætera tamen conſorte religioni reformatæ, dici non debebat, regimen presbyteriale nullum prorſus habere fundamentum. Niſi fortè in Pontificiorum & novatorum quorundam ſententiam deſcendere quis velit, & cum iis omne regimen, omnem ordinem reformationis ferociter contemnere, & ſciſmatis, atque ἀταξίας condemnare. Quin ergò apertè affirmatur *regimen hoc repugnare ſacris literis*; ſicuti negatur regimen epiſcopale iiſdem repugnare.

III. *Notandum*, videri formidoloſè dici regimen epiſcopale non repugnare ſacris literis. Cur non dicitur illud præſcriptum eſſe jure divino: contra presbyteriale eodem prohiberi, atque ei διαῤῥήδην opponi.

 IV.

IV. Notandum, nimis tenuiter & trepidè dici, regimen presbyteriale *non habere ſundamentum in praxi catholicâ eccleſiæ antiquæ.* Si quæ cauſæ fiducia, potius dicendum fuiſſet; illud præſcribi catholicâ doctrinâ eccleſię antiquę. Nam catholica, quę presbyterio negatur, praxis, non debet pręcipuè aut propriè fundare alicujus dogmatis, aut ordinis eccleſiaſtici veritatem: ſed ſolæ tabulæ juris divini, veritatem; & genuinus patrum, conciliorum, atque eccleſiaſticę hiſtoriæ conſenſus, antiquitatem, & aliquem poſt-Apoſtolicum catholiciſmum. Illud enim catholicum (teſte *Vincentio Lyrinenſi in Monitorio) quod omnes, quod ubiqe, quod ſemper.* Quod ad praxin & mores, notum eſt, eos à legibus tum in Republicâ, tum in Eccleſiâ frequentiſſimè diſſentire: Chriſtiani verò non factis, ſed jure; non moribus, ſed legibus ducuntur. Videtur ergò inſolens, aut neſcio quam occultationem ſapere, quod ſenſu & conſenſu antiquæ eccleſię præterito, ad ejus praxin provocatur: quaſi praxis & exempla hominum minimè ἀνυπευθύνων infallibilem regulam fidei & morum nobis præſtare debeant. Sed dato, non conceſſo, magiſterium aliquod praxi antiquæ eccleſiæ hâc in parte tribuendum, negamus chimæram illam catholicę praxios probari poſſe: uti infra videbimus. Ut jam non dicam Pontificios & Hierarchicos, aliàs illi tantum magiſterium minimè tribuere: alioquin ad paupertatem, humilitatem, aureos Sacerdotes, ligneos calices, confeſſorum & martyrum promptitudinem, ſeveram diſciplinæ eccleſiaſticæ exactionem, aliaque ἤθη ἀρχαῖα ipſis revertendum eſſet.

V. Illud: *per decurſum annorum plus quàm mille & quingentorum,* quid ſibi vult? An ergo cum primâ reformatione, aut paulò poſt eam, novitas reformationis antiquæ catholicæ praxi ſe oppoſuit? An reformatores noſtri fuerunt novatores? uti eos appellat *Rich. Montacutius* alibi in 2. *part. ſelect. diſp. tit. de tempore nativit. Chriſti* à nobis notatus? An praxis novitatis Papatus etiam ſub titulo *Catholicæ praxios* comprehendetur? ita ut ſynonyma ſint *τὸ Catholicum*, & *τὸ Papale* ſeu *Romanum*? An ſucceſſio & praxis verę eccleſię in ſolo Papatu & Papali Hierarchiâ jam inde ab a. 1100. uſque ad annum 1517. quærenda? an verò potiùs partim in teſtibus veritatis ſub Papatu, partim in eccleſiis Pedemontanis, Waldenſium, Wicleſiſtarum, Huſſitarum extra Papatum? Certè longè alia mens *Pleſſiaco in Myſterio iniquitatis*, *Marnixio in tabulis differentiarum ſeu alveario Romano tom. 1. Uſſerio in tract. de ſucceſſione eccleſiarum in occidente.* Quid ſi Pontificii petant, ut Hierarchici probent conjugium miniſtrorum in praxi catholicâ antiquæ eccleſiæ per decurſum annorum plus quàm mille & quingentorum fundatum eſſe? quid quæſo hic reſponderent?

VI. Cum dicitur, *diverſitas graduum inter Miniſtros Euangelicos nullo modo repugnat juri divino*; non ſatis diſtinctè ſtatus controverſiæ determinatur.

natur. Dicendum fuiſſet, jure divino poſitivo eſſentialiter differre poteſtatem epiſcopi à poteſtate presbyteri; ita ut ſolus epiſcopus ſit eccleſiæ paſtor & penes illum ſolum ſit omnis poteſtas eccleſiaſtica exterior tum regiminis tum juriſdictionis. Hæc eſt genuina Pontificiorum & Hierarchicorum ſententia directè ſententiæ presbyterialium oppoſita. Vide præter *Bellarminum lib. 1, de membris eccleſiæ militantis, cap. 14. Lanceloti Andreuws Epiſcopi Elienſis epiſtolas ad Petrum Molineum cum opuſculis ejus in 4.* editas.

VII. Nimis tenuiter & crypticè dicitur, Epiſcopatus *conformis eſt praxi univerſalis eccleſiæ purioris primitivæ.* An ergò non eſt conformis catholicæ Doctrinæ patrum & conciliorum? cur labilis & inſtar Protei mutabilis hominum praxis, conſtanti confeſſioni patrum, nec non conſtitutionibus & canonibus Conciliorum præfertur, ſeu potiùs illa præ iſtâ in ſcenam producitur? Quid hic lateat, fortè ex infrà dicendis apparebit. Cur etiam non additur, per decurſum annorum plus quàm 1650.

Præcognita, hic præſupponenda aut poſtulanda, ſunt iſta. §. 2.

I. Uti omne regimen ſæculare in monarchicum & polyarchicum ſpecificè diſtinguitur: ſic & eccleſiaſticum in epiſcopale & presbyteriale.

II. Uti formalis ratio & ſpecifica differentia monarchiæ in eo conſiſtit, quod ſuprema poteſtas & majeſtas in uno ſive abſolutè ſive limitatè reſideat; & polyarchiæ in eo, quod poteſtas non penes unum, ſed penes plures ſit: ſic formalis ratio regiminis epiſcopalis in eo conſiſtit, quod poteſtas eccleſiaſtica tum regiminis tum juriſdictionis penes unum ſit epiſcopum; & formalis ratio regiminis presbyterialis in eo, quod poteſtas ſit penes plures, & quidem pariter: ita ut quod ad eſſentiam poteſtatis, æquales ſint ſaltem κτήσει, ſi non χρήσει. Breviter *Pluralitas, communitas, & paritas* plurium ſunt notæ characteriſticæ presbyterii: *contra unitas & ſingularitas* ὑπεροχῆς atque autoritatis unius ſupra & in omnes alios presbyteros ſunt notæ epiſcopatus.

III. Eſſentialia & univerſalia regiminis epiſcopalis & presbyterialis ab accidentalibus, periſtaticis & particularibus diſtinguenda ſunt. Quorum iſta epiſcopatum ab epiſcopatu, presbyterium à presbyterio aliquâ ratione diſtinguunt: ſpeciem tamen non variant. Sic e. g. hodierni epiſcopi Galliæ ab epiſcopis Germaniæ diſtinguuntur: quod iſti tanquam principes ſæculares utrámque poteſtatem, politicam ſcilicet & eccleſiaſticam in ſubditos ſuos exerceant: illi minimè. Alibi *epiſcopi Papales* ſunt Legati nati, aut cancellarii perpetui &c. Alibi presbyteriales per delegatos ſuos in comitiis regni comparuerunt: alibi verò, immo pleriſque in locis reformatis, ſi non in omnibus aliis, non comparuerunt; nec quod ſciam, nunc comparent.

Non diſquiram hic quid juris divini aut humani ſit, quid eccleſiæ & Reipublicę magis expediat, aut non expediat (de quo alibi) ſed tantùm hiſtoricè refero, quid fiat aut factum ſit: ut per exempla illa declarem variare utrumque regimen in circumſtantialibus; unde tamen judicium pro ipſâ formâ regiminis aut contra eam ferri non debeat.

IV. *Gradualis differentia* ſeu diſtinctio graduum duplex eſt: una accidentali, altera eſſentialis. Quarum illa ſpecificam differentiam dicit: *iſta* minimè, juxta illud, Magis & minus non variant ſpeciem. *Prioris* exemplum dant gradus entium, eſſe, vivere, ſentire, intelligere: ubi perfectio gradualis viventis ſupra non vivens, ſenſitivi ſupra non ſenſitivum, intelligentis ſupra non intelligens ſpecificam infert differentiam. *Poſterioris* exempla dant qualitates inter ſe collatę, quæ gradibus variantur, magiſque & minus recipiunt; manente tamen eâdem eſſentiâ & ſpecie. Si ergò diverſitas graduum in accidentalibus olim inter presbyteros aut lege aut conſuetudine eccleſiaſticâ obtinuerit, aut etiamnum hodiè alicubi in eccleſiis obtineat (ex. gr. quod aliqui prę cæteris ſint & dicantur præſides, ſuperintendentes, inſpectores, ſeniores, antiſtites ſive πρόσκαιροι ſive perpetui, examinatores, actuarii, viſitatores, deputati, &c. id eſſentialia regiminis preſbyterialis, aut pluralitatem & paritatem non tollit, nec uni epiſcopo omnem paſtoralem authoritatem ac poteſtatem, ſive in unam eccleſiam ejuſque preſbyteros, ſive in multas eccleſias earumque presbyteros aut presbyteria vindicat. Minimè: non magis quàm conceſſa primitas ordinis, *Petro* primatum, aut Epiſcopi Romani primitas inter Patriarchas eidem Monarchiam Eccleſiaſticam vindicat. Uti noſtri accuratè hæc diſtinguere ſolent in controverſiâ de primatu Papæ. *Presbyteri, qui benè præſunt duplici honore digni ſunt* 1 Tim. 5. Et dantur inter eos boni, meliores, optimi: nec tamen tollitur ἰσοτιμία, & æqualitas in eſſentiali poteſtate; ſed manent ſympresbyteri ac fratres. Sunt inter Philoſophos, qui hominem collatè ad brutum dicant ſpeciem gradualem, ſeu potiorem ac perfectiorem ſpeciem animalis: eo tamen non negant brutum eſſe animal, nec homini ſoli eſſentiam animalis vindicant.

V. *Perfectio eſt vel eſſentialis vel integralis*: illi opponitur *τὸ non ens hoc*; iſti τὸ mutilum ſeu κόλοβον. Ita regimen presbyteriale eſt vel magis minuſve integrum, vel magis minuſve mutilum: utrumque tamen eſſentialiter eſt regimen presbyteriale, non epiſcopale; & habet eſſentialem perfectionem ac formam presbyterialis. Integritas presbyterialis regiminis complectitur iſta duo: Primò plurium presbyterorum, ſive docentium ſive gubernantium communem curam & προςασίαν in quâque particulari τοπικῇ aut parochiali eccleſiâ. Secundò poteſtatem & curam plurium preſbyte-

byterorum; per quam in uno diſtrictu aut provinciâ, aut regione communiter ac pariter tum immediatè & per ſe in conventu ſive minori (quem claſſem appellant) ſive majori, (qui ſtrictè ſynodus ſeu concilium dicitur) tum mediatè per delegatos ſuos negotia & cauſæ eccleſiarum in certam correſpondentiam unitarum, communibus ſuffragiis pertractantur. Quod ſi presbyteri plures tum docentes, tum gubernantes, & conſequenter conſiſtoria aut presbyteria topica deſint in aliquot urbicis aut vicanis eccleſiis, aut in pleriſque, aut etiam in omnibus univerſi diſtrictus aut regionis; inde aliud concludi non poteſt, quam eſſe ibi ἀτέλημα, nec regimen habere ſuam integritatem, ad quam ſemper contendendum, ut feramur ad perfectionem: uti colligitur ex *Hebr.* 6. *v.* 1. cum *Philipp.* 3.

VI. Neutiquam tamen negandum, regimen illud eſſe presbyteriale, epiſcopali contradiſtinctum. Multò minùs affirmandum, eſſe formâ & ſpecie epiſcopale. Meminimus, nobis lectum epiſcopatus defenſorem, qui ex omnium eccleſiarum reformatarum praxi hierarchiam aut quaſi hierarchicum ſeu ἐπισκοποειδὲς quid, aut re idem cum epiſcopatu, quamvis nomine diverſum, extrahere ſibi viſus eſt. Sed in eo fruſtrà fuit vir doctus, & ab aliis malè informatus. Ubicunque enim apud reformatos celebrantur ſynodi, in quibus presbyteri ex correſpondentiâ illâ diſtrictuali, aut provinciâ convenientes ſuffragia ferunt in condendis canonibus, in cauſis eccleſiaſticis terminandis, in regimine eccleſiarum ad ſynodalem illam unionem pertinentium dirigendo atque exequendo: illic non eſt regimen eſſentialiter epiſcopale, ſed presbyteriale. Quod in ſingulis topicis aut parochialibus eccleſiis non ſit conſiſtorium aut presbyterium, hoc mutilationem aliquam regiminis presbyterialis arguit, eſſentiam tamen ejus non tollit: non magis quàm homo pede aut digito truncatus, deſinit eſſe homo. Solent antehac in Belgio noſtro complures eſſe eccleſiæ vicanæ nec etiam hodie tales deſunt, presbyterio ſeu conſiſtorio locali deſtitutæ; ſoloque regimine in claſſibus & ſynodis gaudentes. An negligentiâ, aut potiùs perversâ diligentiâ concionatorum, an verò defectu virorum ad hæc munera idoneorum, hoc acciderit; nihil attinet hic inquirere. Saltem factum eſt: quin & decretum in favorem illius defectus anno 1612. hic conditum; cùm Remonſtrantium factio puram & primævam reformationem in doctrinâ pariter & regimine cœpiſſet adulterare. Sed quis ſanus inde inferret, regimen harum eccleſiarum eſſentiâ & ſpecie non eſſe presbyteriale?

VII. Mores non ſunt leges, nec praxis aliqua fundat jus, nec executiones regiminis ſemper cum ipſo regimine & canonibus pari paſſu eunt, aut cum iis convertuntur. A poſteriori ergò ad prius, conſequentia infirma eſt. In executione aut in factis particularibus ſubindè ambitionis aut contentionis,

nis, aut avaritiæ œſtro agitati nimium extendunt fimbrias ſuas, ut in regimine presbyteriali magis oligarchia quæpiam, aut tacitus epiſcopatus ſerpere videatur, quàm fraterna ἰσότης ſervari. Sed hæ ſunt vices mortalium; ut nihil eſt ab omni parte beatum, nihil in rebus & actionibus humanis ſtabile. Et quid ſi regimen presbyteriale in momento ira eclipſin aliquam patiatur, quod ad executionem: ideò tamen non exclamandum, illud penitùs periiſſe, & epiſcopatum illi ſucceſſiſſe. Nihil ſimul inchoatum & perfectum: nec omnis, quamvis validus, conatus ilicò effectum conſequitur.

§. 3. His præmiſſis & ſtatu controverſiæ rectè conſtituto, facilè eſt regimen presbyteriale, hoc eſt, plurium, contradiſtinctum regimini unius, hoc eſt, epiſcopi, habere ſuum fundamentum in ſacris literis, immo doctrinâ & praxi apoſtolicâ nobis præſcribi.

I. *Argum.* De ſingulis topicis ſeu parochialibus eccleſiis probatur ex 1. Timot. 4. *per impoſitionem manuum presbyterii.* Ubi dictus epiſcopus? 2 Corinth. 2. *à pluribus reprehenſum eſſe.* Hic actus eccleſiaſticæ correptionis & cenſuræ pluribus, in particulari eccleſiâ Corinthiacâ tribuitur: non verò uni epiſcopo; cujus etiam nulla mentio 1 *Cor.* 5. ubi tamen locus erat epiſcopo; ſuum tribuendi, & eccleſiam ad illum ablegandi. Actor. 20. *presbyteros eccleſiæ Epheſinæ* dicit eſſe *conſtitutos epiſcopos*, illiſque curam & regimen eccleſiæ illius divinitùs commiſſum. Hic jus divinum exſertè ſtat pro pluribus presbyteris, non pro uno paſtore, epiſcopo ſcilicet *Philipp.* 1. *v.* 1. *eccleſiæ Philipenſium cum epiſcopis & diaconis.* Hic ἐπισκοπὴ & regimen eccleſiæ iſtius cum epiſcopis & diaconis, non eſt unius epiſcopi. Porrò eundem eſſe presbyterum & epiſcopum, conſtat ex collatione. *Tit.* 1. Item 1. *Theſſal.* 5. *v.* 12. τὺς προϊςαμένυς. Alii inſuper addunt *Matth.* 18. *v.* 17. ubi non ad unum epiſcopum, ſed ad plures cauſam eccleſiaſticam deferre jubemur. An autem ad eccleſiam totam immediatè, an mediatè per conſiſtorium ad eandem ſit deferenda, & an vox eccleſiæ hic ſignificet totam multitudinem, an verò ejus repreſentamen, h. e. anteceſſores, delegatos; non eſt quod multis nunc diſceptemus: ſufficit indigitari plures, non verò unum epiſcopum. Nec arbitror quenquam extra Papatum cum Papiſtis (apud *Viguerium* in *Inſtit. c.* 12. §. 2. *v.* 8.) vocem *eccleſiæ* hic expoſiturum de epiſcopo, qui ſit eccleſia particularis aut diœceſiana virtualiter: quomodo *Bellarminus* Papam dicit eſſe eccleſiam catholicam virtualiter. Loci illius *Matth.* 18. *v.* 17. genuinam explicationem pro diſciplinâ eccleſiaſticâ contra detorſiones *Thomæ Eraſti* vindicavit *Beza*, in *tract. c. Eraſtum*; eundemque contra Hierarchicos, *Gerſon Bucerus* eruditiſſimus Theologus in *diſſert. de gubernat.* eccleſ.

II. *Argum.* De pluribus Eccleſiis in unam correſpondentiam ac ſocietatem

tatem ſive diſtrictualem, ſive diœceſianam, ſive majorem ſive minorem unitis, probatur ex *Act.* 15. *v.* 2. 22. ubi apoſtoli, presbyteri, & fratres, in ſynodo conſultant, decernunt, & ſynodalem epiſtolam ad alias eccleſias emittunt. Locum hunc pro ſynodorum legitimâ poteſtate contra exceptiones alicujus vindicavimus, in diſp. de claſſibus & Synodis: quam infra *part.* 3. *lib.* 1. inſeri curabimus. Conferantur antagoniſtæ Papatus in controverſiâ de conciliis; ubi oſtendunt jure divino à ſolis epiſcopis ſynodos non conſtitui.

Et hæc quidem ſufficere poſſent. Sed quia hierarchici tantum præſidii ponunt in primâ poſt Apoſtolos antiquitate: age ex abundanti oſtendamus, eam in præſtantiſſimis ſuis Doctoribus declaraſſe, jure divino pluribus (presbyteris ſcil.) non uni epiſcopo regimen eccleſiæ commiſſum eſſe. Ad hæc ipſâ praxi non uni epiſcopo (ſic dicto) omnem poteſtatem regiminis poſſidendam & exequendam fuiſſe relictam: ſed uſque ad ann. 130. eum inter presbyteros primum in illâ eccleſiâ locum obtinuiſſe, qui primus illic electus & ordinatus, cuique reliqui presbyteri creſcentis eccleſiæ neceſſitate id exigente poſtea ſucceſſivè fuerant adlecti. Poſtea verò mutato hoc ſucceſſionis ordine electum quem ex presbyteris donis, & meritis præſtantiorem, qui tanquam præſes & moderator collegio presbyterorum præeſſet, & reliquis presbyteris antiſtaret: manente tamen presbyterialis collegii in regimine eccleſiæ poteſtate. Sicuti enim poteſtas regendi urbem quamque, quæ κλήσει & χρήσει ad ſenatum urbicum pertinet, & poteſtas hujus noſtræ aliarumque vicinarum provinciarum uſque ad annum 1650. & poteſtas ſenatus *Veneti*, per conſulum, præfectorum, ducum ἐξοχὴν, non tollitur, adeoque regimen naturâ ſuâ polycraticum in monarchicum non transformatur: ſic antiquiſſima poſt-Apoſtolica eccleſia epiſcopis, ἐξοχὴν, primitatem, præſidentiam, moderationem inter presbyteros concedebat: poteſtatem vero & regimen presbyterio non abrogabat. Doctrinam & ſenſum antiquitatis (quidquid eſſet de praxi) uſque ad tempora *Hieronymi*, conſervata oſtendunt paucula hæc teſtimonia. *Hieronymus in commentar.* in epiſtolam ad *Titum* anno 387. edito: Idem „ eſt ergo preſbyter qui epiſcopus; & antequam diaboli inſtinctu ſtudia in „ religione fierent, & diceretur in populis *ego ſum Pauli*, *ego Apollos*, *ego au*„*tem Cephæ*, communi preſbyterorum conſilio eccleſiæ gubernantur. Antiquus ſcriptor cujus commentaria exſtant ſub nomine *Ambroſii*, in *epiſt.* 1. „ *ad Timoth. cap.* 5. in principio: Unde & ſynagoga, & poſtea eccleſia ſenio„ res habuit, quorum ſine conſilio nihil agebatur in eccleſiâ. Quod quâ „ negligentiâ obſolverit, neſcio: niſi fortè doctorum deſidiâ, aut magis „ ſuperbiâ; dum ſoli volunt aliquid videri. Hic commendatur communitas

 preſ-

preſbyterorum quæ prius obtinuit; culpatur monopolium Doctorum, & dictorum epiſcoporum, quod poſterius irrepſit.

Addatur & *Leo Romanus epiſt.87.* cujus dictum de electione miniſtrorum (quæ non minima pars poteſtatis & regiminis eccleſiaſtici) probat *Calvinus lib.4. Inſtitut. cap.4. §.12.* ,, Exſpectanda ſunt vota civium, teſti-,,monia populorum, honoratorum arbitrium, electio clericorum. Item, ,,teneatur honoratorum teſtimonium, ſubſcriptio clericorum, ordinis con-,,ſenſus ac plebis: aliter, inquit, fieri nulla ratio ſinit. Omnibus illis antiquior *Tertullianus* in *apologetico cap.39.* ,, Præſident probati quique ſenio-,,res, honorem iſtum non pretio, ſed teſtimonio adepti. Ecce tunc penes plures poteſtas & exercitium diſciplinę. Hoc enim innuunt verba præcedentia. ,, Ibidem etiam exhortationes, caſtigationes, & cenſura *divina.* ,, Nam & judicatur magno cum pondere, &c. ſi quis ita deliquerit, ut à com-,,municatione orationis & conventus, & omnis ſancti commercii relege-,,tur. Præſident probati quique, &c. Et hæc paucula ſuffecerint ad probandum antiquitatis ſenſum, etiam tunc cum praxis à doctrinâ, uſurpatio à jure, & conſuetudo ab antiquo ordine haut parum cœpiſſet diſcedere. Compluria teſtimonia ab aliis adferuntur: ſed hæc modo adducta ſatis ſuperque elidunt τὸ catholicum à Pontificiis eorumque aſſeclis hâc in parte jactatum. Nullibi enim legitur, oppoſitam hanc unius poteſtati ſententiam, ab eccleſiis, conciliis, orthodoxis ſcriptoribus iſtius ætatis fuiſſe erroris, aut hæreſios notatam.

Quod ad praxim, quamvis eam hominum vitio paulatim magis ac magis adulteratam tum in iſtis tum in aliis compluribus nec ipſi adverſarii regulam juris facere velint; eam tamen pluribus non uni regimen tribuiſſe conſtat ex epiſtolâ *Clementis ad Corinthios* (quæ una ex omnibus ſcriptis *Clementis* pro genuina à veteribus agnita, teſte *Euſebio lib.3. cap.37. 38.*) ante paucos annos, ſed lacerâ, Londini editâ. An hæc ſit decantata illa veteribus, ego non dicam, nec admodum curo. Saltem validum hinc adverſariis iſtiuſmodi *ἀρχαίων* nimium patientibus admiratoribus objicitur argumentum, de praxi primitivæ eccleſiæ non uni ſed pluribus, presbyteris ſcil. (illorum enim & diaconorum tantum ſit mentio per totam epiſtolam) omne regimen tribuentibus. Vindicatur luculentum hoc teſtimonium contra cujuſdam recentiſſimi exceptiones à *Joh. Oweno theologo Oxonienſi in præf. præmiſſâ tract. de perſeverantiâ*, Anglicè. Adde huic *Polycarpi* epiſtolam ad *Philippenſes*, ubi nullâ monarchę epiſcopi factâ mentione, ſic hortatur: *Subjecti eſtote presbyteris & diaconis, ſicut Deo & Chriſto.* Exſtat hæc epiſtola in Bibliothecâ patrum *Margar. de la Bigne.* Edita etiam cum operibus *Areopagitæ* Coloniæ anno 1557. Et cum ejuſdem operibus atque epiſtolis

Ignatii

Ignatii Argentorati 1502. Et cum epiſtolis *Ignatii*, *Martialis*, *Areopagitæ*, *Antonii*, Antwerpiæ apud Steelſium 1540. Et cum orthodoxographis patrum Baſileæ 1555. edente *Joh. Herold.* Nec prætereundum teſtimonium *Eutychii* Patriarchæ Alexandrini (qui 10. ſæculo floruit) de praxi primitivæ eccleſiæ Alexandrinæ, quę per duodecim presbyteros ſuos unum ex illis eligebat in patriarcham, *cujus capiti undecim reliqui manum imponerent, illique benedicerent, & Patriarcham eum crearent.* Sic ille in annalibus ſuis; quorum partem (tit. origines Eccleſiæ Alexandrinæ) a. 1642. Arab. Lat. editam debemus celeberrimo philologo *Joh. Seldeno* : qui *ibid. in proleg.* & *commentar.* multa congeſſit, quæ his aliiſque controverſiis antiquariis lumen aliquod inferant. Agmen claudat *Cyprianus*, qui *epiſt.* 35. 40. 46. 49. meminit presbyterii, hoc eſt collegii, ſive Senatus cleri: uti ex notis ad *epiſt.* 46. ex *Hieronymo*, explicat *Pamelius*, atque adeo oſtendit, ſuo tempore praxin illam regiminis eccleſiæ per plures presbyteros nondum plane exoleviſſe. Ne quis autem cum *Bellarmino lib.* 1., *de membris eccleſ. milit. cap.* 14. excipiat presbyteros illos eſſe tantum conſiliarios epiſcopi, nec autoritatem ejus in illorum cœtu eſſe, *ut conſulis in ſenatu, ſed ut principis in concilio conſiliariorum ſibi ſubiectorum :* velim lector attendat ad verba epiſt. LV. ad *Cornelium : florentiſſimo illic clero tecum præſidenti.* Et epiſt. 49. ad *Cornel. non de presbyterio excitari tantùm, & communicatione prohiberi.* Quod *Pamelius* ſic explicat: „ Si presbyterium accipitur pro presbyteri of„ficio, videtur mihi idem eſſe, quod ſuſpendi ab officio. Sin pro presby„terorum collegio, accipi mihi videtur pro eo quod hodie dicimus, ci„tari à presbyteris; maximè quum *de* pro *à Cypriano* ſit frequens. In„ſuper hæc explicat *epiſt.* 46. *ubi Cornelius epiſc.* Romanus ad *Cyprianum;* „ Omni igitur actu ad me perlato placuit contrahi presbyterium. Adfue„runt etiam epiſcopi quinque &c. ut firmato conſilio, quid circa perſonam „eorum obſervari deberet, conſenſu omnium ſtatueretur. Et ut morum om„nium, & conſilium ſingulorum dignoſceres, etiam ſententias noſtras „placuit in notitiam veſtri proferri, quas & ſubjectas leges. Hæc hactenus. Quæ reſtant ſequenti porte obſolvemus.

PARS ALTERA CONTINENS.

Examen & refutationem aſſertionis poſterioris. 16. *Octobr.* 1658.

ANtequam ad refutationem accedimus, præmittenda eſt definitio controverſi Epiſcopatus; ne diſceptatio ſit de non ente, aut de voce nihil ſignificante? ſiquidem homonyma ante factam diſtinctionem nihil §. 1.

 ſigni-

ſignificant. Definitio duplex inveſtiganda, nominis & rei. Quod ad vocem ἐπίσκοπος, ἐπισκοπὴ, notiſſimum eſt illis, qui Græcas literas aut *Philologiam Juridicam* deguſtârunt (vide *Lexicon Juridicum*), eâ notari quamvis inſpectionem, præfecturam, curam: appropriatè autem ſtylo Novi Teſtamenti uſurpari ad denotandam curam Eccleſiaſticam, quomodo & voces πρεσβύτερος, ἐκκλησία, ποίμνη, χειροτονία, &c. ad ſacra Eccleſiaſtica deſignanda illic adhibentur. Interpres Syrus cum Bibliis polyglottis Londini editus *Actor.* 1. *v.* 20. ἐπισκοπὴν αὐτοῦ exponit per *teſchmeſcheh*, id eſt, miniſterium ejus: ſimiliter Æthiopicus *ſamatobi*. Ubi Arabs *rijaſotoho*, id eſt, principatus ejus. Idem *Actor.* 20. *v.* 28. *Philipp.* 1. *v.* 1. 1 *Tim.* 3. *v.* 2. *Tit.* 1. *v.* 7. adhibet vocem *uſkoph*, quod deflexum eſt ex Græco ἐπίσκοπος. Et hæc quidem interpretatio cum Bibliis polygottis Londinenſibus edita. Sed alia Arabica interpretatio ab *Erpenio* Lugduni Batav. anno 1616. in 4. edita, habet vocem *chidmat*, id eſt, miniſterium, à radice *chadama*. Eadem *Philipp.* 1. *v.* 1. 1 *Tim.* 3. *v.* 1. adhibet vocem *kaſis*, id eſt, *ſenior*, quod convenit cum Syriaco *kaſchiſcho*. Et *Tit.* 1. *v.* 5. 7. πρεσβύτερον & ἐπίσκοπον, tanquam ſynonyma per eandem vocem *kaſis* explicat: ubi Arabs Londinenſis priorem per *kaſis*, poſteriorem per *uſkoph*. Unde colligimus apud Arabes ex vi vocum *kaſis* & *uſkoph*, non poſſe inferri realem diſtinctionem inter Epiſcopum & Presbyterum. Obſervat celeberrimus Orientalis Philologus *Golius* in Lexico Arabico vocem *kaſis* derivatam à Syriaco *kaſch* conſenuit, ſignificare *Seniorem*, *Presbyterum Chriſtianum*, *Epiſcopum*: citato ibidem *alkamus*, id eſt, Oceano linguæ Arabicæ *Muhammedi fil. Jacob*; cujus autoris elogium, vide apud *Procockium in ſpecimine hiſtor. Arabum pag.* 361. Syriaca verſio Viennę, Cothenis, Londini edita, *Actor.* 20. *v.* 28. retinet vocem Græcam *Epiſcoupe*. Sed *Philipp.* 1. *v.* 1. 1. *Tim.* 3. *v.* 1. utitur voce *kaſchiſcho*, id eſt, Senior ſeu Presbyter. Eâdem *Tit.* 1. *v.* 5. 7. exponit πρεσβύτερον & ἐπίσκοπον, tanquam ſynonyma. Verſio Æthiopica vocem ἐπίσκοπος. *Tit.* 1. *v.* 7. 1 *Tim* 3. *v.* 1. 2. *Philipp.* 1. *v.* 1. *Actor.* 20. 28. exponit per vocem *Papas*, & plurali numero *Papaſat*. Quod ex ſequiorum ſæculorum uſu eſſe arbitror, & à Græcis derivatum, non ex linguâ Arabicâ aut Syriacâ, ex quibus alioquin lingua dictorum Æthiopum ſeu Abaſſinorum potiſſimum concreta eſt. An verò Græcorum πάπα πάππας ex Syriaco *Abba* deductum ſit, an ex Græco πᾶς, unde reduplicato fiat πάππα, Grammaticis conjectandum relinquo. Videat, cui vacat, Lexica *Heſychii* & *Suidæ*, nec non Etymologicum magnum & ibi notas *Sylburgii*. Quod idem tamen in voce παππίας hanc notationem habet: παρὰ τὸ πάπα, ὃ σημαίνει τῇ τῶν ῥωμαίων φωνῇ τὸν πατέρα. Græcis ergò, ut in genere πάπας ſeu πάππας patrem ὑποκοριστικῶς denotabat (teſte *Heſychio*

in

in Lexico), quod infantes ita compellarent patrem: ſic Papa ſpecialiter in Eccleſiis Latinis ad patres ſpirituales, h. e., Paſtores Eccleſiarum venerationis & honoris ergo, applicata eſt. *Auguſtinus in epiſtolis*, qui ab aliis *Pater*, & *Epiſcopus*, ab *Hieronymo* ſalutatur *Papa*, *Epiſt.* 12. 13. 14. *Sidonius Apollinaris lib.* 7. & 8. Epiſtolarum, omnibus Epiſcopis ad quos ſcribit, titulum *Papa* tribuit. Inter vulgares linguas Anglica eodem nomine ſed deflexo, Pontificem Romanum, peculiariter deſignat; Germanica verò & Belgica quoſvis Clericos, etiam vulgares Sacerdotes. *Caſteldus in notis ad verſionem* N. T. Æthiopicam (*tom.* 6. *Bibl. Londinenſ.*) ad 1. *Timoth.* 3. ex miſſali Æthiopico obſervat, duplicem nunc apud ipſos eſſe ſignificationem vocis *Papaſat*, quarum una notet *archipapas*, altera *Papas* gradu ſcil. ſuperiores ſupra Epiſcopos, qui ibidem à Presbytero & diacono diſtinctè appellantur *ipiſakopaſat.* Sed conjicio hanc appellationem *Papæ*, qui ſit diſtinctus ab Epiſcopo, & ſupra illum, eſſe novellam; & fortè ab Abaſſinis Romanæ aulæ paraſitis confictam. Certè *Jeſuita Godignus lib.* 1. *de rebus Abaſſinorum cap.* 32. omnia quæ de ipſorum Epiſcopis, Archiepiſcopis, Primatibus à nonnullis ante hâc relata erant, ad fabulas relegat: unicum tantum ſacrorum Præfectum agnoſcit, Patriarcham ſcil. quem illi *abuna*, id eſt, Pater noſter appellant. Quam antiqua ſit Æthiopica verſio N. T. ego non dicam: ſaltem inter titulos lectionum, occurrit *Actor.* 20. *De Epiſcopis*, *Presbyteris*, *Diaconis*, *lectio.* Ubi tres gradus comparent.

II. Vox ἐπισκόπου ejuſdemque abſtractum ἐπισκοπὴ in ſacris literis non eſt exponenda, aut accipienda ex uſu & ſignificatione, quam ſæculis poſt-Apoſtolicis in Eccleſiâ obtinuit. Uti enim paulatim res mutata, & ex Præſide aut primùm ordinato Presbyterio in aliquâ Eccleſiâ, inſpector Paſtorum, ex hoc ſolus Eccleſiæ Paſtor, collegis jam capite deminutis, tandemque ab omni regimine excluſis, factus eſt; ſic & vox epiſcopi primum ſynonyma voci presbyteri, poſtea uſu & conſuetudine ita ferente, aliam plane ſignificationem nacta eſt. Hinc eſt, quod *Hieronymus tom.* 2. *epiſt. ad Euagrium praxin ſeu* factum ſui temporis reſpiciens ἐπισκοποῦντας transfert *ſuperintendentes*. Et *Auguſtinus lib.* 19 *de civit. Dei cap.* 19.: ἐπὶ quippe ſuper ,, σκοπὸς verò intentio eſt. Ergo ἐπισκοπεῖν ſi velimus latinè *ſuperintendere* poſſumus dicere, &c. Et *Ambroſius lib. de dignitate Sacerdotali cap.* 6. Quid ,, aliud interpretatur *Epiſcopus*, niſi ſuper inſpector? Maximè cum ſolio in ,, Eccleſiâ editiore reſideat, &c. Judicaretur ille abſurdè in ſacra Philologiâ verſari, qui genuinam ſignificationem Scripturariam vocum, *Apoſtoli*, *Diaconi*, *Eccleſiæ*, *traditionis*, &c. ex uſu ſequiorum ſæculorum, aut novitatis Papalis, aut hodierno quæreret. Idem dico de vocibus *Miſſa*, *Monachi*,

indulgentia, *ſacrificii*, *ſacramenti*, Papæ, &c. quarum ſignificatio apud antiquitatem longè alia erat, quam poſtea fuit ſub novitate Papatus: ita ut genuinam antiquitatis ſignificationem ex poſteriori uſu mediæ ætatis aut novitatis Papalis venari non debeamus.

§. 2. Sequitur inveſtigemus definitionem rei, Epiſcopatus ſcil. *non divini*, qui jure divino eſt omnium presbyterorum, *ſed humani*: ejuſque non antiqui, quem quidam tolerabilem, hoc eſt, minus malum, quamvis occaſionem & ſemen mali poſtmodum ingreſſi confiteantur; ſed hodierni inter nos & Pontificios, eorumque hâc in parte ſequaces controverſi. In Papatu ſunt duplices Prælati, regulares & ſæculares. *Illi* ſunt vel habentes juriſdictionem in Foro contentioſo, ſive officio, ſive pręſcriptione, ſive privilegio; quales ſunt Generales, Provinciales, locales ſeu conventuales; qui ſunt Abbates, Priores, Guardiani, Præpoſiti, Rectores, Commendatarii & Archidiaconi: vel non habens juriſdictionem; quales Plebani, Decani, Archipresbyteri. De poteſtate Prælatorum agit *Lælius Zecchius de Republ. Eccleſiaſt.* De ſtatu Pręlatorum regularium, eorundemque exemtione, juriſdictione, &c. ſpiſſo volumine commentatus eſt *Ludovicus Miranda*, cui tit. *Manuale Prælatorum regularium. Iſti* propriè dicuntur *Epiſcopi*; etiam *Diœceſiani*, & *ordinarii*. Quamvis *Azorius part. 2. lib. 3. cap. 27.* ex Canoniſtis diſtinguat, ordinarios locorum etiam dici alios Prælatos Epiſcopo inferiores: Diœceſianos verò ſolos Epiſcopos. Et *Zuarez tom. 5.* in 3. *Thomæ diſp 7. ſect. 3. num. 10 - 15.* pluribus probare contendat, Prælatos regulares in materiâ de cenſuris etiam nomine *Epiſcopi* venire. Nos de iſtis hic diſquirimus, rejecto examine illorum ad *tract. 1. & 4.* ubi de Monachis, & de Canonicis.

De Epiſcopis *Iſidorus Clarius* in *notis ad 1 Tim. 3. v. 1.* Quum verò Epiſcopatum cogitas, ne referas animum ad hæc tempora, quibus Epiſcopi nihil „ minus nôrunt, quam eas partes, quæ illis à Paulo aſſignantur, *neque quid-* „ *quam nunc aliud intelligitur appellatione Epiſcopi, quam fructus, & vectiga-* „ *lia, & immanes honores.* Sed hæc practica ſeu conſuetudinaria deſcriptio à nobis nunc non ſpectabitur. Ut nec illa definitio *καθ' ἔπαινον*, nimis metaphorica, atque hyperbolica, apud *Nicol. le Maiſtre* Theologum Sorbonicum *lib. 2. in Proœmio*: dignitatum omnium mater, rectrix Imperatorum, „ domina Regum, tutela Imperiorum, decus Civitatum, tutrix Anima- „ rum, baſis Eccleſiarum, victrix Dæmoniorum, triumphatrix Inferorum. Nec denique inſiſtemus deſcriptioni ex officiis Epiſcopalibus in Pontificali Romano, Ceremoniali Epiſcoporum & in *Piaſecii* praxi Epiſcopali enumeratis colligendæ: nimis hoc prolixum eſſet. Ex *Nic. le Maiſtre lib. cit. cap. 1. & 2.* hanc deſcriptionem in pugnum contrahimus: *Epiſcopos*

eſſe

Digitized by Google

eſſe ſucceſſores Apoſtolorum, dominos Eccleſiarum & ſummos Magiſtratus, quibus ſolis (excluſè ad alios omnes Presbyteros) *competit poteſtas regiminis & juriſdictionis Eccleſiaſticæ.* Ille in fine *cap.* 1. eſſentialia hujus poteſtatis „his verbis effert: Diœceſeon ſortionem, luſtrationem Provinciarum, „Miſſionem Doctorum, adminiſtrationem & curam facultatum Eccleſia„ſticarum, pœnam & coërcitionem ſceleratorum; denique pœnitentium „reconciliationem: quod poſtremum *cap.* 2. expromit. *Cap.* 1. Epiſcoporum præcellentem Majeſtatem (uti loquitur) his argumentis oſtendit.

1. Quod benedicit, non benedicitur.

2. Eſt ſeſſio honeſtior & auguſtior cathedra (quam thronum appellant) ſupra presbyterorum humiles ſellas.

3. Loci & civitatis amplitudo, & lux populorum maxima, in quâ fas eſt Epiſcopum conſtitui. Eſt enim ille inſtar Præſidis & Imperatoris.

4. Depoſitio & degradatio Presbyterorum, quæ eſt penes unam & ſolam Epiſcopi voluntatem. Hactenus ille. Similiter de autoritate Epiſcoporum ampullatur celebris *Theol. Pariſ. Joh. Fileſacus*, in *libro de ſacrâ Epiſcoporum autoritate.* Videat, cui vacat, imprimis *fol.* 1.-4. Ex recentioribus Canoniſtis *Barthol. Carthagena lib.* 1. *expoſit. titul. Juris Canonici tit.* 7. Sic definit: *Eſt autem Epiſcopus ſucceſſor Apoſtolorum, ſuperintendens inferioribus, non ut illis præſit, ſed ut illis proſit, nec minus quam à tribus Epiſcopis ordinatus.* Hanc dicit ſe formare ex textibus *Juris Canonici ibid. cit.* Sed manca videtur hæc definitio; & ambignum eſt illud: *non ut illis præſit. Lombardus lib.* 4. *diſt.* 24. Diſtinguit eos in patriarchas, Archiepiſcopos, Metropolitanos, ſimplices Epiſcopos. De quibus nos. Sed non eſt ſufficiens diſtinctio: addere debuiſſet Epiſcopos Cardinales, immo & Presbyteris ac Diaconos Cardinales, qui ſunt gradu ſuperiores omnibus Epiſcopis; nec præterire Epiſcopos titulares ſeu portativos. *Scholaſtici ad* 4. *diſt.* 24. communiter, inter eos *Thomas*, quem ſequitur *Viguerius in Inſtitut. cap.* 16. §. 6. *v.* 5. Epiſcoporum non tam definiunt, quam eſſentialiter à Sacerdotio diſtinguunt: quod Epiſcopus ſupra ſacerdotem, dicat dignitatis ac poteſtatis gradum, atque officium in actibus Hierarchicis reſpectu corporis myſtici. Quod poſtea ita explicat: Et ideo reſolutoriè lo„quendo, poteſtas ordinis eſt æqualis in ſacerdote & epiſcopo, & non „poteſtas juriſdictionis, per quam habet Epiſcopus ſupra Presbyterum, „quod poſſit excommunicare, ſuſpendere, interdicere, chriſma, templa, „vaſa conſecrare, veſtes benedicere, & alia hujuſmodi, quæ tangunt cor„pus Chriſti myſticum. Secundo notandum eſt, quod poteſtas Sacerdo„talis exceditur à poteſtate Epiſcopi, quaſi à poteſtate alterius generis, ſcil. „poteſtete Juriſdictionis. Similia habent Caſuiſtæ, *Sylveſter*, *Toletus*, *Bonacina*, *Baſſeus*, *Graſſiis*, &c.

Po-

Poteſtas epiſcopalis imprimis extenditur & defenditur, tum per Sorboniſtas, (ex quibus duos ex profeſſo hoc agentes *Fileſacum & Le Maiſtre* modo indicavimus), tum per *Concilium Tridentinum*; ubi omnem ſuam poteſtatem contra Regulares, alioſque exemtionem pretendentes in throno collocari curârunt. Vide *Seß.* 13. *cap.* 14. & *ſeß.* 25. *cap.* 17. Quin etiam contra Papam, conati ſunt; imprimis epiſcopi Hiſpani. Vide *Hiſtor. Concil. Trid. lib.* 7. non longè à principio. Quo non obſtante *Malderus Epiſcopus Antwerpianus in comment. ad* 22. *qu.* 1. *diſp.* 4. *dub.* 1. ex profeſſo cauſam Papę agit contra Epiſcopos. Atque hic quidem epiſcopatus Papalis: cum quo aliorum, extra Papatum Romanum, epiſcopatus hactenus convenit, ratione functionis ſcil., in rebus ſpectantibus ad ordinem Epiſcopalem, & ad Juriſdictionem: ut *ordinare Diaconos & Miniſtros, Eccleſias & loca ſepulturæ dedicare, pueros confirmare; cenſuras infligere Laicis & Eccleſiaſticis, interdicere à divinis, ſuſpendere vel ab ingreſſu Eccleſiæ, vel à perceptione Sacramentorum, excommunicare, anathematizare hæreticos contumaces, ſequeſtrare Clericorum fructus, eoſdem ſuſpendere ab officio & beneficio, deprivare, deponere, degradare.* Hæc ex *Mucketo* in delineatione politiæ Eccleſiaſticæ Anglicanæ, quam autor altaris *Damaſceni cap.* 5. inſertam refutavit. Prætereo nunc jura & officia Epiſcopalia ibid. recenſita, quæ ad ſeculum hoc pertinent. *Franc. Maſonus in Vindiciis Eccleſiæ Anglicanæ a.* 1625. *editis lib.* 4. *cap.* 1. Epiſcopus quà Epiſcopus res Eccleſiaſticas eccleſiaſticè „ tractat, utpote qui per ſe, idque ex officio ordinario, non ſolum verbum „ & ſacramenta miniſtrare, ſed alias quoque ſacras & ſolennes actiones „ (quales ſunt miniſtrorum ordinatio, excommunicatio, cenſurarum re- „ laxatio) obire & exercere poteſt. *Lancelotus Andrews* epiſcopus *Wintonienſis in opuſculis poſthumis*, pag. 171. ſolis epiſcopis appellationem *Paſtorum* vindicat. *Richardus Zouchæus in elementis* Juriſprudentiæ Anglicanæ, *Gul. Lado Archiep.* Cantuarienſi dedicatis, anno 1636. *part.* 1. *Juris Eccleſiaſtici ſect.* 3. diſtinguit gubernatores in eos, qui cum dignitate & juriſdictione, & in eos qui ſine utrâque aliis præficiuntur. *Illos* dicit eſſe Archiepiſcopos, Epiſcopos, Decanos & Canonicos Cathedrales, Archidiaconos. *Iſtos*, Rectores & Vicarios, qui Parochiis Præponuntur. Quibus poſterioribus, *Lancel. Andreas* epiſcopus Wintonienſis loc. cit. negat nomen *Paſtorum* competere. Ex quibus omnibus conſtat omnem poteſtatem formaliter Eccleſiaſticam, (dogmaticam, Nomotheticam, ſynodalem ſeu conciliarem, regiminis, juriſdictionis) ſupra & in totius diſtrictus, Regionis, Provinciæ Eccleſias particulares ſeu topicas, eſſe penes unum Epiſcopum; & ab illo ſolo, (excluſis omnibus Presbyteris), legitimè ſive per ſe, ſive per Vicarios aut Delegatos, aut adſcitos adjutores exerceri.

His

Digitized by Google

His præcognitis accedimus ad examen aſſertionis poſterioris; quæ bi- §. 3.
membris eſt: dicitur enim.

1. *Quod* talis epiſcopatus nullo modo repugnet juri divino.

2. *Quod* conformis ſit praxi univerſalis Eccleſiæ purioris. Quod ad prius membrum aſſertionis, ſupra notavimus, non determinari exſertè, eſſe *jure divino* Eccleſiæ præſcriptum, & conſequenter eſſe neceſſarium, diſceſſumque ab eo eſſe acceſſum propinquum, aut propiorem, aut remotiorem ad ἀταξίαν; nec etiam comparativè cum argento presbyterii aſſeri eſſe aurum; nec dici, eſſe neceſſarium ad bene eſſe Eccleſiæ; ideoque, ubi presbyterium in Eccleſiis jam à primâ reformatione obtinet, eſſe illi ſubſtituendum, & ſic ad majorem perfectionem, & prima dona contendendum. Sed tantum tenuiter: dicitur, *nullo modo repugnare juri divino*. Nos in præſenti intra cancellos aſſertionis nos continebimus, & deſpiciemus quid ſit de ejuſdem veritate: relegatis ad conſilia Theologica & deliberationes prudentum quæſitis illis, 1. *Quam neceſſaria, & momentoſa ſit, aut non ſit hæc veritas? 2. An & qualis fraternitas ab Eccleſiis presbyterialibus cum Epiſcopalibus ſive ſub eâdem confeſſione & correſpondentiâ nationali, ſive ſub diverſâ conſtitutis, expetenda, ineunda, obſervanda ſit. 3. An & quomodo membra eccleſiarum, ubi obtinet epiſcopatus, in earundem unione (ſalvo tamen ſenſu ſuo de regimine ad ſimplicitatem Apoſtolicæ Eccleſiæ propius accedente) pacificè manere poſſint aut debeant? 4. An & quomodo Miniſtri talium eccleſiarum epiſcopatui eccleſiaſticè & politicè illic ſive retento, ſive novè introducto atque intruſo, ſe ſine proteſtatione aut apertâ reſiſtentiâ conformare aut ſubjicere poſſint? 5. An & quomodo bonâ conſcientiâ promittere poſſint aut non poſſint, ſe nec publice, nec privatim, nec directè nec indirectè* quidquam contra epiſcopatum, & pro veritate presbyterii promovendâ, immo & pro obſervatione ejus legitimo modo introducendâ, quidquam acturos? 6. *An tempeſtivum & tutum ſit in tali, aut tali Eccleſiæ ſtatu, eundem tollere*; aut ſaltem de eo auferendo, eccleſiarum anteceſſores tum ſeorſim tum ſynodaliter collectos compellare atque obteſtari.

His ergo ſepoſitis, rationes contra aſſertionem in terminis propoſitam, indicamus iſtas.

I. *Rat.* Quia regimen presbyteriale jure divino eccleſiis præſcriptum eſt, & poteſtas regiminis ac juriſdictionis tribuitur pluribus: Ergo epiſcopale illi directè oppoſitum, quod poteſtatem omnem uni vindicat, juri divino repugnat. Antecedens probatum eſt part. præced. illud enim eſt juris divini, quod exſerto mandato, aut relatione ordinis ac praxeos communis eccleſiarum Apoſtolicarum in ſcripturâ nobis exhibetur.

II. *Quia* ordo Seniorum in Scripturâ traditur: Ergo epiſcopatus Scri-

Digitized by Google

pturę illum ordinem tradenti repugnat. Antecedens ante hac peculiari quâdam diſputatione probavimus. Conſequentia probatur; quia quod tum juris ſpecie & prætenſione, tum ipſo facto tollit atque abolet προεστασίαν & regimen in Scriptura laudatum ac commendatum, illud juri divino repugnat. Sed hoc facit epiſcopatus. Ergo.

III. *Quia*, quod eſſentialiter diſtinguit epiſcopatum à presbyteratu, & illum ſupra hunc effert, illud juri divino repugnat. Sed hoc facit epiſcopatus. Ergo. Major probatur, Quia Scriptura docet non eſſentialiter diverſi, ſed unius ejuſdemque ordinis, gradus, officii, miniſterii, poteſtatis, dignitatis eſſe epiſcopatum & presbyteratum. Vide *Actor.* 20. *v.* 17. 28. *Tit* 1. *v.* 5. 7. & omnes Presbyteri dicuntur ἡγούμενοι *Hebr.* 13. *v.* 17. 24. προϊστάμενοι, 1 *Theſſal.* 5. *v.* 2. 1 *Tim.* 5. *v.* 17. ποιμαίνειν 1 *Petr.* 5. *v.* 2. ἐπισκοπεῖν. Ibid. Breviter quæcunque prætenſo epiſcopo qua tali, peculiariter vindicantur, & quibus eum à presbytero eſſentialiter diſtingui velint, ea in Scripturâ Presbyteris communiter tribuuntur: Qualia ſunt, poteſtas directiva ordinis, regiminis, inſpectionis, 1 *Theſſal.* 5. *v.* 12. *Hebr.* 13. *v.* 17. 24. conſtitutionis Miniſtrorum, *Actor.* 14. *v.* 23. cum 1. *Tim.* 4. *v.* 14. celebrationis Synodorum, *Actor.* 15. Miſſionis Eccleſiaſticę, *Actor.* 13. *v.* 2. & 15. *v.* 25. 27. diſciplinæ, νουθεσίας, cenſuræ, correptionis eccleſiaſticæ, 1 *Cor.* 5. 2 *Cor.* 2. 2 *Theßal.* 3. *v.* 14. 15. *Coloſſ.* 4. *v.* 17. 1 *Theſſal.* 5. *v.* 12. 14. Ubi omnia illa pluribus, non uni epiſcopo committuntur.

IV. *Quia* epiſcopi plures unius localis aut parochialis eccleſiæ ἐπισκοπὴν & regimen communiter ſecundum Scripturas adminiſtrant: Ergo prætenſa ἐξοχὴ & prælatura unius & ſolius epiſcopi in quâque eccleſia, immo in pluribus & ſupra plures eccleſias, earumque Paſtores ſeu Presbyteros omnes poteſtatem exercentis, poſſidentis, occupantis repugnat juri divino. *Antecedens probatur ex Philipp.* 1. *v.* 1. cum *Actor.* 20. *v.* 17. 28. Conſequentia probatur, quia manifeſtè ſe effert ſupra fratres, & cum Diotrephe φιλοπρωτεύων 3. *epiſt. Joh. verſ.* 9. & exemplo regum hujus ſæculi dominatur fratribus, contra *Luc.* 22. *v.* 25.

V. *Quia* juri divino repugnat eccleſia diœceſiana ſeu epiſcopalis: Ergò & epiſcopus diœceſianus. Hæc enim relata ſe mutuò ponunt & tollunt. Antecedens ſupra *part.* 1. *lib.* 1 probatum eſt; ubi de eccleſ. cathedrali, & de eccleſiâ inſtituta.

VI. *Quia* juri divino repugnat Papatus univerſalis, ſeu *Pontifex Occumenicus*, ergo & epiſcopatus diœceſianus. De antecedentis veritate conſtat apud omnes, qui à Papatu ſeceſſerunt. Conſequentiæ veritas inde elucet, quia ut ſe habet eccleſia diocleſiana aut provincialis ad epiſcopum aut metropolitam; ſic ſe habet Pontifex Occumenicus ad eccleſiam catholicam

in

Digitized by Google

in toto orbe, aut ſaltem in dicto olim orbe Imperii Romani. Qualis enim & quanta requiritur unio eccleſiarum dioeceſios aut provinciæ in unius epiſcopi poteſtate; talis & tanta eccleſiarum orbis aut ſaltem antiqui Imperii Romani in unione unius Epiſcopi Oecumenici. Vide Gradationem illam, per quam ab epiſcopo aſcenſum eſt ad Pontificem, à *Calvino lib. 4. Inſtitut. cap. 5. 6. 7.* deſcriptam. Atque hæc ſex argumenta ex ſacris literis petita ſufficiant. Quæ vindicata vide apud *Bezam. Gerſonem Bucerum, Autorem altaris Damaſceni, Blondellum*: Hypotheſes verò eorundem probatas à *Packero in tract. de politicâ eccleſiaſticâ.*

Addamus nunc aliqua ex ratione: Siquidem enim jure divino poſitivo non ſit præſcriptus epiſcopatus (uti hoc aſſertio non auſa fuit determinare) utique ex jure divino deducimus ad benè eſſe eccleſiæ non eſſe retinendum, ubi eſt, multò minus introducendum, ubi non eſt: quia omnia debent in eccleſiâ εὐσχημόνως & κατὰ τάξιν fieri *1 Corinth. 14. v. 40.* Rationes ſunt iſtæ.

I. *Quia* eſt proclivis & fertilis occaſio typhi ſæcularis, dominii, Primatus, & tyrannidis in eccleſias, & collegas. Ergò omittendus vel hoc nomine: cum per ſe non ſit neceſſarius, neceſſitate medii aut præcepti.

II. *Quia* libertati & poteſtati eccleſiarum & presbyterorum admodum præjudicat.

III. *Quia* cum epiſcopi negotiorum & cauſarum per totam dioeceſim pragmaticâ deſtinentur, non poſſunt privatis ſtudiis, precibus, concionibus, rudium catechizationibus, domeſticis ovium ſuarum viſitationibus, conſolationibus, adhortationibus, correptionibus ita attendere: Atqui hæc ſunt ſubſtantialia & abſolutè neceſſaria miniſterii ſacri officia Hinc fit, ut παρέργοις τὰ ἔργα, hoc eſt acceſſoriis principalia poſtponantur.

IV. *Quia* dum eruditione, concionum præſtantia, ἐλέγχων ἀκριβείᾳ, catechizationum frequentiâ, curâ ovium tum publicâ, tum privatâ κατ᾽ οἴκους (*Actor. 20. v. 20.*) cum eruditis, diligentibus, & Zelotis presbyteris ſeu concionatoribus raro paria queant facere: vix fieri poteſt, ut in humanâ hâc confirmitate homines in faſtigio conſtituti ſuorum ſive collegarum, ſive ſubjectorum presbyterorum ſupra ſe hâc in parte æſtimationem, populique, ſaltem piorum & zelotarum, applauſum, ſine invidiæ oeſtro æquo animo & patienter ferant, & optimorum quorumque, qui luminibus ſuis obeſſe putantur, averſionem, depreſſionem, remotionem, ejectionem clanculum, aut apertè quocumque arrepto prætextu, non moliantur. Nec juvat hic exceptio τοῦ *per accidens*: quia in re non neceſſariâ nec divinitus præſcriptâ, quæ ut plurimum in malum inclinat, non eſt, quod pericula ſubeamus. Omittendus ergò non tantùm abuſus, ſed & ipſe uſus.

V. *Quia* turbat ut plurimum politiam, & tum libertati populi, tum juribus ac poteſtati Regum, Principum, Magiſtratuum præjudicat. Facta proditionum, conjurationum, rebellionum, ex hiſtoriis colligere cœpit *Guliel. Prynne tract. Anglic.* anno 1641. Sed illis miſſis, ſolummodo hic obſervamus, non tantum munera civilia ipſo facto ſæcularibus per Epiſcopos paſſim præripi, ſed & Magiſtratuum politicam & coactivam poteſtatem, & jus armorum ipſis vindicari. De quo vide quę notamus *in Deſper. causâ Papatus, lib. 3. ſect. 2. c. 10. & lib. 2. ſect. 2. & 3. c. 2.*

VI. Accedat conſenſus reformatorum ante Lutherum, Eccleſiarum Waldenſium ſcil. in Galliâ, Convallenſium in Pedemontio; Slavonicarum in Bohemiâ, Moraviâ, Poloniâ: ut & poſt Lutherum in Galliâ, Scotiâ, Belgio, Hungariâ, Tranſſylvaniâ, variis partibus Germaniæ, confeſſionibus, canonibus, liturgiis, Doctorum ſcriptis, & hiſtoriis abundè teſtatus. Quibus junge teſtes veritatis ſub ipſo Papatu: quales *Wicleſus*, *Armachanus*, *Cuſanus* &c. Nec defuerunt in *Concilio Tridentino*, qui affirmarent non jure divino, ſed tantùm humano (canonico ſcil.) epiſcopum presbytero ſuperiorem eſſe *lib. 7. hiſtor. concil. Trid.* Quin & in ipſo jure *canonico diſt. 95. c. 5. olim*, idem aſſeritur.

Reſtat nunc alterum aſſertionis membrum: *Quin etiam conformis eſt praxi univerſalis eccleſiæ purioris primitivæ.* Opponimus iſta: 1. facta, mores, non faciunt legem; multò minùs communem, catholicam, eccleſiaſticam doctrinam. Hoc enim verè catholicum, quod tenent & ſentiunt omnes, ubique, ſemper.

II. *Unde* praxis univerſalis eccleſiæ probabitur? An univerſalis eccleſia concluſa fuit terminis Imperii Romani? Unde conſtat in Perſiâ, Æthiopiâ, Arabiâ, parte Britannię, Romanis non ſubjectâ &c. ab initio fuiſſe *epiſcopos hierarchicos?* Ut nihil dicam de eccleſiâ Alexandrinâ, quæ à primâ plantatione epiſcopis caruit, teſte Eutychio in chron. ſupra *part.* 1. hujus diſputationis cit. Cujus exemplum imitati videntur *Abaſſini*, qui ſine epiſcopis ſolo ſuo *Abouna* contenti: uti ſupra §. 1. notamus.

III. Negamus univerſalem praxin primitivæ eccleſiæ in Imperio Romano; ex diverſà praxi Alexandrinâ modo cit. & eccleſiæ Corinthiacæ; de quâ epiſtola *Clementis* opera *Patritii Junii* Biliothecę Regiæ præfecti Londini edita. Denique ſi praxin & ſenſum presbyterialis regiminis alicubi in eccleſiâ primitivâ puriori obtinuiſſe, demonſtrari poteſt: utique cadit præſumta praxis univerſalis. Atqui illud à *Beza*, *Salmaſio*, *Blondello* aliiſque jam præſtitum eſt. Vide ſupra part. 1.

CON-

Digitized by Google

CONSECTARIA.

I. Tolerabile magis eſt, ſi hierarchici ſub epiſcopatu nati & educati eum ſive excuſent ſive defendant; quam ſi ſub presbyteriali regimine nati & educati, epiſcopatui blandiantur, aut presbyteriale regimen contemnant. Quales *Hadrianus Saravia* c. *Bezam*, *Daniel Tilenus* in virulento libello c. Scotos diſciplinæ Genevenſis zelotas: cui pro merito tunc reſpondit Anonymus quis; & poſteà *Didoclavius* in *Altari Damaſceno.* Celeberrimus *Grotius* in *Pietate Ordinum Hollandiæ*: cui reſponderunt *Lubbertus* & *Sopingius*; Idem *Grotius* in notis ad 1 *Tim.* 3. 2. *Nic. Grevinckhovius* c. Ameſium in præfat. Huc etiam tendere videantur *Remonſtrantes in apologiâ c.* 21. 1. & in Belgicâ defenſione catecheſios ſuæ c. *D. Heidanum pag.* 343.

II. Iniquiſſimè & odioſiſſimè innocentia regiminis presbyterialis gravatur, conſequentiis de Republicâ in Republicâ, de Imperio in Imperio, deque independentiâ, aut viâ ad indepentiſmum, de Ochlocratiâ, de confuſione, & ἀταξίᾳ.

III. Acrociſſima planè eſt calumnia, qua differtur tanquam ἀπαθὲς & repugnans regimini ſæculari monarchico, aut tanquam flabrum ſeditionum, rebellionum, &c. Vide quæ in *part.* 2. *ſelect. Diſp.* calumniis illis reponimus, tit. *De ſede Romanâ incompatibili*, &c.

IV. Temerè & periculosè presbyteriale regimen contemnitur aut in dubium vocatur in illis eccleſiis, ubi illud ſtabilitum eſt; & oppugnans ex jure divino epiſcopatum non probat, nec presbyterium tanquam ei repugnans convincit.

Cap. VI.

De eccleſiaſticis gubernantibus ſecundi ordinis, Præpoſitis, archidiaconis, Archipresbyteris, Vicariis, Conſiliariis.

Poſſevinus lib. 3. *bibliotheca ſel. cap.* 20. inter eccleſiaſticos gubernantes numerat Præpoſitos, archidiaconos, &c. quos *ſecundi ordinis* gubernantes vocare licet; quia ipſe eos ſeorſim à prioribus (præced. capp. explicatis) peculiari lineola diſtinctos propoſuit. Sunt autem *præpoſiti*, *archidiaconi*, *archipresbyteri*, *vicarii*, *conſiliarii*.

Præpoſiti, dicuntur omnes, qui aliis præſunt: dicuntur etiam *Priores*: §. 1. qui omnium, quæ ſunt in illâ eccleſiâ, curam gerunt, *cap. Quamvis*, de

verborum ſignif. & *cap. Expedit* 12. *qu.* 1. Hi habent annexum ordinem presbyteratus, & curam animarum gerunt: ideo requirunt ea, quæ ad ordinem & ad beneficium curatum ſunt neceſſaria.

Sunt autem præpoſiti, vel clauſtralium regularium, vel ſacerdotum & clericorum ſæcularium, vel manualium. *Gloſſ. in Clement. Catulum, de Statu monachorum.* Regularium ſunt, qui ad regimen alicujus monaſterii *per abbatem*, vel per ſuperiorem deſtinantur. Qui nullam habent adminiſtrationem temporalem, ſed ſolum ſpiritualem circa officium in perſonas monachorum.

Qui non habent ſupra ſe Abbatem, funguntur vice abbatis, niſi ſint exemti; & quę dicuntur de Abbate, competunt etiam *Prioribus*.

Præpoſiti ſeu priores regularium Clericorum, ſunt *vel* capita *collegii canonicorum* in communè collegialiter viventium: *vel* capita eccleſiarum collegiatarum, quales in capitulis archidiaconi, aut decani dicuntur: vel Rectores eccleſiarum ruralium, & curam animarum habent; ut in prioratu *Carcaſcio*, vel de *Fragâ*, qui olim habebant collegium in actu, & hodie dicitur extinctum. Sic *Moſconius part.* 1. de Majeſtate eccleſiæ militantis *lib.* 1. *cap.* 14. ubi in fine concludit: Iſta officia diverſificantur in nomine, „licet non in effectu, & ſecundum conſuetudinem locorum nuncupan-„tur, ut in Hiſpaniâ ille intelligitur *archidiaconus*, de quo in tit. de off. „*Archid. Decani* dicuntur illi, qui primum locum tenent in capitulo poſt „Epiſcopum. Inter regulares appellantur *priores*, in Galliâ *Præpoſiti*, in „Italiâ *Archipresbyteri*, *Priores*, & *Plebani* tanquam nomina magis uſi-„tata. Hæc ille ex magni Canoniſtę *Navarri Manuali cap.* 25. *num.* 135.

§.2. *Archidiaconi* ſunt, qui habent officium eccleſiaſticum cum juriſdictione & præeminentiâ: & communi nomine *prælatorum* continentur. Eſt ergo archidiaconatus officium habens ordinum adminiſtrationem, & juriſdictionem, & eſt dignitas; & in cathedrali eccleſiâ, prima dignitas poſt Epiſcopum. Dignitas ex tribus cognoſcitur, 1. *ex* adminiſtratione rerum eccleſiaſticarum, 2. *ex* Prærogativâ ſeu præeminentiâ in gradu 3. *ex* Juriſdictione, in foro contentioſo, excommunicatione ſcil., ſuſpenſione, abſolutione. In his convenit *archidiacono* cum *vicario* Epiſcopi; quia hęc tria pariter utrique conveniunt.

Sunt ergo archidiaconi Epiſcoporum vicarii generales nati; & ideo vocantur oculi Epiſcoporum: Vide Canoniſtas ad cap. *Ad hæredem*, de Officio archidiaconi.

Appellantur etiam *Coadjutores Epiſcoporum*, & *Capita Diaconorum*: committunt enim cui voluerint, ut evangelium legatur coram Epiſcopis præbent ornatis in ordinatione urceolum cum aquâ, mantili, & manutergio

gio imperant diaconis & levicis in miniſterio ordinationis ; poſſunt *Curatos* coarctare ad cuſtodiam curæ, &c. inquirere exceſſus clericorum, &c. prędicare in eccleſiâ ſuâ, denuntiare dies jejuniorum, &c. providet remediis opportionis ſaluti animarum, &c. de conſuetudine habent curam animarum? Vide iſta, aliaque apud ſcriptores de Canonicis ex jure canonico, Conſtitutionibus Pontificum, & decretis *Concil. Trid.* & deciſionibus *SS.* congreg. aſſerta.

Differt archidiaconatus à *Perſonatu*, quod perſonatus ſit prærogativa in eccleſiâ ſine juriſdictione; ut tenere primum locum in choro & in proceſſionibus, aut vocem habere in capitulo. Differt etiam ab archipresbytero, quod archidiaconus præfertur archipresbytero *in juriſdictione*: licet in multis pręcedat archipresbyter, de jure; quamvis de conſuetudine aliquando ſervetur contrarium. Ex *Auguſt. Barboſæ collectaneis Bullarii*, & deciſionum, quæ ab *Apoſtolicâ ſede*, & ſacris Congregationibus uſque ad annum 1633. emanârunt, iſta officia archidiaconatus hic exhibeo: Debet epiſcopo miniſtrare; Exercere debet officium presbyteri aſſiſtentis epiſcopo miſſam celebranti: Archidiaconus, abſente vel impedito proprio Epiſcopo, præfertur archipresbytero & omnibus aliis canonicis in celebratione miſſarum ſolennium, & in omnibus aliis functionibus epiſcopalibus: Archidiacono in choro permanenti ſpectat in principio Matutini horarum canonicarum & veſperarum intonare *pater noſter*, &c. Archidiaconus, volente Epiſcopo, viſitare debet eccleſias diœceſios; eique epiſcopus præſtituere poteſt terminum ad viſitationem expediendam, & præſcribere comitatum, equitatum, &c. *Archidiaconus* protonotarius non ex altari, ſed ex ſacriſtiâ, ut faciunt cæterę dignitates & canonici, debet ſumere paramenta pro miſſâ privatâ celebrandâ in eccleſiâ cathedrali. Sed ut ex ipſo fonte aquam hanc bibas adi *tit.* 23. *lib.* 1. *decretalium*, ubi decem capitibus explicatur officium archidiaconi.

Ex hâc deſcriptione *Archidiaconatus*, facile colligimus, quid reſpondendum ſit ad ſequentem quæſt. An pius & reformatam religionem profeſſus, titulum archidiaconi affectare & eo ſe inſignire poſſit, ut illo nomine & *titulo* beneficia & emolumenta percipiat, quæ tempore dominantis Papatus, prædeceſſores ipſius Papiſtici actualiter fungentes officio & miniſterio archidiaconatus *in Papiſticâ* eccleſiâ, ſecundum legem & conſuetudinem Papalem, perceperunt. Si quis excipiat atqui *archidiaconus* reformatæ religioni addictus, abſtinet *ab omni idololatriâ*, ſuperſtitione, & Papiſticis archidiaconatus *actibus*, & *officiis*. *Reſp.* Sed quo jure ementietur titulum illum archidiaconi; & ſub *ementito titulo*, abſque ullo opere & officio archidiaconatus, per aut propter abſtinentiam ab eccleſiaſtico.

Pa-

Papiſtico opere atque officio, cui beneficium annexum eſt, fruetur beneficio? Quid ſi quis reformatus fingeret ſe velle ſuccedere parocho, aut ſacerdoti, preſertim ſacerdoti animarum (*uti in capitulis vocari ſolent*) & frui ejus beneficio; eumque in finem prece aut pretio titulum illum ſibi acquireret, & *ſub illo titulo* prædeceſſoris beneficia ſeu emolumenta, quibus ſacerdotes animarum tempore dominantis Papatus illo in loco cum ſtarent, gaviſi erant: hâc tamen conditione, ut ab omni opere *Romano-eccleſiaſtico* abſtineret: an ſatis bene conſuleret reformatæ conſcientiæ? an inoffenſam coram *Deo* & *hominibus* conſcientiam ſervaret, ſi ſuccederet, & titulo illo aſſumto, beneficio parochiali (quod fundatum & datum fuit propter officium) gauderet, hâc conditione ut abſtineret ab omni *parochiali* opere & officio: an putares bonâ & ſerenâ conſcientiâ, hoc fieri poſſe? Sed de hoc pluribus, ſupra *part.* 1. *lib.* 4. *tract.* 2.

§. 3. *Archipresbyteri* dicti quaſi presbyterorum principes; ſunt vel *civitatenſes*, vel *rurales*. *Civitatenſes* alio nomine dicti *decani*, funguntur officio vicarii epiſcopi in ſpiritualibus, in foro pœnitentiali, & celebratione divi-„ norum officiorum; & gerunt curam ſupra omnes presbyteros in ordine „ poſitos, & aſſiduè in eccleſiâ ſtant, in abſentiâ epiſcopi miſſas ſolennes „ celebrant, & collectas dicunt, & ſunt præ aliis in officiis presbyteris, & „ in curâ animarum ſunt diligentes cuſtodes, ſuoſque ſacerdotes dirigunt, &c. Hi dicuntur eſſe in dignitate, & habent juriſdictionem, immo in civitate, ubi non eſt archidiaconus, majores ſunt in juriſdictione & dignitate, & tenent primum locum in choro.

Rurales qui aliter *decani* & *plebani* ſunt vicarii epiſcopi, *vicarii* ſcil. *foranei*, uti communiter loquuntur. *Decanos* ſe nominant cum adjectione, *Chriſtianitatis in N.* non habent dignitatem, ſeu non ſunt cum dignitate: niſi habeant capellanos perpetuos in ſuâ eccleſiâ, aut ſint in eccleſiâ collegiatâ, aut in parochiali curatâ. De officiis & requiſitis archipresbyteri, & dubiis circa illa videndi Canoniſtæ, & inter Caſuiſtas Sylveſter atque Azorius; & Barboſa in collectaneis Bullarii, &c.

§. 4. *Vicarii*, qui *vicedomini* ſunt, qui aliorum negotia gerunt, quique aliis in officio, munere, dignitate & loco ſuccedunt.

Alii ſunt dati à lege, alii dati ab homine.

Vicarii dati à lege ſunt, qui abſque alia hominis deputatione, eo ipſo, quod conſecuti fuerint officium, efficiuntur vicarii: ſicuti *Pontifex*, qui Dei vicarius eſt. Et *epiſcopi*, qui vicem gerunt Apoſtolorum, & *archidiaconi*, Epiſcoporum vicarii ſunt, cap. *Legimus* diſt. 63. cap. *in nomine* diſt. 25. cap. *Quorum vices*, diſt. 69. Et *ſacerdotes*, qui vicem gerunt 72. diſcipulorum cap. *In novo* diſt. 21. *Concil. Trident. ſeſſ.* 13. c. 1. & *archipresbyteri* civi-

civitatenſes, ſunt vicarii epiſcopi, dati à lege. Et capitulum cathedralis eccleſiæ, quod ſede vacante in multis vicem gerit epiſcopi, immo in omnibus quæ epiſcopo ex jure & juriſdictione naturali Epiſcopatus competunt; non in iis quæ jure aut juriſdictione accidentali competunt, cum ſcil. eſt judex delegatus. Uti hanc diſtinctionem adhibet Ludovicus Romanus *Conſil.* 106. quem monarcham utriuſque juris editores Conſiliorum ipſius appellant in ſummâ præfixâ ſermonis habiti in Concilio Baſileenſi. Ubi dicit ſimplices parochos in ſuis parochiis eſſe vicarios Apoſtolorum: & epiſcopos ſolâ conſuetudine eſſe ſuperiores presbyteris.

Vicarii dati ab homine ſeu creati per factum hominis.

I. Primi ſunt, qui à Pontificè ordinantur, ſicuti ejus *vicarii in curiâ Romanâ:* nec non *legati Apoſtolici*, qui & *vicarii* dicuntur, deputati ad certam provinciam, aut diœceſim: Vicecancelarius Papę, cui ſubſunt omnes officiales.

II. Vicarii *Cardinalium legatorum*, veluti legatus Avenionenſis; & vicarii Cardinalium in eorum eccleſiis, in quibus Cardinales exercent juriſdictionem epiſcopalem.

III. Vicarii archiepiſcoporum, patriarcharum, primatum, Epiſcoporum, & quorumvis prælatorum majorum.

IV. Vicarii prælatorum inferiorum ab Epiſcopis, ut abbatum, archidiaconorum, archipresbyterorum, Plebanorum, & ſimilium, qui conſtituuntur ad exequenda officia ſeu miniſteria eccleſię.

V. Vicarii eccleſiarum capitulorum, (qui *vicarii capitulares* dicuntur) Ordinum, Provincialium, Regularium, Abbatiſſarum. Etiam vice-curati, vicarii ſunt parochorum, ſeu Rectorum aut paſtorum eccleſiæ parochialis. Qui ſunt duplices, vel perpetui, vel amovibiles. De quibus varia à S. congr. determinata vide in *collectaneis Auguſtini Barboſa* in voce *Vicarius*. Sunt etiam vicarii parochorum vel ſæculares vel regulares. *Denique præfecti* veſtalium, vulgo dicti *patres*, ſuos habent *vicarios*; & memini anno 1610. Sylvæducis in monaſterio quo ſeneciorum monſtratum, vicarium *patris*, quem vulgò iſtic appellabant *noſter*, ſicuti ſuperiorem, *pater*.

Datur & alia vicariorum ab homine datorum diviſio in generales, & particulares. *Generales vicarii* Epiſcopi ſunt, qui cauſas omnes ſive temporales, ſive ſpirituales ad Epiſcopum ſpectantes cognoſcunt; ita ut in ejus judicio vices illius gerant. Et hi dicuntur *Ordinarii* in diœceſi. Et talis tantum unus ab Epiſcopo conſtitui poteſt: & cenſetur una ac eadem perſona cum Epiſcopo, unuumque cum illo conſiſtorium facit. Quæ ſit vicariorum poteſtas, quæ præcedentia, quis locus, quæ conditiones: ex decretis *Tridentinis ſeß.* 6. *c.* 2. & 7. *cap.* 7. & 21. *cap.* 6. & 24. *c.* 3. 16. & *deciſ. SS.*

 congreg.

congreg. Cardinali (apud *Barboſam in collectaneis*, &c.), & *Azorii part. 2. lib. 3. cap. 6. Ibid. Moſconii de majeſtate*, &c. *part. 1. cap. 10.*

Vicario Generali nuncupato totius congregationis Eremitarum Diſcalceatorum Italiæ ordinis S. Auguſtini conceditur, ut gaudeat & utatur omnibus & ſingulis juribus & prærogativis, quibus aliarum religionum Generales gaudent, utuntur, potiuntur. Sic determinavit congregatio Apoſtolicæ viſitationis 26. Maji 1626. apud *Barboſam, lib. cit. in voce vicarius p. 679.*

§. 5. *Conſiliarii*, qui & quales ſint à Poſſevino non explicatur. Sed nos facile colligimus, qui & quales in Papatu ſint & dicantur conſiliarii. Cardinales nunc dicti, olim ſimpliciter dicebantur *conſiliarii*: uti in *Concilio Baſileenſi* prædicabat utriuſque juris monarcha *Ludovicus Pontanus de Româ*, *in ſermone operi conſiliorum* inſerto *fol.* 164.

Hi ergo ſunt conſiliarii Papæ, & cum iis in conſiſtorio conſultationes inſtituunt. Canonici, præſertim cathedrales, ſunt conſiliarii epiſcopi: quorum conſilium quamvis requirere teneatur, non tamen ſemper ſequitur. Sunt in monaſteriis *Officiales*. In ordine Minoritatum, præter miniſtros generales, & miniſtros provinciales ſunt prędlati regulares, *conventuales*, aut *locales*, & in quoque conventu ſacerdotes, pœnitentiarii, prędicatores: Præter quos ſunt *Cuſtodes*, qui pluribus monaſteriis attendunt; & iis eorumque Guardianis ſunt ſuperiores. *Ludov. Miranda* in Manuali prælatorum, &c. *tar.* 1. *qu.* 14. *art.* 2. An autem in iſto aliiſque ordinibus, dicti Abbates, aut Priores, aut Guardiani, aut præpoſiti, aut rectores, utantur *illis*, tanquam conſiliariis, an diſtinctos ab illis habeant *conſultores*, ſeu *conſiliarios*: mihi nunc non liquet: nec vacat inquirere. Delecti aliqui ex monachis, ſunt & dicuntur *conſultores*: uti in collegiis Jeſuiticis *conſultores* ſunt, quorum conſilia exquirit & audit *Superior* ſeu *Rector*: Quorum conſultorum regulas exhibet *Proſper Stellartius Ord. Exemt. Auguſtini* in *tract.* cui *tit. Fundamina & Regulæ omnium Ordinum monaſticorum & Militarium.* Miranda modo citatus *tom. 2. quæſt.* 11. habet in ordine ſuo *commiſſarium Generalem*, cujus inſtitutio facta eſt à *Leone* x. anno 1517. quod tam amplus ordo congruè ab uno miniſtro Generali Gubernari non poſſet. Quando ergo miniſter Generalis eligitur ex Ultra-Montanis, Commiſſarius Generalis eligitur ex Ciſmontanis; & vice verſa quando Miniſter Generalis eligitur ex Ciſmontanis, Commiſſarius eligetur ex Tranſmontanis.

De *Conſultoribus* in ordine Lojolitarum, mox infra dicemus. Alii ordines Regularium proculdubio & ſuos habent, quamvis aliis nominibus appellatos.

In ordine Minoritarum habentur *Diffinitores.*

De

De deſinitoribus (diffinitoribus, uti ipſi ſcribunt) Generalibus agit Miranda *tom.2 quaſt.* 12. Quorum munus eſſe dicit, ut congregati ſimul cum Generali miniſtro in capitulo generali diffiniant & expediant omnia, quę ad bonam atque exactam gubernationem totius religionis vel cujuſlibet particularis familię reſpectivè pertinent. Eliguntur autem in capitulo generali duodecim diffinitores; ſex ſcil. ex familiâ Tranſmontanâ, & ſex ex familiâ Ciſmontanâ. Quænam autem Provinciæ pertineant ad utramque familiam legat, cui hoc tanti eſt, *quaſt. cit. artic.* 1. ſufficit hic in gratiam juniorum indicaſſe ad illam pertinere 27. provincias, ad iſtam 34. Jam cogita quantus ſit numerus monaſteriorum ordinis Franciſcani, & quantus numerus monachorum. Anno 1599. ex ſcriptore quodam Italo, cui nomen *Durus de paſcolo* à *Joh. Boreel in præfat: ad commentarium Hug. Bronghtoni* in *Danielem* numerus omnium monaſteriorum totius orbis notatus fuit 225044. Quantus hodie ſit, & quot à tempore Duri de Paſcolo uſque ad annum 1668. ſint ſublata, quot de novo ædificata aut inſtaurata, inquiri poſſet.

Conſervatores ordinis, ſunt judices dati ad defendendum aliquem ſeu aliquos contra manifeſtas injurias, conſervandoſque ipſos indemnes in proprio ſtatu. Hanc deſcriptionem colligit *Miranda*, ex c. *ſtatuimus*, de offic. Delegati *lib.* 6. & Canoniſtis ibidem cit. Et ſolummodo poſſunt cognoſcere de manifeſtis: non vero judicialem indaginem inſtituere. Differunt ergo hi judices conſervatores, à judicibus ordinariis, & judicibus delegatis. Eſt autem privilegium Monachorum ſeu Ordinum mendicantium ut quaſcumque voluerint perſonas, alias de jure capaces, ad talem Juriſdictionem & conſervationem requirant, illæ ſub pœnâ excommunicationis, eam ſuſcipere teneantur. Quænam autem perſonæ eximantur, aliaque huc ſpectantia, docet *Miranda tom.* 2. *quaſt.* 47. Ordinis, & collegiorum Jeſuiticorum tum gubernatores tum officiarii à *Stellartio tract. cit. cap.* 38. *pag.* 544. & *ſeqq.* cum regulis ſocietatis generalibus, & cujuſque gubernatoris, atque officialis ſpecialibus recenſentur.

1. *Generalis* eſt, qui univerſo ordini præeſt; & ordinario reſidet Romæ, ne remotus ſit à fonte caloris.

2. *Provincialis*, eſt qui præeſt omnibus in illâ provinciâ collegiis Jeſuitarum, eorumque præpoſitis & Regentibus. Qui habet quatuor conſultores à Generali deſignatos. Et viſitat quotannis ſingula loca ſuæ provinciæ. Inferiores Provinciali ſunt tum ſequentes ſuperiores tum officiales.

Præpoſiti domorum & *Rectores* collegiorum, *Rectores* domorum probationis.

Miniſtri, *procuratores*, & *præfecti ſtudiorum*.

Digitized by Google

Magiſtri novitiorum.

Præfecti rerum ſpiritualium.

Conſultores & *Monitores* eorum, qui præſunt in provinciâ.

Prædicatores, & *Confeßores*.

Lectores ordinarii in omnibus claſſibus.

Rector & *Concellarius* in univerſitatibus.

Profeſſores in collegiis & univerſitatibus.

Lectores extraordinarii in iiſdem collegiis & univerſitatibus.

Profeſſi, & *coadjutores formati*; qui diſtincti ſunt à novitiis, & iis qui probantur. Quorum illi habitant in collegio, ſeu domo profeſsâ: *iſti* in domibus ſeparatis. quæ domus ſunt vel primæ probationis, vel ſecundæ.

Examinatores, qui examinant eos, qui ſocietatem ingredi petunt.

Præfecti eccleſiæ, qui curant ut ænditui regulas ſuas obſervent: & curam gerant miſſarum pro defunctis ſocietatis, & pro fundatoribus ac benefactoribus.

Sacerdotes, qui ſcil. miſſas celebrant, aliaque ſacerdotalia peragunt.

Procuratores generales, ad quos pertinent negotia omnia ad expeditiones, lites, & quoſdam contractus ſibi à Generali commiſſos.

Procuratores domus profeſſę collegii, & domus probationis ſunt, qui quærunt & petunt eleemoſinas, eaſque augere & conſervare ſtudent, & toti domui neceſſaria procurant.

Præfecti lectorum ad menſam.

Præfecti ſanitatis.

Præfecti Bibliothecæ.

Miniſtri, *ſubminiſtri*, *ænditui*, Infirmarii, Janitores, Cuſtodes veſtium, Emptores, Diſpenſatores, Præfecti refectorii, Coqui, Excitatores, Viſitantes cubicula noctu.

* *Appendix ad cap.6.*

* HActenus quidem eccleſiaſticos gubernantes juxta enumerationem *Poßevini* percurrimus, additis etiam aliquot ex hierarchiâ Regularium. Sed quandoquidem & aliæ appellationes eccleſiaſticorum Gubernantium aut quaſi Gubernantium apud *Canoniſtas*, & in Agendariis eccleſiaſticis occurrunt: viſum fuit in gratiam juniorum eaſdem hic perſtringere.

§. 1. *Perſonatus* eſt prærogativa in eccleſiâ ſine juriſdictione: ut tenere primum locum in choro, & in profeſſionibus, aut vocem habere in *capitulo*. Hujus abſtracti concretum *Perſona*, hâc ſignificatione apud Canoniſtas, raro & Caſuiſtas mihi occurrit.

Pi-

Plebania, *Plebanus*, qui idem ſit cum Rurali ſeu Foraneo epiſcopi *vica-* §. 2.
rio, ſupra ex Moſconio nobis memoratus eſt. Sed videtur ille vocem *Plebani* nimis reſtrinxiſſe. Experientia me docuit, collato libello quodam Eriſtico *Fr. Zweertii tunc plebani* Sylvæducenſis c. *Franciſcum, Lansbergium* concionatorem Roterodamenſem, *Plebanum* eſſe & dici civitatenſem vicarium Epiſcopi, qui parochiali curâ præeſt plebi ad cathedralem eccleſiam (quæ *Sylva-ducis* erat templum Johannis) pertinentem tanquam paſtor, Rector, parochus, curatus paſcens eam verbi prædicatione, & ſacramentorum diſpenſatione. *S. congr. Rituum* 16. Maji 1601. talem plebanum debere immediatè ſedere poſt canonicos ſupra portionatos.

Inquiſitor, eſt judex delegatus à Papâ datus Epiſcopis tanquam coadju- §. 3.
tor, ut commodius hæreſes purgentur. Sic ex Simancha, Directorio inquiſitorum, *Ubertino* in ſuo ordine Judiciorum, *Iſid. Moſconius lib. 1. part. 1. cap. 11.* ubi addit eſſe nobile officium, tanquam à Deo ordinatum; ejuſque poteſtatem, officium, & proceſſum deſcribit.

Legati ſunt vel nuntii Apoſtolici; vel legati laterales ſeu legati de §. 4.
latere. Hi ruſum ſunt vel conſtituti, vel nati. Minores ſunt nuntii, majores legati de latere nati maximi legati de latere conſtituti. Et tales ſunt à Papâ delegati, deſtinati, & miſſi ut in provincia ſibi commiſsâ leges ſtatuant, poſt depoſitum etiam eorum officium, vim habituras; prædeceſſorum ſuorum leges, ſi ipſis videatur expediens, revocent, de querelis ad ſe delatis cognoſcant, & eas etiam, ſi videtur, alteri delegent. Sic *Zecchius tit. de ſtatu Illuſtriſſimi legati, pag.* 72. Qui ibidem hoc modo ejus officium deſcribit. Ad ejus officium ſpectat, tenere „ pacatam provinciam, & purgare ab erroribus tum fidei tum morum, & „ delinquentes, niſi reſipiſcant, punire, pauperes fovere non gravare; ec- „ cleſias non ſpoliare, ſed emendare; marſupia non exhaurire, ſed crimi- „ na corrigere; & reverti ad Papam non ditari, ſed fatigati accedere, nec „ lætari, quod ex provinciis ſumtuoſa quęque abſtulerint, ſed quod pacem „ regnis reddiderint; legem Barbaris, quietem monaſteriis, eccleſiis ordi- „ nem, clericis diſciplinam, &c.

Unde colligimus, illos præſtare *vicarios Apoſtolicos*: quali titulo ſe inſigniebat *Philippus Rovenius* titularis archiepiſcopus *Philippenſis* in libro à ſe anno 1648. edito tit. *Reipublica Chriſtiana libri duo.*

Legati de latere, nati ſunt, quorum dignitati & archiepiſcopatui officium hoc annexum eſt de quorum magnâ authoritate *cap. 1. de offic. legati.* Et tales ſunt *Cantuarienſis*, *Rhemenſis*, *Piſanus*, *Eboracenſis.*

Nuntii Apoſtolici ſunt, qui in certâ aliquâ provinciâ tempus aliquod reſident ut ſpeculentur, & agant nomine Papæ, quæ iſtic in eccleſiaſticis

& ſæcularibus ſpeculanda & agenda ſunt. Si *Coſmarchia* cum *hierarchiâ* comparetur, analogicè idem ſunt, quod regum legati ordinariò alicubi reſidentes.

Sæpe legati deſumi ſolent ex Cardinalibus: quamvis pro arbitrio Papæ etiam deſummantur ex aliis pręlatis & officialibus Papæ ſeu Curialibus. Exſtat *Andreæ Barbatii tract. de officio legati de latere*, *Oceano Juris* inſertus. Sed omnia de legati de latere poteſtate, privilegiis, &c. compendioſe, annotatis autoribus, perſtrinxit *Zecchius loc. cit.*

Diſtinguuntur, à legatis & nuntiis Papalibus *Judices delegati* quibus Papa vices ſuas delegat in aliquâ causâ, ad judicium Papæ pertinente: de quibus *Zecchius cap. 22. pag.* 146. Ubi etiam agit de judicibus delegatis ab epiſcopo aut ejus vicario, aut ab eo, qui extraordinariâ juriſdictione aliquid poteſt.

§. 5. *Protonotarii* Apoſtolici ſunt, excellentioris gradus notarii ſupra alios notarios Apoſtolicos. Inter eos ſunt duodecim, Romæ reſidentes & prælati domeſtici Papæ. Sunt & dicti titulares: de utrorumque poteſtate officio, dignitate, præcedentiâ, varia determinantur, apud Barboſam in collectaneis in voce Protonotarius. Hodie ſunt *Notarii cameræ* & cancellariæ Apoſtolicæ; & Notarii curiæ Apoſtolicæ. *Notarii curiæ*, cauſarum ſuarum actuarii ſunt 48.; quatuor ſub quolibet auditore. Ex his *unus Extrahitur* „ (ut loquitur *Zecchius cap.* 20. *p.* 145.) qui *Menſarius* dicitur, qui cauſas „ ejus Auditoris dividit, cuique æquam portionem deſignando; & ſi inter „ eos oritur quæſtio *Menſarius* omnium *Generalis*, vel *Decanus* eam diffinit, & *notarii* Cameræ & Cancellariæ recipiunt conſenſus reſignantium & ſimilium.

§. 6. *Examinatores* & *Teſtes ſynodales*, quotannis conſtituuntur ex Cathedrali eccleſiâ in ſynodis Epiſcopalibus aut Provincialibus. Examinatores tenentur omnes ad beneficia præſentatos coram epiſcopo aut ejus vicario examinare. De quibus & modo examinis *Concil. Trident. ſeſſ.* 23. *cap.* 7. & 24. *cap.* 18. & 13. *cap.* 4. & 5. *Teſtes ſynodales* ſunt ſeptem viri ex diverſis in ſynodis Epiſcoporum, aut in Conciliis provincialibus electi & conſtituti, ad teſtificandum coram epiſcopo, quæ in diverſis gerantur *cap. Epiſcopus* 63. *qu.* 6. Quales teſtes ſynodales etiam in Capitulis monachorum conſtitui debere, colligimus ex cap. *in ſingulis §. ordinentur.* De ſtatu monachorum.

Camerarius eſt primus & primas ſex pręlatorum domeſticorum Papæ, qui dicuntur *clerici cameræ*, quaſi ad cameram Papæ electi; cum quibus Papa agit de his quæ pertinent ad regimen urbis, & totius ſtatus temporalis, & ad rationem ærarii Apoſtolici. Hujus camerarii maxima eſt autoritas: cum eo enim contactus fiunt, &c. *Caſtel-*

Caſtellanus Romanæ eccleſiæ dicitur cui *à Papâ* cuſtodia & præfectura caſtri S. Angeli commiſſa eſt. Qualis tempore *Pauli* II. erat *Rodericus Zamorenſis* epiſcopus Caliguritanus, celebris ſcriptor *Speculi vitæ humanæ.*

LIBRI IV. TRACT. II.
DE
ECCLESIASTICIS MINISTRANTIBUS.

A *Poßevino lib.* 3. *Biblioth. cap.* 20. eccleſiaſtici miniſtrantes enumerantur ſequentes

- Parochi.
- Sacerdotes.
- Diaconi.
- Subdiaconi.
- Acolythi, qui & Ceroferarii ſeu Cerophori.
- Exorciſtæ.
- Lectores.
- Oſtiarii.
- Canonici.
- Oeconomi.

CAP. I.
De Parochis, & ſacerdotibus.

Parochus, qui etiam, *Curatus* aut *Curio*, (Gallicè *Cure*) *Rector* §. 1. parochiæ, *Paſtor* dicitur. Quo nomine in Belgio vulgò appellantur à populo; & ipſi ſe titulo illo inſigniunt. Abſtractum ejus eſt *parochia*, *eccleſia parochialis.* Quæ eſt vel ſimplex, vel unita dignitati, vel duæ aut plures invicem ſunt unitæ. Rurſum parochia eſt vel libera, vel patronata, ſeu *Juris Patronatus:* ejuſque vel *laicalis* vel *clericalis*, vel mixti. De quibus in capitibus reformationis *Concil. Trid. ſeß.* 24. *c.* 18. & determinationibus SS. *congr.* ibidem ſubjectis, & in Collectaneis, &c. *Barboſæ*, in collectaneis; ubi SS. *congr.* determinationes 60. de parochiis, & 71. de parochis exhibet. Imprimis de origine, jure, aliiſque affectionibus parochiatum, egit *Joh. Fileſacus* peculiari *tract.* ſeorſim edito in 8. & poſtea cum

cum aliis ejus tractatibus anno 1621. Denominativum eſt *parochianus*, quo deſignatur quilibet qui iſtius parochialis eccleſiæ pars, ſeu in communione illius parochiæ ſub ductu iſtius parochi religionem exercet: & eucharistiam, baptiſmum, extremam unctionem percipere, matrimonium & ſepulturam Chriſtianam celebrare, miſſam audire tenetur.

Officia parochorum ſunt.

I. Reſidere in eccleſiâ ſuâ parochiali, paſcere, induere. *Illud* officium, exceptionibus, fit non officium, & mandatum *Concilii Tridentini* de reſiſidendo fit non-mandatum.

II. Debet Officium divinum, ſeu horas canonicas recitare.

III. Debet, paſcere, induere. *Illud* fit, adminiſtrando ſacramenta eccleſiæ, & removendo cauſas damnationis: *Iſtud* fit doctrinâ, exemplo *vitæ, fructu* ſanctę orationis. Hoc fit imbuendo ſubditos ſuos virtutibus. Et ut hęc omnia ritè ac cum fructu præſtet, debet expellere ex parochiâ ſuâ lupos ſeu hæreticos: Specialiter miſſas parochiales frequenter celebrare, ſaltem omnibus diebus dominicis & feſtis, & miſſas pro defunctis: euchariſtiam parochianis ſuis conferre; Eandem ad infirmos deferre, eoſque oleo inungere, eoſdem viſitare: debet baptizare; nuptias benedicere, confeſſiones audire: ſepulturam eccleſiaſticam & officium defunctorum curare: Exorcizare à dæmone poſſeſſos: agros, domos, fructus, aliaque benedicere: Ad hæc denuntiare Epiſcopo, ſi qui parochianorum reſpuerint ſemel in anno (in paſchate, vel alio tempore) ſacramentum altaris percipere: purgare parochiam à malorum hominum colluvie, & ſic expellere concubinas & concubinarios, exercentes uſuras, & ſimilia illicita patrantes: arcere ab eccleſiaſticâ ſepulturâ excommunicatos, & alios, quibus interdicta eſt de jure: debent corrigere & corripere, quando viderint magis prodeſſe, quam obeſſe: Non debent peregrinos ſacerdotes admittere ad celebrandum in ſuâ parochiâ, ſine licentiâ ſui epiſcopi: debent oves ſuas noſſe, ideoque tres libros. Unum in quo ſcribant nomina & ætates, qui ſcil. ſint apti ad communionem, qui ad confeſſionem; *ſecundum* baptizatorum; *tertium* defunctorum. Hæc eorum officia colligimus ex *Paſtorali ſeu Rituali Romano* & ex *Miſſali*; (qui libri univerſales & authentici.) & *Concil. Tridentin. ſeſſ.* 12. & 14. & 22. & 23. & 24. in *capp.* reformationis; etiam ex jure canonico *diſt.* 43. Et determinationibus SS. congreg. quæ *Concil. Trid. deciſ.* ac capitibus certis ſubjiciuntur. Horum compendioſam deſcriptionem & probationem habes apud *Iſid. Moſconium part.* 1. de Majeſtate eccleſiæ Militantis, *lib.* 1. *cap.* 24. *Paulus Metezellas congreg. Oratorii* presbyter libros quatuor de ſancto ſacerdotio edidit a. 1631. ubi *lib.* 4. agit *de officiis*, vitâ, & moribus Paſtorum. *Fileſacus* in *tract.* de parœciarum & parœcorum

rum origine, *cap.6.* & *7.* nonnulla inſpargit de officiis parochorum. *Johannes Mantelus ord. Eremit. S. Auguſtini tract.* edidit de officio paſtorali: ſed ille maximam partem agit de virtutibus & moribus paſtorum. Manipulum Curatorum *Guidonis* de monte *Rocheris*, Pupillam oculi alibi nobis cit., *Gulielmum Pariſienſem*, *Ledeſma*, alioſque ſcriptores de ſeptem ſacramentis, nunc prętereo.

Particulares libri paſtoribus ad officia exequenda ſcripti ſunt, ad *Exorciſmos*, adjurationes, exprobrationes Satanæ ritè curanda, *Manuale Exorciſmorum Maximiliani Einatten* approbatum à *Maldero* Epiſcopo Antwerpiano? Ad *proceſſiones Rurales* celebrandas, *Proceſſionale pro eccleſiis Ruralibus* juſſu *Nicolai Soeſii* Epiſcopi Sylvæ-ducenſis concinnatum & Antwerpiæ anno 1622. editum in 4. *Ad octavas celebrandas*, Octavarium Romanum *Bartholomei Gavanti*, à ſacrâ Rituum congregatione approbatam. Ad *Miſſas parochiales* celebrandas, *Fileſacus tract. modo cit. cap. 5.* & *7.* Ad *miſſas* pro aliis juſtitiâ celebrandas, *Pauli Fraxinelli ord. Auguſtini tract. de Obligationibus ſacerdotum*, &c. novies editus, & in Germaniâ primum Coloniæ anno 1650. apud *Antonium Crithium.* Ad *confeſſiones audiendas*, *Claudii Soleri tract. de Juridicâ poteſtate Confeſſariorum.* Et Caſuiſta aut Summiſta quis; quales exſtant fere innumeri partim veteres, partim recentiores, partim recentiſſimi. Veteribus præteritis, (quos in *tract.* de luſu aleæ notavi) hic ſolum indico ex recentioribus *Toletum*, *Navarrum*, *Dianam*, *Filliucium*, *Bonacinam*, *Azorium*, *Binsfelſium*, *Reginaldum*, *Eligium Baſſeum*, De *Graſſiis.* Sunt qui compendio hoc egerunt, & maxime ſcitu neceſſaria vel valde utilia confeſſariis ſuppeditârunt, qualis *Joſephus Auguſtinus tit. Brevis notitia*, &c. *Martinus Funes tit. Speculum morale & practicum*, *Immanuel Sa tit. Aphoriſmi*; *Jac. Marchantius tit. Reſolutiones paſtorales*, &c. Compendioſiſſima ſunt, Methodus confeſſionis, à Claudio Vrexmontis Pariſienſi in gratiam puerorum Grammaticorum ſeu ſcholaſticorum trivialium anno 1538. quæ recuſa fuit Antwerpiæ 1546. apud *Michaëlem Hillenium* in 8. Idem libellus non parum mutatus & poſtea editus, Antwerpiæ 1550. tit. *Methodi confeſſionis* apud Joh. Steelſium recuſus fuit in 16. Sunt etiam Methodi confeſſionis vulgaribus linguis editæ; quarum aliquas vidi, linguâ Luſitanicâ in 12.; linguâ Germanicâ in 8. per Minores Conventuales Colonienſes; linguâ Italicâ in 8. Neapoli, ubi inter alias quæſtiones confitentibus ad extorquendam confeſſionem proponuntur iſtæ, *Habuiſti ne rem cum cane? Dixiſtine, Deum eſſe Hiſpanum?* Vide quæ ſupra *part. 1. lib. 3. tract. 1. cit. 2. cap. 1.* notamus de curioſis & periculoſis confeſſariorum quæſtionibus.

Ad ritus in executione paſtoralis muneris adhibendos aut obſervandos,

dos, *Rituale*, & *Miſſale*; cujus poſterioris rubricæ explicantur in *Bartholom. Gavanti Theſauro ſacrorum rituum*. *Henricus Jacobs* canonicus cathedralis Brugenſis collegit compendium Cæremoniarum, &c. Antwerpię apud Joh. Cnobbaert in 8. Ad feſta celebranda, Calendarium Romanum, cum Rituali & Miſſali, Breviario, & Gavanti theſauro. *Henricus Jaçobs* ſubjunxit compendio Cæremoniarum octo conſiderationes, quæ ſerviunt ad celebrationem Feſtorum, præſertim propriarum ſeu particularium eccleſiarum. Ad cantum & hymnodiam eccleſiaſticam, pręter Rituale, Miſſale, Breviarium (quibus hymni aliqui inſeruntur) Hymni Eccleſiaſtici de tempore & ſanctis à *Judoco Clichtoveo* ſcholiis illuſtrati; *Pſalterium, hymni, collecta, Euangelia, epiſtola, introitus, Gradualia, ſequentia*, &c. edit. Colon. apud Arn. Quentel 1614. in 16. Et quia prędicti hymnarii continent Antiphonas ſeu *Reſponſoria*, & Gradualia; publicâ autoritate Papæ edita ſunt Antiphonaria, & Gradualia in fol. notis Muſicis (Muſicæ ſcil. choralis, ſeu cantus Gregoriani) adjectis; Ad inſtructionem parochianorum in doctrinâ Chriſtianâ faciunt.

Catechiſmus ad Parochos ex decreto *Concilii Tridentini* conſcriptus. Sunt & alii catechiſmi, ut Bellarmini, Coſteri, Ledeſma, Caniſii, &c. Ad conciones habendas, præter varios tractatus de methodo & ratione concionandi, plurima ſermonum ſeu concionum collectanea tam de Tempore quam de ſanctis & apparatus ad conciones formandas, qui collectanea & promtuaria Allegoriarum, Similium, Exemplorum, & hiſtoriarum continent. Sunt & ſummæ prædicantium (qualis *Diez*), & Dormi ſecurè Tympii, ſi bene memius, Theſaurus pauperum concionatorum, Diſcipulus de Tempore, &c. Præteriri non debent conciones celebettimorum prædicatorum *Mailjardi*, & *Michaëlis Menoti*: ex quibus floſculos aut purpureos pannos aliquot exhibet *Henr. Stephanus in tract. præparator. ad apologiam Herodoti Gall. Menoti* ſermones quadrageſimales ab ipſo olim Pariſiis declamati, editi ſunt Pariſiis a. 1526. apud Claudium Cevallonium in 8. Ejuſdem ſermones quadrageſimales *Turonis* declamati apud eundem Claud. Cevallonium Pariſiis ſub ſole aureo in viâ Jacobeâ anno 1525. cum approbatione facultatis theologicæ Pariſienſis, Titulus præfixus eſt: *Rever. patris fratris Mich. Menoti Ordinis Franciſcani, ſacra theologia profeſſoris, zelantiſſimique prædicatoris, qui ingua aurea ſuâ tempeſtate nuncupatus eſt, Sermones quadrageſimales, ab ipſo olim Turonis declamati.* Libellus autoritates allegabiles continens, Ariſtotelis ſcil. aliorumque quorundam philoſophorum, qui editus eſt in gratiam & uſum potiſſimum concionatorum, qui in exordiis concionum tales autoritates ſeu talia axiomata & dicta adhibebant. Liber cui tit. *Mammotrectus ſuper Bibliam*, impreſſus Venetiis 1498. in 8. ad apparatum concionatorum pertinet. Ejus prologum libet hic exhibere: Prologus autoris in

in Mamotrectum. „ Impatiens proprie imperitiæ ac ruditati compatiens „ pauperum clericorum, quum ad prædicationis officium promoventur: „ decrevi bibliam tranſcurrendo perlegere, nec non & alia que in eccleſia „ recitantur: ſi vita comes fuerit: inſpicere diligenter & partium diffici- „ lium ſignificantias & accentus & genera inſinuare lectori pauperculo „ ſin quæ pro captu intelligentię colligere potero ex laboribus aliorum „ ut ſic ethymologia ſenſu edificet intellectum, & aures demulceat de- „ bita ſonoritas proſodiæ. Magis autem narrando probata quam proban- „ do procedam, ut ex hoc inſufficientia loquentis pateat & legenti pro- „ ceſſus ulterior cum aliquatenus exercitatus fuerit reſervetur. Sicubi au- „ tem aliquid inſonuerit imperfecte, ſcriptoris imperfectioni aſcribatur. „ Ubi aliquid approbandum lector deprehenderit: re cognoſcat de the- „ ſauro domini emanaſſe. Ubi vero de accentu aliquo eſt controverſia in- „ ter doctos illorum ſententia prætuli quam credidi potiorem. Ului tunc „ eccleſiæ in multis cenſui deferendum, in quibus non eſt abuſio nimis „ abſurda, nec ab arte intolerabiliter deviatur. In ſingulis libris Bibliæ per „ ſingula capitula ubi enim expoſitio videlicet accentuatio neceſſaria: ſin- „ gula pertractantur. Deſudabit labor ad pedes domini aliqualiter abluen- „ dos: qui ſuo vultu placido & riſu jucundo lotionem pedum affectua- „ lium ſuis latoribus recompenſatione vicaria tam liberaliter quam miſe- „ ricorditer pollicetur. Et quia morem geret talis decurſus pedagogi, qui „ greſſus dirigit parvulorum, mamotrectus poterit appellari.

Requiſita Parochi ſeu Curati ſtatuuntur (apud *Iſid. Moſconium cap. cit.*) *pag.* 342. *Primum* Ætas debita 25 annorum *Concil. Trident. ſeſs.* 24. *cap.* 12. *Secundum*, ſacerdotium, *Concil. Trid. ſeſſ.* 24. *c.* 12. *Tertium*, doctrina debita. *Seſſ.* 21. *c.* 6. *Quartum*, bonitas vitæ. *Quintum*, prudentia.

Quod ad requiſita parochi, omniumque aliorum ſacerdotum. Exſtat *tract. Dionyſii Carthuſiani* tit. *Vita ſacerdotum*; & *Jud. Clicbtomoribus ſacerdotum*: Anonymi tract. *Lavacrum conſcientiæ omnium ſacerdotum*, Coloniæ in ædibus quondam Henrici Quentel 1504. in 4. Dignitas parochorum, omniumque ſacerdotum Miſſificorum aſſeritur in *Gabrielis Biel expoſitione canonis Miſſæ*; ubi Lect. 4. fol. 7. b. (edit. Baſilienſis in fol. apud Jac. Pfortzenſem anno 1515.) ob poteſtatem & opus conſecrationis, merito ſacerdotium dicit extollendum, ejuſque *dignitatem eximiam nullis verborum pompis explicari poſſe.* Et propter poteſtatem abſolvendi, dicit *ad ſacerdotii autoritatem angelos cælorum cives non audere aſpirare. Cui namque angelorum aliquando dixit Deus: tibi dabo claves regni cælorum*, &c.

Et paulo poſt: „ Tranſgrediendo perinde agmina angelica ad ipſam cœli

 regi-

Digitized by Google

„ reginam & mundi dominam veniamus. Hæc etſi in gratiæ plenitudine „ creaturas ſupergrediatur univerſas, gerarchis (lege *gratis*) tamen cedit ec„ cleſię in commiſſi myſterii executione. Illa nempe prolatis octo verbulis: „ Ecce ancilla domini fiat mihi ſecundum verbum tuum, ſemel concepit Dei „ filium & mundi redemptorem. Iſti à domino conſecrati: quinque verbis „ contextam conſecrationis formam cum debita intentione proferentes: „ eundem Dei virginiſque filium advocant quotidie corporaliter in ſacri„ ficium & criminum purgationem: illa perpetua virginitate ſervata ſum„ mum cœli principem de ſe incarnatum, mortalem atque paſſibilem „ mundo edidit ſalvatorem. Iſti conſecratione divina eundem cœli terrę„ que principem in ſacramento veriſſime contentum impaſſibilem glorio„ ſumque contrectant, victorem mortis & baratri deſtructorem. *Hæc be*„ *nedicta* à cujus laude deficit omnis lingua natum dominum virgineis „ lactabat uberibus: contrectabat manibus: brachiis geſtabat puellari„ bus: ac mille talia & infantibus Chriſti membris impendit obſequia, qui„ bus educavit beatorum gloriam & terræ cibatorem. Iſti cœleſtem cibum „ in crucis frixorio charitatis igne coctum ore ſumunt & dant cæteris: „ angelorum videlicet panem ac dulciſſimum cordis confirmatorem.

Ibidem paulo poſt: Quis unquam vidit talia? quis huic vidit ſimilia. „ Qui creavit me (ſi fas eſt dicere) dedit mihi creare ſe; & qui creavit „ me ſine me, creatur mediante me. Hanc ſtupendam ſacerdotis digni„ tatem ſcriptura non valens unius nominis ſignificatione exprimere, &c.

Libellus anonymus tit. *Stella Clericorum*, „ ſimiliter extollit dignita„ tem parochorum & ſacerdotum. Salva, inquit, reverentiâ angelorum „ (quorum dignitatem eorum, largo modo loquendo, &c. *Et paulo poſt:* „ Cum ergo tantæ dignitatis ſit ſacerdos, quod creator ſit ſui creatoris & „ creaturæ: ipſum perdere vel damnare inconveniens eſt.

§. 2. *Sacerdotes*, etiam dicti presbyteri differunt à parochis ſeu curatis, quod omnis parochus ſit ſacerdos; ſed omnis ſacerdos non ſit parochus. Sacerdotes poteſtatem habent ſacrificandi, hoc eſt, Chriſtum ſub ſpeciebus panis & vini Deo in ſacrificium propitiatorum offerendi. Inſuper poteſtatem habent confeſſiones audiendi, & juridicè in interiori conſcientiæ foro peccata remittendi aut retinendi: quæ duo officia tantam ſacerdotibus autoritatem & dignitatem ſupra angelos non tantum; ſed etiam ſupra ipſam ſanctiſſimam virginem Θεοτόκον, tribuunt; ſacerdotium eſt (*Moſconio lib. 1. part. 2. cap. 1.* teſte) ſumma omnium honorum, qui in hominibus conſiſtunt.

„ *Et poſtea*, Sacerdos conſtituitur, ut mediator inter Deum & homi„ nes *D. Thom. p. 3. qu. 22. artic. 1.* Dominus noſter aſcendens in cœlum, ſuos

Digitized by Google

„ſuos vicarios reliquit ſacerdotes, tanquam præſides & judices ad quos „omnia mortalia crimina deferantur. *Et Paulo poſt* officium ſacerdotale „ſublime & angelicum eſt. Vide c. *ſacerdotibus* 11. qu. 1. & c. *Quis dubitet* diſt. 86. & c. *duo ſunt* diſt. 95. Et *Concil. Trident. ſeſſ.* 14. *c.* 5. *ſeſſ.* 23. de ſacram. Ordinis *can.* 1. & 7. & *cap.* 1. Præter duo officia ſacerdotum jam notata, ſunt & iſta, benedicere, docere, & infirmos viſitare, *ſi voluerit* (quod addit *Moſconius cap. cit. pag.* 392.) ſacramenta baptiſmi, eucharistiæ, matrimonii, extremæ unctionis adminiſtrare, quotidie horas canonicas recitare. De officiis, & de modo creandi atque ordinandi ſacerdotem, vide *Pontificale Romanum.* Et *Concil. Trident. ſeſſ.* 14. *cap.* 3. de nonnullis diſquirit *Moſconius* cap.cit.ſpecialiter de ordinibus gradatim conferendis, & non per ſaltum. De quo *Concil. Tridentin. ſeſſ.* 23. *cap.* 2. & 12. cum ſubjectis ibi deciſionibus SS. congreg. *Moſconius lib.* 1. *part.* 2. *cap.* 2. *pag.* 405. inter requiſita ſacerdotum vitam & honeſtatem tam ante quam poſt ordinationem fuſe enarrat. Quæ hic indico, in gratiam eorum, qui in ordine & politiâ Papali, eorumque autoribus non ita verſati ſunt.

CAP. II.

De Diaconis, ſubdiaconis, Acolythis, Exorciſtis, Lectoribus, Oſtiariis.

INter eccleſiaſticos miniſtrantes proxime poſt ſacerdotes ſunt diaconi; poſt quos ſubdiaconi, acolythi, &c.

Diaconi (ait *Durantes lib.* 2. *Rationalis fol.* 27.) *Græce dicuntur* §. 1. *hebraice Levitæ, Latine vero miniſtri ſive aſſumti ſive offerentes, ſecundum Iſidorum.* Ibidem, Originem eorum acceſſit ex *Numer.* 8. Applica tribum Levi, & fac eam, &c. Et ex *Actor.*6. & conferunt illud de *Philippi* unius ex ſeptem diaconis prædicatione *Actor.* 8. cum 21. *v.*8. De qui ſupra *lib.* 2. *tract.* 3. *c.* 8.

Officium diaconorum eſt, Epiſcopo ſeu ſacerdoti ſacrificanti proxime aſſiſtere, eique in omnibus inſervire, euchariſtiam quoque populo ex commiſſione diſtribuere.

Secundum officium eſt prædicare: quod eſt Euangelium legere in miſſæ celebratione: quomodo etiam prædicationis modum explicat *Durantes* in *Rationali* loco cit. Qui idem more ſuo veſtes, geſtus, & ritus diaconi myſticis explicationibus illuſtrat. Dubia & determinationes circa diaconi veſtes, actiones, geſtus, ritus, dum miſſæ celebrationi, & miſſifico ſacerdoti ſubſervit, vide apud *Gavantum tom.* 1. *theſauri part.* 2. *tit.*6. & ſeqq. Ex quo *pag.* 129. diſces, hodie à diacono cantari Euange-

by Google

lium in Miſsâ. Quamvis ibid. fateatur antiquitus lectum fuiſſe Euangelium, ex loco editiori; quem *tribunal*, *pulpitum*, *dicterium*, *Analogium*, *Ambonem*, vel *Umbonem*, appellabant. *An diaconatus ſit ſacramentum*, inter ſe diſceptant Pontificii. Ex Recentioribus affirmantem defendit *A Lapide* ſupra *lib.2. tract.3. cap.8.* cit. Hanc ſententiam amplectitur *Rovenius lib.1. Reipubl. Chriſt. cap.9.* An diaconatus ſit de ordine hierarchico determinari putavit *Rovenius lib. 1. Reipubl. Chriſt. cap.9.*; ex *Concil. Trid. ſeſſ. 23. cap.6.* & pluribus ibidem probare conatur. Plures autores de diaconatu Papiſtico, vide indicatos in Remiſſionibus ad *Concil. Trid. ſeſſ. 23. cap. 2.* & ad *cap. 11. 12. de reform.*

§.2. *Subdiaconi*, *ſubdiaconatus* ſecundum comunem theologorum ſententiam „(ait *Rovenius lib. 1. cap. 8.*) eſt ſacramentum, in quo per *porrectionem* „calicis vacui cum patinâ & libro epiſtolarum, adhibitâ certâ formulâ „verborum per epiſcopum confertur gratia & poteſtas officio congruens. Modum conſecrandi ſeu ordinandi ſubdiaconum, habes in Pontificali.

Officium ſubdiaconi eſt, calicem & patinam ad altare deferre; ſubminiſtrare diacono panem & vinum diſponenda in altari; epiſcopis ante ſacrum aquam præbere ad lavandum; item epiſtolam ſolenniter cantare; corporalia & pallas altaris lavare, horas canonicas legere & decantare, poſt ſermonem memoriter cantare confeſſionem; thurificare chorum; incenſare canonicos, & alios, non tamen manſionarios.

Olim etiam præerant recipiendis oblationibus quæ fiebant à fidelibus in templo, ut eas traderent diacono ad ſuſtentationem miniſtrorum eccleſiæ & pauperum; & in proceſſionibus crucem ante epiſcopum deferebant, eique aſſiſtebant in certis officiis.

Subdiaconatus characterem imprimit; & iterari non poteſt; annexum inſuper habet *votum continentiæ* ſeu *cœlibatus*.

De indumentis, ritibus & geſtibus tunc conſecratorum ſeu ordinatorum, in Subdiaconorum, in iſtâ ordinatione, & in miniſterio, *Durantes lib. cit. Rovenius lib. 1. cap. 8. Barboſa in Collectaneis*, *Gavantus tom. 1. Theſauri tract. 1. tit. 19. & tract. 2. tit. 6.*

§.3. *Acolythi*, qui & *ceroferarii* dicuntur, quibus in ordinatione ad ritum porrectionis ceroferarii cum cereo, & vacuis urceolis cum certâ verborum formâ, gratia ac poteſtas officio congruens confertur. Vide ritum ordinationis in Pontificali, & in *Joh. Baptiſtæ de Rubeis novo Rationali divinorum Officiorum lib. 1. cap. 44.* Officium eorum eſt, miniſterio miſſæ aſſiſtere, præparando vinum, aquam, lumen, thus; portare & reportare; urceolos, ceroferaria thuribulum; accendere luminaria, quando legendum

eſt

eſt Euangelium; & cum accenſis cereis ſequi diaconum Euangelii, eique aſſiſtere.

Originem & antiquitatem eorum explicare conatur *Rovenius cap.7.* Habitus, geſtus, ritus eorundem. *Gavantus part.2. tit. 6. pag.129.* Subdiaconus & acolythus immobiles ſtabunt, neque capita inclinabunt unquam, multo minus genu flectent.

Sed *Durantes lib.2. Rationalis* probat acolythos ſeu ceroferarios, ab Aarone & filiis ejus, miniſterii ſui ſumſiſſe exemplum; & citat *Exod.24.* Præcipe filiis Aaron, &c. „ Quod ergo tunc ſacerdotes agebant, hoc nunc „ acolythi faciunt in myſterio lucernarum, quando præparant luminaria „ in ſacrario. Multa quippe non ſolum in novo, ſed & in V.T. legi „ Moſaicæ ſuperaddita legimus & mutata.

Exorciſtæ ſunt, qui munere & miniſterio ſacro funguntur in expellendis §.4. dæmonibus. Eorum ordinationem & poteſtatis collationem, deſcribit Pontificale, *Durantes, Joh. Baptiſta de Rubeis,* denique *Rovenius. Concil. Trident. ſeſſ.23. cap.2.* tantum nominat Exorciſtas: nihil autem in capp. reformationis de modo & conditionibus muneris illius exercendi determinat: Ut nec SS. congr. *Rovenius* Archiepiſcopus Ultrajectinus, & Vicarius Apoſtolicus in Belgio, *lib.1. de Republ. Chriſt. cap.6.* poteſtatem Exorciſticam & exorciſmos Papales probare conatur, contra hæreticos; ſed poſtea effectus exorciſmi hodie raros eſſe fatetur; & multas cautelas ſuggerit, ſine quibus exorciſmi non ſint capeſſendi. Et jam ante hunc tractatum anno 1648. editum, in ordine eccleſiaſtico Lovanii excuſo energumenorum exercizationem vix conceſſerat.

Accedit, quod exorciſtica non niſi à ſacerdotibus hodie exerceri ſolent; nec ullum oſtendere queas exorciſmum à puero aliquo jam ordinato in exorciſtam, tentatum. Unde ſatis conſtat gradum ſeu ordinem illum exorciſticum & ejus collationem eſſe umbras, ſimulacra, & illuſiones: Uti hoc oſtendimus 3. *part. ſelect. diſpp. tit. de Exorciſmo.*

Lectores ſunt, juxta *Durantem*, qui prædicant, id eſt, legunt ſive recitant §.5. populis, quod ſequantur. Ubi mox ſubdit: „ Licet quidam lectores miſerabiliter pronuntient, ſcil. altè & per vocem ſonoram, ut quoſdam ad „ luctum lamentationemque compellant.

Ne quis autem putet hodie creatos lectores ad exemplum lectorum in antiquâ eccleſiâ ſcripturas publicè coram populo, & quidem linguâ vernaculâ, legere: ex novis Rationalibus divinorum officiorum aliiſque agendariis diſcat, in celebratione miſſæ parochialis legi *epiſtolam* (quam ita vocant) & quidem linguâ Latinâ. Cum autem quamplurimæ ſint miſſæ non-parochiales, & pleræque ſine populo celebrentur, & in miſſis parochialibus, epiſtola

Digitized by Google

ſtola in choro & quidem linguâ Latinâ legatur, quomodo dici poterat lectores recitare populis quæ ſequantur? Hiſtrioniam hic agunt, & ſuis atque alienis illudunt. Velim oſtendi lectores, qui juxta poteſtatem ipſis in ordinatione collatam legant, aut aliquamdiu legerint ſcripturas coram populo, aut ſaltem ſive dictam *epiſtolam*, ſive dictum *Euangelium*, ſive *τὸ credo*.

§. 6. *Oſtiarii* qui & *janitores* dicuntur, ſunt qui oſtiis templi præſunt, aperiunt & claudunt, templum & utenſilia cuſtodiunt. Alii extendunt præfecturam eorum ad theſauros, & hoc reſpectu etiam ſunt ac dicuntur *theſaurarii*. Alii etiam extendunt ad impulſum campanarum: quod tamen in majoribus & ditioribus eccleſiis committitur ſpecialiter ita dictis *Clokatoribus*: ſicuti purgatio templi *Scopatoribus*. Oſtiario in *ordinatione* traduntur ab epiſcopo claves ab altari ſumtæ, his verbis: *Sic age, ſic vive, redditurus domino rationes pro his rebus, quæ his clavibus recluduntur*. Probat *Durantes lib. cit. fol. 26. tit. de Oſtiariis*, Chriſtum hoc officium implevisse, quando dixit, *tollite portas ,, principes veſtras, & elevamini portæ æternales*, &c. Et quando ementes ,, & vendentes de templo ejecit, quod in eccleſiâ ſpiritualiter agit. Unde in Euangelio dicit, *Ego ſum oſtium*. Primam originem, ibidem accerſit à Janitoribus in V.T. 1 Paralip. 26. *Hi autem*, inquit, *imitantur editos* (lege æedituos) *qui apud Gentiles erant*, *& idem tuebantur & cuſtodiebant*. Plura de oſtiariis vide apud *Joh. Baptiſt.* de Rubeis; & *Rovenium*.

* *Appendix ad cap. 2.*

Ne quis autem putet populo ſcripturas linguâ notâ in eccleſiaſticis conventibus publicè à pueris aut adoleſcentulis ad gradum & munus lectoratus jam promotis, aut à diaconis, & ſacerdotibus prælegi; uti in Apoſtolicis & poſt-Apoſtolicis antiquiſſimis eccleſiis, hoc factum (de quo ſupra *part. 1. lib. 2. tr. 2. ſect. 2. §. 1.*): breviter hic indico, Lectionem eſſe duplicem, in miſsâ, & in horis canonicis ſeu officio divino: indicante *A Lapide in Actor. 13. v. 15.* ,, In eccleſiis, inquit, parochialibus, poſt lectionem epiſtolæ & Euan- ,, gelii in Miſsâ, habetur concio. Et in horis canonicis poſt Pſalmos, Epi- ,, ſtolas, & Euangelia leguntur homiliæ patrum.

Joh. Stephanus Durantus lib. 2. de Ritibus eccleſ. cathol. cap. 18. Lectiones ,, enim, nedum in divinis officiis, ſed & in ſacro miſſæ celebrantur. Hoc ,, autem intereſt inter lectionem, quæ fit in divinis officiis, & eam, quæ ,, fit in ſacro miſſæ; quod eſt inter domeſticam admonitionem, & illam ,, quæ ad concionem agitur: illam enim, quam ad miſſam agimus, ex gra- ,, du ſolemus proferre, ut omnis populus eam audiat. Unde colligimus ſolam lectionem in miſsâ publicè fieri coram toto cœtu eccleſiæ miſſæ celebratio-

Digitized by Google

lebrationem ſpectante. Quæ ſubſtituta lectioni ſcripturarum in Iſraeliticâ, & antiquâ eccleſiâ, qualis ſit, & quantum ædificare valeat, ex ejus deſcriptione mox exhibendâ facile colligi poterit. De lectionibus ſcripturæ & ordine ac modo legendi, in celebratione officii divini, hic nihil notandum cenſemus: quia totum illud privatim in choro à & coram clericis ſive canonicis, ſeu monachis peragitur. *Breviarium Romanum* omnes illas lectiones exhibet in celebratione officii divini recitandas. Nos antehac totam rationem officii divini, & autores de eodem indicavimus, in 3. *part. ſelect. diſp. tit.* De pſeudo-precationibus *part.* 4. *pag.* 1056. & ſeqq.

De lectionibus in *Miſsâ* excerpimus ex *Gavanti Theſauri tom.* 1, in rubricas Miſſalis *part.* 2. *tit.* 10. *pag.* 31.

„ De Epiſtola, Graduali, Alleluia, & Tractu, ac de Euangelio.

„ 1 POſt ultimam Orationem dicitur [k] *Epiſtola: qua finita, à miniſtris*
„ *reſpondetur,* [l] *Deo gratias. Et ſimiliter quando leguntur plures Le-*
„ *ctiones, poſt ſingulas dicitur, Deo gratias, præterquam* [m] *in fine quinta Lectio-*
„ *nis Danielis in Sabbatis. Quatuor Temporum,* [n] *& in fine Lectionum Feria*
„ *ſexta in Paraſceve, & Sabbati ſancti.*
„ [k] *Epiſtola.*] Sonat Epiſtola ſupermiſſionem, ſeu ſupererogationem; quia
„ litteræ, quæ mittuntur, habent aliquid ſupra id quod viva voce nuntius
„ fert, ideoque Epiſtolæ vocantur.
„ Eſt igitur Epiſtola miſſa ſupra, ſive ultra Teſtamentum vetus, & Evan-
„ gelium, *Alcuin. de Divinis Officiis.* Auctores legendi Epiſtolam in Miſſa
„ fuere Apoſtoli, & habetur in Liturgia S. Petri; tum Succeſſores Apoſto-
„ lorum, *ex Can.* 10. *Apoſt. Dion. de Eccleſiaſt. Hierar. cap.* 3. *Clem. lib.* 2.
„ *Conſt. cap.* 57. Alexander autem Papa, qui dicitur auctor *ab Honor. in*
„ *Gemma cap.* 88. fortaſſe Decreto ritum ſtabilivit. Ante Anaſtaſium Pau-
„ lus tantùm legebatur, *ex Demochare, Tom.* 4. *cap.* 15. deinde verò non
„ ſolùm Pauli legebantur Epiſtolæ, *Walafr. Strabo cap.* 22. ſed etiam alio-
„ rum Apoſtolorum, & Prophetarum, quod clarè aſſerit *S. Juſtin.*
„ *Apol.* 2.
„ Porrò per totum anni curriculum ex Prophetis & Apoſtolis collegit &
„ ordinavit Epiſtolas & Lectiones ſanctus Hieronymus *in lib. qui dicitur*
„ *Lectionarius, vel Comes S. Hier.* ut docet *Berno cap.* 1. Damaſo appro-
„ bante, *ex Radulpho Prop.* 23. eo fine, ut per Lectionem præparemur ad
„ myſteria, *ex Cabaſila cap.* 22.
„ Et in Lectionibus quidem veteris Teſtamenti initium eſſe ſolet, *In die-*
„ *bus illis*; finis autem, *ait Dominus omnipotens*: quia in libris illis hęc ſæpè

Digitized by Google

,,ſunt in uſu. Titulus etiam Sapientiæ communis eſt Lectioni proverbio-
,,rum, Canticorum & Eccleſiaſtici; quia hi libri dicuntur Sapientiales,
,,ex SS. Patrum antiquo uſu & ritu. In Epiſtolis verò Pauli eadem de cau-
,,ſa fit initium ab ea voce, *Fratres*; & finis eſt, *in Chriſto Jeſu Domino*
,,*noſtro*. In aliis item Apoſtolicis Epiſtolis ob eamdem cauſam utimur ini-
,,tio voce illa *Chariſſimi*, uſitata à Petro & Joanne in ſuis Epiſtolis, *Du-*
,,*rand. lib.* 4. *cap.* 16.
,, Certè in Dominicis epiſtola ſolet eſſe de novo Teſtamento, quia Do-
,,minicus dies reſurrectionem Domini & tempus gratiæ repræſentat, *Duran.*
,,*lib.* 2. *de Rit. cap.* 18.
,, Sed, cur ante Euangelium legitur, cùm ſit minoris dignitatis? Primò,
,,quia deſignat officium Joannis Baptiſtæ, *Rupert. lib.* 1. *cap.* 32. qui fuit
,,utriuſque Teſtamenti, cujus ſunt Epiſtolæ, *Innocen. III. lib.* 2. *cap.* 29.
,,Deinde *ex Alcuino*. Mos fuit Apoſtolorum, ut bini ante Dominum irent,
,,*Luc.* 10. Tertio *ex Walaſr. loc. cit.* ut animus audientium à minoribus ad
,,majora ſentienda proficiat, & gradatim ab imis ad ſumma conſcendat.
,,Alias duas cauſas lege apud *Duran. loco citato*, quæ minùs mihi pla-
,,cent.
,, [l] *Deo gratias.*] *Burchard.* Auguſtini ſæculo conſueverunt dicere Mona-
,,chi cùm hominibus occurrebant, *Deo gratias*: quod ipſe ſcribit *Auguſt.*
,,*ad Pſalm.* 132. adeò erat tunc in Miſſa & Officio uſitatum. Gratias autem
,,agimus Deo, quòd Doctrinæ ſuæ panem nobis frangere dignatur, *ex Ru-*
,,*pert. lib.* 1. *de Divin. Offic. cap.* 14. Sic Pauli erat Epiſtola, dicebatur in fine,
,,*Pax tecum*, *ex Aug. Epiſt.* 163.
,, [m] *In fine quintæ Lectionis.*] Omittitur reſponſio miniſtri, ne interrum-
,,patur textus & ſenſus, ut ibidem legenti patet.
,, [n] *Et in fine Lectionum*, &c.] Sunt hi dies luctus, in quibus abſtinemus
,,etiam à *Gloria Patri*, &c. & ſimilibus loquendi modis feſtivioribus.
,, 2. *Poſt Epiſtolam dicitur* [o] *Graduale, quod ſemper dicitur*, [p] *præter-*
,,*quam Tempore Paſchali, cujus loco tunc dicuntur duo Verſus, ut habetur in*
,,*Rubrica in Sabbato in Albis.*
,, [o] *Graduale.*] Seu Graduale, *Rabanus lib.* 1. *c.* 33. eò quòd cantabatur
,,in inferiori gradu, *Ordo Rom.* vel juxta gradus pulpiti in quo legebatur
,,Euangelium, *Raban. ibid.* vel quia cantabatur, dum Diaconus aſcende-
,,ret gradus pulpiti Euangelici, *ex Walafrid. cap.* 22. *& Rhenano ad Tertul.*
,,*de Cor. milit.* vel in gradibus Altaris, *Duran. lib.* 4. *c.* 19. Cantari autem
,,cœpit, auctore Cæleſtino I. *ex Sigeber.* anno Domini 426. *& Ruper.*
,,*lib.* 2. *Divin. Offic. cap.* 21. Ambroſius compoſuit, *ex Rad. Propoſ.* 23.
,,Gelaſius & Gregorius item, *ex Duran. loco citato.* appellantur in Antipho-
,,nario Gregorii *Reſponſoria*. *Præ-*

„ P. *Præterquam Tempore Paſchali.*] Quia *ex Rup. lib. 1. cap. 34.* Gradua-
„ le lamentum indicat & laborem, quæ non congruunt cum tempore ſum-
„ mæ lætitiæ Paſchalis. Summa verò fuit lætitia poſt recuperatum Tho-
„ mam in Dominico in Albis, in cujus Sabbato ideò ceſſant Gradualia;
„ eorum autem loco dicuntur duo Verſus, qui nihil ſiniſtrum aut triſte ſo-
„ nant, *Innocen. loco citato cap. 33.* Quum ſi infra Octavam Paſchæ Gra-
„ duale dicitur, id fit propter recenter baptizatos, *Ruper. lib. 8. cap. 1.*

„ 3. *Poſt Graduale, dicuntur* q *duo Alleluia, deinde Verſus, & poſt Verſum,*
„ *unum Allelvio. Tempore Paſchali, quando non dicitur Graduale, dicitur*
„ *aliud Alleluia poſt ſecundum Verſum: & quando dicitur* r *Sequentia, non*
„ *dicitur poſt ultimum Verſum, ſed poſt Sequentiam.*

„ q *Duo Alleluia.*] Uſurpatur *Alleluia* in Liturgia S. Petri hoc loco. Poſt
„ luctum lætitia ſequitur, *Ruper. lib. 1. cap. 35.* & peregrina vox eſt, ut
„ idem ait, ad exprimendum peregrinum gaudium, quod in Cęleſti Jeru-
„ ſalem nos manet, eſt enim vox Hebræa, quæ ſignificat *Laudate Domi-*
„ *num*, *Aug. in Pſalm. 118.* cum plenitudine tamen gaudii & exultationis,
„ auctore *S. Thoma poſt Gloſ. in cap. 19. Apoc.* unde & in diebus mœroris
„ omittitur. *S. Germanus in Theoria* explicat, *Al*, id eſt venit, *el*, Deus,
„ *via*, laudate. Alias refert ſignificationes *Duran. lib. 4. c. 20.* Primam *ex*
„ *Auguſtino*, Salvum me fac Domine. Secundam *ex Hieronymo*, Cantate
„ laudem Domino. Tertiam *ex Gregorio*, Pater Filius, & Spiritus ſanctus;
„ ſed eſt *S. Germano loco citato*: vel lux, vita, ſalus. Quartam *ex Petro*
„ *Antiſiodor.* Altiſſimus levatus eſt in Cruce, lugebant Apoſtoli, jam ſur-
„ rexit. In aliam linguam transferri non debet, ſicut nec *Amen*, propter
„ ſanctiorem auctoritatem, *Iſidor. lib. 1. de Divin. Offic. cap. 13.* nam de
„ Jeroſolymitana Eccleſia tranſlata fuit ad Romanam à S. Hieronymo
„ juſſu Damaſi, ut docet *S. Gregorius lib. 7. Epiſt. 63.* qui & eandem vo-
„ cem reſtituit, *ex Ruper. lib. 1. cap. 35.* non ſimpliciter, ſed inſtituit, ut
„ caneretur etiam extra tempus Paſchale, ut explicat *Baron. ex Auguſt. in*
„ *Pſal. 106. cum ſcribit de Damaſo, anno* 384. quod enim erat in uſu Je-
„ roſolymis ante Damaſum, & Damaſus Romæ ordinaverat, fortaſſe dein-
„ de omiſſum fuerit uſque ad tempora Gregorii. Et ſicuti *Kyrie*, vox Grę-
„ ca, ita & *Alleluia*, vox Hebræa, à Latinis uſurpantur; ut omnis lingua
„ in Miſſa confiteatur, quia Jeſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris, *Innoc. III.*
„ *lib. 1. cap. 33.*

„ Quod autem dicendum ſit in Miſſa poſt Graduale, ſeu Epiſtolam, ha-
„ betur *in Ordine Romano*: & geminatur, ob geminam quam expecta-
„ mus glorificationem animæ & corporis. Additur *Verſus* & alterum *Al-*
„ *leluia*, quaſi intermixtum ſit graduale tum luctu, tum lætitia, ne deficia-

Digitized by Google

„ mus in hac vita ærumnarum plena, *Durand. loco citato.* Quod dicitur „ de *Sequentia* & *Alleluia* in hac Rubrica, habet *Burchard.* ut ultimum lo„ cum prope Euangelium impleat *Alleluia.*

„ [t] *Sequentia.*] Diximus *ſupra part.* 1 *p. tit.* 5. vocari jubilationem ab „ Ordine Romano, & cur dicta ſit Sequentia, docuimus *ibidem.* Primum „ earum Auctorem ferunt fuiſſe Abbatem Nogerum, ſeu Notherum, „ ſancti Galli, & Nicolaum Papam eas approbaſſe, *Radulph. Propoſ.* 23. „ eas etiam fuiſſe in uſu Romano tradit *Walafr. Strabo cap.* 22. Verùm SS. „ Ambroſio & Auguſtino adſcriptas fuiſſe aliquas Sequentias, ſcribit *Du„ ran. lib.* 2. *cap.* 22. Pulchrè igitur junguntur Sequentiæ cum vocibus *Al„ leluia*, ad explicandam Paradiſi lętitiam ineffabilem in ſolemnioribus Fe„ ſtis, puta, in Paſchate, & pentecoſte, cujus Sequentię, *Veni ſancte ſpi„ ritus*, *& emitte cælitus*, &c. auctor eſſe perhibetur Robertus Franciæ „ Rex, *apud Trithemium & Duran. lib.* 4. *c.* 22. *circa annum*, 1003. vel „ Hermanus Contractus, *ex ligno vitæ lib.* 5. *cap.* 70. In feſto Corporis „ Chriſti Auctor eſt Sequentiæ S. Thomas Aquinas; quam tamen tribuit „ ſancto Bonaventuræ *Jo. Riochel.* 4. *Compend. temporum cap.* 71. *col.* 3 ſed „ primum puto verius. De Sequentia Paſchatis mentionem ſubobſcuram „ facit *Auctor Gemmæ anim. lib* 3. *cap.* 135.

„ 4. *A Septuageſima uſque ad Sabbatum ſanctum* [ſ] *non dicitur Alleluia, ne„ que dicitur in Miſſis de Feria in Adventu, Quatuor Temporibus, & Vigi„ liis quæ jejunantur, exceptis Vigilia Nativitatis Domini*, [t] *ſi venerit in Do„ minica, &* [u] *Vigilia Paſchæ & Pentecoſtes, ac Quatuor Temporibus Pente„ coſtes. Nec dicitur in Feſto* [x] *SS. Innocentum*, [y] *niſi venerit in Dominica.*

„ [ſ] *Non dicitur.*] *Leo IX. de Conſ. Diſt.* 1. *Hi duo & Conc. Tolet. IV. can.* 10. „ prohibent in Quadrageſima dici. Vox enim tantæ lætitiæ audienda non „ eſt in diebus mœroris & triſtitiæ, cujuſmodi ſunt à ſeptuageſima ad Sab„ batum ſanctum, tum Feriæ Adventus & Quatuor Temporum, tum Vi„ gilię quæ jejunantur, *Alcuin. de Divin. Offic. cap. de Septuageſima*, idem „ affirmat de Vigiliis *cap. de Feria* 6. *in Paraſceve.* Stillicidium eſt enim „ *Alleluia* gaudii cæleſtis, *Rup. lib.* 1. *cap.* 35.

„ [t] *Si venerit Dominica.*] *Burchar.* quam nullo tempore jejunare, ſed „ ſemper feſtivam eſſe, Dominicæ Reſurrectionis auctoritas, *Alcuin. loco „ citato de Feria ſexta.*

„ [u] *Vigilia Paſchæ*, &c.] *Burchard.* idem docet in duabus Vigiliis præ„ dictis. in his autem ſolemnioribus diebus licet jejunemus, lætitiæ tamen „ plena ſunt omnia in divinis Officiis celebrandis.

„ [x] *Sanctorum Innocentum.*] *Burchar.* propter plorationem Rachel, quæ „ in figura præceſſit Matris noſtræ ſanctæ Eccleſiæ; aut quia tempus erat,

quo

„ quo tunc ad inferni clauſtra deſcendebant paſſi, *Alcuin. cap. Officium. Vir*
„ *erat in terra.*

„ *y Niſi venerit in Dominica.*] Quæ Regina eſt dierum, ob Domini Re-
„ ſurrectionem, *ex Ignatio ſupra citato, & Alcuin. ſuprà de Fer. 9.*

„ 5. *A Septuageſima uſque ad Paſcha eius loco dicitur* [z] *Tractus, qui*
„ *Tractus prædicto tempore in aliquibus Feriis non dicitur, ut ſuis locis poni-*
„ *tur:* [a] *nec dicitur in Feriis à Septuageſima uſque ad Quadrageſimam, quando*
„ *repetitur Miſſa Dominica.*

„ [z] *Tractus.*] De eo *in Ordine Romano.* Tractus autem, hoc eſt, luctus,
„ *ex eodem Ordine Romano de Septuageſima*, à trahendo dictus eſt, quia
„ tractim cantatur, *Alcuin. de Sept.* & veluti tractæ voces lugubres gemiti-
„ bus & ſuſpiriis admixtæ ſunt, *Azor. lib. 10 cap. 36. quæſt. 8.* Auctor Tra-
„ ctuum, vel Cęleſtinus, *Berno ad offic. Miſſæ cap. 25.* vel Gelaſius, *Ruper.*
„ *lib. 2. de Divin. Offic. cap. 21.* vel Teleſophoris, *Durand. lib. 4. cap. 21.*
„ vel hi omnes perfecere.

„ Humilitatis verò tempore dici ſolet, & ſemper in cauſa humilitatis
„ ponitur, *Amalar. lib. 2. cap. 3.* unde à Septuageſima ad Paſcha locum
„ habet Tractus; quia tunc mortem, quæ intravit in mundum per invidiam
„ diaboli, lugemus, *Ruper. lib. 5. cap. 13.* vel miſeriam vitę præſentis, *In-*
„ *noc. III. lib. 2. cap. 32.*

„ [a] *Nec dicitur.*] Iis certè diebus cantatur Tractus, quibus frequentior
„ eſt populus, ut ad luctum excitetur, nempe Dominicis diebus, & in
„ Quadrageſimæ Feriis ſecundis, quartis, & ſextis, *Durand. lib. 4.*
„ *cap. 21.*

„ 6. *Dicto Graduali, ſeu Alleluia, ſeu Tractu,* [b] *dicitur Euangelium.* [c] *Et*
„ *in principio Euangelii dicitur, Dominus vobiſcum. Reſpondetur, Et cum ſpi-*
„ *ritu tuo.* [d] *deinde, Sequentia ſancti Euangelii ſecundùm N. Reſpondetur,*
„ [e] *Gloria tibi Domine.* [f] *In fine Euangelii à miniſtro reſpondetur, Laus tibi*
„ *Chriſte, quod etiam dicitur in fine illius partis Paſſionis, quæ legitur in to-*
„ *no Euangelii,* [g] *præterquam in Paraſceve. Poſteà ſi dicendum eſt, dicitur*
„ *Credo.*

„ [b] *Dicitur Euangelium.*] Vox Græca, quæ Latinitate donata ſonat bo-
„ num nuntium, *Iſidor. lib. 1. cap. 11.* accipitur hic pro textu hiſtorię Euan-
„ gelicæ, quam Apoſtoli in Miſſa legebant; quod *Sculting. p. 1. cap. 19.*
„ ex eo Pauli deducit, quod de Luca ait, *Cuius laus eſt in Euangelio per*
„ *omnes Eccleſias.* Succeſſores Apoſtolorum legi curarunt in Miſſa, ut teſtan-
„ tur *Liturgiæ omnes, & Strabo cap. 22.* Alexander Papa firmavit uſum
„ Decreto, *Radulph. propoſ. 23. & Gemma lib. 1. cap. 88.* Eſt autem Euan-
„ gelium principale omnium quæ dicuntur in Miſſa. Sicut enim caput cor-

 pori

Digitized by Google

„pori præeminet, & illli reliqua conſentiunt; ita Euangelium ſe habet „cum toto Miſſæ Officio, *Ruper. lib.* 1. *cap.* 37. Verbum Verbi eſt, Sermo „ſermonis, & Sapientia Sapientię, *Innocen. III. lib.* 2. *cap.* 47. Euangelia„rium per annum Hieron. compoſuit, *ex Gemma lib.* 1. *cap.* 87. certas „enim ſtatas Lectiones Euangelicas legi, teſtatur *Auguſt. Prol. in Epiſt.* „*Joan.* 1.

„ c *Et in principio Euangelii.*] Ita *Ordo Romanus*; ut populus, ait, ſilen„tium præbeat, attentus & benevolus fiat; quod oſtendit ille per ea ver„ba, *Et cum ſpiritu tuo*, quod notat *Ruper. l.* 1. *cap.* 36. Nam & Apo„ſtoli ſalutabant primùm dicentes, *Pax huic domui*, *Gemma lib.* 1 *cap.* 23.

„ d *Deinde. Sequentia*, &c.] *Ex Ordine Romano*, quo docilis etiam fiat „idem populus, *Ruper. loco citato.* Sequentia verò hoc loco eſt numeri „pluralis, id eſt, ea quæ ſequuntur in Textu Euangeliſtæ, *Durand. lib.*4. „*cap.* 24.

„ e *Gloria tibi Domine.*] *Chryſoſtom. in Liturgia.* Dicat, qui promptior „non eſt, ut cum fructu capiat verba Euangelii, *Gloria tibi Domine.* ita „*Amalar. lib.* 3. *cap.* 18. Vel, qui capiunt, glorificent Dominum, qui mit„tit verbum ſalutis, ut dicitur *Act.* 11. *Ruber. lib.* 1. *cap.* 36. Vel, ſapien„tiam & ſermonem Dei hunc eſſe omnes nos credentes, clamemus, *Gloria* „*tibi Domine*, ita explicat *S. German. in Theoria rerum Eccleſiaſticarum.*

„ Ante textum Euangelii præmittitur, *In illo tempore*, præterquam, „quando eſt initium Euangelii, vel in primis verbis textus deſcribitur tem„pus proprium illius narrationis; ut, *Anno quintodecimo*, *Eliſabeth impletum* „*eſt*, &c.

„ f *In fine Euangelii.*] Refert *Durand. lib.* 4. *cap.* 24. varios ritus. Qui„dam dicebant, *Amen*, hoc eſt, *verum*, vel *fiat*; alii, *Deo gratias*; alii, „*Benedictus qui venit in nomine Domini*: nos Chriſtum laudamus, de quo „narratum eſt in Euangelio, ſed verba non ſunt antiquiora Burchardo, qui „ea refert, & ante eum nemo.

„ g *Præterquam in Paraſceve.*] Quæ Chriſto fuit dies improperii, non „laudis.

„ ## De Symbolo XI.

„ h *SYmbolum dicitur* i *poſt Euangelium* l *in omnibus Dominicis per annum,* „ *etiam ſi in illis fiat de Feſto in quo aliàs non diceretur.* m *In tribus* „ *Miſſis de Nativitate Domini, & deinceps uſque ad Octavam beati in Joan*„*nis Apoſtoli incluſivè.*

Durantes in Rationali lib. 4. *part.* 1. *tractui* | ſubjicet *perſonam* ſeu

ſeu *ſequentiam*: Quam etiam refert & explicat *Joh. Steph.* Durantus *lib.* 3. Eandem etiam appellari jubilationem, obſervat *Gavantus tit. cit.* Quæ eorum origo, qui autores, ſpecialiter ſequentiæ paſchalis, Pentecoſtes, corporis Chriſti. Defunctorum; & quid ſit *Sequentia S. Euangelii*, ibid. enarrat, & *part. tit.* 4. *tit.* XI. & XVIII.

Cap. III.

De Eccleſiaſticis miniſtrantibus, Canonicis & Oeconomis.

INter eccleſiaſticos miniſtrantes celebres ſunt Canonici ſeu capitulares: de quorum ſtatu ordine, officio peculiares exſtant tractatus, *Joh. Baptiſtæ* Signii, *Johannis Molani*, *Auguſtini Barboſæ*, *Johannis Langecrucii*, *Joh. Capetii.* Adde quæ de canonicis tractantur à *Roderico Zamorenſe* in ſpeculo vitæ humanæ *lib.* 2. *cap.* 13. - 20. *Rovenio* in lib. *de Republicâ Chriſtianâ cap.* 27. *Zalio Lecchi* & *Iſid. Moſconio*, in libris ſupra citatis. Et à Canoniſtis, ac Caſuiſtis; inter quos recentiores inprimis conſulendi; qui ſecundum nova jura ex capitibus reformationis Concil. *Trident.*, ex *bullis Pontificum* jam inde à *Concilio Tridentino* promulgatis, & ex SS. congreg. determinationibus, de canonicis ſigillatim, & collectim, hoc eſt, de capitulis & eccleſiis collegiatis affirmant aut negant. Quales ſunt inter Caſuiſtas *Azorius part.* 2. inter Canoniſtas *Zypæus* in *Juris Pontificii* novi *analyt. Enarrat lib.* 3, Collegia canonicorum, quot & quæ ſint in orbe Chriſtiano, & quando, atque à quo ſint inſtituta, ſingulari libro explicuit *Aubertus Miræus* tit. *De collegiis Canonicorum*, &c. a. 1615. Inter ſcriptores politicos & Juridicos aliqua de canonicis attingunt *Steph. Paſchaſius*, *Tholoſanus*, &c. Ex proteſtantibus, & reformatis, de Canonicis egit *Joh. Himmelius tract. peculiari de Canonicis*; *Martinus Bucerus* in Defenſione Reformationis Colonienſis per *Hermannum* Archiepiſcopum & Electorem Colonienſem inſtitutæ, *cap.* 131. & *ſeqq.* Pluribus & ex profeſſo de canonicis egit, anno 1661. *Mathias Nethenus* collega noſter in *Inſtructione hiſtoricâ de Canonicis tripartitâ.* Aliqua etiam de iiſdem attingit *Andreas Eſſenius* collega noſter in defenſione conſilii theologici Ultrajectini de canonicatibus, &c. 1658. Nos per occaſionem nonnulla de collegiis & bonis eorum perſtrinximus, ſupra *part.* 1. *lib.* 1. *cap.* 6. ubi de eccleſiis collegiatis & cathedralibus. Et *lib.* 4. *tract.* 2. *cap.* 7. 8. 9. 10. 11. Quæ jam antea in Conſilii Theologici *part.* 2. fuſius explicata & defenſa erant: fruſtra uno atque altero contra factorum lucem, contra hiſtoriæ fidem, contra jura divina & humana, contra communem theologorum & Jureconſulto- §. 1.

rum

Digitized by Google

rum Pontificiorum, Proteſtantium, Reformatorum ſententiam, ſcandaloſum bonorum eccleſiaſticorum palliantibus.

Nos ut *ὡς ἐν τύπῳ* hierarchię Romanæ notitias noſtris hic exhibeamus, ſtatum canonicorum in novitate Papatus 2. ſtatum canonicorum in antiqua & mediâ eccleſiâ deſcribemus. Quod ad priores, præſupponimus hæc ſequentia.

I. Eſſe eccleſias collegiatas diſtinctas à parochialibus: quod harum rectura & cura ſit penes unum paſtorem ſeu parochum; illarum verò rectura & cura ſit, penes collegiſmam clericorum ſeu eccleſiaſticorum, qui dicuntur canonici.

II. Eccleſias collegiatas eſſe vel ſimplices, vel cathedrales: De utriſque vide ſupra *part.* 1. *lib.* 1.

III. Canonicos eſſe vel regulares; vel ſęculares ſimpliciter *dictos* Canonicos. *Priores canonici* ſunt monachales, qui monaſticam vitam in clauſtris ducunt; vel qui ſub clauſtro & obedientiâ ſicut alii viri religioſi & monachi vivunt, abſque ullo adminiſtrandi jure. Quorum originem peculiari tractatu tit. *De orig. canonic. regul.* inveſtigat *Aubertus Mireus*. Species eorundem enumerat *Auguſt-Barboſa* de Canonicis & dignitatibus *cap.* 1. & autotores de ſingulis commentantes indicat.

Sunt autem 1. *Canonici regulares Lateranenſis*, vulgò ſatis noti. 2. *Sancti Ruſi* 3. *Canonici regulares Arauſia* denominatione factâ à monaſterio in Arteſiâ, ſecundo fere lapide à *Bapalma* Gallicè *Baupame*), ſeu *Arauſiani*: qui olim frequentia in Belgio & Galliâ habuerunt monaſteria. 4. *Sancti Victoris*. 5. *Præmonſtratenſes*: qui & *Nortbertini* dicuntur. 6. *Mantuani*. 7. *Sancti ſepulchri*. 8. *Sanctæ crucis Conimbricenſi*. 9. Canonico regulares *vallis viridis* (Groenendal / denominatione factâ à monaſterio ſito in diœceſi Cameracenſi.) 10. *Windeſemenſes*: denominatione factâ à prædio ad *Iſalam* prope Zwollam, in quo primum horum canonicorum regularium monaſterium anno 1387. ædificatum fuit. Refert *Miræus lib. cit. cap.* 13. in Germaniæ tractu Rhenano, & in Belgio, fuiſſe olim hujus ordinis monaſteria, virorum 120. fæminarum 30. 11. *Friginarii*, ſeu *canonici regulares Frigionariæ*, ſic dicti à Monaſterio *ſanctæ Mariæ* in ſylvâ in Frigionariâ non longè à Lucâ, inſtituto. Sylva illa dicitur Frigionaria, à multitudine frigionum (eſt ſpecies avium in Italiâ) illuc ſe recipientium *S. ſalvatoris* 13. *S. Georgii in Algâ*. 14. *S. Petri monte Corbulo*.

De ſecularium canonicorum origine, inſtituto, frequentiâ, præſtantiâ, præcedentiâ, geſtis, potentiâ & opibus, autoris à *Barboſa cap.* 1. citati, & hiſtorici ſingulorum ordinum: quorum aliqui infra *tract.* 4. ubi de monachatu, indicari poterunt. *Memorandus* hic in tranſitu Ordo Benedictinorum, cujus

tot

tot ſunt ſpecies ſpecialiſſimæ, ab *Azorio part. 1. lib. 12. cap. 22.* enumeratæ:

Digitized by Google

rum Pontificiorum, Proteſtantium, Reformatorum ſententiam, ſcanda-

Digitized by Google

tot ſunt ſpecies ſpecialiſſimæ, ab *Azorio part.* 1. *lib.* 12. *cap.* 22. enumeratæ: cujuſque ſpeciei ſpecialiſſimæ tot individua monaſteria, tot in quoque monaſterio monachi; tot dicti martyres, tot celebres Doctores, tot ſcriptores, tot Papæ, tot Cardinales, tot Archiepiſcopi, tot Epiſcopi, tot ſancti canonizati, &c. De dignitate, poteſtate potentiâ, opibus Benedictinorum, ſupra alios Ordines monachorum ex opibus cœnobii Caſſinenſis in Italiâ, ex abbatiæ Fuldenſis in Germaniâ, ex *Abbatia S. Petri* Gandavenſi in Flandriâ, ex abbatiæ Præmonſtratenſis Antwerpianæ, &c. abbatiæ Haſnonienſis in Hannoniâ, &c. judicari poteſt. De Caſſinenſi *Arnoldus Wyon* in ligno vitæ *lib.* 1. *cap.* 2. *Ex iis, quæ poſſidebat, ejus potentia erat admirabilis & tremenda.* De Fuldenſi notum eſt, quod abbas ejus ſit & dicatur, abbas imperii & princeps imperii.

De Haſnonienſi in Hannoniâ, quod Abbas ſit & dicatur in *conſeſſu procerum Hannoniæ primas.* De dignitate, ordine & præcedentiâ Benedictinorum, contra canonicos Lateranenſes, alioſque contendit *Caramuel Lobkowitz tract. peculiari:* pro opibus eorum in Germaniâ *Gaſpar Schioppius* in tract. cui tit. *Aſtrum inexſtinctum.* Sed ſpeciminis causâ exhibeo hic ex *Proſperi Stellartii* libro, cui tit. Fundamina & regulę omnium Ordinum Monaſticorum, &c. *pag.* 404. ſequentem tabellam.

Canonici ſimpliciter ita dicti (quos nonnulli diſtinctionis causâ *ſæculares*, alii *irregulares* appellant) ſunt presbyteri, aut ſaltem clerici in minoribus ordinibus conſtituti, qui jus habent canoniæ ſeu præbendæ, in eccleſiâ cathedrali vel collegiatâ. Sic *Barboſa cap.* 1. Eorum officium, debitum, & obligatio eſt.

I. *Stallum* habere in choro, ibique horas canonicas recitare; miſſas conventuales cantare, Officium Mariæ, Officia defunctorum, Pſalmos pœnitentiales & graduales celebrare. Hæc omnia per ſe, non per vicarium, præſtare tenetur: & *punctator* (uti vocant) in libro notat nomina præſentium aut abſtentium. His libro capituli *circa canonicorum intereſſentiam*, ſtandum eſt. *Barboſa cap.* 34. *n.* 21. Et qui à choro abſunt aut præſentes in choro non pſallunt, privantur *diſtributionibus quotidianis* (noſtratibus canonicis dicuntur Preſentie-Gelden) Huic Draconis (ſcil.) aut Perſarum & Medorum legi, lenitivum aut correctorium mox additur à *Barboſa* cap. 34. num. 12. *In eccleſiis, in omnibus viget conſuetudo aut ſtatutum, canonici choro ſatisfaciunt intereſſendo, & faciendo ut Capellani & cantores pſallant.*

II. Vocem habere in Capitulo, ad eccleſiam illam Collegiatam & res eccleſiæ ordinandas, dirigendas, curandas. Et ſi ſint canonici cathedrales, ad eccleſiam cathedralem, & diœceſim epiſcopalem cum Epiſcopo, tanquam ipſius conſiliarii, regendam. Per quem, quando quomodo capitulum congregari debeat, docebit iſtarum rerum curioſum Barboſa *cap.* 35.

III. Debent Epiſcopo celebranti aut alia & epiſcopalia Exercenti aſſiſtere aut inſervire. Qui autem, in quibus, & quomodo inſervire debeant, determinat *Barboſa cap.* 33. debet aſſociare & reducere epiſcopum venientem ad eccleſiam celebratum, vel divina officia auditurum *cap.* 32. *Carolus Borromeus* in *hortatione ad canonicos* (apud *Barboſam cap.* 40.) monet in capitulis, *priori loco tractanda proponite, quæ ad divinum cultum, ad ſpiritualis vitæ progreſſum ad eccleſiaſticam diſciplinam tuendam; nam quæ ad rerum temporalium gubernationem pertinent, ne neglite.* Breviter canonici ſunt Epiſcopi fratres, & conſiliarii, & cum eo unum quodam modo corpus efficiunt, & eidem conſilium & auxilium in negotiis eccleſiarum pertractandis præſtant; uti hoc probat, *Barboſa.* Collegia canonicorum vocantur *capitula*: menſtruus collegii conventus, *capitulum menſis.* De capituli juribus, privilegiis poteſtate, & ſpecialiter de capituli cathedralis poteſtate, vacante ſede epiſcopali, multum diſceptatur apud Canoniſtas; quæ omnia determinata invenies apud *Barboſam.*

Beneficium ſeu ſtipendium canonicorum ſunt annuæ *præbendæ* (Bel-

gicâ Proben); & *Diſtributiones quotidianæ*, quæ etiam *oblationes manuales* dicuntur, ſunt certæ portiones, quæ ſingulis pro quâque comparitione in choro & cultus divini ibidem celebratione conferuntur. De præbendâ, ejuſdemque diviſione *Barboſa cap.* 12. de Diſtributionibus quotidianis, *cap.* 1. & 21. ubi etiam obſervat, diſtributiones eſſe vel tenues, vel pingues. Sunt autem canonici vel cathedrales, vel ſimplices ſeu eccleſiæ collegiatæ. Diſtinguuntur etiam, ut alii dicantur.

Canonici in herbâ; alii *canonici ſupernumerarii*, alii Canonici completi, ſeu conſummati, Belgicè Volprovben. *Canonici in* herbâ ſunt quibus canonia collata eſt, & qui in collegium canonicorum cooptati ſunt, nondum tamen in capitulis ſuffragans & fructus percipient.

Supernumerarii ſunt, qui in canonicorum collegium cooptantur, & canonici creantur ultra numerum certum præbendarum, & canonicatuum abſque ullâ præbendâ illis ſtatim attributa. Et talis ſubdividuntur, in juris & facti.

Illi ſunt, quando Papa mandat, ut τὸν Δεῖνα recipiant in canonicum & fratrem, illique conferunt jus canoniæ, & per talem receptionem efficitur canonicus.

Iſti ſunt, quando Papa creat canonicum ſupra numerum & mandat, quod tali canonico à ſe facto aſſignetur locus & ſtallus.

Affines canonicis aut *analogice canonici*, ſunt dicti *portionarii*.

Portionarii, *Aſſiſii*, *Manſionarii*: de quibus Barboſa. Et in quolibet capitulo ſunt canonici, qui præter canonicatum dignitate, aut officio honorati. Et tales ſunt, Decani, præpoſiti, Archidiaconi, Archipresbyteri, Scholaſtici, Theſaurarii, ſive Sacriſtæ, Cuſtodes, Premiarii, Cantores.

Quomodo differant *dignitas*, *officium perſonatus*, & quęnam ſit differentia ſpecifica, unde dignoſcatur dignitas, anxiè quæritur, apud *Barboſam cap.* 4. & *ſeqq.*, & tandem determinatur, *quod dignitas ſit* illius qui præter communem cum aliis ſui ordinis, habet adminiſtrationem rerum eccleſiaſticarum cum juriſdictione exteriori, atque adeo prærogativam in choro & capitulo, ſupra alios ſui ordinis. Et tribuit archidiacono; archipresbytero, theſaurario (qui & Sacriſta dicitur) Priori: Negat Decano, Sacriſtæ (minori ſcil.) qui & *theſaurarius minor*, & *cuſtos* dicitur, & tantum ſacriſtiæ ac ſacriſtę miniſter eſt; advocato capituli, procuratori, Oeconomo.

De *Primicerio* dubitatur, qui idem eſt, cum *Cantore* & *præcentore*. Ut & de *Præpoſito*, & de *Decano*: quia alicubi ex conſuetudine dignitatem obtinent, non tamen de jure, nec vi adminiſtrationis ſuæ.

Digitized by Google

Barboſa *cap.* 4. *p.* 24. tanquam dignitates recenſet archidiaconatum, archipreſbyteratum, Decanatum, Scholaſteriam, *Canariam.* Quæ poſtrema, quid ſit, non explicat; & fateor me hactenus hunc artis canonicę terminum non intelligere.

Officium ſimplex abſque imperio & juriſdictione exteriori, largo modo dicuntur habere omnes, qui habent aliquod onus vel curam, ſeu adminiſtrationem ſeu cuſtodiam; & tales ſunt Pœnitentiarii (de quibus Barboſa *cap.* 26.); ſyndici; Cuſtodes; advocati; Oeconomi; Vicedomini, ſeu vicarii, *Caſtaldi*: qui poſtremi memorati Barboſæ quales ſint non explicatur; & hactenus me ignorare fateor, nec vacat nunc apud alios rei Monaſticæ & Canonicalis ſcriptores inquirere.

Perſonatus ſunt diſtincti à dignitatibus & officiis: uti patet ex deſcriptione paulo ante allatâ, & cum deſcriptionibus *officii* & *dignitatis* collatâ. De præcedentia canonicorum inter ſe & capitulorum, deque electione, ſeu proviſione ad canonias, & de requiſitis eligendorum, paſſim multa quęruntur à recentioribus Canoniſtis & Caſuiſtis; qui non tantum ex corpore Juris canonici, ſed etiam ex capp. reformationis Concilii Tridentini, ex Bullario & Deciſionibus SS. congreg. ſcientiam ſuam augent; & compendioſè determinantur à Barboſa *capp.* 13. 14. 18. 38. Nos ſolummodo de dignitate & honore Cathedralium canonicorum, ſupra canonicos ſimplicis collegiatæ, alibi à nobis notatum, hic reponimus ex Joh. Molani tract. de Canonicis Reſponſum Canonici Leodienſis ad Canonicum in Boxtehoede; qui, cum hujus literis ſalutatus eſſet *confrater*, reſcribebat, *Confrater, ut muſca ſunt aves.* De requiſitis eligendorum, miſſis innumeris querelis domeſticorum, unum ſolummodo hic ſubjicio memorabile dictum & factum, canonici Argentoratenſis, relatum à Roderico Zamorenſi epiſcopo qui erat Caſtellanus & Referendarius Papę Pauli II. in Speculo vitæ humanæ eidem Papæ dedicato, *lib.* 2. *cap.* 19. *pag.* 190. ,, Cum vero, ,, ait, capitulum canonicos creat, aut cetera confert beneficia; non ad me- ,, rita, ſed ad volita dirigunt vota ſua: nec ad longiora obſequia, ſed pro- ,, pinquiora trahuntur commercia: veluti unus ex ſanctis eccleſiæ doctori- ,, bus, non tam eleganter quam facete in eccleſia Argentina accidiſſe refert. ,, In ea enim, cum de conferendis certis in eccleſia vacantibus præbendis ,, diſcordarent, altero nepotem puerum, altero filium, altero ignobilem ,, fratrem nominantibus; quidam Romanus innibi canonicus aſellum, qui ,, pluſquam XX. annis ei ſervierat, nominavit, aſſerens in conſcientia, quia ,, propter diuturna ſervitia, quæ aſinus eccleſiæ fecerat, dignior cunctis no- ,, minatis erat.

Quæſtio. An Canonicis & capitulis competat cura animarum. *Reſp.* Ut ſtrictè

Digitized by Google

ſtrictè curam animarum nunc accipiunt, qualem Epiſcopis, ac parochis ſeu curatis ſeu paſtoribus tribuunt? Aſſ. Quia verbi prædicatione, ſacramentorum adminiſtratione, diſciplinæ executione oves ſuas tenentur paſcere. Quamvis enim omnes & ſinguli in capitulis immediatè & perſonaliter hoc nunc non agant, agit tamen capitulum partim per pœnitentiarios, per prædicatores, per Miſſificantes, archidiaconos, archipresbyteros ex ſuis ad hæc agenda conſtitutos: partim per varios non capitulares ex presbyteris ſive ſæcularibus ſive regularibus aſſumtos, ad verbi prædicationem, aut ad miſſarum in eccleſiâ collegiatâ celebrationem, aut ad confeſſionis auricularis auditionem, aut ad miſſarum pro defunctis & ſepultis in illâ eccleſiâ collegiata, celebrationem: quales vicarios peculiariter *ſacerdotes animarum* appellare ſolent. Breviter capitulum totum paſcit & curat, cum regit eccleſiam una cum epiſcopo: Et collegium canonicorum curat aut curare debet eccleſiam collegiatam, non minus ac parochus ſeu curatus curat, aut curare debet eccleſiam parochialem. Quod ſi quis excipiat, ſingulos canonicos non habere, aut non ex æquo curam animarum (quod tamen agere deberent, ſaltem qui gradu presbyteratus inſigniti ſunt): non ſequitur tamen, capitulis & canonicis negandam eſſe curam animarum. Sicuti epiſcopis, & parochis, non negatur cura animarum, quamvis, communiter ante tempora reformationis, per vicarios aut ſubſtitutos officia curę ſuæ circa animas exequerentur; & poſt tempus reformationis, non pauci hodie per vicarios ea exequantur.

Fruſtra ergo hoc excogitato commento conſcientiam ſuam ſopire ſtuderet, qui in abuſivum, umbraticum, titularem canonicatum precę aut pretio illapſus, beneficium abſque ullo officio aut opere canonicali, devoraret, ſi modo exemplo prælatorum, dignitatum, paſtorum Papalum per vicarium actus aliquos ad curam animarum pertinentes exerceri curaret, aut in concionatoris alicujus ſtipendium quid conferret. Mirum eſt tam pueros immo puros fuiſſe majores noſtros reformationem in Belgio amplexos, ut in archiepiſcopatus & epiſcopatus eccleſiaſticos (quales e. gr. Ultrajectinus, Leovardienſis, Harlemenſis, Daventrienſis, Middelburgenſis, &c. ne quidem conarentur ſuccedere; æque ac in canonicatus, decanatus, archidiaconatus, abbatias, pingues paſtoratus (quales e. gr. alicubi erant, ubi fructus ad ſummam annuatim 1000. aut 1500. aut etiam 2000. aut plurium flor. aſcendebant. Cur quæſo zelatę illi reformationis & quidem principes proceres, aliique in ἀρχῇ conſtituti, ſibi & ſuis hâc methodo hoc titulari ſimulacro non proſpiciebant? Et cur poſt exceſſum primorum zelatorum, qui ſecuti ſunt reformati proceres, Groningâ in poteſtatem redactâ anno 1595. Epiſcopatum illum, & canonicatus, & pingues quoſque

Digitized by Google

paſtoratus, (excedentibus aut dimiſſis prioribus poſſeſſoribus) ſucceſſive non occuparunt: ſiquidem ab omni idololatriâ mundos ſe ſervaſſent, & per vicarios, vera & reformata aliqua eccleſiaſtica officia curare potuiſſent; aut ex fructibus ſuis epiſcopalibus, canonicalibus, archidiaconalibus, paſtoralibus, abbatialibus in ſtipendia concionatorum aliquid contuliſſent: Et ſcrupulum omnem ſibi & aliis exemiſſent forti fide an imaginatione, de bonis illis paſtoralibus, canonicalibus, abbatialibus. Epiſcopalibus, non Deo, non Chriſto, non eccleſię Chriſtianę, non ad curam animarum nec ad cultum Dei olim donatis: ſed diabolo, Antichriſto, ad cultum & doctrinam dæmoniorum, ad idololatriam, imprimis miſſaticam.

Idem dico de epiſcopatu, de plebenatu, de canonicatibus, ſcholaſteriâ, archidiaconatu, præpoſiturâ, pinguibus paſtoratibus Sylvę-ducenſibus, tam in urbe quam in agro. Certè ſiquidem tam bonâ conſcientiâ & piè hoc fieri potuiſſet (uti unius atque alterius fiſtula Caſuiſtica nunc dulce canit); cur dimiſſis aut dejectis malæ fidei poſſeſſoribus, reformatos bonæ fidei poſſeſſores, non ſubſtituerunt? Cur ſuis & propriæ domui hâc ratione non proſpexerunt? Quomodo ſine peccato hic ceſſare, aut abſtinere potuerunt: cum penes ipſos eſſet potentia? Certè non eſſet innocens, *qui per* Phariſaicum, aut enthuſiaſticum, aut præciſiſticum conſcientiæ ſcrupulum ſuas & reformatorum nobilium atque optimatum familias ſive bene poſitas, ſive inclinantes datâ divinitus occaſione & potentiâ, non ſuſtentaret aut fulciret. Prædeceſſores malè & ſacri legè utebantur iſtis beneficiis, hi ſubſtituendi bene uſi fuiſſent, religionem reformatam *profeſſi* fuiſſent, ab omni idololatriâ abſtinuiſſent, patrię & patribus patriæ fideles fuiſſent. Qui poteſt proximis benefacere, præſertim τοῖς ἰδίοις, aut reformatæ fidei conſortibus; & non benefacit, quomodo manet caritas Dei & proximi in ipſo? Hæc omnia abſque præjudicio & damno miniſterii eccleſiaſtici, & reformatæ eccleſiæ (juxta novos quoſdam caſuiſtas & Canoniſtas) fieri potuiſſent: ſiquidem illi titulares & novi epiſcopi, canonici, abbates, decani archidiaconi, pingues paſtores, ex ſuis fructibus elargiti fuiſſent in ſtipendia concionatorum. Immo aliâ methodo hic agere potuiſſent, ſi omnia illa bona & beneficia eccleſiaſtica, ut & omnia bona pauperum, Orphanotropheiorum, noſocomiorum, gerontodochiorum fiſco adjudicaſſent, atque inde pro ſua potentiâ & poteſtate in viros bonos contuliſſent, aut viris bonis inde pro poſſe & noſſe deſumendi licentiam feciſſent: favente undique Aſtræâ juxta regulam: *Volente prætore qui poſſidet, juſtè poſſidet.*

Atque hæc hactenus de ſtatu canonicorum in hierarchiâ Romanâ. De ſtatu canonicorum antiquorum, paucula delibanda.

Anti-

Antiqua canonicorum collegia jam inde à tempore Auguſtini & deinceps; fuiſſe collegia theologorum & presbyterorum ſub inſpectione epiſcopi in commune viventium, qui cum epiſcopo regebant eccleſias & ad particularis, eccleſiarum plantationem & collectionem, aut collectarum curam ac præfecturam mittebantur. Quia autem ſubinde, & aliqui, & progreſſu temporis plurimi collegiis illis & cœnobiis inſertis fuerunt non-presbyteri, ſed theologiæ & presbyterii candidati, factum eſt, ut multi ex noſtris antiqua canonicorum collegia dixerint fuiſſe ſcholas, φροντιςήρια, gymnaſia, collegia theologica: qualia hodie ſunt in Academiis quibuſdam reformatis. Sententiam hanc Lutheri, Buceri, &c. refutare inſtituit Schultingius in Anacriſi hierarchicâ *pag.* 48 ubi de benedictinorum antiquis monachiis id dici poſſe concedit. Stephanus Paſchaſius *lib.* 3. *Recherches cap.* 5. *pag.* 167. de antiquitate canonicorum & de primorum conditione ac ſtatu haut paulò aliter judicat. §.2.

" En l'Aſſemblee generale des Preſtres giſoit le Senat, ou Conſeil com-
" mun de chaſque Eueſché. Car les Colleges de Chanoines qui depuis ont
" eſté introduits en chaſque Egliſe Cathedrale, n'eſtoient adoncques en
" uſage, ains eſt une police beaucoup plus nouvelle: encores que je ſçache
" bien que quelques doctes perſonnages de noſtre temps ayent penſé le
" contraire. Toutes fois ne voyant aucun Concile ancien qui parle de ces
" Chanoines, ains ſeulement vers le temps de Charlemagne, je ne me
" puis perſuader que leur introduction ſoit ſi ancienne. Car malaiſément que
" comme hommes, ils ne ſe fuſſent detraquez de fois à autres de leurs
" devoirs, & qu'il n'euſt eſté requiſe pour leur diſcipline, y apporta quel-
" ques reglemens, par les Conciles, comme vous voyez que l'on fit aux
" Moines: tellement que je rapporte ceſte invention bien avant ſur le de-
" clin de l'Empire, & advenement de nos Roys de France. Tant y a que
" Gregoire de Tours, ſur la fin de ſon hiſtoire nous teſmoigne qu'en l'Egli-
" ſe de Tours, qui eſtoit Metropolitaine, l'une des plus recommandees
" de la France, Baudin ſeizieſme Archeveſque, du temps du Roy Clotaire
" premier inſtitua le College des Chanoines en ſon Egliſe: joinct que je
" ne croiray jamais que ceux-là fuſſent eſtimez comme premiers Senateurs
" de leurs Egliſes, qui n'eſtoient neceſſitez d'eſtre Preſtres. Mais ſi je ne
" m'abuſe, c'eſtoit une pepiniere de gens d'honneur, que les Eveſques
" avoient autour d'eux, les uns Diacres, autres Soudiacres, pour les trans-
" planter puis apres ſelon les occaſions aux autres Egliſes, en les faiſant
" Preſtres: je veux dire en leur conferant les Egliſes qui n'eſtoient deſti-
" nees qu'aux Preſtres, que depuis nous appellaſmes Curez. Vray que de-
" puis, comme toutes choſes ſe changent avec le temps, on en auroit fait

des

„ des Colleges de Chanoines. Mais encores leur eſt demeuree cette ancien-„ ne remarque, qu'ils peuvent tenir des Prebendes & Chanoinies ſans eſtre „ Preſtres. Cela ſoit par moy touché en paſſant.

Ex Pontificiis, qui originem eorum ab Apoſtolis acceſſunt, concedere coguntur antiquos canonicos fuiſſe presbyteros eccleſiam paſcentes, & curæ animarum intentos. Sed canonicorum regularium, qui voto emiſſo in commune vivebant, & *cœnobitæ*, *monachi*, *religioſi*, & eccleſiaſtici *ſupererogantes*, dicerentur, collegia, & monaſteria, clauſtra, in ſæculo Apoſtolico, aut in ſæculo proximè ſuccedente commonſtrari non potenunt: Quidquid dicat *Vincentius Bellovacenſis in ſpeculo doctrinali lib.* 19. *cap.* 16. *Antoninus in chronico part.* 3. *tit.* 14. *Volaterranus lib.* 21. Citati à *Thomâ Garzoni* in Piazza Univerſale diſcurſu 3. fol. 28. 6. qui ibid. ex bullâ Eugenii IV. ad patres de Frigioniâ exhibet verba ſequentia: *Hujus profectò ſacri ordinis & ſancti propoſiti poſt ſanctos Apoſtolos, primus in Alexandrinâ eccleſiâ Marcus Petri diſcipulus fuit inſtitutor, & conditor & glorioſus doctor Auguſtinus eos divinis regulis decoravit.* Sed bullam illam bullario Laertii Cherubini inſertam non invenio. Thomas Gerzoni ibidem originem Canonicorum regularium ab Apoſtolis, ſpecialiter applicat canonicis Lateranenſibus, quos dominos inſulæ Trenitanæ & caſtelli dell' Arrogana Baroniæ regni Neapolitani prædicat; & quorum eccleſiam Lateranenſem ſupra omnes urbis & orbis eccleſias excellere & primum locum tenere declarant *Gregorius* XI. *conſtit.* 1. & *Pius* V. *conſtit.* 94. Quamvis autem canonici tum regulares ſeu cœnobitæ tum excœnobitæ ſeu ſæculares præſertim 12. 13. 14. 15. ſæculis infrequentes admodum ea exequerentur, quæ ad curam animarum ſpectant (ſicuti etiam epiſcopi, & parochi ſeu curati qui abſque omni dubio, beneficia curata tenebant): nihilominus ad curam animarum hoc eſt verbi prædicationem, ſacramentorum & diſciplinæ adminiſtrationem, ex officio tenebantur: & reditus ac beneficia eum in finem fundabantur, ac conferebantur: Uti patet ex donationibus Pipini & Caroli anno 752. & 776. apud *Hedam in Hiſtoriâ epiſcoporum Ultrajectenſium* publicâ autoritate anno 1642. Ultrajecti editâ *pag.* 36. ubi ad epiſcopatum illum & ipſam caſam Dei S. Martini à Pipino, Carolo vel Carolomanno bona illa conceſſa dicit *in luminaribus ſeu ſtipendiis monachorum vel Canonicorum, qui ibidem Gentiles ad Chriſtianitatem convertunt, & domini miſericordiâ ipſos, quos habent converſos, docent; juxta quod alii Chriſtiani eorum Chriſtianitatem conſervant, & eorum præceptionibus contineri videtur, quæ anteceſſores noſtri ſæpe dicti Pippinus & Carolus Carolomannus ad ipſam caſam Dei per eorum inſtrumenta condonaverunt, juſtè & rationabiliter nos per noſtram confirmationem & gratanti animo conceſſimus vel confirmavimus.* Curam

Curam

ram animarum per verbum, ſacramenta, regimen tempore Ivonis Carnutenſis (circa annum MXCV.) à canonicis regularibus, præſtitam fuiſſe conſtat ex ejus *epiſtol. 69.* ad Galterium Stirpenſis eccleſię præpoſitum, ubi refert & improbat factum Lemovicenſis epiſcopi, qui omnes clericos regulares (hoc eſt canonicos regulares) à *regimine parochiarum*, *confeſſione pœnitentium*, *& dominicarum ovium cuſtodiâ*, penitus removere conatus fuerat. Hinc eſt quod etiamnum hodie, ut canonici videantur ſucceſſores & imitatores eſſe antiquorum, cura animarum & paſtura ovium canonicis & capitulis, præſertim cathedralibus, tribuatur & imponatur. *Concil. Trid. ſeſſ. 24. cap. 12.* & 18. cum ſubjectis declarationibus, & *Remiſſionibus. Iſidor. Moſconius de Majeſtate eccleſiæ militantis lib. 1. part. 1. cap. 16. pag. 305.* Canonicos collegiatæ eccleſiæ, ita dicit vult, *quia canonicè curam eccleſiæ exercent.* Et *Rovenius lib. 1. de Republ. Chriſtianâ cap. 18 - 21.* præpoſitis, archidiaconis, decanis, &c. capitulorum, curam animarum ſeu eccleſiarum tribuit, & toti capitulo; ad quod pag. 127. *pertinere* dicit *diſciplinæ eccleſiaſticæ claves & morum reformationem.* Quamvis per diſpenſationem aut indultum ſuperiorum, ſic modificetur curæ exercitium aut executio: ut in eccleſiis parochialibus capitulo cathedrali aut alteri ec-
,, cleſię collegiatę unitis, ſi incumbat certę perſonę, per illam exerceatur:
,, ſi imminet toti capitulo, ut per ſingulos per vices exerceatur, cogendi
,, ſint ad illam exercendam juxta cap. *ſtatuta de Elect. lib. 6.* ſi ſpectat ad
,, illorum menſam ita ut inſtitutio illarum perſonarum, quæ illam curam
,, exercent, à nullo ſuperiori facienda eſſet, Canonici non poſſunt compel-
,, li, ut nec per ſeipſos, nec per vicarios perpetuos illam exerceant, gloſſ.
,, *verbo menſam in Clem. 1. de exceſſu prælat.* &c. Idem dicendum ſi per
,, ſedem Apoſtolicam iis eſſet indultum, ut per temporarios cura exercea-
,, tur: ſed in iſtis duobus caſibus poſtremis cogi poſſunt ad conſtituendos
,, vicarios perpetuos.

,, Curam animarum toti capitulo cathedrali incumbentem, poteſt Epiſ-
,, copus de conſenſu capituli transferre per viam unionis perpetuæ in cer-
,, tam perſonam, ſeu dignitatem ejuſdem eccleſiæ.

,, Cura animarum aut eſt exercenda per ipſos canonicos quibus imminet;
,, aut ſi minus ſufficiant, adjungendi ſunt coadjutores ab epiſcopo approbati.

De cura omnium curatorum ſeu parochorum in genere ſic diſpenſant aut indulgent. ,, Curati cogendi ſunt ad ſubeunda per ſe ipſos, & non per ſubſti-
,, tutos, ea munera ad quę tenentur; tolerandi autem ut per ſubſtitutum
,, ſuppleant in illis tantum caſibus, quibus expreſſis verbis canonum, de-
,, cretorumve concilii eis permiſſum eſt, ut per vicarios, coadjutores, vel
,, ſubſtitutos poſſint officio ſuo fungi.

Hoc exercitium curæ animarum tam canonicorum quam parochorum ſeu curatorum, quorum beneficia indubiè ſunt *curata*, ita exponitur à Caſuiſtis & Canoniſtis à SS. congregat., apud Barboſam in collectaneis Bullarii, &c. in vocibus *cura animarum*, *Curatus*, *parochus*, *Reſidere*, *diſpenſare*, *canonicus*.

§. 3. Quæſtio eſt de reformatione aut abolitione canonicorum tum regularium tum irregularium. De regularibus eorumque collegiis, cœnobiis ſeu monaſteriis, juxta cum aliis monachorum mendicantium & non mendicamentium ſectis tollendis atque abolendis, per illos, quibus poteſtas & potentia præſto eſt, jam pridem à reformatis determinatum eſt. Manet ergo, quæſtio de reformatione aut abolitione canonicorum irregularium ſeu ſæcularium.

Hic præſuppono canonicos Papales eſſe deformatos, non tantum in doctrinâ; ſed etiam in officio, & moribus ſuis. Quod ad officium, præter & contra ordinem eccleſiæ Apoſtolicæ,, canonici malè eliguntur, ad conſtituendam hierarchiam Papalem, ad officium divinum (Papiſticum ſcil.) in choro linguâ latinâ celebrandum; ad aſſiſtendum & miniſtrandum Epiſcopo miſſificanti; ad complures ſuperſtitioſas, aut idololatricas, aut vacuas ceremonias obſervandas. Officia, hæc Canonicalia recenſita vide apud *Moſconium lib.* 1. *part.* 1. *cap.* 16. 17. & *Barboſam in collectaneis bullarii* in voce *canonicus* pag. 97. - 132. Deformationem in moribus, abunde docuit experientia, & non pauci ex ipſis pontificiis publicè proclamarunt ut *Rodericus Zamorenſis lib.* 2. ſpeculo vitæ humanæ; *Caſſander in conſultatione cap.* 2. *Ludov. Vives ad Auguſtinum de Civit. Dei lib.* 27. Adamus Contzen in Politicâ paſſim, præſertim *lib.* 6. *cap.* 18. §. 6. & *ſeqq* Imprimis *Phil. Rovenius in Republ. Chriſtianâ* a. 1648. *lib.* 1. *cap.* 27. §. 4.

Ex noſtris *Illyricus de ſectis Papiſtarum* pag. 336. Himmelius tract. de canonicis *cap.* 10. Antiqua capitula, fuiſſe ſcholas ſeu collegia theologica docentium & diſcentium ſentiunt Lavaterus in commentar. ad *Paralip.* 24. Cythræus in epiſtolis epiſt. ad Senatum eccleſiaſt. Heidelbergæ *pag.* 65. & ad *Math. Ludecum* pag. 442. *Bullingerus in Decadibus*, *Hoſpinianus de Monachis cap.* 2. 5. 24. 25. 26. *Althuſius in Oratione de ſcholis*, *Politica ejuſdem ſubjectâ*. Nec diſſentit *Caßander in Conſultatione cap.* 25.

Qui ergo ſic ſentiunt, reformationem nullam aliam requirent, quam quæ facta eſt per inſtitutionem aut continuationem Academiarum, Illuſtrium ſcholarum, collegiorum theologicorum; qualia habentur in Germaniâ, Scotiâ, Angliâ, Belgio, Gallia, &c. Ubi reformatæ Academiæ & Illuſtres ſcholæ ſubſtitutæ ſunt canonicis & capitulis ſæcularibus. Adeo ut hic nulla collegia canonicorum ſive cœnobitarum ſive ſeorſim viventium diſtincta à dictis

ſcholis

ſcholis & collegiis, locum ad eccleſiarum ædificationem inventura ſint. Quod ſi illi, quibus poteſtas eſt, capitulum ſeu collegium aliquod canonicorum in ſocietatem docentium & diſcentium, hoc eſt in ſcholam illuſtrem, aut collegium theologicum transformare velint, eiq; reditus capituli affigere; jam proprie non tam capituli reformatio, quam abolitio & inutilis iſtius membri reſectio dicenda eſſet: juxta illud Generatio unius, eſt corruptio alterius. An autem, ubi fieri poteſt, collegia theologica cœnobitica potius inſtituenda ſint, quam ſtudioſorum & profeſſorum ſeorſim viventium, alibi diſquiratur. Supra *lib.* 3. *tract.* 4. ubi *de ſcholis*, hoc attigimus. Attendendum eſt ad temporum, locorum, perſonarum circumſtantias. Omnibus omnia non conveniunt. Sunt qui putarunt, non eſſe conſultius, ut ſtudioſi, præſertim theologiæ, per tótum ſtudiorum curſum collegiis incluſi & inſpectioni collegiali ſubjecti ſint; atque inde immediatà ad miniſterium & regimen eccleſiæ, atque in apertum ac liberum aërem traducantur. Rationes hujus ſui conſilii, quas habent, hic non referam: prudens lector facile eas divinare poterit. Non defuerunt rationes, cur Ill. & potentes Muſagetæ in Belgio, erectis Academiis & Illuſtr. ſcholis, collegia ibidem non erexerint; & cur alicubi deſideria & deliberationes ſe prodiderint, de collegiis cœnobiticis diſſolvendis.

Sunt qui ſentiunt antiquos canonicos fuiſſe presbyteros, alioſque miniſtros eccleſiaſticos in eccleſiâ Apoſtolicâ inſtitutos; qui introductâ præſidentiâ & gradu epiſcopali, cum epiſcopo eccleſias curabant, eaſque verbo, exemplo, ſubſidio paſcebant; & cum epiſcopo conſilium ac presbyterium eccleſiaſticum conſtituebant. Qualem eorum ſtatum tempore *Cypriani* adhuc fuiſſe ex ejuſdem epiſtolis colligimus: idque rectè obſervatum à *Stephano Paſchaſio* ſupra citato. Cum vero progreſſu temporis, numerus presbyterorum & miniſtrorum ſacrorum augeretur, multis ſine titulo ſeu ad certam eccleſiam applicatione creatis, factum eſt ut aliqui in collegium & contubernium ſub inſpectione Epiſcopi coirent. Quale ſub inſpectione *Auguſtini* fuiſſe commemorat *Poſidius in ejus* vitâ. Unde canonici regulares, præſertim Auguſtiniani, ſuam originem & inter eos, Lateranenſes, duxiſſe, immò ab ipſis Apoſtolis conjectare videntur: Apoſtolos enim tria vota emiſiſſe & regularitatem profeſſos, contendit *Thomas* 22. *qu.* 186. & *qu.* 189. *art.* 4. & *in* 4. *diſt.* 38. *artic.* 2. *qu.* 3. Et cum illo Scholaſtici ac Canoniſtæ complures, & ex recentioribus *Joh. Baptiſta Signius canonicus Regularis congreg. S. Salvatoris ordinis S. Auguſtini in tract.* de *Ordine ac ſtatu Canonico* anno 1601.

Sed de Apoſtolorum & presbyterorum Apoſtolicorum emiſſo triplici voto, & vitâ communi ſeu collegiis cœnobiticis, nec ex ſcripturâ nec ex

 teſti-

teſtimoniis antiquiſſimæ antiquitatis poſt-Apoſtolicæ quidquam oſtendi poterit. De uno collegio presbyterorum cœnobitico tempore *Auguſtini* ex vitâ ejus à *Poſſidio* deſcriptâ aliquid cognoſci poteſt : ſed inde non patet, ubique per totum orbem ſingulos epiſcopos talibus cœnobiticis collegiis præfuiſſe, quæ conſilium & presbyterium epiſcopale conſtituiſſent, & cum eo eccleſias verbo & ſacramentis paviſſent, regimini ac diſciplinæ præfuiſſent.

Adamus Contzen lib. 6. Politic. cap. 18. §. 2. ait capitula hodierna antiqua presbyterorum concilia referre, qualia tempore Apoſtolorum fuiſſe probat ex *Actor.* 15. & aliquamdiu poſt, ex *Hieronymo* in *comment. ad Tit.* 1. antequam conſtituerentur Epiſcopi, cum communi conſilio presbyterorum eccleſiæ gubernarentur; poſtea tamen introductis epiſcopis, *presbyteros* fuiſſe aſſeſſores epiſcoporum. Sed conſilia presbyterorum ante epiſcopos, & poſt humano libitu erectos epiſcopos in diœceſios ſuæ ſatrapas, ita differre à capitulo arbitror, ut vinum ab aceto. Deinde qualecunque ante epiſcopatum, & poſt ſtabilitum epiſcopatum fuerit conſilium presbyterorum ſeu clericorum; non erat tamen cœnobiticum & regulare; qualia canonicorum collegia eſſe debere; ſeriò ibidem contendit.

Antiqui presbyteri jam ſub epiſcopis conſtituti, reſidebant & reſidere debebant in ſuis quique eccleſiis; non poterant ergo, nec debebant collegia cœnobitica ſubire.

Itaque ſic non eſſent reformanda capitula, referentia conſilia presbyterorum, ut ad communem vitam & cohabitationem in monaſteriis redigerentur. Sunt enim epiſcopi, qui 200. aut 300. aut plures parochos ſibi ſubjectos habent, in eccleſiis longè lateque diſſitis miniſtrantes.

Nec opus eſt, ut in eccleſiis reformatis ordine & regimine presbyteriali utentibus, præter concilia & collegia conſiſtorialia, & ſynodalia (ad quæ claſſicalia referimus) ſeparata collegia presbyterorum, clericorum, eccleſiaſticorum, curæ & regimini eccleſiæ aut eccleſiarum invigilantium habeantur. Sufficiunt ipſis, quæ habent, exemplo eccleſiæ Apoſtolicæ, presbyteria & ſynodi. Nulla ergo deliberatio de modo reformationis capitulorum & canonicorum hic inſtituenda. Quod ſi capitulo aut collegio ſeu conventui monachorum ſubſtituatur collegium theologicum, aut ſchola, jam non eſſet reformatio, ſed abolitio. Ubi vero, reformatione doctrinæ introductâ, epiſcopale regimen retentum fuit, & per ſucceſſionem continuantur aliqui epiſcopo-principes, (uti in Germaniâ) ; ibi conſequenter capitula cathedralia epiſcopatui ἀχωρίςως annexa ſucceſſive. ſunt continuata & per illa, moribus antiquis, epiſcoporum electio peracta Reformationem ſic adhibendam, in doctrina, in moribus, in ſtatu & ordine,

dine, nemo reformatus dubitabit. Quod ad reformationem ordinis, ſtatus, & operis eorum, ad τύπον antiquorum canonicorum ſeu presbyterorum videntur revocandi: Ut verbi prædicatione, regimine & diſciplinâ oves Chriſti cum epiſcopo paſcant, ſcholas gubernent, filios prophetarum inſtituant. Hoc enim opus ipſorum fuiſſe, & hunc in finem opimos reditus capitulis, præſertim cathedralibus collatos, ſupra oſtenſum fuit.

Joh. Schwebelius celebris inter primos reformatores *in ducatu Biportino in epiſt.* ad *Canonicos Hornbacenſes*, officii eorum eſſe ait, *curare animarum ſalutem per verbi prædicationem.* pag. 115. 116. 118. 122. Alii theologi in Germaniâ jam inde à primâ & publicâ ſtatus eccleſiaſtici reformatione, de capitulis & collegiis, quæ iſtic continuari videbant, judicârunt non eſſe ad collegia illa & ſtipendia admittendos, niſi pios & doctos, vereque in eccleſiis aut ſcholis miniſtrantes aut juvantes; Conſequenter, indoctos, aut otioſos, qui ſub titulo & larvâ canonici, bona illa abliguriunt, non leviter peccare. Nos *ſupra part. 1. lib. 1. tr. 1. lib. 4. tract. 2. cap. 1. & ſeqq.* & *in Conſilio theolog.* linguâ noſtrate conſcripto, ex profeſſo hanc cauſam de reditibus defendimus, & teſtimoniis ac judiciis Jureconſultorum, & theologorum confirmavimus.

Reformati & proteſtantes, ubi tolli non potuerunt collegia, ex hac hypotheſi eorundem reformationem poſtularunt & ad primigenium atque antiquum ſtatum revocationem. Alioquin nullum eorum uſum eſſe. *Johannes Bugenhagius* ſelectum primæ reformationis Eccleſiarum Danicarum inſtrumentum, in tract. tit. *Pia & verè Catholica & conſentiens veteri eccleſiæ ordinatio ceremoniarum pro canonicis & monaſteriis*, edito cum Ordinatione miniſterii, &c. in Dania, Norwegiâ, &c. 1562. ubi fol. 114. „ Eadem, inquit, de canonicis, qui nulli jam uſui ſunt eccleſiæ Chriſti, „ poſſunt & ipſi reſidui, ſi non aliis officiis neceſſariis ſunt commodi, ita „ hiſce ſcripturæ exercitiis cantando pro ſuo tempore exerceri.

Et ſic omnes, qui collegia canonicorum putant fuiſſe ſcholas theologicas, in quibus filii prophetarum in ſacrarum rerum & literarum ſcientiâ, & in pietate exercebantur; ſtatuere debent: quandoquidem apud reformatos non tantum Academiæ, ſcholæ Illuſtres, Gymnaſia, ſed & collegia theologica cœnobitica (qualia Heidelbergæ, Tubingæ, Lugduni Batavorum, &c.) inſtituta ſunt; quæ Academiæ & collegia ſucceſſerunt aut ſubſtituta ſunt capitulis: non eſſe ergo de reformatione eorum laborandum.

Alii itidem, qui putant fuiſſe collegia presbyterorum, eccleſias docentium, curantium, gubernantium: reſtitutis presbyteris & presbyteriis

Digitized by Google

ſeu ſynedriis, tum minoribus ſeu topicis (uti *Actor.* 20. *v.* 20. 28. 1 *Tim.* 4. *Math.* 18. tum majoribus, (quæ ſynodos & concilia appellant): confiteri debent nullum capitulorum eſſe uſum. Quandoquidem eccleſiis ſingulis dati ſunt & dari debent, dicti paſtores, presbyteri epiſcopi anteceſſores. *Tit.* 1. *v.* 5. *Philipp.* 1. *v.* 1. 1 *Petr.* 5. *v.* 1. Et quidem reſidentes & ex combinatione eorum ac correſpondentiâ, ſynodi ſeu concilia, diſtrictualia, regionaria, provincialia, nationalia, generalia. Ubi autem apud reformatos, & Proteſtantes, ordine presbyterorum minorum aut majorum in formâ nondum conſtituto, tanquam analoga aut vicaria habentur conſiſtoria regimini eccleſiæ ſervando, exequendo: pariter capitula nulli ſunt uſui; & de reformatione eorum non eſſet laborandum. Sed ubi ex neceſſitate, in pactis, aut in ſupremæ poteſtatis imperio, aut in non mutandâ electione Epiſcopo-principum per capitula ſuo loco reliquenda ſunt; quandoquidem nec poteſtas nec potentia ſit Magiſtratui urbico, aut territoriali capitulum tollendi & reditus ejus ad pios & neceſſarios uſus applicandi. Ibi ergo de reformatione cogitandum. Rationem & modum reformationis, & quales ac quomodo in collegium illud aſſumendi ſint, quibus præbendæ eſſent conferendę, optimè ad ſtatum Germaniæ (ubi talia capitula poſt introductam reformationem relicta ſunt), conſuluit Bucerus in Defenſione Reformationis Colonienſis *cap.* 125. & in ſcriptis Anglicanis *tract.* de reformatione collegii Canonici. Ex quibus nunc paucula iſta exhibeo. Ex defenſione *cap.* 125. *pag.* 426.

„ Non ignorant Sacerdotes ex mandato ſacrarum literarum & Cano„num dedere ab omnibus mundanis negotiis ac faſtu penitus ſubducere, „& populo Chriſti in miniſterio doctrinæ, & tota animarum Cura, ſancta „& irreprehenſibili vita fideliter inſervire, & ſingulis Eccleſiis ſingulos „præfectos eſſe, ab iiſque non plus ad temporalem neceſſitatem, quam „unicuique ad miniſterium ſuum utiliter Eccleſiis præſtandum eſt neceſ„ſarium. At qui fit ut hoc non exequantur? Quare tantum præbendarum, „imò etiam parochiarum copiam tenent, nulli verò inſerviunt, cur po„pulo unquam hactenus Chriſtianum Sacerdotale miniſterium prȩſtite„runt? Dominus in hanc impudentiam ſuo tempore graviſſimè animad„vertet.

Et *pag.* 429. „ Hic rurſus, vide Chriſtiane Lector, Miniſterium Pres„byterorum nullo modo in eum finem inſtitutum eſſe, ut ſoli per ſe, vel „cum paucis doctis ſtudeant, & ſcripturas explicent, canant, legant, ac „precentur: ſed ut gregem Chriſti paſcant, ejuſque Epiſcopos & Inſpe„ctores agant, hoc eſt, ei de omnibus quibus interiat homo in Domino „creſcere & augeri poteſt, proſpiciant, ad quod doctrina, & admonitio

Digitized by Google

„ex verbo Dei ſemper requiritur. Univerſo populo debent inſervire ad „omnem profectum pietatis, non ſibi ipſis, vel ſolis Clericis. Hinc eſt quod „Dionyſius miniſterium illuminationis, hoc eſt, ulterioris in cognitionem „Chriſti inductionis illis attribuit.

„ At quid verbis opus eſt? Omnes Antiqui Patres & Canones abundè „cum ſacra Scriptura teſtantur, Presbyterale & Epiſcopale officium per „ſe unum & idem miniſterium eſſe Curæ animarum, ac totius ad miniſtra„tionis Eccleſiarum Chriſti in doctrina, ſacramentis, & diſciplina. Item, „quod hanc ſolam ob cauſſam unus inter Presbyteros, qui omnes gre„gum Chriſti Epiſcopi, hoc eſt, inſpectores, & animarum curatores „eſſe debent, reliquis præficiatur, quemadmodum in Senatu Conſul „(qua ſimilitudine Hieronymus utitur) quò melius ad ſingula attendatur, „& grex Chriſti tempeſtivius paſcatur, & unitas in Eccleſiis firmius „ac conſtantius conſervetur. Quam poſtremam cauſam D. Hieronymus „tractat.

Ex tractat. de reformatione collegii canonici in ſcriptis Anglicanis *pag.* 196. 197. 198. „Jam ut de ratione & via conſtet, collegium no„ſtrum S. Thomæ reformandi, hoc eſt, ad hanc primęvam & veram for„mam canonici Collegii revocandi, primum omnium de eo convenire „inter nos oportet, ut velimus illud eſſe Collegium clericorum, qui „curam animarum, & ædificationem eccleſiæ per miniſterium doctrinæ „& ſacræ diſciplinæ propoſitam habeamus, & univerſi & ſinguli, quiſque „pro ſua ſacri miniſterii parte, totaque collegii ſocietas, diſciplina & emo„lumenta, ad hoc unum ſpectent, & adhibeantur, quo quiſque injunctum „ſibi munus bona fide, ad certam eccleſiæ Chriſti utilitatem, & maximè „hujus noſtræ Argentoratenſis eccleſię perficiat, & vita inculpata atque „verè religioſa ornet & fruſtruoſius reddat.

„ Hunc finem, ſi ut Deus ipſe à nobis poſcit, nobis univerſim & ſingu„latim propoſuerimus, verè & coram Domino, facilè videre eſt, opus eſſe „principio, ordines collegarum, & munia in noſtro Collegio, certis gra„dibus & functionibus, & his clericalibus, deſcribere, quo cuique qui poſt„hac in collegium noſtrum aſſumendus erit, vel ad plenam præbendarum „preceptionem admittendus ſit, ſuum proprium munus, quod ad utili„tatem & ædificationem eccleſiæ certò pertineat, fungi queat.

„ Tum etiam de communi aliquo religionis exercitio, quo collegæ „communiter populum Chriſti in religione excitent & promoveant. Poſt„hæc neceſſe erit, ut conveniat inter nos, & conſtituatur de ea ratione & „religione novos collegas in collegium hoc recipiendi, quam ſcilicet ca„nones pręſcribunt.

Deinde

Digitized by Google

„ Deinde conſtituendum eſt de diſciplina inſtituendi, invitandi & im-
„ pellendi receptos in Collegium, ut quiſque muneri ſuo ſatisfacere verè
„ ſtudeat, ac etiam corrigendi eos, qui officio ſuo defuerint.

„ Poſtremò de judicio incorrigibilium, qui vel in vita vitioſa, vel ne-
„ glectu officii, comtempta collegii correctione perſeverârint.

„ Quod ad primum attinet, confitendum profectò nobis eſt ad glo-
„ riam Dei, & deplorandum graviſſimè noſtri Collegii, ut cęterorum hu-
„ juſmodi collegiorum, diſciplinam, tam miſerè collapſam eſſe, ut cum
„ verum dicendum eſt (ut in hac cauſa Dei & Eccleſiæ Chriſti pleniſſimè
„ dicendum eſt) ne unum quidem verè clericale munus, quod ad com-
„ munem Eccleſiæ inſtaurationem faciat eſſe, quod à collegiis canonicis
„ hodie ritè injungatur aut exigatur.

„ Munera (ut dictum eſt) clericalia ſunt, adminiſtrare Euangelium, ſa-
„ cramenta & ſacram diſciplinam, quod presbyterorum eſt. Item his inſer-
„ vire, ſacris lectionibus, & cantionibus, & adjuvando diſciplinam, in-
„ ſtituendo adoleſcentiam, ac cæteris miniſteriis, quibus cum in admini-
„ ſtratione verbi & S. cærimoniarum, cum in obeunda diſciplina presbyte-
„ ris adminiculo ſint, quod eſt, aliorum inferiorum ordinum clericalis
„ conditionis. Item præeſſe ſacræ eleemoſynæ, quod eſt diaconorum,
„ ſubdiaconorum, archidiaconorum, œconomorum, & defenſorum.
„ Jam verò in hac noſtra Eccleſia Argentoratenſi, cura eleemoſynæ ab aliis
„ adminiſtratur, & ut nunc res Eccleſiæ habent, non incommodè: ac
„ Lautius multò huic procurationi proſpectum eſt, quàm adminiſtratio-
„ ni doctrinæ & diſciplinæ. Sunt enim noſodochea, aliud ubi curantur la-
„ borantes communibus morbis, aliud ubi Elephantiaſi, aliud ubi Gallico
„ morbo infecti. Eſt orphanotropheum, eſt Xenodocheum: eſt commu-
„ nis Eleemoſynę pro egentibus adminiſtratio.

„ At plurimum adhuc deeſt, & plebi de miniſterio ſacræ doctrinæ &
„ diſciplinæ, & pueritiæ de eruditione & formatione ingeniorum, linguæ
„ & morum.

„ Quod itaque eſt proprii muneris diaconorum & ſubdiaconorum, po-
„ terit, dum Eccleſia noſtra tanta adminiſtrantium ſacram doctrinam &
„ diſciplinam inopia laborat, in noſtro collegio in præſentiarum in com-
„ munem illam egentium curam rejici, cui eſt adeo lautè proſpectum. Sic
„ ſupererunt munera ſcilicet doctrinę & diſciplinæ, cum plebi, tum pueri-
„ tiæ præſtanda, quibus noſtrum collegium conſectari maximè debeat.

„ Nam lectorum & cantorum, item acoluthorum, ac etiam oſtiariorum
„ non eſt nunc ſingularis uſus. Tamen etiam his actionibus presbyteros ali-
„ quos in noſtro collegio deputare, è re Eccleſiæ fuerit.

Pro

Pro cura igitur animarum, quæ primum & maximum ac ſummè neceſſarium munus eſt clericorum, ad minimum ſeptem conſtituere presbyteros oportebit, quorum quinque hac in noſtra parochia, & D. Nicolai, duo apud D. Aureliam; qui adminiſtrationem Euangelii, Catechiſmi, ſacramentorum, & ſacrę diſciplinæ, tum viſitationem infirmorum, omnes eas functiones obeant: quibus unus, qui communi totius capituli electione conſtituatur, præeſſe debeat, ut hoc ſummum clericatus munus, eò ſanctius & majore fructu præſtetur.

Deinde doctores & S. ſcripturarum enarratores duos, qui & ipſi presbyteris accenſeri queant, atque plebem docere ſacris concionibus valeant, cum opus ſit. Itaque novem presbyteri forent.

Præterea unum jureconſultum, cui injunctum ſit, leges profiteri in ſchola, & pauperibus patrocinari.

11 Unum qui Logicas artes doceat.

12 Unum qui Græcam linguam.

13 Unum qui primæ claſſi præſit.

14 Unum qui ſecundę. Hos diaconorum loco rectè habebimus.

15 Item unum qui præſit tertię claſſi.

16 Unum qui quartæ.

17 Unum qui quintæ.

18. 19. 20. 21. 22. Quinque qui ſacris lectionibus & cantionibus atque ſcriptionibus collegii præſint, in quorum munere præterea ſit, presbyteris adeſſe in Catechiſmo rudium, & quærendis, indicandis atque vocandis iis, qui ſacra monitione ſanandi ſunt, iſtos licebit habere loco ſubdiaconorum & acoluthorum.

Ex quibus duos conveniet eſſe Notarios Collegii, quorum unius munus ſit, ſcribere quæ Eccleſiaſtica ſunt, & ad curam animarum pertinent: alter, quæ in aliis Collegii negociis ſcribenda erunt. Uterque tamen capitulo adeſſe debebit, ut alter quę ad ſacram diſciplinam, alter quę in negociis redituum decernantur, conſcribant. Qua re dum non detinentur: ea obibunt, quæ ex communi munere lectorum debent pręſtare, ut illud jam deſcriptum eſt.

23 Duos oſtiarios, quorum munus ſit, quod nunc Sacriſtę eſt, & dormentarii.

24 Tres œconomos, quorum unus colligat reditus, alter deſtribuat, tertius rationum curam habeat, & communem curam gerat, nequid de proventibus Collegii pereat, qui & fabricæ curam gerat & inſtrumentorum templi, inſpiciat quoque certo tempore domos collegarum, curetque ne ruinoſæ fiant.

„ Et quia collegia Canonica etiam aliquos pueros & adoleſcentes ad „ clericatum inſtituere ſolebant, poſſent per collegium noſtrum ſex adoleſcentes aſſumi, qui in una domo, ſub uno doctorum aut profeſſorum, „ vel Claſſiario, qui ad id maximè idoneus fore à Capitulo indicaretur, erudirentur, & inſtituerentur ad clericatum.

An & quomodo collegia illa in Germaniâ in territoriis proteſtantium relicta, reformata ſint, ex *Himmelii theologi Jenenſis tract. de canonicatu,* &c. *cap.* 10. colliges.

De Capitulis, canonicis, præbendis, diſtributionibus quotidianis, in Belgio fœderato introducta reformatione & excluſo Papatu cum omnibus clericis Papiſticis, gubernantibus, miniſtrantibus, juvantibus, ſupererogantibus, eorumque reformatione, aut abolitione, nulla eſt quæſtio, nulla deliberatio. Non entis enim nulla eſt affectio. Quod uno in loco adhuc præſtant, quædam ita dicta capitula abſque ullo opere Romano eccleſiaſtico, non tamen abſque præbendis & diſtributionibus quotidianis: id reformationi non imputandum; non magis, quam reformationi imputanda eſt continuatio monachorum, canonicorum, ſacerdotum, &c. in urbe Trajectenſi ad Moſam. Quod ſi illic præſto ſit poteſtas aut non ſit, has cleri & hierarchiæ Papalis reliquias, nunc in ſchemata ſeu μορφώσεις transformatas tollendi, nulli tamen reformato vel prece vel pretio in ea irrependi ad fruitionem præbendarum & diſtributionum, inque ea & eorum conſervationem jurandi, in foro conſcientiæ licitum eſſe, conſulti reſpondimus; non magis quam in collegia monaſtica Benedictinorum, Norbertinorum, Regularum Auguſtini, &c. ſiquidem talia ſub conniventiâ, aut tolerantiâ, τῶν ἀρχόντων hic aut alibi continuarentur Rationes hujus judicii noſtri dantur in conſilio theologico noſtrate linguâ concepto, & ejuſdem conſilii defenſionibus latinè à Reverendis collegis noſtris *D. Eſſenio*, & *D. Nethено* editis, à nobis etiam ſupra *part.* 1. *lib.* 4. *tract.* 2. Et in genere de ſupervacaneis collegiis canonicorum, ratione eccleſiæ reformatæ, quæ ſcholaſticis & presbyterialibus collegiis minoribus tum majoribus nunc inſtructæ, ſupra *part.* 1. *lib.* 1. *tr.* 1.

§. 4. *De Oeconomis*, qui inter eccleſiaſticos miniſtrantes à *Poſſevino* numerantur, parum dicendum eſt: quod non indicet, quos hic intelligat. Nomen illud variis in Papatu tribui poſſet. In capitulis theſaurario majori, & minori, qui & Sacriſta dicitur: (de quibus ſupra): in monaſteriis, redituum receptoribus & quæſtoribus: in eccleſiis parochialibus, templo & fabricæ templi præfectis, qui & ædiles dici poſſent, belgicè **Kerck-Meesters.** Peculiariter dicti ſunt *Oeconomi* (quales puto à *Poſſevino* reſpici) qui Epiſcopo infirmo & ad epiſcopalis muneris executionem inepto, *ſuffragium*

&

& eccleſia ipſi commiſſæ cuſtodiam debitam & canonicam exhibet. Uti colligimus ex capitulis *Caroli Calvi cap.* 10. *pag.* 92. Ut defuncto epi- „ ſcopo nullus ad ſui perditionem facultates ejus invadat, diripiat & „ ſe transferat, ſed erogatariis & Eleemoſynariis eccleſiaſticis, cum „ ipſius eccleſiæ conſtituto Oeconomo, liberum ſit, canonico more juſte „ rationabiliterque deputato ſucceſſori reſervare. *Ibid. pag.* 418. *edit. firmandi in* 8.

LIB. IV. TRACT. III. DE ECCLESIASTICIS JUVANTIBUS.

CAP. I.

De Doctoribus Theologis.

POſſevinus eccleſiaſticos juvantes facit theologos & Canoniſtas prædicatores, &c.

Theologi profitentur & docent vel in ſtudiis univerſalibus, vulgo dictis *Univerſitatibus* & *Academiis*: vel in ſtudiis particularibus; ut in capitulis in Monaſteriis, in collegiis, in ſeminariis epiſcoporum, in congregationibus ſacerdotum alicujus epiſcopatus aut ſaltem unius urbis. Rurſum docent.

1. *Vel* theologiam ſcholaſticam ad *Thomæ* ſummam, aut ad Magiſtrum ſententiarum Lombardum, aut ad *Scoti* aut ad *Bonaventuræ* commentaria in Magiſtrum. In Academiâ Majoricenſi, *Raymundi Lulli* theologia & philoſophia antehac doceri ſolet. An poſt *Concil. Trident.* hoc continuatum fuerit, neſcio. De Raymundi orthodoxiâ, variè judicatum fuit: *Gregorii XI.* juſſu errores in religionem Chriſtianam ex libris ejus excerpti, anathematis ignominiâ notati ſunt, referente *Nonio in ſuâ Hiſpania cap.* 95.

2. *Vel* controverſias: uti *Bellarminus* in collegiis Jeſuitarum Duacenſi, Lovanienſi, Romano.

3. *Vel* explicant ſcripturam, uti *Cornelius à Lapide* in collegio Lovanienſi, & poſtea in Romano, & *Cornelius Janſenius*, in Academiâ Lovanienſi.

4. *Vel* explicant caſus conſcientiæ: ut in collegio Jeſuitarum Claræ-montano Pariſiis, & in Academiis communiter unus ex profeſſoribus theologis peculiariter huic operi deſtinatus eſt. Porro de hujuſmodi Doctorum & profeſſo-

feſſorum numero, frequentiâ, promotione, conſtitutione, requiſitis, uſu authoritate, dignitate, honore, præcedentiâ, ſtipendiis, ex particularum Academiarum, capitulorum, monaſteriorum ſeu Abbatiarum, collegiorum notitiis curioſus iſtarum rerum, diſcere poterit; etiam partem aliquam ex Caſuiſtis, Canoniſtis, Jureconſultis.

Autor præfationis in *Becani* theologiam ſcholaſticam in fol. Pariſiis (ni fallor) editam complures theologiæ diſtinctiones recenſet: quæ ſpecies non ſunt, ſed aut partes, aut modi ſeu methodi theologiam docendi. *Poſſevinus lib.* 2. Bibliothecæ ſelectæ, in argumento libri diſtribuit theologiam in *poſitivam*, *ſcholaſticam*, *practicam*, *controverſam*: quæ in Academiis & collegiis per conſtitutos profeſſores docentur. *Lib.* 3. addit theologiam catecheticam, (ſed quæ in Academiis non docetur.) Ubi de Catechiſmo & Catechizatione. Toto libro ſecundo agit de profeſſione theologiæ poſitivæ, hoc eſt, de explicatione ſcripturæ, modumque eam docendi enarrat. Inter alia *cap.* 79. recenſet expoſitores ſcripturę in ſequentes claſſes diſtributos. 1. Abbreviatores. 2. Annotatores. 3. Coacervatores. 4. Collectores, Rhapſodos, Centonarios. 5. Compendiarios. 6. Chronographos. 7. Dialogiſtas. 8. Dictionarios. 9. Diſputatores & Quæſtionarios. 10. Eclogiſtas. 11. Epiſtolarios. 12. Geographos. 13. Harmonicos. 14. Homiliaſtas & enarratores. 15. Iſagogicos. 16. Indiciſtas. 17. Meditatores. 18. Paraphraſtas. 19. Partitores. 20. Poëtas. 21. Eclographicos. 22. Suppletores 23. Thematicos. 24. Tranſlatores. Nos in noſtrâ Bibliotheca, & in Diatribis de philologia, philoſophiâ, hiſtoriâ ſacrâ apparatum aliquem ad intelligentiam & explicationem ſcripturę indicavimus.

De theologiâ ſcholaſticâ, ejuſque profeſſore, ſcriptoribus, docendæ & diſcendæ methodo agit *lib.* 3. *cap.* 1. - 16. Judicium noſtrorum de hâc theologiâ expoſuimus *in* 1. *part. ſelect. diſpp. tit. de theologiâ Scholaſticâ.*

De theologiâ practica ſeu Caſuiſticâ, ejuſque profeſſore agit *lib. cit.* à *cap.* 16. uſque ad 23. Ubi *cap.* 21. ſcriptores quoſdam de ſtatibus hominum tum generales tum ſpeciales recenſet. Quibus adde *Joh. Buſeum de ſtatibus hominum* anno 1613. in 4. *Philippi Rovenii Reipubl. Chriſtianæ libros duos*, *in* 4. *Thomæ Gerſoni Piazza univerſale di tutti Profeſſioni del mundo*, *in* 4. liber eſt, qui multam lectionem autoris ſui abunde loquitur. Nec prætereundi ſæpius à nobis citati *Zecchius de Republ. eccleſiaſticâ*, & *Moſconius* de Majeſtate eccleſię militantis. Specialibus ſcriptoribus de ſtatibus, parcè admodum à Poſſevino notatis, multi alii addi poſſent: quorum aliquos indicamus in *Aſcetica cap. ult.* Non prætereundis libellus *Buſæi de Regimine ruſticorum*, qui ſubjungitur libro *de ſtatibus hominum*. Liberalior eſt

Poſſevi-

Poſſevinus cap. 22. in numerandis Summiſtis ſeu Caſuiſtis. Poſt annum 1607. plures prodierunt, variis titulis (à nobis in libello de luſu aleæ relatis) qui bonam partem, in Alegambe bibliothecâ Jeſuiticâ, in ſubjecto indice nominantur.

Quid nos de Papiſtarum theologiâ practicâ judicemus; & quomodo in ipſo Papatu Jeſuitarum Caſuiſtica perſtringatur, præſertim à *Sorboniſtis*, *in Diſper. causâ Papatus*, *poſtea in* 3. *part. ſelect. diſpp. tit. de Theologiâ practicâ*, *denique ſupra part.* 1. *lib.* 2. *tract.* 1, *indicavimus*: & *infra tract.* 4. ubi de Jeſuitis, ſcripta aliqua in ſocietatem ipſorum tum in Papatu tum inter reformatos edita, nominanda erunt.

De theologiâ controversâ ejuſque tractatione & apparatu *agit lib.* 6. 7. 8. 9. 10. *lib.* VI. *de controverſiis cum Græcis*, *lib.* VII. *cum hæreticis*. Cui inſerit decem Rationes *Campiani*, antea ſeorſim aliquoties editas. *Lib.* VIII. de *Atheiſmis* hæreticorum, nominatim, *Lutheri*, *Melanthonis*, *Calvini*, *Bezæ*, Ubiquitariorum, Anabaptiſtarum, Picardorum, Puritanorum, Arrianorum, & aliorum fidei hoſtium. Qui liber etiam ſeorſim excuſus eſt in 8. De atheiſmis ſociorum, & ſuorum in medio Papatu præſertim Romæ & quidem in conſiſtorio, in ſede, in curia Romanâ, rectius potuiſſet ἱϛορεῖν. Nos indicium aliquod fecimus in 1. *part. ſelect. diſpp. tit. de Atheiſmo*, & ſupra hujus libri *tract.* 1. *Lib.* IX. cum Judæis & Muhammediſtis. In argumento hujus libri monet, ſe in proprios commentarios relaturum, de juvandis *Coptites*, *Æthiopibus*, *Armeniis*, *Chriſtianis S. Thomæ*. Hæc de affectis & intentis ab illo. Sed commentarii illi non perſcripti, ſaltem non editi. Hujus *lib. cap.* 15. uſque ad finem agit de Gentilibus juvandis. *Lib.* X. agit ſpecialiter de juvandis Japoniis, aliiſque Gentibus orientalibus. Cum *lib.* 9. & 10. conferendi ſunt *Thomas* à *Jeſu* de converſione omnium Gentium, & ſcriptores Pontificii contra Gentiles, Judæos, Muhammediſtas, *in* 2. *part. ſelect. diſpp. tit.* de Judaiſmo, Muhammediſmo, Gentiliſmo, citati.

Ad theologiam controverſam, refer theologiam Patriſticam & hiſtoricam hiſtoriæ eccleſiaſticæ, cujus peculiares Doctores in Academiis & collegiis, ſi ordinario non conſtituuntur, ſaltem ſcriptores in Papatu exſtant, qui *Juello c. Hardingum*, *Mornæi* Pleſſiaco de Euchariſtiâ, ejuſque Myſterio Iniquitatis, Centuriatoribus Magdeburgenſibus, *Molinei Novitati* Papiſmi, Hiſtoriæ concilii Tridentini contradicunt. De hac theologiâ *Poſſevinus lib.* 5. *cap.* 22. & *ſeqq.* cum quo conferri poteſt *Melchior Canus locor. lib.* 7. & Sixtus Senenſis in bibliothecâ. De ſcholis, collegiis, profeſſoribus, & modo docendi & diſcendi, agit *Poſſevinus lib.* 1. *cap.* 25. 26. 27. 28. 32. 34. 39. 40. *De ſeminariis Clericorum*, ubi theologia per Doctores tradenda agit *Poſſevinus lib.* 5. *cap.* 8. & *ſeqq.*

Digitized by Google

CAP. II.

De juris Canonici Doctoribus & Profeſſoribus.

CAnoniſtæ cum inter eccleſiaſticos juvantes *lib.* 3. *Bibliotheca ſelectæ cap.* 20. à Poſſevino numerentur; hàc occaſione præteriri nequeunt. Supra *part.* 1. *lib.* 1. *tract.* 2. Satis prolixè pro inſtituti noſtri ratione actum eſt de jure canonico; ut nullo negotio inde intelligi poſſit, quid ſit Canoniſta, & quod ſit opus Doctoris Canoniſtici. Poſſevinus in bibliotheca ſel. de juris canonici profeſſore, deque modo ac methodo illud docendi diſcendi, non egit, (quo conſilio neſcio): qui tamen Juriſprudentiæ civili totum librum 13. impendit. Poſtea in Apparatu ſacro in vocibus *Jus canonicum* innuit ſe in hoc apparatu ſuo, in vocibus, *Canones Apoſtolici*, *Decretum*, *Gloſſa*, *Gratianus*, *Gregorius* XIII. *Gerbertus*, *Hincmarus*, Dixiſſe quinam tractaverint Jus canonicum, ac quibuſnam codicibus purgatioribus contineatur. Sed locis illis inſpectis, nihil invenio de profeſſoribus juris canonici, de modo & methodo illud docendi, defendendi, deque utilitate, neceſſitate, autoritate ejus in Papatu: Qualia de theologiâ ſcholaſtica, de Caſuiſticâ, de philoſophiâ, de hiſtoriâ, de poëſi & picturâ, de Juriſprudentiâ, de Medicinâ, in ſuâ bibliothecâ, commentatur. Aliter *Melchior Canus lib.* 8. *locor. cap.* 6. *pag.* 488. tit. *De autoritate Juris Pontificii prudentum.* Ubi ſic loquitur: „Sunt enim „quidam uſque adeo in ea facultate doctis infenſi, ut illorum auctoritatem ab uſu Theologiæ prorſus remotam eſſe arbitrentur. Nos verò hujuſmodi doctorum auctoritas quanti ſit Theologo facienda, paucis oſtendemus, illo principio ſumpto, Theologis, qui pontificum canones ignorent, nimiſque multa deeſſe ad uſus Theologiæ neceſſarios.

„ Principio enim ſi à Theologis animarum cura non eſt aliena, ſed potius animas regere, eorum quaſi peculiare munus eſt, procul dubio canonici juris ſcientia eſt illis neceſſaria. Nam quemadmodum non eſt in „Abbatem eligendus, niſi qui ante fuerit in regula competenter inſtructus, ut c. officii. de electio. Inno. tradit, ita ne cura quidem eccleſiam gubernandi eſt ei committenda, qui eccleſiaſticas regulas neſcit. „Theologus igitur, qui vel epiſcopus vel parochus futurus eſt, niſi canones ante didicerit, quibus fideles debent in Chriſtiana religione & eccleſiæ cæremoniis inſtitui, non habebit profecto ad rem hanc publicam „gerendam Theologiæ officinam ſatis inſtructam. Atque hinc illa ſunt ex „Cæleſtino, Leone, Auguſtino, ſeptima ſynodo, concilio Carthaginenſi,

concilio

„ concilio Toleta. 4. concilio Aurelianen. 4. Quæ partim à Gratiano, par-„ tim à Burchardo referuntur. Quibus omnibus locis idem omnino „ præſcribitur, hoc eſt, ſacerdotes Canonum eccleſiaſticorum oportere „ eſſe peritos. Epiſcopis item juris canonici intelligentiam eſſe neceſſa-„ riam, facilè oſtenditur ex cap. accedentibus de exceſſu prælat. Plures ibidem rationes adducit, ex quibus iſta enoto *p.* 490. Omnis doctrina „ divinitus inſpirata utilis eſt, &c. 2 *Tim.* 3. v. 16. At canones eccleſia-„ ſtici inſtinctu Spir. S. ſunt editi, ut *Damaſus* ait *art.* 25. *quæſt.* 1. *cap.* „ *violatores pag.* 491. Juris canonici diſciplina theologia quædam practica „ eſt, &c. Sequenti *cap.* 7. definite oſtendit cuinam uſui Juris interpretes & profeſſores eſſe poſſint: quæve argumenta & qualia eorum autoritas theologicis diſputationibus adminiſtret. Sed omni exceptione majus eſt, quod *Concil. Trident. ſeſſ.* 22. *cap.* 2. in aſſumendo ad eccleſias cathedrales requirit tantum ſcientię, ut muneris ſibi injungendi *neceſſitati poſſit ſatisfacere; ideoque antea in univerſitate ſtudiorum Magiſter ſive doctor aut licentiatus in ſacrâ theologiâ vel in iure canonico merito ſit promotus.* Sunt ergo in Academiis Papatus juris canonici profeſſores diſtincti à profeſſoribus juris civilis: Utraque vel unam facultatem conſtituere poſſent vel duas. Memini me aliquando in libro Pariſiis excuſo legiſſe *ſchola decretorum.* An ex peculiari ſchola ſeu auditorio peculiaris facultas colligenda ſit ignoro. Aliquando uni profeſſori utriuſque juris profeſſio imponitur: ut in Academiâ Muſſipontanâ, ubi titulum utriuſque profeſſionis ſibi tribuebat *Petrus Gregorius Tholoſanus in Præludiis optimi Jureconſulti* a. 1587. Aliquando mutat quis profeſſionem juris civilis profeſſione juris canonici: Uti oſtendit exemplum *Boëthii Eponis Friſii in præſcripto titulo ſyntagmatum* antiquitatum eccleſiaſticarum anno 1578. An mutatio illa profeſſionis in Academiâ Duacenâ facta ſit, quod in genere poſeſſio juris canonici magis lucroſa & honorifica ſit, quam profeſſio juris civilis? an vero, ob particularem iſtam rationem, quod ſecundus juris civilis profeſſor eſſet, ſeu ſecundæ cathedræ profeſſor fuiſſet, nunc *vero primam juris Pontificii cathedram Regio ac ordinario munere obtineret?* uti habent verba tituli. Quæſtiones hinc formari poſſent.

I. *Quæſt. An profeſſio juris canonici in Papatu major & dignior ſit, & profeſſione iuris civilis, & profeſſori juris canonici competat præcedentia in eccleſia & ſæculo ſpecialiter in Univerſitatibus? Reſp.* ex ſenſu & praxi Papatus, affirmandum eſt. Vide *Chaſſaneum in catalogo gloriæ mundi.*

II. *Quæſt. An theologicæ profeſſioni & theologo comparatè ad juris canonici profeſſionem & canoniſtam, excellentia & præcedentia competat? Reſp.* Aff. de communi ſententiâ quod dignitas major ſit objecti doctrinę & profeſſionis

feſſionis theologicæ, quam objecti profeſſionis Canoniſticæ. Illius objectum eſt verbum Dei, ſeu divina ſcriptura & theologia, quam vocant, poſitiva: *iſtius*, canones eccleſiaſtici, ſeu leges humanis eccleſiaſticæ, quæ à lege divinâ diſtinguitur à *Zwarezio*, aliiſque in tractatibus de legibus. In praxi tamen æquari immo pręferri videntur Canoniſtę. *Cum Concil. Tridentin.* loco modo cit. requirit, ut promovendi ad munera eccleſiaſtica, ut ſint docti & promoti vel in theologia. vel in jure canonico: innuere videtur Canoniſtarum & theologorum collateralitatem. Et cum frequentes, ſi non ut plurimum ad epiſcopatus illic in theologiâ rudes, immo nulli, ſed qui juris canonici periti audiunt, aut ſaltem de brodio juris aliquantum guſtârunt; præteritis & fruſtra ringentibus aut ridentibus theologis. Notum eſt, quid de neceſſitate, dignitate, excellentiâ theologię & theologi, præ jure canonico & Canoniſto, in eccleſiæ ædificatione, & ovium Chriſti paſturâ, illic judicetur. Cum tamen in *Concil. Trid.* Epiſcopos faciant *ſucceſſores Apoſtolorum*, & *paſtores* (excluſive ſcil. ad parochos, presbyteros, alioſque eccleſiaſticos miniſtrantes, juvantes, ſuperogantes. Cum *Soeſius* Canoniſta ex ſupremi in Belgio tribunalis Mechlinienſis aſſeſſore factus fuiſſet Epiſcopus Sylvæ-ducenſis ſucceſſor *Gisberti Maſii* theologi & Eccleſiaſtæ; memini me nactum familiare colloquium cum *Jacobo Caſſayer S. Petri* tunc parocho poſtea Plebano *S. Johannis*, inter alia quæſiviſſe quid ageret prȩſens Epiſcopus, & quam gratus aut ingratus eſſet populo ac Clero (noveram enim, ob tentatam Cleri ſecundum canones reformationem, ſalutari eum potuiſſe eo modo quo Papa *Calixtus*, *O bone Calixte nunc omnis Clerus odit te*, &c.) ludentem reſpondiſſe. *De epiſcopi noſtri prædicatione & cantu parum auditurus es; quia neutrum novit.* Ad Papatum Romanum, pauci prȩſenti & ſuperiori ſæculo promoti ſunt theologi, aut ſaltem theologico ſtudio antea initiati. Si excipias *Adrianum* VI. & *Sixtum* V. vix ullum in tanto numero jam inde ab anno 1517. uſque in hunc diem ad ſedem Romanam evectum, reperiri poſſe putem. Quam pauci theologi aut theologico ſtudio initiati ad Cardinalatum promoti ſunt? *Bellarminus*; *Toletus*, *De Lugo* Jeſuitici theologi, adhæc *Sadoletus*, *Contarenus*, *Baronius*, *Perronus*, & aliqui ſimiles, ſunt ἀεθμῦλοὶ ὑπὸ πόλλων. Si quis perluſtret catalogum Cardinalium Onuphri Panuini, imprimis libellum tit. *Statera Cardinalium*, Italicè Gallicè Belgicè & fortè aliis linguis Europeis ante paucos annos evulgatum; diſcet inde, quot præ aliis eruditione theologicâ conſpicui fuerint, cum ad dignitatem Cardineam promoverentur. Et tamen Cardinales audiunt cardines religionis & eccleſiæ, conſiliarii Papę, & qui poſt Papam & ſupra Epiſcopos omnes, religionis & theologię Chriſtianæ moderatores, præfecti; judices,

judices, qui etiam primum locum tenent in Conciliis Papiſticis, uti videre eſt in ſubſcriptionibus decretorum Concilii Tridentini. Dices poſſe eos, quamvis nullâ eruditione theologica, nullâ theologiæ profeſſione & exceritatione ſcholaſticâ aut eccleſiaſticâ, nullis ſtudiis theologicis in curſu Academico, nullis Magiſteriis & promotionibus in theologiâ excellentes; Cardinales tunc viventes, conſilio, inſpiratione, præformatione Doctoris theologi tanquam familiaris & paredri alicujus ſpiritus, perpetuo in agendis theologiæ ἀπείρας uti; quandoquidem & epiſcopi vicariis in ſacris, vicariis in verbi prædicatione, in ſacramentorum adminiſtratione, uti ſolent, & theologiæ Doctores ac Profeſſores, ſecum ad concilia adducere, & qui judicia & decreta fabricantes: Quod factum refert hiſtoria Concilii Tridentini, & ſalſe perſtringit alicubi *Didacus Stella* in *commentar. in Lucan.* Nonnunquam de promotionibus illic uſurpari poſſet, illud Poëtæ,

Spernitur Orator bonus, horrida miles amatur.

Exemplum habemus in *Pompei. Columnâ*, qui ex feroci milite factus eſt Epiſcopus, & Cardinalis; teſte *Paulo Jovio* in vitâ ejus. Et in *L. Rainuccio Jurenſio Pauli* 3. nepote, qui miles Hoſpitalis, electus eſt epiſcopus, & factus Cardinalis: teſte *Onuphrio* in catalogo Pontificum & Cardinalium. Nec prætereundus *Franciſcus de Mendoſâ* Admirante Arragoniæ, quem deſperatio ex infelici bellatore in Belgio, & perfido ac truculento prædone & latrone in partibus Germaniæ, fecit ſacerdotem. De rebus tam præclarè (ſcilicet) geſtis in Belgio, deque latrociniis ejus in Germaniâ, legendæ hiſtoriæ temporum; de amplexu ſacerdotii, *Caſpar Zanchez*, in epiſtolâ dedicatoriâ, commentariis in Acta Apoſtolorum, præmiſsâ.

Nihilominus communi ſententiâ theologorum tenet, ad beneficia curata, quæ vocant, ſpecialiter ad Epiſcopatum & Cardinalatum promovendos eſſe Theologos præ Canoniſtis, Juriſtis, aliiſque literatis, nedum præ illiteratis promovendos eſſe. *Adamus Contzen lib.6. Politica cap.* 35. tacitè notat defectum hac in parte, referens,

§. 3. A *Sixto* V. decretum eſſe, ut non plures quam 70. Cardinales eſſent, atque inter illos quatuor ad minimum theologi Doctores ex Ordinibus mendicantium aſſumti.

§. 5. Refert ex Concilio Baſileenſi *ſeſſ. decret.* 2. ut *ſaltem tertia vel quarta pars eſſe de Magiſtris vel licentiatis in ſacrâ Scripturâ.* Addunt ibidem: *Inter hos viginti quatuor, eſſe potentia aliqui poterunt admodum pauci, filii fratres aut nepotes Regum, ſeu magnorum principum, in quibus cum circumſpectione & maturitate morum competens literatura ſufficiat.*

§. 1. Dicit eos eſſe *antiſtites & duces religionis.* Unde haut obſcurè colli-

colligendum relinquit, quam egregii duces ſint religionis; qui ſcripturarum & theologiæ imperiti ſunt: quaſi quis archiatros & duces ac principes medicorum conſtitueret, qui medicinam nunquam didicerunt; aut præſidem ſupremæ curiæ, qui Jus civile nunquam guſtaſſet; aut univerſalem in Republicâ Chriſtianâ, & Gentibus Chriſtianis gubernandis conſiliatium, qui in politicâ generali & ſpeciali hoſpes eſſet. Quales quamplurimos, Papæ, in regimine Reipublicæ Chriſtianæ conſiliarios hoc eſt, Cardinales conſtitutos eſſe non diffitetur *Contzen cap. cit. §. 4.* Quam „ multi, inquit, Italorum Germaniæ epiſcopos ſuis pares in externa guber- „ natione arbitrantur & myricis abietes conferunt? (in margine adſcribit: „ *Germaniæ Epiſcopi principes ſunt, non Itali,*) Quam non pauci Germaniam „ magnam urbem eſſe imaginantur? Quidam non ignobilis ex *Germano* „ quærebat: *An Cæſar etiam multos haberet pagos?*

Ad demonſtrationem excellentię Doctorum & Profeſſorum theologiæ, ſupra Doctores & profeſſores juris canonici, facit titulus *Magiſtri noſtri*, qui ad imitationem Judæorum *Rabbenou*, theologis ſub Papatu in Academiis Papalibus tribuitur, Canoniſtis non tribuitur. De quo in *epiſtolis obſcurorum virorum*, ludicra diſceptatio inſtituitur, an de futuro Doctore aut Profeſſore theologiæ, dicendum ſit, *Noſter Magiſtrandus*, an vero *Magiſter noſtrandus.*

Canus lib. cit. cum *cap. 6.* neceſſitatem & utilitatem ſcientiæ juris canonici diſcendæ & docendæ, commendaſſet, *cap. 7.* limitat, varia ad eccleſiæ ædificationem neceſſaria notando, quæ Canoniſtæ vi muneris ſui non præſtant. *Alphonſus à Caſtro contra hæreſes lib. 1. cap. 8.* ſub finem, non ſine ſtomacho & contentione Canoniſtas infra theologos deprimit: Unde, „ inquit, patet miſerè erraſſe dominum Abbatem, qui exponens cap. „ quod incipit *cum Chriſtus*, Quod in volumine Decretalium epiſtolarum „ habetur in titulo de Hæreticis, dicit Papam poſſe condere novum articu- „ lum fidei. Verum parcendum eſt ei ignoranti, nec bene expendenti, de „ quâ re loqueretur: hoc ſolum video ei eſſe impingendum, quod ultra „ crepidam judicaverit. Non enim eſt Canoniſtarum munus de hæreſi aut „ de fide judicare, ſed theologorum, quibus divinum jus committitur, Ca- „ noniſtarum partes ſunt de jure Pontificio diſſerere. Videant ergo, ne „ cum utrâque ſellâ ſedere cupiunt (ut eſt in Proverbio) utrâque exclu- „ dantur.

CAP.

Digitized by Google

CAP. III.

De prædicatore, Diſputatore, Catechiſta, Scholaſtico eccleſiaſtico.

ISTos in capitis hujus hypotheſi nominatos, inter eccleſiaſticos juvantes *lib. & cap. cit.* recenſet *Poſſevinus*: aliqua itaque eorum mentio facienda, ut totam hierarchiam Romanam, ex eorum ſenſu & praxi ante oculos noſtrorum depingamus.

Prædicatores, ſunt ſacerdotes, ſive ſæculares, ſive regulares, quibus hoc §. 1. munus & opus aut indefinitè ſeu vagè, aut definitè in certâ eccleſiâ, aut in aulâ, aut in certo aliquo diſtrictu imponitur. De multis ipſorum concionibus jejunis, affectatis, vanis, aſininis, ridiculis, ſcandaloſis, multa dicenda eſſent. Præſtantiſſimas & celebres, publicè editas, ſi cui vacet perluſtrare, aut per homines otio abundantes ex illis floſculos aliquot enotandos ſibi curare, utique videret qualibus ventoſis, & putridis nugis, ac μωρολογίαις antehac oves Chriſti paſtæ fuerint. *Henricus Stephanus in tract. 1. Gallico tit. tract. præparator.* ad apologiam Herodoti, ſpecimen aliquod excerptorum exhibuit ex editis concionibus *Mailjardi*, & *Menoti*; cujus poſterioris editis concionibus præfigitur, titulus honorarius *declamationum*. Ex hominibus provectioris ętatis, in extremis Hollandię & confinis Brabantię partibus, qui tales concionatores uſque ad annum 1609. aut 1610. ordinariò audiverant, audire & diſcere potuimus, quibus falſis, ſcandaloſis, abſurdis blaterationibus & ſtultiloquiis riſum aut indignationem auditorum concitare ſolent. Adeo ut eorum conciones, ſermones familiares, apothegmata, mores, geſtus in vicis illis & viciniâ, ſucceſſivè referantur, quaſi ęternitati conſecrata. Belgium repletum fuit famâ *Cornelii Adriani Dordraceni*, Minoritæ Brugenſis vernaculè dicti & celebrati Broer Cornelis de Geſſelaer / cujus concionum excerpta publico & peculiari libro edita ſunt: pręmiſsâ hiſtoricâ narratione de geſtis ejuſdem fratris aut patris *Cornelii*, & ſpecialiter de diſciplinâ ipſius γυνοπυγικῆ: uti eam alicubi (*in præfat. ad Nili tract. de igne purgatorio Gr. Lat. in 8.*) appellat *Cl. Bonaventura Vulcanus* Brugenſis, Leidę aliquando in Gręcâ literaturâ pręceptor meus. Tales conciones eum habuiſſe, uti in dicto libro refertur, ex ſenibus quibuſdam, etiam Pontificiæ religionis, noſtro tempore didicimus; qui coram eum audiverant & viderant. Hodie, quin aliqui peritiores prudentiores & verecundiores habeantur iſtic concionatores, nolo dubitare: pręſertim, inter eos qui in territoriis aut civitatibus reformatis, aut in locis territorio reformato confinibus concionantur. Saltem viros quoſdam doctos hoc moliri

liri ut meliores habeantur concionatores, conſtat ex libris de arte, methodo, & modo concionandi editis in Papatu, jam inde ab Eraſmi tempore uſque in hodiernum diem. Vide aliquos ſupra *part. 1. lib. 2. tract. 2. ſect. 2.* citatos.

§. 2. *Diſputatores* peculiariter huic operi deſtinati & vacantes ordinariò & ſucceſſivè in ſingulis eccleſiis cathedralibus, aut collegiatis, aut monaſteriis, non conſtituuntur: niſi forte in collegiis Jeſuitarum, ex Doctoribus aut lectoribus theologis aliquis ad hoc opus ſeparetur; qui occaſione & neceſſitate ita ferente, paratus eſſe debeat. Alioquin profeſſoribus theologis, (præſertim, theologię ſcholaſticę & controverſiarum) ordinariò in Academiis onus diſputationum exercitii gratiâ, imponitur. Si cum adverſariis publicè diſputandum ſit, ad illud ſeliguntur ex theologis *maxime idonei*, pro arbitrio ſuperiorum. Sed hoc non eſt munus reale aut perſonale: ſed tantum tranſiens deſignatio & delegatio, ad præſentis negotii executionem. Extraordinarium eſt quod Jeſuitę *Verrono* à Pontifice conceſſa fuerit licentia, aut conceſſum quaſi privilegium, aut ſpeciale mandatum volenti & petenti impoſitum, ſecundum methodum illam à ſe primo, aut novè, (ſcil.) excogitatam, diſputandi cum miniſtris reformatis, coram eccleſiis ipſorum per totam Galliam. Quomodo illi ſucceſſerit, & quam citò *illud Kikaion* in Galliâ exaruerit, dies docuit. Nos ejus aliquod indicium facimus *in 1. part. ſelect. diſpp. tit. de Ratione humanâ in rebus fidei.*

§. 3. *De Catechiſtâ*, parum hic dicendum; quandoquidem omnes parochi debent catechizare, ſi pareant decretis Tridentinis. An à non volentibus aut non valentibus catechizare & an in ſingulis eccleſiis collegiatis, & parochialibus conſtituantur vicarii, tanquam catechiſtæ perpetui, mihi non liquet, nec ſit veriſimile. Vix dubito, quam omnes fere eccleſiaſtici inter ipſos, præſertim curam animarum habentes, tribus verbis, *Nec habeo, nec careo, nec curo* (tribus libris ingenioſi poëmatis Anglici *Georgii Whiters*, mihi olim partem aliquam lecti & perluſtrati pręfixis) de catechizatione ſuâ pronuntiaturi ſint. Quod ſi aliqui minus mali, in hoc opere catechizationis parvulorum & rudium laborarent, illi in judicio exurgere poſſent, contra tales concionatores, ſi qui eſſent extra Papatum, qui non tantum non catechizant juxta ordinem ſynodi Nationalis Dordracenæ, & compulſiones ſynodorum particularium, Magiſtratuum, ſynedriorum, contra poſtulata & vota eccleſiarum; ſed & catechizantes alios inſectantur, & verbis, conſiliis, factis, pro noſſe & poſſe impediunt, ſufflaminant, deprimunt. Conferri poſſunt, quæ *ſupra part. 1. lib. 2. tract. 3. de Catecheſibus* à nobis diſſertata ſunt.

Quod ad Jeſuitas, Illi in imagine primi ſęculi, de inſtitutis à ſe aut reſtitutis catechizationibus, iiſque aſſiduis & frequentibus, gloriantur.

Et

Et certum eſt, eos in locis illis, quę inſederunt, conſtituere ex ſociis, qui parvulorum catechizatione aſſiduè defunguntur.

Per ſcholaſticum eccleſiaſticum Poſſevini deſignari arbitror ludimagiſtros parochiales, qui omnes aut plerique, ſaltem in pagis, ſunt æditui, cantores, celebrationum miſſaticarum miniſtri. §. 4.

Sunt alioqui in Papatu Scholaſtici capitulares, qui præſunt ſcholis capituli; aut qui ipſos capitulares olim theologiam docebant. Quod munus hodie puto exoleviſſe, ſuperſtite adhuc titulo Scholaſtici, & præbendâ theologicali.

LIB. IV. TRACT. IV.

DE

ECCLESIASTICIS SUPEREROGANTIBUS.

SECT. I.

De Monachatu in genere.

CAP. I.

De hypotheſibus & fundamentis Monachatus.

Diſputatio de Monachatu ad ſecundum decalogi præceptum (cum ſit ſuperſtitioſus modus colendi Deum) referri poteſt; ut etiam ratione voti ad tertium; & ratione aliarum hypotheſeων ad primum, & ad tract. de Bonis operibus. Nos hâc vice referimus ad ſecundam partem politicæ eccleſiaſticæ, ubi agitur de Clericis (uti vulgò vocant) ſeu de perſonis eccleſiaſticis. Conſtituemus autem quatuor eius ſectiones. I. *De Hypotheſibus, fundamentis, & origine Monachatus.* II. *De Monachis in genere.* III. *De nonnullis Monachis in ſpecie.* IV. *De nonnullis Semi-monachis, in ſpecie.*

Diſputaturi de Monachatu *primo* fundamenta & hypotheſes, quibus Monachatus Papalis nititur, recenſebimus. *Deinde* occaſiones quaſdam acceptas ex ſcriptura & antiquitatis hiſtoria, delibabimus. §. 1.

Monachatus fundamina ſunt iſta quinque 1. Vita contemplativa. 2. Solitudo & ſilentium, & auſteritas. 3. Conſilium Euangelicum, & opus ſupererogationis. 5. Votum.

 Ac

Ac primo quidem, *contemplativam vitam* (quam Angelicæ vitæ titulo exornat Papatus) principem locum tenere exiſtimem. Hic non putamus neceſsè ſingulas vocis contemplationis acceptiones enumerare; quæ paſſim apud Theologos Myſticos, & aliquos Philoſophos occurrunt: ſufficiat unam aut alteram verbo indicare. In V. T. Aſtrologi vocabantur per excellentiam contemplantes, de quibus *Eſai. c. 47. v. 13.* חברי שמים *contemplatores* ſeu *obſervatores* cœlorum à radice חבר in ſcriptura in Kal inuſitato. Nominaliter dicitur חבר *Aſtrologus*, *contemplator aſtrorum.* Græcè *contemplator* dicitur θεωρὸς *ſpectator*, *contemplator*, à verbo θεωρέω ſpecto, cum admiratione video: Uſus vocis transfertur etiam ad viſionem mentis ut *Act. 7. v. 16. Luc. 20. v. 18.* notat in ſcriptura cogitationem meditationem frequentem *Hebr. 13. v. 7.* Deinde nomen contem*plativi* antiquitus apud Gentiles Philoſophorum quorumdam titulum *fuiſſe teſtis eſt* locupletiſſimè illa pervulgata & antiquiſſima Philoſophiæ diviſio in *ſpeculativam & practicam.* Illa proſecuta eſt cognitionem veri pro modulo luminis naturæ corruptæ: Hæc vero actionem boni ſecundum legis naturæ dictamen, de quo *Paulus Rom. 2. v. 14.* Hinc Philoſophi quidam Theoretici ſeu contemplativi, quidam vero practici dicti ſunt. Et quidem prioris generis Philoſophi eo nomine feliciores ſe aliis prædicabant, quod ipſi præſtantiſſimum ſuæ Philoſophiæ finem comtemplationem ſcilicet veri haberent: in quo ſummum etiam hominis bonum conſiſtere rati ſunt. Hanc Philoſophię partem *Platonici* pręcipue amplexi ſunt, qui etiam multa præclara viderunt; de quibus *Pleſſæus de veritate Relig. cap. 3. differit.* Ubi indicat hos per abſtractiones contemplatos fuiſſe. Poſtea ſucceſſu temporis nomen contemplativi etiam Dei cultoribus & in pietate ſeſe exercentibus inditum fuit: quales erant ante Chriſtum in carne natum *Eſſæi*, de quibus infrà. Hoc patet ex libro qui Philoni Judæo adſcribitur de vita contemplativa ſupplicum ſeu orantium. Hos *Joſephus lib. 2. de bello Judaico cap. 7.* vocat etiam Philoſophos. Poſt Apoſtolorum ſeculum Patrum diſcipulis idem nomen inditum eſt. Et *Chryſoſtomo* teſte *in lib. de vitup., vita monaſt.* Philoſophi vocabantur Monachi; hanc ob cauſam quòd eum locum tenebant Monachi apud Chriſtianos, quem Philoſophi apud Ethnicos, ut Nilum teſtari docent *Bell. cap. 1.* & *Hoſp. fol. 3.* Unde exiſtimo nomen contemplativi primum ab Ethnicis Chriſtianos accepiſſe, uſumque nominis re mutatâ retinuiſſe. Denique poſt patrum ſecula Philoſophia Ethnica, quę in animis Patrum etiam aliquas radices egerat, cœpit deprędari in multis theologiam Chriſtianam, pręſertim ſeculis ſequioribus. Unde poſtea variæ natæ ſunt Theologiæ, opinionibus, ſuperſtitionibuſque pleniſſimæ; & ſectæ diverſæ. Ex hac varietate Theologi quidam vitæ

con-

contemplativæ opinione imbuti, & rati maximam in ea conſiſtere perfectionem, cœperunt eam mirum in modum extollere, diſcipuliſque commendare. Unde mox voti compotes facti, innumeras ferè vitæ contemplativæ progenuerunt familias, quas etiam variis libris de vitę contemplativę ſtudio locupletarunt. Porro hanc vitam contemplativam ſcriptores varie deſcribunt. *Gerſon in lib. de Monte Contemplat. cap.* 10. dicit vitam contemplativam eſſe ſtatum hominum extra mundum. *Azorius lib.* 11. *cap.* 24. *quæſt.* 6. *pag.* 794. *col.* 2. Explicans ſententiam Gregorii & Thomę de vita comtemplativa: intelligunt inquit, Patres id vitę inſtitutum, non quod nudam & ſimplicem Dei ſpeculationem profitetur: ſed quod ſe exercet in contemplando Deo, eoque diligendo: ita ut ſit poſitum in rerum divinarum contemplatione cum Dei amore conjuncta.

In vita contemplativa hæc præcipuè notantur. 1. Præparatio. 2. Gradus ad vitam iſtam. 3. Subjectum. 4. Objectum. 5. Effecta. 6. Concomitantia. In præparatione hæc requiſita notat Gerſon lib. citato cap. 8. Fidem de Deo, de ſua potentia, ſapientia, bonitate, de Dei mandatis, de myſteriis generalibus, de noſtra redemptione, de paradiſo, & de inferno. Addit etiam ad vitam contemplativam neceſſariam eſſe corporis caſtigationem, quâ effrænes hominis affectus domantur, ab ſubeunda munia ſpiritualia, & *cap.* 21. aſſerit caſtigatione corporis mortificari carnem & in ſervitutem redigi ex parte, & abſolvi his mediis, jejuniis, vigiliis, ſuſpiriis, lachrymis *cap.* 17. *Azorius etiam lib.* 11. *cap.* 24. *quæſt.* 6. *pag.* 794. *colum.* 2 agnoſcit vitam activam eſſe prępartionem ad contemplativam; addit rationem ex *Gregorio Magno*; quia ex bono opere tenditur ad contemplationem. *Hugo de Sancto Vict. Tom.* 3. *Miſcell. lib.* 1. *Tit.* 27. Generalem Scalam ad vitæ contemplativæ perfectionem conſequendam aſſerit Eccleſiam, ex parte militantem in terris, ex parte verò triumphantem in cœlis. *Gerſon* vero tres gradus ſcalę ad vitam contemplativam enumerat c[illegible] 16. Humilium pœnitentiam, 2. Locum ſecretum ſeu ſilentium. 3. Fortem perſeverantiam. Hos gradus vocat ſymbolicè gradus ſcalæ ad montem contemplationis. §. 2.

Subjectum autem vitæ comtemplativæ non debet eſt quivis homo; ſed qui ad eam ſingularem habet propenſionem ut *Bell. notat. cap.* 3. *lib.* 2. *de Monach. in fine*; rationem addit *Gerſon cap.* 4. Nam alias *inquit* maxima mala incurrere poſſunt. Notat ibidem ad vitam contemplativam non magnam requiri literaturam: quod probat à comparatis, inquiens: ſimplices mulieres plus profecerunt in Dei amore per vitam contemplativam, quàm multi clerici; quia iſta vita melius acquiritur per ſimplicem humilitatem, quàm per literaturam magnam. Idem *Gerſon juvenes* ad vitam contem- §. 3.

templativam admittendos negat eam ob cauſam *cap.* 8. quia illi affectus ſuos non poſſunt domare, non poſſunt bella gerere cum diabolo, ut pote qui alios hoſtes mundum carnem non debellarunt. Etiam magnos peccatores, qui diu in peccatis vixerunt illicò admittendos ad vitam contemplativam negat. *Hugo de Sanct. Vict. Tom.* 3. *Miſcell. Lib. Tit.* 27. Subjecta vitæ contemplativæ diſtribuit in incipientes, progredientes, pervenientes. Ibidem vocat contemplativos Angelos aſcendentes & deſcendentes, deſcendentes cum paſſione animæ, aſcendentes ſupernorum contemplatione. Deinde objectum contemplationis eſt dilectio Dei eximia omnibus aſſentientibus. *Azorius etiam lib.* 11. *c.* 24. *quæſt.* 6. *fol.* 794. *col.* 2. ex eo probat vitam contemplativam eſſe perfectiorem activâ, quòd illa in Deo contemplando, amando, ac fruendo conſiſtat, nec in hac vita ceſſet: *illa* verò ſcilicet *activa* tantùm reſpicit proximos. Unde ipſos videre eſt ſeparare invicem primæ tabulæ præcepta, à præceptis ſecundæ tabulæ. Atque non tantum ratione objectorum, ſed etiam ratione ſubjectorum maximè diverſa exiſtimant, ut apparet ex *Bell. cap.* 39. non procul à fine. Ad opera charitatis, inquit, non obligantur privati (intelligit Eremitas & Contemplativos) ſed ſolum occaſione oblatâ. Denique effecta vitæ contemplativæ his vocabulis indicantur: *Cogitatio*, conſideratio, meditatio cordis, oratio mentalis, colloquium, ſoliloquium, devotio, endologia, introverſio, ſapientia. Quædam ſpecialiter notavit *Gerſon c.* 26. 1. Quòd contemplativi plus placerent Deo per vitam contemplativam, quàm alii per activam. 2. Quod dant etiam exemplum bonę vitę, prædicentque facto & opere Deum ſuper omnia diligendum. 3. Quod per ſuas devotas orationes aliis profint; imò *inquit*, aliquando Deus propter eorum merita maximum bonum etiam malis largitur. Idem *cap.* 27. Gratiam Dei, ſine quâ ſpeciali nihil poſſumus, citius boni contemplativi implorant, quam activi. Præterea concomitantia tranſcendentalibus quibuſdam elogiis deſcribuntur, Ecſtaſis, raptus, liquefactionis, &c.: de quibus in noſtrâ *Aſceticâ cap.* 3. Addit tamen quædam *Gerſon c.* 13. Deus dicitur *inquit*, interdum immittere quandam dulcedinem, aut odorem, aut ſaporem intimum, gaudium quoddam ſobrium, claritatem pacis, mentis guſtum. Huc refero quod dicit *Carthuſianus de fonte Lucis art.* 14. quod contemplativis tam exuberans gratia in hac vita ſæpè contingat, ut cogantur petere temperamentum à Deo, & de nimio conqueri. Hæc ſuffecerit hoc loco pro inſtituti ratione breviter attigiſſe. Alibi enim pluribus & ex profeſſo de contemplatione agendum. Vide in *Aſceticis cap.* 3. de *Meditatione*; & confer ex Pontificiis ſupra omnes *Maximil. Sandeum de Theologiâ Myſticâ*.

§. 4. *Solitudo* vitam contemplativam tanquam comes individuus neceſſariò ſequi-

ſequitur: & ejus eſt domicilium: Hinc plurimum etiam ad perfectionem illam contemplativam conferre exiſtimatur. Quid ſit ſolitudo, id in deſcriptione ejus ſubjecti breviter indico. Veri ſolitarii & ſolitudinis ſtudioſi Pontificiis dicuntur, qui à rerum & negotiorum turba ſemoti vitam ſolitariam hic in terris degunt, naturæ quod exigit recuſant, carnem macerant, & ita domant, ut in poſterum non niſi animi theca videatur, animo & affectu jam in cœlis rapti, non aliter hic quàm Angelorum inſtar commorantes. At ſi quid ampliùs dici poſſit, id omne, inquiunt, in Angelica & Cœleſti Monachorum & monialium vita reperitur. Solitudinem verò ex circumſtantia diſtinguunt in *Solitudinem loci*, *temporis*, *&* *mentis*. *Solitudinem loci* vocant cum aliquis vitatâ omni ſocietate aliorum ſecedit in eremum vel in locum peculiarem: ubi jam immunis factus ab omni hominum frequentiâ meritorias ſuas preces ſemper continuat, & beatitudinis contemplatione ſeipſum delectat. *Solitudinem vero temporis* appellant cum quis dies noctéſque ſolitarius duntaxat permanet. *Mentis denique ſolitudinem* vocant, cum mens ab omni ſolicitudine ſequeſtrata, unice rerum ſpiritualium ſtudio ſe emancipat. Hanc ſolitudinem cordis nominat Kempis in lib. de diverſis ſermonibns. *Part*. 3. *Serm*. 9 ubi mentis ſolitudinem extollens: niſi *inquit* menti ſederit hæc ſolitudo, corporis etiam ſolitudo, multitudo ſit.

Cap. II.

De cauſis efficientibus, fundamentis, & occaſionibus Monachatus.

Cauſam efficientem ſolitudinis ſeu vitæ ſolitariæ quoad primam inſtitutionem dicunt fuiſſe *Eliam*, præcipuè verò *Johannem Baptiſtam*. *Bellarmin. lib. de Monachis cap*. 39. *Proſperus Stellarius in Annalibus Monaſticis lib*. 1. *ſeculo primo pag*. 3. Indicat Chriſtum ex Ægypto per ſolitudinem reducem factum, ſolitudinem per tranſitum ſuâ præſentia nobilitaſſe. Tunc enim *inquit*, quodammodo ſemen benedictionis ſuſcipiens, innumera poſt modum ſacra Monachorum produxit germina, quibus impleretur vaticinantis illud Prophetæ: excludit ſolitudo, &c. *Eſa*. 35. Deinde varias etiam ſolitudinis (ut ajunt) notant cauſas impulſivas: communem omnes fatentur commoditatem ſacrorum ſtudiorum & perpetuum precum exercitium. Speciales quaſdam notavit *Bell. cap*. 39. in medio. 1. quod ſit aptiſſimum medium meditandi & contemplandi ultimum finem. 2. quod conjuncta ſit cum ſingulari perfectione. Dicit enim *Bellarm.* loco citato, quòd vita Eremitica ſeu ſolitaria, ſit culmen §. 1.

Digitized by Google

& faſtigium vitæ religioſæ. 3. Ad cauſas impulſivas reduco; quod varias occaſiones prębeat miracula patrandi *Bell.* quædam notavit loco citato, quę minimè facta putat, niſi Deo ſingulariter vita ſolitaria placuiſſet. Inter cætera *inquit*, videmus magnam partem veterum Eremitarum evaſiſſe viros perfectiſſimos & miraculis clariſſimos. Denique officia quædam ſolitariorum notavit *Joh. Tritemius Abbas Spanheimenſis lib. 1. Sermonum variorum Hom.* 6. Inſtrumenta, inquit, ſpiritualium in cellâ exercitiorum ſunt quatuor. 1. Legere. 2. Scribere. 3. Orare. 4. Meditari. His ibidem laborem manualem adjungit: Manualis autem labor inquit, Monacho commoranti ſub ſolitudine, & laboranti, utilis eſt. Præterea concomitantia ſolitudinis ſunt. *Silentium, & vitæ auſteritas. Gerſon lib. de Mont. contempl. c.* 20. Duos modos tradit ſilentii, unum qui eſt corporis; alterum qui eſt animæ: Poteſt aliquis, inquit, ſolus eſſe corpore, anima tamen hinc inde vagatur, & impias cogitationes fingit. Sed qui ſolus eſt animâ, (id eſt, à curis mundanis & malis cogitationibus.) Ille reſpectu hominum aliorum dicitur ſolus, cum aliàs cum Deo & cum ſanctis Angelis ſit ipſius converſatio. *Auſteritas* quoque ſolitudini annexa eſt: cujus finis & effecta notat *Bellarm. cap.* 39. prope finem. 1. oblivionem ſcilicet deliciarum corporis. 2. Deo gratiſſimam cupiditatum victoriam. 3. dignos pœnitentiæ fructus & pro peccatis ſatisfactionem. Huc refero excellentiam ſolitudinis, quam deſcribit *Franciſcus Petrarcha* peculiari tractatu de vita ſolitaria, ubi inter cætera: „Cujus ego veram intimam„que dulcedinem, utinam profundius hauſiſſem, nunc de re ſanctiſſima „profanum ingenium fari pudet; quis enim fando æquet, quod vix perci„pit cogitando? cœleſtis & prorſus Angelica vita eſt. Inſuper in comparatione ad ſolitariam vitam Romanum conſortium Cardinalium tartareum tumulum appellat. *Lib. 1. cap.* 2. in fine. Idem ſolitudinem nominat, patriam, libertatem, delectationem, & otium dulciſſimum.

§. 2. Sequuntur Conſilia. Patroni Monachatus præter Dei perfectiſſimi legiſlatoris præcepta, docent quædam eſſe Chriſtianæ perfectionis conſilia: ut ipſi vocant, nec in lege Dei per *Moſchen* tradita, nec etiam in Prophetis imperata: Sed à Spiritu ſancto in verbo ipſis indicata. Deinde per Chriſtum in Euangelio pleniſſimè revelata. Denique per Apoſtolos diligentiùs annunciata, inculcata, maximè commendata, ac ipſorummet exemplis confirmata: unde ipſi appellant *conſilia Euangelica.* Horum conſiliorum brevem definitionem tradit *Bellarm. cap.* 7. *Conſilium*, inquit, *perfectionis vocamus* opus bonum *à Chriſto nobis non imperatum, non mandatum ſed commendatum*, in hac *Bellarm.* definitione duo maximè conſideranda ſe offerunt. 1. quid per perfectionem intelligat. Deinde quòd hæc conſilia

ſua

ſua Chriſti præceptis contra diſtinguat. Quid *Bellarm.* intelligat nomine perfectionis, cujus meminit, ipſiuſmet verbis explico infrà *cap.9.* non procul à principio *cap.* ſuper locum *Matth.5.* Eſtote perfecti. Quædam perfectio eſt neceſſaria ad ſalutem, quæ conſiſtit in plenâ obſervatione mandatorum: quædam eſt perfectio major, quæ neceſſaria eſt non ad ſalutem ſimpliciter, ſed ad excellentiorem gradum gloriæ in regno cœlorum, & hæc conſiſtit obſervatione conſiliorum. Fusè etiam illam perfectionem tractat *Azorius lib. 11. c.24. quæſt. 1. fol. 792.* Deinde conſilia ſua contra diſtinguit etiam Bellarm. præceptis Chriſti: & illam differentiam per partes ibidem enumerat: Differunt inquit ratione materiæ ſcilicet præcepta Chriſti & conſilia. 2. Ratione ſubjecti. 3. Ratione formæ. 4. Etiam ratione finis. Nulla harum differentiarum, quas Bellarm indicat, quam ſpirat conſiliorum perfectionem, quàm quæ deſumpta eſt ex fine. Quod ſic oſtendit Bell. præceptum obſervatum habet præmium, non obſervatum habet pœnam: conſilium autem ſi non ſervetur, nullam habet pœnam, & ſi ſervetur majus habet præmium. Hinc per excellentiam conſilia perfectionis appellant. Idem aſſerit etiam *Azorius lib.4. c.9. fol. 192. col.2.* non obligari, *inquit*, ad conſilia abſolutè: addit tamen ſi quis ex contemptu rejiciat, eum peccare graviſſimè. Magis determinat prioris ſententias *Thomas Zanchez lib. 6. c.5. pag. 86. num. 1.* ubi dicit non teneri religioſum ad conſilia illa ſtatim præſtanda, ſed teneri ad id tendere, ut perfectionem charitas acquirat. Et paulo poſt num. 6. Non tenetur religioſus niti ad perfectionem per omnia ſupererogationis opera, ad illam acquirendam valentia. Sed per illa quæ ſunt præſcripta ſecundùm uniuſcujuſque religionis ad acquirendam charitatis perfectionem. Qui autem iſtas regulas præſcripſerunt quorum meminit *Zanchez*, inter illos coriphæi fuerunt *Dominicus & Franciſcus.* Deinde hæc conſilia non dicuntur complecti (ut *Bellarmino* placet loco citato inquienti, præceptum commune eſt omnium, conſilium non item) homines quoſvis, ſed illos, qui zelo perfectionis obtinendę accenſi certo ſtatui religioſorum ſe adjungunt, ut vitam æternam pro mercede, ac gloriam in cœlo pleniorem non tantum conſequantur, verùm etiam aliis plurima mereantur. Denique de horum conſiliorum numero vix conſtat inter Pontificos. *Bellar. c.8.* in fine indicat multa eſſe verè & propriè dicta conſilia, olim numero erant 12, quæ recenſet *Hoſp. lib.6. de Origine Monach: c. 18. fol. 138.* Sed tamen ad tria ſumma capita à neotericis revocantur, videlicet voluntariam paupertatem continentiam, & obedientiam. Hæc ſunt illa admirandæ Monachalis perfectionis conſilia, quæ etſi non ſint à Deo præcepta, eo ipſo tamen nec indifferentia ab ipſis habentur. *Bellar.* loco ſuprà citato. Videatur de nu-

 mero

mero conſiliorum *Ameſius in Enervato Bellarmin. lib. 4. de Monach. c. 2. Arg.* 6. Inſuper jugem horum conſiliorum obſervationem, executionemque titulo *operum ſuper-erogationis* inſigniunt adverſarii: hancque appellationem deſumptam putant ex allegoria Samaritani *Luc.* 10. *v.* 35. ubi duos denarios interpretantur duas Decalogi tabulas. Et ut vertitur in verſione vulgatâ *ſi quid ſuper erogaveris*, notanter inquiunt opera indebita, ad quæ homo Chriſtianus præcepto divino non obligatur, & eo nomine Deo gratiſſima; quia cum ſine diſpendio ſalutis poſſent prætermitti, heroicâ tamen quadam animi alacritate ſuſcipiuntur, perficiuntur. Sed de operibus & meritis ſupererogationis alibi etiam & ex profeſſo agendum.

§. 3. Præcipuum Monachatus fundamentum eſt *religio*. Nomen religionis duobus modis accipitur apud *Azorium lib. 9. Inſt. Moral. cap. 5.* in initio. *Uno* modo ut ſignificat eam virtutem moris, quâ *juſtus*, & debitus honor cultuſve Deo tribuitur: *Altero* modo ut notat ſtatum & vitæ conditionem, multorum hominum ſpeciali modo, & regula colentium Deum. Hoc poſteriore ſignificatu in præſenti nomen religionis accipitur. Idem Azorius lib. 11. c. 24. quæſt. 2. in fine hanc religionem multifariis elogiis cohoneſtat. *Quare religio eſt quadam virtutum paleſtra, pœnitentiæ gymnaſium, charitatis ſchola, perfectæ vitæ inſtrumentum, divinorum conſiliorum exercitatio, & diſciplina morum, quibus religioſus nititur, & contendit, quàm maximè poteſt, ut perfectam omnium conſiliorum obſervationem attingat, quamvis ad eam non perveniat.* Definit autem laudatam hanc religionem Bellar. cap. 2. in initio. *Quod ſit ſtatus hominum ad perfectionem Chriſtianam per paupertatis, continentiæ, & obedientiæ vota tendentium.* Huic definitioni ſubſcribit *Zanchez lib. 5. c. 1. num.* 14. Eſſentialia hujus definitionis paſſim in proceſſu explicabuntur. Genus ejus verbo ſaltem eſt indicandum, quod nomine ſtatus indigitatur. Pontificii per ſtatum hic intelligunt, ſtatum quendam ſpiritualium hominum peculiarem, communi fidelium ſtatui contradiſtinctum, & adeò tranſcendentalem, ut reſpectu illius juſti, & pii etiam homines non ſint apud ipſos perfecti. In illo tranſcendentali perfectionis & ſtatu collocat *Bellarmin.* Epiſcopos *cap.* 2. 3. Etiam Eremitæ ad hujus perfectionis ſtatum evecti ſunt. *Bellarm. teſte c.* 39. Mirum in modum deſcribit *Azor. lib.* 11. *c.* 24. *quæſt.* 1. *colum.* 2. illum ſtatum. In præſenti inquit, perfectio Chri-
„ ſtianæ vitæ non dicitur ea, quæ in ſolâ præceptorum obſervatione
„ conſiſtit, ad quam profani etiam homines aſpirare & pervenire poſſunt:
„ ſed quæ conſiliorum obſervantiam colit, ſuſcipit & tenet. Unde fit,
„ ut religioſus quamvis charitas ſit expers, in ſtatu tamen perfectio-
„ nis eſſe verè dicatur; quia tribus votis adſtrictus vitæ perfectioni ſtudet.
Videatur idem *lib.* 12. *cap.* 5. *quæſt. ultimâ fol.* 613.

Eſſ-

Digitized by Google

Efficientes Cauſa hujus religionis duplices ſunt: vel enim primitùs eam fundarunt ſeu inſtituerunt: vel perfecerunt ſeu abſolverunt. Primam fundationem plerique deferunt Enocho: quem ajunt religionem quandam præ vulgi religione ſublimiorem, inſtituiſſe. *Bellarmin. cap. 5. Azorius lib. 11. cap. 23. quæſt. 5. fol. 790. Zanchez lib. 5. cap. 1. num. 15.* Hanc religionem tempore diluvii in familia Noachi conſervatam fuiſſe affirmat *Proſp. Stell. lib. de fundam. relig. cap. 1. fol. 2.* Uxoremque *Noachi* monialium matrem primigeniam (poſtea virginem Veſtam dictam) fuiſſe ibidem conjectat. *Abſolutionem* ſeu *perfectionem* Monachatus Chriſto tribuit idem *Stellarius cap. 2. fol. 15.* Non enim inquit ab homine neque per hominem Monachiſmus in mundo caput erexit, ſed auctore Dei Filio: qui inter reliqua ſalutis documenta, hanc quoque vivendi regulam, quo perfectiorem, eo certè diligentius & accuratiùs ſuo primum exemplo reliquit expreſſam. *Bellarm.* loco citato propriè tribuit Apoſtolis. Etiam *Zanchez lib. 5. c. 1. n. 15.* §. 4.

Materiale autem hujus religionis eſt conſiliorum Euangelicorum obſervatio. *Formale* verò conſiſtit in excellenti illâ perfectione, quam in definitione indicavimus, videlicet in trium votorum perpetuitate & immobilitate. Finis ſummus ab omnibus agnoſcitur ſumma Dei dilectio, & arctiſſima cum Deo tanquam cum ſummo fine conjunctio: ut refert ex *Thomâ Bell. c. 2. in initio & c. 3.* circa initium. Deinde ſubjectum putatur inſtitutum Sanctorum hominum: quales fuêre Apoſtoli, *Paulus Thebæus, Antonius, Hilarion, Dominicus*, &c.

Adjuncta autem præcipua ſunt: antiquitas, ſanctitas ſeu ſpiritualitas, immobilitas, varietas. Pontificii (quorum religio eſt antiquitatem ſemper crepare) antiquitatem hujus religionis accerſunt à primo Patriarcharum ſeculo, & conſequenter ab omnibus ejus cauſis.

Sanctitatem plurimùm cenſent ex cauſis etiam procreantibus & conſervantibus, quos hinc inde homines ſanctiſſimos appellant, ut *Bellarm. cap. 5.*

Spiritualitas verò præcipuè conſiſtit in remotione omnium impedimentorum amoris Dei: quod præſtari *ajunt* trium virtutum ſcilicet paupertatis, continentiæ & obedientiæ ſtudio. *Bellarm. cap. 2.* fusè indicat. Præterea aſſerunt huic religioni annexam eſſe quandam immobilitatem *Bellarmin. cap. 2.* dicit religionem eſſe ſtatum, & rem immobilem perpetuamque. *Joh. Cruz. cap. 1. fol. 2.* affirmat huic religioni obligari hominem cum quadam immobilitate & firmitate. Sic etiam *Zanchez pag. 6. num. 18. Caſſianus* explicat illam immobilitatem *Coll. 14. cap. 5.* Cuique inquit utile eſt, ut ſecundum propoſitum, quod elegit, ſummo ſtudio ac diligentiâ ad operis arrepti perfectionem pervenire feſtinet, & nequaquam

à ſuâ, quam ſemel elegit, profeſſione diſcedat. Sed iſtam immobilitatem intelligunt de ipſo religioſo per ſe conſiderato, utpote, qui non habet iſtam religionem mutandi, vel exuendi poteſtatem, niſi præeunte poteſtate Pontificis, cujus potentiæ omnia apud illos parent. Inſuper varietatem ordinum in hac religione ſummè neceſſariam putant varias ob cauſas; 1. quia ad perfectionem, dignitatem, pulchritudinemque Eccleſiæ, qui in ordine conſiſtit, varietas maximè conferret *Joh. Cruz. cap. 1. fol. 3. Azorius fol. 794.* in initio. Aliam cauſam refert *Bellarm. cap.* 4. in fine, ut ſcilicet omnium hominum generi, ingeniorumque ac morum diverſitati conſuleretur. Deinde ut variatum religionum conſtitutione fervor pietatis in Eccleſiâ ſemper conſervetur. Hanc rationem probat ab exemplis quorundam, inter quos, *Dominicus* & *Franciſcus* recenſentur. Hujus Monachalis pietatis pertæſus Innocentius III. in Concilio Lateranenſi anno *1215. his* „ verbis illam mitigavit. Ne nimia, inquit, religioſorum diverſitas, gravem „ in Eccleſiam Dei confuſionem inducat, firmiter prohibemus, ne quis de „ cætero novam religionem inveniat. Hoc exſtat in Decretalibus Gregorii IX. *lib. 3. tit. 36. cap. 9.* Deſcribit *Polydorus lib. 7. cap. 5.* hujus varietatis uſum. „ Conducibile eſſet, inquit, haſce hominum feces, tanquam membra „ Chriſtianæ religionis agnata conterere, abſcindere, cremare, ne ſuis ſordibus „ cultus divini nitorem & munditiam diutiùs conſpurcarent. Plura refert *Hoſp.* in fine ſui libri. Poſtremò etiam requiſita quædam hujus religionis recenſet *Joh. Cruz. cap. 2. fol.* 8. & 9. Ad requiſita etiam refero profeſſionem: quæ eſt vel expreſſa vel tacita: de quibus *Azorius lib. 11. cap. 4. quæſt. 1. fol.* 808. *colum. 2.* Etiam *Zanchez lib. 5. cap. 3. num. 1. 2.* & etiam *num.* 14.

§. 5. Religionem excipit *votum*, in quo proram & puppim Monachatus conſtituunt: ut apparet ex *Stellario cap. 2. fol. 21.* referente ex *Alvario Pelagio*: „ Votum inquit eſt conſilium conſiliorum, & forma & perfectio eorum; „ quia quodcunque ſit conſilium ſuper quod cadat, id eſſentialiter perfectius „ reddit & Deo acceptius. Voti nomen in ſcripturâ frequenter uſurpatum, dicitur Hebręis נֵדֶר vel נֶדֶר à radice, נָדַר quod ſignificat vovere. Græcè *εὐχὴ*. Latinè votum, à Βοᾷν, (ut nonnulli volunt) quia contentiore voce fundebant populi preces Diis ſuis. Sed quid ſit de illa Etymologia docet *Rivetus in Explicatione Decalogi in loco de votis pag.* 101. *Bellarm. autem c.* 14. nomen voti in linguâ Latinâ ob ambiguitatem tria notare indicat. 1. Orationem. 2. Deſiderium. 3. Religioſam promiſſionem: ut in præſenti ipſi accipiunt. Definit verò in genere *Votum* Lombardus lib. 4. diſ. 38 & ejus Epitomator Claud. Spinæus. Lib. 4. cap. 1. *Votum* inquiunt, *eſt teſtificatio quædam promiſſionis ſpontaneæ, quæ ad ſolum Deum, & ad ea quæ Dei*

Dei ſunt magis propriè refertur. Eandem definitionem ſervat Hugo de Sanct. Vict. Tom 3. lib. 2. de Sacram. Part. 12. cap. 3. Azorius lib. 11. cap. 12. in initio. Eſt *inquit actus religionis*, *quæ Deo juſtum & debitum cultum tribuit*: quoniam ei *ait* vota nuncupamus, ut bonorum omnium largitori, vel pro beneficiis acceptis, vel pro impetrandis. *Bellarm.* verò loco paulò ante citato *cap.* 14. magis appropriat ſuam definitionem voto Papiſtico: *inquiens*, *Votum eſt religioſa promiſſio alicujus excellentioris boni, Deo facta liberâ voluntate.* Ibidem explicat ſuam definitionem. Deinde quædam voti requiſita, ad eſſentiam voti pertinentia recenſet *Azorius lib.* 11. *c.* 12. *quæſt.* 2. *Primum*, inquit opus eſſe ut votum ex animi deliberatione fiat. *Secundo* ut is, qui vovet, in animo habeat & conſtituat promittere, vel ſe Deo promittendo obligare. *Tertio*, ut non ſolum quis ſtatuat, atque decernat promittere, ſed reverâ promittat. *Quarto*, ut res voto promiſſa & dicata Deo bona ſit, hoc eſt quæ fieri jure poſſit. *Poſtremò* ut id, quod vovetur non ſolum bonum ſit, ſed meliùs ac præſtantius. Denique variè dividunt etiam votum: *Spinaus Epitomator Lombardi lib.* 4. *c.* 1. Dividit in *commune* & *ſingulare*: Commune dicitur inquit illud, quod omnes in baptiſmò faciunt, abrenunciando diabolo & pompis ejus: plures allegat Pontificios *Rivetus* in hanc ſententiam loco citato. *Pag.* 101. Singulare votum vocat *Spinæus*, quo quis ſponte promittit ſe ſervaturum rem ſingularem: ut virginitatem. Sed *Azorius* contra Lombardum & veteres Theologos, ut ipſe nominat, negat baptiſmum eſſe propriè votum *lib.* 11. *c.* 14. *quæſt.* 3. *fol.* 758. *Etiam Bellarm. c.* 19. *in initio. Azorius* vero ipſe & *Zanchez* dividunt votum in *ſimplex* & *ſolemne*. *Simplex* vocant quod aut privatim, aut publicè ſine formulâ aliquâ juris Eccleſiæ & ejus approbatione fit, *Solemne* verò cui additur ſolemnis aliqua juris formula, qualitas ſive conditio, nimirum alicujus ordinis ſuſceptio, vel approbatæ religionis profeſſio, ut ipſi vocant. Videatur de voto ſolenni *Azorius*, *fol.* 814. *colum.* 2. Formulam voti ſolemnis deſcribit *Azorius lib.* 11. *c.* 13. *quæſt.* ultima. Aliam cauſam etiam notat Zanches cur votum dicatur ſolemne *lib.* 5. *c.* 1. *num.* 13. *Ibidem num.* 17. Excellentiam hujus ſolemnis voti deſcribit, per profeſſionem inquit voti ſolemnis religioſus nuntium prorſus ſeculo remittit, eique moritur, ad vitam ſpiritualem ſe omninò transferens, mancipanſque ſe Dei obſequio. Reliquas voti diviſiones compendiosè recenſet *Azorius lib.* 11. *c.* 13. *fol.* 760.

Materiam ſive rem voto ſubjectam negativè deſcribit *Azor. lib.* 11. *c.* 14. Inſtit. moral. quod illa non debeat eſſe res neceſſaria aut impoſſibilis, §. 6.
illicita, quæ abſque mortali aut veniali peccato *(ut ipſi ajunt)* eſſe nequit.

Digitized by Google

quit. Neque etiam res media & indifferens ſub votum cadere poteſt. Idem ait *Bell. cap.* 14. ſub finem. Deinde *Subjectum* voti recipiens in genere indicat *Bellarm. c.* 35. quòd ſit homo uſu liberi arbitrii præditus. *Azorius* autem ſubjectum voti deſcribens, quoſdam *inquit*, jure naturali vovere non poſſe, alios verò jure canonico à vovendo prohiberi. Denique *objectum* eſt vel primarium, vel ſecundarium: *Primarium* eſt Deus, cui votum tanquam omnium bonorum cogitationum ſatori, largitori & auctori vovetur *Azorio teſte lib.* 11. *Inſt. moral. c.* 17. *quæſt. ult. Secundarium* (quod poſſumus ex ipſorum ſententia mediatum vocare) ſunt ſancti in cœlis pro ratione cultus, in terris verò ipſi religionum Prælati. Hic admodum perplexè & ambiguè plurimi adverſariorum loquuntur, ne ſe ludibrio exponant. Azorius tamen videtur ipſorum votorum myſterium detegere Inſt. Moral. lib. 11. c. 13. quæſt. ult. *Votum* inquit *Deo fit: Sanctis verò cœli incolis, aut religionum Præfectis fit tanquam miniſtris, ipſius locum tenentibus: Deo fit jure, & nomine ipſius; hominibus autem fit nomine Dei.* Hoc omnium evidentiſſime expreſſit Bell. tom. 2. l. 2. de Monach. c. 14 cis finem: *Vota ait fiant verè ſanctis, ſed ut ſancti ſunt, id eſt, ut excellentiſſimo modo participant Dei naturam.*

Hæc voti adjuncta recenſet *Azor. Inſt. moral. lib.* 11. *c.* 18. 19. & 20. quæ ſunt *Commutatio, Abſolutio*, & *Interpretatio*. Commutationem vocant, cùm unum votum in melius, vel in aliud (non permittente neceſſitate ut illud ſervetur) ex diſpenſatione ſuperiorum commutatur. Hæc voti mutatio fit ſępè in pejus, cum tranſitus ſæpè fiat de religione ſtricta in laxiorem. *Abſolutionem* verò appellant, cùm religioſus vinculo voti ſolvitur: quod aliàs diſpenſatio voti dicitur. Diſpenſationem hanc definit *Joh. Cruz. de ſtat. relig. l.* 2. *c.* 1. *conc.* 2. per voti autem interpretationem intelligunt à Theologis datam explicationem quorundam obſcurorum, incertorum, dubiorum, & ambiguorum de votis, & eorum obſervantia, diſpenſationeque à Pontifice Romano, vel Concilio aliquo traditorum & decretorum. Quæ *ajunt* niſi commodè explicentur, & circumſtantiæ applicentur, facilè voventem perjurii crimine lædere poſſunt. Nam quæ laxiùs intelligenda ſunt, ſtrictiùs ea intelligi poſſunt & vice verſâ. Et hoc eſt myſterium myſteriorum quod mundus tantoperè miratur. Ad *adjuncta* refero debitam voventium ætatem, quam fere omnes hoc tempore agnoſcunt in maribus ſcilicet annum 14. in fœmellis verò annum 12. *Azor. autem lib.* 11. *c.* 16. *quæſt.* 8. *Inſt. moral.* infra annum etiam 14. & 12. ſimplex votum emitti poſſe concedit. Addit tamen quod irritum fieri poſſit non conſentientibus parentibus. *Concilium Tridentinum* juſtam voventium ætatem utriuſque ſexus *ſeſſ.* 25. *c.* 15. annum 16. judicavit, &

con-

Digitized by Google

conſtituit. Verum ex illis candidi interpretes aliquot annos ſubtraxerunt, ut videre eſt apud *Zanchez Inſt. moral. lib. 5. cap. 3. num. 2.* & 37. 38. 59. & apud *Azor. Inſt. Moral. lib. 11. cap. 15. quæſt. 8. Imò Bellarmin. tom. 2. lib. 2. de monach. cap. 36.* non veretur affirmare etiam invitis parentibus pueros anno 14. & puellas 12. anno ad religionem poſſe tranſire, & votum emittere. Supponit tamen illam conditionem, ſi parentes ſint in tali conditione conſtituti ut abſque filiorum adminiculo vivere poſſint.

Præmiſſis in *genere* ad eſſentiam voti pertinentibus, jam nobis de ejus *ſpeciebus* breviter agendum eſt. Tres vulgò voti ſpecies apud illos numerantur: *Voluntaria* ſcilicet *paupertas*, *continentia*, & *obedientia*. Hæc tria vota dicuntur monachatus eſſentialia, eo quòd ſtatui religioſo ita annexa ſint, ut abſque illis religio conſiſtere minimè poſſet: ut *Zanchez tom. 2. oper. moral. lib. 5. c. 1. num.* 16. cum aliis exiſtimat. Nomen autem pauperis tria notat apud *Bell. tom. 2. lib. 2. de Monach. c.* 20. 1. *Afflictum* Pſalm. 25. v. 15. 16. 2. *Humilem* Eſa. 66. v. 2. 3. *Eum qui non eſt dives*, idque tribus modis: aut *actu*, ſed non *affectu*: deinde aut *affectu*, ſed non *actu*; denique aut *affectu* & *actu ſimul*: Et hoc poſtremo ſenſu vocem paupertatis hic accipiunt. Hanc paupertatem titulis etiam quibuſdam exornant: nominantque *Euangelicam paupertatem primum religionis* (ſcilicet monaſticæ) *fundamentum. Gregorius* XIII. & *Concil. Trid.* dixerunt religionis murum ac propugnaculum, quo ſublato tollitur religionis ædificium. *Zanchez tom. 2. oper. moral. lib. 5. c. 18. num. 7.* agnoſcat inter reliquas cauſas, ob quas religio à primævo ſui inſtituti fervore labi ſolet, principem locum tenere paupertatis duntaxat relaxationem. Definit autem hanc paupertatem Azor. Inſt. Mor. tom. 1. lib. 11. c. 24. quæſt. 8. *Quod ſit omnium rerum abdicatio.* Zanches verò tom. 2. oper. moral. lib. 7. c. 18. num. 25. *Paupertas* inquit, *quam religioſi vovent eſt non habendi proprii.* Et Paulò poſt ſe ipſum explicans: *Religioſus voto paupertatis nihil aliud vovet quam oppoſitum ei, quod in iis cernimus, qui ſunt domini vel proprietarii.* Joh. Cruz de ſtatu Relig. lib. 1. cap. 1. fol. 13. *Religioſus* ait *per votum paupertatis abdicat à ſe cujuſvis rei temporalis dominio, & peccat mortaliter tale votum violando.* Quid autem nomine dominii intelligant in cujus negationem ſeu abdicationem ultimatè monachalis paupertas reſolvitur, id explicat Azor. Inſt. Mor. tom. 1. lib. 12. c. 12. quæſt. 1. *Dominium* ait, *eſt ius, quo qui rem aliquam habet, poſſidet, & eâ frui & uti poteſt non alieno ſed nomine ſuo.* Quid verò etiam nomen proprii notet apud ipſos, ſeu propria bonorum poſſeſſio, id verbis Azorii etiam explico loco proximè citato: *proprii* inquit *appellatione* non ſolùm intelligi

§. 7.

dominium, & proprietatem rei; ſed etiam uſum, & uſum fructum, poſſeſſionem, adminiſtrationem, pro ut ſunt juris non facti.

Tres paupertatis ſpecies ſeu gradus agnovit *Innocentius* V. quem citat *Azorius Inſt. moral. lib.* 11. *c.* 24. *q.* 8. *Primum* gradum altam paupertatem vocavit, quæ admittit quædam bona propter Deum. *Secundum*, altiorem, quæ nulla propria habet in particulari bona, tamen habet in communi. Hanc perfectiſſimam paupertatem appellat, & à Chriſto Apoſtoliſque ſervatam. *Cruz de ſtatu Relig. lib.* 1. *c.*4. *dub.* 2. *Altiſſimam* paupertatem dixit quę nihil in hoc mundo, nec in particulari, nec in communi habet. In hac altiſſima paupertate Chriſtum militaſſe Azorio referente *Inſt. moral. l.* 11. *c.* 24. *q.* 8. aſſeruit *Paulus* XIII. *Deinde* diſtinguunt communiter uſum rei, in uſum juris, & uſum facti. Priorem dicunt involvere rei dominium & poſſeſſionem juris, repugnareque paupertati religioſorum. Poſteriorem, uſum nempe facti, optimè convenire cum ſtatu religioſo, quod *Azorius Inſt. moral. lib.* 11. *c.* 24. *quæſt.* 8. pluribus perſequitur. Hinc verò *uſum facti* in totum ſuſpendunt à licentia prępati cujuſque ordinis. In caſibus tamen quibuſdam hanc Prępati licentiam & authoritatem limitant, ut videre eſt apud *Azor. Inſt. moral. Tom.* 1. *lib.* 12. *cap. quæſt.* 2. 3. 4. & *Joh. Cruz cap.* 3. *dub.* 3. *Summa*, hæc ipſorum paupertas *limitatur pro* ratione regularum quas profitentur, & benignâ diſpenſatione Pontificis; ut quibus nihil habere licuit juxta regulam & rigorem primæ inſtitutionis, accedente tamen diſpenſatione Pontificis in communi habere poſſunt. Quod fatetur factum Dominicanis *Joh. Cruz ordinis Dominicanorum lib.* 1. *de ſtat. Relig. c.* 4.

§. 8. Inter cætera eſſentialia Monachatûs vota & requiſita utramque paginam facit *caſtitatis oſtentatio*: cujus privilegio totus clerus Pontificius mirum in modum gaudet, ſanctitatiſque famam aucupatur. Hic de cœlibatu, ejuſque omnibus ſpecibus ac ſubjectis nolumus agere, (cum directè hoc ad ſeptimum præceptum pertineat) ſed quantum attingit Monachatum. Definit autem caſtitatem Azorius Inſt. moral. Tom. 1. lib. 3. c. 27. q. 4. *Quod ſit virtus quæ libidinis ſenſum compeſcit ac reprimit.* Sed hæc definitio eſt nimis generalis: neque caſtitatis Monachalis propria eſt. Specialiùs verò definit caſtitatem, & Monachatui applicat Joh. Cruz. de ſtat. Relig. c. 5. fol. 37. *Religioſum*, inquit, *per votum caſtitatis abdicare à ſe omnes venereorum delectationes*, *etiam ſibi alias in ſtatu conjugali licitas.* Tres ſpecies continentiæ ſunt apud illos: *una* quæ eſt à natura: *alia* quæ eſt à neceſſitate, ut in eunuchis: *tertia* quæ eſt à propria hominis voluntate. Hanc poſtremam ſpeciem ajunt Chriſtum commendaſſe, Apoſtoloſque amplexos fuiſſe. Sic explicat *Mart. Becanus in manual. controverſ.*

lib. 1.

Digitized by Google

lib. 1. c. 13. num. 11. verba illa Chriſti dicentis *Matth. 19. v. 10. qui poteſt capere capiat.* Deinde diſtinguunt hanc ſuam caſtitatem ſeu votum continentiæ, *in ſimplex & ſolenne.* Hæc diſtinctio intelligi poteſt ex ſecunda voti diviſione quam ſuprà judicavimus §. 11. Hoc ſolenne *caſtitatis votum* in quo Monachatus cardo vertitur juxta *Joh. Cruz. de ſtatu Relig. cap. 5. fol. 37. vel* per ſuſceptionem ſacri ordinis, *vel* per profeſſionem expreſſam aut tacitam ad certam regulam à Pontifice Romano approbatam. Denique totam hujus voti naturam breviter complectitur *Zanchez op. Moral. Tom. 2. lib. 5. cap. 6. num. 1.* ubi aſſerit Continentiam non eſſe jus Divinum ordini ſacro annexum: vult dicere jus Divinum non præſcripſit ut in ordinum ſacrorum receptione votum aliquod continentiæ emitteretur, aut alio modo ad illam clerici teneantur: ſed ſolo jure Eccleſiaſtico, quod ſtatuit omnes ſacris ordinibus initiatos teneri ad omnimodam caſtitatem ſervandam, atque incapaces reddi validi matrimonii contrahendi.

Monachatûs Colophon eſt *votum obedientiæ*: quod alias ab adjuncto §. 9. proprio dicitur *cæca obedientia*; apparet hujus nomenclaturæ ratio ex *Bell. Tom. 2. lib. 2. de Monach. cap. 21.* ubi aſſerit talem pręſtandam eſſe à religioſo obedientiam Prælato, qualem ovis præſtat paſtori, aut inſtrumentum opifici. Deindè dicitur etiam hoc votum obſervantię regularis, ab objecto ſpecialiſſimo regula ſcilicet, quam religioſis profitetur, & ſponte obſervandam ſuſcipit. Denique refert Zanchez oper 2. Moral. Tom. 2. lib. 6. cap. 11. num. 3. deſcriptionem quandam obedientię ex Benedicto & Thoma: *Obedientia* ait *perfecta eſt* (ut ſcilicet Benedictus dixit) *ſecundum quam ſubditus ſimpliciter obedit in omnibus, quæ non ſunt contraria legi divinæ, vel regulæ quam eſt profeſſus.* Hanc Benedicti definitionem caſtigat *Zanchez* loco proximè citato. Ipſe autem diſtinguit obedientiam eodem lib. c. 2. num. 1. in *generalem*, & *ſpecialem*: *illam* dicit, quod ſit executio cujuſque actus virtutis ſub præcepto cadentis: *hanc* verò virtutem inclinantem ſubditum ad exequenda ſuperiorum præcepta. Priorem definitionem applicat voto obedientiæ *num. 6.* dicitque non obligari religioſum ad obedientiam ſpecialem: ſed ad generalem, & regulæ executionem. Sed ſpecialiùs definit votum obedientiæ *Joh. Cruz. de ſtat. Relig. c. 6.* Per votum *inquit* obedientiæ obligatur religioſus obedire Prælato ſecundum ſtatuta ſuæ religionis, & non majore rigore, quo ibi, obligatur.

Præterea affectiones communes hujus obedientiæ ſunt. 1. Quòd in ea conſiſtat ut *Bellarm.* ait *cap. 21. lib. de Monach.* perfecta Domini ſequela. 2. Quod ſit antiquiſſima: *Bell.* ab exemplis Rechabitarum repetit hujus antiquitatem. *Polyd.* autem *lib. 7. c. 2.* ait Baſilium Cæſarienſem Cappadocum

Digitized by Google

docum Præſulem certis primum regulis ad obediendum monachos adſtrinxiſſe. 3. Quod voto obedientiæ emiſſo religioſi tranſeant in jus & poteſtatem monaſterii, aut ſuperiorum, adeò ut ſi religioſi habitum dimiſerint, & à religione diceſſerint, ubicunque fuerint, repeti, capi, & ſi neceſſe ſit vincti ad religionem reduci, & in carcerem etiam trudi poſſint. 4. Quod ſit potiſſimum omnium religioſorum votorum; quippè quod uberiorem, & ampliorem materiam complectatur, & ſe in omnia virtutum officia latè fundat, etiam voluntatem hominis alienæ ſubjiciat, & obliget. Hoc obedientiæ votum referente *Azor.* victimis prætulit *Gregorius*, eo quòd per ſacrificia aliena caro, per obedientiam voluntas propria immolatur. Hinc fit, ut religio, quæ majori obedientiæ vinculo aliam vincit, & ſuperat, perfectior apud illos exiſtimetur, *Azor. Inſt. moral. tom. 1. lib. 11. cap. 24. quæſt. 10.*

Contraria verò hujus obedientiæ enumerat idem *Azor. lib. 12. c. 2.* poſtremò ut hoc verbo addam, horrendis etiam exemplis celebrarunt quidam hanc obedientiam: ut videre eſt apud *Zanchez. oper. moral. tom. 2. lib. 6. cap. 2.* ubi refert patrem quemdam religionem monaſticam profeſſum filium ſuum, ut aliquod obedientiæ ſpecimen ederet ex juſſu prælati in fluvium projeciſſe: alium digitum ſibi amputaſſe. Apud *Bellarm. tom. 2. lib. 2. de Monach. c. 21.* Alius juſſus eſt ab Abbate clibanum ardentem ingredi: alius ſuper aquam ambulare. Plura refert ibidem *Bellarm.* quæ miracula apellare, ex illiſque obedientiam monaſticam commendare non erubeſcit. De obedientiâ pluribus actum eſt in 4. *part. ſel. diſp. tit.* de cœcâ obedientiâ, &c.

Atque hæc 5. ſunt Monachatus fundamenta: quæ breviter recenſuimus. Addunt quidam 6. vitam ſcilicet communem, quæ paupertatis religioſæ quaſi ſpecies aut potius concomitans eſt. Inde monaſteria olim dicta ſunt cœnobia.

CAP. III.

De exemplis monachatus, quæ ex ſcripturâ & antiquitate producuntur.

§. 1. PRæter illa Monachatus *fundamenta* & *hypotheſes*, quas breviter etiam indicavimus, ſuperſunt, tùm ex ſcriptura, tum ex antiquitatis hiſtoria quædam exempla: quorum fictio, aut mala interpretatio, aut mala imitatio præſenti Monachatui facem prætulit. Inter illa exempla primùm in ſcriptura occurrit Nazaræorum: quos ipſi religioſos Judaicos per excellentiam appellant, quorumque hiſtoria plenariè c. 6.

Num.

Num. à *Moſche* pertexitur. Vox *Naziraus* idem eſt ac ſeparatus: à radice נזר quod ſignificat *ſeparare*, *ſeiungere*, *abſtinere*, *continere ſe ab aliquâ re ex religione*, *vel ſanctimoniâ aut certo voto*. Tria autem potiſſimum Nazaręis ex inſtituto divino præſcribebantur. *Primum*, ut ab omni potus genere, quod inebriare, gulam irritare, libidinem provocare, & ſtatum mentis per naturam conſtitutum enervare, vel evertere poſſit, ab eo in univerſum abſtineant verſ. 3. 4. *Alterum*, ut nullius effœminatus corporis cultus Nazarço permittatur, ne fomenta libidinis increſcerent, & ad cuticulæ curam, ac ſenſuum lenocinia corpus aliquâ ſui parte pertaheretur. verſ. 5. *Tertium*, ne exequiis ac funeribus mortuorum, parentum quoque & fratrum interſint, quo minus à ſtudio pietatis & legis Divinę meditandę abſtrahantur, quâ nihil clariùs amplecti debent Domino conſecrati, *v.* 6. & 7. *Præterea* finito tempore voti, jubebantur Nazaræi conſecrare Domino tempus illius inſtituti, vel ſeparationis, ac ſe in totum Deo dedicare, & orare, ut gratum habeat voti illius inſtitutum *verſ.* 12. uſque ad 20. Vide quę de his notant *Hoſp. de orig. monach. lib.* 1. *cap.* 6. commentatores in *Numer.* 6. & 30. *Scaliger in Elencho Trihæreſ. Schultetus in exercit. Euang. Deinde* meminit Spiritus S. in ſcriptura familię etiam Rechabitarum in populo Iſraelitico ſingulari inſtituto, certum vitæ genus colentium: qui Rechabitæ dicti fuerunt à Rechabo viro pręſtantiſſimo, atque celeberrimo illorum progenitore. Illis Rechabitis poſteà rationem vivendi *Jonadab* præſcripſit. Quod non humano conſilio ductus fecit, ſed forte Spiritu Prophetico impulſus, ut annotat *Junius in Jer.* 35. *v.* 6. nec abnuunt interpretes Belgici ad *v.* 18. Hoc Rechabitarum exemplum doctè examinatur à *Scal. Elencho Trihæreſii c.* 24. Tria autem illis pręſcripta narrat hiſtoria *Jer.* 35. 1. ne vinum biberent. 2. ne agros colerent. 3. ne domos etiam ædificarent more ſcilicet aliorum hominum, ſed habitarent in tabernaculis perpetuò, quo ſe inquilinos in populo Izraelitico declararent: ut apparet ex *Jerem.* 35. *v.* 7. Hæc arripit pro ſuis Monachis Proſp. Stellarius de fundam. Monach. cap. 1. *Ad Rechabitas* inquit *venio*, *Religioſos antiquos*, *qui meritis Nazaræos æquare valeant aut ſuperare.* Hoc exemplum oſtentat etiam *Bellarm. tom.* 2. *lib.* 2. *de Monach. cap.* 5. Et *Grotius in notis ad Caſſandrum.* Plura videri poſſunt de Nazaræis & Rechabitis in *Hoſp. de orig. Monach. lib.* 1. *c.* 6. & 7.

Pręter Nazaræos & Rechabitas fuerunt etiam *filii Prophetarum* in populo Izraelitico, qui ab aliis hominibus peculiari vitæ inſtituto diſtinguebantur. *Quidam* illorum habitabant in Rama, Hiericho, Ramoth Galaad, Gilgal, Bethel, aliiſque urbibus prout circumſtantiarum ratio poſtulabat, ut apparet, ex locis. 1 *Sam.* 10. *v.* 8. & 2 *Reg.* 2. *v.* 2. 3. 4. 5. & *c.* 4. & 6. *Alii* de-

inde fluentia Jordanis neceſſitate compulſi conceſſerant, ibique habitationem ædificabant; quandoquidem habitatio eorum erat nimis anguſta, ut videre eſt 2 Reg. 6. v. 1. *Filii autem Prophetarum* dicti ſunt ex eo quòd à Prophetis in vero Dei cultu, pietate, literis, diſciplinis, & moribus erudirentur: Et *Samuelem*, *Eliam* & *Eliſæum* collegiis eorum præfuiſſe, facilè colligitur ex 1 *Sam.* 10. *v.* 5. & 2 *Reg.* 2. *v.* 3. & 16. ubi ſingularem honorem Filii Prophetarum exhibent Eliſæo, tanquam inaugurato futuroque ipſis præceptore, loco Eliæ, qui à Domino erat ſublatus. Præterea ex eo etiam Filios Prophetarum dictos fuiſſe colligitur, quod plerique Prophetarum Antiſtites fuerint uxorati & Patres familias, qui ſuos filios ſibi ſucceſſuros proculdubio habuerunt. Hęc pluribus perſequitur *Doctiſſ. Molinæus in vate ſuo cap.* 19. *pag.* 54. *Bellamin. lib.* jam ſępe citato *capit.* 5. *præeunte Hieronymo* maximo monachatus admiratore, Filios prophetarum ſuorum monachorum fuiſſe præcurſores opinatur. Inſuper gloriantur adverſarii de *Elia*, prophetico ſpiritu clariſſimo, viro peculiari & humili habitu utente, 2 *Regum cap.* 1. *verſ.* 8. qui etiam ad tempus juga Carmeli montis incolebat. Unde conjectant Pontificii Eliam illic Præſidem Monachorum Deo in ſerventium egiſſe; quod colligunt ex *ipſius zona, veſte*, & pilis. Huic tam præclaro Archimandritæ in cœlum ſublato ſuccenturiatum fuiſſe exiſtimant *Eliſæum*, ut vicem ejus in moderandis monachis suppleret. Plura de *Elia* & *Eliſæo* rhetoricatur *Proſp. Stellarius de fundaminibus Monach. cap.* 1. *Pag.* 14. Poſtremo *Johannem Baptiſtam* Chriſti præcurſorem Principem Anachoretarum faciunt Eremitæ, quibus *Johannis* victus & amictus, habitatio in regione montoſa (quam eremum interpretantur) hoc perſuaſiſſe videtur. Quæ quàm concinnè opinati, & æmulati fuerint poſtea videbimus.

§. 2. Sequuntur jam antiquitatis exempla: inter quę ut celeberrimum ita antiquiſſimum eſt exemplum Eſſæorum: quos vivis coloribus depinxit *Flav. Joſephus Lib.* 2. *cap.* 7. de bello *Jud.* Ut in compendium redigamus, conſiderabimus. 1. Eorum originem 2. Religionem. 3. Adjuncta quædam. *Joſephus* inter cętera commemorat *lib.* 13. Antiq. *cap.* 9. temporibus Demetrianis (annis circiter ante Chriſtum natum 109. ut quidam obſervant) tres celebres ſectas jam capita ſua in populo Judaico altè erexiſſe, ſcilicet Phariſæorum, Saducæorumque ac Eſſęorum. Originem iſtarum ſectarum inveſtigant Druſius *in tractatu de tribus ſectis Judæorum*; *Scaliger in Elencho Trihæreſii*, *Hugo Brougthonus in concentu Scripturæ fol.* 148. *ſubtit. Anno mundi* 3710. *Johannes Camero* in prælectionibus ſuis in *cap.* 19. *Matth. v.* 3. *Epiſt. Sixtini Amamæ ad Johan. Fridericum Auxium*, quam edi curavit in principio tractatus *Druſii de Haſidæis.* Ubi rem totam 10. aphoriſ-

aphoriſmis complexus eſt. Nos itaque hic de prioribus duabus ſectis non agimus, & eam ob cauſam etiam tantum earum mentionem fecimus; quia in *Flavio Joſepho* conjuctim occurrunt: ſed tantum de Eſſæis breviter nonnulla delibamus.

Si ex *Joſepho*, de ortu Eſſæorum judicium ferre liceat, putaremus Eſſæos, poſt Phariſæos & Saducæos fuiſſe exortos; ſiquidem in contexenda illorum hiſtoria hiſtoricus ſemper poſtremum Eſſæis tribuit locum; quod forte minimè feciſſet, niſi illos poſtremò ſchiſma feciſſe compertum habuiſſet. *Druſius in tractatu ſuo de Haſidais* ſub finem exiſtimat, Eſſæos tunc coepiſſe, cùm *Hyrcanus* ex Phariſæo Saducæus factus, ſectam illam, quam anteà ſequutus fuerat, acerrimè perſequeretur. Quâ occaſione credibile eſt aliquos ex Phariſæis ſeceſſiſſe in loca deſerta, ibique tertiam ſectam condidiſſe. Tale quid forte colligi poſſe videtur ex *Joſepho-Ben Gorionide capit. vigeſimo nono*, quod *Druſius* in tractatu de Haſidæis ex exemplari Veneto exhibet, ubi vehemens inter Phariſæos & Saducæos contentio deſcribitur. Sed de Eſſæis altum eſt ſilentium. Verum Pſeudo-Gorionis illius vix illa ratio habenda: cum Rapſodiarum iſtarum author novus, non antiquus, qui ſequioribus ſæculis ſcripſiſſe deprehenditur. *Flav. Joſeph. lib.* 13. *antiq. cap.* 18. *Scaliger in Elencho Tribæreſii cap.* 22. *num.* 171. judicat Eſſæos ortos fuiſſe ex Phariſæis. Sic etiam Camero loco ſuprà citato. Hanc ſententiam videtur confirmare, quòd Eſſæi traditionum & ſuperſtitionum cum Phariſæis fuerint tenaciſſimi, uti ex *lib.* 2. *Joſeph. de bello Jud. cap.* 7. apparet. Hoc *Bell.* etiam ultrò concedit. *Deinde* ad hanc ſententiam corroborandam maximè facit, quod apud nullum ſcriptorem Judæum vel Rabbinum, qui hiſtoriam Phariſæorum & Saducæorum ſatis copioſè deſcripſerunt, mentio fiat Eſſęorum; quod fide *Scaligeri* & *Druſii* affirmatur, qui fatentur ſe apud nullos de Eſſæis aliquid obſervaſſe, niſi apud *Abrahamum Zachut*. Cujus errorem & ignorantiam de Eſſæis ad oculum demonſtrat *Scaliger in Elencho Tribæreſii cap.* 23. *num.* 175. Sunt qui putant Eſſæos à Joſepho deſcriptos non eſſe eoſdem cum Eſſæis Philonis. Alii volunt eoſdem fuiſſe cum Oſſæis, quos deſcribit Epiphanius hæreſi. 19. Qui ſcripta *Druſii*, *Scaligeri*, & *Serrarii* contulerit, non pauca offendet in his obſcura & incerta.

Nicol. Serarius in commentario in Lib. Jud. cap. 1. Eſſæos à Kinæis oriundos expreſsè affirmat. Idem *in Harmonia ſua librorum Machab. cap.* 7. 1. 14. ex illis *Haſidæis* (quidem abſque aſpiratione ſcribunt *Aſidæis*) quorum mentio fit 1. *Mach. cap.* 1. 24. 42. & *cap.* 7. *v.* 16. putat Eſſæos originem duxiſſe. Illos Haſidæos antiquos fuiſſe & ſanctitate ac pietate alios præcelluiſſe facilè concedimus *Serario ex* 1. *Mach. cap.* 1. *v.* 65. *coll.* cum *cap.* 2. *v.* 42.

v. 42. Ex quibus dum *Alchimus* homo doloſus 60. viros necaſſet, vulgus putavit eorum mortem Pſal. 79. v. 3. prædictam fuiſſe *effundunt in circuitu Jeruſalem ſanguinem eorum velut aquam?* Scilicet ſanctorum: tantam apud plebem conſecuti erant ſanctitatis opinionem. *Scaliger in Elencho Trihæreſii hos Haſidæos à Rechabitis oriundos aſſerit cap.* 24. *num.* 192. Sed ex illis Haſidæis quomodo exſculpi poſſent Eſſæi, nos non videmus. Siquis certò affirmet, nos ſententiam negativam defendere malumus: Quin & ipſe *Serarius* in hac ſententia maximè fluctuat. *Denique* de nomine quoque Eſſęorum adhuc ſub judice lis eſt: vulgò putant ex Philone Judeo à ſanctitate ſic appellatos, quaſi à ſyriaca חסי' vel חסיא undè Heb. חסיד quidam deducunt. חסיד autem ſignificat *miſericordem, benignum, pium.* & *ſanctum.* Hanc poſtremam ſignificationem exiſtimarunt quidam Eſſęos re & nomine uſurpaſſe. Hæc *etymologia* Eſſæorum, inter alias, etiam placet *Serario:* qui volens numero non pondere certare. 12. Eſſęorum nomina congerit; quo nomine vapulat *in Scaligeri Trihæreſio cap.* 17. Ibidem *cap.* 22. & 36. nomen Eſſęorum non aliundè quàm ex vocabulo Græco & quidem corrupto deductum fuiſſe aſſeritur.

§. 3. Eſſæorum religionem, religionis monaſticæ exemplar fuiſſe contendunt, *Bellarmin. Tom.* 2. *lib.* 2. *de monach. cap.* 5. & *Proſperus Stellarius de fundam. monach. c.* 6. Qui monaſticum ſuum, ex Eſſęorum exemplo acceſſere ſatagunt, diſtinguunt illos Eſſęos quos *Nav. Joſeph.* deſcribit ab illis, quorum Philo Judæus meminit: *illos* agnoſcunt multa erronea & ſuperſtitoſa obſervaſſe: *hos* verò tempore Apoſtolorum ad Chriſtianiſmum converſos fuiſſe. Sed Serrarius, qui præ aliis Pontificiis hiſtoriam Eſſęorum ſcrutatur, non eſt alienus ab illis quoque quos Joſephus deſcribit, ut ex *Harm. in lib. Machab. cap.* 7. & 14. apparet. Idem *Serrarius Jacobum* Apoſtolum ex Eſſęis oriundum exiſtimat. Nos igitur in explicanda Eſſęorum hiſtoria ſequimur Joſephum, qui totum Eſſæorum inſtitutum probe cognitum habuit; ut pote inter quos vixit, ex quorum numero haberi voluit, ut in deſcriptione ſuæ vitę fuſè enarrat. Si quid verò diverſum in Philone appareat, id etiam verbo indicabimus. Quod igitur Eſſęorum religionem juxta Joſeph. & Philonem, attinet, illius quaſi ſumma capita erant quoad credenda; *eſſe Deum*, ipſiuſque providentia omnia regi ac gubernari, tam in *genere*, quàm in *ſpecie:* utrumque affirmat Joſephus; ait enim Lib. 18. cap. 2. antiq. Jud: *Eſſæorum placitum univerſitatis regimen citra exceptionem Deo aſſerit: immortalitatem animis.* Et lib. 2. cap. 7. de Bello Jud. *Neque enim abſque voluntate Dei, quenquam poſſe principatus potentiam accedere.* Deinde *fatum* etiam credebant, cui omnium rerum dominium aſſignabant Joſeph. lib. 13. cap. 9. antiq. Jud. Denique quoad *facienda*

Digitized by Google

tienda vel *moralia*, de religione ipſorum, Sic Joſeph. lib. 2. cap. 7. de bello Judaico *præcipuè circa Deum religioſi ſunt; namque ante ſolis ortum nihil profani loquuntur, ſed ei patria quædam celebrant, quaſi ut oriatur precantibus.* Unde apparet illos non alienos fuiſſe à crimine idololatriæ. Eodem loco indicat Joſephus Angelorum quoque nomina ipſos obſervaſſe. Quod etiam non minimum Angelolatriæ ſuſpicionem indicat. *Scaliger in elencho Tribæreſ.* hoc applicat *Col.* 2. 18. Sed hæc apud Philonem non extant. Idem Philo in illo libro, quem inſcripſit πᾶς σπουδαῖος ἐλεύθερος, moralia ſic deſcribit: *Diſcunt igitur piè & ſanctè ac juſtè vivere, triplici regulâ utentes, amore Dei ardentiſſimo: virtutis cultu diligentiſſimo: Charitate proximi ferventiſſimâ. Quod igitur ſummè Deum diligant multa nobis argumenta ſunt. Caſtitas perpetua, juris jurandi nulla mentio, mendacii odium, & precipuè quod bonorum omnium, nullum cauſam eſſe Deum opinantur. Quod virtuti ſtudeant patet: quia pecuniam negligunt. Charitatis argumenta ſunt, benevolentia, ſocietas æqualitas.* Prætereà addit *Joſeph. lib.* 2. *de bello Jud. cap.* 7. illos ante cibum capiendum oratione & cantu Deum celebraſſe: idem poſt cibum quoque repetiiſſe. Poſteà ibidem *Joſeph.* ait illos Sabbathi obſervantiſſimos fuiſſe. Ubi notat etiam craſſiſſimas eorum ſuperſtitiones; quas hic annotare indignas exiſtimavi. Inſuper magna apud eos poſt Deum legiſlatoris erat veneratio: ita ut ſi quis eum blaſphemaret, mortis reum pronunciarent. Seniores quoque ac ſuos Præfectos parentum inſtar venerabantur. Poſtremò delinquentes in ſua inſtituta, aut à ſua ſocietate relegabant aut miſerabili morte plerumque illos tollebant. Quibuſdam verò pœnas pro peccatis ſatisfactorias imponebant, quas cum ſatis luiſſe exiſtimarent, illos abſolvebant.

Præter religionem, præcipua Eſſæorum adjuncta hæc ſunt: omnium bonorum communitas; uniformis habitus, iſque albus ac ſimplex; divitiarum contemtus; nulla primatûs ambitio aut uſurpatio; moderatiſſima in victu temperantia, quam comitabatur longævitas; erga proximos hoſpitalitas præſertim ipſorum ſectę peregrinus, diligentiſſimum agri culturæ aliarumque artium manualium ſtudium; novitiorum ſeu in ſocietatem recipiendorum regidiſſima probatio. In qua pręcipuè recipiendo flagitabant, talia continentiæ Specimina, quę totius ſocietatis examen ſuſtinere poſſent. Neque hoc ipſo erant contenti: ſed antequàm quis novitiorum cibum communem capere poſſet, illum adjurabant ad Deum primùm colendum, variaque virtutum officia pręſtanda ac vitia fugienda. *Deinde* in quatuor diſtribuantur ordines: ſecundum abſtinentię ſeu continentiæ ſuſceptæ gradus: Certos quoque communium rerum procuratores conſtituebant, quibus etiam ſpontè obedientiam præſtabant. Civitatem unam com-

communiter non colebant: ſed in ſingulis domicilia communia ſervabant. Hic à *Joſepho* diſſentit *Philo*, qui ſimpliciter negat in civitatibus habitaſſe, ſed in deſertis agris, hortiſque ac in montibus degiſſe. Præcipua autem ipſorum provincia, in qua habitabant erat Palæſtina, ipſo *Philone* teſte. Scribit etiam *Plinius* illos in Judæa ab occidente habitaſſe, in illa ſcilicet Palæſtinæ regione, quæ propinqua erat Jerichunti, ubi erant fragantes balſami colles & horti, ad lacum Mariam ſeu Aſphaltiten. Ubi planè monaſticam vitam agentes, peculiares Scholas inſtituerunt, in quibus præter leges ſacras, alias quoque liberales artes, præſertim autem eas Philoſophiæ partes, quæ agunt de moribus, de Deo, & de creatione, diligenter tradiderunt. His adjungebant medicinæ ſtudium, & juxta *Philonem* etiam futura prędicendi artem: quam ſuperſtitioſam aliquam magiam fuiſſe ſuſpicari poſſumus. Denique juxta *Flav. Joſephum* erat aliud quoque Eſſæorum collegium, mores quidem ac leges cum prioribus habens, diſtabant verò uſu conjugii; ſiquidem illi uxores ducebant ut genus humanum per ipſos quoque propagaretur. Notat tamen Hiſtoricus horum ſingularem in conjugali vita temperantiam. Hæc igitur quæ de Eſſæis diximus tanquam præcipuam Monachatus hypotheſin ad theſin ſic applicat Polydorus, lib.7. c..1 *Ego verò, quando in re ambigua unicuique liberum eſt conjectare, crediderim inſtitutum monaſticæ vitæ ab Eſſais ſive Eſſenis, ita appellant Plinius, quorum ſecta apud Judæos admodum celebris habita eſt, ad poſteros manaſſe, quoniam illi fere per omnia eam ducebant vitam, quam inter nos monachi ex præſcripto legis agere ſolent*: Præter authores ſupra citatos de Eſſæis multa collegit *Hoſp. de origine monach. lib. 1. c. 5.*

Philo Judæus librum ſcripſit de ſtatu Eſſæorum, *id eſt*, (inquit *Joh. Sichardus* primus editor & interpres librorum quorundam Philonis an. 1527. in fol.) *Monachorum, qui temporibus Agrippæ regis monaſteria ſibi fecerunt. Euſebius lib. 2. hiſtor. Eccleſ. cap.* 16. ex Philonis deſcriptione Eſſæorum, ſatis infeliciter conjicit, eos fuiſſe Aſcetas ſeu monachos Chriſtianos. Hujus judicium ſequuntur *Ruffinus cap.* 17. *Nicephorus lib. 2. cap.* 17. Ex recentioribus ſententiam ſeu levem conjecturam Euſebii adoptant *Baronius ad ann.* 63. & *Serrarius in Tribæreſi, Petavius, Gretſerus*, &c. Sed refutant eam *Hoſpinianus de Origine Monachatus cap. 5. Joſ. Scaliger in prolegom. ad lib. de Emendatione temporum pag.* 22. *præſertim in Elench. Tribæreſii* Nic. *Serrarii capp.* 29. 30. 31. refutant.

§.4. Monachatus propugnatores pręter Eſſęos in N. T. cœtum Apoſtolorum ſanctiſſimum, aliorumque fidelium communiter bona poſſidentum *Act* 4. *v.* 32. perfectiſſimum ſui monachatus quaſi πρωτότυπον conſtituunt. Præcipuè verò Marcum Euangeliſtam ex Hieronymo in Catalogo ſcriptorum Eccle-

Eccleſiaſticorum fingunt tale vitæ genus (ex traditione & præſcripto Petri Apoſtoli) Alexandriæ inſtituiſſe, quale à *Joſepho & Philone* deſcribitur. Cujus rei ne veſtigium quidem apud Hieronymum apparet. Si autem Eccleſiam à Marco Euangeliſta, Alexandriæ (juxta Hieronymum) collectam, interpretaremur cum pontificiis excellentem aliquam Monachorum congregationem, egregiè *Hieronymum* ſecum committeremus; ſiquidem ipſe *Hieronymus* in perſcrutanda Monachatus genealogia, non ultra Pauli Thebæi tempora aſcendit: cujus verba omninò huc tranſcribenda putavi. *Inter multos ſæpe dubitatum eſt, à quo potiſſimum Monachorum eremus habitari cœpta ſit. Quidam enim altius repetentes à beato Elia & Johanne ſumpſere principium: quorum & Elias plus nobis videtur fuiſſe quàm Monachus, & Johannes ante prophetare cœpiſſe, quàm natus eſt. Alii autem, in quam opinionem vulgus omne conſentit, aſſerunt Antonium hujus propoſiti fuiſſe caput, quod ex parte verum eſt. Non enim tam ipſe ante omnes, quàm ab eo omnium incitata ſunt ſtudia. Amathas verò & Macarius diſcipuli Antonii, quorum ſuperior Magiſtri corpus ſepelivit, etiam nunc affirmant Paulum quendam Thebæum principem iſtius rei fuiſſe. Quod non tam nomine, quàm opinione nos quoque comprobamus.* Ex his *Hieronymi* verbis colligere licet: ipſum *Hieronymum* aliàs *Euſebii* ſtudioſiſſimum ipſius ſententiam de vetuſtate Monachatus, noluiſſe ſequi, qui *Philonis* Eſſæos, Monachos Chriſtianorum primos, ex levibus colligit quibuſdam conjecturis *lib. 2. cap.* 16. & 17. Quod ſanè minime *Hieronymus* feciſſet, neque ad vulgi opinionem confugiſſet, (cum præſtò hiſtoricum habuerit,) niſi Euſebii, qui male Philonem intellexit, ſententiam ſuſpectam habuiſſet. Quod multis oſtendit *Scaliger in Elencho Trihæreſii cap.* 27. notat etiam hac in parte Euſebii errores *Hoſp. de Orig. Monach. lib.* 1. *cap.* 5. *fol.* 8. *Deinde* apparet ex iiſdem Hieronymi verbis, quam authenticum ſit vitæ Monaſticę inſtitutum. Primus enim omnium Anachoretarum *Paulus Thebæus* in Chriſtianiſmo conſtituitur. Qui non peculiaris vitæ eremiticæ conſcientiâ illud vitæ genus amplexus eſt: ſed cùm ſub *Decio & Valeriano* perſecutionis æſtum, ſororiſque ſuæ mariti inſidias non eſſet ferendo, in remotiora loca *Thebaidos* anno Chriſti 260. ſeceſſit. Neque hominem poſteà vidit, pręterquàm ſupremo vitę die *Antonium*, jam nonagenarium, à quo etiam humatus fuit teſte *Hieronym. in Paul. Eremitæ* vita. *Sozom. lib.* 1. *cap.* 12. Eadem canit de *Paulo Theb. Baptiſ. Mantuanus lib.* 1. *de vita Baſilii.* Vide & *Antonin. tit.* 16. *c.* 1. & 2. Alii etiam quàm plurimi Chriſtianorum imbecillitati carnis parum fidentes, atque adeò abnegationem Divini numinis propter perſecutorum intolerandos cruciatus metuentes, putaverunt, & puritati fidei, & ſaluti corporis cum *Paulo Thebæo*

Digitized by Google

fugâ eſſe conſulendum. Itaque relictis urbibus, facultatibuſque ſuis, in vaſtiſſimas ſolitudines, ac montium ſylvarumque latibula ſe proripiebant, ibique ſibi ipſius tuguriola ac domunculas extruebant. *Niceph. lib. 8. c. 39.* *Denique* ceſſantibus perſecutionum furoribus ac tyrannorum lanienis, minimè ad ſua & mundi illecebras redibant, ſed in deſertis, & caſis illis conſeneſcebant. Aſſueti enim contemplationibus & tranquilliori vitæ generi, in illo vitæ inſtituto ad extremum uſque diem perſeverârunt. *Niceph. lib. 8. cap. 39.* Horum omnium poſt *Paulum Thebæum* præcipuus fuit *Antonius*, qui in Ægypto hoc vitæ genus inſtituit. Qui primùm ab anno ætatis ſuæ 35. ad 55. uſque in eremo latitando, tandem in publicum prodiit, cum aliis eremitis, ad quos ſæpe acceſſit, familiaritatem coluit, diſcipulos primùm inſtituit, ac vitę cœnobiticę primus author fuit. Urbes quoque interdum viſitando, fidem Chriſti prædicavit. Poſt hæc in eremum ſe conferendo, ibi anno ætatis ſuæ 105. Anno verò Chriſti 458. ſecundum Hieronymum, ultimum diem obiit. Itaque prima hujus vitæ Eremiticæ fundatio tribuitur *Paulo Thebeo*, illuſtratio verò Antonio, teſte *Hieronymo*, & *Vincent. lib. 17. cap. 54. Spec. hiſt. Hujus vita*, inquit, *author Paulus, illuſtrator Antonius fuit. Polyd. lib. 7. cap. 1.* ſub finem. Hoc fatetur etiam *Bell. Tom. 2. Lib. 2. de Monach. cap. 5.* inquiens, *Quocirca uterque dici poteſt primus Eremita, Paulus quidem tempore, Antonius autem Magiſterio.* Quod miror ſanè quomodo *Bell.* concoquere potuerit, cùm eodem c. Joh. Baptiſtam etiam principem eremitarum conſtituerit, qui etiam diſcipulos ſecundum hiſt. Euangelicam habuit. *Præterea* hujus Antonii inſtitutum alii etiam æmulati ſunt; ut. *Hilarion*, qui Hieronymo teſte in vitâ ejuſdem Primus per Palæſtinam & Syriam eremiticam, ac poſtea etiam vitam Cœnobiticam coluit: Deinde & *Paulus ſimplex*, *Ammon Ægyptius*, *Eutychianus*, *Macarii* duo, quorum unus Ægypti, alter Nitrię deſerta incoluit. Hi præcipuè non tam eremiticam, quàm cœnobiticam vitam egerunt, inſtituendo monaſteria per Ægyptum, Palęſtinam, Lybiam, Syriam, Arabiam. Vide *Hoſpinianum de orig. Monach. lib. 2. c. 3.* *Inſuper* homines otioſi non fuerunt illi antiqui Anachoretæ, id eſt ſeceſſores, ſed hortos excolendo, victum ac amictum labore manuum comparabant. *Polyd. lib. 7. c. 1.* de illis ait: Atque ita à principio Monachi precibus, jejuniis, vigiliis, literarumque ſtudiis dediti, procul ab omni hominum cœtu, tantum duriter victitando, ac ſeſe manibus exercendo, exemplum benè vivendi poſteris ediderunt.

§. 5. Fuerunt præter illos Anachoretas in Eccleſia antiqua etiam *Aſcetæ* dicti ἀκριβῶς χριστιανίζοντες apud *Socratem lib. 7. cap. 37.* quod puriore & exactiore normâ Chriſti fidem colerent: & paulatim ab aliis titulo, exter-

nâ-

nâ profeſſione , corporis cultu ac habitu diſcriminarentur. Qui etiam poſtea in ſuis cœnobiis literarum ſacrarum ſtudia diligenter tractabant. His etiam corporis exercitamenta adjungebant : unde ipſorum cœnobia ab illo adjuncto dicta ſunt *ἀσκητήρια*, hoc eſt loca exercitationis. Hinc etiam hujus inſtituti aſſeclarum mares *ἀσκητὰς*, fœminas vero *ἀσκητρίας* appellant. Horum autem *Aſcetarum* proprius habitus erat pallium : à Philoſophis Græcis mutuatum, & tanquam certum apud Chriſtianos iſtius vitæ aſceticæ ſymbolum. Illud vitæ genus diligenter excolebant philoſophi gręci , tanquam auſterius ; ut ſtudiis ſuis commodius vacare poſſent. Unde etiam *ἄσκησιν* Chriſtianorum, Philoſophiam Chriſtianam antiquitùs nominarunt. In hoc vitæ genere excelluit *Baſilius*, (quem authorem quoque hujus inſtituti quidam agnoſcunt) qui cùm Presbyterii munere fungeretur Cæſareæ Cappadocum , calumniis apud Euſebium ejus loci Epiſcopum traductus fuit , cum quo nolens contendere , ſed potius tranquillitati Eccleſiæ conſulere in monaſterium ſe recepit, ibique Monachos in verbo Dei diligenter inſtituit , leges quaſdam ſuis diſcipulis præſcripſit. Quod noſtro quoque ſeculo in Scholis , Collegiis , ac optimè conſtitutis Academiis fieri conſuevit. Oſtentant quoque quaſdam Baſilii regulas : quæ an ſint fœtus Baſilii, vehementer dubitamus. Fuerunt itaque antiqua illa cœnobia *Aſcetica* , non fucorum ignavorumque hominum latibula , ſed potius tam illiberalium , quam liberalium Artium ſcholæ optimæ, ac celeberrima Collegia Theologica (quæ vulgo collegia Patrum etiam dicuntur) in quibus ſtudia eam ob cauſam ſtrenuè excolebantur, ut ſemper docti & idonei viri in promptu eſſent , quos Eccleſiis præficere poſſent. Plura hic non indicamus, ſed videri poſſunt *Hoſp. de Origin. Monach. lib.* 3. *cap.* 2. Et *Salmaſius in notis ad lib. Tertul. de Pallio p.* 9. 20. 33. &c. Quàm longè poſtea ab hoc ſimpliciſſimo vitę inſtituto homines ex *κακοζηλίᾳ* diſceſſerint, indicat *Molineus in Vate ſuo cap.* 19. *pag.* 56. & 60.

SECTIO II.

De Monachis in genere.

CAP. I.

Generalis deſcriptio Monachi.

Generali deſcriptione, & ſubjectis quæſtionibus, notitiam Monachi exhibebimus.

§. 1. DEſcriptionem Monachi, aggreſſuris, *Primum* agendum eſt de nomine. *Bell. lib. de Monach. cap.* 1. quinque Monachorum nomina ex ſcriptoribus Græcis enumerat: quibus olim Monachos inſignitos fuiſſe exiſtimat. Unum tamen eſt hodie nomen uſitatum μόναχος, quod Latini præcipuè uſurparunt teſte *Bell.* Loco citato: Neque nomen *Monachus* ante *Ambroſium*, & *Hieronymum* apud authorem Latinum (niſi fortè nothum) facilè reperias; quandoquidem hoc vitæ genus nationibus Europæis ante Conſtantinum M. ac poſt ipſum aliquamdiu incognitum fuit, juxta *Sozomen. lib.* 3. *cap.* 14. Quid autem nomen *Monachi* olim notârit, & quo ſignificatu uſurpatum fuerit, diſce ex epiſtolâ Hieronymi ad Heliodorum, *interpretare*, inquit, *vocabulum Monachi, id eſt tuum, quid facis in turba qui ſolutus es?* &, etiam ad Ruſticum, *quid deſideramus*, ait, *urbium frequentiam, qui de ſingularitate cenſemur?* Ad quæ Hieron. verba Eraſmus ſic annotat: *Nam hinc Monachi vocabulum, quaſi dicas, unum aut ſingularem. Nomen autem inde ſumptum, quod olim pii quidam homines partim non ferentes gentilium in Chriſtum blaſphemias, partim afflicti ab inimicis Chriſtianæ fidei, profugerent aliquò in vaſtas ſolitudines, atque ibi viverent: alii gregatim, quos cœnobitas vocant: alii ſejunctim, quos appellant Anachoretas.* Polydorus lib. 7. de rerum inventoribus cap. 1. aſſerit *Monachos, id eſt, ſolitarios nuncupatos quia ſoli vivebant.* Eandem etymologiam inculcat ſuis *Johan. Trithemius Abbas Sphanheimenſis Homil.* 1. *ad Monachos. Azorius Inſt. moral. tom.* 1. *lib.* 12. *cap.* 19. *quæſt.* 1. dicit nomen Monachi propriè & ſtrictè ex uſu linguæ Græcæ notare hominem ſolitarium: qui à cæterorum hominum conſortio ſemotus, quietem tacitam ac duriſſimam vitam in montibus, ſaltibus, & ſpeluncis degit, eamque ſervat certis legibus & inſtitutis. Extendit tamen Azorius propriam ſignificationem etiam ad illos, qui res ſtabiles in communi poſſident, ac con-

Digitized by Google

contemplationi dediti , ſeorſim ab aliis hominibus vivunt. Monet etiam ibidem Monachi appellatione omnem religioſum ſignificari. Sed *Bell.* loco paulo antecitato incurrit in ſententiam Hieronymi (cui reliqui authores jam citati ſubſcribunt) aſſerentem nomen Monachi propriè ſignificare hominem ſolitarium ab urbibus ac hominum frequentiâ, ex notatione nominis, alienum : & amplectitur unicè ſententiam Abbatis Pyamonis in Collatione 18. apud Caſſianum cap. 5. qui loco citato gratis *affirmat fideles quoſdam tempore Apoſtolorum, ex eorum conſortio, quorum cor erat unum & bona communia* Act. 4. *ſe ſegregaſſe : ac ab eo quod à conjugiis abſtinerent, & à parentum conſortio, mundique iſtius converſatione ſe ſecernerent, Monachi ſive monazontes à ſingularis ac ſolitariæ vitæ diſtinctione nominati ſunt.* Huic ſententiæ igitur ſubſcribit Bell. concluditque ex eâ, eos duntaxat eſſe re & nomine, verè & propriè, Monachos, qui cœlibes ſunt & ſoli vitæ contemplativæ vacant. Nihilominus tamen Thomas Zanchez *tom.* 2. oper. moral. lib. 5. cap. 1. num. 16. mavult nomen Monachi ab unitate objecti derivare, *quoniam* ait *Monachus uni Deo vacare debeat nec in alia dividi.* Verùm juxta hanc notationem omnes verè Chriſtiani deberent eſſe Monachi. Siquidem res notata omnibus fidelibus eſt communis.

Deinde dicuntur Monachi etiam *Regulares* & *Religioſi* : Regulares ideo quòd certæ regulæ vivendi addicti ſunt. Sed hæc denominatio non eſt deſumpta ex neceſſitate obediendi regulæ Chriſti (quâ omnes fideles obligantur ad obediendum Deo, & quæ etiam ad benè beateque vivendum ſufficit) : verum ex eo, quod Dominici, Franciſci, & ſimilium regulis ſe mancipent.

Religioſi verò appellantur, quoniam ſe totos Dei ſervitio conſecraſſe ac ſanctè devoviſſe gloriantur. Hic notandum eſt tam late non accipere Pontificios nomen *Religioſi*, ut eo omnes & ſingulos veros fideles verum ac debitum cultum Deo exhibentes, complectantur, quique cum pietate (quâ Deus hominem ſibi religat, unde etiam religio vulgo dicitur) ; Deo ſemper ſerviunt : Sed ſtrictè & per antonomaſiam (*ut Bell. ex Thomâ* & *Bonaventurâ* explicat) eos ſolum nomine religioſorum dignos cenſent, qui nihil aliud præ ſe ferre videntur, quam ut uni & ſoli Deo ſemper ſerviant. Et hoc nomine gaudent in Papatu omnes ſectarii ordines (quos ſacros appellant) externâ aliquâ vivendi ratione diſtincti à populo Dei ejuſque anteceſſoribus & per omnium voluntatem ad cultum Dei inſtituti. Denique licet aliis nominibus quoque inſigniantur Monachi, quàm *Religioſi*, nullo tamen frequentius, quam hoc : & apud neotericos ſcriptores nomen *Monachi* & *Religioſi* ſæpiùs pro ſynonymis accipiuntur : apparet ex *Azorio*

tom.

tom. 1. *Inſt. moral. lib.* 12. *cap.* 19. *quaſt.* 1. Sunt alia etiam nomina quibus Monachi deſcribuntur: dicuntur enim *cœnobitæ*, quod in communi omnia habeant : veniunt etiam Monachi generali *Clericorum* appellatione, ut annotat *Helfricus Ulricus Hunnius in diſputationibus ſuis ad jus Canonicum diſp.* 4. *de clericis & Monachis theſ.* 140. *verum Petrus Apoſt.* 1. *Epiſt. cap.* 5. *v.* 3. omnibus fidelibus nomen Clerici attribuit. Sorboniſtæ ex *clericorum* & *eccleſiaſticorum* numero eos excludunt, & *laicis* accenſendos putant. Vide *Nicolai le Maiſtre Doctoris arbonici.* Vide plura nomina Monachorum in *Hoſp. lib. de orig. Monach. cap.* 1. cum ſuis etymologicis rationibus explicata, & examinata.

§. 2. Deſcriptionem nominis excipit definitio rei : ſeu quid ſit *Monachatus*; id Pontificii ut plurimum non alibi quàm in religionis definitione, explicant, *Bell. lib. de Monach. cap.* 1. & 2. utcunque expoſitis variis Monachorum nominibus, ipſam religionis Monaſticæ definitionem aggreditur, quâ aſſerit Monachatum *eſſe ſtatum hominum ad perfectionem Chriſtianam per paupertatis, continentiæ, & obedientiæ vota tendentium.* In hac definitione multa poſſent ex legibus bonæ definitionis cenſurâ notari : ſed de illis videantur quæ ſuprà diximus de hypotheſibus & fundamentis Monachatus : probatum fuit, adverſari, ſacris literis, quę in hac definitione continentur & explicanda eſſent, prętertim *diſp.* 1. *theſ.* 7. & *diſp.* 2. *theſ.* 2. *problemate* 2. ubi notanter hæc definitio excuſſa eſt.

Alii dicunt *Monachatum eſſe ſtatum hominum perfectorum ſub certis mandatis & regulis Deo famulantium.* Huc collimant verba *Azorii Inſt. moral. lib.* 9. *cap.* 5. *quaſt.* 1. Verum hęc definitio contradicit Bellarmino, qui fatetur *cap.* 2. *lib. de Monach.* Monachos non eſſe in ſtatu perfectorum, (quod eſt proprium Epiſcoporum) : *ſed in ſtatu acquirendæ perfectionis, ut pote qui tantum verſantur in exercitatione virtutis, & remotione impedimentorum* perfectionis ſcilicet Epiſcopalis : ad quam ne milleſima pars Monachorum pertingere poteſt.

Hic notandum quàm deſultoria ſit illa perfectio Epiſcopalis, ex quâ vel ob doctrinę, vel ætatis decrepitæ defectum, vel etiam ob manifeſtum flagitium Epiſcopi de jure deturbantur & in ſtatum Monachorum intruduntur ut refert *Johan. Crux. de ſtatu Religioſorum lib.* 1. *cap.* 1. Hinc liquet perfectionem Epiſcopalem in Papatu non eſſe de regno Chriſti : ſed ex mundo. Siquidem ad illam homines ab hominibus promoveri poſſunt, & rurſum illo privari. Hæc de perfectione Epiſcopali (quam *Bellarminus* Apoſtolicam ex Thomâ appellat) hic obiter notavimus, quoniam *Bell.* illam conſtituit Monachorum finem ad quam Monachi per ſua vota tendere debeant *cap.* 2. *lib. de Monach.*

Deni-

zed by Google

Denique Helfricus Ul. Hunnius ſupra jam citatus ex Franciſco Duareno tract. de ſac. Miniſt. Eccleſ. lib. 1. cap. 20. in genere deſcribit Monachos: *appellantur*, inquit, *Monachi homines à cæterorum conſortio ſegregati & quietem tacitamque vitam in Monaſteriis certis legibus & inſtitutis degentes, ad hunc finem ut precationibus & hymnis Deum laudent ac celebrent.* Sed hæc definitio quoque eſt admodum ſtricta & antiquorum Aſcetarum propria. Has definitiones (vel potius deſcriptiones) hic annotaſſe ſufficiat. Accuratiores in authoribus Pontificiis, quos nobis videre contigit, quorumque interfuit Monachatum accuratius definire, nullæ comparent.

Cauſæ efficientes variis modis conſiderari debent. I. *Ratione originis & continuationis.* Pontificii primam Monachatus inſtitutionem quoad originem deferunt *Enoſcho* ut *Bell. lib. de Monach. cap. 5.* & *Zanchez oper. moral. tom. 2. lib. 5. cap. 1. num. 16.* imprimis *Jacobus Boulduc Capuchinus, de eccleſia ante legem lib. 1. cap. 13. 14. Continuationem* autem *Proſperus Stellarius lib. de fundaminibus Religioſorum cap. 1. poſt Enoſchum* tribuit *Noacho:* quod ut aliquomodo ſtatuminet, multa ibidem de Monachatu Noachi poeticè enarrat, ac inter cætera aſſerit cum diluvio quoque inſtitutum Monaſticum non deſiiſſe; immò *Noachum* poſt diluvium perpetuam continentiam voviſſe: & in hanc ſententiam alios etiam allegat: vide ſimiles conjecturas *Nicolai de Lyra in Geneſ. 6. & 9.* Poſt *Noachum* autem *Bellarminus, Stellarius, Zanchez* dicunt ſtatum Monaſticum perfectius fuiſſe in lege *Moſis* expreſſum, & tum intenſivè tum verò extenſivè in *Nazaræis, Rechabitis, Eliâ, Eliſæo,* & *Johanne Baptiſtâ* ad primam uſque N. T. periodum fuiſſe continuatum. §. 3.

II. *Ratione perfectæ* inſtitutionis cauſas principales agnoſcunt iidem authores nunc citati, ſanctos Chriſti Apoſtolos. *Azorius* tamen negat Apoſtolos perfectè religionem monaſticam inſtituiſſe ut nunc eſt, ſed tantum adumbraſſe ac delineaſſe, *Inſt. moral. tom. 1. lib. 11. cap. 13. quæſt. 6. in fine.*

III. *Amplificationem* autem & extenſionem adſcribunt viris piis ac ſanctis *Antonio, Baſilio, Auguſtino;* quos olim pro illâ temporis circumſtantia non ignavorum ac ſuperſtitioſorum hominum ſodalitiis præfuiſſe, ſed collegiis *Aſceticis*, Theologicis, & Scholis Philoſophicis, ſupra breviter oſtenſum eſt.

IV. *Cauſæ approbantes*, dirigentes, conſervantes ſunt *principales* vel *minus principales.* Principales ſunt Romani Pontifices: quorum authoritate omnes ordines Religioſi papatu approbari ac confirmari debent: Non quidem ex neceſſitate juris divini, ſed inſtitutione juris Canonici. De

quo vide Canoniſtas, imprimis qui ſecundum nova jura & poſt Concil. Tridentinum determinarunt. Minus principales ſunt concilia authoritate Papæ convocata, quorum Decretis Pontifices Romani, in approbando vel abrogando hoc vel illo ordine interdum utuntur. Juxta illos tamen, qui agnoſcunt concilia eſſe ſupra Papam, res aliter ſe habet. Sed hoc illis diſceptandum relinquimus.

V. *Cauſæ conſervantes*, amplificantes, promoventes, extollentes, commendantes religionem & vitam monachalem, ſunt 1. *Euangelium ſpiritus S. deinceps duraturum & Euangelium æternum.* De quo Guilelmus de S. Amore in libro ſuo de periculis noviſſimorum temporum *cap.* 8. (referente Pleſſæo in Myſterio Iniquit., & Hoſpinian. lib. 6. de orig. Monach. cap. 14. fol. 226. *undecima*, inquit, *hora jam præterierunt 1254. anni. Sunt etiam nunc tranſacti 55. anni, quod aliqui laborabant ad mutandum Euangelium Chriſti in aliud Euangelium quod dicunt perfectius, melius, ac dignius, quod appellant Spiritus S. ſeu æternum. Quo adveniente evacuabitur Euangelium Chriſti: ut parati ſimus oſtendere ex Euangelio illo male dicto.* Vide ibidem pleniorem hiſtoriam ex Pontificiis deſcriptam. Iſtud poſtea Euangelium Papa (petitionibus Theologorum Pariſienſium expugnatus) juſſit clam *Vulcano* conſecrari: ne myſterium iniquitatis detegeretur. Vide *Balæum cent.* 4. *c.* 22. & 30.

2. *Deinde* Varia in Papatu Roſaria, librique Mariolatrici à Monachis magnâ ex parte excogitati ac hominibus ſimplicioribus commendati. Confer 3. *part. ſel. diſpp. tit.* de Pſeudo-precationibus, &c.

3. *Inſuper* ad cultum illum quoque perſuadendum à Monachis edita tot tantaque miracula; tot revelationes, ecſtaſes, prophetiæ; tot apparitiones angelorum, beatorum ſpirituum, *Mariæ*, ipſius *Chriſti*, quibus plebeculæ miſerrimè impoſitum fuit. Hinc Marcellus Pallingenius lib. 5. vitæ Zodiaci ſub finem:

> *Heu quas non nugas, quæ non miracula fingunt,*
> *Ut vulgus fallant, optataque præmia carpant?*
> *Inde ſuperſtitio, & ludibria plurima manant:*
> *Quæ dii, ſi ſapiunt, rident, renuuntque videre.*

Vide etiam *Hoſp. lib.* 4. *de orig. Monach. cap.* 26. per totum. Et 2. *part. ſel. diſpp. tit. de Miraculis, & de Prophetiâ.*

4. *Denique* admiratio eximiorum ſanctitatis graduum in multis monachis, qui ab hiſtoricis Monachalibus, & vitarum ſcriptoribus buccinantur & in multis Papali apotheoſi & ſolenni canonizatione honorantur. Quinam autem & quot ſancti ex quolibet ordine canonizati, oſtendunt ſingulorum ordinum Hiſtorici; & ex martyrologio Romano, ac *Philippi*

Ferrarii

Ferrarii catalogo ſanctorum extra martyrologium, à rerum iſtarum curioſis colligi poſſunt.

Cauſæ impulſivæ dupliciter conſiderantur.

I. *Ratione originis*: cujus cauſa proegumena ſecundum Bell. lib. de Monach. cap. 5. *fuit perfectionis deſiderium ac purioris vitæ ſtudium.* Procatarctica autem juxta *Polydorum lib. 7. de rerum inventoribus cap. celebris ſecta Eſſaeorum continuatio imitatio.* Suprà tamen indicatum eſt ex *Hieronymo*, *Nicephoro*, *Sozomeno*, *Otthone Friſingenſi vitæ Eremiticæ* (quæ cœnobiticæ quoque vitæ poſtea propago fuit fœcundiſſima) perſecutionem tyrannoſam in Chriſtianiſmo primam occaſionem fuiſſe: quod & *Bell.* loco modo citato non refugit. §. 4.

II. *Deinde* ratione continuationis, invaleſcente Papatu, proegumena fuit ſuperſtitioſa, veterum Eremitarum imitatio. De quo vide *Hoſp. lib. 2. orig. Monach. cap. 5.* Fuerunt quidem in Papatu, qui ad hoc vitæ genus capeſſendum, ſomniis quibuſdam Melancholicis Enthuſiaſticiſque illuſionibus, ac ridiculis perſuaſionibus, impulſi ſunt. (Vide hic legendas, vitas ſanctorum, & Catechiſmum Hiſtorialem:) aliqui etiam inviti à parentibus ad Monachatum compelluntur & in monaſteria tanquam ergaſtula intruduntur: alii miris artibus alliciuntur. Sunt etiam non pauci, qui paupertate aut alio infortunio adacti, Monachatum amplectuntur. Hinc natum illud vulgare *deſperatio facit militem* aut *Monachum.* Plurimi quoque laborum honeſtorum vel ignari, vel pertæſi, proinde etiam moleſtiarum hujus vitæ impatientes, pigritiei ſuæ prætexunt perfectionis deſiderium, ut monaſteria ingredi queant, illicque vitam otioſam vivere. Non rarò bonis prognati, & generoſi ingenii homines, ſplendida quæ affectant munera, aut honorifica atque utiliſſima conjugia cum aſſequi nequeunt, nec tamen peculium tantum ipſis ſuppetit, ut eo dignè ſuo genere & familiâ rem familiarem gerere queant, ad cucullum, aut ad reſtim Franciſcanam confugiunt. Sunt etiam, qui quamvis monaſticam tanti non faciant, eam tamen amplectuntur: ut Abbates fiant præſertim tales, qui annexum habent dominatum politicum: quales & ſibi, & univerſæ familiæ ac cognationi ſuæ plurimum prodeſſe poſſunt. *Paulus Jovius in Vitâ Pompei Columnæ*, docet nos, eum hâc intentione mutaſſe ſæculare munus & chlamydem militarem galero & purpurâ: ſiquidem Cardinalis ex domo Columnenſi maxime eſt Papabilis. Polydor. Virgil. lib. 7. cap. 2. *At ii quidem Monachi* (loquitur de variis Monachis nominatim de familiis Benedictinis) *& ſiqui alii ſint, (quotidie enim ſunt, qui ut ignaviæ ſuæ potius, quàm religioni conſulant, novas inducere ſectas conentur) ex uno velut fonte manaße dicuntur.* Vide de cauſis impulſivis monachatus *Didacum Stellam Monachum in comment. in Luc. c. 2.*

§.5. Materia Monachatus ex quâ, ſeu ſubjectum recipiens Monachatus ſunt homines in Papatu cujuſcunque ſtatûs ac ordinis cum Eccleſiaſtici tum Politici, qui juxta voti conditiones votum emittere poſſunt. Conditiones voti ſupra *diſp. 1. theſ. 10.* enumeravimus. Neque hactenus memoriæ proditum fuit, aliquem, (ex quocunque ordine is fuerit) ſtatum Monaſticum ſuſcipere ambienti, ab aditu ejus prohibitum fuiſſe. Scriptores Pontificum, & annaliſtæ ac chronologi, & poſt eos *Azorius Inſt. moral. tom. 1. lib. 12. cap. 7. quæſt. ult.* referunt Papam Romanum Cœleſtinum eo nomine quintum, abdicatâ dignitate Pontificali ſummâ (qua nihil ſanctius ac ſublimius in terris juxta Pontificios) ſtatum Monaſticum reſumſiſſe. Cardinales ac Epiſcopos Monachos poſſe fieri, aſſerit ibidem *Azorius*. Notum eſt ex *Thuano*, *Stradâ*, aliiſque recentibus hiſtoricis *Carolum* v. depoſito Imperii & dominiorum ſuorum regimine, in Monaſterio Religioni & vitæ Monaſticæ aut quaſi monaſticæ ſe tradidiſſe. Caſimirus quoque regni Polonici hæres ordinem Monachorum Cluniacienſium in Galliâ ſub *Odilone Abbate*, mutato *Caſimiri* nomine in *Caroli*, ſolemni ritu profeſſus eſt, teſte *Baronio in Annal. Eccleſ. ad anno* 1034. Vide eundem *Baron. de Catalogo* 25. Regum & principum in indice litera M. ſub titulo *Monachi ſponte facti Reges Imperatores Principes. Franciſcus* etiam Fratrum minorum Patriarcha ex negotiatore factus eſt Monachus, *Aubertus Miræus lib. 3. de orig. ordin. Monaſt. cap. 5.* vide de eodem *Franciſco Hoſp. lib. 6. de orig. Monach. cap. 8.* Ubi autores Pontificii citantur. *Ignatius vero Loiola* ex milite infœlici factus eſt Patriarcha Jeſuitarum. De quo (ut compendio utaris) vide ſolummodo ex noſtris *D. Rivetum in Catholico Orthod. tom. 1. tract. 1. quæſt. 9. ſect. 6.*

§.6. *Formale Monachatus* eſt trium votorum toties jam dictorum nexus indiſſolubilis in vitâ ſolitariâ. Quod colligitur ex Bell. lib. de Monach. cap. 2. ſub finem ubi *non ſufficere*, ait, *ad religionem has tres virtutes* (paupertatem, continentiam, obedientiam) *niſi accedat votum, id eſt, ſacra promiſſio Deo facta, qua quis obſtringit, ſe perpetuo ita victurum. Poſſ.* quoque *Stellarius de fundam. Relig. cap. 2. ex Pelagio Alvario* diſerte formam Monachatus, aſſerit votum. Hinc vota illa tria dicuntur *ſubſtantialia*, & ſtatui religioſo ita annexa, ut illis ſublatis tollatur ſtatus Religioſus. Vide *Azor. Inſt. moral. tom. 1. lib. 12. cap. 23. quæſt. 4.* Confer etiam 4. conditiones ſtatus Religioſi apud *Zanchez tom. 2. oper. moral. lib. 5. cap. 1. num. 16.*

§.7. *Finis ſummus & ultimus* eſt excellens gloriæ gradus in vita æterna ſupra communem fidelium ſortem propter opera ſupererogationis (monaſticâ quidem opinione) expectandus ac obtinendus. Triplices enim conſtituunt

aureolas

Digitized by Google

aureolas (ſic gradus appellant) virides, Doctorum: rubras, martyrum: candidas, virginum; inter quos numerandi monachi. Hinc latiſſima via ad omnis generis ſuperſtitiones apud monachos, hinc etiam peregrinationes, catenarum ferrearum geſtationes, ac miſeræ flagellationes, aliæque mortificationes, pro iſto fine obtinendo hactenus à multis obſervata; de quibus alibi, *in 3. part. ſelect. diſpp. tit. de Pſeudo-Mortificationibus*, & *4. part. tit. De Homicidio & læſione*, &c. Hujus flagellationis monaſticæ originem ſic Polydorus lib. 7. de invent. cap. 6. explicat: *cæterum res ipſa fidem facit, à Romanis* (intelligit Romanos Gentiles) *Lupercis iuſtitutum eſſe acceptum, quod illi Lupercalia ludicra celebrantes, nudi per urbem incedebant, ac larvati flagellis obvios cædebant, ſicut demonſtravimus, cum de origine ludorum apud Latinos ſuprà prodidimus.* Has tamen & his ſimiles ſexcentas egenas cæremonias, opera ſupererogationis in Papatu appellare haud verentur.

Finis ſubalternus eſt fruitio ſummæ quietis (quæ tamen monachorum contemplativorum propria) & immunitas ab omnibus moleſtiis hujus vitæ. Alium quoque finem quaſi intermedium annotat *Bell. lib. de Monachis c. 2.* perfectionem ſcilicet Epiſcoporum, ad quam omnes Monachi non perveniunt, ut ſuprà jam indicavimus.

Effecta Monachatus (quæ nos defectus vocare mallemus) tam multa tamque varia ſunt, ut ad illa per ſumma capita tantùm enumeranda volumine aliquo opus eſſet. Sunt autem effecta illa vel prima vel orta à primis. Nos ex illis unicum duntaxat & omnibus Monachis ac Religioſis commune indicamus, & ad quod cætera revocantur: Illud autem eſt peculiaris ac ſublimior Deum colendi modus, partim à Religioſis Ethnicis mutuatus, partim poſt Patrum ſecula ope nudæ contemplationis inventus, & deinceps à quibuſdam Monachis, mirum in modum variis ceremoniis auctus. §. 8.

III. *Effecta* orta ſunt res præclarè à monachis geſtæ in propagatione & defenſione religionis inter & contra infideles, & hæreticos: Officia præſtita ſedi Romanæ & poteſtati Papæ: uſque ad effuſionem ſanguinis tam activè quam paſſivè. Quæ legi poſſunt in hiſtoriis cujuſque ordinis, & in vitarum ſcriptoribus.

Nos illis addimus, ſeditiones, proditiones, aſſaſſinatus, parricidia, mendacia, πολυπραγμοσύνας, domi, foris, in bello, in pace, in aulis, in caulis, in foro, &c. hinc illud elogium ab *Ænea Sylvio*, poſtea *Papâ Pio* II. illis ſcriptum.

Non audet Stygius Pluto tentare, quod audet
Effrenis monachus, plenaque fraudis anus.

Superbiam ipſorum innuere videtur apothegma *Alexandri* VI. Se malle potentiſſimum quemque regem offendere, quam minimum ex illis fraterculis (*Franciſcanos* notabat) : quod memini legiſſe in præfatiunculâ ad libellum *Savanorola de Simplicitate Chriſtianâ Lat.in* 8. armiluſtrium monachorum in obſidione Pariſienſi anno 1589. deſcriptum habes in *Thuani hiſtoriâ*, & *tabellis* publicè *venalibus* depictum.

§.9. Sed plurima Monachatus attributa ſub notione adjunctorum comprehendamus. Adjuncta ſunt inhærentia vel adhærentia. Inhærentia & præcipua ſunt hæc : *Religioſitas*, *humilitas*, *ſanctitas*, *mutuaque dilectio fraterna*.

Religioſitatem æſtimat Papatus ex eo quòd relictis (quaſi) hujus mundi illecebris, tribus votis peculiari religioni (quod eſt Monachatûs objectum adæquatum) Monachi adſtricti & mancipati, rerum divinarum contemplationi, cæteriſque pietatis exercitiis perpetuo vacare dicantur. *Humilitatis* autem argumentum illud putatur quòd Monachi & Religioſi, iſtud vitæ genus tanquam mundo exoſum, ſpontè eligant, ſuamque voluntatem per obedientiam Regularem poteſtati alienæ ſubjiciant. Hinc Monachos & Religioſos appellant *Zanchez. tom.* 2. *oper. moral. lib.* 5. *cap.* 1. *num.* 17. *civiliter mortuos*. Iſtam humilitatem inculcat ſuis Didacus *Stella in comment.* ſuo in Lucam cap. 7. ad v. 25. ſic annotans : *Et ſi delicatis & mollibus veſtibus utentes, regum palatia incolunt, non oportet Monachum vilibus veſtimentis indutum, & mortuum mundo circuire aulas magnatum, & regum palatia frequentare; quod prohdolor, iam nunc in multis videmus, quibus clauſtrum, monaſterium & cella ſatent, & quærunt negotia in aulis principum, aut extra vagantes, multis negotiis ſecularibus diſtenti, diſtracti, curſitant totâ die ſicut Centauri & Satyri, de quibus Poëtæ dicunt, eſſe monſtra quædam, media hominum & media brutorum animalium.*

Sanctitatis Monaſticæ prora & puppis conſiſtit (juxta illos) in trium votorum emiſſione & obſervatione : quâ monachi ac Religioſi Deo conſecrati, omniaque divini amoris & perfectionis impedimenta ab ipſis removeri dicuntur. De quo Bell. l. de Monach. cap. 2. *Tradimus*, ſic inquit, *Deo nos totos, quando tradimus animum, corpus, & res externas ; nihil enim habemus aliud. Tradimus autem animum per obedientiam, corpus per continentiam, res externas per paupertatem.* Sed quàm forte vitiorum repagulum ſit, illud externum votorum vinculum, experientia docuit : Et ſanctitatis (dic profanitatis & improbitatis) monachalis teſtes ſunt ſcriptores Pontificii citati in *Pleſſei Myſterio*, *Illyrici catalogo Teſtium*, & *in Riveti in Catholico Orthod. tom.* 2. *tract.* 2. *quæſt.* 7 *à ferè* 25. *uſque ad* 33. *rurſus ab eodem citati in eodem tractatu quæſt.* 23. *ſect.* 5. *denique ab Hoſp. lib.* 6. *de orig.*

Digitized by Google

orig. Monach. cap. 14. *per totum.* Adde *Palingenium lib.* 5. *zodiaci vitæ, Johannis Bocacii narrationes*, *& centones Capilupi*, *Eraſmi colloquia*; ex noſtris vero, *Thomæ Nageorgi regnum papiſticum*, *Buchanani Franciſcanus*, *Henrici Stephani tract. præpar. ad apologiam Herodoti gallicè.*

Charitas quoque fraterna (unde fratres per excellentiam vocari amant,) qualis & quanta ſit, teſtantur libri (præter alia) ſuper iſta quæſtione: *An Maria concepta ſit in peccato originali*, à Dominicanis contra Franciſcanos & Jeſuitas, ſcripti, & vice verſa: unde odium inteſtinum nec dum inter ipſos ſopitum eſt. Hujus odii & veritatis argumentum fuit quod Prædicatores ſeu Dominicani armis & artibus magicis quoque voluerint propugnare *Mariam in peccato originali conceptam eſſe*, adverſus Franciſcanos in Helvetiâ anno Chriſti 1506. cujus hiſtoriam fusè exibet *Hoſpinianus lib.* 6. *de orig. Monach. cap.* 14. & *Delrio in diſquiſ. Magicis.* De eodem certamine *Chemnitius in exam. Concil. Trid.* Et poſt illos *Joh. Henricus Hottingerus pleniſſime in Hiſtoriâ eccleſiaſticâ ſec.* 16. *part.* 5. *ſect.* 3. Mutuam caritatem Jeſuitarum & Dominicanorum colliges ex ſcriptis eorum polemicis de Gratiâ & libero arbitrio, & paſſim ex *Delrio in diſquiſitionibus Magicis*, imprimis in apologiâ ad S. Inquiſit. ibidem præfixa. Author libelli quem hoc titulo inſcripſit, *Elixir Jeſuiticum ſeu quinta eſſentia Jeſuitarum* fol. 62. ſic deſcribit ex Thuano Franciſcanorum amorem erga Jeſuitas: *Franciſcani*, inquit, *Jeſuitas vocant Monachorum ſcorpiones & flagella. Harpyas & lamias Monachorum bona deprædantes*, *& regna mundi ſub titulo Jeſu*, *quem tamen non noverunt*, *ad ſe rapientes. Si nobis*, *dicunt Franciſcani*, *in illos poteſtas libera concederetur*, *nos noſtri ordinis fratribus, quorum ultra* 50000. *paucis diebus poſſemus conſcribere*, *illos ex Germania depellere & funditus delere vellemus.* Vide ibidem plura.

Adiuncta adhærentia ſeu requiſita ſunt, *habitus*, *tonſura*, *Regula*, *Monaſterium*, &c. §. 10.

Habitus monachorum eſt peculiare veſtimenti genus, quo religiosè ab aliis hominibus ut à ſe invicem diſtingui volunt, ad teſtandum mundi contemtum & pœnitentiæ ſtudium: ut ex *Bell. colligitur lib. de Monach. cap.* 40. & experientia quotidianâ. Diſtinguitur autem vulgo *habitus* iſte ratione ſubjectorum & circumſtantiæ in *probationis* vel *profeſſionis*. *Habitus probationis* eſt, quo utuntur monachi vel Religioſi novitii intra tempus probationis, donec ſolemni ritu religionem profiteantur. *Profeſſionis* verò, quo poſt ſolemnem religionis profeſſionem utuntur, *Azorio teſte Inſt. moral. tom.* 1. *lib.* 12. *cap.* 12. ubi tamen fatetur, non ubivis locorum hunc morem in totum obtinere.

Deinde dividitur iſte habitus in partes integrantes, nimirum cucullum, tunicam

Digitized by Google

tunicam talarem, pallium, & calceos. Sed hæc omnibus nota ſunt. Adjuncta veſtitus verò hæc vulgo notantur: *antiquitas, ſanctitas, neceſſitas, ſimplicitas, varietas Bellarm.* antiquiſſimum habitûs Monaſtici inſtitutum ex *Pſeudo-Dionyſio* conatur probare *lib. 1. de Monach. cap.* 40. immò eò collimare videtur, ut ſuadeat, planè eſſe Apoſtolicum *Sanctitatem* autem immane quantum extollit Azorius Inſt. Moral. tom. 1. lib. 12. c. 5. quęſt. 11. inquiens: *Thomas, Caietanus, S. Antoninus, Waldenſis, Paludanus, Angelus, Sylveſter, & alii apertè docent, per profeſſionem omnia vitæ priſtinæ peccata deleri; quæ ſententia videtur apud veteres illos Monachos fuiſſe communi conſenſu recepta. Legimus enim in vita Antonii, quibuſdam Angelos apparuiſſe, ex quorum verbis illi Monachi didicerint, per habitum vitæ Monaſticæ ſuſceptum reſtitui hominem ad eum ſtatum in quo eſt quiſpiam, cum ſacro baptiſmate renaſcitur: nec Monachum rationem redditurum de peccatis ante Monaſticam vitam admiſſis, ut pote qui in ipſa Monaſtici inſtituti profeſſione condonatur: & ſic ſtatim atque habitum ſuſcepit è vita decederet, eum in cœlum evolaturum.* Ut vero ſanctitatis fidem magis concilient, eò audaciæ nonnulli progreſſi ſunt; ut virtutem ſingularem ſanandi morbos hujus vel illius ſanctioris Monachi veſtibus, tribuerent. Author qui vitam *Bernhardi conſcripſit lib. 4. cap. 1.* refert Monachum quendam ægrotantem cucullo Bernhardi impoſito, continuò ſanitatem recepiſſe: ejuſdem ſtolâ Diabolum ex quodam viro ejectum eſſe. Refert etiam *Vincentius* Bellovacenſis in Speculo hiſtoriali *lib. 31. cap. 104.* quod *Petri Mediolanenſis Dominicani* cappa nobilis cujuſdam filium anginâ laborantem ſanitati reſtituerit. Vide ibidem plura. Hinc eo uſque promulgata eſt ſanctitatis opinio veſtium quorundam Monachorum, Præſertim Franciſcanorum, ut Imperatores & Reges habitu Franciſcano ſepeliri voluerint. Quod etiam refertur de duobus inter literatos ſui temporis celeberrimis, *Hermolao Barbaro*, & *Rodolpho Agricolâ*.

Neceſſitatem quoque adeo urget Papatus peculiaris iſtius habitûs, ut nulli videantur ordines religioſi, quin peculiari habitu ab aliis hominibus deſcriminentur. Cujus fines annotat *Bell. lib. de Monach. cap.* 40. 1. ad deſignandam propriam profeſſionem 2. ut religioſi ſaltem inviti cogantur rectè vivere. *Polydorus lib. 7. de rerum invent. cap. 1.* ſtatuit, olim Monachos illam veſtitus peculiarem rationem non obſervaſſe: ſed liberè veſtitum honeſtum ſumſiſſe. Simplicitatem etiam iſtius veſtitus maximè crepant: quam tamen jam olim Hieronymus ad Euſtochium ita improbabat, inquiens: *Ne cogitatio tacita ſubrepat, ne quia in auratis veſtibus placere deſiſti, placere coneris in ſordidis. Sunt quippe nonnullæ, quibus vel veſtis pulla, cingulum ſacceum, & ſordidæ manus pedeſque. Sunt quæ ciliciis*

veſti-

veſtiuntur: & cucullis fabrefactis: ne ad inſantiam redeant imitantur noctuas & bubones. Viros quoque ſuge quibus eſt nigrum pallium & nudi patientia frigoris pedes. Hæc omnia argumenta ſunt Diaboli & Varietatem verò volupe eſſet ſigillatim commemorare, niſi major eſſet cauſa doloris. Siquidem varietas eſt in *materia*, (cum ſit vel ex lanâ vel lino): vel *in colore*, qui rurſus eſt multiplex, niger, candidus, cinericeus, fuſcus: vel etiam informâ, quæ planè eſt hominibus aliis inſolita, peregrina, monſtroſa.

Tonſura Monachorum eſt peculiaris cæremonia ſtatui Monaſtico religiosè annexa; quâ in capitis vertice raduntur relicto, circa aures & tempora in formam circuli, capillo. Vocant autem iſtam raſuram ratione in formam formæ & finis myſtici peculiaris, *coronam. Bell. lib. de Monach. cap.* 40. præter alios quinque fines myſticos, iſtam formam circularem capillorum, aſſerit, eſſe coronæ Chriſti ſpineæ expreſſionem. Confer illos fines etiam quos *Hoſp. lib.* 3. *de orig. Monach. c.* 10. fusè recenſet: Et *Tholoſanum ſyntagm. Juris lib.* 1. *cap.* 28. 29. 31. Hic notandum raſuram & tonſuram non eſſe Synonyma, neque antiquitus raſuram iſtam Eccleſiis Chriſtianis cognitam fuiſſe: (quod non obſcurè *Bellarm.* concedit loco citato) ſed uſu potiùs ſuperſtitioſo fuiſſe uſurpatam & approbatam. De differentiâ & origine tonſuræ ac raſuræ videri poteſt *Hoſp. loco* citato, ubi multis eam perſequitur; abuſum quoque comarum ex antiquitate oſtendit. De luxu in veſtibus & vanitate atque abuſu comæ *in* 4. *part. ſelect. diſp. tit.* de Excelſis mundi: ubi & alii citantur.

Reſtant adjuncta ſeu *requiſita*, 1. Regularum. 2. monaſteriorum. 3. conſequentia ſeu concomitantia.

I. *Regulas* vocant certas quaſdam leges à cujuſlibet ordinis inventore §. 11.
ac authore conſcriptas, Pontificiſque Romani authoritate approbatas: juxta quarum contenta, Monachi & Religioſi ad ſuſceptam perfectionem Monaſticam conſequendam, nec intenſius, nec remiſſius tendere debent.

II. *Loca* autem habitationis vulgò *Monaſterium*, *cœnobium*, *clauſtrum dicuntur. Monaſterium* primum inde ſic nominari cœpit, quòd ſolitariorum hominum eſſet habitaculum: ſed poſtea uſu vox latiùs fuit uſurpata.

Cœnobium verò appellatum putatur ex eò quòd multi in communitate viverent: quod etiam origo vocis Græcæ ſatis ſuadet.

Clauſtrum autem dictum eſt à claudendo. Hic nimis ſubtiliter quidam Pontificiorum Philoſophantur: volunt enim clauſtrum dici non tantum à corpore claudendo, ſed etiam à cordis omniumque ſenſuum clauſurâ Sed fortè potius clauſtrum dictum eſt, quoniam Monachorum ac Monialium

 pietas

Digitized by Google

pietas muris eſſet concludenda. Et omninò hanc etymologiam ſuadet Cuſpinianus, (*referente Hoſp. lib. 1. de orig. Monach. c. 1.*) dum ait: *Aliud genus Monachorum apud Chriſtianos invenio, qui in Clauſtris degebant quæ hanc appellationem ſortita ſunt, quaſi in carceribus clauderentur illi, qui & enormiter & graviſſimè delinquebant, vel parricidia, vel homicidia, vel inceſtus, vel graviſſima ſcelera committentes.*

III. *Adjuncta* conſequentia & concomitantia, ſunt honores, & præcedentiæ, *privilegia* multiplicia, quæ epitome ſuâ de Satu & privilegiis religionis complexus eſt *Johannes Cruz.* Ipſa autem diplomata indultorum & privilegiorum grandi volumine edidit *Em. Rodericus.*

IV. *Dignitates*, honores, præcedentię, variique dignitatum gradus. Quandoquidem *alii* ſunt *Abbates*, alii *Priores*: quorum poteſtati Monachi & Religioſi abſolutè ſubjecti ſunt. De variis Abbatum requiſitis vide *Azorium Inſt. moral. tom. 1. lib. 12. cap. 20. per totum.* Extant tria volumina in fol. Tamburini de Jure Abbatum. Alii verò *Archiabbates* ſeu *Archimandritæ*: ſic dicti; quod multis Monachorum cœtibus & monaſteriis ſibi ſubjectis pręſint. Dicuntur etiam *Cœnobiarchæ.* De quo vide plura in *Azorii Inſt. moral. tom. 1. lib. 12. cap. 19. quæſt. 8.* Nonnulli appellantur ob majores & diverſos dignitatis gradus *miniſtri* ordinis alicujus *provinciales*: alii *miniſtri* Ordinis alicujus *Generales.* Sunt & *procuratores ſyndici, œconomi*, &c. De quibus exſtat bulla *Sixti Quarti.*

V. *Bona Monaſtica*, eorum fundatio, acquiſitio, quantitas, immunitas, diſpenſatio, abalienatio. De quibus, ſupra *part. 1. Politic. eccleſ. lib. 4.* Graviſſima & peculiaris controverſia eſt, de bonis Benedictinorum eclipſim paſſis, cum principes Proteſtantes ea in poteſtatem ſuam redacta, dimiſſis aut deficientibus monachis, piis uſibus applicarent: An illa armis Imperatoris *Ferdinandi* 2 recuperata quaſi jure poſtliminii ab ordine Benedictinorum poſſideri debeant; an vero ab Imperatore approbante Papa, ordini Jeſuitico conferri poſſint. Prius aff. & poſterius negat *Gaſpar. Scioppius in tract. tit. Aſtrum inextinctum.* Contrarium tuentúr ex Jeſuitis *Cruſius* & *Laymannus.* Concilia ſeu capitula Monachalia Generalia, quæ cujuſcunque ordinis tertio quoque anno Romæ habentur, exceptis Crucigerorum, quæ in Huy. (oppidum eſt in diœceſi Leodienſi) in domo ipſorum primariâ celebrantur. Ad quæ conveniunt omnes priores ſeu Prælati Monaſteriorum cum Procuratore. Præſident ibi & ſuperiores ſunt Generales, Provinciales, & quatuor Definitores.

1. *Provincialia* cujuſque ordinis quotannis celebrantur, ad quæ omnes Priores illius provinciæ conveniunt.

2. Ca-

Digitized by Google

2. *Capitula* conventualia ſingulis hebdomadis habentur, ad quæ omnes Religioſi iſtius monaſterii convocantur: In quibus fratres laici & non ordinati ſuffragio carent.

VI. *Viſitationes* monachales. Quæ ſunt, 1. Generales, quæ fiunt per Generalem, ordinis tertio quoque anno aut per ſubſtitutum; Siquidem ipſe morbo impediatur: aut ſimili caſu gravi. 2. *Provinciales*, quotannis per Provincialem cum Definitore. De viſitationibus illis, ita in relicto libro alicujus monaſterii Amisfurtenſis (qui iſtic adhuc ſervatur) adſcriptum legitur: *Viſitatio, prælatorum recreatio, fratrum vexatio, bonorum dilapidatio.*

VII. *Reformatio ordinum*, ſeu ordinis alicujus Religioſi, de quo vide *Azor. Inſt. moral. tom. 1. lib. 12. cap. 16. q. 2.* & *Zanchez. oper. moral. tom. 2. lib. 6. cap. 9.* Et peculiarem *tract. Joh. Nider. cui tit. de Reformatione religioſorum*; & libellus, Druſii Abbatis Parcenſis de reformatione ordinis ſui, ſcil. Norbertini, ſeu Premonſtratenſis.

Adjuncta privativa ſunt 1. *Dicta martyria, & perſecutiones:* quæ Monachi patiuntur interdum à Gentilibus, vel à Chriſtianis: iiſque vel Orthodoxis, aut etiam Pontificiis; plerumque ob ſingularia & graſſantia Monachorum ſcelera, aut Reipublicæ eccleſiaſticæ, vel politicæ incommoda. §. 12

II. *Ordinum* aut monaſteriorum abrogationes, *aut ſuppreſſiones* ſic e. gr. ordo Jeſuatorum, Humilitatorum, ſervorum Mariæ abrogati ſunt. De quibus vide *Bellarium* & *Annaliſtas*.

III. *Mutationes* quæ fiunt, vel confuſione in alium, aut incorporatione: transformatione: aut ſeparatione ab alio: aut propagatione ex alio. Ex una enim familia, multæ aliæ ſæpè prognatæ ſunt, de quibus infrà; & indies naſcituræ ſunt. Sic enim fervorem pietatis Monaſticæ & Religioſæ in Eccleſiâ Romanâ, conſervari oportet, ſi *Bell.* credendum eſt *lib. de Monach. cap. 3. ſub finem.*

IV. *Ad iſta* adjuncta referimus variorum ordinum collapſorum inſtaurationes & novitiorum probationes. Vide & confer ridiculam cæremoniam antiquitus in Papatu obſervatam apud *Joh. Caſſianum lib. 4. Inſtitut. cænobiorum cap. 3.*

Oppoſita Monachatus ſunt Generalia vel ſpecialia. *Generalia* ſunt hæc. §. 13
1. *Fraternitas Eccleſiaſtica*, ſeu vita & ſocietas aliorum hominum Chriſtianorum extra illum ſtatum viventium.

2. *Conjugium* à Deo ad generis humani conſervationem, mutuumque auxilium, & Eccleſię propagationem, ac in remedium fornicationis, inſtitutum.

3. *Honeſtum & legitimum rerum Dominium*, & quæ iſti affinia ſunt.

4. *Libertas propriæ* voluntatis & conſcientiæ.

Specialia ſunt 1. Reformati omnes; quidam etiam Pontificiorum & præcipuè Theologi Sorbonici Pariſienſes, qui Monachatus incremento, poteſtati, & ſplendori haut obſcurè ſe opponunt: uti colligere eſt ex variis actis & ſcriptis olim, & nuperrimè editis.

2. *Denique* monachi ſeu monacho-formes, inter Gentiles antiquos & hodiernos, & inter Muhammediſtas. Qui etjam tanquam affines monachorum Papalium, cum illis comparari poſſunt.

Inter antiquos Gentiles fuerunt, *Galli* ſacerdotes *Cybeles*, qui in rigore Eunuchatus ſervando, ſuperabant Monachos Papales, præſciſſis ſibi genitalibus. Horum inſtitutum & ſtatum compendio cognoſces ex *Gerardi Joh. Voſſii lib. 1. de Idololatriâ cap. 20. Pythagoras* cum ſuis ſectatoribus, ſuperavit abſtinentiam Monachorum Carthuſianorum; qui non tantum à terreſtrium, ſed à quorumvis animalium eſu abſtinebant. *Diogenes* dolii inhabitatione, & victus ratione, ſuperabat pleroſque monachos clauſtrales. Virgines veſtales apud Romanos, rigidâ continentiâ ſuâ æquabant, immo & ſuperabant, Papales monachas: quæ miſerabili mortis genere luebant, violationem pudoris. De quibus & de ſacerdotibus Deæ Syriæ, *Hoſpinianus, de origine Monachatus cap.* 10. Inter hodiernos Gentiles, *Japoniorum Bonzii* affectatam ac profeſſam monachalem & clauſtralem abſtinentiam ac continentiam, provocare poſſunt. Vide de iis Jeſuitam *Franciſcum Soliers hiſtoria eccleſiaſtica Japonica, Gallicè in 4. lib. 1. cap. 4.* & 14.

Inter Muhammediſtas diverſorum ordinum monachi longè rigidius abſtinent & continent, quam Papiſtici; uti diſcere eſt ex *Hoſpiniano cap. 11.* & authoribus ibidem citatis. Autor Turcopapiſmi (*Matheus Sutlivius*) *lib. 1. cap. 11.* ſpecialem comparationem ſectarum monachalium in Papatu, cum ſectis Monachorum Turcicorum quaſi in tabellâ proponit.

Cap. II.

Quaſtiones dogmatica & morales circa hypotheſes, & fundamentum Monachatus.

§. 1. S*equuntur controverſiæ tum principales. Tum minus principales: quæ breviter problematis quibuſdam delineamus.* Diſpeſcimus autem problemata. 1. *in moralia.* 2. *texualia.* 3. *hiſtorica.* Moralia ſunt iſta.

I. *Quæſt. An detur vita contemplativa ab activa diſtincta, qualem ex Pontificiis ſupra cap. 1. indicavimus: de qua etiam Thomas 22. à quæſt. 127. uſque 182. Reſp.* Neg.

1. *Quia*

1. *Quia* rerum divinarum contemplationem, jugemque præceptorum Divinorum meditationem, ac ex utraque reſultantem Divini amoris guſtum (quę ſunt eſſentialia vitæ contemplativæ requiſita, adverſariis fatentibus) ſcriptura omnibus fidelibus facit communem *Pſal.* 1. *Philip.* 1. *v.* 9. 10. 1 *Petr.* 2. *v.* 3. *Coloſſ.* 3. 1. 2. & quidem maximè negotioſis Davidi *Pſal.* 16. & 119. *per totum*, *Joſuæ Joſu.* 1. *v.* 7. 8.

2. *Quia* vita activa non poteſt à contemplativa ſeparari; omnibus enim mandatur praxis dilectionis proximi & inoffenſæ conſcientiæ coram hominibus 1 *Tim.* 1. *v.* 3. 4. 5. *Actor.* 24. Neque debet Dei dilectio, quâ ſoli contemplativi in Papatu gloriantur à dilectione proximi divelli (*Bellarm.* & *Azor.* citati hæc duo ſeparant) *Matth.* 22. *v.* 37. 38. *Coll.* 1. *Joh.* 3. 21. Sed utrumque juxta menſuram donorum gratiæ conjunctim ac intenſive debet à quovis fideli exerceri & augeri, ut *Claud. Spineus* in Epitome ſententiarum *Lombardi lib.* 3. *cap.* 3. Benè ſuos monet.

3. *Quia* diſtinctio ſpecifica vitę contemplativę ab activa, duas quoque conſtituit theologias ſpecie diverſas. Quod repugnat Chriſtianę Theologiæ, cujus finis non eſt theoreticus tantum, ſed maximè practicus 1 *Tim.* 1. *v.* 3. 4. 5. *Jacob.* 1. *v.* 21. & ſequens. De quo plura videri poſſunt *Syntagm. Polan. lib.* 1. *cap.* 134.

4. *Quia*, hâc ratione tolluntur nobiles illi actus dilectionis proximi, inſtitutio, adhortatio, correptio, conſolatio; exemplum bonum, & mutua noſtri conſideratio. *Rom.* 15. 1 *Theſſ.* 5. *Hebr.* 3. *Math.* 5. 19. *Hebr.* 10., ſervitus per caritatem *Gal.* 5. *v.* 13. Qui actus alibi ex profeſſo explicantur. Contemplativi enim nec dant exempla, nec accipiunt, &c.

5. *Quia* ſequitur eos velle eſſe ſapientiores ac perfectiores Chriſto & Apoſtolis, qui talem vitam contemplativam ſectati non ſunt.

II. *Quæſt. An ii tantum vel ſaltem præcipuè debeant vacare ſtudio contemplationis, qui ad id ſingularem habent propenſionem? Reſp.* Ita quidem aſſerunt *Gerſon*, *Bellarminus* ſupra *cit.* Nos negamus: quia non obſtantibus diverſis hominum temperamentis, omnibus mandatur dilectio Dei ex toto corde, ex toto animo, & ex omnibus viribus *Deut.* 6. *v.* 5. *Matth.* 22. 37. ac conſequenter omnia perfectionis officia: ut etiam *Matth.* 5. *v.* 48.

III. *Quæſt. An vita contemplativa ſit propria perfectorum, an etiam incipientium & proficientium vel etiam juvenum? Reſp.* Aff. Poſt. de Verâ contemplatione, contra *Gerſonem lib. de monte contemplat. c.* 41. & 16. Quia talis eſt natura gratiæ Dei (cujus maximam perfectionem ſibi ipſis appropriant contemplativi in Papatu) ut excitet hominem fidelem ad deſiderium

 majo-

majoris fruitionis 1 *Petr.* 1. *v.* 2. 3. & 2 *Petr.* 2. *v.* 5. Deinde juvenibus quoque incumbere veræ contemplationis ſtudium, patet ex eo præter alias rationes; quia à puero quilibet fidelis tenetur diſcere ſacras literas (quę ſunt claves verę contemplationis) quæ poſſunt hominem ad ſalutem reddere ſapientem 2 *Tim.* 3. *v.* 15.

Denique etiam Pontificiorum quidam hac in parte adverſantur *Gerſoni*, uti *Hugo de Sanct. Victore Tom.* 3. *Miſcell. tit.* 27. Neque *Zwarez Tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 11. potuit *Gerſonem* defendere, quin cum diſtinctione noſtram ſententiam admitteret.

IV. *Quæſt. An contemplativi plus placeant Deo per vitam contemplativam, quam alii per activam? Reſp.* Neg. contrà eundem Gerſonem & alios, quia hoc præjudicat ſanctis Dei hominibus, quales deſcribuntur *Hebr.* 11. quorum plerique fuerunt homines negotioſiſſimi. Derogat etiam exemplis Chriſti & Apoſtolorum, qui dies noctesque erant occupati in procuranda animarum ſalute.

V. *Quæſt. An vita contemplativa (quam jactant Pontificii) ſit adeo meritoria, ut contemplativi non tantum ſibi ipſis ſpecialem Dei gratiam, ſed etiam malis hominibus maxima bona mereantur? Reſp.* Sic gloriatur *Gerſon de ſuis contemplativis lib. de monte contemplat. cap.* 26. & 27. Sed nos negamus, freti iiſdem argumentis, quibus ambitioſa merita Papiſtarum impugnamus. Sed de his alibi ex profeſſo agendum eſt.

VI. *Quæſt. An credibile ſit vita contemplativa, ſtudioſiſſimos (qui ſeculis aliquot ante nos in Papatu vixerunt) tam frequentes paſſos fuiſſe ecſtaſes divinas, ut quidem referunt præter ferreas legendas Theologi Myſtici, & ex recentioribus Pontificiis Joh. à Jeſu Maria Theol. Myſt. cap.* 6. *Delrio in Diſq. Magic. lib.* 2. *quæſt.* 25. *Carthuſ. lib.* 3. *art.* 19. *Reſp.* Neg. Longè enim ſuperaſſent Apoſtolos, chariſmatis extraordinariis ſupra alios in N. T. inſtructiſſimos; quorum tamen paucæ leguntur ecſtaſes *Act.* 10. & 2 *Corinth.* 12. Johannis autem viſio Apocalyptica non fuit merè contemplativa, ſed Prophetica.

VII. *Quæſt. An contemplativis unionis myſticæ ac tactus Spiritus S. tam exuberans gratia in hac vita ſæpe contingat, ut cogantur petere temperamentum à Deo, & de nimio conqueri? Reſp.* Ita quidem affirmat *Carthuſ. de Fonte lucis art.* 14. Et *Philipp. Alegambe de Ludovico, de Ponte.* De quo nos *in Exercit. pietatis cap.* 3. *pag.* 707. Sed nos negamus & prorſus deteſtamur tam furioſam & pluſquam enthuſiaſticam præſumtionem ex *Rom.* 7. 23. & *c.* 8. *v.* 19. uſque ad *v.* 27. *Philip.* 1. 23. 2 *Cor.* 5. 4

VIII. *Quæſt. An contemplativorum nonnullis contingat tam exuberans contemplationis gratia, ut Deum videant per Speciem? Reſp.* Neg. ex 1 *Cor.*
cap. 13.

Digitized by Google

cap. 13. *v.* 12. & 2 *Cor.* 5. *v.* 7. Contra ſanaticas gloriationes contemplativorum, quos refert *Carthuſian. lib. cit. art.* 24. *v.* 3. Confer & *Sandeum in Theologiâ Myſtica.*

IX. *Quaſt. An vitam ſolitariam, juſtis occaſionibus, bono fine, & divina vocatione ad tempus ſuſceptam reprehendant Orthodoxi? Reſp.* Sic gravant nos adverſarii, præſertim *Bellarminus Tom.* 2. *lib.* 2. *de Monachis cap.* 39. quo etiam *Hugo Grotius collimat in notis ad Caſſandrum.* Sed cl. *D. Rivetus in animadverſionibus earundem Grotii notarum fol.* 202. *Sub tit. de Monachis, reformatos* vindicat, etiam in Catholico Orthodoxo *Tract.* 11. *quaſt.* 23. *ſect.* 21. Videatur etiam *Tilen. Syntag. diſp. part.* 2. *Diſp.* 38. *theſ.* 31. & *Syſtema Brochmani tom.* 2. *tract. de miniſt. Eccleſ. cap.* 2. *fol.* 957. *quaſt.* 20.

X. *Quaſt. An qui vita ſolitaria in perpetuum ſe devovent & quidem ſponte, rem ſanctam perfectamque ac gratam Deo præſtent, neque contra Charitatem Chriſtianam peccent? Reſp.* Affirmat *Bell.* loco proximè citato: ſed nos negamus ex his locis *Matth.* 5. 15. 16. *Hebr.* 10. 25. *Galat.* 6. 10. *Deinde* quia ſolitudo, ſilentium, & ſimiles abſtinentiæ ſeu privationes per ſe nec bonæ nec malę ſunt; niſi prout quis illis rectè utitur aut abutitur. Abuſus autem eſt cum quis ſolitudinem affectat citra neceſſitatem, aut contra caritatem proximi: & ſic ſapit Cainicum quid, *Geneſ.* 4. *Denique* ſolitudo ſeu vita ſolitaria ex profeſſo affectata & ſuſcepta, repugnat naturæ hominis, & ordini in creatione à Deo conſtituto *Geneſ.* 2. Eſt enim homo animal maxime ſociale ſeu *πολιτικὸν*: teſte *Philoſopho* in Politicis. Hinc idem in *Ethicis ad Nicomach.* affirmat in ſolitariis eſſe *θεῖον* quid aut *θηριῶδες*.

XI. *Quaſt. An in ſolitudine ſemper viventes, aut meritoriis precibus perperpetuo vacantes, Angelicam prorſus vitam vivant? Reſp.* Hoc præjudicio lactat papatus ſuos Angelo-monachos. Sed nos iſtam gloriationem vanam ſanctiſſimiſque ſpiritibus contumelioſam deteſtamur ex *Heb.* 1. 14. *Deinde* neque illas preces, quas tantopere extollunt, magis admiramur quàm *Scribarum & Phariſæorum, qui ſub obtentu prolixæ orationis devorabant domos viduarum.* Math. 23. 14. Quandoquidem iſtorum eremicolarum preces in Papatu, maximam Partem ſunt Roſariorum ſuperſtitioſæ demurmurationes.

XII. *Quaſt. An vita perpetuo ſolitaria ſit perfectior communi fidelium vitâ, & ſocietate? Reſp.* Affirmat *Bellarmin. Tom.* 2. *lib.* 2. *de Monach. cap.* 39. Sed nos negamus; quia pugnat cum expreſſo Dei verbo *Gen.* 2. 18. *Eccleſ.* 4. 5. 6. *Deinde* etiam *Hieronymus in Epiſt.* ad Ruſticum Monachum præfert vitam Cœnobiticam eremiticæ, inquiens: *primum tractandum eſt, utrum ſolus, an cum aliis in monaſterio vivere debeat? Mihi quidem*

dem placet ut habeat ſanctorum contubernium. Plura videri poſſunt in *Heſp. de orig. Monach. lib. 3. fol. 24. Denique* ſi vita ſolitaria (ut *Bell.* affirmat) faſtigium eſſet vitæ religioſę; quàm longè ab fuiſſet D. Salvator à perfectione vitæ religioſæ: quippe qui obambulavit benefaciens omnibus *Act. 10. v. 38.* Præterea neque *Paulus* Apoſtolus eſſet imitandus, (quamvis frequenter ad ſuum exemplum imitandum hortetur) qui nunquam perfectam ejuſmodi vitam ſectatus eſt. Hæc & his ſimilia non tantùm præjudicant ſanctorum exemplis, ſed ne affirmari quidem citra blaſphemiam poſſunt.

§. 2. I. *Quæſt. An dentur quædam perfectionis conſilia à mandatis Dei vere diſtincta, imò iis certis gradibus perfectiora in N. T. à Chriſto & Apoſtolis non mandata ſed commendata? Reſp.* Affirmant Pontificii locis ſupra citati: Nos verò negamus; 1. *Quia* lex Dei (tanquam perfectiſſima omnium bonorum operum norma) ſummam exigit perfectionem *Pſal. 119. v. 96.* cujus incrementum quilibet fidelis à Deo ſupplex petere tenetur cum Davide. *Pſal. 119. v. 33.* 2. *Quia* quicquid à Chriſto & Apoſtolis demonſtratur & commendatur ut faciendum, id ipſum etiam imperatur *Matth. 7. 11. 1 Theſ. 4. 2. 3.* 3. *Quia* quod diſtinctum eſt à præceptis divinis illud non eſt opus bonum; ſiquidem omne opus præcepto imperatur *Philip. 4. 8.*

II. *Quæſt. An conſilia data à Chriſto & Apoſtolis ſi non ſerventur nullam habeant pœnam, ſi autem ſerventur majora præmia illa conſequantur quàm mandatorum divinorum obſervantia? Reſp. Bell.* affirmat *cap. 7. lib. de Monach.* nos verò negamus ulla ſpiritus S. conſilia (quæ etiam præcepti vim habere affirmanus) illos prętermittere poſſe; præſertim talia quæ ad ſummam Dei dilectionem directè tendunt. Talia adverſarii quoque ſua conſilia eſſe aſſerunt: ſed falsò; quia ſupponunt præmia. Summus autem dilectionis Dei gradus non fundatur in conſideratione meriti & pręmii: ſed in ſolâ infinitâ Dei bonitate.

III. *Quæſt. An voluntaria paupertas, continentia & obſervantia regularis ſint præcipua illa Euangelica concilia, quæ præceptis Dei certis gradibus ſunt perfectiora? Reſp.* Affirmat *Bell. Tom. 2. lib. 2. de Monach. c. 7.* ſub finem ſed nos negamus; quia mandata Dei in ſummo gradu ſunt perfecta: *Pſal. 119. 96.* quæ omnimodam Dei dilectionem (quam iſtis Conſiliis Pontif. neoterici in gradu perfectiſſimo tribuunt) perfectiſſimè præcipiunt *Deut. 6. collat. Math. 22. v. 37.* & *Marc. 12. 30.* Unde nullus locus relinquitur conſiliorum perfectioni à mandatis diſtinctorum.

IV. *Quæſt. An conſilia de obtinendo excellentioris gloriæ gradu in vita futura, ſint in arbitrio hominis poſito? Reſp. Bell.* affirmat: Nos verò negamus talia conſilia à Chriſto & Apoſtolis fuiſſe indicata. Deinde negamus ullorum

Digitized by Google

ullorum conſiliorum in ſcriptura de vita ęterna indicatorum obſervantiam abſolutè in hominis arbitrio eſſe poſita ex 2 *Cor.* 3. 5. *Philip.* 2. 13. *Collat.* cum *Galat.* 5. 22. Neque *Bell.* potuit talia conſilia ſuis religioſis commendare, quin debuerit relabi ad Pelagianiſmum: quo nomine à ſuis Antagoniſtis in loco de liber. arbitrio caſtigatur; quò etiam hanc controverſiam remittimus.

V. *Quaſt. An omnium bonorum abdicationem (quam Pontificii voluntariam & quaſitam ſuam paupertatem falſo appellant) Chriſtus praceperit? Reſp.* Aff. Pontificii: ſed Nos negamus *Matth.* 19. 21. *Luc.* 11. *v.* 33. & *c.* 16. 9.

VI. *Quaſt. An conſilium de perpetua continentia obſervatu ſit difficilius ipſa mandatorum divinorum obſervatione? Reſp.* Aff. *Bell.* Nos verò negamus; quia quibuſdam datum fuit ex gratia donum continentiæ, 1 *Cor.* 7. facultas verò ſervandi omnia Dei mandata (quam neceſſariò præſupponit ſenſu pontificio conſiliorum obſervantia) nulli in hac vita contigit, 1 *Reg.* 8. 46. *Actor.* 13. 16. & *cap.* 15. 10. *Rom.* 8. 3. *Gal.* 2. *v.* 2. Deinde *Paulus* Apoſtolus divina gratia adjutus verę Continentię ſtudioſiſſimus impoſſibilitatis legis implendæ ac ſuæ infirmitatis conſcius illam *mandata* Dei implendi facultatem (de quâ paſſim in papatu gloriantur) ſe habuiſſe conſtanter negavit *Rom.* 7. *v.* 14. 1 *Cor.* 3. 4. *Philip.* 3. 9.

VII. *Quaſt. An obedientia regularis ſeu Monaſtica ſit conſilium Euangelicum à Chriſto commendatum? Reſp.* Affirmant Pontificii: ſed nos negamus. 1. *Quia* Chriſtus nequaquam commendavit præcepta religioſa ab hominibus inventa, *Matth.* 15. 9. qualia ſunt regulę *Dominici*, *Franciſci*, &c. 2. *Quia* obedientia regularis monaſtica præcepit totum voluntatis obſequium præpoſitis eſſe mancipandum, ſine ulla exceptione, aut in mandatorum cauſas inquirendi libertate ſibi reſervata: quod eſt contra *Apoſt.* 1 *Cor.* 7. *v.* 23. Sed alibi ex profeſſo contra cœcam obedientiam diſputamus, *in* 4. *part. ſel. diſpp. tit. de Cœcâ obedientiâ.* 3. *Quia* obedientia Monaſtica talia ſupponit, atque ad talia obligat religioſè ſervanda quæ pugnant cum libertate Chriſtana 1 *Tim.* 4. *v.* 3.

VIII. *Quaſt. An obedientia regularis ſit conſilium ipſa divinorum mandatorum obedientia praſtantius? Reſp.* Affirmat *Bell.* Nos verò dicimus obedientiam Monaſticam eſſe Conſilium conſiliorum periculoſiſſimum, à Chriſtiana perfectione ac Chriſto abducens 2 *Tim.* 4. 3. 4.

IX. *Quaſt. An obſervationes conſiliorum (qua in N. T. à Chriſto non mandata, ſed commendata fuiſſe fingunt Pontificii) ſint opera ſupererogationis? Reſp.* Affirmat *Bell. Tom.* 2. *lib.* 2. *de Monachi*, *cap.* 7. & 9. Sed nos negamus 1. dari ulla opera bona, quæ præcepta non ſint, ut ex ſupra

 dictis

dictis ſatis liquet. *Deinde* nulla opera, quę à Deo præcepta non ſunt (qualia eſſe ſua opera indebita ac heroica Pontificii fatentur) poſſunt eſſe pars divini cultus *Matth.* 15. 9. 2. negamus ab ullo Sanctorum (nedum à Monachis *ultroneam paupertatem*, *cœlibatumque ſpontaneum* ac *cœcam obedientiam* profitentibus) legem Dei exactè impletam fuiſſe, (quod preſupponunt apud illos opera illa indebita): quod etiam probamus ex 1 *Reg.* 8. 46. *Pſal.* 32. 6. *Collat. cum* 1 *Johan.* 3. *v.* 4. & *Act.* 13. 38. *Cap.* 15. 10. *Rom.* 8. 3. *Gal.* 2. 21. Mandatum de dilectione Dei ex toto corde, &c. *Matth.* 22. *Matth.* 12. ſervatu impoſſibile quo ad omnes gradus fatetur Claud. Spinæus in Epitome ſua ſententiarum Lombardi lib. 3. cap. 4. inquiens *Præceptum de dilectione Dei in hac via penitus impleri non poteſt; Nam ex parte diligimus ſicut ex parte cognoſcimus* 1 *Cor.* 13. *v.* 9. *Deinde* urgemus etiam contra opera ſupererogationis, regenerationis & ſanctificationis in hac vita imperfectionem ex *Pſal.* 143. *v.* 2. *Proverb.* 24. 16. *Rom.* 7. 15. 1 *Cor.* 13. 9. *Jacob.* 3. 2. Sed de hoc alibi ex profeſſo diſceptatur.

§. 3. I. *Quæſt. An detur ſublimior aliquis Deum colendi ac diligendi modus ſeu ſpecies in ſtatu gratiæ præter illam, quæ in Decalogo præſcribitur? Reſp.* affirmant Pontificii: nam ſicut ſua conſilia Euangelica præceptis contra diſtinguunt, ſic etiam religionem iſtam, quæ conſiliorum (*ut ipſi ajunt*) obſervantiam docet ac colit, ab illa diſtinguunt, quæ tantum præceptorum obſervantiam urget. Illam dicunt perfectiùs dilectionem Dei docere: Hanc etiam abſolutè quidem ſufficere, ſed ad excellentiorem gloriæ gradum nihil conferre. Nos autem rejectâ illâ imaginariâ religione (quæ non eſt contenta illa Deum diligendi ratione, quam mandata exigunt) non niſi unam ac veram ac ſatis ſublimem Deum colendi & diligendi rationem agnoſcimus, in quâ Patriarchæ, Prophetæque ac Apoſtoli ſe exercuerunt. Probationes quæ pro unâ, communi, ἰσοτίμῳ fide ac religione adferri ſolent applicandæ.

II. *Quæſt. An religio (prout in hac materia accipitur nimirum ſtrictè aut per antonomaſiam) ſit ſtatus hominum ad perfectionem Chriſtianam per paupertatis continentiæ & obedientiæ vota tendentium? Reſp.* Affirmat *Bell. Tom.* 2. *lib.* 2. *de Monach. cap.* 2. *Thomas Zanchez op. Moral. Tom.* 2. *lib.* 5. *c.* 1. *num.* 14. Nos verò negamus. 1. *Quia* nuſquam religio ex uſu Scripturę ſtatus dici poteſt: *Sed virtus animis fidelium à Deo per Spiritum Sanctum infuſa quâ Deum rectè agnoſcunt & colunt ex voluntate Dei, in ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis revelata.* De religionis definitione pluribus hic agere non eſt præſentis inſtituri. Sed videri poteſt *Syntagm. Polan. lib.* 9. *c.* 1. & *Ameſius in Enervat. Bell. Tom.* 2. *lib.* 4. *cap.* 1. *theſ.* 2. Ubi *Bellarm.* definitionem excutit. Explicat nomen religionis *D. Rivetus in Catholico*
ortho-

orthodoxo Part. 2. quæſt. 54. ſect. 1. ex Pontificiis Fridericus Nauſea Epiſcop. Viennenſis in Catechiſmo Catholico *lib. 1. c. 7. & ſeq.* Unde etiam vanitas definitionis Bell. deprehendi facile poſſit.

III. *Quæſt. An diſcrimen perfectionis Epiſcoporum & Monachorum in eo conſiſtat, quod ſtatus Epiſcoporum ſit ſtatus perfectionis adeptæ, ſtatus autem religioſorum ſit ſtatus perfectionis acquirendæ? Reſp.* Affirmat *Bell. cap. 2.* ſed nos illud diſcrimen negamus. 1. *Quia* etiam Epiſcopis mandat ſpiritus S. ut ad majorem perfectionem tendant *1 Tim. 4. v. 15. 16.* 2. *Quia* Scriptura tale diſcrimen ſtatuum ſaltem in Chriſto & Gratiâ Dei non agnoſcit, ſed tam ſublimem & glorioſum omnibus fidelibus imponit, quo major & perfectior citra blaſphemiam in hac vitâ viatoribus præſcripta, affirmari nequit *Gal. 4. 26. Heb. 12. 22. 23. 1 Petri 2. 9. Apocal. 1. 6.*

IV. *Quæſt. An ad perfectionem Chriſtianæ vitæ (quæ præceptorum divinorum obſervationem urget quàm maximè,) poſſint etiam profani homines pervenire? Reſp.* Sic deprimit *Azorius Inſt. Moral. tom. 1. lib. 11. c. 24. quæſt. 11* vitam ſtatumque ac Communionem Chriſtianorum, contra *Apoſt. Heb. 12. v. 22. 23. 1 Petr. 2. 9.* Et *2 Petr. 1. 3.* ut poſſit extollere ſtatum ſuorum Monachorum. Notandum apud Ethnicos olim fuiſſe, hodie quoque eſſe tales religioſos, qui ridigiſſimè obſervant paupertatem, cœlibatumque ac obedientiam Monaſticam (quæ ſunt de eſſentia Monachatus Papalis, fatentibus adverſariis) *in Hoſp. de orig. Monach. lib. 1. cap. 10. 11. 12,* fusè collegit. Illos autem quam longe abfuiſſe & abeſſe à vero fidelium ſtatu, & pietatis ſtudio, (quod mandata docent) facilè colligitur ex *Rom. 1. à v. 21. ad 26.* Deinde abſurdiſſimè dicit *Azor.* quemlibet profanum ad perfectionem Chriſtianam accedere poſſe contra *1 Cor. 1. v. 9. 1 Pet. 5. 10. 1 Theſſ. 2. 12. cap. 4. v. 7.*

V. *Quæſt. An religio Monaſtica ſit adeò antiqua, ut quædam ejus adumbratio fuerit in lege naturæ ante diluvium: Major quædam expreſſio in lege Moſchis: perfectio autem Apoſtolorum tempore? Reſp.* affirmat *Bell.* Sed nos negamus, & hic ea non repetimus, quæ *ſect. 1.* de origine & antiquitate vitæ Monaſticę dicta ſunt.

VI. *Quæſt. An Deum colendi modus vel ratio debeat multiplicari pro varietate ingeniorum ac temperamentorum ſicque hominibus applicari, prout cujuſque ingenium ac propenſio naturalis poſtulat? Reſp.* affirmat *Bell. Tom. 2. lib. 2. de Monach. cap. 3.* ſub finem: cujus verba exhibeo: *Varia enim,* inquit, *ſunt hominum ingenia, variæ propenſiones, nec pares omnibus vires. Unus diligit ſolitudinem, alius gaudet frequentiâ; unus libenter orat, alius libentius legit, vel operatur,* &c. *Si ergò omnis religio requireret ſolitudinem; vel communionem; aut ſi omnis religio abſtinentiam à carnibus* indi-

indiceret, vel nulla indiceret, &c. *pauci admodum religioſi eſſe poſſent. Nunc autem in tanta varietate religionum poteſt omnibus ſatisfieri.* Hujus religionis omnibus ingeniis attemperatæ praxin & uſum egregiè perſtringit ex noſtris *Molineus in Vate ſuo c.* 23. *fol.* 443. *etiam Ameſius in Enervat. Bell. Tom.* 2. *lib.* 4. *Cap.* 1. *theſ.* 7. Deinde dicimus illam religionis monaſticæ varietatem, ſecundum diverſa hominum ingenia pugnare cum ſcriptura *Num.* 15. *v.* 39. *Jud.* 17. 6. *Jerem.* 9. 14. 2 *Tim.* 4. *v.* 3. Quæ varietatis vanitas tunc magis apparebit, cum varias ſpecies & regulas Monachorum perluſtramus.

§.4. I. *Quæſt. An orthodoxi abſolutè negent ac doceant, omnia omninò vota Chriſtianis interdicta eſſe? Reſp.* Affirmativam ſententiam affingunt Pontificii Orthodoxis, nominatim *Bell. lib. de Monach. cap.* 17. *Petro Martyri*; ſed falsò: quod oſtendit *D. Rivetus in Explicat. Decalogi ſub tit. de votis fol.* 101. *Caſpar. Brochman. in Syſt. Theolog. Tom.* 2. *in articul. de votis c.* 2. *quæſt* 7. Non alia vota rejiciunt Reformati, quàm typica ac V. T. propria: Deinde quæ homines extra verbum Dei opinione alicujus meriti periculosè excogitârunt: quâ de re legi poteſt *Danæus contra Bell. Joh. Scarpius in tractatu de Monachis.*

II. *Quæſt. An votum rectè à Bell. definiatur, nim. quod ſit religioſa promiſſio alicujus excellentioris boni, Deo facta libera voluntate? Reſp.* Nos Neg. & opponimus *Bell.* definitionem *ſect.* 1. ex *Lombardo* & *Spinæo* annotatam. De iſta Lombardi definitione videri poteſt *D. Rivetus* loco modo citato: quam ibidem multis explicat.

III. *Quæſt. An probanda ſit diſtributio voti in ſimplex & ſolemne? Reſp.* Pontificii neoterici (quos quidem nobis videre contigit) uſurpant illam voti diviſionem: ſed nos legitimam eſſe negamus; quia nil niſi ſuperſtitioſas & opinioni operum ſupererogationis involutas ceremonias præſcribit.

IV. *Quæſt. An omne quod fit ex voto ſit cultus Dei? Reſp. Bell.* ſimpliciter affirmat *lib. de Monach. c.* 16. Sed nos (niſi accuratè diſtinguatur inter votum licitum & illicitum) theſin non admittimus. Sin verò *Bell.* loquatur de voto ſancto, & non Monaſtico aut ſuperſtitioſo, concedimus id quod fit ex voto legitimo; etiam in rebus, quæ mandato Dei ab omnibus non requiruntur: quamvis non ex natura rei, neque ex voti fine proprio, ſed ex modo adjuncto, quatenus ex reverentia nominis Dei præſtatur, cultus rationem habeat.

V. *Quæſt. An res à Deo præcepta cadant ſub votum? Reſp.* Negant quidam Pontificiorum, ut *Thomas* & *Bonaventura in* 4. *diſt.* 38. alii verò affirmant citati à *Bell. lib. de Monach. c.* 19. *Bellarminus* autem licet ſtudeat

utroſque

utroſque conciliare, abhibitâ diſtinctione: magis tamen in negativam ſententiam inclinat. Nos verò affirmativam non repudiamus exemplo *Jacobi Geneſ.* 28. *verſ.* 10. & *Annæ* 1 *Sam.* 1. *verſ.* 11. Ubi prior voti pars eſt ex præcepto; Nam *Samuelem* fuiſſe ex tribu Levi certum eſt ex 1 *Chron.* 6. *v.* 27. 28. Omnes verò maſculi Levitici erant Deo conſecrati. *Numer.* 3. *v.* 13. Sed tanti non eſt controverſia hæc, ut ad logomachiam rejici, & diſtinctione expediri non poſſit. Vide *Rivetum in Explicatione Decalog. tit. de Votis Pag.* 101.

VI. *Quæſt. An votum Soli Deo voveri poſſit? Reſp.* 1. *Quia* ſcriptura nullius unquam voti niſi Deo nuncupati meminit, immo & Deo nuncupari exſerte mandat, *Pſal.* 50. confer *Numer* 30. 3. *Deuter.* 23. 23. *Pſal.* 76. 13. *Eſai.* 19. 21. 2. *Quia* ſolus Deus vota animo concepta intelligit. 3. *Quia* ſolus Deus novit omnes in reddendo voto defectus, eoſque ſolus punire poteſt. 4. *Quia* invocatio, ſacrificium, juramentum aliique actus religionis in ſolum Deum dirigendi ſunt. Ergo & votum. Errant ergo Pontificii, qui volunt vota nuncupari Sanctis? *Bell. tom.* 2. *lib.* 2. *de Monach. cap.* 14. ſub finem; etiam *Azorius in ſupra ſect.* 1. citatus: ſed nos negamus ex iiſdem ſcripturæ textibus, & argumentis ſupra allatis.

VII. *Quæſt. An votum ſemel Deo legitimè factum poſſit mutari in aliud ex diſpenſatione Eccleſiaſtica, non permittente neceſſitate aliqua ut prius votum ſervetur? Reſp.* Sic exiſtimant Pontificii, qui aſſerunt ſua vota, præſertim Monaſtica, ex Cauſa rationabili (ut ipſi loquuntur) poſſe ac debere ex diſpenſatione Pontificis mutari: ſed nos negamus; 1. *Quia* cui votum nuncupatur, ille habet jus & poteſtatem diſpenſandi in & de voto. 2. *Quia* illa voti commutatio prohibetur. *Num.* 30. *v.* 3.

VIII. *Quæſt. An liberi invitis parentibus poſſint ſe eorum poteſtati ſubducere ac tale votum vovere, quod impedit ac penitus tollit debita parentibus officia? Reſp. Bell.* affirmat *lib. de Monach. cap.* 36. additâ limitatione, Scilicet, ſi parentes non ſint in tali neceſſitate, ut ſine filiorum adminiculo vivere poſſint. Sed nos frivolam illam limitationem rejicimus, unà cum ſententia affirmativa. 1. *Quia* pugnat cum mandato Dei. Quamcunque enim rem quis ſuſcipit à Deo non mandatam nec neceſſariam; invitis parentibus, *Violat præceptum de honorandis parentibus* Matth. cap. 15. v. 3. 4. 5. 6. 2. *Quia* non licet offerre Deo, quod alterius eſt, invito eo cujus eſt (quale eſt jus parentum in filios): id enim abominatur Deus *Num.* 30. *v.* 2. 3. 4. 3. *Quia* repugnat exemplo Chriſti, qui parentibus ſuis fuit ſubditus *Luc.* 2. *v.* 51. Neque *matris* curam unquam depoſuit, etiam morte inſtante *Joh.* 19. *v.* 27. 4. *Quia* Apoſtolus monet filios, ut parentibus in Domino *Epheſ.* 6, 1. in omnibus obediant. *Coloſ.* 3. 20.

§. 5. Sequuntur problemata de votis in ſpecie.

I. *Quæſt. An voluntaria paupertas ſeu monaſtica rectè Deo voveatur? Reſp.* Negando. 1. *Quia* malum deprecandum, non vovendum. *Proverb.* 30. *v.* 8. *Geneſ.* 28. *v. ult.* 2. *Quia* divitię, aut ſaltem bona ad hanc vitam externa neceſſaria, ſunt gratioſa Dei benedictio & promiſſio; quæ ideo tanquam auctarium amicis ſuis largitur. 1 *Tim.* 4. 8. & *v.* 2. *v.* 6. 8. *Geneſ. cap.* 26.

II. *Quæſt. An omnium bonorum communitas ſit vera paupertas? Reſp.* Neg. Quia ubi nullius rei eſt inopia ibi non eſt paupertas, alias omnes filii Principum qui communiter rem unam poſſident eſſent pauperes. Videatur *Ameſius* de hac nominali paupertate in caſibus conſc. *lib.* 5. *c.* 47.

III. *Quæſt. An mendicitas Deo voveri poſſet? Reſp.* A. Pontificii: ſed nos (præter inane meritum, cui illud mendicitatis votum conjunctum eſt) negamus. 1. *Quia* prohibuit Deus olim mendicitatem in populo ſuo *Deut.* 15. 4. adeoque mendicitatem ſibi diſplicere ſignificavit. 2. *Quia* mendicitatem & egeſtatem deprecatus eſt ſapiens *Proverb.* 30. 8. 3. *Quia* votum mendicitatis impedit majus bonum & præſtantiſſimarum virtutum exercitia, nempe beneficentiæ, liberalitatis, magnificentiæ *Actor.* 10. 35. 1 *Tim.* 6. 4. *Quia* votum mendicitatis eſt latiſſima via ad multa flagitia. Quæ pluribus perſequitur *Ameſ. in Enervat. Bellarmin. tom.* 2. *lib.* 4. *cap.* 5. & *Zepperus in Explanat. legum Moſaic. lib.* 4. *cap.* 26. Sed de his ex profeſſo ad octavum decalogi præceptum.

IV. *Quæſt. An cœlibatus ſeu continentia perpetuâ à Monachis voveri poſſit? Reſp. Bell.* affirmat *lib. de Monachis c.* 9. ſed nos negamus: quia qui vovent continentiam perpetuam incerti de perpetuo continendi dono, temerariè vovent exponendo ſe periculo votum violandi: cum donum continentiæ ſit donum ſingulare, neque omnibus commune *Matth.* 19. *v.* 11. 12. 1 *Cor.* 7. 7. Hujus probè conſcius *Fridericus Nauſea Epiſc. Viennenſ.* temeritatis accuſat ſuos Sacerdotes in Catechiſmo ſuo catholico *lib.* 4. *cap.* 9. ,, cujus verba hæc ſunt: Ejuſmodi votum videntur facere ſacerdotes incautè vaneque, qui perpetuam vovent caſtitatem, & quidem maximè cum ,, conditione, dicentes quatenus per carnis infirmitatem poſſint. Sed quid ſi ,, carnis infirmitas non admittat, & ipſi ſint de iis, qui ſecundum Chriſtum, ,, verbum caſtitatis capere non poſſunt, nec donum continentiæ habere? ,, utrum melius, uxorem ducere an (quod abſit) ſcortari, quod ſub pœna ,, mortis à Deo prohibitum eſt.

V. *Quæſt. An continentia ſit tale donum Dei, ut ſimul ſit in noſtrâ poteſtate? Reſp.* Affirmat *Bell.* nos verò neg. ex *Matth.* 19. *v.* 11. 12. 1 *Corinth.* 7. Sed de dono continentiæ Monachorum & clericorum audiatur *Eſpenceus*

in

in 1 *Timoth.* 3. & Legatus ducis Bavariæ in oratione habita coram Concil. Tridentino ; ſexcenti teſtes veritatis citati ab *Illyrico* in catalogo , & *Pleſſeo* in Myſterio Iniquitatis. Quibus adde antiquas tabulas teſtamentarias multorum Canonicorum Ultrajectinorum , in quibus comparet uſitata illa formula : *filio meo* vel *filia mea* , *quem vel quam eheu genui in peccatis meis* , &c. Atque hi inter peſſimos minus mali , qui non tantum in vitâ ſervârant, ſed & filios agnoſcebant , iiſque benefaciebant. Tantum nunc exhibemus verba *Lotharii Diaconi*, poſtea *Innocentii* III. de contemtu mundi editi a. 1545. Antwerp. in 8. lib. 2. cap. 22. inquiens: *Invadit enim (* loquitur de prava concupiſcentia) *ſenes & juvenes*, *mares & fœminas*, *prudentes & ſimplices* , *ſuperiores & inferiores* , *ad extremam generationem etiam ſacerdotes. Qui nocte venerem amplexantur , mane verò vir ignem venerantur. Turpe dictu', ſed turpiſſimum actu : dici liceat , quod agi non liceat. Nocte filium Veneris agitant in cubilibus , mane verò filium virginis offerunt in altari.*

VI. *Quæſt. An ei qui votum continentiæ habet pejus ſit nubere quam uri & fornicari* ? *Reſp.* Affirmat *Bell. cap.* 30. *lib. de Monach.* ſed nos negamus, quia re honeſtâ uti (quale eſt conjugium *Heb.* 13. *v.* 4.) melius eſt , quam præceptum Dei violare, quod fit fornicando.

VII. *Quæſt. An liceat conjugatis quibuſvis ex conſenſu vovere continentiam* ? *Reſp.* Affir. *Bell. cap.* 37. Nos autem dicimus id iis tantum licere, qui certi ſunt ſe donum continentiæ habere, & ſemper habituros eſſe : quorum prius paucis contigit ; poſterius nemini certum eſt.

VIII. *Quæſt. An per vota monaſtica ſolvatur matrimonium ratum , non conſummatum* ? *Reſp.* Neg. ex *Matth.* 5. *v.* 32. *cap.* 19. 9. 1 *Cor.* 7. *v.* 3. 4. matrimonium ratum eſt matrimonium in foro poli , uti colligitur ex *Matth.* 1. *v.* 20. & quod violatio ejus puniretur eadem pœnâ quâ adulterium *Deuter.* 22.

IX. *Quæſt. An pueri annorum* 14. *& puellæ* 12. *annorum vovere poſſint votum perpetui cœlibatus & voluntariæ paupertatis* , *ac obedientiæ Monaſticæ*? *Reſp. Bell.* aff. nos neg. ex 1 *Cor.* 7. *v.* 37. 1 *Tim.* 5. 11. Deinde abſurdiſſimum eſt iſtius ætatis pueris & puellis tribuere poteſtatem & prudentiam vovendi votum obedientiæ , paupertatis , cœlibatus , cum nondum de donis ſuis & inclinationibus peculiaribus, nec de certis & diſtinctis vitæ generibus judicare poſſint.

X. *Quæſt. An obedientiam Monaſticam , quam indicamus diſp. ſuperiori theſ.* 14. *vovere liceat* ? *Reſp.* Neg. 1. *Quia* qui ita vovent , ſe faciunt hominum ſervos contra *Apoſt.* 1 *Cor.* 7. *v.* 23. 2. *Quia* unuſquiſque in animo ſuo debet planè certus eſſe *Rom.* 14. *v.* 5. quod in hoc voto minimè fit.

3. *Quia*

3. *Quia* omnia exploranda, & quod bonum eſt, retinendum *Theſ.* 5. 21. In hoc voto autem contrarium fit. Confer quæ ſupra diximus *ſect.* 1.

XI. *Quæſt. An Monachus vovendo hæc tria vota, paupertatem, continentiam, & obedientiam, nuntium ſeculo prorſus remittat, eique moriatur, ac ad vitam ſpiritualem ſe transferat? Reſp.* Aff. *Zanchez tom. 2. oper. moral. lib. 5. cap. 1. dum.* 13. nos verò iſtam arrogantiam minimè probamus: cùm contrarium res ipſa loquatur. De his votis monaſticis videri poteſt Apologia Confeſſ. à *Philippo Melanchthone* conſcripta *articuli* vi.

CAP. III.

Quæſtionum textualium circa hypotheſes & fundamentum, explicationes.

Sequuntur nunc problemata textualia: in quibus voces ipſas non explicamus, cum hoc Philologi ſacri & commentatores ſatis præſtiterint: ſed tantum controverſias præcipuas, quas ex iſtis locis pro materia præſenti adverſarii movere ſolent, breviter indicavimus: & verbo determinamus: ſubinde etiam bonos authores indicaturi; qui hæc loca fuſius explicant, & à corruptelis adverſariorum (præſertim Bell.) vindicant.

§. I. QUæſt. *An ex Gen. cap. 4. v. 26. colligi poſſit cultum aliquem divinum peculiarem ipſa Adami, Abelis, Sethi aliorumque tum temporis fidelium religione ſublimiorem, ab Enoſcho fuiſſe inſtitutum, in quo etiam religionem Monaſticam adumbravit? Reſp. Bell.* affirmat lib. de *Monach. cap.* 5. *Thomas Zanchez op. moral. tom.* 2. *lib.* 5. *cap.* 1. *num.* 15. *Azor. Inſt. moral. tom.* 1. *lib.* 11. *cap.* 23. *q.* 5. Nos neg: 1. *Quia* textus tale quippiam non innuit. 2. *Quia* nihil aliud ex textu ejuſque circumſtantiis colligi poteſt, quàm ante Enoſchum natum, cultum divinum fuiſſe obſcuriorem, atque obtinuiſſe inter pauciores: poſtea verò ſub nativitatem Enoſchi magis publicè & ſolemniter, quàm antea, fuiſſe exercitum; quod latuerat, cùm patere cœpit (ex uſu ſcripturæ) tum demum cœpiſſe dicitur. Vide *Cameronem ſuper hunc locum in prælect. de Eccleſia ſub tit.* de *duratione Eccleſiæ perpetua.* 3. *Quia* nullum cultum divinum potuit *Enoſch* inſtituiſſe, nedum peculiarem ac ſublimiorem; hoc enim jure ſolus Deus gaudet 2 *Petri c.* 1. *verſ.* 1. 2. 3. ut pote qui ſolus habet authoritatem leges præſcribendi de ſuo cultu *Jacob.* 4. *v.* 12. 4. *Quia Enoſch* conjugatus in vita politica propria bona poſſidendo vixit. Non potuit itaque ſuo exemplo religionem Monaſticam adumbrare.

II. *Quæſt.*

Digitized by Google

II. *Quæſt. An Eſa. 56. v. 4. Intelligantur tales Eunuchi, qui non naturâ, aut arte, vel etiam caſu tales ſunt: ſed qui voluntariò ſe continere poſſunt, & à conjugio abſtinent? Reſp.* Aff. prius. Neg. poſt. contra *Bell. lib. de Monach. cap.* 9. 1. *quia* donum perpetuæ continentię (quale hic *Bell.* comminiſcitur) eſt ſingulare Dei donum, quod non poteſt ſuſpendi à libera cujuſlibet hominis voluntate *Matth.* 19. *v.* 11. 1 *Cor.* 7. *v.* 7. Vide ſupra *ſect.* 1. Repugnat etiam contextui aſſertio *Bell.* Deus enim non loquitur de Eunuchatu voluntario; ſed conſolatur per Prophetam *Eunuchos* (ut etiam ſteriles *Eſa.* 54. *v.* 1.) adverſus rigidum legis edictum, quo arcebantur *Eunuchi* ab externa populi ſocietate *Deut.* 24. *v.* 1. tanquam homines abjecti, & à benedictione Dei propter illum defectum alieni.

III. *Quæſt. An ibidem Eunuchis voluntariis major gloriæ gradus promittatur, quàm iis quibus numeroſa contigit proles? Reſp.* Neg. contra *Bell.* ibidem: nihil enim plus *Eunuchis* promittitur quam alienigenis V. 3. idque ſub conditione fœderis neceſſariò implendâ; (v. 4.) quod non eſt conſilii (ſenſu quidem pontificio accepti) ſed præcepti maximè neceſſarii. *Deinde* neque ibi ſermo eſt de ſtatu gloriæ, (ut *Bell.* opinatur) ſed de regno Chriſti per prædicationem Euangelii peculiariter erigendo, ac ab omnibus rituum legalium gravaminibus prorſus liberando: in quo etiam abſque reſpectu Judæi aut Gręci *Rom.* 10. *v.* 12. *Act.* 10. *v.* 35. aut etiam ſtatus, vel conditionis 1 *Timoth.* 2. *v.* 4. ſalus per fidem in Jeſum Chriſtum obtinenda certo promittitur. *Epheſ.* 2. *v.* 12. Denique major gloria non promittitur *Eunuchis*, quam omnibus filiis Dei *Rom.* 8. *v.* 17. ſed nomen præſtantius illo nomine quo filii & filiæ naturaliter à parentibus progenitæ ornantur ac nominantur.

IV. *Quæſt. An in parabola Matth.* 13. *v.* 8. *his verbis alia verò (ſcilicet ſemina) ceciderunt in terram bonam, & ediderunt fructum, aliud quidem centena, aliud verò ſexagena, aliud verò tricena, ſignificetur diſtinctio virginitatis, viduitatis & conjugii caſti? Reſp.* Neg. contra ridiculum *Bell.* interpretationem loco paulò ante citato, & *Proſperi Stellarii de fundaminibus ordinum Religioſorum. Cap.* 2. *fol.* 17. *Quia* Chriſtus iſtis verbis nihil agit de continentiæ dono in ſpecie, ſed complectitur omnes fideles, omneſque eorum virtutes, quas ex ſincero verbi Dei auditu hauriunt & in effectum, juxta menſuram donorum, diſtinctis gradibus deducunt. De hac *Bell.* conſequentia, quam ex hoc loco educit, vide *Ameſium in Enervat. Bell. Tom.* 2. *arg.* 6.

V. *Quæſt. An Chriſtus Matth.* 19. *v.* 12. *his verbis qui poteſt capere capiat, conſilium univerſale de perpetua continentia omnibus, modo ipſi velint, indefinite propoſuerit? Reſp.* Bell. Aff. *lib. de Monach. cap.* 9. & 31. & à La-

 pide

pide ſuper hunc locum: Nos neg. eſt enim expreſsè contra verba Chriſti v. 11. dicentis, *non omnes ſunt capaces hujus ſermonis, ſed quibus datum eſt*, & *Pauli* 1 *Corinth. cap. 7. verſ. 7.* Melius olim explicuit hęc verba *Fridericus Nauſea Epiſ. Viennenſis in Catechiſmo Catholico lib. 4. cap. 9.* cujus verba annotavimus præcedenti *diſp. 2. theſ. 5. Probl. 4.* ubi omnibus donum continentiæ eſſe commune disertè negat. Etiam Cajetan. ſuper hunc locum diſſentit à *Bell.* & à *Cornelio à Lapide*. *Non dicit* inquit (ſcilicet Chriſtus) *qui vult, ſed qui poteſt: quia & ſi velles & non ſentis te tantæ conſtantiæ ut poſſis capere tantæ perfectionis munus, non es de numero eorum qui poſſunt capere.* Vide Rivetum in Catholico Orthod. tom. 2. tract. 2. quęſt. 23. ſect. 6.

VI. *Quæſt. An ibidem Matth. 19. v. 12. Chriſtus etiam his verbis, & ſunt Eunuchi qui ſe ipſos caſtrarunt propter regnum cœlorum, perpetuam continentiam ſingularis gloriæ verè meritoriam eſſe dixerit? Reſp.* Neg. contra *Bell.* ex iiſdem argumentis, quibus vana merita papiſtica improbamus. *Deinde* neg. etiam iſtis verbis proponi regnum cœlorum (ut volunt Pontificii) tanquam mercedem virginitatis, vel perpetui cœlibatus; (alias enim vita æterna non eſſet gratuitum Dei donum: quod eſt contra *Apoſt. Rom. 4. v. 4. Collat.* cum *cap. 6. 23.*) ſed tanquam finem, quem ut commodiùs quidam aſſequantur ornati à Deo dono perpetuæ continentiæ (ſecundum Chriſti mentem) caſtrant ſe h. e. continent ſe, propter regnum cœlorum tum in ſe, tum in aliis expeditiùs promovendum, reſpectu hujus vel illius circumſtantiæ: id quod fit per jugem ac non impeditam ſacrarum literarum meditationem, ut patet ex collatione doctrinæ *Pauli 1 Corinth. 7. v. 34. 35.*

VII. *Quæſt. An Paulus 1 Cor. 7. donum perpetuæ continentiæ ſimpliciter conjugio præferat, omnibusque tanquam bonum præſtantius, ac amplioris gloriæ in vita æterna verè meritorium, commendet? Reſp.* Aff. *Bell. lib. de Monach. c. 9.* & 30. Nos verò neg. 1. *quia* pugnat cum ſanctiſſimo Dei inſtituto *Gen. 2.* & exemplis ſanctorum Patriarcharum ac Prophetarum, qui conjugio & cubili impolluto *Hebr. 13. v. 4.* ſanctè uſi ſunt, Deoque placuerunt. 2. *quia* ſententia affirmativa tanquam errorum periculoſorum ſeminarium falsò Apoſtolo affingitur; expreſsè enim *v. 26* indicat ſuam ſententiam non ſimpliciter, ſed cum certo reſpectu eſſe, accipiendam *propter inſtantem* inquit *neceſſitatem, bonum eſt homini ita eſſe* ſcilicet abſque uxore: quæ Apoſtoli ſententia non quoſvis complectitur, ſed quibus Deus donum continentiæ impartitus eſt *v. 17.* Deinde meritum quod Pontificii cœlibatui aſſuunt & quidem ſupererogationis, eſt pluſquàm Phariſaicum. Neque enim Phariſæi eò audacię progreſſi ſunt, ut perpetuam continen-

tiam

Digitized by Google

tiam tam ſuperſtitioſè ac Pontificii voverint. Quamvis à conjugibus (ſi *Epiphanio* credendum eſt *tom.* 1. *lib.* 1. *hæreſ.* 15.) aliqui eorum quadriennium, aliqui octennium, nonnulli etiam decennium abſtinebant, & tempore illo durante peculiares purpuræ fimbrias gerebant, ut hominibus continentiæ ſuæ Profeſſionem oſtentarent: quo facto æmulari noluerunt Eſſęos, quorum facta propter abſtinentiam à conjugio in magna authoritate & admiratione apud Judęos tunc temporis habita fuerunt. Sed *Epiphanius* (meâ quidem ſententiâ) intelligendus eſt de illis Judæis, qui hęreſi Phariſaicâ infecti erant; & non de veris fidelibus; quia ſi ſterilitas apud Judæos pro magnâ depreſſione habita fuit; pii Judæi ob ſanctitatem admirati non ſunt, eos, qui quæſitam quandam ſterilitatem (contra Dei promiſſionem) affectabant, ac procurabant. *Denique* negat *Cajetanus* ſuper hunc locum *v.* 25. voce Græcâ *γνώμη* conſilium denotari; ſed ſententiam. Et ſi omnino concederemus vulgatum interpretem rectè vertiſſe conſilium: tamen conſilium papiſticum de aliquâ perfectione ipſam mandatorum obſervantiam tranſcendente, ex eo ſequi pernegamus. Vide de hoc loco *Hoſp. lib.* 3. *de origine Monach. cap.* 1. *fol.* 31. ubi multa hiſtorica de falſa hujus loci interpretatione notantur. Et *Rivetum in Catholico Orthod. tom.* 2. *tract.* 2. *quæſt.* 23. *ſect.* 10. & 11. & *Ameſ. in Enervat. Bell. Tom.* 2. *lib.* 4. *cap.* 2. *theſ.* 13.

VIII. *Quæſt. An Apo.* 14. *v.* 3. & 4. *virgines, hoc eſt, qui in terris virginitatem ſervarunt, aſſerantur peculiari præmio in vita æterna coronandi, ex eo quia illi tantum canticum agni diſcere potuerunt? Reſp.* Negatur contra *Bell. cap.* 9. 1. *quia* per virgines intelliguntur omnes verè fideles (*Cantic.* 1. 4. 2 *Corinth.* 11. 2.); & hic ſpeciatim, qui ſe idololatriâ meritricis magnæ non macularunt. 2. *quia* illa chariſmata, quæ falſò *Bell.* tantum iis tribuit, qui ex voto virginitatem ſervarunt, omnibus fidelibus ſunt communia. Nihil ergo hic implicitè conſulitur, pręterquàm, ut abſtineamus ab idololatria, cujus Pontificii multis modis tenentur.

IX. *Quæſt. An Matth.* 19. *v.* 21. *Chriſtus juveni omnium bonorum venditionem (quam pontificii paupertatem Euangelicam nominant) non præceperit, ſed conſilium præcepto Dei contra-diſtinctum de majori gloriæ gradu obtinendo dederit? Reſp.* Neg. contra *Bell. lib. de Monach. cap.* 9. 1. *quia* oratio eſt imperativa *abi vende omnia*, &c. 2. *quia* præcipiebatur illi dilectio Dei, quæ eſt epitome *Matth.* 22. *v.* 23. primæ decalogi tabulæ. 3. *quia* omnibus Chriſtianis præcipitur abdicatio bonorum, in quantum hominem Chriſtianum in curſu ſuo remorari poſſunt *Luc.* 12. 33. & 14. 26. *Phil.* 3. 7. 8. Ergo illi non potuit non præcipi. Quod verò ipſi in tanto gradu hoc præceptum datum fuit, id ideo factum, ut perfectionis ſuæ experimen-

mentum daret. 4. preterea fruſtra laborat *Bell.* hîc pro opere ſupererogationis gratis confiсto; juvenis enim non moverat quæſtionem de gradu valde excellenti obtinendo præ aliis in vita æterna: ſed abſolutè quærit à Chriſto *quid boni faciam ut vitam æternam poſſideam?* v. 16. ad quod ſi Chriſtus non reſpondiſſet directè, ſtatum queſtionis immutaſſet: quod ſequitur ex mente *Bell.*

X. *Quæſt. An ibidem ille adoleſcens perfectè legem impleverit adeò ut ſufficerit ipſi ad ſalutem? Reſp.* Neg. Contra *Bell.* 1. *quia Chriſtus v.* 23. ipſius exemplo tanquam argumento utitur ad demonſtrandum tales divites non facile introire in regnum cœlorum, qui divitias pluris ęſtimant quàm dilectionem Dei & regnum cœlorum. Jam verò ſi legem ille perfectè ſervaſſet, nullum foret argumentum Chriſti: cùm ille perfectè legem Dei præſtando (ſecundum *Bell.*) hæres fuerit vitæ ęternæ. 2. *quia* ille qui ex *toto corde* ſecundùm omnes gradus (quod eſt ultimus apex perfectionis legalis) paratus eſt Deo obedire, etiam paratus erit omnia ſua bona propter Deum & regnum Cœlorum relinquere. Sed in hoc juvene contrarium Chriſtus ipſe expertus eſt. 3. *quia* expreſsè notatur apud *Marc.* 10. *v.* 21: ipſius imperfectio: *unum eſt* inquit Chriſtus *quod te deficit.*

XI. *Quæſt. An Chriſtus ipſum juvenem Matth.* 19. *ideo dilexerit (ut dicitur à Bell.) Marc.* 10. *v.* 21. *quia legem Dei, uti dixit, perfectè impleverat? Reſp.* Neg. quia legem, uti dixerat, non impleverat, ut modo oſtenſum eſt. Sed potuit Chriſtus (tanquam verus Propheta & Paſtor Iſraelis, ad perditas oves Iſraelis primùm conquirendas à Patre miſſus *Matth.* 15. *v.*24.) perſonam ipſius diligere, non obſtante conatu ipſius cum errore conjuncto. Ideo etiam noluit ipſum tam ſeverè (ac alios Phariſęos) perſtringere, ne omnem ſpem ſtatim abjiceret: ſed proprio ipſius exemplo erroris ipſum prudentiſſimè convincit, ut oſtenderet, ipſum à Phariſęis de lege obſervandâ non rectè fuiſſe imbutum. Vide de hoc loco Piſcatorem in N.T. ubi genuinum hujus loci ſenſum adverſus *Bell.* vindicat.

XII. *Quæſt. An illud mandatum (vel conſilium ut vult Bell.) iſti juveni datum fuerit univerſale vel ſingulare? Reſp. Bell.* anxiè laborat *lib. de Monach. cap.* 9. ne evincat fuiſſe univerſale. Nos verò concedimus illi juveni tum ſingulariter hoc mandatum fuiſſe pro illa temporis circumſtantia: nihilominus tamen dicimus etiam alios quoſvis obligare; ſi modo res ſit in talibus circumſtantiis, ut mandatum iſtud præſtandi, neceſſitas ſe offerat. Sed hoc nihil juvat cauſam *Bell.*

XIII. *Quæſt. An Paulus* 1 *Cor.* 9. *toto capite oſtendere conetur ſe plus feciſſe, quàm ſibi eſſet à Chriſto præceptum; proinde opus ſupererogationis aſſerat? Reſp.* Neg. contra *Bell. cap.* 9. *de Monach.* 1. *quia* Paulus toto capite docet

Digitized by Google

docet ſe de ſuo propter ſcandalum evitandum remiſiſſe, quod omnibus Chriſtianis ad evitandum ſcandalum faciendum eſt 1 *Cor.* 8. 11. 2. *quia* illius boni omiſſio quod Paulus ſe feciſſe teſtatur conjuncta erat cum interruptione Euangelii Chriſti *v.* 12. ad quod evitandum Paulus mandato Chriſti tenebatur. 3. *Quia* Paulus opus ſupererogationis hic prædicare non potuit; cujus contrarium alibi docuit 1 *Cor.* 4. *v.* 4. *Philip.* 3. *v.* 8. 9.

XIV. *Quæſt. An detur major perfectio reſultans ex conſiliorum Euangelicorum obſervatione, in qua Monachi cæterique Religioſi eſſe debeant ac poſſint, in ſtatu gratiæ, illâ, quàm docet Chriſtus Matth.* 5. *v.* 48. *& ad quam aſpirandam omnes filios Dei hortatur? Reſp.* Aff. *Bell. lib. de Monach. cap.* 9. Nos verò contenti illâ perfectione, quâ omnes filii Dei in Chriſto adoptati gaudent, toto pectore deteſtamur perfectionem Monaſticam, Phariſaico auſu confictam. Vide *Ameſium de hoc loco in Enervat. Bell. Tom.* 2. *lib.* 4. *cap.* 2. *theſ.* 11.

Sequuntur rurſus ejuſdem generis problemata de votis in ſpecie.

I. *Quæſt. An Matth.* 19. *v.* 12. *Eunuchorum appellatione Eunuchi qui ſe-ipſos caſtrarunt propter regnum cælorum à Chriſto votum perpetuæ continentiæ indigitetur? Reſp.* Neg. contra *Bell. lib. de Monach. cap.* 23. *quia* nomine Eunuchorum Chriſtus vult indicare eos qui ex dono & vocatione Dei à conjugio abſtinent: non quoad facultatem aut poteſtatem, ſed quoad actum & exercitium. Vide Piſcatorem in N. T. ſuper hunc locum, & *Rivetum in Catholico Orthodoxo tom.* 2. *tract.* 2. *quæſt.* 23. *ſect.* 7. §. 1.

II. *Quæſt. An Maria virgo Luc.* 1. *v.* 34. *Angelo annuncianti ipſam certò concepturam ac filium parituram his verbis, quomodo fiet iſtud quoniam virum non cognoſco, ſignificaverit votum iam de perpetua virginitate emiſſum? Reſp.* Neg. contra *Bell. cap.* 23. *quia* Maria iſtis verbis non votum perpetuæ continentiæ, ſed actum conjugii ſe nondum expertam ſummâ cum modeſtiâ teſtatur, proinde ſe non ſcire quomodo id fieri poſſet, quod ipſi Angelus annunciaret, niſi etiam de modo edoceretur. Non improbat Cajetanus ſuper hunc locum in N. T. noſtram explicationem: inquiens, *quærit modum, quo fieret mater, cum expers fuerit virilis commercii. Non dixit non cognoſcam, ſed non cognoſco: quia intellexerat verba Angeli tunc impleenda, dicente Angelo, ecce concipies: quomodo nunc concipiam, quoniam in præſens viri cognitionem non habeo, id eſt, virgo ſum.* Deinde non eſt vero ſimile Mariam vel ex eo perpetuam virginitatem voviſſe (quæ fuiſſet quæſita quaſi ſterilitas) quum cognata ejus Elizabetha tanquam probrum *Luc.* 1. & malum deprecandum appellat, ut etiam *Anna* mater *Samuelis* 1. *Sam.* 1. Denique mores Judæorum votum perpetuæ virginitatis non tuliſſe annotat *Hoſpinianus Lib.* 3. *de origine Monach. cap.* 12. *Pag.* 70. *b. ex Auguſtino de*

 vir-

virginitate cap. 4. & *R. Salom. in cap.* 9. *Geneſ. etiam R. Kimchi in cap.* 56. *Eſa.* Quod colligi poteſt ex *Exod.* 23. *v.* 26. & *Deut.* 7. 14.

III. *Quæſt. An Paulus Apoſtolus* 1 *Cor.* 7. *v.* 7. *his verbis volo omnes eſſe, ſicut me ipſum, id eſt cœlibes; tam abſolutè votum perpetui cœlibatus omnibus ſuaſerit eligendum, ut non curârit, etiam ſi mundus finiendus eſſet? Reſp.* affirmat *Bell. Lib. de Monach. cap.* 31. prope initium cap. Nos vero neg. illam ſententiam Manichæam & Paulo Apoſtolo prorſus contumelioſam. 1. *Quia* incurrit in jus Dei inſtituentis conjugium, quo mediante voluit genus humanum propagari, ut numerus electorum compleretur. Quod verò refert ex *Auguſtin. Bell.* quòd multò citiùs civitas Dei compleretur, & acceleraretur terminus ſeculi. Illud nihil eſt; quia Deo contrarium placuit, ut pote qui noluit homines creare ſicut angelos quod ad originem ſuam independentes âb aliis angelis: ut ſingulos ipſe immediate ex *nihilo*, aut materiâ inhabili produceret, ſicut Adamum. Manente itaque hac hypotheſi quod Deus voluerit humanum genus propagari ad gloriam ſuam, contrarium ſine contradictione ſuaderi non poteſt.

IV. *Quæſt. An* 1 *Tim.* 5. *v.* 12. *Apoſtolus per primam fidem irritam factam intelligat violationem voti de perpetuâ continentiâ emiſſi? Reſp.* Neg. contra *Bell. lib. de Monach. cap.* 24. *quia* nuſquam in ſcriptura fides ſignificat votum perpetuæ continentiæ. Quod ipſemet *Bell.* cogitur *Luthero* fateri loco modo citato. Nihil aliud per *primam fidem* intelligi poteſt ex analogia contextûs, quàm illa fides ſeu ſpontanea promiſſio, quâ viduæ quædam operam ſuam Eccleſiæ promittebant, & inter Diaconiſſas nomen ſuum ad curandos pauperes, profitebantur. Dicitur autem *fides prima* ratione iſtius fidei ſecundæ, quâ ſe novo marito rurſus adſtringebat. Neque hic *Paulus* nuptias damnat, immò junioribus ad generandum aptis, ut nubant exſertè mandat. Sed damnat illarum viduarum inſolentiam, quæ Eccleſiæ miniſterio ſe addixerant ad ea munia obeunda, quæ iſti ſexui conveniebant: nihilominus tamen vel ob laborem, vel ob humilitatem muneris prætexebant pigritiei, vel faſtui neceſſitatem nubendi: vult igitur Apoſtolus tales potiùs nubere, & ab hoc munere ſimpliciter arceri, quàm inter Diaconiſſas recipi. Ne propter lubricitatem naturæ juvenilis ſibi ipſis maximum damnum inferant, & adverſariis ſcandalum præbeant. Vide *Cameronem* de hoc loco in *Prælect. in* 19. *cap. Matth. ſub tit.* imprimis *Specialis conſideratio tentationis Phariſæorum.* & *Danæum in comment.* ad hunc locum. *Deinde* nullum teſtimonium potuit *Bell.* adducere quàm hoc Apoſtoli affectatæ, & violentæ, & temere promiſſæ Monachorum Monialiumque, ἀγαμίᾳ magis adverſum, conſilium ſapientiſſimum ac monitum utiliſſimum v. 14. *volo igitur juniores nubere, liberos gignere, domum adminiſtrare.* Unde tale

con-

Digitized by Google

conſectarium Pontificiis inculcamus: ſi ſpiritus S. per os *Pauli* cœlibatum viduarum non permittebat niſi in ætate jam provectâ, & quæ periculum incontinentiæ evaſit: ſequitur votum puellarum, fœminarum juvencularum perpetuæ continentiæ eſſe laqueum; quippe quum illæ periculum incontinentię nondum evaſerint. Quod etiam benè Cajetanus Papiſta in Comment. N.T. obſervat: *Didicit* inquit *ab experientia Paulus non conducere illis juvenculis viduis, nec conducere Eccleſia hujuſmodi profeſſionem. Utinam hodie diſceremus ab hujuſmodi experientiis, an proſint iuvenibus ætatis utriuſque ſexus perſonarum ſolemnia vota, tum ſacrorum ordinum, tum religionum.* Plures quærelas vide apud alios Pontificios quos indicat *Rivetus in Catholico orthod. tom.* 2. *tract.* 2. *quæſt.* 23. & *Hoſpin. de origine Monach. lib.* 3. *cap.* 13. *ſub tit. Error* XIII. *pag.* 93. & alibi paſſim. Vide etiam *Balaum cent.* 4. *c.* 50. *in appendice.*

V. *Quæſt. An Matth.* 5. 3. *Chriſtus per pauperes ſpiritu intelligat & quidem primariò ſpontaneos pauperes, qui voluntariam vovent paupertatem? Reſp.* Neg. contra confictam *Bellarm.* explicationem *lib. de Monach. c.* 20. Renuit enim contextus; quandoquidem illos Chriſtus prædicat beatos, qui propriæ ſuæ injuſtitiæ ac miſeriæ ſenſu oppreſſi gratiam Dei (propter unius Chriſti meritum fide apprehenſum,) unicè deſiderant: quod eſt primus ad veram beatitudinem gradus. Hic quoque diſſentit à Bell. Cajetanus ſuper hunc locum: *Nec dicit* inquit *beati pauperes, ſeu mendici ſtatu, hoc eſt profeſſione paupertatis (quales ſunt religioſi profitentes tria vota) ſed dicit pauperes ſeu mendici ſpiritu: quoniam pauperes ſeu mendici ſtatu multi ſunt, qui nolunt aliquid ſibi deeſſe: ſtatum paupertatis profitentes ſed ſpiritum paupertatis non habent.* Nihil etiam eſt aliud paupertas religioſa, quàm divitiarum incertarum ſtabilimentum; divites enim paupertatem voventes, nihil aliud agunt, quàm ut incertiora ſtabiliant, dum privata bona relinquentes, communionem divitiis affluentem ingrediuntur. Illa etiam mendicitas quæ religioſa dicitur, revera nihil eſt aliud, quàm Phariſaica ſuperbia cum ſtultitia conjuncta.

VI. *Quæſt. An Matth.* 19. *v.* 21. *ex his verbis, ſi vis perfectus eſſe, abi, vende quæ tibi ſuppetunt, & da pauperibus & habebis theſaurum in cœlo, rectè inferatur votum voluntariæ paupertatis? Reſp.* Neg. contra *Bell.* Nulla enim fit mentio voti: de quo iterum rectè Cajetanus ſuos monet: *Attende* inquit *(prudens lector) quod nullum indicitur à Jeſu votum volenti perfectionem aſſequi: quia non in vinculis votorum, ſed in operibus conſiſtit perfectionis aſſecutio.*

VII. *Quæſt. An Chriſtus Luc.* 14. *v.* 33. *cum ait: ſi quis non valedicit omnibus ſuis, non poteſt eſſe meus diſcipulus, votum perpetuæ paupertatis*

tatis ad perfectionem aſpirantibus præſcribat? Reſp. Neg. contra neotericos Pontif. quia hoc omnibus fidelibus dictum eſt *v.* 25. quod *D. Rivetus* etiam ex Pontificiis quibuſdam demonſtrat *in Catholico Orthod. tom.* 2. *tract.* 2. *q.* 23. *ſect.* 4.

VIII. *Quæſt. An communio bonorum Act.* 4. *v.* 32. *à primis Chriſtianis pro illa temporis circumſtantiâ obſervata fuerit vita cœnobitica Monachalis? Reſp.* Neg. contra *Bellarm. lib. de Monach. cap.* 20. alioſque Pontificios. 1. *quia* non fuit cum merito ſupererogationis conjuncta: quod eſt fundamentum hodiernæ vitæ cœnobiticæ. 2. *quia* non fuit cum voti neceſſitate ſuſcepta. 3. *quia* non fuit etiam cum voto perpetuæ continentię & obedientiæ regularis, conjuncta: vita autem cœnobitica in rigore ſuo & perfectiori gradu hodiè à Monachis obſervanda, ac vita conjugalis ſunt prorſus incompatibilia. 4. *quia* illa bonorum communio non admittebat ſtatum mendicitatis *v.* 34. aut cucullatæ vitæ oſtentationem, quâ multis ſumma religio eſt hodie famam ſanctitatis aucupari. Vide plura de hoc loco in *Hoſp. lib.* 6. *de orig. Monach. cap.* 11. *animadverſione decimâ regularum Franciſci fol.* 210. & *in Rivet. Catholico Orthod. tom.* 2. *quæſt.* 23. *ſect.* 14.

IX. *Quæſt. An Ananias & uxor eius Saphira Act.* 5. *voto Monaſtico promiſerint pretium poſſeſſionis ad pedes Apoſtolorum deponendum? Reſp.* Neg. Non enim omnis promiſſio eſt votum.

X. *Quæſt. An ibidem Ananias & uxor ejus ideo pœnas dederint, quod votum paupertatis violaſſent, aliquid proprii clam reſervando? Reſp.* Neg. contra *Bell.* loco jam ſæpè citato: ſed propter mendacium cum ſacrilegio conjunctum. Prædium enim ſuum Ananias ſpontè in commune Eccleſiæ bonum de facto donaverat: poſtea verò ex pretio rei non ſuę, ſed à ſe donatæ, uxore conſentiente, aliquid interverterat: cujus peccati pœnas dedit. Deinde fruſtrà laborat *Bell.* ut exemplo Ananiæ votum paupertatis ſtatuminet. Poterat enim *Ananias* ejuſque uxor & ſua retinere ante promiſſionem & Chriſtianus eſſe. Monachis autem non licet bona privata cum ſtatu Monaſtico retinere. Plura vide de hoc loco in *Riveti Catholic. Orthod. tom.* 2. *tract.* 2. *q.* 23. *ſect.* 14.

XI. *Quæſt. An his locis Matth.* 16. 24. *Luc.* 10. *v.* 16: *Hebr.* 13. *v.* 17. *votum Obedientiæ Regularis ſuadeatur? Reſp.* Neg. contra *Bellarm. lib. de Monach. cap.* 21. quia in iſtis locis nihil continetur, quod non ſit omnibus fidelibus commune, ut ex antecedentibus & conſequentibus apparet. Locum *Matth.* 16. *v.* 24. confer cum *Matth.* 10. 37. & *Marc.* 8. 34. *Vide Rivet. in Catholico Orthod. tom.* 2. *tract.* 2. *quæſt.* 23. *ſect.* 1.

Cap.

Digitized by Google

CAP. IV.

Quæſtiones hiſtoricæ, circa hypotheſes & fundamenta Monachatus.

SEquuntur problemata *Hiſtorica*: quæ ſunt duorum generum *ſacra* nimirum, & *Eccleſiaſtica. Sacra ſeu Biblica ſint iſta.* §. 1.

I. *Quæſt. An inſtitutum & votum Nazaræorum, ſalvâ manente religione Chriſtianâ hodie imitari liceat, ac proinde non errent Monachi quod imitari dicant ſe Nazaræos? Reſp.* Neg. *quia* Chriſtianis non eſt ad cæremonias Leviticas regrediendum. Sed de hoc alibi ex profeſſo agendum. Neque *Paulus* Apoſtolus *Act.* 21, *v.* 26. inſtitutum ac vota Nazaræorum ſuo exemplo revocare voluit: ſed re (quod ad externum & materialem uſum) mediâ ac adiaphorâ (quales tempore illo adhuc erant cæremoniæ quædam, tantiſper dum honeſtè ſepelirentur, & pleniùs patefieret Judæis Chriſtiana libertas) ex lege charitatis ſeptem diebus iſtâ cæremoniâ uſus eſt, ut infirmos Judæos converſos *v.* 20. in fide Chriſti confirmare, alioſque Chriſto lucrifacere poſſet: donec opinio cæremoniarum, magnum tunc fidei recipiendæ impedimentum, plenariè ipſis eximi poſſet. Idem etiam judicandum de circumciſione Timothei *Act.* 16. *v.* 3. *coll.* cum *Galat.* 2.

II. *Quæſt. An votum Nazaræorum à Deo per Moſchen inſtitutum habeat aliquid commune cum votis Monachorum? Reſp. Bell. lib. de Monach. cap.* 5. ex votis Nazaræorum conatur probare Monachatus antiquitatem. Nos dicimus nihil commune habere Monachos cum votis Nazaræorum. 1. *quia* inſtitutum & votum Nazaræorum expreſſo Dei mandato nitebatur *Num.* 6. Monaſtica autem vota ſunt inventa humana, & ſuperſtitioſa. 2. *quia* Nazaræi ſoli Deo vovebant: Monachi verò etiam Sanctis demortuis & hominibus viventibus, Prælatis ſcilicet, tanquam vicem Dei (ut ipſi loquuntur) inter Religioſos tenentibus. 3. *quia* inſtituto Nazaræorum, non erant iſta tria vota (ſcilicet perpetui cœlibatus, voluntariæ paupertatis, & Obedientiæ Regularis,) annexa; quibus ſublatis tollitur Religio Monaſtica. 4. *quia* votum Nazaræorum ſtato tempore reſolvebatur, & ad priſtinum ſtatum redire poterant: Singulare enim eſt, quod *Simſon*, & *Samuel* ad finem uſque Nazaræi manſerint. Votum autem Monachorum eſt perpetuum & prorſus peremptorium: cujus violatio cum æterno ſalutis diſpendio conjuncta eſſe à monachis putatur. Immò tanquam apoſtata coram eccleſia anathemate condemnari jubetur in 4. Synodo Toletana. 5. *quia* Nazaræi ab omni potus genere (dum eſſent Nazaræi h. e. ſeparati) gulam irritante &

inebriante abſtinere ex mandato Dei tenebantur. Monachi autem nihil minus. Hactenus enim nulli inventi ordines, qui abſtinentiam à vino aut bonâ cereviſiâ voverent. Ne quid hic dicam de ipſorum intemperantiâ, juxta illud vulgatum: O *Monachi veſtri ſtomachi ſunt amphora*; (al. *pocula*) *Bacchi*. 6. *quia* Nazaræis funeribus intereſſe non licebat, aut mortuos curare: Monachis autem nihil eſt utiliùs ac jucundiùs quàm funeribus intereſſe, ac opimis legatis inhiare. Vide inter Eraſmi colloquia, *Funus*. Alia quàm plurima diſſimilitudinis argumenta recenſeri poſſent, ſed hæc hîc annotaſſe ſufficiat. Qui plura deſiderant videant *Cornel. à Lapide in lib. Numer. cap.* 6. ubi decem comparationes inter Nazaræos & Monachos enumerat, ex noſtris *Hoſp. lib.* 1. *de Orig. Monach. cap.* 6, ubi diſſimilitudinis inter Nazaræos & Monachos 13. ſumma capita recenſet. Ex quibus *à Lapide* ſatis refutari poteſt. Vide etiam *P. Martyr. in locis comm. claſſ.* 3. *ſect.* 6.

III. *Quæſt. An Rechabitæ, qui in populo Iſraëlitico auſterius aliquod vitæ genus ex præſcripto Jonadabi filii Rechab obſervabant, fuerint veri Monachorum typi? Reſp.* aff. *Bellarm.* ex Hieronymo loco modo citato. Nos Neg. Neque videmus quâ ratione *Hieronymus* hoc dixerit, niſi ob aliquam vix ſimilitudinem, quam habere poterant Monachi, *qui ipſius tempore* ſimplicius vitæ genus amplectebantur. Aliâs *Hieronymus* in vita *Pauli Eremitæ* inſtitutum vitę Monaſticę non aliunde, quàm ab ipſius *Pauli Thebæi* tempore repetit, quem etiam primum Eremitam fuiſſe hiſtorici teſtantur. Vide *ſupra ſect.* 1. *cap.* 1. Sed ex qualibet ſimilitudine typum concludere temerarium eſt. Deinde nullo modo potuerunt Rechabitæ Monachos adumbrare, quia quod ad pręcipua Monachatûs requiſita ipſis admodum ſunt diſſimilia. Nam Rechabitæ præcepto obſtringebantur ad placitum paternum obſervandum: nec erat penes ipſos id omittere vel non omittere. At verò Monachi ſua conſilia poſſunt acceptare, vel omittere: præſertim ſi quis deſiderio gradus amplioris gloriæ futuræ non flagret. Denique inſtitutum Jonadabi non erat peculiaris religionis gratiâ ſuſceptum (quod perpetuò Monachatui ſuo Pontificii ſubſtruunt) nec cum opinione meriti conjunctum: ſed propter aliquas ipſorum certas cauſas rationabiles (ut ipſorum linguâ loquamur) atque etiam extraordinarias prudenter à *Jonadabo* excogitatum. Vide illas cauſas in locis communibus *Petri Martyris claſſ.* 3. *cap.* 6. *ſect.* 25. 4. *ſeq.* & *in animadverſionibus D. Riveti ad annotata Hugonis Grotii* in conſultationem *G. Caſſandri ſub tit. de Monach. pag.* 201. & ad Votum ejuſdem *Grotii* pro pace Eccleſiæ. Notant docti etiam præter rationes Politicas alias quoque cauſas theologicas ſub hoc inſtituto latuiſſe: quod an intenderit *Jonadab* cum iſtud præceptum filiis traderet, nos in medio re-

Digitized by Google

linquimus ſaltem hoc addimus, ex hoc inſtituto tanquam verbo Dei non adverſanti per accidens aliquid poſteà promanaſſe, quod ad religionis Orthodoxæ puritatem, & legis meditandę ſtudium ſpectaret. Sed ex eo concludere ſpecialem Deum colendi modum (ut Pontificii volunt) nimis frivolum eſt. *Praterea* Jonadab filiis ſuis tria præcipue obſervanda mandabat: 1. ut vinum non biberent. 2. agros & vineas ne colerent. 3. etiam in urbibus non habitarent, ſed in tentoriis perpetuò vitam ambulatoriam viverent. Quorum nullum Monachis convenit. Siquidem tales domos poſſident (præſertim Benedictini, & Lojolitæ) ac inhabitant, ut meritò poſſint cum principum palatiis conferri. Nec vinum aſpernantur, niſi forſan dilutum, aut *landonium* (technologema hoc clericis & ſtudioſis Lovanienſibus notum): ſed etiam ex regionibus remotiſſimis ſedulò advehi curant. Ubi verò locorum terra eſt vini feraciſſima, illic poſſident vineta præſtantiſſima: quibus adjungunt etiam agros fertiliſſimos. Neque urbes fugiunt, ſed eas frequenter viſitant, immò in illis plerique nunc habitant. *Inſuper* Rechabitæ per omnia politicè vivebant, propria bona poſſidendo, uxores & familias ſuſtendando *v.* 8. *Jerem.* 35. quæ omnia ſanctioris vitæ Monachi citra piaculum & ſacrilegium (ſecundum religionem Monaſticam) facere nequerunt.

IV. *Quaſt. An Rechabita obediendo paterno pracepto plus fecerint quam lex divina praciperet, adeò ut Deus largam remunerationem illis polliceretur? Reſp.* Aff. *Bell. lib. de Monach. cap.* 21. & *à Lapide ſuper cap.* 35. *Jerem.* ubi multa paradoxa gratis. Nos verò dicimus ex textu non conſtare factum Rechabitarum à Deo tantopere laudari (ut *Bellarm.* opinatur,) ſed objici contumacibus Izraëlitis, qui minoris faciebant divina Patris cœleſtis, quàm filii Jonadabi patris ſui terreni, pręcepta. Et hoc erat argumentum, quo Deus Iſraelitas perſtringebat: quod etiam *Bellarm.* concedit. Deinde vanum eſt etiam quod *Bellarm.* dicit ex Rabano Rechabitas plus feciſſe (h.e. majus & perfectius bonum; hęc enim eſt theſis Pontificiorum,) quàm lex Dei præcepit: ac ſi legis divinę (quæ ſpiritualis eſt *Rom.* 7. 14.) impletio ex iſtis abſtinentiis, & obſervantiis externis æſtimanda eſſet. Denique quod ingeminant *Bellarm.* & *à Lapide* illas res non mandari lege divina, quas Rechabitas obſervaſſe ſacra hiſtoria teſtatur, hoc parum facit pro cauſa adverſariorum; ſatis enim eſt quod pręcepto quinto mandetur parentibus eſſe obediendum, ex quo reſultabat obediendi neceſſitas in omnibus, quæ Deo & conſcientiæ non repugnant. Neque ſatis facit argumento (quod ſibi objicit *Bellarm.*) quod fere coincidit cum hoc noſtro reſponſo. Qui plura deſiderat de Rechabitis, adeat Elenchum *Triberefii Scaligeri* adverſus *Nicol. Serrarium cap.* 23. 24. & 25. & *Petrum Martyrem* loco antè citato.

V. *Quæſt. An Elias & Eliſæus cæteriique Prophetarum filii fuerint Monachi? Reſp.* Aff. *Bellarm. c.* 5. ſuffultus authoritate *Hieronymi.* Nos verò negamus; *quia* Elias & Eliſæus non arbitrio ſuo iſtud vitæ genus amplexi ſunt; ſed peculiari & extraordinario motu ac monitu Dei. Monachi autem ſponte (interdum malis & ridiculis occaſionibus) ac ſuperſtitiosè vitam Monaſticam ſuſcipiunt, ineſcati in Papatu opinione alicujus angelicæ perfectionis, & aureolæ in futura vita ſupra communem fidelium gloriam, obtinendæ. *Deinde* filios Prophetarum etiam Monachos fuiſſe, & ſine uxoribus vixiſſe, perperam dicitur; plerique enim Prophetarum conjugati fuerunt: ut *Moſes Exod.* 2. & 4. *Samuel* (præſidens collegio prophetarum) 1 *Sam.* 8. *Nathan.* 1 *Reg.* 4. 5. *Eſaias Eſa.* 8. 3. *Ezech.* 24. 18. Idem non obſcurè de filiis Prophetarum colligitur (ſi non de omnibus, ſaltem de plurimis) 2 *Reg.* 4. *v.* 1. & 2 *Reg.* 22. *v.* 14. mentio uxorum & viduarum. Conferantur quæ ſuprà de his notamus. Et *Hoſp. lib.* 1. *de Orig. Monach. cap.* 8. *Molinæi Vates. c.* 17. 18. 19. ubi *Bellarminus* cum citato *Hieronymo* examinatur.

VI. *Quæſt. An Joh. Baptiſta ab ipsâ infantiâ* 30. *annis ad exordium uſque prædicationis Euangelicæ in duriſſima eremo abſque parentibus, latuerit? Reſp.* Neg. contra *Bell. cap.* 39. Non enim deſertum illud in quo *Joh. Luc.* 2. ad diem oſtenſionis ſuæ latuiſſe dicitur, ita intelligi debet, ac ſi locus iſte fuiſſet eremus ab omni hominum conſortio remotus: ſed tantùm, quòd fuerit regio montana, quæ opponitur planæ *Luc.* 1. *v.* 39. & magis populoſæ.

VII. *Quæſt. An Joh. Baptiſta tria vota monaſtica, nimirum paupertatis, perpetui cœlibatus, & obedientiæ voverit? Reſp. Bell.* exemplo Joh. Baptiſtæ probat juniores poſſe vovere tria vota modo nominata. Nos temerariam illam Bellarm. conjecturam & inconſequentem conſequentiam negamus.

VIII. *Quæſt. An Joh. Baptiſta Monachorum & Eremitarum princeps fuerit? Reſp.* Neg. contra *Bell. cap.* 5. quia *Joh.* non devovit ſe eremo perpetuæ (ut Eremitæ faciunt,) ſed magna hominum & diſcipulorum frequentiâ ſtipatus orthodoxam religionem, ex ſingulari vocatione, prædicavit; peccatores ex verbo Dei redarguit, & *Herodem* tetrarcham *Luc.* 3. 19. *Matth.* 3. & 14. cum *Marci* 1. Malè igitur moderni Eremitæ ſuæ & proximorum ſaluti conſulunt, qui in ſylvas & eremos ſecedunt, ac ſæpe ferarum inſtar in antris latitant, ac perpetuo fidelium contubernio ſe ſubducunt. Vide plura de hoc Baptiſtæ exemplo in *Hoſp. lib.* 2. *de orig. Monach. c.* 3.

IX. *Quæſt. An Chriſtus fuerit mendicus? Reſp. Bellarm.* Aff. *lib. de Monach. cap.* 45. Nos negamus cum Cajetano, qui ſuper locum *Matth.* 5. *v.* 3. ſic inquit, ad tertiam quæſtionem à ſe propoſitam, *cur Jeſus mendicos ſpi-*

ritu

Digitized by Google

ritu dicat beatos quum ipſe totius perfectionis exemplar, non fuerit mendicus ſecundum rei veritatem, ſed potius dans eleëmoſynas mendicis ut Joh. 13. v. 29. Hinc enim clare habetur quod ſe & ſuos non connumerabat inter mendicos. Et paulo poſt: *Vivebat autem non mendicatis rebus, ſed ex oblatis à devotis perſonis.*

X. *Quaſt. An Apoſtoli fuerint veri Monachi Chriſtiani? Reſp.* Aff. *Bell. lib. de Monach. c. 5.* & *Proſperus Stellarius. qui in libro ſuo de fundaminibus Monach. cap. 2. 3. 4.* qui multa abſurda & gratis conficta de Monachatu Apoſtolorum ibidem enarrat. Nos neg. 1. *quia* Apoſtoli extraordinariè fuerunt ad hoc munus vocati; (nihil eſt autem magis ordinarium quàm fieri Monachum) Apoſtoli nullos in munere proprio habuerunt ſucceſſores. 2. *quia* Apoſtoli non voverunt tria eſſentialia Monachatus vota: paupertatis, ſcilicet, perpetui cœlibatûs, & obedientiæ Regularis. Licet enim reliquerint bona ſua, h. e. eo modo quo antea rebus ſuis domeſticis, ex neceſſitate vocationis, vacare non potuerint, tamen decantatam illam *paupertatem Monaſticam*, & nullius *proprii* poſſeſſionem, ad ſpiritualem ſeu Chriſtianam perfectionem acquirendam non voverunt. Immò maluit *Paulus Apoſtolus* interdum manibus laborare *Act. 20. v. 24.* quàm Eccleſias cum ſcandalo (quod faciunt mendicantes Monachi) onerare, & ex mendicitate vivere. Joh. Apoſtolus etiam dicitur non in alienam, ſed in ſuam domum Mariam matrem Chriſti recepiſſe *Joh. 19. verſ. 27. Cœlibatum* quoque perpetum non voverunt: ſed liberè uxores circumducere potuerunt *1 Corinth. 9. v. 5.* Et ſanè res ſcandali plena fuiſſet, ſi relictis uxoribus propriis, & quaſi repudiatis contra Chriſti mandatum *Matth. 19. v. 6.* mulierculas alienas tantùm circumduxiſſent, & proprias in totum abdicaſſent, neque illis pro ratione ſtatûs ambulatorii ſuccurriſſent. *Obedientiam* etiam Regularem tantùm abeſt ut Apoſtoli voverint, ut in nullius hominis verba (voluntatem propriam ei emancipando) niſi ſolius Chriſti jurârint. Contradictionem committit *Bellarm.* in eo, quòd Apoſtolos aſſerat Monachos, cùm aliàs illos dixerit Epiſcopos. Videri poteſt *Ameſius in Bellarm. enervato tom. 2. lib. 4. c. 1.* Quædam etiam teſtimonia collegit Bell. ex patribus, ut probet Apoſtolos fuiſſe Monachos: quæ quàm appoſitè ab ipſo ſint allata, docet *Hoſp. lib. 3. de orig. Monach. c. 1. p. 27 28.*

Problemata Eccleſiaſtica ex antiquitate ſint iſta. §. 2.

I. *Quaſt. An Eſſei fuerint Nazarei? Reſp.* Aff. *Nicol. Serrarius in ſuo Triberesio contra Joſeph. Scalig. cap.* 8. ſed nos neg. *quia* à Deo erat inſtitutum Nazaræorum: Eſſæorum autem ſecta multis poſt ſeculis exorta eſt, multiſque ſuperſtitionibus referta: quod apparet ex *Joſeph. lib. 2. cap. 7. de bello Jud.* Et omninò Eſſæorum ſectam fuiſſe quandam Pſeudo-Judaiſmi

 laciniam

laciniam patet ex eo præter alias rationes; quia etiam à templo excludebantur *Joſeph. lib. 18. cap. 2. Antiq. Jud.*

II. *Quæſt. An Eſſæi (quos Monachorum Patriarchas recentiores aliqui Pontificii aſſerunt) fuerint oriundi ex Rechabitis? Reſp.* Aff. *Serrar. in comment. in lib. Jud. cap. 1. & Corn. à Lapide in cap. 35. Jerem*: Nos negativam amplectimur; *quia* quæ de Rechabitis apud Jeremiam *cap.* 35. narrantur, applicari Eſſæis minimè poſſunt. *Eſſæi* enim, ſecundum Joſephum, communia in urbibus habebant domicilia, agriculturæ quoque erant ſtudioſiſſimi: quæ de Rechabitis dici non poſſunt.

III. *Quæſt. An Eſſæi, quos Joſephus deſcribit, fuerint diverſi ab aliis, quorum Philo Judæus quoque meminit? Reſp.* Aff. *Proſp. Stell. lib. ſuprà jam citato cap.* 6. & 7. *Bell.* etiam concedit *cap.* 5. & contrariam ſententiam dicit eſſe probabilem. Nos nihil lædit ſive fuerint iidem ſive non. Certum tamen eſt ſectam Eſſæorum (cujus *Joſephus* meminit) alias poſtea ſectas genuiſſe. Quod oſtendit *Joſephus Scalig. in Elencho Trihæreſii cap.* 28. Potuit omninò iſtorum Eſſæorum (quos *Philo* deſcribit) ſecta eſſe diverſa ſaltem in particularibus cæremoniis, & in fundamento tamen eadem eſſe cum ſecta Eſſæorum Joſephi. Quod etiam narrationis hiſtoricæ analogia apud *Joſephum & Philonem* non leviter ſuadet. Et ferè nulla eſt differentia inter *Joſephum & Philonem* in contexenda Eſſæorum hiſtoria niſi quod *Philo* dicat, ſuos Eſſæos in urbibus non habitaſſe; Joſephus verò affirmet ſuos Eſſæos etiam in urbibus habitaſſe.

IV. *Quæſt. An Eſſæi Joſephi fuerint magis ſuperſtitioſi, quàm Philonis? Reſp. Bellarm. cap.* 5. affirmativæ ſententię magis adhæret. Nos verò dicimus utroſque ſatis ſuperſtitioſas cęremonias obſervaſſe. Ut nunc alia omittamus, magnum ſuſpicionis argumentum eſt, pernicioſę alicujus magiæ, quod *Joſephus & Philo* aſſerant, Eſſæos artem prophetandi ſeu futura prædicendi æmulatos fuiſſe; & interdum (juxta *Joſephum*) in prædicendis futuris fruſtratos: quod fieri minimè potuiſſet, ſi verum prophetandi Spiritum habuiſſent, & non aliquas perſuaſiones Diabolicas. Prædixit quidem *Bileam* (falſus Propheta exiſtens) ex Jacobo ſtellam orituram: ſed illam prophetiam non ex arte & ęmulatione hauſit ſed ex peculiari & extraordinario Dei impulſu & coactione.

V. *Quæſt. An Philonis Eſſæi Therapeutæ, primi Monachi Chriſtiani fuerint? Reſp. Proſp. Stell. libro jam citato cap.* 6. 7. *Bellarm. cap* 5. & *Nicol. Serrarius in Harmon. lib. Machab. cap. ult.* affirmant, decepti ex *Euſebio*, qui Philonis Eſſæos, Monachos Chriſtianos fuiſſe *lib.* 2. *cap.* 16. & 17. ex levibus conjecturis colligere voluit. Et quidem *primo*, quòd *ἐν μοναςηρίοις* Eſſęi degerent: *Deinde*: quòd *ἀσκητὰς* quaſdam more Chriſtia-

Digitized by Google

Chriſtianorum canerent: *Denique*, quòd etiam per omnia ſimilem rationem ac Monachi, obſervarent. Hæc argumenta colligit *Euſebius* ex *Philone*, quibus ſibi perſuaſit Philonis Eſſæos, Chriſtianos fuiſſe. Verùm iſta illorum Chriſtianiſmum ne minimâ quidem ſpecie probant; omnia enim hęc de ſuis Eſſæis *Joſephus* pariter commemorat; excepto hoc, quòd *monaſterii* expreſsè mentionem non faciat. De Ethnicis religioſis & Philoſophis Gentilibus eadem fere traduntur. *Bellarm. lib. de Monach, c. 1.* aſſerit ex *Chryſoſtomo* & *Nilo* eandem vitam obſervaſſe olim Philoſophos, quàm hodie apud Chriſtianos Monachi. Ipſe *Serrarius* tandem concedit Philonis Eſſęos loco citato potuiſſe ſanctis ſuis inſtitutis & obſervantiis religioſos Chriſtianos adumbrare, licet non fuiſſent Chriſtiani. Unde apparet ipſum maximè fluctuare. *Deinde*, vel ex eo conſtat Philonis Eſſæos non fuiſſe primos Monachos Chriſtianos; quia omnium Monachorum primus inter Chriſtianos *Paulus Thebaus fuit ut ſuprà ſect. 1.* ex *Hieronymo* & aliis oſtenſum eſt. *Denique* in Paleſtina non potuerunt primi Monachi Chriſtiani eſſe Philonis Eſſæi (ut *Euſebius* putavit) quoniam primus omnium Monachorum in Palæſtina, Syria, Hilarion fuit (teſte *Hieronymo* in ejus Vitâ) *Necdum enim* inquit Hieronym. *tunc monaſteria erant in Palæſtina, nec quenquam Monachorum ante S. Hilarionem Syria noverat. Ille fundator & eruditor hujus converſationis & ſtudii in hac provincia.* Meminit tamen idem *Hieronymus* in catalog. Scriptorum Eccleſiaſticorum Eccleſiam à Marco Euangeliſta Alexandriæ plantatam Philonem vidiſſe, librumque ſuper iſtorum Chriſtianorum Judaïzantium converſatione ſcripſiſſe. Sed ſi illi fuerunt Monachi Chriſtiani, tum *Hieronymus* ſecum pugnaret. *Deinde* neceſſum foret ut illi Chriſtiani fuiſſent omnes Monachi; quoniam in genere omnes Chriſtianos dicit omnia habuiſſe communia. Verùm hæc ut incerta ex Clemente & Papiâ Hieroſolymitano Epiſcopo referuntur; ſic etiam nihil certi probant. Conferant, quibus hoc tanti eſt, *Joſeph. Scalig. lib. 6. de emendatione temporum*, & eundem in *Elencho Trihæreſii c. 27. 28. 29. Joh. Druſium de tribus ſectis Judæorum lib. 2. Franciſ. Junium in Animadverſ. ad Bell. controverſ. 5. lib. 2. Hoſp lib. 3 de orig. Monach. cap. 1. Pag. 29.*

VI. *Quæſt. Quare nulla Eſſæorum expreſsè fiat mentio in hiſtoriâ Euangelicâ, aut ſcriptis Apoſtolicis? Reſp.* Cauſam eam exiſtimat *Joſeph. Scalig. in Elencho Trihæreſ.* Primò quòd in vicis à celebritate locorum remotiſſimis habitabant; ſolos Principes ſuos Hieroſolymę habebant, ex quibus fuit Ἰωάννης Ἐσσαῖος Thamnę præpoſitus apud *Joſephum* Ἁλωσ. *lib. 2. cap. 41.* item Ἰούδας Ἐσσαῖος qui prædixit mortem Antigoni, apud eundem *lib. 13. c. 19. Deinde*, quia minus ambitioſum genus erat, aut fraudulentum, ut Phariſæorum, minus impium, ut Saducæorum: propterea non erat Chriſto ne-

negotium cum illis. Denique putat etiam *D. Rivetus in examin. animadverſ. Hug. Grotii Pag.* 104. ſub nomine Phariſæorum eos comprehendi: quod videtur probabile; cum eruditorum nonnulli Eſſæos ex Phariſæis ortos fuiſſe cenſeant. Sed de hoc multis non contendendum. Negamus ſaltem illam eſſe veram cauſam quam *Proſp. Stell.* certò aſſerit; quia ab Apoſtolis ad Chriſtianiſmum converſi fuerant.

VII. *Quæſt. An Jacobus Apoſtolus fuerit oriundus ex Eſſais? Reſp.* ſic commentatus erat *Serrar. contra Joſeph. Scalig.* quo nomine caſtigatur ab eodem *Scalig. in Elencho Tribæreſii c.* 31.

VIII. *Quæſt. An primi Anachoretæ Paulus Thebæus & diſcipulus ejus Antonius, nec non diſcipuli Antonii vitam eremiticam non ex occaſione perſecutionis, neque ex imitatione, ſed ex purioris vitæ ac perfectionis ſingularis adipiſcendæ deſiderio, ſuſceperint? Reſp. Bell.* concedit quidem *Paulum Thebæum* ex occaſione perſecutionis primum omnium eremum coluiſſe *lib. de Monach. cap.* 5. reliquos verò, qui *Paulum* in iſto vitæ genere ſecuti & æmulati ſunt, ex purioris ac perfectioris vitæ deſiderio illum vivendi modum ſuſcepiſſe, contendit. Nos dicimus huic vitæ generi primùm Perſecutiones occaſionem dediſſe, poſtea verò alios ex imitatione præter neceſſitatem, hoc eſt culpabili, continuaſſe: quod probamus iiſdem argumentis, quibus vitam ſolitariam ſuprà *ſect.* 2. *c.* 2. rejicimus.

IX. *Quæſt. An collegia Aſcetica (e. gr. Auguſtini) fuerint eum in finem erecta, ut in illis aliqui per exercitia & ſtudia ſacra, ad Eccleſiæ gubernationem præparari, & datâ occaſione admoveri poſſent: An verò ut in iſtis Monachi, (uti nunc in monaſteriis) tribus votis aſtricti per opera ſupererogationis ad ampliorem in vitâ futura gloriæ gradum obtinendum contenderent? Reſp.* Nos prius aſſerimus: poſterius verò contra Pontificios negamus: quia definitio vitæ Monaſticæ, ut hodie obſervatur, vitæ *Aſceticæ* & cœnobiticæ ſub inſpectione Auguſtini, applicari nequit. Vide quæ ſuprà *ſect.* 1. de Aſcetis notata ſunt. Confer & *Hoſpin. lib.* 4. *de Orig. Monach. cap.* 24.

CAP.

Digitized by Google

CAP. V.

Primariæ diviſiones Monachorum, ex formâ, ſeu regulis, & ex ſubjecto.

Hactenus Thetica explicatio Monachatûs in genere, cum problematis & caſibus hodie ventilari ſolitis. Reſtat difficilior ejuſdem Pars, ſcil. de Monachatu in ſpecie, quam eâ quâ poterimus brevitate nunc delineabimus. Methodum autem ad noſtrum hoc inſtitutum velut manuductricem (ſi tamen aliquando quæpiam concinnata ſuperſit) hactenus nobis videre non contigit: quam ob labyrintheam farraginem, ac infinitum pene Chaos, ſatis difficilem experimur.

PRimam Monachatus diviſionem in ſpecie ſumimus ab ejuſdem forma, reſpectu ſcilicet Regularum, quę omnis vitæ Monaſticæ præcipua baſis & norma: quæque, dum dat eſſe rei, hactenus ſtatuminata irrefragibilis manet & controverſiæ expers. Regulæ autem illæ præcipuè ad quaternarium revocari ſolent, *Baſilii* ſcil. *Auguſtini*, *Benedicti*, & *Franciſci*: & pauci hactenus comparent Ordines Monaſtici, infra ſpecialiſſimè citandi, cujus Monachis aut Religioſis (Jeſuitas & Carthuſienſes excipimus) juxta haſce Regulas, aut ſaltem aliquo pretextu ſub iis vivendi ſemita non teratur. Nec hoc diffitentur Auctores Pontificii. Inter alios *Azorius inſtit. moral. lib.* 13. *c.* 11. *quæſt.* 2. 3. 4. 5. & 13. Item *lib.* 11. *c.* 24. *quæſt.* 4. Item *T. Sanchez Oper. moral. tom.* 2. per totum ubi univerſos Caſus hiſce velut hypotheſibus ſuperſtruit. *Bellarm. lib.* 2. *de Monachis cap.* 3. *Aug. Barboſa in Collect. bullarii pag.* 601. *Proſp. Stellarius Miræus*, &c. ex noſtris vero *Hoſpin. de Orig. Monach.* &c. De ſingulis hiſce Regulis dicendum, ubi de ſingulis Ordd. ſub iiſdem militantibus agendum. §. 1.

Secundam diviſionem ab Objecto & fine ſubminiſtrat nobis *Bellarm. lib.* 2. de *Monach. cap.* 3. quâ paulo plenius & ſubtilius cum Thoma & Scholaſticis ſingulas Religionum formas explicare ſatagit. Quandoquidem enim, „ inquit, Omnis Religio ad perfectionem Charitatis referatur, & cum ſint „ tres modi diligendi Deum eique ſerviendi; (de quibus ſupra actum.) In„ de omnes vitæ Monaſticæ Ordd. ad unum illorum referendos cenſet; ut „ ſint aut *Contemplativi*, aut, *Activi*, aut *Mixti.* Sed hæc diviſio nobis cum *Azorio* nimis generica apparet, & huic ſpecificę noſtræ Monachatus de-

Digitized by Google

delineationi minus quadrare videtur. Imo ipſe *Bellarminus* ipſam deſerens ad priorem per ſubtitulum facit gradum; vid. ibid.

Tertio dividitur Monachatus ratione ſubjecti ſcil. Monachorum late dictorum, & quidem dupliciter, nempe *Propriè* & *Analogicè*. *Propriè* primo dividuntur Monachi in Religioſos & Regulares. De Religioſis qui ſint, vix inter Auctores Pontif. convenit: Illos enim, ut à Regularibus contradiſtinguuntur,

I. Quidam dicunt, eſſe eos quorum ſtatus eſſentia non tam ſita in regulari aliquâ obſervantiâ, quam in ipſis præciſe votis, ſive ſint ea ſimplicia ſive ſolemnia: modo ſingulari conamine, nullo regulæ ſpecialis habito reſpectu, diligentes & toti ſint in pertractandis iis, quæ ad promovendum ipſius Dei cultum pertinere deprehendunt, adeoque à mundi hujus converſatione ſecernantur. Ita *Miræus de Origine Monachorum*. Item *Proſp. Stellarius*, &c. *Bellarm. lib. 2. de Monachis c. 1.*

II. *Alii* volunt Religioſos dici eos qui militant ſub iis ordinibus qui non tantum ad vitam ſolitariam & contemplativam fundati ſunt; ſuntque præ reliquis nobiliores, quales ut plurimum Abbatiales, Canonici Regulares privilegiati, & reliqui ordines etiam in actione verſantes; de quibus vide *Bellarm. loc. cit.* & ut placet *Azorio inſtit. moral. lib. XI. c. 24. tales ſunt ii* quos *Benedictus*, *Baſilius*, *Pachomius*, *Antonius* inſtituere.

III. *Rurſum* quidam aliter de iis ſentiunt; ut nimirum ſint Religioſi, qui beneficio quidem Eccleſiaſtico carent, nec in communitate perfecta vivunt, & ex ſuperioris licentia panis & vini, aut pecuniæ, aut aliorum vitæ neceſſariorum quantitatem ſatis magnum habent, ita ut ſuperfluum ſibi reſervent: Aut certè tales, qui quamvis in monaſteriis degant ſplendidioribus, aluntur tamen bonis non eleëmoſyna comparatis; ſed vel ſuis, è patrimonio in commune redactis; vel ſi ſingularibus animi ingeniive dotibus inſigniti, ex communi: ſuntque toti in ipſis Conſiliis Euangelicis exſequendis, ut quidem prætendunt. Tales præter alios ſupra citatos, diſputant eſſe Jeſuitas; quamquam alii non abſque invidia & forte non ſine ratione negent, pernegent, tanto eos non dignati honore. vid. *Zanchez. tom. 2. Oper. moral. lib. 5.* &c. Item *Azorium Inſt. moral. lib. XI. c. 24.* Hinc patet quomodo Religioſi ſubdividi poſſint ex *Zanchez*, qui quadruplices eos ex hiſce colligit, locis cit. quanquam exiſtimet cum pleriſque Doctoribus (ut ait ibid.) contra errorem popularem eos in ſenſu 2. *cit.* minus propriè inſigniendos. *Monachorum* nomine, ſed *Religioſorum*: quales ſunt quoad perſonæ ſtatum. Ita etiam *Hoſp. de orig. Monach. lib. 1. cap. 1.* pro ſe citans *Hireon. Platum. ex lib. 1. c. 2.* de dono religioſi ſtatus.

Ex

Ex oppoſito *Regulares* dicuntur unanimi Doctorum conſenſu illi, quorum ſtatus, potiſſimaque vivendi norma ſita eſt in præciſa votorum obſervantia certæ alicui regulæ ex quatuor prædictis eſſentialiter annexę. Ita Auctores pro ſent. oppoſita cit.

Regulares Alii ſunt *Mendicantes*, Alii *non Mendicantes*. *Mendicantes* §. 2. dicuntur, quorum cœnobiis ex regula, vel conſtitutionibus nequaquam eſt permiſſum fundos, prædia, poſſeſſiones, annuos reditus (quæ omnia dicuntur bona ſtabilia ſeu immobilia) poſſidere communiter; ſed eorum Religioſi, ex eleëmoſynis ſibi datis, vel oſtiatim quæſitis victum, & alimentum comparant: Azorius *Inſt. Moral. lib.* 12. *cap.* 23. Quin & Gloſſa in Capit. Ex eo verb. mendicantes, de exceſſ. prælat. in 6. *Mendicantes*, ait, *dicuntur ii quibus victum tribuit incerta mendicitas: & qui reditus aut poſſeſſiones ex regula vel conſtitutionibus habere non poſſunt*, &c. Sic etiam Gloſſa, in Capit. Quorundam, de elect. in 6. verb. Mendicantes. Item *Aubertus Miræus lib.* 3. *Orig. Ord. Mend. Barboſa in collect. bullarii*, *Bellarm. Proſp. Stellarius in Regulis Ord. Zanchez lib.* 7. *cap.* 9. 12. & *lib.* 6. *cap.* 7. &c. Et ex noſtris *Hoſpin. de Orig. Monach. lib.* 6. *c.* 16. *Item Pleſſeus in myſt. iniq. pag.* 9. 14. &c. *edit. in* 8.

Ex quibus breviter elicimus alteram mendicantium diviſionem: *Aut* enim ſunt Mendicantes ex vi Regulæ: *Aut* ſunt Mendicantes ex vi Conſtitutionum ſive ſtatutorum Romani Pontif. auctoritate approbatorum. Quandoquidem autem quatuor Ordines pręcipue in Jure communi antiquo Mendicantes reperiuntur, nimirum: Auguſtinienſes ſeu Auguſtinii Eremitæ, Carmelitę, Prædicatores ſeu Dominicani (qui & *Jacobini*) & Minoritæ ſeu Franciſcani: quo ordine eos recenſet *Polyd. Virg. lib.* 6. *de inventione rerum cap.* 3. & 4. & *Hoſp. lib.* 6. *de Orig. Monach. cap.* 1. Aliter autem *Azorius*. Aliter *Miræus*, aliter *Volateranus lib.* 21. *Anthrop.* & *Alphonſus Alvarez in theſauro ſuo*, & tandem aliter *Adrianus Damman Gandavus*. Horum ordinum mendicantium de primitate, aut primatu lis eſt: nullus tamen eorum Ordd. ex vi Regulæ inter Mendicantes habetur præter Franciſcanos. Ipſis enim Franciſci Patris Seraphici regula, fundos, prædia, profeſſiones, annuos proventus, & quælibet alia bona immobilia communiter poſſidere prohibet. In præſenti tamen Ordines mendicantium ſeſe latius extendere vult Jus novum; idque vel ſola Romanorum quorundam Pontificum auctoritate. In primis Pius V. in quadam conſtitutione, cujus initium eſt *Apoſtolica*, declarat Ordinem Minimorum *S. Franciſci* de Paulâ oppido Calabriæ oriundi, inter Ordines Mendicantium verè comprehendi eorumque privilegiis gaudere ſtatuit. Idem in aliâ, cujus initium *Romanus*, *definit*, Congregationem Fratrum S. Hieronymi,

 qui

Digitized by Google

qui Jeſuati vocantur, vere inter Ord. Mendicantes eſſe. Idem alio loco Ordinem ſervorum *Mariæ*, item Ord. Soc. Jeſu inter Ord. Mendicantium connumerari voluit, &c. de quibus infra: ibi quatuor communibus Regulis Ordinum omnium ſuos quoſque ordines militares aſſignabimus, & qui Mendicantes, qui non mendicantes compendioſe indi-
§.3. cabimus.

Non mendicantes ſunt, qui quamvis pane mendicato (ſi ſtricte loquamur) aut potius piorum legato vivant; ex Regula tamen & Conſtitutionibus (quę ordines variant & diſtinguunt) bona immobilia & reditus in communi poſſidere queunt. Inde eſt quod Ordd. nonnulli etiam militantes ſub eadem regula non obligante eos ad mendicitatem; tamen ſtatutis ſeu conſtitutionibus inter ſe diſtinguantur, ut jure in illos hæc cadat diviſio. Sic ex gr. Pręmonſtratenſes, Canonici regulares, Crucigeri, *Auguſtiniani* Eremitæ, Dominicani, &c. eandem *Auguſtini* regulam amplexi; conſtitutionibus tamen quidam inter Mendicantes abeunt, quidam vero in non mendicantibus permanent. Quinam autem illi omnes & ſinguli ſint indicatur ab illis qui de ſingulorum origine, Auctoribus, antiquitate & regulis ſcripſere. Tandem in præſenti hic addimus, ad diſtinctionem mendicantium, & non mendicantium: non eſſe *jure communi tam* veteri quam novo mendicantes, *primo*, illos ordines, qui mendicantes habentur ſolâ ratione conſtitutionum à Pontifice non approbatarum, etiamſi illæ ipſæ conſtitutiones profeſſione ſeu jure jurando ſint ſtabilitæ. Ita *Azorius Inſtit. Moral. lib. 12. cap. 23. & lib. 11. Mandoſius regul. Cancellaria 23. quæſt. 3.* & ſic applicant *Anchar. Dominicus & Francus, Navarr. lib. 3. Conſil. t. de Regular. in 1. edit. conſ. 62. in 2. Conſ. 65. n. Un.* Rationem autem nobis exhibet ipſe *Sanchez Oper. moral. lib. 6. cap. 7.* Quia, inquit, nequeunt privati ſibi legem imponere, à qua recedere ,, non liceat, quin etiam adhuc ipſimet ſtatuentes poſſunt Collegia- ,, liter contravenire, ut docent *Paul. Anchar. Cardin. & Bonifac. ibi-* ,, *dem.*

Secundo, Non mendicantes etiam habentur ii, quibus ex regula, vel conſtitutionibus non eſt interdictum habere in communi reditus & poſſeſſiones, quamvis actu mendicent; & hoc conſtat ex cap. unico. §. Confirmatos de relig. Domib. in 6. ubi deſcriptio eſt mendicantium quam ſupra dedimus, nec hic repetimus. Vide *Antonin. 3. p. tit. 16. cap. 3. in princ. Mandoſium regul. 23. canc. Manuelem Rodrig. qq. regular. tom. 3. quæſt. 52. à 15. ad finem.* Ita *Sanchez. loc. cit. Azorius loc. cit. Aubertus Miræus lib. 1. de Orig. Ordd. Bellarm.* &c.

Tertio, Non mendicantes equidem poſſe, & nonnullos ex illis Ordini-

nibus de facto gaudere privilegiis Ordd. mendicantium, quemque pro dignitate & Zelo alios plus alios minus: Ita *Aug. Barboſa in collect. Bullarii Azor. Sanchez. loc. cit.* Item *Hoſpin. lib. 6. de orig. Monach.* Patet ex ſingulorum approbationibus, erectionibus, confirmationibus, magis præ reliquis, Canonicos Ordd. Crucigerorum, Præmonſtratenſium, Benedictinorum, &c. minus autem Ordines Guielmitarum, Bernardinorum, &c. iis privilegiis gaudere. Hoc ſaltem dixerim in præſentia, ea ratione quanquam longe petita, poſſe aliquatenus dici mendicantes; quanquam eo humilitatis devenere, ut non jam mendici ſed Domini ambiant appellari.

CAP. VI.

De Monachis in Exceſſu, ut Eremitis, &c.

DIviſio Monachatus ratione ſubjecti eſt ſecundaria & Analogica, eſtque eorum qui dicuntur Monachi. 1. *In exceſſu.* 2. *In Defectu.* 3. *Medii* Monachi *in exceſſu* dicuntur; qui extraordinario vivendi inſtituto, ſeu ſolitario, ſeu præ reliquis Monachorum Ordd. auſtero incumbunt. Tales præcipue diſcribuntur fuiſſe Eremitæ, & tales hodie analogicè dicere poſſemus Carthuſienſes. Eremitas quod attinet, quis non videat inſolitam imo inviſam reliquis calcaſſe vitæ ſemitam; non modo quod per deſerta, quæ Græci ἐρήμους vocant, ſoli vagi ab omni hominum converſatione abeant: verum peculiari ut plurimum auſteritate ſui ipſorum, abſque prudentia Zelotæ mortificationem ſectentur. Ita *Rabanus lib. 1. cap. 6. & 36. lib. 5. de ſpiritu gaſtrimargiæ.* Item apud *Caſſianum Collat. 18. cap. 4.* Vide hæc apud *Hoſp. de Orig. Monach. lib. 2. cap. 1.* Horum ſub diviſionem magis ſpecialem hic addimus, atque omiſſo Auctorum in ea delineanda diſſenſu, magis receptam duntaxat exhibebimus ſententiam, quæ aſſignat triplex genus eremitarum juxta *Otthonem Friſingenſem lib. 7. c. 35.* quam etiam amplexi ſunt *Vincentius ex Hieronymo lib. 17. cap. 54. Specul. Hiſt. Durandus in Ration. divinorum lib. 2. cap. 1. Antonin. tit. 16. cap. 1. & 2.* Nec multum etiam ab his diſſentit *Evagrius de Palaſt. Monachis lib. 1. cap. 21.* Non obſtante quod *Iſidorus lib. de Officiis* mavult ad 6. revocari: Sed nihil omnino dicit, quod ſub communi illa triplici diviſione non comprehendatur. §. 1.

Alii enim ſunt Eremitę ſub prælato degentes qui remota & abdita loca, ſepulchrorum inſtar, incolunt. Ad hæc operibus manuum ſuſtentantur, modico contenti pabulo, ac omnimodæ Conſolationis expertes, à Colloquiis

Digitized by Google

quiis divinis & oratione non recedunt, ſemel in hebdomada duntaxat conveniunt, ac verbo ſanctæ cohortationis à ſeniore irrigati, deificis ſalubriter refecti myſteriis, ad ſolitaria ſua omni cum alacritate revertuntur.

Alii, deinde vitę ſuę ſolum Deum teſtem amant, ideoque antris, ſpeluncis & parietibus incluſi, tantoque ardentius Cœlo ſuſpenſi ſabbatizare creduntur, quanto amplius ab omni ſocietate humana extorres inveniuntur. Hi variis nominibus compellari cepêre; ut *Mandritæ*, à Mandris hoc eſt ſpecubus ſeu cavernis ſuis; etiam Troglodytæ, per alluſionem ad quendam Æthiopiæ populum ſub Ægypto ad ſinum Arabicum, & Mare Rubrum, ἀπὸ τῶν τρώγλων, quæ incolunt, nomen hoc ſortitum. De Troglodytis vide *Plinium lib. 5. cap.* 8. Troglodytæ, inquit, ſpecus excavant, hæ „illis domus & tabernacula manſionum; victus ſerpentum carnes; ſtri„dorque iis non vox: adeo ſermonis commercio carent, &c.

Denique, Alii communibus ſolitudinum gaviſi ſqualloribus, nec beſtiale ferarum conſortium pertimeſcentes, herba ſolâ paſcuntur, pellibus pro operimento uſi: Inde algore noctu, calore ſolis diu in modum Æthiopum denigrati, tectique vice Cœlum habentes, non ſe tam homines quam Cœleſtis curiæ Contubernales eſſe ſibi imaginantur. De his poſtremis nonnulla *Nicephorus lib.* 14. *cap.* 50. ubi eos *βόσκυς* id eſt *Pabulatores* indigitans ſic inter alia: Omni humano, inquit, alimento repudiato, herbis dun„taxat, radicibuſque agreſtibus, ſeu quas terra ſponte ſua fert, vivunt; ab „ejuſmodi victus genere *βόσκοι* dicti, &c. Confer. *Hoſp. de Orig. Monach. lib.* 2. Mira inſuper de his *Bellarminus lib.* 2. *de Monachis cap.* 39. ubi eos prædicat & defendit. Sed videndi contra *Ameſius Bellarmini enervati pag.* 146. & 145. &c. *edit. in* 12. & *Rivetus in Cath. Orthod. part. quæſt.* 23. per totum. Item *Pleſſeus in myſt. iniq. papalis pag.* 974 1234. 919.-927. edit. in 8. Circa originem varias variorum opiniones quis enumerare ſufficiat? Aliter enim *Nicephorus lib.* 8. *cap.* 39. Aliter *Iſidorus in lib. de Officiis.* Aliter *Antoninus lib.* 15. *cap.* 1. *S.* 1. Aliter *Sozomenus*, Aliter *Hieronymus Epiſt. de virg.* ad *Euſtochium* virginem, Idemque rurſum aliter in epiſt. ad Paulinum. Aliter *Chryſoſtomus hom.* 1. *in Marcum.* Sunt qui ad *Heliam* ejuſque tempora, alii ad *Joannem Baptiſtam*, Alii ad *Heliſæum*, alii ad *Antonium*, alii rurſum ad *Paulum*, Alii denique ad Apoſtolos omnes aut aliquos ex illis tanquam auctores eam referunt. Hic, ille, ipſe, &c. verſati ſunt in eremo aut deſerto; ergo fuerunt eremitæ. Miror cur pari ratione *Moyſem* imo *Chriſtum*, adeoque multo magis omnes Iſraëlitas non fingant illius vitæ Auctores, quia nimirum illi in eremos ſępius conceſſere aut eas incoluere. Cauſa autem Originis & progreſſus primi vitæ Eremiticæ inſtituti, non adeo inepte dici videtur ea, quam

Sozom.

Sozom. lib. 1. *cap.* 12. & *Niceph. lib.* 8. *cap.* 39. referunt perſecutionum ſcil. tempora ſolitariæ vitæ anſam præbuiſſe. *Decii* & *Valeriani* temporibus circa Annum Chriſti 252. quibus multi Chriſtiani imbecillitati carnis forte minus fidentes, & atrociſſimas pœnas ob divini nominis abnegationem metuentes, relictis urbibus & facultatibus in vaſtas illas ſolitudines ſe proripuêre; ubi quidam ſcenas ſeu ædiculas & caſas turguriolaque exſtruebant, quidam etiam per montes intonſos & ſaltus de induſtria errabundi, ne deprehenſi caperentur, ſedes ſæpe mutabant. Indeque factum ut mitigatâ nonnihil perſecutionum tempeſtate [illegible] lanienâ, nonnulli ſua ſponte manſerint divinis contemplationibus & tranquilliori vitæ generi aſſueti. Vid. *Niceph. loc. cit.* & *Bapt. Mant. lib.* 1. *de vita Blaſii.* Hinc *Paulus Thebæus referentibus Antonin. lib.* 16. *cap.* 1. & 2. *Marul. lib.* 1. *cap.* 9. *Sabellic. lib.* 2. *cap.* 2. *Hieronymo in eam nila. Panuino in Chron. Friſingen. lib.* 4. *cap.* 5. *Sozom. lib.* 1. *cap.* 12. *Jacobo* de Voragine & *Petro* de natalibus, &c. ſingulorum verba hic exhibere, minus operoſum eſſet. An nunc ſciſmatum & horrendarum perſecutionum fuga, imo Philoſophiæ, piique Deo famulandi deſiderii amore, & mundi tædio lucem fugere, tenebras quietemque venari, ulla ratione papalis Monachiſmus dici poteſt? ubi hic comparet profeſſio, ubi ejuſdem cum baptiſmo comparatio? ubi ſeparata eorum eccleſia & Sacramentorum uſus, ut hodie Monachorum? ubi illos pro Chriſtianis, *Benedictinos*, *Crucigeros*, *Dominicanos*, *Franciſcanos* compellari audimus? Ubi hæc diverſitas inter eremitas hodiernoſque Monachos, non tam morum (de quibus infra) quam ipſius profeſſionis reſpectu? Non enim diffitendum temporis ſucceſſu non paucos adductos eo fuiſſe, etiam preępoſtero quodam otii amore, aut cupiditate privatæ tranquillitatis. Deinceps multi ex prava præſtantium virorum imitatione, hoc pacto vanam glorioſam aucupaturi. Paulatim ab inſtituto non omnimodo malo (quod tamen affectatione & imprudenti Zelo in totum caruiſſe nemo dixerit) degenerarunt. Talis fuit *Antonius* qui nobilibus prognatus parentibus occaſione litigii cum Sorore & ad cauſas forenſes ineptitudinis, ſolitudinem quærendo *Paulum Thebæum* primus in Ægypto ſecutus fuit: ut refert *Suidas*, & nos ſupra *ſect.* 1. Plures hujus *Antonii* res geſtas habes apud *Aubertum Miræum cap.* 6. *Athanaſium, Hieron. Socrat. Sozom. Theodoret.* &c. quanquam de veritate eorum quæ *tom.* 2. *Operum Athanaſii* hodie leguntur non immerito dubitetur; & in nonnullis falſitatis arguit & convincit *Hoſp. de Orig. Monach. lib.* 2. *cap.* 3. De commentiti & adulterini fœtum Antoniani ordine (quanquam rariora ejus Monaſteria hodie ſuperſint in Germania & Belgio, Coloniæ ſcil. & prope *Grevenbroeck* in Ducatu Juliacenſi & Trajecti ad Moſam, &c.) inter pontificios controverſum

verſum eſt, & diſputatur. Exſtat de his elegans epigramma *Buchanani*, quod incipit: Crederis Antoni porcos paviſſe, &c. *Antonii* in hoc vitę inſtituto præcipuis ſectatoribus ſupra citatis annumerandi veniunt, *Pambo*, *Paphnutius*, *Apollonius*, *Anub.*, quibus non immerito annumerandus videtur *Nicolaus* eremita *Underwaldenſis Helvetius*, qui circa annum 1480. inclaruit. De quibus omnibus vide legendas Pontificias. Quid autem de iis ſentiendum ſupra *ſect.* 1. dictum eſt, ubi autores citantur. Quibus adde *Bellarminum lib.* 2. *cap.* 39. de Monachis ubi plurima ex patribus citat ut Eremitarum inſtitutum laudet. Sed eſt fallacia à dicto *ſecundum* quid. Videatur *Rivet. tract.* 2. *Cath. Orth. quæſt.* 23. &c. Poſt primos jam enumeratos Eremitas imo *Hilarione* adhuc vivente plurima adeo à *Batthæo* Eremita Cœlo-Syriæ, Syro, ſuperſtitioſe obſervata teſtatur *Sozom. lib.* 6. *cap.* 34. & *Theodoret. lib.* 4. *cap.* 28. Item *Soc. lib.* 4. *cap.* 23. de *Dorotheo*, *Didymo*, &c. Sicut *Paulus* quidam Diaconus Neapolitanus refert de Maria Ægyptiaca, de qua miras fabulas in legendis reperies. His accenſendi *Martinus Eremita*, *Ammonius*, *Alas*, *Joan. Ægyptiacus Bernhardus Nazarethanus*, &c. vide *Marian. Scotum: Sozom. lib.* 6. *cap.* 29. 33. 34. *Volaterranum cap.* 21. *anthrop. Niceph. lib.* 11. Item Evagrium de nonnullis aliis Palæſtinis. Item *Hoſpin. de orig. Monach. lib.* 2. *c.* 3.

Occurrit & altera eremitatum ſpecies, vel ſaltem novum & inuſitatum quorundam hominum vitæ inſtitutum, quod iis non incommodè accenſeamus. Sunt autem *Stylitæ*, qui primò ſub *Theodoſio* poſteriore inventi in columnis vitam ſolitariam agebant. Dicuntur autem tales à primo eorundem Auctore *Simeone Stylite* vel *Columnella*, ut prodit *Evagrius lib.* 1. *cap.* 13. Hic referente *Theod. Lectore lib.* 1. collectan. prius in monaſterio inſtitutus propè Antiochiam, deinde Eremita factus, tandem ſuper Columnis ſibi domicilium ſtruxit & vixit in eo ſuperſtitioſiſſimo vitæ genere in columnis minoribus ſeptennio, deinde vero in columna 40. cubitorum 30. annis, nulli extraneæ mulieri, ſed nec proprię matri unquam viſus. Cętera *ejus* geſta vid. apud Surium *tom.* 1. de vitis SS. Hunc magiſtrum ſuum diſcipulus *Daniel* imitatus: de quo idem *Surius tom.* 6. de vitis SS. Metaphraſtes, & *Aloyſius Lippom.* Item *Vincentius in ſpec. hiſtor. lib.* 21. *c.* 51. & 52. teſtantur glacie & nivibus aſperrima hyeme concretum interiiſſe. Alterum huic adde *Alupium* Epiſcopum Adrianopolitanum ab eodem vitę genere Ciconitam dictum, quia ſedendi & recumbendi occaſionem ſibi præcluſerat. vid. *Surium Tom.* 6. de vitis SS. & Metaphraſten, à quo præ Jobo ſanctitate & patientiâ clarus commendatur. Nos malumus juxta regulam verbi Dei de eo Judicari, & Magdeburgenſium

Sen-

Digitized by Google

Sententiam amplecti, quam vide *cent.* 4. & 5. *c.* 6. & 10. *Calvinus inſtitut. lib.* 4. §. 16. *Rivetus tract.* 2. *Cath.* Orthodoxi *q.* 23. & fuſe *Hoſp. lib.* 2. *de Orig. Monach. cap.* 5. & ſupra de Monachatu in genere, quæ hic non repetimus.

Sequitur nunc , de Ordine *Carthuſienſium* , quem ſupra Monachis in §. 2.
exceſſu ob rigorem inſolitum præ aliis , accenſuimus , quid delibemus. Dicti ſunt à loco in Gratianopolitana diœceſi (eſt Galliæ Celticę urbs) cui nomen Carthuſiæ, ipſi *Brunoni* natione Colonienſi ejuſdemque ſcholæ quondam Philoſophię Profeſſori, Ordinis dicti parenti ab *Hugone* Epiſcopo oblato, in eremo ampla ſed ſolis feris pervia; ubi primam fixere habitationem Anno 1084. Ita *Miræm lib.* 2. *cap.* 35. *de orig. monach.*; nunc dicitur ad beatam *Mariam* de Caſalibus, cui domui ſubeſt totus ordo, ſecundum Julium II. *conſtit.* 17. *incip. Dum ad fructus* 16. Kal. Julii 1508. Cœpit hic Ordo juxta *Polyd. Virg. l.* 7. *c.* 3. & *Genebrard. in Chronogr.* Anno 1080. Juxta *Sigebertum* vero, & *Vincentium lib.* 26. *c.* 82. *Antonin. tit.* 15. *c.* 22. & *Panvinium in Chron.* Anno 1016, occaſione miſerrimi funeris cujuſdam Profeſſ. Pariſienſis , ſi vera ſunt , quæ referunt *auct. cit. loc.* Confirmatus autem eſt ab *Alexand.* III. Papa *Rom. in Conſtit.* 7. *incip.* Cum vos 4. Non: Septemb. 1176. ut Auguſtin. Barboſa in Collect. *Bullarii pag.* 160. Aliter vero *Hoſp.* qui ex auct. cit. refert ad annum 1178. Summis cum gratiis & privilegiis tam in temporalibus quam ſpiritualibus dotavit Gregor. XV. conſtit. 42. incip. Ad uberes 3. Febr. 1623. vide *Aug. Barboſam loc. cit.* Auſteritas ejuſdem præcipue eſt in veſte intima cilicina; à carnibus abſtinentia etiam in morbo graviſſimo; uſu panis furfurei: Quâque 2. 4. & 6. feria ſolo pane & aqua contenti ſunt: ſoli comedunt; exceptis feſtis quibuſdam; ſilent perpetuo; miſſas rarius celebrant; exceptis majoribus feſtis: Perpetuò clauſtro ſuis quoque clauſtris detinentur; excepto procuratore, &c. quæ cum aliis quibuſdam Monachis communia habent, referuntur à *Polyd. Virg.* 2. & *Petro Bleſenſi epiſt.* 40. Quibus hoc adde, in tantum eos ſeſe mutuò averſari & fugere, ut cum in finem tintinnabula per ambitum ad Sacriſtiam aut Refectorium ituri gerant , cujus ſonitu aliò declinandum moneantur. Ab initio ſummam paupertatem voviſſe, ſed eo jam deveniſſe ut divitiis cum ſummis viris certent, Auctores cit. cum experientia clamant. Bella ſane (inquit *Polyd. Virg.*) proviſio, ſi affectiones „ animi poſſint clauſtris compeſci , & caro ſolitudine & otio domari ; id „ quod neque Hieronymus valde laborando , ipſo teſte, vix efficere potuit. Vide etiam fusè de his *Hoſp. lib.* 5. *cap.* 7. *de Orig. Monachatus.*

Ad Monachos in exceſſu referendi ſunt *Anachoretæ*; alias ſeceſſores ἀπὸ §. 3.
τῦ ἀναχωρεῖν dicti; quos tametſi plerique (inter quos *Rabanus lib.* 4. *c.* 6. de proprietate ſermonis, *Polydorus Virg. lib.* 7. *de inventione rerum cap.* 1. &c.

Digitized by Google

cum Eremitis eoſdem faciunt: non incommode tamen diſtinguere eos videtur *Pyamon* abbas apud *Caſſianum Collat.* 18. *cap.* 4. aſſerens eos prius in Cœnobiis inſtitutis in ſecreta ſolitudinum loca ſeceſſiſſe. Tales fuêre *Macarii*, *Paphnutii*, *Pambo*, &c. qui ſupra *ſect.* 1. citati; & præcipue per Ægyptum Monachi & Cœnobitæ, quibus quotannis in Eremum concedere in more poſitum; uti prolixe enarrat *Paulus Diac. Neap. in vita Mariæ Ægyptiacæ* & *Soſimi* Abbatis. Hiſce omnibus Monachis in exceſſu analogice accedit *Recluſorum* ſive *Incluſorum* inſtitutum. Sunt autem illi tam viri quam fœminæ, qui proprio inſtinctu, vel à ſuperioribus injunctâ pœnitentia, caveis aut antris aut cellulis juxta templa aut alibi ſe includunt, eo modo pœnitentiam de commiſſis peccatis per omnem vitam aut ad tempus acturi. Vide plura de his apud Surium, & ſcriptores vitarum, ac legendarios.

CAP. VII.

De Monachis in defectu.

SEquuntur nunc *Monachi in Defectu.* Illi deſcribuntur eſſe; qui à primævo Monachorum vitæ & regulæ *inſtituto & zelo* nonnihil abeuntes, vel ratione analogicâ cum vita monaſticâ ſymboliſantes, vel circa primævam regulam ſuam diſpenſatione obtentâ, adeo remiſſe vivunt, ut non niſi analogice (quo ad vitæ rationem) Monachi, aut Monachi cum termino diminuente, aut ſemimonachi dici debeant. Dividuntur in eos.

I. *Qui intra Chorum*, & cum obligatione ad illum, tamen abſque voto, regula, & vita communi inter clericos ſuum quique locum obtinent. Tales ſunt Canonici ſeculares ſeu Irregulares, Vicarii, Præbendarii, & Clerici ſeculares. De quibus infra.

II. *Qui extra Chorum*; iique triplicis conſiderationis ſunt: vel enim, *ſunt cum voto*, ſeu duplici ſeu triplici: quales ſunt hodie 1. *aſſeclæ* tertii Ord. utriuſque ſextus, *Franciſci*, *Dominici*, Servorum Mariæ, *Franciſci* de Paula: de quibus vide *Aug. Wichmans Brab. Mar. lib.* 3. *cap.* 70. *Barboſam in Collect. bull. pag.* 652. & 371. Item Compendium *Bullar. tom.* 1. *pag.* 491. 2. *Ordines* equitum ſacrorum ſeu militum eccleſiæ, de quibus infra erit dicendum.

III. *Sunt cum regula, ſed abſque voto:* tales ſunt Confraternitates, Fratriæ, ſeu Societates à variis ſanctis denominatę, (qualis etiam primo fuit 3. Ordinis *Franciſci*, jam autem cum votis, vide *Aug. Wichm. Brab. Mar. loc. cit.*) De fratriis infra agendum.

IV. Cum

Digitized by Google

IV. *Cum aliquo voto & regula:* Tales ſunt, 1. Fratres vitæ communis vt. *Hieronymiani*, ut plurimum inſtituentes juventutem, autorem ſuum *Hieronymum*, fingentes abſque fundamento & ratione: ut ait *Eraſm. in vita Hieronymi* (vide *Hoſpin.*) *Theatini*, ſunt Presb. regulares orti à *Joanne Petro Caraffa* anno 1528. aliquibus poſtea dicti Paulini. *Alexiani* apud nos vulgo, Cello-Broeders/ Coloniæ dicti de Wagger-Munnichen / qui funeribus curandis occupantur. *Cellarii*, alias dicuntur *Fratres viſitationis* ſeu *Charitatis*, ſive *Miſericordiæ ſodales* de quibus *Franc. Modius.* Ita canit:

Cepimus in Cellis nomen, quia ſemper in illis
Noſtra ægris graviter, cura laborque vocant.
Quos adeo haud timide noſtri eſt accedere amoris,
Ut neque mors telis nos fuget ipſa ſuis.
Illa licet regnet per rura, per oppida victrix,
Sternat & inſami corpora cuncta lue.
Nos tamen intrepidi morientum claudimus ipſa
Lumina & hic facili contumulamus humo.

Ambroſiani, quos ſub Regula *Auguſtini* prius anno 1431. cœpiſſe, auctore ignoto ſcriptores teſtantur poſtea cum fratribus Barnabitis in unam congreg. unitos & ſic approbatos à *Paul.* V. Anno 1606. refert. *Aug. Barboſa Collect. Bull. pag.* 384. *Patres Oratorii*, Romæ originem ducentes à *Philippo Nerio Flor.* anno 1564. poſtea reformati per *Pet. Berulam*, confirmante Ord. illorum *Paulo* V. Pontif. Roman. *Gregoriani* à Gregorio magno anno 595. vide *Franck. in Chron. fol.* 466. His adde *Fratres Hoſpitalitatis* B. Johannis anno 1538. *Ord. Trinit. pro Redempt. Captivorum*, &c. de quibus omnibus vide *Joh. Ludovicum Gothofredum* in Archontologia ſua Coſmica *lib.* 3. de orig. Religioſorum; Imprimis *Auberti* Miræi peculiarem tractatum de Clericis vitæ communis, 11. Hodiernæ *Quaſella aut Cloppa* (ut Belgis vocantur) de quibus infra in problematis. Adde *Chalomerianos*, *Clavigeros*, *Forficenſes* ſeu *Forficiferos*, *Helenæ fratres*, *Hoſpitalarios*, vulgo Hoſpitael-Heeren ab Higino pontifice inſtitutos, *Jacobi Fratres*, vulgo, Jacobs-Broederen / *Ordinem Joſephi* de quo *Sebaſt. Franck. l.* 4. *Ordinem Lazari & Magdalenæ*, cujus unicum tantum monaſterium ſe inveniſſe in ſuo itinerario Hieroſolymitano teſtatur *Felix Schmid. Ordinem Purgatorialium* de quo *Franc. Modius*, *Ordinem Speculariorum*, &c. utriuſque ſexus: de quibus prolixe *Franc. Modius.*

CAP. VIII.

De Monachatu medio inter exceſſum & defectum.

§. 1. MOnachi in medio cenſentur ii, qui inter eos, qui in Exceſſu, & eos, qui in Defectu, media via ambulare notantur; Et ii neque rigidum nimis, ut Eremitæ, Anachoretæ, & Incluſi qua tales; neque remiſſum aut laxum adeo vitæ & Ordinis ſui inſtitutum ſectantur. Tales autem in genere ſunt duplices. I. *Monachi tantum*; II. *Religioſi* ſtricte ſic dicti de quibus in genere ſupra *ſect.* 1. dictum fuit. In ſpecie, vero Monachi ſunt; I. *Camaldulenſes* alias *Cumaldulenſes*, quos duum generum fuiſſe inquit *Auguſt. Barb. Collect. bullarii.* Hi quando orti ſint, vix convenit inter auctores. *Panuinus enim in Chron.* Anno 1012. *Sabellicus* anno 1030. Volater. 1033. Alii 1017. nonnulli 1048. de quibus vide *Sebaſt. Franc. in Chron. fol.* 477. Certum autem ex *Auguſt. Barboſ. loc. cit.* approbatam fuiſſe eorum congregationem ab *Alexand.* II. 1062. Dicti autem ſunt à loco ſuo maximè celebri Madulo in Etruria prope Aretium, vide Archontolog. Coſmicam *Joan. Lud. Gothofredi lib.* 3. *pag.* 54. & *Auguſt. Barb. loc. cit.* II. *Thabennenſes* ſeu Thabenneſiotæ, ut *Vinc. in ſpec. hiſt. lib.* 18. *c.* 13. Alias etiam Thabenneſii ut *Niceph.* quorum auctores *Pachomius* & *Amon* monitu angeli, qui 30000. Monachis omnibus ſuis præfuiſſe ſucceſſive dicuntur. Nomen autem illis eſt à Thabenna ſeu Thabenneſi inſula in Thebaide circa *Conſtantini M. filii* tempora. Vide *Sozom. lib.* 3. *cap.* 14. *Niceph lib.* 9. *cap.* 14. & ex iis *Hoſp.* &c. III. *Ordo fratrum ignorantiæ*, cujus Monachi nihil omnino ſcire ſummum hominis bonum eſſe putant. Vide *Hoſp. lib.* 6. *cap.* 70. ubi notat originem eorum ignorari. Meminit etiam hujus ordinis ex noſtris *Keckermannus in præcog. Philoſoph.* ubi ait eos nihil voluiſſe ſcire, niſi *Jeſum*, *Mariam*, & *Franciſcum*; unde colligi videtur, fuiſſe Minoritas. An hodie ſuperſint, & quales ac quanti fuerint, mihi hactenus conſtare non potuit. Hiſce addi poſſunt juxta *Bellarm. lib.* 2. *de Monachis cap.* 1. *Ordd.* Caſſinenſes, Ciſtercienſes, & Carthuſiani. De poſtremis vix inter Doct. Pontificios convenit, an illi potius ad Eremitas & Monachos proprie dictos, an vero ad Religioſos referendi ſint. De quorum diſſenſu & variis contradictionibus vide *Bullar.* Cherubini, *Miræum*, *Barboſam*, Archontologiam Coſmicam *Gothofredi*, *Bellarm. loc. cit.* & ex noſtris *Hoſp.* qui fuſe de iiſdem *lib.* 4. *de Orig. Monach. cap.* 1. 7. & 8.

§. 2. *Religioſi*, de quibus ſupra *theſ.* 2. inprimis in Mendicantes & non Mendi-

Digitized by Google

dicantes nobis diſtribuendi veniunt. Mendicantium Ordines vel ſpectantur in communi vel in ſpeciebus ſpecialiſſimis. In communi diximus eſſe 4. Ordd. Mendicantes; Auguſtinienſes, Prædicatores, Carmelitas & Minores ſeu Franciſcanos; quorum proprie mendicans eſt Ord. Minorum. Hic Ordo Aſſiſii in Umbriâ, ſive Ducatu Spoletano à *Franciſco* inſtitutus anno 1208. & ab *Innoc.* II. confirmatus anno 1212. Dividitur hodie in quatuor primarias congregationes ſc. *Conventualium*, *Obſervantium*, *Tertiorum de Pœnitentia*, & *Capucinorum*; quarum unaquæque ſuum habet generalem diſtinctum: præterquam quod multi ex tertiariis per Italiam & Hiſpaniam vivant ſub *Obſervantia* Generali. His quatuor addi poſſit & quinta S. Claræ.

I. *Conventuales* dicti à ſumptuoſis & amplis ædificiis ſeu clauſtris unde & *Clauſtrales*; nec non *Gaudentes* à multis privilegiis & lautis reditibus. Horum fœtus reformatus ſunt Minoritæ *Diſcalceati* ſeu *Minores Conventuales reformati* ab ubertate Conventualium procul ad rigorem abeuntes; qui hodie ſummo in honore apud Belgas habentur.

II. *Obſervantes* Induſtria cujuſdam Laici *Fr. Pauli* de Frincis Laici à Conventualibus ſejuncti ſunt, annuente Leone X. 1517. Ex his rurſum quidam Obſervantes Reformati hodie *Recollecti* qui non admodum diverſi à Minoritis Diſcalceatis putantur.

III. *Tertii* ſive *Tertiarii de pœnitentia* ſic dicuntur, quia in ordine inſtitutorum Ordd. *Franciſci*, tertio loco ſunt; primoque cœperunt anno 1221. in oppido Canarii. Hic ordo (uti placet *Bonaventura*) ſicut pœnitentia eſt vita communis ad cœlum, ſic nullum ſexum aut ſtatum excludit; ideoque Ordinem vel fratres de pœnitentia eos nominavit; hoſque *Pius* V. ſubeſſe voluit Frat. de *Obſervantia*. Hi deinceps fere extincti, & per Vincent. Muſſart reſtituti hodie in numerum ingentem excreverunt, plurimis ejuſdem inſtituti ſibi junctis Monialium monaſteriis, quorum etiam regimini præſunt: quanquam alii velint eoſdem etiam eſſe Tertiarios reformatos.

IV. *Capucini*, initium ſumpſerunt à quibuſdam Fratribus Minoritis, de Obſervantia Anno 1525. approbante congregationem eorum *Clem.* VII. anno 1528. Cœperunt autem primo in urbe Cameria in Marchia. Hos *Auguſt. Barboſa* ſentit recta deſcendiſſe ex linea non intermiſſa *Franciſci*. Vid. Collectan. *Bullarii pag.* 379. cum tamen è contra *Joan. Lud. Gothofredus* in archontologiâ ſua Coſmica *lib.* 3. *pag.* 66. mediante quodam *Mathæo Baſcio* ortos dicat. Vide ibid. *Hoſp.* Item *Miræum*, &c. Ex noſtris *Petrus Molineus peculiari tract.* (qui exſtat *Gall.* & *Belg.*) Ordinem Capuchinorum deſcripſit.

Digitized by Google

v. *S. Claræ* ordinem religioſorum (à quà nomen Clariſſarum) Franciſcus inſtituiſſe fertur, Anno 1212. ſecundum *Barboſam* aut 1225. ut Nauclero placet gen. 21. ſub finem; eſtque confirmatus ab *Innoc.* III. ſeu ut alii ab *Honorio* III. rurſumque alii, ab *Innocentio* IV. alii ab *Alexandro* IV. ita ut vix ipſi hac in re conveniant. Dicuntur religioſæ hujus ordinis etiam Damianitæ à loco Damiani. Dividuntur in *Obſervantes*, *Reformatas*, ac *Urbaniſtas*; Item in *Dominas pauperes*, & *Dominas nobiles* ſeu *Divites*; quas alio nomine *Aubertus Miraus* vocat *Damianiſticas*, quæ primo rigori inſiſtunt & paupertati: Alias dictę ſunt *Coletanæ* & *Capucinæ*. *Urbaniſticæ* dicuntur, quod mitigationem Urbani Papæ admittant. Vide *aud. cit. lib.* 3. *cap.* 5. & de his omnibus *Auguſt. Barboſ. in Collect. Bullar. pag.* 172. & 376. *Joan. Lud. Gothofredum* in Archontologia Coſmica *lib.* 3. *pag.* 59. *Miraum l.* 3. *c.* 9. & 5. & 11.

vi. *Cæterum* per ſubtitulum *Ordd. Franciſci* Species ſpecialiſſimæ cenſentur: *Minimi* de S. Paula; *Collectanei*, qui pecunias Colligunt, *Amadeani*; *Reformati*, *De Euangelio*; *Chiacini cum barba*, *De portiuncula*; *Paulini*, *Boſiaini*; *De Auguſtinis cum perforatis calceis*; *Servientes* ſeu Servitę. De quorum inſtitutionis, regulis, &c. Vide ex noſtris *Hoſp.* ex Pontificiis *Miraum*, Archontologiam coſmicam à *Gothofredo è Gallicò in Latinum* tranſlatam, *Bull.* aut potius ejus epitomen per Cherubinum, *Spondani* epitomen annalium *Baronii*, *Auguſt. Barboſam* in collectaneis bullarii.

§. 3. Mendicantes autem alii minus propriè dicti, ii ſcil. qui vi Conſtitutionum ſuarum aut ſtatutorum (ut vocant) mendicantes cenſentur: qui rurſum conſideramus vel *abſolutè* vel *relativè*. Mendicantes tales *abſolutè* dicimus eos Ordines qui independenter ab alio Ordine vi conſtitutionum ſuarum ſunt tales: ſuntque tres illi præter Minoritas ſupra citatos ſc. *Prædicatores*, *Carmelitæ*, & *Auguſtinienſes*.

Relatè autem eos vocamus qui vel ſpeciali Pontif. Rom. indulgentia, diſpenſatione, aut privilegiis, vel ratione alicujus Ordinis primarii, cui vel ratione Regulæ, vel conſtitutionum aut inſtitutionum ſubordinantur mendicantes audiunt.

Prædicatorum Ordo inſtitutus ſub Regula Auguſtini à Dominico Hiſpano, prius Canonico Regulari Auguſtini; anno 1205. & ab *Honorio* III. approbatus 1216. paupertatis & mendicatis Conſtitutione ſibi inter alias præfixa, mendicantibus à *Pio* V. annumeratur anno 1563. 1. Octob. Ad hunc referuntur ejuſdem aliquot ſpecies quales ſunt 1. fratres de militiâ. 2. Conventuales 3. Chaſpin. ſeu Hetruſci, à locis ſic dicti. 4. *S. Catharinæ* 5. analogicè ad hoc prædicamentum pertinentes.

1. *Fra*-

Digitized by Google

I. *Fratres de Militia B. Dominici*, alias *Obſervantiæ* dicti in Archontologia coſmica *lib.* 3. *pag.* 59. vel ut *Antonino tit.* 23. *cap.* 1. 2. 3. placet prius *De militia Jeſu Chriſti*, poſtea vero, *Fratres & Sorores de pœnitentia B. Dominici*: ſunt enim ſexus utriuſque, approbataque eſt eorum regula ab *Innoc.* VI. 1360. nec proprie adſtringuntur ad paupertatem aut obedientiam totaliter, ſecundum *Johannem* XIII. pont. Rom.

II. *Ordo* cui nomen à *Catharina de Senis* an cum prioribus quibuſdam forte coincidat, ambiguum eſt. Illud ſaltem conſtat talem ab eâ dictum eſſe: ipſa autem an ſit Patrona an vero inſtitutrix, in medio relinquimus. Cœpit ſecundum quoſdam anno 1372. ſecundum alios anno 1455. ſub *Nicol.* V. Pontif. Porro de *Catharina* Senenſis contractis ſponſalibus cum Domino Jeſu Servatore noſtro, de Corde illius per Chriſtum ablato & reſtituto, deque ſtupendi victus & amictus rigore, vide Legendam *Raimundi Capuani*, *Antonin. tit.* 23. *c.* 14. §. 6. *Bullarium Cherubini tom:* 1. *pag.* 15. & *tom.* 1. *pag.* 66. *conſt.* 6. *Surium in vit. SS. die* 29. *Aprilis*, *Baron in Martyrol. ad diem* 22. *Octob. Barboſam in Collect. Bullarii pag.* 161. & 373. *Azor. lib.* 12. *inſtit. mor. c.* 23. &c.

III. *Ordini* Dominicanorum ſpeciem analogicam eamque infimam hic adderemus, quarundam *Queſillarum ſeu Clopparum* inſtitutum: ſed de iis infra in Problematis ſpeciatim agemus.

Auguſtinianorum Ordo quatenus hic nobis inter Mendicantes conſiderandus venit, duplicem reſpectum habet ſc. partium principalium, & minus principalium. Mendicantes Ordd. inter Auguſtinienſes præcipui ſunt Auguſtini Eremitæ: de quorum origine non minima inter ipſos Pontificios eſt controverſia, quam hic referre longum foret. Alii enim ad *Auguſtinum*: ut refert & dubitat *Sabellicus Enne* 7. *lib.* 9. & iis etiam accedit *Eman. Roder. tom.* 1. *q.* 2. *art.* 2. Item *Miræus lib.* 3. *c.* 13. *Polydor. Virg. lib.* 7. *c.* 3. cum *Chaſſan.* in Catalogo gloriæ mundi *part.* 4. *conſid.* 71. ante *Auguſt.* fuiſſe. Aliter *Antoninus tit.* 24. *cap.* 14. ex relatione & imaginatione Monachi cujuſdam, cujus tamen nomen ſilentio premit. Alii rurſum confundunt cum Guilielmitis; alii in infinitum pœnè à ſe invicem diſcedunt: uti ex ipſorum Pontificiorum contradictionibus elicit *Hoſp. lib.* 3. *c.* 5. & *lib.* 6. *c.* 2. *Azor. lib* 12. *inſtit. Mor. cap.* 23. *Bullar. t.* 1. *p.* 22. Quidquid ſit ſaltem extitiſſe circa annum 350. memorat *Ciaconius in vita Julii* I. aut anno 388. ut placet *Auberto Miræo lib.* 3. *c.* 13. An vero confirmatus ſit eorum Ordo ſub & ab *Alexand.* IV. *anno* 1256. ut *Barboſa collect. Bull. pag.* 336. an vero ab *Innoc.* I. 402. an ſecus ab *Innoc.* III. & IV. &c. fides ſit penes auctores. Vide *Miræus* & *Auct. cit. loc. cit.* De hoc Ordd. peculiarem librum edidit Romę *Joſephus Pamphilius Epiſc. Signinus*, ut & §. 4.

de

de ſcriptoribus ejuſdem inſtituti commentarium *H. Gratiani Antwerp.* Ad hunc Ord. pertinere dicuntur *Eremitæ Diſcalceati* S. Aug. Item *Societates corrigiatorum* ſeu *Tertiarii*; ſicut & congregationes *Pœnitentiæ Jeſu Chriſti* ſeu *Saccitæ*. Item de *Britinis*, *Lombardiæ*, *Illæcitana S. Salvatoris Carbonaria*, Peruſina alias *S. Mariæ de populo*, Genuenſis ſeu *S. Mariæ de Conſolatione*, Montis Ortoni, *Apuliæ* ſeu *Dulceti*, *S. Mariæ de Colorito*, *S. Antonii in monte Vulturno*, *Servi B. Mariæ*, *Brigidiani*, *Jeſuati*, *Canonici S. Georgii*, *Montolivetenſes*, *Hieronymitani Eremitæ* (qui & Eremitæ S. Onuphrii) *Hieronymitæ ſimpliciter*, *Scopetini*, *Joannis Hieroſolymitani*, qui vulgo Ferieri nuncupantur, *Fratres Petri Confeſſoris de Magella*, *Sepulchritæ* ſeu *Fratres Dominici ſepulchri*, *Gilbertini*, *Victoriani*, *Coronati*, *Milites D. Jacobi de Spata.* Horum & plurimorum aliorum Congregationes vide apud *Alphonſum Alvares Guerrera*, *Aubert. Miræum lib.* 3. *c.* 13. & 14. *Barboſ. collect. Bull. pag.* 336. &c. Notandus ad hęc venit Ordo Guilielmitarum, qui an Auguſtinianis annumerandus ſit an vero Benedictinis non convenit inter Auctores; *Aubertus Miræus* utrumque dicit *lib.* 2. *c.* 15. & *lib.* 3. *cap.* 13. Volateranus tamen cum ſuis, ut etiam *Proſp. Stellarius* in regulis Ordd. eundem ad *Auguſtinum* referunt: eſtque opinio magis recepta apud Auct. Pontificios ſi aliquo *referendus*: *ut* fuſe demonſtrat *Volateranus*, & ex eo *Hoſp. lib.* 6. *cap.* 2. ubi & primitus mendicitatis prætextu prima ejuſdem fundamina jacta refert ex Petro de *Vena Toloſſ. Ulrico de Urinaria*, *Balæo cent.* 4. *in Append.* 2. *c.* 3. &c. quæ de triplici *Auguſtini* Regula ut & pleraque ficta vid. fuſe apud *Hoſp. lib.* 6. *de Orig. Monach. c.* 1.

§. 5. Sequitur denique Carmelitarum utriuſque ſexus Ordo, qui ex monte Carmelo in Syria, originem ſuam ducere dicitur ab *Elia* & *Eliſeo* Prophetis. Ordo hic quaſi primitus Eremi cultui deſtinatus, opera Almerici Maleſayda Antiocheni Patriarchę & Legati Apoſt. in unum eſt redactus, conſtructo ipſis monaſterio anno 1121. Ita refert bibliotheca *Geſneri* ad *Euſebium.* Reſtitutus autem & Reformatus ab eodem, anno 1141. Alii vero referunt ad *Alexand.* III. anno 1170. ſic *Polyd. lib.* 7. *c.* 3. Alii ad *Innocentium* III. *Honorium* III. *Innocent.* IV. & *Eugen.* IV. diverſimode reducunt: quod tamen pro diverſâ reformatione & approbatione diverſo tempore fieri potuit. Vide de ſingulis ſententiis *Balæum cent.* 2. *c.* 66. *Genebrard. l.* 4. *chronolog. an.* 5268. *Baron. ad martyr. Rom.* 20. *Julii. Trithemium de Laudibus Carmelit. c.* 3. *Joh. Hieroſolym. de inſtit. monach. c.* 36. *Joannem à Jeſu Maria Calaguritanum in vitâ B. Tereſiæ l.* 1. *cap.* 2. *Baron. annal. eccl. tom.* 12. *pag.* 762. *Azor. inſtit. Moral. lib.* 12. *cap.* 23. *Bullarium tom.* 1. *pag.* 13. *Aub. Miræum lib.* 3. *c.* 18. *Aug. Barboſam Collect. bull. p.* 157. &c.

apud

Digitized by Google

apud quos miræ digladiationes. Quidquid ſit, ſaltem conſtat hodie ordinem ſupereſſe, duce ſeu Reformatrice *B. Thereſia* Abulenſi anno 1562. Duæ autem hujus Ord. circumferuntur congregationes *Italica* & *Hiſpanica*; ſingulæ ſub proprio Generali, de quibus vide *Aub. Miræum lib. 3. c. 19. Hoſp. lib. 6. c. 3.* & Comment. *Thomæ à Jeſu* Bratienſis, & libellum ſpecialem *Aub. Miræi de orig.* Carmelitarum Antverp. editum. Hęc notavimus breviter de præcipuis Religioſis Mendicantibus; quorum tamen cum alii magis alii minus ſint mendicitatis ſtudioſi, emerſit diviſio illa triplex Paupertatis in *Altiſſimam*, *Mediam* & *Infimam*, quam vide in extravag. Joan. 22. cap. *quia quorundam*, cap. *nec obſtat*.

Sequitur nunc agamus paucis de reliquis Religioſis ſc. de non mendicantibus. Sunt autem illi duplices 1. *Canonici* & 2. *non Canonici*. §. 6.

Canonici Regulares (de Irregularibus ſupra actum fuit *tract.* 2. de eccleſiaſticis Miniſtrantibus) ſunt Clerici non tantum in communi, more Apoſtolorum viventes (unde Canonici dicti) ſed etiam religioſorum more tribus votis emiſſis certæ regulæ, quanquam laxiori, ſeſe ſubdentes, ideoque *Regulares* vocati. Hunc vivendi morem initium ducere ab Apoſtolis volunt *Thomas Aquin. 2. 2. q. 88. Polyd. Virgil. lib. 7. cap. 3. Volaterr. l. 1. anthrop.* & *Azor. lib. 12. inſtit. mor. cap. 22.* Sed quæri poſſet, quomodo ſecundum eoſdem Baſilius trium monaſticorum votorum auctor dicendus? Alii ad Urbanum I. anno 1230. Alii ad *Auguſtinum*, alii ad *Gelaſium* Papam anno 495. inter quos eſt *Onuphrius*. Alii aliter. Vide fusè de his *Sabellic. Enn. 9. lib. 9. Cranzium lib. 4. cap. 24. Metrop. Balæum cent. 1.* & *geſta Concil. Mogunt.* 813. Sunt autem Ordines canonicorum Regularium.

I. *Servatoris*, aliter *Scopetinarum*, vel ut *Gothofr. in arch. l. 3. c. 62. Petri de Piſis* aut *Piſanis* 1407.

II. *Friſonariorum*, alias *Lateranenſium*.

III. *S. Gregorii in Alga*.

IV. *Marci*. Vide *Antonin. tit. 15. cap. 17.* & *Polyd. lib. 7. cap. 3.* &c. ſed omnes Auguſtinum ſequi putantur. Sic refert *Aub. Miræus lib. 1. c. 2. Auguſtin. Barboſa. Collect. bull. p. 128. Bullarium per Cherubin. edit. tom. 1.* & 2. Hiſce annumerantur Ordines illi quibus vel ratione inſtituti vel privilegiorum nominis Canonici honor debetur.

V. *Canonici Regulares* ipſius Aug.

VI. *Præmonſtratenſes* ſeu *Candidus Ordo Norbertinus*, inſtitutus à Norberto an. 1120.

VII. *Benedictini* circa annum 366. quibus adde.

VIII. *Cœleſtinos, ſeu Ord. in montibus* à *Cœleſtino* V. ſic dictus, qui illos ex Benedictinis reformavit, &c.

IX. *Canonici Regulares S. Crucis Conimbricenſis* in Portugallia, ubi cœpere anno 1131. confirmati ab *Innoc.* III.

X *Cruciferorum* anno 1216. ſub nomine *Auguſtini*, confirmatus per *Innocent.* IV. vid. Chronicon Ord. nuperrimè editum Colon. & *Profſ. Stellart. p.* 326. &c. ſi qui ſint tales de ſpeciali Pontif. Rom. indultu. Differunt autem Canonici Regulares ab aliis Monachis non canonicis; præterquam in habitu & victu, quod in iis quæ ad pœnas & odia pertinent, appellatione Monachorum non contineantur; poſſint etiam tranſire jure, quo non licet aliis; quod laxiori regula vivunt, &c. vid. *Azor. lib.* 12. *Inſtit. mor. cap.* 22. *Thomam* 22. *q.* 189. *a.* 8. *ad.* 2. *Item Gloſſ. in cap. quod Dei tim.*

§. 7. *Non Canonici* autem cenſentur ii Religioſorum Ordd. qui tametſi ex ordinibus mendicantium non ſint, nonnihil tamen ab Ordinibus *Canonicis* abeunt, quo ad vitæ ſuæ inſtitutum; quod non fundatur præciſe in Canone illo vitę Apoſtolicæ, ſed vel quid ſuperaddit vel detrahit: vel etiam quo ad privilegia Ordinum ſuorum.

Tales vulgo feruntur, I. *Antoniani*, II. *Guilielmitæ*, ut hodie ſunt, III. *Bernardini*, alias *Ciſtercienſes* ſeu *Clarevallenſes*. IV. *Fratres vallis Umbroſæ*, &c. quibus hodie accedere dicuntur, quotquot *Ordd. Mendicantium* rigorem ſeu zeli defectu ſeu etiam Pontificis Rom. indultu exuere contigit. Quod quomodo tentarint varii Mendicitatis ſuæ pertæſi, vid. apud *Hoſp. lib.* 6. *c.* 16. &c. Hæc ergo breviter, ut potuimus; de Monachis *propriè* & *Analogicè*, *In defectu* & *exceſſu*, *Mendicantibus* & non *Mendicantibus* delineata ſufficiant.

§. 8. Sequuntur & aliæ regularium diviſiones.

I. *A. Sexu*: unde dicuntur Monachi aut Moniales; Ordinis Maſculi, aut fœminei. Hi Ordd. conſiderantur, vel ut ſimul eâdem in domo vivunt, vel ut ſeorſim ſexus quiſque. Simul viventes Ordines ſunt: *Ordd. S. Brigidæ ſeu S. Salvatoris*, per *Brigittam* ex Regia Danorum ſeu Suecorum proſapiâ, inſtitutus: ubi virilis ſexus ſubeſt fœmineo regimini. *Ordo Carmelitarum*, *per B. Thereſiam* ſi non inſtitutus, ſaltem renovatus, &c. Seorſim vero *Urſulinæ*, *Ordo B. Mariæ de Annuntiatione* dictus. Ordo Clariſſarum ſeu Monialium *S. Franciſci*: de quibus, ſupra. *Bernardinæ*, *Benedictinæ*; quarum tamen quædam una cum viris vivunt. *S. Getrudis*, *Beghinarum*, *Beguttarum*, *Pœnitentium*, *Catharinæ Senenſis*, *Zupſnomiæ Ordo*, & ſi quæ ſunt *Canoniſſæ*, hoc eſt, fœminæ in communi congregatione viventes; quales extra Germaniam & Belgium vix notæ ſunt. *Sorores nigræ*, ſub Benedictinis continentur; *Albæ*, ſub præmonſtratenſibus; *Cineritiæ*, ſub Franciſcanis.

II. Diviſio

Digitized by Google

II. Diviſio Regularium, *A. Gradibus*, hoc eſt omnis generis dignitatibus, miniſteriis, auxiliis, & Regulis. Quæ conſiderantur vel in *concreto* vel in *abſtracto*. In *concreto* ſunt: *Prælati* ſeu *Abbates*, *Generales*, *Provinciales*. *Deſinitores*, *Priores*, ſeu *Guardiani*, *Subpriores*, *Procuratores*, *Diſpenſatores*, *Cuſtodes*, *Cellarii*, *Bibliothecarii*, *Novitiorum Magiſtri*, *Præcentores*, *Infirmarii*; & in genere ad univerſalem ſtatum *Presbyteri*, *Subdiaconi*, *Clerici*, *converſi*, *Laici*, &c. eodem modo apud Sanctimoniales aut moniales, aut Nonnas, *Abbatiſſa*, *Prioriſſa* ſeu *Mater*, *Suprioriſſa* ſeu *Commater*, *Procuratrix*, &c. Item *Domina*, *converſa*, *tertiaria*, *Laica*, miniſtrantes. Qui præeſt monialibus vocatur *Pater*, proximus ab illo vulgò *Noſter*; tertius *Qui*: quas duas poſtremas appellationes puto eſſe ludicras. Memini mihi poſt concluſas inducias anno 1609. Sylvamducis, & inibi celebre ac frequens fęminei ſexus monaſterium dictum *Orthenſe*, luſtranti, monſtratum fuiſſe grandævum ſenem iſtic forte ambulantem, aut tranſeuntem, cui nomen aut titulum QUI unus atque alter ex Papiſtis Sylvęducenſibus, qui nos comitabantur, tribuebant.

In Abſtracto vero dicuntur, *Prælatura*, *Abbatia*, *Prioratus*. Adde & irregularium beneficia, *Canoniam*, *Præbendam*, *Paſtoratum*, *vicariatum*, *Perſonatum*, *Præpoſituram*, *archidiaconatum*, *decanatum*, *Scholaſtriam*, ſeu *ſcholaſteriam*, &c.

Hic notandum venit quatuor eſſe illuſtria admodum & opulenta Cœnobia in Gallia Belgicâ immediatè Sedi Apoſtolicæ ſubdita: ſunt autem hæc: *Vedaſtinum* in urbe Atrebatenſi; *Blandinienſe* Gandavi; *Bertinianum* Audomaropoli; & *Lobienſe*, ſpiritualiter Cameracenſi Diœceſi, Politice Leodienſi ſubjectum.

III. Diviſio regularium *A Locis*: Quæ conſiderantur, vel per ſpecies, vel per *Partes*. *Per ſpecies*, loca ſunt & dicuntur *Monaſteria*, *Cœnobia*, & *Clauſtra*. *Monaſterium* eſt Habitaculum ſolitarium. *Cœnobium* deſignat Habitantium Profeſſionis qualitatem & diſciplinam. Ita *Caſſian. collat.* 15. *c.* 9. *Clauſtra* autem à Claudendo. Sub Dagoberto Anno 640. utriuſque ſexus homines, religionis ergo, in Monaſteria velut carceres detrudi cœpere; & hodie tales ſupereſſe videmus. Monaſteriorum horum ſeu *Conventuum*, quædam ſunt *Matrices* quorundam aliorum (unde & regimen in illos): eæque aut *Univerſalis* totius Ordinis: ita ordo fratrum vallis umbroſæ ſubeſt uni Monaſterio. Idem obtinet in Ordine Crucigerorum; cujus omnia Monaſteria ſubſunt Huienſi in diœceſi Leodienſi. *Particulares Matrices* ſunt complures Abbatiæ reſpectu ſuorum Prioratuum, & Prioratus reſpectu domorum ſuarum. Capitulo Windeſemenſi olim 27. aut 28. conventus ſuberant: de quo proſtat hiſtoria, edita ab *Heriberto Roſweido*.

Digitized by Google

Matrices etiam aliquomodo habentur hodie Conventus, ubi Capitula Provincialia celebrantur; illis enim inde aliqua inde præeminentia accidere videtur.

Per patres loca alia ſunt Oratorium ſeu Eccleſia, Sacriſtia, Capitulum, Dormitorium, Ambitus ſeu Clauſtrum ſtricte dictum, Infirmarium, Calefactorium, Culinę, &c.

Poſt omnes diviſiones, videtur etiam aliqua mentio hic facienda ordinum, qui aboliti ſeu abrogati ſunt. Ex quibus nunc occurrunt *Fraticelli*, *Barnabitæ*, *Zupſnunnæ*, *Albati*, *Turlupini*, aliique per *Gregorium* X. Anno 1273. Superiori ſæculo etiam abolitos *Jeſuctos* occaſione cœdis intentatæ *Carolo Borromæo* Archiep. Mediolanenſi, docuit me Cherubinus in compendio Bullarii. Rumores etiam hodie, hoc eſt, anno 1669. increbreſcunt Romæ agi, de aliquot ordinum aut monaſteriorum *ſuppreſſione* & exſtinctione.

CAP. IX.

Problemata aliquot de Regularibus, eorumque analogiis, nominatim Cloppis, explicantur.

§. 1. HActenus delineatio thetica Monachatus in ſpecie: ſequitur nunc pauca quædam Problemata ſubjiciamus. Circa Ordd. Monachorum aut etiam monialium ſpeciales diviſiones & ſubdiviſiones tum proprias tum analogicas non pauca poſſent diſquiri. Inter quæſita illa occurrunt, de ſecularizatis & quaſi religioſis quibuſdam vivendi generibus & inſtitutis tum clandeſtinis tum apertis. Clandeſtina eſſe in politiis reformatis minime dubitandum eſt. Sed iis relictis, quærimus de quibuſdam palam & in luce verſantibus: quales ſunt fæminæ illę? Quarum ordo à Jeſuitis dependens, uſque inſerviens appellari poterat titulo Jeſuitiſſarum. Itali appellabant *pias*, *devotas*, Hiſpani *beatas*, Belgæ Kloppen/ Klop-Suſters/ Queſels/ Queſelen. Nomen Queſels aut Kloppen Latine *pulſantes*, aut *pulſatrices* inditum putatur à vita præ reliquis modeſta, ſedula & accurata; & per conſequens continuis precum & virtutum exercitiis quibus divinas aures pulſant. Alii tamen malunt trahere originem ab inquirendis perſæpè pulſandiſque Sacerdotum, Clericorum, & Confeſſariorum ſeu Patrum ſuorum ſpiritualium habitaculis. Utra probabilior ſit etymologia, nos in medio relinquimus. Vox Belgica Que-

Digitized by Google

Queſels à verbo Queſelen / aut Queſel-Bollen *nugas agere*, nugas ſerio tractare. Unde Queſelinge nugæ, quiſquiliæ, & maſculinum Queſels moroſus. *A Materia* deſcribuntur, quod ſint ut plurimum Nobiliores aut ſaltem potentiores, (ſi quidem haberi poſſunt); quibus hodie nonnullæ ex plebe & vulgo, illi inſtituto magis idoneæ, accedunt, aluntur que ut plurimum communi aut ſpeciali potentiorum liberalitate mercedis quaſi loco, pro exhibitis illis, aut patri ſuo ſpirituali presbytero cuipiam ſervitiis, officiiſve; quæ ſingulis ut Regularibus muneris loco ſunt. *A forma*, quod votis aliquibus, & regulis teneantur. *Votum* cœlibatus ſimplex ſeu implicitum & tacitum videntur, ſi non omnes, ſaltem aliquæ nuncupare, aut immediatè Deo in corde ſuo, aut etiam in manibus confeſſarii ſui ſeu patris ſpiritualis, idque vel perpetuum vel ad tempus aliquod, longius aut brevius. Saltem conſtat ægerrime ferri à clericis, ſi quæ Cloppę matrimonium ineant; & paſſim eas à Pontificiis traduci, quaſi ἄτοπον enorme quid commiſiſſent: quamvis hic in Belgio fœderato cenſuras canonicas non audeant in eas ſtringere. Ita ut conditio earum hac in parte eadem fere ſit quę *Beguinarum*, & *tertiariarum*. Huic voto in pluribus jungitur alterum, quod *Obedientia* dicitur, quo ſe obligant in ſpiritualibus exercitiis Confeſſarii ſui aut Patris ſpiritualis dictamini & directioni. Ad hæc nonnullæ huc uſque perfectionem monaſticam ſunt æmulatæ, ut vix inconſulto Patre ſpirituali, & neceſſitate urgente circa bona ſua diſponant, quo etiam paupertatem monaſticam ſaltem analogicè æmulentur. Hæc autem vota (quæ veſtium mundanarum, ut vocant, mutatio & contemptus concomitari ſolet) vel Deo & Sanctis, vel mediatè in manibus, ut ajunt, Patris ſui ſpiritualis nuncupare aſſolent. Nec hoc loco prætereundum ipſas analogicè ſaltem, ut poſſunt & earum fert conditio & ſtatus, tam in internis quam externis exercitiis, ſecundum morem conſtitutiones & regulas iſtius ordinis, cujus ipſorum confeſſarius eſt, ſibi quandam vivendi normam immediate præſcribere de Confeſſarii ſui conſilio, Finis denique & modus hujus religionis *Pulſatricu* (ita loquar) vix alius eſt à fine religionis, Beguinarum, Tertiarum, ſpiritualium virginum (Belg. Geeſtelijcke Dochters of Maechden): præterquam quod illæ ab hominum conſortio plerumque ſequeſtratæ & alienæ, hæ vero nimis illi familiares & frequentes vivant. Vide fuſius ſimilium exempla apud *Alphonſum Rodriguez de perfectione ſtatus Religioſi tom*. 2. & 3. edit. ultimæ Colon. in 8. extat Belgicè & Latinè. De his ergo *quaſi Religioſis* ſeu *quaſi-Monialibus* quas *Cloppas* cum vulgo dicimus, Quęrimus.

I. *Quæſt. An in Rebuſpublicis piis & Reformatis (ubi libertas conſcientiæ obtinet) inſtitutum ſeu Ordo earum aut ſimilium admittendus aut tole-*

tolerandus ſit, *ſi tolli poſſit*? *Reſp.* Negamus, his moti Rationibus. I. *Quia* honeſta conjugia, hoc inſtituto impediuntur. II. *Quia* eſt occaſio & quaſi ager fertiliſſimus ſcortationum, adulteriorum, abortuum aliarumque abominationum: uti experientia & exempla plurima confirmant & probant. III. *Quia* multis hæreditatibus honeſti cives & patriæ incolæ, adeoque communio ſtatus fraudantur; dum ſtrictiori & peculiari ratione Conſecraneę illæ potentiores, ad clericos, Sacrificulos, monaſteria & ad horrendas ſuperſtitiones Papales ſuſtentandas & propagandas bona ſua transferunt; ſive per donationem inter vivos, ſive per teſtamentarias diſpoſitiones: quibus alioquin hęredes ab inteſtato, aut ſuperſtites ex illâ familia & cognatione, ſępe inopes, gaudere & ſuſtentari poſſent. IV. *Quia* per eas foventur & juvantur emiſſarii Papales clerici *intra* Reſpublicas reformatas, (præſertim Belgii fœderati); & hac *ratione* commodius huc attrahuntur varia noxiorum Sacrificulorum examina: qui quantam nobis adferant ſecuritatem docet ſententia inclyti judicii Ultrajectini contra Archiepiſcopum *Rovenium*, ejuſque vicarium Wachtelarium. *Rovenius* divertebat apud Cloppam nobilem ac divitem. V. *Quia* ſunt inſtrumenta & Organa quam maximè noxia, Tyrannidi *Papali & conſequenter* Hiſpanicæ, (ex myſteriis in cauſa prętenſi Epiſcopi *Rovenii detectis, & alibi* à nobis indicandis) aliquando reducendæ, mala occaſione & difficili tempore obſtetricante. VI. *Quia* poſt ſe trahunt & artificiosè alliciunt puellas, eaſque parentum Religioni, inſtitutioni, & obedientiæ ſubducunt, privatimque inſtituunt; ita ut multę etiam poſt Clopparum aut Monachorum inſtitutum abeant parentibus invitis. Vide plagium hoc in Jeſuitis detectum & caſtigatum ab Ærodio quæſitore Andegavenſi, libello peculiari; Quem indicat, & ex quo aliqua excerpit, *Rivetus in commentar. decalog. ad 5. præceptum*. Confer quę ſupra ſum. I. &c. VII. *Quia* conſociationes, Collegia, cum legibus aut ſtatutis propriis, nequeunt erigi aut continuari in Republ. ſine præcognitione, conſenſu, & auctoritate Magiſtratus. Vide *D. tit.* de collegiis. Jam vero *Cloppas*, quamvis ſeorſim vivant, collegiali tamen & communi correſpondentia conventus agere, continuare, & ad illos ut & ad officia miſſifica ſuos monendo convocare, abſque conſenſu, auctoritate, & præſcientia ſpeciali Magiſt. per quam notum eſt: Ergo. VIII. *Quia* omnia impedimenta pietatis & religionis, & adminicula atque inſtrumenta ad ſeductionem Antichriſtianam, Superſtitiones, Idololatriam, præſertim publica & aut privato publica, removenda à pio Magiſtratu. IX. Argumentum ad hominem; *Quia* ipſi Papæ non adeo placet ipſorum inſtitutum, imò ipſi cum aliorum quorundam Ordd. antehac Monachorum ut *Homiliatorum*, *Jeſuatorum*, &c. 23. (de quibus ſupra) & ſemi-monachorum,

ut

ut equitum Templariorum, &c. jam abrogatorum inſtituto eſſe inviſas demonſtravit nuper Urbanus VIII. Pont. Rom. abrogans ſimiles *Clopparum* (ſub nomine ac titulo Jeſuitiſſarum) in Belgio & Italiâ erectas ſocietates. Vide Bullam ejus publicè, etiam vernaculo ſermone editam; ubi inter rationes non paucas politico Papales, etiam hanc moralem allegat, quod præter Decorum ſexus muliebris limites prætergrederentur, & inconvenientiis pluribus ſe implicarent, &c. *Rovenius archiepiſcopus* Ultrajectinus in epiſtolis Româ ad Wachtelarium ſcriptis, & una cum *Secretario* ejus (*Godefrido Mook*) hic interceptis, ſatis oſtendit ſe Jeſuitarum fautorem non eſſe; nec Clopparum, præſertim Jeſuiticarum; ſe πολυπραγμοσύνης earum & factionum hoſtem eſſe. *Vide ejuſdem Rempubl. Chriſtianam lib.* 1. *cap.* 43. ubi hodiernas Cloppas, præſertim Jeſuitiſſas, non leviter tangere videtur, nonnulla inde excerpta inde exhibeo. Multò minus ergo pius Magiſtratus propter hanc, aliaſque rationes Politiæ & Eccleſiæ noſtrę ſecuritatem concernentes, *tolerare eas poteſt.* 2. Ab exemplis analogis: *Quia* reformati Magiſtratus ubicunque poſſunt abolent Ordd. Papales Monachorum ac Religioſorum, etiam tertii Ord. & *Beguinarum.* Item omnium *Fraternitatum* Crucis, ſacramenti, *Mariæ* & quorumcumque Sanctorum: de quibus infra *ſect.* 4. Quidni ergo etiam *Clopparum*, quę non minus ſunt ſemi Religioſę, quam *Beguinæ?* Nec quiſquam negare audeat inter illas eſſe, quæ tertii *Ord. Dominici*, *Franciſci*, aut aliarum religionum atque Ord. inſtitutis quam proximè inhæreant. Non dubium eſt, quin Jeſuitarum Cloppæ, quas hic Ultrajecti appellant **Paters Kloppen /** aliquâ veſtitus pectoralis formâ aut adjuncto ab aliis cloppis antehac diſtinctæ, eundem ordinem, & modum ſemi-religionis ſervent, quem Jeſuitiſſæ ab *Urbano* VIII. ſuppreſſæ. Ita ut nomine tantum & externâ ſpecie mutatâ, res eadem manſerit Adeo ut novitia quædam religioſè vivendi *Societas* atque ordo ab iis inſtitutus non immerito dicendus ſit. Cum ergo omnes Papatus Religioſi aut ſemi religioſi ordines piè & juſtè ſint aboliti; non eſt quod de novo eos alio colore, alio nomine, aliis veſtibus ejuſdem inſtitui aut reſtitui patiantur ii, penes quos poteſtas & potentia eſt: non magis, quam *Beginagia* cum ſuis *Beguinis.* De *Cloppis* aliquod attingo *part.* 1. *polit. eccleſ. lib.* 1. *pag.* 35. *De Beguinis Rovenius* modo cit. *lib.* 1. *cap.* 22.

II. *Probl.* An in Rebuſpublicis reformatis, unde ordines religioſi omnes exacti, tolerandum ſit, ut infantes aut pueruli & puellæ ſchemate *Capuchinorum* aut aliorum Monachorum in publico compareant, & plateas perambulent? *Reſp. Neg.* Monachatu abolito, progymnaſmata illius, aut myſtica effecta diutius obtinere nequeunt.

III. *Probl.* An abſque ſymbolizatione aliquâ cum Monachatu, in ſuſceptione

Digitized by Google

ptione ſtatus & muneris alicujus politici, aut militaris, aut Scholaſtici, aut Eccleſiaſtici, juramentum cœlibatus, aut caſtitatis præſtari poſſit: aut tale juramentum alicui nolenti volenti imponi? *Reſp.* De cœlibatu ſimpliciter *Neg.* De caſtitate dicimus videri in illo juramento eſſe quid inſolens, & ambiguum. *Inſolens*, quia ſi caſtitatem in genere & conjugalem, & virginalem intelligas ad eam quilibet Chriſtianus voto tum communi ac quotidiano, tum ſolemni in Baptiſmo, & in profeſſione fidei, receptione ad communionem Eccleſiæ præſtito obligatur. *Ambiguum*, quia videtur juramentum caſtitatis virginalis (pręſuppoſito cœlibatu ad talis muneris ſuſceptionem requiſito; rectè & prudenter nec ne, hic non diſputatur), aliquâ ſaltem ſpecie *συμβολίζειν* cum voto caſtitatis (uti in Papatu loquuntur) regularium, aliorumque clericorum.

IV. *Probl.* An magis conſultus eſſet, ſi profeſſores Academici, *ſaltem* Theologi in collegiis quibuſdam, ubi tanquam Canonici regulares Cœnobitæ, ac præceptores *Hieronymiani* ætatem tranſigant? *Reſp.* Inclinamus in *Neg.* Et metuendum putamus, ne talia Collegia tandem in monaſteria abeant, aut ad ea quam proximè accedant. Notum eſt quid antiquis aſcetarum, Theologorum, & Canonicorum regularium collegiis evenerit ſub Papatu. Ita ut quamvis per ſe non malum eſſet hoc inſtitutum, *tamen pericula illa* monere nos debent tutiora potius conſilia hic ſequenda. Problemata de equitibus ſacris & fraternitatibus, ſuo quæque loco opportune perſtringentur.

Succedunt problemata inter ipſos Pontificios controverſia: ubi nos ſpectatores erimus.

I. *Probl.* An regulares ſint clerici Eccleſiaſtici, & pars hierarchiæ Eccleſiaſticæ, an vero ſint laici, & in plebe Eccleſiaſtica numerandi? *Reſp.* Poſterius aff. Sorbonici contra Monachos. *Vide* fusè diſputantem *Fran. Hallier* in Vindiciis cenſurę Sorbonicæ contra Loemelium.

II. *Probl.* An Regulares Sacerdotes & confeſſores ſint præferendi ſæcularibus? *Reſp. Vide* eoſdem.

III. *Probl.* An clericus vitians Monacham, minus peccet quam Laicus. *Reſp.* Vide *Azór.* & *Concil. 6. univerſale Conſtantinop. c.4.* cujus verba huc tranſcripta ſunt hæc: *Si quis Epiſcopus vel presbyter, vel Diaconus vel Subdiaconus, vel Lector, vel Cantor vel Oſtiarius, Monacham vitiarit deponatur, Laicus vero ſegregetur. Ergo.* Sed hæc aliaque iſtius generis infinita problemata nolumus nunc deſcribere. Interim relegatis lectoribus ad Emm. Roderici quæſtiones regulares, paramus nunc ſolummodo bibliothecam quandam ſtudii regularis ſeu monachalis, ſiquidem aliquando de myſteriis eorum dubia aut quæſtiones incidant; ut ſciant, apud quos hæc inveſtigari debeant. Partimur autem in duas partes: quarum prior contineat

autores

Digitized by Google

autores ſpeciales, poſterior autores & ſcripta communia. Sit ergo prioris partis claſſis I. ubi autores univerſales, qui omnia ex omnibus corradunt, & ad omnes alios manuducunt, immo & pleroſque indicant. Quales *Imm. Rodericus in tomis 4. quæſtionum regularium*; qui poſſit eſſe inſtar omnium. Et *Thomas Zanchez operum moral. tom. 2.* Didici etiam ex autoribus exſtare ſpeculum Monachorum Lovanii editum anno 1563. & *Sylvii Marulli Oceanum Religionum.* Sed nondum videre contigit. Quid ergo contineant, & quantum præſtent, lectori indicare nequeo. Compendium temporis & ſumptuum facient juniores, aliique, quibus nondum vacat volumina illa in bibliothecam ſuam adſciſcere, ſi compendium quæſt. Regular. *Imm. Roderici* ſibi comparent. Exſtat etiam epitome *Joh. Cruz de ſtatu & privilegiis religioſorum.* II. continent regulas ſingulorum ordinum, & quidem cum commentariis, ex. gr. *Antonii Perez* commentar. in regulam Benedicti, *Marchant* in regulam Franciſci, *Nigroni* in regulas Societatis Jeſu, &c. & ſic per ſingulos ordines. III. autores Canonico-Juridici, quales 1. Privilegia regularium collecta ab *Imm. Roderico.* Huc refert *Fr. Giſlerii tract. de Judice Regularium.* 2. *Renati Choppini Monaſtica*, ſeu de Jure Cœnobitarum; opus variæ & diffuſæ lectionis, ubi quamplurimæ antiquitates ſeu potius novitates ad ordines Monachorum pertinentes etiam ex archivis, & libris ac ſcedis ἀνεκδότοις eruuntur. 3. Privilegia ac jura ſingulorum ordinum, e. gr. *Hieronymi à Sorbo* privilegia fratrum minorum, &c. ſic per omnes ordines. IV. Autores practici & aſcetici, id eſt, qui Inſtitutiones, inſtructiones, &c. religioſorum ſcripſerunt, ut Bonaventura, *Humbertus*, *Anton. Guevara*, *Lucas Pinellus*, *Petrus de S. Audomaro*, *Joh. à Jeſu Mariâ*, *Pelecius*, *Balſamo Soc. Jeſu*, *Matth. Tympius*, *Joh. Crombecius*, Huc etiam collimarunt libelli practici *Kempis*, *Harpii*, *Haſgardi*, *Florentii Batavi*, *Lanſpergiorum*, *Bloyſii*, quamvis generali titulo prodierint, & multa habeant pietatem promoventia: inter quos eminet libellus *Thomæ à Kempis* de imitatione.

I. Huc refer Breviaria, Diurnalia, Kalendaria, Miſſalia peculiaria ordinum, ex. gr. Breviarium Benedictino Romanum, Diurnale Prædicatorum, Kalendarium Eccleſiaſticum prædicatorum, &c.

II. Qui practicè amplificant & laudant excellentiam ac perfectionem ſtatus religioſi, e. gr. Hieron. Platus de bono ſtatus religioſi.

III. Qui reformationem religioſorum in genere, aut alicujus ordinis in ſpecie ſuadent & præformant, ut *J. Nider* de reformatione religioſorum, *Octavii Satbarii* aurea methodus corrigendi regulares, *Johan. Druſii* Abbatis Perchenſis libellus de reformatione Pręmonſtratenſium.

IV. Huc refer eos, qui docent praxin regiminis regularium, ut *Ludovici*

de Miranda Manuale prælatorum regularium. Exſtat & vaſtum opus *Tamburini* de Abbatibus; ſed quod etiam ad claſſem tertiam referri poteſt.

V. Hiſtorici & antiquarii. 1. *Generales*, quales introductionis vice inſtar omnium ſit *Auberti Miræi* origines monaſticæ. Exſtant & *Proſper Stellartius* ſæpe hic cit.; Cœnobitica Mansfelt; Inſtitutiones monaſticæ *Petri ab Andomaro* aliàs de *Wallencapelle*; *Paulus Morigia* de origine religionum; *Mathei Galeni* origines monaſticæ: quod poſtremum ſcriptum magnâ ex parte eſt apologeticum ſeu elencticum. *Ludovicus* de Miranda in Manuali prælator regularium omnes ordinum origines, fusè recenſet. 2. *Singulares*, qui ſingulorum Ordinum origines, ex. gr. *Miræi* origines Benedictinę, *Philippi Boſquierii* antiquitates Franciſcanę, de Inſtitutione & progreſſione Carmelitarum diſcalceatorum in 4. &c. 3. Ordinum ſingulorum annales, chronica, hiſtoriæ, ut *Miræi* Chronicon Ciſtercienſe, *Gianii* annales ſervorum Mariæ, *Cornelii Curtii* Elogia virorum Illuſtrium ex ordine Eremitarum B. Auguſtini cum iconibus, *Georgii Garnefelt* elucidationes in quinque libros de Imaginibus antiquorum: *Petri de Valderama* Auguſtiniani Theatrum religionum *Hiſpan.* & Gallicè, continet ſermones de pręclaris quibuſdam religioſis, &c. & ſic per omnes ordines, à *Miræo* indicatos. 4. Chronica, hiſtorię & deſcriptiones & *abbatiarum aut monaſteriorum*, ſive omnium alicujus ordinis, ſive unius tantum, ex. gr. *Caſp. Jungelini* notitia abbatiarum ordinis Ciſtercienſis, Hiſtoria capituli *Windeſemenſis*, à *Roſweido* edita. 5. Scriptores ſcriptorum & eruditorum & virorum illuſtrium cujuſque ordinis, ex. gr. *Cornelii Curtii* Ordin. Eremitar. Auguſtinian. hiſtoriographi Elogia virorum Illuſtr. iſtius *ordinis*. Aliorum ordinum catalogos alibi indicavimus. 6. Scriptores ſanctorum & martyrum cujuſque ordinis, ex. gr. *Borſtius* de præcipuis Carthuſianorum patribus. 7. His adjungantur vitarum ſcriptores, qui ferè infiniti; ut *Franciſci, Tireſiæ, Xaverii, Ignatii, Archangeli Capucini*, &c. 8. Deſunt qui bellatores & bella cujuſque ordinis, item ſtratagemata, proditiones, paricidia, & ſimilia fortiter ſcil. ac militariter geſta, nec non fraudes, nequitias, artificia & maleficia magica, &c. deſcribant; quales ſcriptores nondum memini mihi viſos. Poſſet ergo à noſtris, quibus otium eſt, hic defectus, ex aliis hiſtoriis & monumentis ſuppleri 9. Deſunt etiam ſcriptores hæreticorum & novatorum.

VI. Elenctici & apologetici ſunt duum generum, vel qui extraneis, vel qui domeſticis ſe opponant. Illi ſunt *Bellarminus*, aliique controverſiarum ſcriptores: quos indicatos vide à *Poſſevino in appar.* in vocabulo *Religio.* Quibus addendum puto *Serrarium modo cit.* Iſti ſunt *Thomas Aquinas contra. Gul. de S. Amore*, & hodierna ſcripta ſub nomine Loemelii, &c.

contra

Digitized by Google

contra Sorboniſtas Pariſienſes edita, quorum aliqua prohibebat Papa Urbanus VIII. Huc refer apologeticos Juriſtas ſeu Canoniſtas, qui jura Monachorum & reditus, & monaſteria aliaſque immunitates defendunt, quale eſt *Ren. Choppini* ſcriptum modo cit., & Aſtrum inexſtinctum *Gaſp. Scioppii contra Paulum Layman* Soc. Jeſu.

VII. Confer peculiares claſſes ſcriptorum de Jeſuitis, de Canonicis, de Militibus ſacris, de Fraternitatibus, qui alibi datâ occaſione, indicantur. Poſterior pars bibliothecæ continet. 1. Decreta Concilii Tridentini: *Compendium bullarii cum ſcholiis Cherubini*, & *Auguſt. Barboſa collectanea ad bullarium;* unde hodierna myſteria, & nova aliqua optimè ac compendioſiſſimè pateſcent. Antiqua vero ex Jure canonico, ex tomis Concilior, ex *Bochelli* decretis eccleſ. Gallicanę.

VIII. Ex recentioribus Canoniſtis, *Zypæus*, & *Johan. Honorius ab Axel.* Adde ſi placet *Diaz* & *Lopez* de *Salzedo* practicam criminalem canonicam. Apud quos alii autores hic maximè neceſſarii citantur.

IX. Ex iis, qui antiquitates ſacras, aut eccleſiaſticas pertractant; Nic. *Serrarii* trihæreſeon, & ejuſdem apologia contra Scaligerum.

X. Ex iis qui hiſtorias & antiquitates eccleſiaſticas, *Baronius*, cum *Bzovio*; & illius epitomator *Spondanus*: Hiſtoria Concilii Tridentini; & *Dionyſ. Mutzart* hiſtoria eccleſiaſtica ſermone Belgico, quæ imprimis inſerviet illuſtrandis Monaſticis in Belgio: cum quo jungi poterit *Auguſt. Wichmans* Brabantia Mariana, ubi quamplurima ad antiquitates monachales ſpectantia occurrunt. Nec pretereundi faſti Belgici *Miræi*, ejuſdem Notitiæ eccleſiarum Belgii, donationes, diplomata Belgica; *Roſweidi* hiſtoria eccleſiaſtica Belgii; *Beca* & *Heda* hiſtor. Epiſcopor. Trajectenſium. Communes inſuper chronologi, hiſtorici, & politici ſpeciales; inter quos magis ex profeſſo hoc agit Anonymus à *Gothofredo* tranſlatus tit. Archontol. Coſmica: quæ poſtea longè auctios Francofurt. prodiit 2. vol. in fol.

XI. Ex Scholaſticis recentioribus *Zwarez tom.* 2. de Religione *tract.* 9. Confer quoſcunque recentiores commentatores in *Thoma* 2. 2. *quæſt.* 88.

XII. Ex Jureconſultis *Tholoſanus*; qui egregius Canoniſta cum fuerit, ſupra alios hic conſulendus. Addi poteſt *Chaſſanæus* in catalogo gloriæ mundi. Ex noſtris conducent iſti autores 1. *Hoſpinianus*, qui theticè & elencticè de monachatu ſcripſit. 2. Elencticos alios ſupra, & ſæpe citamus. 3. Ex hiſtoricis & antiquariis ſacris aut eccleſiaſticis, *Scaliger* & *Druſius* contra *Serrarium*, *Pleſſæi* myſterium iniquitatis, ejuſque defenſio per *Rivetum*, *Uſſerii* antiquitates Britannicarum eccleſiarum. 4. Ex iis, qui antiquitates aut hiſtorias communes ac politicas deſcribunt, *Thuanus*,

Digitized by Google

Sleidanus, aliique hiſtorici jam à tempore reformationis. Denique *Joh. Iſaaci Pontani* origines Franciæ, *lib. 6. c. 3.*

XIII. De mediis præparatoriis ad Monachatum ſcribunt qui de Seminariis; quos ſupra indicavimus. Et qui de Novitiatibus, ut Poſſevinus *lib. 5. biblioth. ſel. pag. 23.* & Bullarium *tom. 1. Clementis* VIII. *pag. 15.* Et *Joh.* à Jeſu Maria generalis Carmelitarum Diſcalceatorum, *Inſtructio Magiſtri Novitiorum 1621.*

XIV. Inſignia ordinis cujuſque monachalis, partem aliquam depicta exhibet Stellartius libro ſępe citato.

XV. *Bruſchius de monaſteriis* Germaniæ. Henricus Petrejus JC. anno 1610. tract. dedit de Monaſteriis: ubi de bonorum monaſticorum ad eccleſiaſticos, ſcholaſticos, alioſque pios uſus applicatione, contra ſacrilegas alienationes & depredationes, piè prudenterque diſſerit.

XVI. *Manuale Fr. Minorum Antwerpiæ 1618. in 18.*

XVII. *Johannes Baptiſta Signius* 2. libris de ordine ac ſtatu Canonico, 1601. origines, progreſſum, & geſta Canonicorum Regularium S. Salvatoris, deſcribit.

XVIII. De origine *Beguinarum*, quæ in ſuis quæque domibus aut cellis in beguinagiis habitant, aliqua occurrunt in *Miræi Faſtis Belgicis*, & *Martini Breſſeri lib. 6. de conſcientiâ cap. 22.* Sed operosè de *Beggâ Piponi* J. ducis Brabantiæ filiâ, & ordine Beguinarum ab eadem deducto agit *F. Elias* de *S. Tereſiâ* Carmelita diſcalceatus, in *Spirituali palatio Beginagiorum*, Belgicè anno 1618. in 8.

XIX. De ſacris Monialibus, earumque Abbatiſſis, Prioriſſis exſtat *Ludovici Miranda* tractatus peculiaris; quem ſubjunxit Manuali Prælatorum Regularium.

XX. De pœnis monaſticis, & praxi criminali, deque *carceribus*, *compedibus*, *cyppis & catenis*, *ac manicis ferreis*, (ut loquuntur Conſtitutiones fratrum Eremitarum *S. Auguſtini* pro reformatione Germaniæ anno 1504. cum præfat. *Joh. de Strupitio* in 8.) exſtat tractatus *Paulini Berti* Ord. Eremit. *S. Auguſtini* tit. Praxis criminalis Regularium Sæculariumque Antwerp. 1624. qui conſtituit quartum tomum Quæſtionum Regularium *Emanuelis Roderici.* Habet etiam nonnulla huc pertinentia *Diaz* in praxi criminali canonica.

Digitized by Google

CAP. X.

De Religioſis ſeu monachis Societatis Jeſu.

ORdo hic inſtitutus eſt ab *Ignat. Lojola* anno 1539. confirmatus § 1.
à *Paulo* III. Vitam *Ignatii* deſcripſerunt *Petrus Ribadenira* & *Johannes Petrus Maffeus.* Hujus ſocietatis hiſtoriam dedit Nicolaus Orlandinus, & partem 2. ejuſdem hiſtoriæ Franciſcus Sacchinus, Antwerpiæ typis Nutii 1620. in fol. & Coloniæ typis Antonii Hierat 1617. in 4. Hiſtoricis illis adde pompaticum illud volumen à Societate Flandro-Belgicâ tit. *Imago primi ſaculi Societatis Jeſu* anno 1640. editum: qui liber non tam hiſtoriam, quam perpetuum ſocietatis Panegyricum continet. Huic panegyrico univerſali (ita loquar) jungi debet *Philipp. Alegambe Bibliotheca* ſcriptorum Societatis Jeſu; ubi paſſim ſcriptoribus Jeſuiticis quaſi panegyricus dicitur. Conſtitutio, confirmatio, privilegia hujus ordinis & diplomata huc pertinentia peculiari libro edita ſunt Pariſ. anno 1612. in 8.

Oppoſitiones & adverſarios in ipſo Papatu nacti ſunt quamplurimos, tum ſæculares tum eccleſiaſticos, imprimis & regulares. Ipſorum *Imago primi ſaculi* toto libro 4. deſcribit Societatem patientem. Academiam Pariſienſem, ſupra alios, inimiciſſimam ſunt experti: uti conſtat ex variis ſcriptis illic editis, inter quæ notanda *Philippica Arnoldi* celebris Advocati Pariſienſis, qui nomine Academiæ actionem in Jeſuitas inſtituebat anno 1594. quam in Latinam linguam à ſe tranſlatam edidit celebris theologus *Fr. Junius* in 8. Omnibus occaſione tractati paricidii anno 1594. in Jeſuitas editis ſcriptis, oppoſita fuit Apologia Societatis Jeſu in Gallia Burdegalæ anno 1599. Gallicè, & eodem anno Latinè Ingolſtadii, apud Adamum Sartorium in 8. Libros omnes, pro Jeſuitis, & contra Jeſuitas ſcriptos occaſione regicidii in Gallia anno 1594. tentati, & anno 1610. peracti: ut & occaſione proditionis pulverariæ anno 1605. in Anglia, & occaſione excommunicationis Venetorum per Paulum V. anno 1607., hic non enumerabo. Suffecerit nunc ſcripta aliquot à Papiſtis edita indicaſſe, Qualia ſunt Oratio *Martelrie* Advocati Pariſienſis pro Academiâ & nomine ejuſdem habita anno 1611. exſtat Gall. & Belg.; an Latinè neſcio. Oratio *Petri Vardevillari* Pariſini Academiæ Rectoris habita in Senatu Pariſienſi anno 1611. 2. Decembr. & ibidem typis deſcripta anno 1612. in 16. Anonymi (Stephani Paſchaſii JC.) Catechiſmus Jeſuiticus, Gallicè, Latinè, Germanicè; *Ludovici Montaltii* literæ

Digitized by Google

Provinciales, & *Sam. Richelii* examen probabilitatis,&c. nuper impreſſum Helmſtadii in 4. Adde hiſtoricos Gallos *Thuanum*, *Petrum Matheum*, *Gramundum*, &c. & annuos Mercurios, à quibus geſta aliqua Jeſuitarum referuntur. Inter quæ notanda librorum *Marianæ*, *Zwarezii*, *Becani*, *Santarelli*, *Bellarmini*, celebrium ex ſocietate theologorum ad indicium & prædamnationem Academiæ aut Sorbonnæ ſeu facultatis theologicæ Pariſ. condemnatio per ſupremam curiam, & per manum carnificis, combuſtio. Inter Papiſtas huic ſectæ adverſantes tum politici tum eccleſiaſtici, ſæculares & regulares ab ipſis in Imagine primi ſæculi, *Melchior Canus* epiſcopus Canarienſis, *Viglius Zwichemus* Regii conſilii in Belgio præſes, Dux Albanus, Salmanticenſes,Pariſienſes,Veneti,& Cracovienſes, &c. Quibus nos addimus Ordinem Dominicanorum,Benedictinorum,aliorumſque Regularium. His junge *Ariam Montanum*, *Jac. Auguſtum Thuanum*. Nec prætereundus *Gaſpar Schioppius*, qui averſionem ſuam à Societate oſtendit in Aſtro inexſtincto. *Johannes Mariana* Jeſuita Diſcurſum edidit de multis defectibus, qui ſunt in formâ regiminis Jeſuitarum, Hiſpanicè; qui in Gallicum traductus & editus eſt,a.1625. in 8. Sub nomine *Alphonſi de Vargas Toletani* editæ ſunt Relationes ſtratagematum Jeſuiticorum. Sed hos alioſque autores Pontificios, & eximia ſtratagemata ac geſta Jeſuitarum, ut & teſtes veritatis contra illos recenſet anonymus in libello 1643. in 16. edito, tit. *Jubileum ſive ſpeculum Jeſuiticum.* Similis ferè ſtructuræ eſt alter libellus a. 1645. editus ab eodem (uti puto) autore tit. Elixir Jeſuiticum.

A Proteſtantibus & reformatis contra ſectam Jeſuiticam ſcripti ſunt libri quamplurimi, quorum præcipuos aliquot hic indicamus: Et ſunt *Eliæ Haſenmulleri* Hiſtoria Ordinis Jeſuitici, edita à *Polycarpo Leyſero*, Francofurti 1605. in 8. in Germanicum idioma tranſlata per *Melch. Leporinum* eccleſiaſtem Brunſwicenſem, & in Belgicum per *Petrum Duyrcantium* eccleſiaſtem in Loosduynen 1647. in 4. *Chemnitii*, & *Boquini* tractatus de Jeſuitis, quos recudendos dedit *Conradus Deckerus* tit. *Tractatus de proprietatibus Jeſuitarum* 1611. in 8.

Simonis Steinii (al. Lithi) philologici profeſſoris Heidelbergenſis, Reſponſio 1. & 2. ad Apologiam Jeſuitæ *Gretſeri* pro Vitâ *Ignatii Lojolæ* in 8.

Renati Veridei (per Cabalam ſeu anagrammatiſmum *Andreas Rivetus*) Myſteria patrum Jeſuitarum: 2. editio auctior prodiit anno 1633. in 16.

Gabrielis Barieri Lermei introductio in artem Jeſuiticam anno 1599. cum additis Jeſuiticis in 8.

Varii ſcriptores de Jeſuitis, ſex tomis Rupellæ.

Ludovici Lucii profeſſoris Baſileenſis hiſtoria Jeſuitica.

Hoſpinianus de Jeſuitis.

Ga-

Goldaſtus in Politicis Imperialibus, pag. 1364. 1267.

Johannes Himmelius in tract. de Jure Canonico, canonicis, theolog. ſcholaſticâ ad finem.

Sequentes tractatus indolem, arcana, & geſta ſocietatis in luce ponunt.

Negotiatio Jeſuitica in Belgio, Lat. & Belg. in 4. Juſſu DD. deputatorum Ordinum Friſiæ in lucem edita Franequeræ 1616. in 4. ex epiſtolis & chartis ſub manu alicujus Jeſuitæ deprehenſis.

Alphonſi de Vargas Toletani Relatio ad Reges & Principes Chriſtianos, de ſtratagematis & ſophiſmatis Politicis Societatis Jeſu, &c. a. 1636. in 4.

Anonymi *conclave Ignatii*, ſive de geſtis in nuperis inferni comitiis. Scriptum eſt ſatyricum, viri ingenioſi & multæ lectionis & variæ eruditionis in 4. ſine nomine loci & typographi, ſine indicio temporis quo editum. Scriptor Gallus videtur, aut ſaltem Galliæ incola, reformatæ religioni addictus.

Monarchia Soli-Ipſorum (anno 1648.) autore *Lucio Cornelio Europeo*: quod nomen fictitium arbitror in 16.

Interim ipſa ſatyra redolet ingenium perſpicax & eximiam doctrinam ac prudentiam autoris.

Anonymi *de ſtudiis Jeſuitarum abſtruſioribus* relatio, in 8. 1608.

Anonymi *libera & vera Remonſtrantia* ad Regem Galliæ ſuper reſtitutione Jeſuitarum, &c. Gallicè, in Belgicum tranſl. 1602. in 8.

Anonymi *Anatomia Societatis Jeſu*, &c. 1643. in 12.

Theophili Eugenii Protocataſtaſis, ſeu prima Societatis Jeſu inſtitutio reſtauranda, &c. 1615.

Anonymi *Theologia Moralis Jeſuitarum*, continens excerpta ex libris eorum, in 4. videtur ab aliquo Sorboniſtarum edita.

Scripta Sorbonnæ Gallicè edita ab anno 1642. uſque 1644. in 8. ſuper doctrinâ aliquâ Caſuiſtica Jeſuitarum in collegio Claromontano traditâ & dictatâ.

Jeſuitarum doctrina in cauſâ rebellionis & conjurationis, &c. in 4. Anglicè; & inde tranſl. in Belgicum 4.

Scripta Anglicana ut Proceſſus c. proditionis pulverariæ conſcios, *Caſauboni*, *Prideauxi*, *Roberti Aboti*, &c. indicata ſunt in 2. *part. ſelect. diſpp. tit.* de poteſtate temporali Papæ.

Hactenus præcipua quędam ſcripta, contra ſocietatem edita, Subjicimus nunc aliqua pro Societate, ſupra indicatis, adjungenda.

Cauſini apologia Societatis, Gallicè.

Poßevinus in Apparatu ſacro, in voce Societas.

Andrea Eudæmon Johannis Apologia pro Garneto in 8.

Ejuſ-

Ejuſdem Epiſtola ad amicum Gallum; ejuſdem Reſponſio ad Epiſtolam *Caſauboni.*

Franciſci Coſteri Reſponſum ad ſententiam Hollandicam latam adverſus *Petrum Panne,* Belgicè 1598.

Apologia pro patribus Jeſuitis, autore *du Perron*, cum præfat. dedicator. ad Galliarum regem Ludovicum XIII. Gallicè, & Latinè Pariſ. ex offic. Nivellianâ 1615. in 8.

Apologia pro Societate Jeſu ex Boemiæ regno, &c. 1618. 1. Junii proſcriptâ Colon. apud Arnoldum Kempenſem 1618. in 4. Atque hæc ſcripta pro Societate; quæ nunc mihi ad manum ſunt.

Serrarius in prolegom. ad Joſuam prolixè defendit titulum *Societatis Jeſu.*

§. 2. Jeſuitæ Ignatium & ſocietatem ſuam tantis laudibus cumulant, aut per alios cumulari curant, ut in ipſo Papatu pleriſque aliis clericis tum ſęcularibus tum regularibus intolerabile ſit. Specimen habes in tribus concionibus in beatificationem *Ignatii* habitis, in Gallicum ſermonem traductis & editis Pictavii 1611. per *Sorbonam* cenſurâ notatis Kal. Octobr. 1611.

„ *Petrus de Valderiana* Prior convertit. S. Auguſtini Hiſpalenſis in com„mune ſuper beatificat. *Ignatii p.* 54. 55. Scimus equidem *Moſem* virgâ „ ſuâ, quam manu ferebat, miracula in aëre, in terrâ, in aquâ, in petris, & „ paſſim ubi conſultum illi viſum fuit, ſtupenda edidiſſe & admiranda, adeo „ quidem ut ipſum *Pharaonem* cum univerſo exercitu in mare rubrum præ„cipitârit & ſubmerſerit: verum ineffabilis divini nominis, quod virgæ iſti „ ſeu baculo inſculptum fuiſſe doctus ille *Toſtatus Epiſcopus Avilanus* aſſe„rit, virtute, iſta miracula edita fuere. Quod autem creaturæ agnoſcentes „ ſupremi regis & domini ſui ordinationes, nomine ejus ſignatas & ſub„ſcriptas, obedientiam illi præſtiterint, hoc non tanti erat faciendum, nec „ etiam magis mirum nobis videri debet, per Apoſtolos tot tantaque con„tigiſſe miracula, ſiquidem ea omnia in nomine Dei fiebant, operante vi„delicet virtute ejus & potentiâ, quam illis conceſſerat, & tanquam ſigillo „ ſuo conſignârat, cum ait: In nomine meo dęmonia ejicient, linguis „ loquentur novis, &c. Quod autem *Ignatius* ſuo & ipſius proprio nomi„ne chartæ inſcripto plura quam ipſe *Moyſes*, miracula, & totidem edat, „ quot Apoſtoli; quod ſigillum ejus tantæ autoritatis penes creaturas ob„tineat: Hoc ipſum eſt, quod in ſummam ejus admirationem nos indu„cat.

„ Cenſura: *Iſta loquendi formula*, quâ nomen creaturæ nomini Dei „ omnipotentis æquari videtur: præterea extenuantur miracula, eo, quod „ Dei nomine edita fuerint: denique miracula non ita certa, miraculis in-

du-

Digitized by Google

„ dubitate fide catholicâ tenendis præferuntur, *eſſe ſcandaloſam*, *erroneam*,
„ *blaſphemam*, *atque impiam.*

„ *Idem ibid. p.* 81. Quoad uſque Ignatio vivere hic contigit, vita ejus
„ & mores tam graves, tam ſublimes; ipſo etiam cœlo ſic ſtatuente, exſti-
„ terunt, ut nemini niſi Pontificibus, Divo ſcil. *Petro*, & Imperatricibus,
„ Deiparæ videlicet virgini; denique monarchæ ſupremo, Deo patri, ejuſ-
„ que ſanctiſſimo filio, eos intueri & videre, tanqua ex ſingulari gratiâ fue-
„ rit conceſſum.

„ Cenſura. *Iſtam aſſertionem*, quæ fingit quid boni Deo acceſſiſſe ex
„ viſione creaturæ, *ſcandaloſam eſſe*, *ac manifeſtam hæreſim præ ſe fer-*
„ *re.*

„ *Petrus Doza ordinis S. Dominici* in conventu Valentiæ oratione in ſo-
„ lenni feſto canonizationis Glorioſi Patriarchæ *B. Ignatii* p. 111. Extra
„ dubium eſt reliquos religioſorum ordinum fundatores in favorem Eccle-
„ ſiæ miſſos fuiſſe, *noviſſimè à diebus iſtis locutus eſt nobis in filio ſuo Igna-*
„ *tio*, *quem conſtituit hæredem univerſorum*, &c. nec ei quidquam in hoc
„ genere laudationis deeſſe videtur, quam, *per quem fecit & ſecula.*

Cenſura *Accommodationem* hujus textus literalis *D. Pauli*: noviſſimè autem, &c. alteri quam Chriſto, eſſe *ſcandaloſam*, *erroneam & meram blaſphemiam & impietatem redolere.*

Accedimus nunc ad carmen ſæculare Jeſuitarum, quo laudes ſocietatis §. 3.
canunt; hoc eſt, pompaticum librum luſibus poëticis, orationibus, Emblematis vermiculatis, apologiis, fabuloſis narrationibus variegatum tit. *Imago primi ſæculi ſocietatis Jeſu*, *à provincia Flandro-Belgicâ ejuſdem ſocietatis repreſentata* anno 1640. Antwerpiæ ex offic. Plantinianâ in fol. Sex libris conſtat, in quibus ſocietatem commendant

{ ab inſtitutis & regulâ
{ à laboribus.

Libro VI. ſeu ultimo *cap.* 3. *ſect.* 1. quotidianos XII. labores ſocietatis (uti poëtæ 12. labores *Herculis*) recenſent, & quidem cum exaggerationibus hyperbolicis. Et ſunt.

1. Catecheſis.
2. Scholaſtica inſtitutio, tum trivialis, tum Academica.
3. Sodalitates in Belgio, Flandricæ, latinæ, Gallicæ, Hiſpanicæ.
4. Conciones.
5. Miſſiones: quæ in Belgio quatuor { ad Batavos / ad naves / ad caſtra / ad peſtiferos.

Digitized by Google

6. Sacramentorum adminiſtratio.
7. Carceres & noſocomia.
8. Pacificationes.
9. Spiritualia exercitia.
10. Meditationes quadrageſimales.

* Huc refer.

Preces anticinerales, oppoſitæ Bacchanalibus p. 791.

Promotio devotionum & cultus { *Mariæ* / *Joſephi* aliorumque ſanctor. / Angeli cuſtodis. / Reliquiarum, imaginum, Crucium, Roſariorum, &c.

Reformatio morum p. 793.

11. Actio privata cum proximo p. 793.
12. Scriptio librorum.

Addam ego his 12 laboribus.

I. Gubernationem mundi & politiarum, ſive directam ſive indirectam, ſive craſſam ſive palliatam.

II. Gubernationem Papatus, & hierarchiæ Romanæ, *tectam aut apertam*, directam aut indirectam.

III. Gubernationem & poteſtatem omnis inſtitutionis & manuductionis ad quaſcunque doctrinæ partes, in ſcholis aut extra ſcholas.

IV. Gubernationem, intimam inſpectionem, & ductum quarumcunque præſtantiorum & potentiorum familiarum, in Teſtamentis condendis, in arte plagiariâ exercendâ, & liberis parentum (præſertim potentiorum) obedientię ſubducendis. De quo in Haſenmullero, Catechiſmo Jeſuitico, & libello Ærodii Quæſitoris Andegavenſis. In procurandis conjugiis, aut cœlibatibus virorum, mulierum.

Hanc *φιλοπρωτευόντων* Jeſuitarum *πολυπραγμοσύνην* & *ἀλλοτριο-ἐπισκοπὴν*, in Catechiſmo Jeſuitico & Haſenmullero, *Alphonſo Vergas*, & duobus ſcriptis Alonymis paulo ante laudatis tit. *Conclave Ignatii*, & tit. *Monarchia ſoli-ipſorum*, haut inconcinnne depictam videbis.

V. Singularem exaltationem, & propagationem falſorum dogmatum Pelagianorum, & de Immaculatâ conceptione *Mariæ*: quæ utraque contra ordinem Prædicatorum ab illis agitata fuerunt, ut ſibi gratiam & favorem, ordini illi contemtum atque odium apud plurimos conciliarent.

VI. *Singularem* abſurdarum & periculoſarum opinionum in theologiâ morali & caſuiſticâ defenſionem & propagationem: contra 5. 6. 7. 8. 9. decalogi pręcepta, in ipſo Papatu & à noſtris improbatam. In Papatu liber

Ca-

Digitized by Google

Caſuiſticus ſeu theologia Jeſuitæ Bauny Romæ prohibita eſt. Variorum Jeſuitarum libri per manum carnificis publicè combuſti ſunt. Opiniones illas *Petrus Molineus in lib. de Traditionibus eccleſiæ Romanæ*, *Gall* in 8. *Rivetus in Myſteriis Patrum* Jeſuitarum notârunt, ſupra cit. Inter opiniones illas micant dictatus *Hildebrandici* (uti appellantur) apud Baronium, aliaque paricidii, rebellionis, proditionis myſteria.

VII *Idololatria* & ſuperſtitionum Papalium, nominatim Marolatriç, roſariorum, mortificationum, augmentum & extenſivè & intenſivè, ut peccata illa magis ac magis fiant excellenter peccantia.

VIII. *Artes Mercuriales*, praxin ſcil. mendaciorum, æquivocationum, mentalium reſervationum, cœcç obedientiæ, &c. de quibus in 4. *part. ſelect. diſp. tit.* de cœcâ obedientiâ, & tit. problemata ad 9. *decal. prae.* Ad artes has reduci debent.

1. Librorum nothorum, & pſeudepigraphorum obtruſio & ex iis cauſæ ſuç fulcimenta.

2. Scriptorum antiquorum & recentiorum expurgatio, caſtratio, corruptio. Quam artem artium peculiari libro defendit Jeſuita *Gretſerus tit. de Jure & more prohibendi libros noxios*.

3. Bonorum per ſubreptiones, obreptiones, blandiloquia, generoſas quaſi & importunas mendicationes, ingurgitatio. De quo libri pro ordine ac ſocietate & contra illam editi, ſupra nominati; & liber in Academiâ Cracovienſi editus, tit. De *Jeſuitarum Gratis*.

4. Plagium indirectum omnium quorumcunque præſtantiſſimorum librorum, qui ſtudiis ſapientiæ potiſſimum inſerviunt. Si quæras, quâ ratione hoc committatur? Reſpondeo, deſcriptione præceptorum, axiomatum, theorematum, exemplorum, commentationum, materiarum, diſputationum ex libris maximè celebribus, & apud literatos tum in ſcholis tum extra eas uſitatis: Alio ordine, aut ſtylo, aut contractionis, aut extenſionis ſchemate, pro re natâ, & ut ſcenæ hoc inſerviebat, quaſi transformatorum. Ita ut omnis eruditionis ac παιδείας partes, omnium artium ſyſtemata, aut compendia, exſtent ſub nomine Jeſuitarum; & ad talia ſcripta omnes ablegari poſſint; & reliqua præſtantiſſima in illo genere ſcripta, etiam ſcriptorum Papiſtarum, è manibus excuti. Hunc in finem ad ſocietatem ſuam pertraxerunt, eruditos jam & celebres e. gr. in Matheſi, *Chriſtophorum Clavium, in linguâ Græcâ Frontonem Ducaum, in philologicis & criticis Andream Schottum*, *in Jure & philologiâ Martinum Delrio*, &c. Ut ubique occaſione ita ferente, ablegare poſſint lectores & φιλομαθεῖς, ad ſuos; hâc formula, ut explicuit, aut demonſtravit, aut de quo tractat, noſter *Clavius*, noſter *Schotte*, &c. Quid opus erat commentaria in libros *Ariſtotelis*, à

 Je-

Jeſuitis edi, ubi ſcriptorum Papalium exſtant doctiſſima & luculentiſſima, ut *Zabarella in libros poſter. analyticor.*; *Monlorii in libros prior analyticor*; *Alberti*, *Aquinatis*, *Aliacenſis*, *Javelli* in libros de animâ? Quid opus dialectica à *Fonſecâ* editâ, cum iſtius commatis & ad uſum comparatæ exſtarent dialecticæ *Hunnæi*. & *Titelmanni*? Ad quid grammaticam Latinam ex aliis compilavit Alvares, Græcam *Gretſerus*, Hebræam *Bellarminus*, cum ſatis multæ exſtarent aliorum in Papatu probatæ & in ſcholis uſitatæ; *Clenardi Verepæi*, *Valerii*, &c. Niſi quod affectent ſoli-ipſiam & monopolium. Ut nulla pars ſapientiæ, nullum ad eam adminiculum, nulla manuductio nota eſſet, niſi quæ ex oceano *παντοσοφίας* Jeſuiticæ derivaretur: nihil in luce eſſet, niſi Jeſuitici ſolis radiis colluſtratum: atque ita totus mundus ſapientum in regimine eccleſiaſtico & politico conſtitutorum, ſicuti ortu ſic & actu dependeret à Societate.

Hic quaſi primatus, hęc monarchia ſocietatis. Idem notari poſſet de Rhetoricâ, Poëticâ, calligraphiâ.

Dices forte eos ſyſtemata, inſtitutiones, & introductiones ad hanc illamve artem aut ſcientiam, emendatiores, accuratiores, pleniores dare. *Reſp.* e. gr. *Bellarminus* Hebraicam grammaticam accuratiorem ſcilicet, pleniorem ex ſcrinio pectoris ſui daret, quam *Pagninus*, *Clenardus aliique ante ipſum* (ex quibus ſua deſcripſit) qui manifeſtè deprehenditur Hebræum textum nunquam legiſſe, nec cum puerulo Judæorum alphabetario paria facere potuiſſe. Quomodo enim *lib.* 3. de Pontifice Hebręis characteribus ſcribere potuiſſet רביד *David.* Si ipſe ſuis oculis in textu originali unquam in ſpexiſſet titulos plurimorum inſpex pſalmorum, aut hiſtoriam *Davidis* in libris *Samuelis*, reperiſſet ſcriptum דוד tribus literis Daleth, Vau, Daleth. Dicent forte, parum hoc referre: exiguum hoc *παρόραμα*: & facile mendum in ſcriptionem potuiſſe irrepere, ſolius attentionis, non ſcientiæ defectu. Regero, cur Hebraicis literis nomen *David* ſcripſiſſet, ut inde per cabalam Arithmeticam, quam *Rabbini Gematria* appellant, ex literis numeros colligeret 4. *ſcil.* 2. 10. 4. atque hinc una cum numeris ex literis Hebraicis *Kiterio* collectis, juſte per additionem haberet numerum 666. *ὅπερ ἔδει δεῖξαι*. Hæc ita concepta, ſcripta, typographo tradita, ad prœlum correcta, in nullâ poſt primam hujus libri editionem, nec in ipſius *Bellarmini* operum ſuorum Recognitione, & ejuſdem Correctorio errorum typographicorum. 1608. editis, mutata aut correcta alphabetariam linguæ Hebraicæ ignorantiam arguunt, non vero *παρόραμα* aut inadvertentiam ſcriptoris. Quatuor literas ſcribit, cum tantum ſint tres. Et ſecundam literam facit Beth, quæ notat 2. cum ſit litera Vau, quæ notat 6. Hic ergo nimium infeliciter *ἑβραΐζει* & *καββαλίζει*. Ut jam non dicam, cum inſuper inſe-

Digitized by Google

infeliciter *καβαλίζειν*, quod primam ſyllabam *Kiterio*, Hebraicè ſcribit per Caph & Jod: cum Latinè perpetuo ſcribatur per Ypſilon. Cognomen enim familiæ ipſius Græcè χυτραῖ© (à χύτρα, id eſt ollâ) & ex Græco Latinis characteribus ſcribitur *Cytræus*.) Debebat ergo ſecunda litera (υ ὐψιλον) non per Hebr. Jod, ſed per Vau, ex primi, ſubjecto vocali *Bibbutz*. Grande hoc ſphalma *Bellarmini*, datâ mihi à *Corn. Janſenio Lovanienſi theologo occaſione*, *in deſperatâ causâ Papatus anno* 1633. *lib.* 1. *cap.* 5. *pag.* 55. notavi. Sed hactenus rerorem illum non vidimus correctum.

Addam alterum exemplum. Edidit popularis & cognatus noſter *Godeſchalcus Steuwechius* conſtanter Romanam religionem profeſſus, librum de Particulis linguæ Latinæ, anno 1580. qui propter ſummam utilitatem & raritatem iſtius generis ſcriptionum, gratiſſimus fuit. *Horatius Turſelinus* Jeſuita anno 1598. Romę de iiſdem particulis librum edidit, materia ex *Steutwechio* hauſtâ; ut jam in ſcriptis Jeſuitarum, datâ occaſione lectori indicari poſſit *Noſter Turſellinus*.

Et tertium, Jeſuita Valtrinus ſcripſit de Re militari Romanorum libros ſeptem anno 1617. ubi in præfat. ſic loquitur: „ Una Romanorum „ militia, neſcio quonam fato, jacuit hactenus in tenebris, nec ullum ha„ buit, ut cætera, lumen literarum. Nam quotquot de ea ſcribere ſunt ag„ greſſi, qui particulam ejus duntaxat aliquam attigerunt: plerique etiam „ veterem Reip. militiam cum ea quæ temporibus Imperatorum eſt in„ vecta, male confuderunt.

„ Hanc ego Romanam militiam ab aliis vel prętermiſſam, vel relictam „ potiſſimum delegi, quam hoc commentario explicarem, non patriæ a„ more, aut gloriæ cupiditate adductus (quid enim longius abeſt à religioſi „ viri moribus?) ſed officio impulſus ac ſtudio juvandi plurimos, ne nobi„ liſſima ac maxime neceſſaria antiquitatis Romanæ pars ignoraretur: ne„ que ut militandi præcepta darem, ſed ut rationem exponerem, quam in „ ſuſcipiendo gerendoque bello veteres Romani, florente Republ. tenuiſ„ ſent. Quaſi Lipſii liber de *Militiâ* Romanâ, & modo memoratus *Godeſch. Steuwechius* commentariis ſuis in Vegetium, antiquitates illas non illuſtraſſent, ſcilicet; qui uterque religionis Romanę conſectaneus fuit. Ut non dicam de ſubtitulis, de ſtipendio militari à Puteano celebri profeſſore Lovanienſi; de triumphis à Panuino, aliiſque per alios peculiaribus tractatibus explicatos. Poſtremis annis in ſocietatem ſuam attrahere cœperunt ſapientiſſimum quemque in ſuâ arte, uti pictorem *Zegers* Antwerpianum, in fructibus pingendis aquilam. Ut ſocietas canere queat, *τὸ αἰὲν ἀριστεύειν*, &c. utque adeo omnes ſcientias, prudentias, artes ſibi mancipaſſe viderentur.

Fabulas Mendacia, calumnias, & indecoras ac fallaces exaggerationes, §. 4.

 pro-

propriaſ & ſordidas laudes, ſi quis ex Imagine primi Sęculi eximeret, utique ad oſſa & pellem præ macritudine, & portatilem libellum, grande hoc 952. paginarum in fol. volumen redigi poſſet. Unum atque alterum notabo. *Lib.* 5. *cap.* 12. habet præconia Societatis, quæ ab hoſtibus infidelibus & hæreticis accerſuntur, & hâc unâ gloſsâ ipſis remitti poſſent: quod dominus laudaverit injuſtum diſpenſatorem & *Chriſtus* dixerit, filios *hujus* ſæculi prudentiores eſſe in ſuâ generatione, &c. Et præconio (ſiquidem ita appellare liceat) pii epiſcopi & martyris Latimeri, cujus apothegma erat, de *diabolo diligentiſſimo epiſcopo in ſua diœceſi. Lib.* 6. *pag.* 890. de honore Jeſuitis habito à Sylvæ-ducenſi Magiſtratu anno 1629. fabulam ſic inſtruit, ut dicat Senatum deputaſſe utrumque conſulem & primarium Senatorem, qui ampliſſimis verbis publico urbis nomine ſolennes gratias Jeſuitis agerent. Quis inquam Conſules Sylvæducenſes, & *quidem binos* Sylvæducis vidit aut audivit? O infelices & ſtupidos fabularum fabros! *Pag.* 60. 61. 62. 63. prædictiones de ſocietate Jeſuiticâ, nullus ſtomachus vel maximè Papalis, conqueret. De Abaſſinis, quæ pag. 227. ἱϛορῶσι, vel ſocius ipſorum Jeſuita *Godignius* in *tract. de Rebus Abaſſinis*, criticâ falce reſecaret. *Pag.* 439. 440. gloriantur de tot Academiis ſibi commiſſis. Sed conferant ab ipſis relata de Academiâ *Pariſienſi*, *Salmanticenſi*, Lovanienſi, Cracovienſi, Complutenſi, &c. Pag. 491. Fabulam narrant de egregio verbi miniſtro ex Scotia ad ſynodum Dordracenam vocato, *qui cum duriſſima illa Gomariſtica prædeſtinationis decreta non ferret, Antwerpiam ſe contulerat, inde Liram, ubi per hæc ipſa mentis exercitamenta* (*Ignatiana* ſcil. *aſcetica*, uti paulo ante appellaverat) *acceperat lucem, ejuratoque Calviniſmo publicam edidit Romanæ fidei profeſſionem.* In hoc ſtupido commento nihil eſt veriſimile. Unicus Scotus *Gualterus Balckanquallus* presbyter, ſynodo illi interfuit, qui ſtante ſynodo *ſeſſ.* 145. Confeſſionem Belgicam & *ſeſſ.* 147. catecheſin ſuffragio ſuo approbabat. Et *ſeſſ.* 51. *Conr. Vorſtii* heterodoxa condemnabat, & judicio ſynodico de quinque articulis ſubſcribebat. Qui idem cum reliquis Magnæ Britanniæ theologis honorificè ab Ill. & præpot. Ordd. Generalibus & Celſiſſ. principe Arauſonienſi dimiſſus in Angliam reverſus fuit, ibique Sereniſſ. Regi *Jacobo* & *Epiſcopis* retulit quæ in ſynodo acta eſſent. Exinde in munere aliquo eccleſiaſtico Anglicano perſtitit uſque ad annum 1639. & librum quendam juſſu & nomine ſereniſſ. Regis *Caroli* I. conſcripſit Londini impreſſum apud *Robertum Jongh, in fol.* didici ex hiſtoriâ rerum in Scotiâ tunc geſtarum, eum fuiſſe libri iſtius ſcriptorem.

Pag. 536. Inter martyres ſuos numerant Garnetum; ejuſque gloriæ ab hæreticis calumniam fruſtra ſtructam ajunt: *nam viri integritas vel hoſtibus*

bus probabatur , & ſuus eum defendit cruor , quando gutta in ſpicam illapſa cœleſtem illius vultum ad miraculum expreſſit, &c. Vide de proditionis & paricidii martyrio Proceſſum contra proditores *pulverarios Lat. Angl. Gall. Belg. Caſauboni epiſtolam ad Frontonem* Duçęum: Et de ſpicæ miraculo, ac heroicis ſcil. Garneti virtutibus, aliiſque myſteriis Jeſuiticis *Roberti Aboti* Antilogiam 1613.

Pag. 803. Fabulantur lepidum quid Goudæ contigiſſe annos ab hinc 36.
„ Theodoricus Stoofhemus vetus gladiator benè longam in nos declama-
„ tionem inſtituebat, nullâ re præterquam calumniis inſignem. Nullum di-
„ cendi finem poterat invenire, donec prodigioſo ſigno deſuper admonitus
„ quàm verè omnia & quàm divino afflatus ſpiritu diceret. Immanis bubo
„ de ſummo ædis laqueari cum ingenti ſtrepitu delapſus ad concionantis
„ aures, & circum ardentem cereum codicemque ſacrum, quem ante ſe
„ apertum doctor ille volvebat, ter quaterque ſe librans, quaſi alarum
„ plauſu comprobaret verba præconis ſui, univerſam audientium coronam
„ cum riſu plauſuque dimiſit. Quære Goudæ ex ſenibus an dictus ille Theodorus anno 1604. iſtic concionatorem egerit.

Pag. 809. Mirabilia de ſociis in prœlio Neoportuenſi narrant, nullis hiſtoriis, nullis Mercuriis memorata. Tres ex illis iſtic cæſos ſic extollunt: *Valuit paucorum virtus ad communem omnium gloriam. Ex eo die ad Societatis exiſtimationem acceſſit etiam veneratio. Sanctos patres illos verèque martyres ferebat fama , & multi ſapientes credere.* Et cur non idem de tot millibus militum illic cæſorum, canunt poëtæ potius quam hiſtorici: juxta axioma magiſtri poëticè, *pictoribus atque Poëtis Quidlibet audendi ſemper fuit aqua poteſtas.* Paulo ante dixęrant *Buzelinum* ſuum glande iteratâ trajectum moribundum *ſuorum vulnerum oblitum, circumjacentes regios, quorum lentè exſpirantium audiebat gemitus, animaſſe, & ſuo exemplo hortatum ut ſanguinis aque jacturam in causâ fidei, tanquam martyrium læto animo ſuſtinerent.* Egregia ſane methodus milites in prœlio cadentes & in agone verſantes conſolandi. Sed unde quæſo hæc habent, an ex ſuis jam fugientibus maxime, an ex militibus hoſtilibus ſi qui forte fugientes inſecuturi iſtac currerent? An ex *Buſelino*, & circumjacentibus illic exſpirantibus? Quam ἀσύςατα & ἀσύγκλωςα in fabulæ hujus compoſitione effutiunt; cum referunt Buzelinum comprehenſum ab hoſtibus, clarâ voce profeſſum, *ſe non militum ſed militem paſtorum; non arma tractare, ſed animos; non facere archiducis ſtipendia, ſed unius Dei.* Ubi ſubjiciunt: *Magis hinc, unde miteſcere debuerat, efferatus hoſtis hominem glande iteratâ trajicit.* Venit mihi in mentem tubicinis in fabulâ, qui ſibi parci volebat, quod armis non pugnaſſet. Animadverto mendaces noſtros Panegyriſtas, cum hæc ſcriberent,

Digitized by Google

rent, oblitos fuiſſe præconii immediatè ante buccinati. Nunquam, inquiunt, „ major patrum animus apparuit, quam inclinante belli fortunâ. Diſcurrere „ ipſo per ſigna, metum eripere trepidantibus, *averſos retrahere à fugâ*, læſos „ cadenteſque excipere. Jam accepta clades erat, neque campum tamen de- „ ſerebat imperterrita illorum charitas. Inter lacerorum miſerorum artus & „ cæſorum cadavera reptarunt, aures dabant adhuc ſpirantibus; nonnullos „ etiam, de quibus ſpes vitæ erat, ſuppoſitis humeris in tutum deportabant.

Sed inter hæc martyrum ſuorum præconia, eminet apologeticum illud ſociorum Trajectenſium ad Moſam (*Joh. Bapt. Boddens*, *Gerardi Paſman*, *Philippi Nottin*) pag. 842. 843. Quos nullius culpæ ipſis impoſitę reos, injuſtè damnatos & paſſos eſſe contendunt. Atqui longe aliter ſe rem habere, docent acta Judicum, & confeſſiones & dicta emortualia *civis Trajectenſis* Lanſmam, & militis cujuſdam cum uxore, propter *proditionem* ſupplicio affectorum. *Philippus Ludovicus* concionator Trajectenſis, commentariolo Belgicè in 4. edito, complexus eſt dicta & facta Jeſuitarum, Lanſmanni, militis, ejuſdemque uxoris, in carcere, in viâ, in pegmate viſa audita. Conſcripta eſt apologia judicum contra atroces Jeſuitarum calumnias à Rever. & eruditiſſ. viro in hiſtoriis & antiquitatibus eccleſiaſticis, haut vulgariter verſato; imprimis in ſcriptoribus, *& antiquitatibus* ac novitatibus Papiſticis verſatiſſimo *Theodoro Groen* concionatore, cum viveret, Trajectenſi, affine mihi dilectiſſimo; quæ aliquando, occaſione ita ferente, à filiis ipſius vulgari poterit.

Quidquid eſſet de ſupplicio juſtè aut injuſtè inflicto; ſaltem paſſionem ipſorum non debuiſſent facere martyrium; uti faciunt pag. 843. his verbis: Satis eſt ad præſens inſtitutum, vel obiter indicaſſe Societatem Bel- „ gicam à Calviniſtis calumnias, carceres, tormenta, mortem ipſam pati; „ nec jam fundendo ſanguinem quęrendos eſſe ultra Oceanum Barbaros, „ quando *ad martyrium* in patriâ tam vicinos ac promtos habemus.

Sic Papiſtę *Garnetum*, alioſque ob crimina paſſos Martyrum coronâ inſigniunt, & *Balthazaris Gerardi* paricidę Illuſtriſſimi principis Arauſonienſi *Wilhelmi* I. canonizationem moliebantur. De quo ſupra *lib.* 1. *tract.* 3. *c.*6. & 7. *pag.* 170. Sed hic abrumpo. Fabulas omnes quis notet?

Una tantum ſcena hujus comœdiæ exhibenda ex *lib.* 6. *Pag.* 780. ubi Heuſdanus gubernator dicitur prædicantem ſuum deſtinaſſe in extremum „ agri Batavici pagum haut procul Sylvaducis, eumque inſtruxiſſe pecuniâ, „ ut ſenos aſſes auditorum ſingulis numeraret, &c. hæreticum blateronem „ ab hominibns omnino ſex auditum; eundemque numeratâ celeriter ſex „ illis auditoribus pecunia ſe proripuiſſe; nec porro uſquam, licet diligen- „ tiſſimè, ſive à catholicis ſive à ſuis quæſitum apparuiſſe. Addunt à Grob-

ben-

bendonckio gubernatore Sylvæ-ducenſi ſacerdotem ſuum, oppoſitum
„ fuiſſe, eodem die & eadem horâ dicturum in extremo agri Brabantini
„ pago Batavis contermino: nullâ prope loci diſtantiâ. Hâc famâ conten-
„ tionis longe lateque per Bataviam & Brabantiam volante, ad dictum
„ diem eò confluxiſſe magnam multitudinem, eamque turmatim ſacerdo-
„ tem ſecutam, Templum repletum: ac mille amplius ex ipſâ Bataviâ ſte-
„ tiſſe auditores. Si tales & tam celebres Jeſuitarum expeditiones, tam præclare geſta, tot illuſtria miracula, tot prophetias, tot glorioſa martyria, & ſimilia ſtupendę Jeſuiticæ ſocietatis ſtupenda in Japoniâ, Chinâ, regno Cochinenſi, in Peru, Mexico, in terrâ Auſtrali incognitâ, & Utopiâ *Thomæ Mori* exſtitiſſe dicerent: utique tolerabilius eſſet: lectores enim animum ſuum componere poſſent, diverbio illo Hiſpanico, *De luengas vias luengas mentiras*: quod à *Melch.* Cano. Epiſcopo Canarienſi locor. Theologic. *lib.* 11. *pag.* 653. relationibus ſuorum applicatum memini. Sed de rebus in extremo *Bataviæ* pago, & Brabantiæ pago non procul inde diſtante geſtis, deque provocatione & dicto die tam longè latèque per Bataviam & Brabantiam pernice famâ ſparſis, tam ineptè fabulari, id omnem temeritatem & improbitatem ſuperare videtur. Quorum faſtorum, cujus annui *Mercurii*, cujus libri exemplorum, cujus Catechiſmi hiſtorialis, quorum Actorum publicorum ſive eccleſiaſticorum ſive politicorum indicio hæc ſcripſere? Quo anno, menſe, die hæc acta ſunt? Quis, qualis, unde concionator evocatus fuit, quo comitatu ſtipatus, templum ingreſſus & cathedram conſcendit? An tantum ſex illis, à quibus ſolis concionem auditam & ſalarium ſenorum ſtuſerorum acceptum fingunt. An ſex illi conducti & ſtipendiati fuerint ſexus virilis? An interfuerit gubernator Heuſdanus, qui prędicantem ſuum eò deſtinârat? An inter eos fuerit prælector & præcentor, ſine quo concio apud reformatos, pręſertim in ſolenni ejuſmodi provocatione, & tanto in certamine non haberetur? An inter ſex illos auditores promiſsâ mercede conductos, fuerit ipſe Gubernator Heuſdanus, hujus pręſumtæ comœdiæ choragus? An non facile ex ſuis militibus, aut ex domeſticis, aliquos ad concionem audiendam mittere potuiſſet, illoſque ſibi proximos hoc lucello potius beare, quam alios? Sacerdos ille, qui à gubernatore Sylvęducenſi in ſcenam illam protruſus dicitur, Cujus, quis, qualis, quantus erat? quò ſe penſo ſuo abſoluto proripiebat? aut quo revertebatur? quo pręmio affectus? quo in honore fuerit? quam dignitatem eccleſiaſticam hâc tam inſigni victoriâ, & fidei atque eccleſiæ Romanæ exaltatione conſecutus ſit? An nomen ipſius in faſtos, aut in catalogum ſanctorum extra martyrologium illatum non ſit? Quis ille pagus Brabanticus extremo *Bataviæ* pago conterminus, ubi ſacerdos Pontificius tanto cum Batavorum concurſu concionem habuiſſe dicitur?

Digitized by Google

TRACT. 4. SECT. III.

De Analogis & affinibus Monachatus, confraternitatibus, & Militibus ſacris.

CAP. I.

De confraternitatibus in genere.

§. 1. PArtem Papatus ſeu corporis Antichriſtiani non minimam conſtituunt fraternitates, quæ & *Confraternitates, Sodalitates, Sodalitia, Congregationes, Fratria, Societates, Collegia* dici poſſunt. De quibus hoc reſpectu in deſcriptione Eccleſiæ Romanæ agendum: aut in deſcriptione Monachatus Papalis, tanquam ejuſdem appendice, alumnâ, ſimia, cognatâ monacho-formi, & ſemi-monachatu ſeu medio inter Monachatum & Laicatum, *inter regulare* & ſæculare. Notitiam fraternitatum ſeu fratrum, abſolvemus explicatione, 1. nominis; 2. diſtinctionis fraternitatum, 3. definitionis. 4. Originis, & cauſarum. 5. libertatum, exemtionum, Indulgentiarum. 6. fructuum multiplicium. Exordimur ergò ab explicatione nominis.

Quod ad nomen, *Fratres* obſervante *Hieronymo* contra *Helvidium*, quatuor modis in Scripturis dicuntur, naturâ, gente, cognatione, affectu. *Prima* fraternitatis exemplum adducit ibid. *Eſau* & *Jacob*, duodecim Patriarchas, *Andream* & *Petrum*, *Jacobum* & *Johannem*. *Secunda*, Iſraëlitas *Deuter.* 15. *v.* 3. & 17. *v.* 15. *Tertia*, *Abrahamum* & *Lothum*, *Geneſ.* 13. *v.* 8. & *Jacobum*, *Judam*, *Simonem*; qui fratres Domini dicuntur, *Matth.* 13. *v.* 55. *Quartam* ſubdividit in communem & ſpiritualem. Illius rationem adfert, *quia omnes homines ex uno Patre nati; pari germanitate conjungimur*. De *Iſtâ*, *quia omnes Chriſtiani fratres vocantur*, & probat ex *Pſal.* 133. *v.* 1. *Hebr.* 2. *v.* 12. *Pſal.* 22. *v.* 23. *Johann.* 20. *v.* 17. *Matthæi* 28. *v.* 10. Quibus alia teſtimonia quamplurima ex epiſtolis Apoſtolicis adjungi poſſent. Cum quibus conſentit doctrina & praxis antiquæ eccleſiæ, quam ſarcaſticè ridebant Gentiles, ut docet locus in Apolog. Tertulliani cap. 39. *Sed & quod fratres nos vocamus, non alias (opinor) nos infamant*; &c. Et verba prȩfecti urbis apud Prudentium in agone Vincentii: *Tum cura ſumma eſt fratribus, Ut ſermo teſtatur loquax; offerre fundis venditis Seſtertiorum millia.* Eandem fratris inter Chriſtianos appellationem ſugillat *Lucia-*

Digitized by Google

Lucianus in Peregrino. Eandem Chriſtianorum nomen claturam agnoſcunt, explicant, & defendunt Clemens Alexandrinus Stromat. 5. Juſtinus Martyr, Athenagoras, Minutius: Omnium verba, ob chartæ anguſtiam, non exſcribo, tantum poſtremi: *Fratres vocamur, ut unius Dei parentis homines, ut conſortes fidei, ut ſpei cohæredes.* Idem nomen uſurpat *Tertullianus de coronâ militis c. 1. & lib. 3. adv. Marcionem.* Atque hæc tunc genuina ac ſpiritualis unitas Eccleſiæ, & communio Sanctorum, voce & profeſſione fraternitatis deſignata. Sed cum homines primæva illâ ſimplicitate, ſuccedentibus ſæculis, contenti non eſſent, & inventiones plurimas ſibi procuderent, ſciſsâ fraternâ unitate in ſegreges & varias factiones diſparſi ſunt; quas ſpecioſâ appellatione *fratrum*, addito termino non tantum diminuente, ſed & corrumpente, *noſtra Domina, roſarii, Sebaſtiani, Antonii*, &c. cohoneſtârunt. Et ſic commentis hominum ſuccreſcentibus, etiam dictionarium tum Scripturarium, tum eccleſiaſticum, novis Barbaricis & Papalibus aſſumentis locupletari debuit.

Fraternitas non malè definitur à Thomâ in 22. qu. 25. art. 1. quod ſit *amor mutua benevolentia fundatus ſuper aliquâ communicatione*; eademque à Sectatoribus ejus diſtincta in naturalem, domeſticam, civilem, ſpiritualem. Poſtrema tandem ſpecialiter Monachorum ſocietatibus primariò, & collegiis dictorum fratrum ſecundariò appropriata fuit: ut videre eſt apud *Gabrielem Biel* in ſermonibus de Sanctis (ubi de *S. Sebaſtiano*); & apud Michaëlem ab Inſulis in quodlibeto de Fraternitate roſarii Coloniæ, anno 1478. edito propoſit. 2. ubi fraternitates roſarii vocat *ſpirituales ſpecialiſſimas.* Inter omnes enim fraternitates excellunt fraternitates Marianę, & inter Marianas fraternitas roſarii; quę mater & fons omnium Marianarum, & quarundam aliarum, ut *Annæ, Joſephi*, &c. Quod pleniſſimè deductum videbit, cui nugas illas videre libet & vacat, apud *Coppenſteinium lib. 1.* de Fraternitate roſarii.

Diſtinguendæ nunc fraternitates, quæ vel in totum, vel potiori ex parte, §. 2.
vel aliquâ ſubordinatione, dependentiâ, coordinatione, vel quocunque extrinſeco reſpectu, dicuntur piæ, aut ſacræ, aut ſpirituales, aut eccleſiaſticæ.

I. Perfectiſſimæ ſunt Regularium ſeu Monachorum: qui ideò peculiariter fratres à ſe mutuò, & ab aliis in Papatu appellati ſunt. Hodie tamen, Monachis compluribus ſacerdotii honore cumulatis, nomen *patris* tribuitur.

II. Proximæ ſunt *fratria* in domibus fratrum (quas ita appellant) conſtitutæ: ubi *confratres* ſeu *fratres* (ſic dicti) ſub certis regulis & ſub præfecto ac priore ſpirituali in commune viventes & facultatibus, privilegiis, in-

indulgentiis quibuſdam gaudentes, ſcholares inſtituunt. De his *Paulus Salodius in Praxi de viſitatione part. 3. cap. 15.* Et Concilium Tridentinum *ſeſſ. 22. cap.* 8. Cum illis conveniunt fratres *Hieronymiani*, qui ante hac ſcholas triviales aperiebant, de quibus ſupra *ſect.* 1.

III. Sequuntur fratriæ ex laicis conflatæ; admixtis ſubinde ex clericis ſæcularibus, quibuſdam ſacerdotibus ſcil., curatis, Theologis, Canonicis. *Laicales fratriæ* prius diſtinguendæ, in ſacras ſeu pias, & in profano-ſacras ſeu ſacro-profanas.

Iſta ſunt, quæ proprio ac proximo fine, & opere, & conſequenter forma ac ſpecie, ſunt civiles, ſæculares, profanæ; quamvis inſuper adſumant aut adjungant aliquem titulum & aliquod patrocinium ſacrum; atque adeo opera quædam pia, tum religionis erga Deum & ſanctos, tum caritatis erga proximum, publicè privatimque exerceant. Sic ex. gr. Regna, Dominia, Reſpublicæ, Civitates, Oppidula, ſunt & manent communitates ſæculares, civiles, profanæ; non obſtante Patrocinio, titulo, denominatione, ſancti alicujus, ejuſdemque peculiari cultu per feſta, miſſas, precationes, hymnos, &c. ſancto illi ſolenniter exhibendo. Iſtius generis ſodalitates ſeu congregationes ſunt, præſidiorum, & cohortium militarium, nautarum & ſociorum navalium in navibus bellicis, *immo & mercatoriis*: talia etiam collegia armatorum civium (Belg. Schutterpen) & Collegia quævis mercatorum & artificum (Belgicè Gilden) talia judicum, advocatorum, aliorumque pragm[illegible]orum, adhæc ſcholarium & ſcholarum, ac facultatum in iis; Jureconſultorum & pragmaticorum ſub patrocinio Ivonis, Medicorum ſub patrocinio Coſmæ & Damiani, ſutorum ſub patrocinio *Criſpi* & *Criſpini*, Fabrorum ſub patrocinio *Joſephi*, Muſicorum ſub patrocinio Cæciliæ, &c. denique venatorum, piſcatorum, aucupum, meretricum, & quorum non. Confer de his 3 *part. ſel. diſp. tit. de Patronatibus & tutelis ſanctorum.*

Illæ ſunt, quæ proximo fine ac proprio opere, atque adeò formâ & ſpecie dicuntur piæ. Et quia pietas ipſis non tantum notat officia hominis erga Deum & Sanctos, hoc eſt, actus religionis elicitos; ſed etiam officia caritatis, & ſpecialiter miſericordiæ, erga proximum, h. e. actus religionis imperatos: Hinc eſt quod loca pia, domus piæ, dona & legata pia, cauſæ piæ, opera pia, collegia pia, fraternitates piæ, ab ipſis diſtinguantur. Sunt enim quædam fraternitates, quarum proximus finis & proprium opus eſt, actus quoſdam religionis erga Deum & Sanctos (e. gr. miſſarum, horarum & orationum, feſtorum, proceſſionum, peregrinationum, abſtinentiarum & mortificationum, &c.) exercere; idque ex vi erectionis ſeu inſtitutionis & ſpontaneæ ingredientium promiſſionis, aut etiam juramenti in illius colle-

gii

Digitized by Google

gii erectionem & ſtatuta. Et tales piæ fraternitates ſtrictè & ſpecialiſſimè dicuntur religioſæ; à fine ſcil. proprio, aut ſaltèm principali: quamvis ſponte ſua, aut ex vi primę erectionis, aut ex vi ſubſecutæ acceſſionis ſeu additionis, etiam opera miſericordię erga proximum exhibere ſolent, eaque ad religionem ſub formâ ſatisfactionis aut meriti referre. Et tales ſunt roſarii, aliæque Marianę, item Annæ, Joſephi, &c.

Aliæ piæ fraternitates, proprium & proximum finem habent opera caritatis erga proximum: quamvis etiam adjungant aut intermiſceant actus quoſdam religionis, e. gr. Miſſarum celebrationes, orationes, &c. Et tales ſunt redemtionis captivorum, curæ ægrotorum & noſocomiorum, leproſorum, gerontodochiorum, orphanorum, peregrinorum & hoſpitalium, &c. Tales complures oſtentantur apud *Camillum Fanutium* in libro de omnibus piis operibus almæ urbis Romæ, ibid. anno 1601. Ital. edito. Similes fraternitates ſeu collegia, ſed ab omnibus acceſſoriis ſuperſtitionem Romanam redolentibus repurgata, etiamnum in hâc urbe noſtrâ curant quæque ſuum gerontodochium, aut orphanotrophium, aut domum maniacorum, &c. Nos hic fraternitates reſpicimus non civiles ſeu profanoſacras, nec caritativas ſeu miſericordiæ; ſed eas, quæ ad communicationem in aliquo cultu Dei & Sanctorum ſive tantum ſive primò & principaliter inſtitutæ ſunt; quæque ideo non tantum piæ, ſed propriè ac ſpecialiter *ſpirituales*, *religioſæ*, *ſacræ* dicuntur. De quarum definitione §. ſequenti.

Deſpiciendum nunc de reali definitione fraternitatis, ſpecialiſſimè acceptę, idque ex mente Pontificiorum. *Biel*, vir alioquin apprimè ſubtilis, in Sermonibus de Sanctis, ſerm. 11. qui eſt de fraternitatibus, ſic definit: *Eſt communio ſpecialior, quâ ſuâ voluntate quidam per mutuam conventionem ſua ſpiritualia communicant, & ad ſpiritualia obſequia ſe ſponte viciſſim obligant.* Sed ex iis, quæ ibidem ſubjicit, facile colligimus, hanc definitionem non eſſe adæquatam, quippe quæ tota etiam de Monachis prædicari poſſet. Si additum fuiſſet: abſque emiſſione voti ſolennis, definitio ſeu diſcriptio melius explicaſſet naturam ſeu quidditatem fraternitatis. Subſtituantur ergo, quos ex eodem *Biel. loc. cit.* colligimus, termini magis ſpeciales. §. 3.

I. Quod Laici & Clerici, extrâ ſtatum ac regulam Religionis ſeu Monachatus, mutuò communicant in bonis ſpiritualibus *ſatisfactionum* & *meritorum*.

II. Talium ſcil. *quæ pro bono ſtatu & virtutum incremento vivorum, ac liberatione animarum fratrum ſpecialiter ſunt ordinata.*

III. Quæ conſiſtunt, in *Miſſis*, *vigiliis*, *anniverſariis fratrum defunctorum*

Digitized by Google

rum commemorationibus, aliiſque orationibus & ſuffragiis pro defunctis, *quæ ſingulis morientibus* (uti loquitur Biel), *dum id innoteſcit, à ſingulis fratribus impenduntur.* Tandem concludit: *Ecce modus, quo id fieri congruit, & expedit, ut multos apud Deum habeant interceſſores, qui in fraternitate ipsâ continuò ſibi ſuccedunt.*

IV. Imprimis conſiſtit hæc ſpecialior ſpiritualium ex conventione communio, in peculiari cultu religioſo Sanctorum, aliorumque Idolorum (e. gr. ſancti ſudarii, S. Crucis, putatitii corporis Chriſti in Miſsâ; &c.); præſertim illius Sancti aut Idoli, ſub cujus invocatione (ut ipſi loquuntur), patrocinio, titulo fraternitas inſtituta eſt, & cujus patrocinio ac ſervitio ſe ex profeſſo devovet. Hęc quatuor ingredientia fraternitatum, in ſingularum erectionibus, ſtatutis, libellis, formulariis, invenies: & quidem eminenter: eminentiſſimè in fraternitatibus Marianis. Ex *illis ergo plena* & adęquata definitio fraternitatum fabricanda eſſet. Sed fortè recentiores hoc præſtiterunt, in peculiaribus libris, de hâc materia editis; *Johannes Benedius*, *Petrus Colvenerius*, *Johannes Savaro*, *ab Auguſtino Wichmans* indicati in ſuâ *Brabantiâ Marianâ*: ſed quos uſque in hunc diem, quamvis ſtudiosè quæſiverim, videre non licuit. Sufficient ergo in pręſenti ex antiquioribus *Gabriel Biel iam cit.* & *Michael de inſulis*, *in quodlibetali* oratione de fraternitate Roſarii: ex Recentioribus, *Coppenſteinius* de eâdem. Quibus addo Bullarium aut ejus compendium, cum Scholiis *Flavii Cherubini*, *Auguſtini Wichmans* Brabantiam Marianam, ejuſdemque apothecam ſpiritualem, peculiares libellos variarum ſodalitatum *Mariæ*, *S. Crucis*, S. Patriarchæ *Joſephi*, &c. quorum aliquos infra indicabimus.

§. 4. Primam fraternitatum originem ad Eccleſiam Apoſtolicam Scriptores citati referre ſolent, cum multitudo credentium eſſet cor unum & anima una: ſed perperam. Omnes enim Chriſtiani, ut membra *Chriſti* & Eccleſiæ, tunc erant & dicebantur Fratres: ſed monopolia fraternitatum non exercebant, nec unitatem & communionem Sanctorum, in plures, nedum in infinitas ferè factiones ſcindebant, ſub variis Sanctorum, aliorumque idolorum invocationibus ac denominationibus; multò minus ſe mutuò ad cultum Sanctorum, & ſpecialiter ad certi alicujus Sancti, qui hujus aut illius ſpecialis ſodalitatis titularem & tutelarem ageret, quaſi voto (ut loquitur *Zwares tom. 2. de Religione lib. 3. cap. 9.*), nonnunquam ſolenni juramento obſtringebant. Vide quomodo Apoſtolus vel umbras factionum, & nomina factioſa, vel ab ipſis Apoſtolis deſumta, ab Eccleſiâ procul abeſſe voluerit. *1 Corinth. 1.* Primo prima ergo origo, ſeu potius præludium Fraternitatum refertur à *Baronio* ad annum 984. *§. 2.* ubi de Fraternitate defunctorum. Sed hæc fratria non-fratria cito exaruit, inſtar kikaion

Jonæ

Digitized by Google

Jonæ 4., aut abortiit inſtar embryonis nondum animati. Genuina ergo & in formâ Papiſticâ hujus Pandoræ productio tribuenda eſt Dominico, qui cum Waldenſes & Albigenſes gladio verbi ſuperare non noſſet, & gladio carnivoro omnes illos cum uxoribus & infantibus pro ſanguinario appetitu exſtirpare non ſatis poſſet: ad aſylum idololatricum fraternitatum, nominatim Marię confugit. Ex hâc Dominicanâ, tanquam ex equo Trojano omnes aliæ ſucceſſivè prodière, aut ad imitationem ejus efformatæ fuère, Sic *Bzovius in annal. ad anno* 1204. *Dionyſ. Mutzert in Hiſtor. Eccleſiaſt.*, *Alanus de Rupe*, *Michael de Inſulis*, *Coppenſteinius in tract.* de Roſario & fraternitate Roſarii; aliique complures alibi à nobis (3. *part. ſelect. Diſpp. tit. de Roſario*) indicati.

Occaſio & cauſa impulſiva erigendarum fraternitatum, *communis & univerſalis fuit* metus inſtantis mortis, & ſubſequentis pœnæ purgatorii: *ſpecialis*, quæ proximè miſeros homines movebat, ut plurimum erant graſſantes peſtes, aliquando etiam pericula bellorum, ſeditionum, & quæ pręſentem mortem intentabant. Hâc occaſione ſtudio *Philippi* I. Belgarum Principis inſtitutę fuerunt in Belgio fraternitates Mariæ ſeptem dolorum. Occaſionem graſſantis Peſtis docent imprimis fraternitates *Antonii*, *Sebaſtiani*, *Rochi* (qui tanquam ſingulares peſtis Patroni coluntur), quales tum alibi tum hic Ultrajecti olim celebratæ. Inſuper diplomata ſeu inſtrumenta erectionis idem ſatis innuunt: quorum exordium plerumque ducitur à vitæ fragilitate, mortis neceſſitate & temporis incertitudine, &c. adeo ut anima curanda ſit; quod conſociato ſtudio ſe per Miſſas, Vigilias, anniverſaria, orationes, aliaque pro animabus defunctorum fratrum ſuffragia, ſe facturos promitttunt. Et optimè hoc Fraternitatum fundamentum ex mente Papiſtarum notatum eſt à *Georgio Sohnio in Diſpp. Marpurgenſibus, Diſp.* 16. §. 20. Et *Chemnitio in Exam. Concil. Trident. part.* 3. *de purgatorio cap.* 5. *pag.* 199. edit. in 8. „Hac enim quaſi baſi nituntur ſatisfactiones, „merita, opera ſupererogationis, indulgentię, prophanatio Cœnę Dominicæ, vigilię, oblationes, Miſſæ, ſuffragia, orationes, peregrinationes, balnea pro defunctis; & quę his affinia ſunt innumera: Præcipue vero fraternitates. Scribunt enim in ſpeculo Roſariorum, quod puella quædam, „quæ juxta ſententiam judicis ſeptingentis annis in purgatorio cruciari „debuiſſet, poſt quindecim dies liberata fuerit meritis participationis fraternitatis Roſarii Mariæ. Eadem puella ex purgatorio liberata, habuerat „legationem à reliquis animabus, quæ adhuc detinebantur in purgatorio, „ut amici ipſorum viventes curarent ſe inſcribi in fraternitatem illam, ut „participatione meritorum fraternitatis illius, defuncti ex purgatorio liberentur, &c.

Con-

§. 5. Conſideranda nunc Fraternitatum iſtarum *libertates*, *privilegia*, *exemptiones*, *indulgentiæ*; quæ ex ſingularum ſtatutis, ac libellis, bulliſque Pontificum, & declarationibus SS. congreg. Cardinalium cognoſci poſſunt.

Libertatibus, privilegiis, indulgentiis opponuntur tum *Abrogationes*, tum *Limitationes*. *Abrogata* ſunt non tantum apud Lutheranos & Reformatos, ſed etiam apud Pontificios. De Reformatis fidem facit *ignavia* & vaſtitas earum in Angliâ, Scotiâ, Belgio fœderato, &c. Huc refero 58. ejuſmodi fraternitatum abrogationem in hâc urbe Ultrajectinâ anno 1615. autoritate Senatus Urbani factam; & poſtea, fruſtra nonnemine ex ordine equeſtri magnæ tunc autoritatis Viro obnitente, ab Illuſtr. hujus provinciæ Ordinibus approbatam. Quarum reditus in meliores uſus converſi ſunt. Quæ ex actis publicis cognoſci poſſunt. Heuſdę in patriâ meâ, reliquiæ quarundam fraternitatum uſque ad annum 1607. adhuc florebant, *Mariæ* ſcil. *Catharinæ*, *Barbaræ*, *Agathæ*. Primam ſi bene memini, conſtituebant, ſenes aliqui religione Papiſtæ, qui annuos conventus per octiduum præter propter, compotationibus & confabulationibus celebrabant.

Confraternitates *Catharinæ*, & *Barbaræ* quotannis per dies aliquot ſimiles conventus celebrabant, conjugati ſeorſim; & cœlibes ſeorſim, pueri innuptæque puellę: illi compotationibus & *confabulationibus*; iſti compotationibus, luſibus & ſaltationibus per totas noctes continuatis, donec poſtera aurora aut ortus ſol, eos domum deduceret.

Confraternitas *Agathæ*, quæ tunc ex Papatu iſtic ſupererat, tantum puellarum & juvenum conventus anniverſarios compotationum, confabulationum & ſaltationum per dies aliquot celebrabant. Præfectura erat penes puellas, ex quibus binæ præpoſitæ ſuffragiis conſororum electæ, (vernaculo ſermone Hooft-Maechden) reditus, & tributorum collectionem adminiſtrabant, in tempore locum conventus deſpiciebant, tonnas cereviſiæ, candelas, puellarum & juvenum aliquot extra illam fraternitatem, invitationem, fidicinem ſeu fidicularium ſaltatorium, aliaque ad celebrationem feſti neceſſaria curabant. Catharina templi iſtic erat Dea titularis, & civitatis Dea tutelaris: cujus fraternitas in maximo æſtimio, eique honoratiores cives antehac nomen dederant. Ejus, ut & *Barbaræ* bini erant præpoſiti ſeu præfecti (vernacule dicti Hooft-Mannen) penes quos cura redituum, collectarum ſeu tributorum, conventuum, &c. Puellæ earundem fraternitatum, cum res ſuas & conventus anniverſarios ſeorſim haberent, ex ſuis binas eligebant præpoſitas ſeu præfectas, quę omnia curanda curabant. Hæ ſordes Papales confraternitatum iſtic reſiduæ, ſimul & ſemel anno 1606. aut 1607. expurgatæ ſunt, reditibus novè erigendo orphano tropheo applicatis. Quamvis autem civitas illa Pa-

Papiſmo adhuc immerſa ſponte ad partes Hollandiæ & celſiſſ. Principis Arauſonienſis contra Hiſpanos acceſſerit, & ſtatum religionis & eccleſiæ Papiſticæ, ut tunc erat, ſalvum ſtipulata erat: conſequenter etiam monachorum, fraternitatum. Sed Magiſtratu & communitate civium reformatam religionem amplectentibus & religionis Papiſticæ exercitiis ceſſantibus immo deſertis, tandem & reliquiæ illæ fraternitatum à Magiſtratu abolitæ ſunt; etiam conſentientibus aliquibus Papiſtis, qui tunc partem Senatus faciebant, ut reditus illi, qui in meras compotationes & ſaltationes impendebantur, cederent Orphano trophejo.

Fraternitates in Papatu, (in Galliâ, & Helvetiâ) abolitas alibi indicavi, in Specimine; ubi diſputo contra theologum quem pro Fraternitate *Marianâ* Sylvæducenſi apologizantem, in quam adſcripti erant aliqui ex reformatis. Ante tempora reformationis abrogata fuit fraternitas flagellantium: de quâ alibi. Et *Wichmans in Apothecâ ſpirituali pagina* 383.

2. *Limitationes*, ſeu coërcitiones & licentiæ & factionum in infinitis pæne fraternitatibus de novo formandis *Clementi* VIII. tribuendæ ſunt: cujus Bulla infrà citabitur. Antea enim Epiſcopi autoritas ad novam quamcunque ſub novo titulo & procinio fraternitatem in ſuâ diœceſi approbandam non requirebatur. Nam quod Papatum, aut Cardinalium, aut aliorum Epiſcoporum privilegia atque indulgentiæ à Fraternitatibus ſubinde petebantur, id plerumque fiebat poſt ejus erectionem & actualem obſervationem: uti ex diplomatis ſeu inſtrumentis erectionum (qualia complura hic Ultrajecti videre contigit) & ex libellis quarundam Fraternitatum nunc evulgatis, abunde conſtare arbitror.

II. *Effectus* ſeu fructus ſpiritualis iſtarum fraternitatum mirifice exaggerantur; ita ut iis meritò applicari poſſit illud Sedulii, quo poëma ſuum de geſtis Chriſti exorditur: *Cum ſua Gentiles ſtudeant figmenta Poëta Grandiſonis pompare modis tragicoque boatu.* Supra omnes ineptâ loquentiâ hoc molitur *Coppenſteinius*, ſed appropriatè ad Marianas; & quidem ſub præfecturâ ordinis Prædicatorum exiſtentes: qui fructus analogicè ad alias quaſcunque applicandi intelliguntur. *Michael* de Inſulis ad duodecim utilitates ex Fraternitatibus provenientes omnia revocat: quarum novem in hâc vitâ contingant, aliæ tres poſt hanc vitam: *tract.* 1. propoſitione. §. 6.

1. Eſt, ampliatio cultus divini & ſanctorum.
2. Meritorum augmentatio.
3. Satisfactio pro peccatis.
4. Sanctorum majus & frequentius auxilium.
5. Facilior precum auditio.
6. A multis periculis liberatio per orationes & merita ſanctorum, qui ſuos confratres vel qui eos devote invocant, &c.

7. Caſus rarior in peccato.
8. Facilior à peccatis reſurrectio.
9. Pax inter Chriſtianos.

Utilitates poſt hanc vitam.

10. Inferni evacuatio.
11. Purgatorii evaſio; vel ſaltem ab eo facilior liberatio.
12. Gloriæ conſecutio, vel in eo major muneratio.

§. 7. *Comparatio* dictarum fraternitatum inſtitui poteſt. I. Cum fratriis Gentilium, quales Arvales; de quibus *Roſinus lib. 3. antiquit. cap. 6.* II. Cum antiquis Chaſidim Judæorum: de quibus *Scaliger in Elencho Trihaeſ. pag. 168. 170. 171. 191. edit. in. 8.* III. Cum antiquis Aſcetis Chriſtianorum: de quibus Scriptores de Monachis, ſuo loco indicati, & *Salmaſius in Comment. ad Tertullianum de Pallio.* IV. Cum collegiis Equitum ſacrorum, ſeu militum Eccleſię: de quibus infra agimus. V. Cum *tertii* ordinis Monachis & Monialibus, atque adeo cum toto Monachatu, eorumque voto: quæ ſupra deſcripſimus. Eſt enim fraternitas medium quid inter Laicatum & Monachatum, inter τὸ ſæculare & regulare: uti bene hoc obſervatum à *Tileno* (tunc noſtro) *part. 2. Syntagm. cap. 38.* Propius autem ad Monachos accedebant fratres illi ſive Mariani, ſive alii, ſi qui primam tonſuram recipiebant; aut cucullis induti funera confratrum ſuorum deducebant; aut in feſto *Mariæ* iiſdem induti particularem ſuam proceſſionem ad capellam B. *Mariæ*, & ad templum peragebant; aut ſaccis induti generales proceſſiones comitabantur. Vide de illis ſaccis bullam *Gregorii* XIII. anno 1583. quam tamen in Hiſpaniâ non fuiſſe receptam, teſtatur *Rodericus in vaſto volumine de Regularibus, tom. 3. quæſt. 37. artic. 4.* Ut nihil dicam de jejuniis ſervandis, de matutinis, veſperis recitandis & cantandis. Hæc omnia à Monacho non abludunt. Nec eſt de nihilo, quod alicubi ad ingreſſum fraternitatis Marianæ initium Euangelii Johannis legebant: ut ſcil. hâc ratione propius, quam alii fratres Laici, ad vitæ contemplativæ, & ad lectionum ac meditationum ſacrarum ſimulacrum ſeu ſpeciem accedere viderentur. Quo verò judicio, & delectu legerint potius Euangelium *Johannis* de æterno Patris filio, cum Mariani fierent, in præſenti non diſquiremus. VI. Cum fraternitatibus inter ſe. Hic de excellentiâ Marianæ, ut ſolis inter ſydera, in ſe conſideratæ; & de dignitate ac pręcedentiâ in publicis proceſſionibus. Deciſiones S. congregationis Rituum, inter alias ſunt iſtæ: Confratres ſanctiſſimi Roſarii non poſſunt deferre crucem, nec præcedentia ipſis competit ſupra alias ſocietates, quæ ante illas habent habitum. 9. Decemb. 1617. Confratribus ſęcularibus poteſt concedi habitus patientiæ, quæ ſolis religioſis propriè convenit 13. Junii 1614. Confraternitatem S. Petri Martyris Hiſpalenſis in ſuâ poſſeſſio-

ſione incedendi in funeralibus cum ſolito vexillo poſt feretrum manutenendam eſſe declaratur. 6. Decembr. 1613. Confraternitates Sanctiſſ. Sacramenti priores non ante Baldachinum poſt capitulum, ſed à latere Baldachini debere incedere declaratur 30. Januarii 1616. Eiſdem, quæ ſumtus ceræ faciunt, concedi poteſt, ut in proceſſione ejuſdem ſanctiſſ. Sacramenti, aliqui ex confratribus cum funalibus accenſis incedant hinc inde, & apud ſanctiſſimum Sacramentum, dummodo major pars confraternitatis cum ſuà cruce & inſignibus incedat ante in loco ſuo, 10. Maji 1608. Confraternitati corporis Chriſti in oppido Anguillariæ, Sutrinæ diœceſis conceditur, ut in ſolennitate corporis Chriſti præcedat aliis, dummodo omnino ad alias proceſſiones accedat, & cedat locum dignioribus, juxta conſtit. *Gregorii* XIII. 30. Septembr. 1628. Confraternitates Laicorum in proceſſionibus procedunt ante regulares, quas ſequuntur iidem regulares, poſtremò digniorem locum obtinet clerus ſecularis. 7. Auguſt. 1621. Confraternitates Laicorũm in publicis proceſſionibus debent procedere & præcedere inter ſe juxta Bullam 10. Maji 1608. & 19. Maji 1611. Confraternitas quæ prius ſaccum induit, præcedere debet aliis, quæ poſtea induerunt. 7. Auguſti 1628. Vide de hoc bullam 84. *Gregorii* XIII. anno 1583. De habitu, deque inſignibus, vexillis, crucibus, adhęc medalliis, ſymbolis ſingularum fraternitatum infinitum eſſet inquirere: tot enim eſſe poſſunt, quot ſunt ſingulares fraternitates.

Confraternitates variè dividi poſſunt. 1. Ex gradibus principalitatis ſeu §. 8. majoritatis, aliæ ſunt confraternitates, aliæ archiconfraternitates; aliæ filię, aliæ matres. *Iſta* rurſum diſtingui poſſunt in eas, quæ quod ad ortum ſeu primam originem aut quod ad actum & ſui ſubſiſtentiam, ab aliâ dependent. Priori modo omnes fraternitates, ſaltem Marianæ filiæ & propagines ſunt; quippe à primâ illâ per Dominicum inſtitutâ ortæ ac propagatæ. Poſteriori modo ſunt filiæ, quæ ab aliquâ archiconfraternitate reguntur. *Archiconfraternitates ſunt*, *Roſarii* apud Dominicanos: uti quidem pro Dominicanis contendunt *Coppenſteinius*, aliique. 2. *Sacramenti altaris*, quam peculiari libello Gallico deſcriptam dederunt Burdegalę anno 1556. & 1577. teſte *Jacobo Gaultier in tractat.* Gallico contra prætenſiones Confraternitatum, anno 1642.: ubi peculiariter confraternitas ſacramenti expugnatur. Fuit antehac Ultrajecti talis fraternitas, in templo civili tit. *Venerabilis Sacramenti*, Similis erecta Romę circa annum 1564. *ſub invocatione duodecim Apoſtolorum*, in Eccleſiâ fratrum minorum Conventualium, &c. de quâ vide Bullam anni 1564. quæ eſt 90. *Pii* IV. 3. *Cordigerorum Franciſci*: de quâ Bulla anno 1585. quæ eſt *Sixti* V. decima tertia. 4. *Recommendatorum B. Mariæ*, deinde dicta *Confalonii*. De quâ Bulla an-

no 1576. quæ eſt *Pii* V. trigeſima octava 5. *B. Maria de ſuffragio* pro animabus liberandis ex purgatorio; quam ex fratribus & ſororibus conflatam *Clemens* VIII. anno 1594. in archiconfraternitatem erexit. Vide ejuſdem 29. Bullam. Sunt & aliæ Romanæ Fraternitates, quarum aliquæ in archifraternitates à Papis erectę, cum poteſtate alias iſtius ſpeciei ubivis locorum erigendi juxta formam à *Clemente* VIII. anno 1604. præfinitam. Nonnullas, ut nunc occurrunt, promiſcuè hic indico: & ſunt, Charitatis de urbe, S. crucifixi, doctrinæ Chriſtianę ſeu Catechiſmi, Orphanorum in urbe, pietatis carceratorum de urbe, SS. Trinitatis convaleſcentium, *Mortis* ſeu ſepulturæ mortuorum, quæ etiam in Galliâ tit. *Caritatis* celebratur (vide de eâ Spondanum epitomatorem *Baronii* ad ann. 336. §. 14. Eundemque *lib.* 1. de Cœmeteriis *part. c.* 9.), Sanctiſſimi nominis Jeſu ſeu nominis Dei, Pietatis carceratorum de urbe, S. Johannis *decollati ad* ſepeliendos & conſolandos damnatos ad mortem, B Mariæ de redemtione captivorum. Sed quia illę directè magis & primariò ordinantur ad actus caritatis & miſericordiæ, ſtudio eas hic prætereo, potiſſimum intendens fraternitates purè aut ſaltem directè & primariò religioſas, quæ ordinantur aut ad actus diſciplinæ in vigiliis, peregrinationibus, jejuniis, &c. aut ad actus orationis & quoſcunque actus elicitos Religionis & *ſuffragiorum* pro defunctis. Obſervandum tamen, quaſdam eſſe mixtas, quę & actus devotionis erga Deum & Sanctos, & caritatis erga proximum pariter ex conventione exercent: tales ſunt, fraternitas orationis (44. ſc. horarum), & mortis; Et Nominis Dei, quæ intendit ſanctificationem nominis divini, & ſimul emendationem proximi. Porro de Fraternitatibus caritatis ac miſericordię erga proximum, quæ Pręſertim Romæ vigent, legi poteſt in Bullario, & in *Camilli Fanuccii tract.* de omnibus operibus piis almæ urbis Romæ, Ital., & in tr. Lat. de iiſdem operibus Theod. Amydeni advocati Romani. 11. *Diviſio*, eſt in regulares & ſæculares. *Illa* ſtrictè dictæ ſunt Monachorum ſeu Religioſorum ſic dictorum; quas hic præterimus. Quod ſi laxè *τὸ regulares* accipias ſecundum extrinſecam denominationem, dicentur regulares, quæ ex laicis & ſæcularibus conflatæ habentur in Eccleſiis Regularium, & à Dominicanis, aut Carmelitis, aut Jeſuitis, &c. formantur ac reguntur, & ſuo quique Monachorum ordini affixæ ſunt, atque ab eo dependent. Sunt ergo & dici poſſunt tales fraternitates, quod ad laicos & ſæculares clericos qui eas conſtituunt, *ſæculares*, uti eas *Clemens* VIII. in bullâ 115. vocat *congregationes ſæculares* & ab ordinibus ſæcularibus diſtinguit. Harum ſæcularium aliquæ, quod ad dependentiam ſuam ab aliquo ordine Regularium dici poſſent regulares: aliis independentibus commune nomen ſęcularium retinentibus. Sed de hoc infra, ubi

de

de Fraternit. Marianis. III. Ex *operibus* ſeu actibus propriis, in quibus fraternitates communicant. Et ſic *Flavius Cherubinus ad bullam* 78. *Pii* 4. *ex Petro Ubaldino in tract. de Canon. Epiſcop. qu.* 14. diſtinguit, in quatuor quaſi ſpecies. 1. *Aliæ*, inquit, ordinatæ ad miſericordiæ & pietatis opera. 2. *Aliæ* ad actus diſciplinæ in vigiliis, peregrinationibus, jejuniis & ſimilibus. Adde hic flagellantium fraternitatem: de quâ Annaliſtæ & Vicecomes de Ritibus Baptiſmi, pag. 500. & eorum qui Romæ in proceſſionibus ſaccis cincti, velatis faciebus incedunt: de quibus *Theodorus Amydenus* Sylvæ-Ducenſis in Curiâ Romanâ cauſarum advocatus, in libello de pietate Romanâ, Romæ typis *Jacobi Maſcardi* edito, anno 1625. in. 8. 3. *Alia* ad vitam contemplativam, ut puta in orationibus. 4. *Aliæ* ad actus caritatis. Sed nos ſupra, primi & quarti generis fraternitates à ſpecialiſſimè dictis ſecundi ſc. & tertii generis diſtinximus; quarum unicum aut ſaltem principale opus ex vi erectionis conſiſtit in communicatis officiis divinis, litaniis, miſſis, vigiliis, orationibus ad Roſarium aut coronam Mariæ, additis ſubinde jejuniis, aliiſque mortificationibus, &c. & quidem pro fratribus defunctis. *Bartolus L.* 1 *ff. de Colleg. illicit.* (referente *Flavio Cherubino* in Scholio 1. ad 37. bullam Leonis X. anno 1520) ad collegia licita religionis refert, Diſciplinatorum, & miſericordiæ, & ſimilia. Ubi per *diſciplinatorum* ſecundi generis intelligi puto. Nos, ſiquidem ex opere aliquo ſpeciali diſtinguendæ eſſent fraternitates, putamus eam diſtinctionem petendam, ex ſpeciali cultu & honore, qui ſancto aut idolo illi, ſub cujus patrocinio & invocatione erecta eſt fraternitas, præ aliis Sanctis aut idolis exhibetur, e. gr. cruci in *Hoboken*, *Sudario Veſontino*, *Sebaſtiano*, *Rocho*, *Anna*, Sacramento Altaris, *B. Maria*, &c. De quibus diviſione ſequenti.
IV. *Ex objecto* ſpeciali cultus ſuperſtitioſi, Deo ſcil, aut idolo titulari & tutelari, quod ſibi præ aliis fraternitas quælibet eligere ſolet, ſub cujus patrocinio & *invocatione* (hæc ipſorum phraſis) fratres illi in piis operibus communicent. Denominatio vel titulus ſumitur vel à vero Deo, vel ab aliquo, quod non eſt Deus. 1. *Primo* à verò Deo, aut Chriſto crucifixo, aut Spiritu Sancto, aut SS. trinitate, ſi aliquæ denominentur, non quidem de tali objecto materialiter conſiderato queſtionem movemus (indubium enim eſt Patrem, Filium, Spiritum Sanctum eſſe unum verum Deum) ſed de monopolio, quod contra communionem & unitatem Eccleſiæ in tali denominatione committitur: eâdem ferè ratione, quâ Jeſuitæ in appropriatione nominis Jeſu. Adhæc de aſſociatione Dei & Sanctorum in religioſis actibus frateremitatum: quomodo olim Iſraëlitæ colebant Jehovam & Baalim. Inſuper de indiſcretâ applicatione ſpecialis denominationis Spiritus Sancti, ad illa collegia, quæ cibum, potum, veſtes, medicamenta,
 aliaque
Digitized by Google

aliaque temporalia ad animalem hanc vitam neceſſaria indigentibus ſuppeditant,aut quę pro Papiſticâ religione ad exſtirpationem reformatę temporali gladio pugnant. Quomodo eleemoſynaria menſa & domus dicitur menſæ & domus Spiritus Sancti, & curatores ejus, proviſores menſę Spiritus Sancti (Belgice ſatis durè & incommodè H. Geeſt-Meeſters); & ordo Equitum in Galliâ Equites Spiritus Sancti. De quibus alibi monuimus. Denique quæſtionem movemus, quod quamvis fraternitas à ſolo vero Deo denominaretur, illic in communione Eccleſiæ Romanæ Deum verum verè in Spiritu & veritate non colant; ſed ἐθελοθρησκείᾳ & ſuperſtitione cultum ſuum contaminent. 2. *Secundo*, denominatio ab eo, quod non eſt Deus, eſt ab idolo aliquo, & tota idololatrica. Hęc rurſus duplex eſt: vel ab idolo ſecundum veram ex Scripturis definitionem, hoc eſt quâcunque re: quæ non eſt Deus: vel ab idolo juxta Papiſticam *definitionem*, hoc eſt, à non ente ſeu ab eo quod nihil eſt. *Poſterioris ordinis* Fraternitates à Deo non Deo, aut à reliquiis, aut à ſanctis chimæricis, aut ab actionibus & paſſionibus chimæricis, aut ab incertis denominantur; & tales ſunt, *Sacramenti Altaris* (hoc eſt Chriſti ex pane per tranſubſtantiationem facti): *Sancti Sudarii* apud Veſontinos, cujus meminit *Chifletius in tract. de Linteis ſepulcralibus Chriſti, cap. 14. pag. 80. Circumciſionis* ſeu *preputii* Chriſti, quod Antwerpiæ aſſervari dicitur: de quâ *Wichmans lib. 2. Brabantiæ Marianæ cap. 22. B. Mariæ de Spaſmo*: de quâ *Cajetanus in quæſt.* Quodlibetalibus, in fine. *Catharinæ*, cujus confraternitatis reliquias memini in Patriâ meâ ſuperfuiſſe, uſque ad annum 1607. quando compotatoriæ & ſaltatoriæ ejuſmodi anniverſariæ congregationes (nullum enim alium uſum tunc habebant) una cum ejuſdem ventris & laſcivię fraternitatibus B. Marię, Barbaræ, Agathæ, Lucię planè abrogatæ ſunt, & reditus in uſum novè erecti orphano-trophęi converſi. *S. Crucis*, quales antehâc duę Ultrajecti in templis *Jacobi* & *Nicolai*: & etiamnum hodie celebris, S. Crucis in *Hoboken* propè Antwerpiam, quę ibi aſſervari dicitur. Hujus Fraternitatis libellus exſtat, editus Antwerpię, in officinâ Plantinianâ. Adde fraternitates *Rochi*: qualis hic Ultrajecti fuit: & Romæ, ubi anno 1500. ab *Alexandro* VI. approbata, & *Leone* X. & *Pio* IV. denuo confirmata (vide Bullam ejus 16. an. 1560.): non obſtante, quod *Rochus* uſque in hunc diem non fit canonizatus. Sed hos, alioſque Sanctos partim non canonizatos, partim dubios in 3. *part. ſel. diſpp. tit.* de ſanctis chimæricis indigitare ſtuduimus. Huc reducenda fraternitas ſub invocatione *dulcis nominis Jeſu*: quatenus ſcil. ipſum nomen divino cultu proſequuntur, atque ita nomen, quod non eſt æternus & ὁμοούσιος cum Patre & Spiritu Sancto Deus, perſonę filii Dei ſubſtituunt; illi tribuentes, quod

quod huic quà ſoli Deo unà cum Patre & Spiritu Sancto competit. Præterea *Fraternitas animarum*, quę Ultrajecti fuit in Templo civili. Cum quà coincidere puto *Fraternitatem purgatorii*, cujus meminit *Gianius* in annal. ordinis fratrum ſervorum.

Prioris ordinis ſunt, qui denominantur. 1. Vel à *B Virgine*: quę varię ſunt & longè latèque diffuſæ, uti ſeorſim infrà oſtendemus. 2. Vel *à Prophetis*, Patriarchis, Apoſtolis, ut Jobi, Joſephi Sponſi B. Virginis. 3. Vel *ab aliis* Viris aut Fœminis poſt tempora Apoſtolorum verè Sanctis, aut ſaltem, qui ut tales in martyrologio Romano, in Kalendariis & publicis libris & officiis Eccleſiaſticis celebrantur: ut, *Annæ*, *Petri* & *Pauli*, *Antonii*, *Adriani*, *Sebaſtiani*, *Huberti*, *Barbaræ*, *Luciæ*, *Agathæ*, *Willebrordi*, &c. Confraternitas *Catharinæ Senenſis*, Romę primum in privato ad hoc oratorio, & poſtmodum in Eccleſià publicè inſtituit orationem 40. horarum, referente *Camillo Fanucio lib.* 4. *Opere pie di Roma cap.* 13. Qualem orationem poſtea anno 1592. *Clemens* VIII. injunxit conſtit. 17. Fraternitas *Benedicti & Scholaſticæ*, Romæ anno 1615. à *Laertio Cherubino* aliiſque Nurſià oriundis erecta eſt, comfirmante *Paulo* V. conſtit. 87. Sed infinitum hoc nunc pertranſiri nequit. Singularum origines, ſtatuta, privilegia, indulgentias, &c. partim ex libris M. SS. ibi locorum, ubi adhuc vigent, aſſervari ſolitis, partim ex vulgatis cognoſci poſſunt. 4. *Ab Angelis* an tantum, ſive in genere, ſive ab uno eorum aliquæ ſint denominatæ, hactenus non obſervavi. Eſt tamen ſodalitas B. Marię ſub titulo SS. Angelorum, Coloniæ.

V. *Diviſio* inſtitui poſſet à locis ſeu Eccleſiis, in quibus celebrantur fraternitates. Aliæ enim ſunt in Eccleſiis regularium, ex. gr. Prędicatorum, Minoritarum. Carmelitarum, Jeſuitarum, &c. alię in Eccleſiis ſæcularibus, iiſque vel collegiatis, vel Patrochialibus. Antehac Ultrajecti floruit Mariana fraternitas in templo Dominicanorum à viris anno 1392. & ibidem à fœminis anno 1409. erecta. Sub invocatione ejuſdem B. Virginis in templo Minoritarum erecta fraternitas nobilium (dicta de kleyne Calander) anno 1377. Ante eam inſtituta ex civibus ſub eodem titulo Mariano, dicta vulgò de groote Calander. Nec ſegnius in Eccleſiis ſæcularibus parochialibus laboratum eſt pro iſtius tituli, aliorumque fraternitatibus erigendis. Parochiales Eccleſiæ erant quatuor; *Nicolai*, *Gertrudis*, *Jacobi*, civilis: ſingulæ habebant ſuam fraternitatem Marianam, cui præter Laicos intererant Curati, Vicecurati, & Sacerdotes aliqui.

VI. *Diviſio* ſumitur à dependentià aut independentià. Sunt enim quædam dependentes à regularibus, eorumque præfectis tum ſuperioribus, ut Miniſtris generalibus, tum inferioribus: aliæ ſunt ab illis independentes,

qua-

quales illę, quę in Parochiis & ſęcularibus Eccleſiis erigebantur. Rurſum erant antehàc aliquæ (an omnes an pleræque neſcio) in ſæcularibus Eccleſiis erectæ, & omnes in Eccleſiis Regularium, ſicuti & ipſi regulares independentes & quod ad primam ſui originem ac erectionem, & quod ad continuationem ab actuali inſpectione & viſitatione Epiſcoporum; quamvis ab Epiſcopis ſubinde aut à nuntiis Papæ, aut etiam ab ipſo Papâ poſt factum, ex abundanti, & ad bene eſſe, confirmationem, privilegia, gratias, indulgentias peterent. Sed omnia illa jam inde à Concilio Tridentino haut parum mutari voluerunt: adeo ut Epiſcoporum in illas inſpectio ad primam erectionem, annuam viſitationem, ac juriſdictionem in omnes fraternitates tam in Eccleſiis regularibus, quam in ſæcularibus extendatur: *non obſtante quacunque contrariâ conſuetudine* (N. B.) uti loquitur deciſio S. congreg. Epiſcop. & Regularium, 17. Julii, anno 1615. Vide Bullam 115. *Clementis* VIII. in Bullario, & apud Piaſecium in praxi Epiſcopali pag. 181. Tantum excipiuntur aliquę fraternitates quæ ſunt ſub immediatâ Regum protectione. Quamvis executio forte ubique non ita fiat, nec conſuetudo poſſidens loco moveri ſe patiatur: quomodo etiam in multis aliis capitibus reformationis Concil. Trident. & ſtatutis Pontificum circa regimen Eccleſiæ idem fieri videmus. Quæcunque mutatio alicubi introducta ſit, hęc tamen libertas hucuſque obtinet, quod ſine expreſſo conſenſu Papæ fraternitates erigantur: uti declarat Cherubinus in Scholio ad Bullam 37. *Leonis* X.

CAP. II.

De Confraternitatibus Marianis.

§. 1. INter omnes ſpecies confraternitatum tum dignitate ſeu hominum æſtimatione, tum frequentia in Papatu excellunt Marianę; quippe quæ inſtar Oceani omnia nunc illic inundaſſe & occupaſſe videtur: annitentibus poſt tempora reformationis in Occidente, imprimis Jeſuitis; ne Dominicanis, Carmelitis, Minoritis, Præmonſtratenſibus, Ciſtercienſibus, Eremitis Auguſtinianis ſedulo & ante & poſt tempora reformationis hoc agentibus & plebem poſt ſe trahentibus, quidquam hâc in parte concedere videantur. Res geſtas ſuas, fruſtrà ringentibus aliis monachorum ordinibus, hunc in modum Soli-ipſi decantant lib. 3. *Imaginis primi ſæculi ſocietatis Jeſu*, cap. 7. ubi lemma titulus capitis: *De ſocietatis induſtriâ in cultu B. Mariæ per ſodalitates propagando.* In pleriſque orbis Chriſtiani partibus jacebat una cum filii honore matris

„matris reverentia, &c. Dolebat ſocietati, quæ tantæ matris auſpiciis „originem ſuam debebat, non tantum apud omnes probos pro aſſerendo, „quantum ab impietate pro evertendo ejus honore pugnari; nec tantum „de tutiſſimo hoc certiſſimoque ad ſalutem aditu muniendo laborari, quan-„tum ab hęreticis de obſtruendo. Igitur hoc tantum ſalutis remedium, ſi-„ne quo reliquorum vel uſus vel cura facile languet, &c. Et poſtea ſubji-ciunt ſocietatum angelicarum & Parthenicarum (ita vocant) per ſuos inſti-tutionem & admirandam propagationem. Quod idem *cap.* 12. *pag.* 418. peculiari panegyrico habito Mechliniæ anno ſæculari ad nauſeam uſque proſequuntur. Eadem hæc geſta aliâ occaſione repetunt, *lib.* 6. *c.* 3. *ſect.* 1. Nos de eârum 1. origine, 2. naturâ, 3. affectionibus, 4. diſtinctionibus non-nulla breviter perſtringemus.

I. Origo earum prima refertur ad tempora Dominici, circiter an-num 1200. aut 1202. Ante ipſum enim & ante illud tempus nullus autor (alicujus nominis aut autoritatis) Marianæ fraternitatis nominari, nulla fraternitas alicubi cum poteſtate erecta & celebrata commonſtrari poterit. Hoc communiter teſtantur Annaliſtæ & hiſtorici Papales Bzovius, Dionyſ. Mutzert, ſcriptores de Roſario alibi indicati; Navarrus de Oratione, li-belli Fraternitatum Marianarum, quarum infra aliqui notabuntur. Et certè bullæ trium Paparum *Pii* V. *Gregorii* VIII. *Sixti* V. de fraternitatibus Ro-ſarii debent Pontificiis omni exceptione majores eſſe; quæ teſtantur Do-minicum per inſpirationem ſpiritus ſ. roſarii (conſequenter fraternitatis Roſario-Marianæ) eſſe inſtitutorem. *Quamvis enim quidam antea morem ſalutandi Mariam ſervârunt: roſarium tamen iſtius numeri cum ſequenti-bus meditationibus & myſteriis à S. noſtro patre Dominico primum eſt inven-tum.* Et paulo poſt: *Ita ut non tantum ingrati ſint ſed etiam ex parte præ-ſumtuoſi videantur, qui ob autoritatem unius Polydori Virgilii abſque ullo fundamento contra tres aut quatuor Pontifices Dominicum honore hoc ſpolia-re audent.* Sunt verba libelli belgici tit. *Pretioſus theſaurus fraternitatis ſancti Roſarii digniſſimæ matris Dei in ordine prædicatorum inſtitutæ*, Antwerpiæ apud Hieron. Verduſſen 1609. Scriptor vitæ Dominici Nicol. Janſſenius *l.* 1. contra allatum teſtimonium Polydori diſertè excipit, dato Petrum Eremitam Anno 1075. inveniſſe modum orandi per ſigna externa, non ſequi inde ante Dominicum exſtitiſſe modum orandi per 150. *Ave Maria*, poſt decimum quodque τῶ *pater noſter*, diſtincta. Jeſuita Burgheſius, de bono parthenicæ ſodalitatis, *cap.* 1. eam agnoſcit filiam fraternitatis roſarii à Dominico primum inſtitutæ. Conſidera hic fraternitatis autorem ejuſ-demque σύγχρονον, & eccleſiam ac ſtatum eccleſię in Occidente: ut videas quam omnia in novitate illâ Papali corrupta fuerint. *Autor* eſt Dominicus:

 qui

qui, quis & qualis fuerit, ex vitâ & geſtis ejus ſatis conſtare arbitror; nec altius reformatæ religionis cultoribus aut etiam moderatoribus quibuſdam ſub Papatu, à monachatu, præſertim mendicante, paulo alienioribus, quidquam hic ingerendum. Σύγχρονος fraternitatis eſt religio roſario-Mariana: quam alibi ex profeſſo refutavimus. 3. *part. ſelect. diſp. tit.* De roſariis, litaniis, horis canonicis. Et certe cum ex uno ovo, ab uno parente, eâdem in matre Romanâ, ſub eâdem apoſtaſiâ, ſub eodem Antichriſtianiſmo Papali prognatæ ſint, qui alterutram refutaverit utramque refutavit, *Status* rei Chriſtianæ in Occidente talis erat, ut omnis ſuperſtitio & idololatria, ſpecialiter Mariana, nec non errores de purgatorio, ſatisfactionibus humanis, ſuffragiis pro mortuis, &c. quin & tota theologia ſcholaſtica cum jure canonico, denique uſurpans tyrannis Pontificum jam ad faſtigium perveniſſent, & uſus utriuſque gladii in perniciem eccleſiarum graſſaretur. Hinc ex noſtris alii conſtitutam novitatem Papatus, alii ſolutionem Satanæ, alii maximam obſcurationem eccleſiæ ad ſæculum duodecimum, & annos aliquot proximè illud antecedentes ac ſequentes referunt; quod major antea jam inde ab Apoſtolico ſæculo pertendens corruptio nulla fuiſſet. Tunc enim novi fidei articuli de tranſubſtantiatione, adoratione cruſtulæ in miſsâ, auriculari confeſſione, &c. conditi (*Pleſſius in Myſterio Iniquit.* pag. 772.) At quia *tanta idololatria ſuffulciendæ alioquin caſſa & caducæ* (Ibid. p. 766. edit. in 8.) *anteridibus quaſi erat opus: en illos tibi ſub hoc temporis punctum opportunè*, *Franciſcum & Dominicum*, &c. Idem ibid. non tantum de novis fidei articulis, de tantâ idololatriâ, ſed & de ceremoniis conqueritur. Sic reliqui hiſtorici noſtri. *Joh. Lætus* in compendio Hiſtor. univerſalis, periodi *German. cap.* 15. in fine & *cap.* 16. *ſect.* 2. Plenius illud deducit *Hottingerus part.* 3. *hiſtor. eccleſ. cap.* 12. *ſect.* 1. & *c.* 13. *ſect.* 1. A parte Pontificiâ apud *Antoninum* in Hiſtor. *Bzovium* in annalibus, Scriptores hagiologicos, & particulares ſcriptores vitæ Dominici (ex quibus, floriferis ut apes in ſaltibus, &c. omnia ſelegit & mellificavit *Nicol. Janſſenius* (Dominicanus in vita Dominici anno 1622. Belgicè Antwerpiæ editâ) tempora Dominici ita prædicantur, quaſi vitam, ἀκμὴν, perfectionem ſuam Papalis eccleſia aſſecuta fuiſſet: ſpecialiter etiam in cultu Mariæ, cui privatim publicèque per conciones promovendo *totum ſe dabat* Dominicus cum ſociis; adeò ut ante inſtitutionem, monachi ordinis prædicatorum vulgò *fratres Mariæ vocarentur*, & *quod nomen etiam nacti ſunt, qui nomen dabant fraternitati roſarii*: ſunt verba *Nicol. Janſſenii modo cit. lib.* 2. *c.* 12. Conferatur Papæ *Honorii* III. bulla canonizationis Dominici 13. Julii Anno 1234. & *Hensbergius*, Caſtellus aliique Scriptores de Roſario & annales Ordinis ſervorum autore *Giano lib.* 2. *cap.* 2. referunt prolixum cul-

cultum Marianum ab illis fuiſſe inſtitutum Anno 1241. & poſtea continuò obſervatum. Confer & *lib.* 4. *cap.* 5. Verba quamvis notatu digna nunc exhibere nequeo. Tunc etiam putidiſſima apparationum, viſionum, colloquiorum, factorum, miraculorum Mariæ figmenta, cum totâ Theologiâ Mythologicâ ſeu legendariâ invaluit; cujus ope efficacia errorum & Mariolatria orbem tunc inundavit. Vide exempla in Autoribus citt., & in *Daüroeltii Catechiſmo Hiſtoriali cap.* 2. *tit.* 35. uſque 49. Ex noſtris Papatus idololatriam, hæreſes, tyrannidem, poſt ſæculum decimum circa hæc tempora conſummatam cenſent, *Bullingerus, Franciſcus Junius, Pareus* in *Apocal.* 20 Inter alios complures ex noſtris minimè prætereundus in hâc materiâ apprimè verſatus *Jac. Uſſerius in tract.* de Eccleſiarum ſucceſſione & ſtatu in Occidente *capp.* 5. 6. 7 ubi initium ſolutionis Satanæ poſt annum 1000. & Antichiſtianiſmi ἀκμὴν, ac utriuſque continuationem, & *cap.* 9. vigorem hujus tam inſignis mutationis in pejus, in Dominici & Franciſci novis Religionibus, *Innocentii* 3. Papatu, Concilio Lateranenſi 3. in horribilis libri tit. *Euangelii æterni* ſcriptione ad oculum oſtendit. Atque hæc obſcura immo obſcuriſſima Eccleſiæ ſæcula, in quæ natales Marianæ fraternitatis inciderunt. Ab eo tempore ex unâ illâ plures aliæ, prҫſertim in Eccleſiis prædicatorum per eoſdem ſunt propagatæ, aut in aliis Eccleſiis tum regularibus, tum ſæcularibus ad exemplum primæ illius erectæ. Sed cum ſucceſſu temporis cultus Marianus per coronas & roſaria tepeſceret, & ab Alano de Rupe anno 1460. & à *Jacobo Sprenger* Coloniæ anno 1475. (quem utrumque jactant oraculo B. Mariæ monitum) fraternitates cultus Mariani denuò ſuſcitatҫ & longè lateque propagatæ ſunt: quamvis inter Eccleſiaſticos & Theologos non deeſſent, qui ſe opponerent. Quod Michael de Inſulis in ſuo Quodlibet de Fraternitate, & Coppenſteinius non diffitentur. Prior etiam rationes quaſdam Contradicentium exhibet, eaſque refutare conatur: quas infra ἐν παρόδῳ fortè exhibebimus.

Conſectar. 1. Ex dictis conſtat novitas Papatus in peculiari illo cultu Mariano per roſarias precationes & fraternitates. Nulla enim roſario-Marianæ religionis ante annum 1202. antiquitas, nulla ſucceſſio: ſiquidem Antiquitatibus & Antiquariis eccleſiaſticis in Papa pro Dominico primo hujus ſacri inventore determinantibus, & univerſali Hiſtoriarum ac Doctorum ante annum 1202. ſilentio, ſtandum ſit.

Conſectar. 2. Contra lucem factorum & hiſtoriarum, nec non communem conſenſum Doctorum reformatorum, fingitur anno 1300. & aliquamdiu poſt, 1318. (quo erecta fuit Fraternitas Mariana Sylvæducenſis) non ita apertam & audacem, ſed quodammodo pudibundam fuiſſe Papa-

Digitized by Google

tus idololatriam, ſpecialiter Marianam; ita ut hâc ex patre aliqua Mariana fraternitas anno 1300. aut poſt inſtituta, quod ad primam erectionem ſuam ab idololatriâ Marianâ & Papalitate liberari poſſet, ſi non in totum ſaltem in tantum. Legant quæſo Studioſi noſtri, quibus in curriculo Academico omnes Autores modo à me citatos, non vacat conſulere, unum ſaltem, quem ad manum habent, *Hottingerum part. 3. Hiſtor. Eccleſiaſt.* ſeculo ſeu *cap. 12. ſect.* 1. & 13. *ſect.* 1. Scriptor qui muſteum hoc commentum propinat, (quod hypotheſi & cauſæ quam tuendam ſuſcepit, inſervire putet) longè aliter loquitur, cum alteri cauſæ, hoc eſt abuſui bonorum & titulorum Romano-eccleſiaſticorum patrocinatur. Ubi contra hiſtoriæ fidem & communem reformatorum ſententiam nihil niſi Antichriſtianiſmum, idololatriam, miſſas, idola per ſeptimum & octavum ſæcula in eccleſia obtinuiſſe haut obſcurè determinat. Quomodo hoc convenit cum eo, quod dicit, in diſceptatione de illa fraternitate, tempore erectionis fraternitatis Marianæ Sylveducenſis anno 1318. ruſticulam adhuc fuiſſe ſuperſtitionem, & vagiiſſe in cunis.

Conſectar. 3. Conjectura eſt ex proprio ingenio facta, de aliquâ fraternitate Marianâ (quocunque ſpeciali titulo, aut cognomine, aut epitheto ea cluat) quæ prioritate temporis in Eccleſiâ Romanâ, *Roſarianam Dominici* familiæ affixam ſuperaſſet. Contrarium in Papatu in confeſſo eſt, etiam apud Dominicanæ familię maximos adverſarios aut æmulos, Jeſuitas ſcil. & Minoritas: uti modo oſtenſum eſt.

Conſectar. 4. Non eſt veriſimile novitatem Papatus, ſpecialiter idololatriam Marianam Eccleſias occidentales ſeculo duodecimo & decimo-tertio, & deinceps opprimentem, in Belgio, intenſivè aut extenſivè minorem fuiſſe. Contrarium ex plurimis antiquis idololatriæ Marianæ monumentis (imaginibus ſcil., templis, ſacellis, monaſteriis, fraternitatibus, fictis miraculis & reliquiis, &c. manifeſtè evincitur. Ubi fuerint aut etiamnum ſint ejuſmodi monumenta, indicium faciet *Wichmans* in ſpiſſo libro cui tit. *Brabantia Mariana.* Cui adjungi poterunt *Miræi* Faſti Belgici, Donationes Belgicæ, diplomata Belgica, *Arn. Raiſſe* hierogazophylacium Belgicum, *Dionyſ. Mutzert. Hiſtor. Eccleſiaſt. Belgii*, Molani Natales ſanctorum Belgii, &c. Accedit, quod in Belgio pauciores, quam in Angliâ, Galliâ, Germaniâ, Bohemiâ, Poloniâ, &c. veritatis teſtes exſurrexerint.

§. 3. Natura ſeu eſſentia confraternitatis Marianæ ex ejus objecto, opere, fine, fundamento deprehenditur.

1. Objectum eſt vel *circa quod*, vel *cui* ſeu *pro quo*. *Objectum circa quod appropriatum* eſt Maria quà religiosè colenda & invocanda tanquam

noſtra

noſtra domina, *advocata*, *refugium* tutiſſimum in omni neceſſitate publicâ ac privatâ, ſpirituali & temporali, imprimis in horâ mortis & poſt mortem; idque per *merita* & *interceſſionem* ſuam. Hæc & longè magis exorbitantia, ſi quis ex Pontificiis probare velit, næ ille facem in meridie accenderet. Charta deficeret, ſi hic catalogum modo librorum texere inſtituerem. Aliquid antehâc præſtare conatus ſum in 3. *part. ſelect. diſpp. tit.* de Roſario, &c. *Objectum cui*, ſeu *pro quo*, vel collectivè, vel diſtributim conſideratur. *Collectivè* conſideratum eſt Romana ſeu Papalis Eccleſia, (quam Catholicam appellant) prout ea veris Chriſtianis & Catholicis opponitur, e. gr. *Albigenſibus*: quorum vera fides ac pietas (quam ſectam ſeu hæreſin peſtiferam appellant) particularis ac proxima fuit cauſa impulſiva Dominico ad fraternitatem Marianam & orationem Roſarii confugiendi, ut per merita ac interceſſiones *Mariæ*, etiam per ſancti Roſarii merita (hic ſtylus ipſorum) à tam indomitis malis Romana Eccleſia liberaretur: prout etiam per eadem merita aliquot Albigenſes converſos, reliquos devictos atque exſtirpatos fuiſſe gloriantur Autores modo citati: atque hinc factum quod ad exemplum primitivæ illius *fraternitatis Marianæ*, plures aliæ paſſim erigerentur. *Objectum cui diſtributim* conſideratum, communiter ſunt fideles (Papiſtæ ſcil.); ſpecialiter & appropriatè ſunt omnes fratres; ſpecialiſſimè fratres defuncti. Ideo enim ſocietatem illam ineunt atque erigunt, ut multorum ex pacto recurrentibus, ſtatiſque precibus & ſuffragiis poſt mortem juvari poſſint. Quomodo etiam erectionem fraternitatum commendare ac propugnare ſolent ex textibus. *Ubi duo aut tres congregati* fuerint, &c. *funiculus triplex non facile rumpitur.*

11. Opus earum principale aut primarium eſt *B. Mariam* orare (addito aut intercurrente ſubinde jejunio diei Veneris, aut Saturni) & religioſè colere, idque peculiari cultu inſtituto, & modo orandi, quem B. Mariæ *corollam*, aut *coronam*, aut *roſarium* appellant; quemque omnium gratiſſimum, & ad quævis impetranda efficaciſſimum deprædicant; quippe Dominico à Spiritu Sancto dictatum (ſi Bullæ *Pii* V. fides adhibenda), & ab ipsâ *Mariâ* per varias viſiones & apparitiones, *Alano*, *Sprengero* aliiſque amicis ſuis factas, probatum; tot tantiſque miraculis divinitus præſtitis, denique autoritate Papali univerſæque Eccleſiæ Romanæ confirmatum. Hæc omnia in bullis, indulgentiis, libris ſupra indicatis, ita explicata invenies: ut nemo de communi Eccleſiæ malignantium ſeu Romano-Papalis conſenſu amplius dubitare debeat. Huic primo & in primâ origine fraternitatis ſolitario operi (ſecundum ſpeciale ſcil. pactum, votum, promiſſionem, obligationem in primâ inſtitutione factam): poſtea adjuncta ſunt

alia quædam opera cujuſque fraternitatis erectioni ac ſtatutis inſerta, ut miſſarum, vigiliarum, proceſſionum, &c. celebrationes. Erant quidem pia ac religioſa hæc opera Papiſtis omnibus, ſive regularibus, ſive ſęcularibus communia, nihilominus à *Marianis fraternitatibus* ſecundùm numerum, modum, tempora, loca, perſonas, inſtrumenta, habitus, &c. inſtituto ſuo appropriata. Sunt autem opera illa, celebratio miſſarum, lectio & cantus vigiliarum, triceſimum, anniverſarium ſeu annua commemoratio defunctorum, laudes *Mariæ*, &c. Sic e. gr. certus numerus ſtatuitur orationum per ſalutionem angelicam, aut τὸ Pater noſter pro fratribus defunctus quotidie aut hebdomadatim, aut annuatim, aut in feſtis *Mariæ* exſolvendus. Pariter & numerus miſſarum pro defunctis curâ & expenſis fraternitatis exolvendus. *Modus* etiam definitur, e. gr. ut cantus ſint miſſæ, aut vigiliæ, &c. *Tempus* peculiariter orandi & laudandi *Mariam*, aut miſſas, officia divina, vigilias celebrandi definitur, anniverſarium, aut menſtruum, aut hebdomadale: e. gr. ut miſſa pro fratribuis defunctis hebdomatim die Mercurii dicatur aut cantetur, aut ut orationes Marianæ hebdomadatim die Veneris, aut Saturni (qui Papatui eſt Sabbathum Marianum, de quo extat peculiaris tract. *Auguſtini Wichmans*) recitentur. *Locus*, ut tali aut tali in templo aut ſacello aut fratres omnes & *ſorores ſacris* interſint, aut ut in tali templo coram altari *Mariæ* miſſæ pro defunctis fratribus celebrentur. *Perſonæ* variant, cum fraternitas ad ſacra peragenda peculiarem quem ſibi adſciſcit ſacerdotem, aut curatum, qui plerumque in fraternitate erigenda chorum ducat; aut cum indefinitè ſolummodo ſtatuunt, miſſas per ſacerdotem quem extra illam fraternitatem (pro re natâ ſcil. & pro illo tempore à fratribus ad hoc conducendum) celebrandas. *Inſtrumenta*, & *habitus* ſociales hujus Mariolatriæ variant numero, materia, forma, figura, adjunctis & appendicibus. Sic e. gr. imaginum, altarium Mariæ, &c. materia, ornatus, &c. pro cujuſque fraternitatis arbitrio & facultatibus oſtentantur. Similiter quędam cucullis, aliæ ſaccis ſe induerunt, nonnullæ etiam primam tonſuram adſciverunt. De vexillis, crucibus, ſymbolis, medaliis, idem dicendum.

III. Finis eſt vel operis, vel operantis. *Finis operis*, (juxta theologiam Romanam) ſunt honor *B. Mariæ* & promotio cultus ejus; ac per illud miſericordiæ divinæ imperratio, malorum in hâc vitâ averruncatio; præmii cœleſtis meritum; defunctorum in purgatorio levamen, & ex eo liberatio. *Finis operantis*, eſt vel primi inventoris Dominici, in primâ ab ipſo erectâ fraternitate; vel aliorum qui poſt illud tempus fraternitates ſuas erexerunt. *Ille* erat Albigenſium converſio & exſtirpatio. *Iſte* poteſt eſſe varius: pro variis hominum affectibus & ſtudiis. Negari enim non poteſt, quin

quin ambitionum, æmulationum, contentionum, factionum in Eccleſiâ & Republicâ, etiam ignavi otii, helluationum, compotationum ſtudia hic locum habeant.

IV. *Fundamentum* Marianæ fraternitatis ſicuti omnis contractus ſocietatis, eſt conventio, confœderatio, & mutuus conſenſus plurium in unum; ſcil. in electionem *B. Mariæ* tanquam ſpecialis Patronæ ſuæ, & in ſpecialem quendam modum ac ordinem Patronam illam tum ſigillatim tum conjunctim orandi ac religioſè colendi pro bono Eccleſiæ, & fratrum, imprimis defunctorum. Conſtat ergo ex objecto, opere, fine, fundamento, quæ ſit natura fraternitatum *Mariæ*, & in quo eſſentia ſeu ratio formalis earum conſiſtat. Ita ut talem earum deſcriptionem formare liceat: Sunt *pia & ſacræ confœderationes ſeu conſociationes ad certa opera pia ac religioſa pro animarum ſalute, ſpecialiter pro defunctis fratribus communiter privatim publiceque peragenda: idque ſub patrocinio & invocatione B. Mariæ, cui ſe & hyperdulicum cultum ſuum omnes & ſinguli fratres ex vi huius confœderationis offerunt, tradunt, devovent.* In hâc deſcriptione generis locum obtinet, *Confœderatio ſacra ad certa opera religioſa* (Papalia ſcil. mox indigitanda), *pro fratrum, ſpecialiter defunctorum ſalute.* Differentiam ſpecificam facit, *invocatio & patrocinium Mariæ, cui ſe*, &c.

De genere, hoc eſt de naturâ ſeu eſſentiâ omnium confraternitatum in Papatu erectarum, neminem dubitare arbitror; & ſatis ſuperque cap. præced. hoc oſtenſum. Tantum ex abundanti hic probabo, eſſentialem & ſpecificam Marianarum differentiam conſtitutivam ex perpetuo ſenſu & praxi Papatus, jam indè à primâ erectione, uſque in hunc diem, eſſe eam, quam nunc aſſignavimus: ut tantò evidentius conſtet Marianas, aliis fraternitatibus in abominandâ idololatria per ſe ex vi erectionis & ſtatutorum cujuſque peragendâ, non cedere; ſed potius eas longè ſuperare & peccatum excellenter peccans facere. Probatur. §.4.

I. *Ex explicatione & profeſſione* Papatus per Doctores ſuos: ita ut hic artifici in ſuâ arte credendum ſit, & reo in ſua confeſſione: niſi ipſius rei notoreitas & veritatis evidentia contrarium ſuaſerit. Quid enim hic agant, velint, intendant, quid errante conſcientiâ teneant, quid aliis in theoriâ credendum in praxi peragendum imponant, ipſi explicare debent ac poſſunt. Sodalitates, (inquit *Wichmans in Brabantiâ Marianâ pag. 571. & 972.*) Mariam agnoſcunt *patronam & tutelarem Divam.* Idem inculcant omnes libelli & formularii de *fraternitatibus Marianis* Latino aut vulgari idiomate editi: quorum infra aliqui indicantur. Sed, ut compendium fiat, quæratur ex ipſis, an non primum inſtitutum & factum Dominici, ejuſque imitatio in fratris Marianis poſt annum 1200. uſque 1400. & deinceps erectis, hoc clamet: habebis confitentes reos.

II.

II. Ex ipſo titulo fraternitatum, qui dominium, & patrocinium Mariæ, & quidem κατ' ἐξοχὴν in Belgio, profitetur. Galli enim nominant à *noſtre Dame*, Hiſpani à *nueſtra ſennora*, Belgæ ab Onſe lieve Vrouwe / onſe lieve Vrouwen Broeders; & aliquando contractius Vrouwen-Broeders. Quos titulos dominium & patrocinium notare certum eſt, & ipſi ſic explicant, cum de hâc & quacunque aliâ fraternitate dicunt eſſe erectas & inſtitutas *ſub patrocinio*, aut *ſub invocatione*, e. gr. *Mariæ* aut *Catharinæ*, aut Apoſtolorum, &c. Vide bullam *Pii* 4. anno 1564. quæ eſt ipſius 90. ubi occurrit phraſis: *ſub invocatione* 12. *Apoſtolorum*.

III. Ex ipſis ſubſcriptionibus eorum, qui in fraternitates Marianas recipiuntur. Sic Marianæ Bruxellis ſe inſeruit *Ferdinandus Cardinalis*, Regius Belgii Hiſpanici anno 1635. gubernator, addens nomini *ſuo* hoc epithetum, *famulus Mariæ*. Et *Ferdinandus* II. Imperator in omnibus ſodalitatibus Marianis per Auſtriam, Hungariam, Bohemiam, Styriam, &c. nomen ſuum tanquam *virginei clientis* inſcribi voluit, referentibus Jeſuitis in *lib.* 3. Imaginis primi ſeculi *cap.* 12. *pag.* 421. Confer ibid. *cap.* 7. ubi nomina & ſubſcriptiones fratrum in ſæculo aut eccleſia illuſtrium exhibent.

IV. Ex particularibus erectionibus & ſtatutis quarumvis fraternitatum Marianarum, ſive ſolo generali illo nomine, ſive inſuper addito ſubtitulo aut cognomine ſpeciali inſigniantur, e gr. annuntiatæ, de ſeptem doloribus, de ſuffragio, immaculatæ conceptionis, &c. Nec ullum poteſt dari diſſimile exemplum. De fraternitatibus, in eccleſiis & ſub præfecturâ regularium, Dominicanorum ſcil., Minoritarum, Carmelitarum, Ciſtercienſium, &c. nulli dubium eſſe poteſt, proſtant enim ipſorum annales & libelli fraternitatum ab illis dependentium, & *Hensbergii*, ac *Coppenſteinii* origines ac defenſiones. Sed forte quis dubitare velit de antiquis *Marianis* in eccleſiis ſæcularibus. Cui erectiones & praxim celebrium quarundam opponimus; & cum non poſſit dari diſſimile exemplum, concludimus id de omnibus, nec ullam in mediâ ἀκμῇ Papatus, & Mariolatriæ, tanquam veritatis teſtem catalogo Illyrici, aut Pleſſei Myſterio iniquit. inſerendam, excipi patimur: niſi disertè hoc ex erectione & ſtatutis ejus probetur. Hoc ubi factum fuerit, tum illam, aut illas tanquam exemtas à communi idololatriâ agnoſcemus. Nos, quod promiſimus, jam præſtamus. *Gul. Eiſengrein in chronologiâ urbis Spirenſis pag.* 38. refert in cathedrali eccleſiâ eſſe tripartitam fraternitatem Marianam: quarum una dicatur *ſuperior* ſeu *prior B. virginis*, altera *minor B. virginis*, tertia *fabrica Mariæ virginis*. De prima ſic ibid. ἱστορεῖ: omni feriâ quatuor temporum

„ rum (quam angariam vocant) vivorum orationibus perficitur : cum ſo-
„ lenniore ſacrificiorum oblatione, debitâque ſepulcrorum viſitatione,
„ peccata mortuorum ſolvuntur. Peragitur quoque peculiaris omnium fra-
„ trum & ſororum ſingulis ſeptimanis, dum de B. virgine ſacratiſſimæ divi-
„ norum operum laudes perſolvuntur. Altera minor vocitata. Quâ mor-
„ tuis auxilium ferendo, quotidie preces pro ipſis offerendo, ut tandem
„ ſacrâ oblatione, ſupplicationibus, eleemoſinis adjuti, mortuorum ani-
„ mæ delictorum & refrigerii veniam impetrent. Tertia vero fabricæ, &c.
„ binis anni temporibus exequenda. In vigiliâ namque annuntiationis cum
„ majoribus vigiliis & defunctorum oblatione; & in profeſto nativitatis
„ inviolatæ Dei genetricis, cum ipſius incruenti facrificii devotiſſimâ ce-
„ lebratione, Chriſti fidelium demortuorum animabus ſubvenitur. Maria-
na in hâc urbe erecta anno 1398. in eccleſiâ parochiali Gertrudis, inde-
pendenter ab omni ordine monachorum finem ſuæ erectionis præmittit,
participationem gratiæ & amicitiæ divinæ, propter *interceſſionem* (belgicè
overmits bedinge) & *meritum B. virginis.* Opera ad quæ ſe obligant, ſunt
iſta, ut celebretur miſſa pro defunctis per ſacerdotem ſuum coram altari
„ *B. Mariæ* ſingulis diebus Mercurii, in *honorem & dignitatem* B. virginis.
„ Ut defuncto aliquo fratre omnes fratres mane & veſperi interſint vigiliis.
„ Ut in quinque veſperis ſeu vigiliis B. virginis omnes interſint primę miſſæ
„ cantandæ in honorem Dei & B. Virginis. In feſto enconiorum veſperi
„ cantabitur vigilia novem lectionum, & tempore matutino miſſa pro fra-
„ tribus & ſororibus defunctis. Alia quædam Mariana in hâc urbe in paro-
chiâ Nicolai independenter erecta anno 1385. ſtatuit, ut omnes fratres ſub
multâ pecuniariâ, ſingulis diebus lunæ conveniant in templo Nicolai *ad*
„ *altare noſtræ dominæ, ut ibi juvent cantare miſſam noſtræ dominæ ad ho-*
„ *norem Dei & noſtræ Dominæ.* Similiter die omnium ſanctorum, & quin-
„ que feſtis Mariæ, miſſis noſtræ dominæ canendis aut legendis intereſſe
„ debent. Singuli fratres quotidie recitabunt duo *pater noſter* & duo *ave*
„ *Maria*, ad *ſolatium, auxilium*, gratiam vivorum & defunctorum. Inſu-
„ per defuncto aliquo ex fratribus, vivi eodem anno, quo obiit, in tem-
„ plo Nicolai dominicâ poſt feſtum omnium ſanctorum vigiliam, poſtridie
„ miſſam celebrabunt. Singuli etiam pro fratre defuncto per animum &
„ conſcientiam ſuam unam miſſam de propriis ſuis bonis recitari cura-
bunt. Hęc ex originalibus inſtrumentis erectionum. Mariana ſeptem do-
lorum præſcribit fratribus ſeptem *Pater Noſter* & *Ave Maria* hebdoma-
datim ſemel aut bis recitanda cum meditatione ſeptem dolorum Mariæ,
ut poſſit particeps fieri meritorum tum fratrum qui nunc ſunt, tum eo-
rum qui unquam in hac fraternitate fuerunt. Adhęc officium & miſſam

 ſeptem

ſeptem dolorum quotannis ſtato die, & duplex anniverſarium pro defunctis, miſſas etiam in proprio fraternitatis ſacello celebranda. Hæc aliaque compluria ad idololatriam Marianam ſpectantia, quia legi poſſunt in libro *Joh. Deſperſin Tornaci* anno 1642. edito, pluribus non perſequar. Marianæ Sylvæ-ducenſis, quæ anno 1318. in eccleſiâ Johannis Euangeliſtæ erecta dicitur, *Formam erectionis* præpoſiti dictæ fraternitatis libello anno 1506. Latinè edito, ſic proponunt: Univerſis & ſingulis Chriſti fidelibus, & præſertim de fraternitate ſeu gildâ beatiſſ. virginis Mariæ in eccleſia ſancti Johannis Euangeliſtæ in oppido de buſcoducis, fratribus & ſororibus ubilibet locorum commorantibus & conſtitutis. Prępoſiti dictæ fraternitatis ſalutem fraternam & infraſcriptis fidem indubium adhibere. In dictæ noſtræ dominæ digniſſimę genetricis Dei ejuſdemque geniti honorem confratrum conſororumque propagationem prædeceſſores noſtri ſemper ſolliciti, ab initio videlicet dudum in anno domini milleſimo trecenteſimo decimo octavo, fraternitatem ſeu gildam cantandi, legendi & divina celebrandi officia ſtatuerunt & erexerunt, dictæque fraternitatis conceptam erectionem per reverendiſſ. Patres Adolphum Epiſcopum (Leodienſem ſcil., cui eccleſia Sylvæducenſis, cum eccleſiis totius territorii Sylvæducenſis & vicinis aliquot Hollandiæ eccleſiis *ſuberat*, uſque ad introductionem novorum Epiſcoporum in Belgio a. 1564.) & Neapolium de filiis Urſi, archidiaconum Leodienſem, ac venerabilem dominum *Wilhelmum* inveſtitum eccleſiarum de Orthen & de buſcoducis canonicè dependentium confirmari legitimè procurârunt. Deinceps ſubjiciunt, quod eandem fraternitatem à Papis Martino 4. & Eugenio autoritate Apoſtolicâ confirmari ſupplicârunt & impetrârunt. In ſupplicatione ad Eugenium referunt quod nonnulli clerici & utriuſque ſexus laicales perſonæ fratres & ſorores nuncupati fraternitatis ſeu gildæ *B. Matia* in eccleſia *S. Johannis* Euangeliſtæ fecerint & procuraverint & de facto procurent *jugiter cantari dici & celebrari annuatim primas & ſecundas veſperas, matutinas & miſſas in ſingulis* feſtivitatibus *B. Mariæ*, ac *veſperas* in ſingulis Martis, & *miſſas* in ſingulis Mercurii diebus de *eâdem virgine*: nec non pro vivis & *defunctis vigilias & miſſas* quater in anno certis ad hoc ſtatutis diebus, *cum magnâ ſolennitate.* Paulo ante partem aut adjunctum illius ſolennitatis aperuerant, *cum cantoribus arte muſicali imbutis*, quos conducunt. In ſequentibus refertur jejunium hebdomadale diei Saturni ab *Innocentio* VIII. impoſitum, à Paulo II. Julio II. ad ſupplicationem fratrum paululum mitigatum; aliaque iis conceſſa & indulta circa confeſſionem & electionem confeſſarii, etiam ex regularibus ſeu Monachis; etiam indulgentias aliquot conceſſas à Cardinalibus, epiſcopis, & prę latis; Et

partici-

participationem ordinis; hoc eſt, *omnium bonorum*, *miſſarum*, *jejuniorum & omnium aliorum beneficiorum*; quæ in univerſo ordine prędicatorum fiunt, conceſſam omnibus fratribus & ſororibus per *Leonardum de Florentiâ* generalem ordinis prædicatorum magiſtrum. Atque hęc opera dictæ fraternitatis: quę uberius explicata, in nonnullis facta auctiora, denuò confirmata per *Erardum à Marcâ Epiſcopum Leodienſem*, videre eſt in libello Belgico Fraternitatis *Marianæ* Sylveducis excuſo quem in Latinam linguam converſum alibi integrum exhibemus, in libro apologetico pro judicio de illâ fraternitate tit. *Specimen aſſertionum*, &c.

Affectiones Marianarum, ſi cum aliis fraternitatibus comparentur, ſunt antiquitas, multitudo, univerſalitas, privilegia, externus ornatus, independentia, dignitas & eminentia. §. 5.

I. *Antiquitas*: quia jam inde ab anno 1200., celebres eſſe cœperunt. Quin & Florentiæ una fuit Mariana omnibus vetuſtior & præſtantior, quæ circa annum 1150. præter propter, initium habuiſſe putatur, ſi Archangelo Gianio in annalibus Monachorum Servorum *B. Mariæ lib. 1. cap. 2.* credendum ſit: ſaltem inſtaurata & reformata fuit anno 1283. & ſocietas *laudantium* B. V. M. appellata; quippe cujus fratres ad virginis laudes decantandas in Eccleſiam ſuam convenirent. Sed hæc privata magis fuiſſe videtur, nec à Sancto aliquo (quales Dominicus) per revelationem & ad mandatum Mariæ inſtituta. Fraternitas Romana ſub aliâ denominatione, ſcil. *defunctorum*; cujus meminit *Baronius* anno 984. §. 5. admodum obſcura aut embryo ſolum fuit, aut abortus: nec aliquo modo certum, an unquam in rerum naturâ exſtiterit. Nemo enim adducitur, qui ejus meminerit, præter tabulam in Diaconiâ SS. Martyrum Coſmæ & Damian. Baronius tamen ipſe huic tabulæ hoc epiphonema adjicit: *Hæc ibi, ſed mendosè nonnihil*, &c. Quidquid fuiſſet de illâ fraternitate Epiſcoporum & Sacerdotum, ſaltem non fuit Mariana, nec Laicorum.

II. *Multitudo* & multiplicatio, quod ad fratrias, & fratres ſingularum; hoc de tribus earum periodis ſic probamus. *Prima* periodus inchoatur, jam inde à Dominico. Atqui complures poſt erectum à Dominico vexillum ſubitò per Europam paſſim collectas, inde conſtare poterit, quod ante annum 1233. Florentiæ (teſte Gianio ex antiquis Florentinorum monumentis) plura ſub titulo B. Virginis Mariæ ſodalitia habita fuerint. Quodque ex uno iſtorum reliquis ibidem pręſtantiori, orta ſit religio ſervorum *B. Mariæ* anno 1233. ſub *Gregorio* IX.; qui B. Virginem vehementer coluit, inſtituendo, ut τὸ *Salve Regina* in Eccleſiis caneretur; inſuper confirmando ordinem equitum Marianorum, & ordinem *S. Mariæ* de mercede pro redimendis captivis. Saltem hinc progreſſum myſterii iniquitatis in ido-

 lola-

lolatriâ Marianâ ex parte deprehendere poſſumus. Annum hunc, inquit „Gianius, *cap.* 1. annum hunc 1233. ad deiparæ Virginis excitandos ſer„vos electum, non defuerunt, qui felici ominatione *annum alleluia* nuncu„parent, alii *annum jubilationis*; alii verò *annum generalis Religionis* eâ „ratione dicerent, quod multa tunc ſodalitia, plures congregationes, va„rii religioſorum cœtus ad Dei gloriam, ejuſque matris honorem excita„rentur, quorum hortationibus & exemplis urbes frequenter ſanctiſſimis „precationibus luſtrabantur, viri pœnitentes ſibi peregrinationes paſſim „eligebant, &c.

Secunda periodus poſt novam revelationem & excitationem B. virginis Alano ab Inſulis & Sprengero factam ab anno 1475. fraternitatum eximium augmentum dedit: confluentibus ad eas plebibus; & accedentibus Imperatoribus, Principibus, Magnatibus: quorum nomina apud *Coppenſteinium*, *lib.* 3. *cap.* 9. & in libellis publicis quarundam fraternitatum, eduntur. Ante tempora reformationis Eccleſia alicujus nominis & frequentiæ in Belgio noſtro vix inveniri potuiſſet, in quâ fratria aliqua Mariana caput non extuliſſet. Noſtra Ultrajectina intra muros 58. fratrias numerabat; & in iis octo Marianas.

Tertia periodus eſt à tempore reformationis, *ſeu mavis à natalibus So*cietatis Jeſuiticæ, quâ clades multarum fraternitatum à reformatione paſſim illata tantâ aliarum ſuſcitatione compenſata fuit, ut meritò dubites, an non Papatus plures lucratus ſit, quam perdiderit. Vide ſocios de hoc triumphantes; *lib.* 3. Imaginis primi ſæculi *cap.* 7. *pag.* 358. & *cap.* 12. oratione 3. *pag.* 418. & 6. *ſeqq.* Inſtitutionem, propagationem, fructus ſodalitatum Mariæ (quas etiam *ſocietates* & *ſodalitates Parthenicas* appellant) grandiſonis modis pompant. In utriſque Indiis & in Japoniâ innumeras fere Marianas ſodalitates conſtitutas & ab uno *Gregorio Ciſcero* trecentas, in annalibus ſuis ſcriptum gloriantur p. 420. Per totam Europam, imprimis etiam per Belgium omnia impleta ſunt ſodalitatibus, quibus literati, principes, nobiles, ſenatores, judices; cujuſvis ordinis & ſtatus homines, adſcribuntur pag. 361. quid, quod *militum*, *quid quod agreſtium*, *quid quod reorum damnatorumque ad triremes & mendicabulorum inita ſunt ſub Mariæ nomine ſocietates?* Tanquam portentoſum quid referunt, pag. 421. de Imperatore *Ferdinando* II. quod in omnibus ſodalitatibus Marianis per Auſtriam utramque, per Hungariæ Bohemiæque regna; per Stiriam, Carinthiam, Carniolam, ſe impartierit, & in ſingularum tabulis inſcriptum legi voluerit *Ferdinandum ſecundum Virgineum clientem. Nec ſuarum contentus ditionum tabulis, provinciis etiam remotiſſimis ſupplicavit? Belgio imprimis noſtro, cujus ultimis in finibus celeberrima congregatio Duacena Fer-*

di-

Digitized by Google

dinandi adſcripto nomine etiamnum gloriatur; pag. 422. crepant imperatrices, reginas, principiſſas, antiſtites ſacrorum, nuntios Pontificios, patres purpuratos, in tabulas Parthenias relatos. *pag.* 362. ſic de *Ferdi-* „ *nando* III. Cum igitur, inquiunt, ſodalitatis album ei fuiſſet, ut juſſe- „ rat, oblatum, in quod referri ſolent *qui ſe Diva in clientes & ſervos* „ *perpetuos conſecrant, quique eam amare ut matrem, obſervare ut reginam* „ *& Dominam*, colere ut cœli terræque moderatricem profitentur, his ver- „ bis ipſe ſe voluit inſcribere.

„ ILLIUS EGO COETUS SUB INVOCATIONE TUA
„ CONGREGATI
„ AUGUSTISSIMA MARIA
„ ME LIBENS ET MERITO UNUM PROFITEOR:
„ TIBI EGO ME, MEOSQUE CONJUGEM AC LIBEROS,
„ TIBI ROMANUM IMPERIUM, CUI ME DEUS PRÆFECIT,
„ TIBI REGNA A MAJORIBUS ACCEPTA,
„ TIBI TUTELÆQUE TUÆ POPULUM ET EXERCITUS MEOS
„ TIBI TUOQUE FILIO MILITANTES
„ COMMITTO.
„ TU ME IN TUUM ADMITTE,
„ QUI FILIO TUO, QUI TIBI, QUI UTRIUSQUE HONORI
„ VIVO, REGNO, PUGNO.
„ TUUS IGITUR EGO ERO
„ MARIA,
„ TUI ERUNT QUICUMQUE MEI,
„ TUA ERUNT DITIONES ET REGNA MEA ET IMPERIUM,
„ TUI POPULI ET EXERCITUS:
„ TU EOS PROTEGE, TU EIS VINCE,
„ TU IN EIS REGNA ET IMPERA,
„ ITA VOVEO
„ M. DC. XL.
„ TUUS PIETATE ET JUSTITIA
„ FERDINANDUS.

Non enoto hic exercitia devotionum, operum caritatis, ciliciorum, jejuniorum, crudelium flagellationum, item immenſos harum ſodalitatum,

& religionis *Marianæ* fructus. Velim lectores, quibus otium eſt, percurrant *lib. 3. cap. 7. & cap. 12. orat. 3. pag. 418.*

III. *Universalitas.* Aliæ enim ab aliis patronis atque idolis denominatę præ Marianis ſunt topicæ ſeu endemiæ: ſaltem rariores, ſi quę fuerint, epidemicæ. Quotidie etiam novæ non ita emergunt, uti antehac ſolent. Præterea homines aliis fraternitatibus & antiquæ conſuetudini innexi ſi ſint, paucos tamen invenies Papalis idololatriæ zelotas, qui inſuper Marianæ ſocietati ſe non inſerant. Et ratio adamantina hoc ſuadet: ſiquidem in Dictionario Jeſuitico (apud Scribanium in vitâ Lipſii) ſynonyma ſunt, eſſe *Marianum* & *Chriſtianum*: quod in *Specimine Excerptorum*, notavi.

IV. *Privilegia, immunitates, præcedentiæ, indulgentiæ*, Marianis ſupra alias, ſub quacunque denominatione indulta, in *Coppenſteinio*, Anonymo Autore *Roſeti*, libellis fraternitatum infrà nominandis, *legi poſſunt* ab iis, qui iſtorum ὑπερόγκων τῆς ματαιότητος curioſi ſunt.

V. *Externus ornatus* tonſuræ, cucullorum, ſaccorum, inſignium, ſymbolorum, medaliorum, uti variat, ſic ex variis particularium fraternitatum erectionibus, ſtatutis, libellis cognoſci debet.

VI. *Independentia* à Papæ exſerto conſenſu quod ad primam erectionem, & ab Epiſcoporum ſpeciali inſpectione ac viſitatione, quod ad continuam ſucceſſionem, eſt omnium earum in generali, & hujus aut iſtius in particulari proprium; non quidem quarto, ſed primo aut ſecundo modo: convenit enim fraternitati Marianæ, ſed non omni; quia erectæ in Eccleſiis regularium dependebant ab ordine illo Monachorum, tum quod ad primam erectionem, tum quod ad continuationem: independentes tamen erant à viſitatione Epiſcopali. Rurſum convenit Fraternitatibus ſæcularibus, quod ad Epiſcopalem viſitationem: non convenit autem ſolis Marianis, ſed æque aliis omnibus ſub cujuſcunque patroni invocatione. Quæ tamen poſt annum 1568. haut parum mutata ſunt, uti ſuprà *cap. præced.* notavimus. Mutationis ejus primum (uti opinior) ſpecimen datum Ultrajecti anno 1569. cum Epiſcopus per Florentium *Hermale* officialem ſuum omnes fratrias in Eccleſiis ſæcularibus & regularibus viſitaret.

VII. *Dignitas & eminentia* earum prę omnibus aliis fratriis Sanctorum ab Alano de Rupe aſſeritur, & in immenſum à *Coppenſteinio lib.* 3. de fraternitate *Roſarii cap.* 14. exaggeratur: ubi recenſet 25. incomparabiles prærogativas ipſi proprias, & 25. communes aliis Marianis, ſed ita, ut modo quodam ſingulari cernantur in fraternitate Roſarii. Ibidem *cap.* 15. ex Alani libro de dignitate Pſalterii B. M. V. *cap.* 17. enumerat 30. fructus hujus fraternitatis: unde excellentia ejus colligitur. Certè ſi ſolum objectum hujus

Digitiz

hujus fraternitatis, B. ſcil. Virgo (qualis illa & quanta in Papatu habetur) ſpectetur, non poteſt non ipſis ſuo ſenſu eſſe digniſſima; & nobis quod ad idololatriam excellentiſſima, quippe in quâ peccatum illud & conſequenter Chriſtianiſmi & Euangelii abnegatio excellenter peccahs eſt: ità ut ad conſpectum & recordationem ejuſmodi idololatricæ confœderationis animus noſter meritò horrere debeat. *Cornelius à Lapide in Proverb.* 8. *v.* 12. ea quæ illic æternæ ſapientiæ ſeu τῷ λόγῳ ęterni patris tribuuntur, myſticè & aptè congruere dicit B. Virgini, *primo*, quia ipſa præeſt in conciliis & piis *congregationibus ipſius nomine & honore erectis*, &c. inter quas excellentiæ causâ deſignat ſodalitatem Roſarii, & Confalonis in Baſilicâ S. Mariæ majoris Romæ. Plura de ſodalitatum B. Virginis erectione, uſu, fructu, numero, ſplendore legenda monſtrat apud Jeſuitam *Ant. Spinellum in Mariali cap.* 40. *Secundo*; quia pręeſt ſanctis cogitationibus & conſiliis de vitâ emendandâ, &c. & *à Lapide* allegat ibid. ſuam experientiam, & Platum de bono ſtatus religioſi *lib.* 1. *cap.* 24. *Tertio*, quia pręeſt eruditis & eruditioni. Hiſce ex eorum ſenſu addere poſſumus, ideo Marianas eſſe digniſſimas, quod proprius accedant ad perfectum religionis, hoc eſt, Monachorum ſtatum; quod inſigniori quâdam ratione demonſtrare voluerunt illæ fraternitates, quæ in proceſſionibus aut in exequiis ſacco aut cucullo ſe induebant, aut cucullum loculis defunctorum imponebant, quoties fratrem aliquem ſepeliebant. Specialiter ad eos Monachos propius accedunt, qui ex profeſſo Servitæ ſeu Servi B. Marię nominantur. Quorum officia Mariana, originem, progreſſum, celebritatem deſcribit Gianius in annalibus iſtius Ordinis: ubi 137. monaſteria ab anno 1234. uſque ad annum 1433. in Occidentalibus partibus fundata commemorat. Nec prætereundum, ad dignitatem facere, quod B. Virgo quæ juſſit Dominico fraternitatem ſuam inſtituere, eadem Ordines Monachorum *Carthuſ.*, *Carmelit.*, *Franciſcan.*, *Dominican.*, *Hieronym.*, *Jeſuitarum*, *Olivetanorum* excitavit. De quo videndi *Platus* & à *Lapide locc. citt.* Et *Coppenſteinius lib.* 2. *cap.* 6. ubi oſtendit pręrogativam, quod ſola orta & inſtituta ſit ab aliquo fundatore Ordinis religioſi, ac proinde Autori ſuo quam ſimillima eſſe ſtuduerit.

Diſtinguuntur Marianæ Fraternitates, non quidem eſſentiâ, formâ, *§.6.*
ſpecie, aut principali aliquâ parte, actu, opere, ſine: ſed tantum acceſſoriis quibuſdam, aut externis & circumſtantialibus adjunctis, gradibus, titulis. Sit ergo.

I. *Diſtinctio. Aliæ* ſunt communes fraternitates: aliæ archiconfraternitates, ut celebris illa Romana dicta *Recommandatorum & Confalonis*; Mariæ de monte Carmelo, Mariæ de Suffragio. Eodem titulo inſignitur frater-

ternitas S. Roſarii à Flavio Cherubino in compendio Bullarii, in Indice; & in Enchiridio ejuſdem fraternitatis Belgicè edito Lovanii, anno 1637.

II. *Aliæ* ſunt independentes ab aliquorum Monachorum ordine: aliæ dependentes, idque vel ab initio primæ ſuæ erectionis, vel per reductionem aut ſubmiſſionem, aut incorporationem poſtea factam. Hic notandum Regulares quoſdam ex privilegio Fraternitates laicorum *erigere poſſe*: inter quos Minores de Obſervantiâ: teſte Cherubino in Compendio bullarii *tom.* 2. *pag.* 115.

III *Aliæ* communi titulo & nomine contentæ ſunt: quales in civitatibus & vicis ſeu pagis non paucæ præſertim in Eccleſiis ſęcularibus habentur. In hâc urbe antehâc tales pleræque fuerunt, in parochialibus ſeu ſæcularibus eccleſiis. *Civili* (Bueren-Kerck) tres Marianę, inter quas una Dominę noſtræ de auxilio. In *Jacobi* una noſtrę dominæ de auxilio: *In Geertrudis* una confraternitas noſtræ dominæ fratrum & ſororum: *In Nicolai*, una noſtræ dominæ de auxilio. Ita ut nullæ fuerint in ţemplis regularium utriuſque ſexus, præter unam in templo Prędicatorum, & unam in templo Minoritarum. Confraternitates Annæ, quæ ſimul erant ſub patrocinio & invocatione Mariæ, (uti infra oſtendetur), Ultrajecti erant quatuor: ex quibus una in templo Catharinæ analogici Monachatus, *equitum Johannitarum*; tres reliquæ in ţemplis parochialibus; quarum una in templo *Nicolai* erat ſodalitas ſexus fęminini, titulo *S. Anna* Suſterſchap. Reliquæ piæ & religioſæ fraternitates celebrabantur ſub patrocinio, invocatione, nomine Trinitatis, S. ſpiritus, *S. Crucis*, *Sacramenti*, *Antonii*, *Geertrudis*, *Agatha*, *Barbara*, *Evaldi*, *Huberti*, *Stephani*, *Magdalena*, *Servatii*, *Jacobi*, *Elizabetha*, *Judoci*, trium Regum, *Adriani*. *Sebaſtiani*, Animarum (belgice Siel-Broeders), *Rochi*: de quo poſtremo ſancto non-ſancto egi in 3. *part. ſelect. diſpp. tit.* De ſanctis chimæricis. Ad has refer Spirenſem triplicem: de quâ ſuprà. Confer *Wichmans Brabant. Marian.* *Aliæ* inſuper cognomen aliquod, ſeu ſubtitulum aut contitulum adjungunt. Cognomen illud ſeu contitulus eſt vel topicus, ſeu localis; vel pragmaticus ſeu officialis; vel proſopicus ſeu perſonalis. 1. *Ille* deſumitur à loco, delubro, imagine Mariana: e. gr. Fraternitas Mariæ Lauratanæ, & Oetingenſis apud Helveticos. 2. *Iſte* deſumitur à pragmatiâ peculiari cultus & officii Mariani: e. gr. B Marię de S. Roſario, quæ & *coronia* dicitur: ſicuti prædicatores inde dicti *coronarii*. Quamvis enim roſarii cultus communis omnibus Marianis (non completur enim cultus Dei & Mariæ ſine Roſario); tamen appropriatè tribuitur Roſarianæ apud Dominicanos, quia roſarium & fraternitas juſſu Mariæ ſimul à Dominico inſtituta. Ex hâc Fraternitate roſarii ſæculo XIII. plures enatæ ſunt, quas fi-

liat

lias ſeu filiales appellant; quales *S. Crucis*, *Sacramenti*, *Nominis Jeſu*, *Miſericordiæ*, *pacis*, *Salve Regina*, *S. Annæ*. Vide hanc genealogiam contextam & probatam apud *Coppenſt. lib. 2. cap. 12.* Ad Marianas pragmatici ſeu officialis ſubrituli ſeu cognominis refer fraternitatis B. Mariæ, de *ſcapulari*. Hic ſubtitulus, ſeu hoc cognomen deſumitur, vel à perſonâ ipſius Mariæ, & perſonalibus actionibus aut paſſionibus ipſius, e. gr. Fraternitas B. Mariæ *de Suffragio*, *De ſeptem doloribus*, *De gaudio*, *de auxilio* (Belgicè ons Lieve Vrouwe ter noot / aut ter noot Gods) *Immaculatæ conceptionis*, *Annunniata*, quæ etiam *Parthenica*, & *Angelica* dicitur, &c. vel à perſonis aliis e. gr. S. S. Angelorum, & Marię *ac matris ejus Annæ*, (mater enim *Maria Anna* ipſis vocatur:) qualis Ultrajecti in templo Catharinæ erecta a. 1505. *ac ſponſi ejus Joſephi*; de quâ libellus Belgicus: *Jeſu Chriſti*, & *Mariæ*; de quâ *Coppenſteinius lib. 2. cap.* 8. De omnium iſtarum Marianarum particulari origine, ſtatutis, privilegiis, indulgentiis, &c. ex libellis ſingularum cognoſcendum.

Conſectar. 1. Ut nullæ differentiæ accidentales aut circumſtantiales variant ſpeciem, nec ſpecificæ variant genus; ſic denominationes aut cognominationes diverſæ Marianarum non variant eſſentiam aut rationem formalem affectari patrocinii Mariani, & in cultum idololatricum Marianum, nominatim pro fratribus defunctis, conſpirationis ac mutuæ obligationis: ſub quo tamen & ad quem omnes fraternitates Marianæ jam inde à tempore Dominici in Papatu erectæ ſunt.

Conſectar. 2. Fruſtra ergo pro alicujus aut aliquarum Marianarum exemtione à vincente (ſæculo 12. & 13.) papalitate in Occidente, & ab abominandâ idololatriâ Marianâ, roſarii, horarum, vigiliarum, miſſarum pro defunctis, &c. laboratur: quod ſcil. ſimplici & communi nomine inſignitæ, & in Eccleſiis ſæcularibus independenter ab ordinibus & Eccleſiis Monachorum celebratæ ſint. Tantundem enim valet illud effugium, ac ſi quis Monachatum Franciſcanum, aut Jeſuiticum, &c. tueri aut excuſare velit, quod non ſit Dominicanus, aut Ciſtercienſis, &c. Sed de hoc agimus in *Specimine excerptorum*, ubi diſcutimus fabulas de fraternitate quâdam Mariana, Sylvæ Ducis, quam ingreſſi erant, & in cujus erectionem & ſtatuta reformati aliqui juraverant, conſultore aut approbatore theologo reformato.

Appendix Cap. 2.

Fraternitatum cujuſcunque generis aut ſpeciei exſtant libelli, qui cujuſque erectionem & ſtatuta ſuper modo & ordine exercitiorum & operum § 1.

 piorum

piorum continent. Quorum aliquos qui mihi ad manum ſunt, hic indico.

I. *Coppenſteinius* & *Michael* ab Inſulis ſupra citati ſunt.

II. *Officia confratrum Mariæ de ſeptem* doloribus gallice, autore *Johanne Deſperſin.* 1642. in 12..

III. *Confraternitas ſub nomine* & in honorem ſanctiſſimæ virginis Marię, ejuſque ſponſi *Joſephi*, inſtituta apud Carmelitas diſcalceatos Antwerpiæ, Belgicè in 16. 1627.

IV. *Pretioſus theſaurus fraternitatis* Roſarii in ordine Prædicatorum Belgicè in 8. Antwerpiæ 1609. ubi origo, inſtitutio, Officia, indulgentiæ, miracula, fructus recenſentur.

V. *Joh. Burgeſii* Societ. Jeſu de Bono Sodalitatis Partheniæ, & officiis ſodalis erga Patronam in 16. Antwerpiæ 1623.

Roſetum flagrantiſſimum (lege fragrantiſſimum) regalis divæ Chriſtiferæ illibatæ virginis Mariæ.

Titulus eſt libelli in 8. Jeſus Maria Anna ante annum 1500. excuſus: uti ex characteribus conjicio. Continet.

1. *Paraneſim* ad ſubeundam Fraternitatem roſarii.

2. *Inſtitutionem* & originem fraternitatis roſarum.

3. *Confirmationem* fraternitatis roſarii, & indulgentias. Pag. 7. Notanda hæc verba: confidenter dico, quod ille qui ex corde ad ſerviendum Mariæ in hâc fraternitate ſe obtulerit: finaliter non peribit. Anſelmus. Sicut à te averſus virgo Maria neceſſe eſt ut intereat, ſic ad te converſus impoſſibile eſt ut pereat.

4. *Adoptionem* moralem roſarii Mariæ.

5. *Indulgentias* 14000. annorum à Gregorio Papâ conceſſas quinque pater noſter dicentibus in honorem vulnerum Chriſti; Quam devotionem recitationis quinque pater noſter ſequentes aliquot Pontifices auxerunt brevibus quibuſdam precatiunculis una cum 5. pater noſter recitandis, & ſucceſſivè addiderunt indulgentias: *quarum omnium*, inquit autor, *ſumma eſt ut piè creditur* XCII. *millia* XXIV. *annorum* & LXXX. *dierum.*

6. *Orationem* B. Bernardi de dulciſſimo nomine Jeſu. *pag.* 15. poſt quam hos habet verſus. *Nullius Anna preces unquam dimiſit inanes. Sed tulit optatam candida ſemper opem. Ergo piam matrem multo cumulemus honore. Nullius vacuas quæ ſinit eſſe preces.* Sequitur oratio ad virginem Mariam. O dulciſſima virgo Maria, &c. Cui ſubjiciuntur ſequentes verſiculi. O Regina poli mater gratiſſima proli, Spernere tu noli, committo me tibi ſoli.

7. *Vinetum electiſſimum* de duodecim privilegiis ſanctæ Annæ. Quæ p. 17. enumerat.

„Pri-

„ Primum dicitur : amabilis prælectionis.
„ Secundum dicitur : notabilis præfigurationis.
„ Tertium dicitur : nominalis gloriationis.
„ Quartum dicitur : excellentis nobilitationis.
„ Quintum dicitur : reverentialis celebrationis.
„ Sextum dicitur : opulentis fructificationis.
„ Septimum dicitur : ſpiritualis ſolatii ſeu conſolationis.
„ Octavum dicitur : angelicalis viſitationis.
„ Nonum dicitur : irreprehenſibilis converſationis.
„ Decimum dicitur : divinalis cognationis.
„ Undecimum dicitur : imperialis imperationis.
„ Duodecimum dicitur : curialis cœleſtis venerationis.

8. *Alium ſermonem* notabilem valde de Anna matris (lege *matre)* Mariæ ſanctiſſimâ.

Huic ſermoni pag. penult. ſubjicitur diſtichon, cum oratione electiſſima de ſancta Annâ. Diſtichon,

Quod hic exhibeo : *Anna parens Jeſu Chriſti genetricis aveto. A nobis petimus omne repelle nephas.*

Cap. III.

Rationibus confraternitates impugnantur : & objectionibus atque exceptionibus reſutatis, ad quæſtiones aliquot reſpondetur.

Abſolutâ explicatione Confraternitatum, ſequitur earundem elenchum ὡς ἐν τύπῳ proponamus. Sit ergo contra eas, & ſpecialiter contra Marianas. §. 1.

I. *Argum.* Quæ formaliter nihil aliud ſunt quam conſpiratio aut confœderatio, immo & conjuratio propriiſſimè dicta (cum ſcil. juratur in erectionem & ſtatuta Fraternitatis; quod alicubi fit) in & ad malum; & cujus finis proximus & effectus formalis eſt mala communicatio malorum ſeu in malis : illæ ſunt malæ & illicitæ. Sed confraternitates ſunt tales. Ergo. De majoris veritate nemo Chriſtianus dubitabit : ne quidem homo rationalis, cui ſcintilla aliqua luminis naturalis & diſtinctionis inter honeſtum & turpe ſupereſt. *Minor* ſic probatur : Quæ conſpirant & conjurant in electionem & cultum idololatricum ſancti alicujus, imprimis B. Mariæ, tanquam Patroni, aut Patronæ, & Advocatæ, ſpecialiter per certas miſſas, vigilias, anniverſaria, officia demerendi aut demerendæ pro vivis & pro defunctis; & quarum effectus formalis eſt communicatio in

confeſſione auriculari cum ſequentibus, in preculis ſuperſtitioſis, in diſciplinis ſeu mortificationibus, in miſſis, in vigiliis, &c. omnibuſque ſatisfactionibus, meritis, indulgentiis: illæ nihil aliud ſunt quam confœderatio aut conjuratio in malum; & earum finis & effectus formalis eſt mala communicatio in malis. Sed verum prius. Ergo. *Minor* præcedenti parte demonſtrata eſt, tum ex propriâ & perpetuâ confeſſione Papatus (qui hic reus eſt); tum ex inductione quarumvis fraternitatum, præſertim Marianarum, jam inde à primis earum incunabulis, uſque in hunc diem: nec poteſt dari diſſimile exemplum. Quod ſi quis ſub Papatu aut extra eum, contra lucem factorum ad exemplum *Hugonis Grotii* ſub finem vitæ Papatum de Papatu in multis quæſtionibus negantis, hic tergiverſari vellet, cum eo amplius contendendum non eſt, non magis quam cum Philoſopho illo, qui nivis albedinem oppugnabat. *Major propoſitio* à noſtris ſatis ſuperque, & à nobis alibi probata eſt in elenchis idololatriæ Papatus & religioſi cultus Sanctorum, quem *dulicum*, & Mariæ, quem *hyperdulicum* appellant; & in controverſiis de purgatorio, ſuffragiis pro defunctis, feſtis, miſſis, vigiliis, templis, altaribus, proceſſionibus, peregrinationibus, pſeudo-mortificationibus, patronatibus & tutelis Sanctorum, ſanctis chimericis, ſatisfactionibus & meritis humanis, indulgentiis, Roſariis, litaniis, horis canonicis. Hoc primum argumentum ſufficit fraternitatibus illis, præſertim Marianis (à quibus idololatriæ, aliorumque malorum éxſuperantiâ omnes aliæ vincuntur) deteſtandis ac profligandis. Subjiciamus tamen ſequentia.

II. *Argum.* Quia dato cultum earum & exercitia pietatis, ad quæ ſe obligant, materialiter non repugnare verbo Dei (uti omnino repugnat) ſpecialis tamen illa confœderatio, ſub cujus formali publicè privatimque certa quædam & ſtata pietatis exercitia obſervant, multis modis repugnat. 1. *Quia* infertur arctior & peculiaris unio & communio quorundam ex voto & obligatione ſpeciali inter ſe ad communicationem cultus divini. Cum verbum Dei doceat ſolummodo votum cujuſque fidelis & fœdus inter ipſum ac Deum ſemel actum atque initum, perpetuò ſervandum; & ſæpius renovandum (quæ alibi in capp. de Votis & promiſſionibus, de praxi Reſipiſcentiæ, &c. explicantur;) adhæc inſitionem fidelis cujuſque in corpus Chriſti myſticum, hoc eſt Eccleſiam, & cum eâ confœderationem, unionem, communionem, quod ad ſpiritualia bona, dona, exercitia. 2. *Quia* conſequenter Eccleſiæ in Eccleſiâ eriguntur: quod non minus monſtroſum, quam cum Reſpublica in Republicâ erigitur. 3. *Quia* hâc ratione monopolium in gratiæ divinæ, & exercitiorum pietatis communione, mutuâ collatione, ac diſtributione introducitur: quod repugnat unitati, unioni,

unioni, communioni Eccleſiæ & Sanctorum, *Epheſ.* 4. *v.* 4. de quibus alibi ſuis locis. 4 *Quia* ſciſmata ſeu ſectæ formantur contra Eccleſiæ inſtitutę & bene ordinatæ unitatem: cum alius dicit ego ſum Pauli, alius ego ſum Cephæ, &c. contra 1 *Cor.* 1. Hoc argumento olim uſi ſunt, quicunque fuerint iſti teſtes veritatis contra novitatem fraternitatis Roſario-*Marianæ*; quos notant Alanus & Trithem. apud *Coppenſtein. lib.* 3. *c.* 18. Ex noſtris *Jacob. Gaultier* miniſter Archiacenſis in Galliâ tractatui ſuo Gallico anno 1642. contra fraternitatem ſacramenti Burdegalenſem edito, hunc titulum pręfixit: *Defenſio juris Eccleſiæ univerſalis contra prætenſiones fraternitatum.* Ubi cap. 1. contendit unitate & communione Eccleſiaſticâ, ad exemplum Eccleſię primitivę communem religionem & caritatem conſervari ac promoveri debere: minimè verò per ſegreges cœtus & confœderationes in Eccleſiâ ſub regulis, ſtatutis, & rectoribus ſpecialibus inſtituendas, quibus aliqui ſe elevent ſupra fratres ſuos.

III. *Argum.* Quia fratriæ ſunt ſemi-monachatus, & fratres medii inter Monachos & inter laicos ac ſæculares. Pleraque itaque argumenta contra ſeceſſiones & ſectas Monachorum à noſtris allata, Fraternitatum factionibus analogicè applicari poſſunt. Magnam enim hic eſſe cognationem ipſi Pontificii ſatis innuunt, cum quaſi votum emiſſum faciunt fundamentum fraternitatum: uti *ſect.* hujus *cap.* 1. ex *Zwarezio* oſtenſum eſt. Ex noſtris idem ſic concipiunt *Jacobus Gaultier cap. cit.* Hoſpinianus de Monachis *cap.* 25. *Daniel Tilenus* (tunc noſter) in Syntagmate *part.* 2. *cap.* 38. Idem evincet propior collatio Monachorum & fraternitatum, in objecto, opere, fine, fundamento. Ut nihil dicam de adjunctis cucullis & ſaccis: quibus inſigniti aliqui confratres, aliquando Monachorum ordines in proceſſionibus præcedunt. De quo vide contentionem & determinationem in Bullâ *Gregorii* XIII. anno 1583. quę eſt ipſius 84. Nec prætereundum quod in profectione Ferrarienſi *Clementis* VIII. anno 1598. deſcriptâ Italicè ab Angelo Rocca, primum Romæ, poſtea Venetiis excusâ, pag. 41. 42. 43. referatur, cum Româ egrederetur, præceſſiſſe corpus Chriſti cum cereis ardentibus *religioſos*, qui *confraternitates* appellantur, & omnes alios *religioſos* (id eſt Monachos propriè dictos) *omnium aliorum Ordinum.*

IV. *Argum.* Quia pertinent ad corpus Antichriſtianum & Eccleſiæ Romano-Papalis, cujus poſt Monachos & clericos principalem partem faciunt: adeo ut cohortes illas fratriarum idem ferè in militiâ Antichriſtianâ præſtare dicendum ſit, quod Janitzari & Spachii in militiâ Turcicâ. Quanti Papalis poteſtatis & idololatriæ tubicines ſint, quantos cleri irreformabilis (præſertim Jeſuitarum) Promachos, exploratores, delatores, ſe præſtent, docet experientia. Etſi charta pateretur, teſtimonia ex ſinu

Digitized by Google

Papatus, per *Henr. Sedulium*, *Coppenſteinium*, Jeſuitas in imagine primi ſæculi, *Wichmans*, *Iſid. Moſconium*, &c. prolata, exhiberi poſſent. Ex noſtris *Daniel Tilenus part.* 2. *Syntagm. cap.* 38. quod continet Diſp. tertiam de Antichriſto, *quæ eſt de ipſius corpore*, &c. §. 43. „ Eſt tamen „medium quoddam inter clericos & laicos genus devotorum ſæcularium, &c.

V. *Argum.* Quia per eas non tantum ſciſmata in Eccleſiâ, ſed & factiones in Politiâ concitantur ac foventur: teſte experientiâ. Et hæc ratio fuit, quod Tigurini ante tempora reformationis eas ſuſtulerint, teſte Hoſpiniano de Monachis *cap.* 25. Eadem fuit Concilio Colonienſi (mox infrà cit.) optandi, ut tollerentur. Hanc etiam inter alias rationem allegat Senatus Ultrajectinus in decreto ſuo, quo anno 1615. omnes confraternitates abrogabat, earumque reditus in honeſtos uſus convertebat; erigendæ ſcil. ſuſtentandæ, ac diſciplinandæ, ſive ad emendationem, ſive ad coërcitionem fraternitati tum malè feriatorum, tum otioſorum atque inutilium terræ ponderum in publico ergaſterio. Sanè laudatiſſimo exemplo: Hoc enim clauſtrario ſodalitio minuebatur numerus eorum, qui tantum numerus ſunt & fruges conſumere nati. Analogicè huc applicari poſſunt, quæ J. CC. apud *Tholoſanum lib.* 1. *cap.* 8. & *lib.* 13. *de Republ. c.* 2. 3. de Collegiis illicitis.

VI. *Argum.* Quia erectio ejuſmodi fraternitatum, ſpecialiter Marianarum; deſtituitur omni antiquitate, catholiciſmo, ſucceſſione: quam tamen alias ſuis novitatibus prætexere ſolet Papatus. Nec eſt quod ullam probationem hic moliamur, (quæ alioquin affirmantibus incumbit), cum habeamus confitentem, immo contendentem ipſum Papatum, pro natalibus earum incidentibus in tempora Dominici circa annum 1200.: quæ ipſiſſimam novitatem Papatus deſignant. Vide *Coppenſteinium lib.* 2. *c.* 3. 11. 14. 15. 16. 17. 18. 19. ubi primordia & ſucceſſionem deſcribit: Quod autem *lib.* 1. *cap.* 6. de fraternitate unâ atque alterâ quid referre videtur, quæ ſæculo 10. & 11. exſtitiſſent, infrà excutiemus. Confer, quæ de origine earum collegimus *part.* 2. §. 2.

VII. *Argum.* Accedat conſenſus teſtium veritatis in medio Papatu. *Joh. Weſſelus* dictus ſuo tempore lux mundi in tract. de communione Sanctorum, pag. 147. 152. edit. Marpurg. apud Egenolphum in 4. an. 1617. Michael de Inſulis in ſuâ oratione quodlibeticâ de fraternitatibus, non ſine publicæ autoritatis mandato & approbatione habitâ atque editâ Coloniæ anno 1480. apud Arnoldum ther Hurnem in 4. pag. penult. notat eos, qui tunc temporis inſtituentes & intrantes fraternitatem Roſario-Marianam ſiniſtrè dijudicabant: & eos, qui eandem ridebant, vel inutilem reputabant:

Digitized by Google

bant: denique eos, qui alios ab hâc fraternitate retrahebant. Sed à *CopPenſteinio*, *lib.* 3. *cap.* 17. 18. aperte, quas de Inſulis tacitè innuit, explicantur impugnationes fraternitatis Roſarii. Ubi *cap.* 18. ſic inchoat: *Spectaculum Deo & hominibus facta eſt fraternitas.* Et perſtringit ibid. fratrum *maſtyges corniculantes*, *obtrectatores lividos*, quos ait, *nec hodie deeſſe*: antiquos indice monſtratos ab Alano, Trithemio, Inſulano. Excerpit ibid. ex Alani Apologetico ad Epiſc. Tornacenſem *cap.* 22. objecta huic fraternitati; *novitatem* ſcil., *præſumptionem*, *ſuperſtitionem*, *diviſionem*, *ſciſma*, *& turbationem communicatum: phanthaſias eſſe & ſomnia*, quæ de revelationibus pro fraternitate referebantur. Ibidem objecta ex Trithemio exhibet: quod fraternitates illæ Roſario-Marianæ eſſent: 1. Superſtitio„ſæ. 2. Quod fidem Catholicam redderent infirmam. 3. Debitum Deo „cultum ſubtrahunt. 4. Obedientiam Eccleſiarum Parochialium con„temnunt. 5. Oblationes conſuetas ac debitas ſuis Sacerdotibus negant. „6. Monachis & fraternitatibus ſuis copioſa munera offerunt. 7. Eccleſias „ſuas matrices vacuas & ruinoſas derelinquunt. Idem *cap.* 17. deſcribit patheticè nec minus ridiculè attentationes ſuorum indirectas & directas contra fraternitatem. Concilium Colonienſe ſub Archi-epiſcopo Hermanno anno 1536. habitum *part.* 9. *cap.* 9. *can.* 21. dicit eas ſpeciem pietatis habere, ſed clericos & laicos potiſſimum comeſſationibus & ebrietatibus vacare, interdum etiam intentos eſſe variis conſpirationibus ad„verſus poteſtates: quas propterea omnino ſublatas malint, ac reditus ſeu „cenſus earundem vel in uſus pauperum, vel parochi expendi, &c. Tholoſanus *lib.* 13. de *Republ. cap.* 2. 3. aliquos abuſus earum perſtringit: plures Eccleſia Romano-Gallicana apud Bochellum *lib.* 6. decretor. *Eccleſ. Gallic. tit.* 10. ubi inter alia de illis teſtantur, *quod ſpiritualia opprimunt, temporalia abſumunt, atque homines dementant.* Non tamen planè eas tollere audent, quamvis facilè colligamus eò ipſos inclinare. Sed parcere debuerunt Epiſcopis prædeceſſoribus ſuis, & toti Papatui, qui hactenus erraſſe, aut dormiviſſe omnibus in Eccleſiâ peſſum euntibus, deprehenderentur. Ex noſtris, qui Fraternitates exſertè improbant, ſunt Daneus *lib.* 2. *Ethica Chriſtian. cap.* 8. Hoſpinianus de Monachis *cap.* 25. Sohnius in Diſpp. Marpurgi habitis, *Diſp.* 16. §. 20. *Tilenus Syntagm. part.* 2. *c.* 38. §. 43. Rivetus *lib.* 2. *apol. Mariæ cap.* 12. in fine. *Jac. Gaultier* ſupra cit. *Judicia & reſponſa Doctorum & profeſſorum* in Academiis & ſcholis Belgii de confraternitatibus Marianis, &c. Delphis apud Andr. Cloetingh 1644. in 16.

§. 2. Argumenta pro Fraternitatibus, quę *aliqua bona opera communicant, vel pro quibus ſpecialiter aliqua bona in communi fiunt*, ex Mich. ab inſulis colligimus iſta.

I. *Argum.*

Digitized by Google

I. *Argum.* Quia per eas Sancti, quos honorant, & in *quorum nomine vel honore* fraternitates inſtituuntur, non parum incitantur ad orandum pro nobis. *Reſp.* Totum hoc cum ineptâ deductione, reſponſum non meretur. Nititur enim falſis hypotheſibus, de ſpeculo Trinitatis, & invocatione Sanctorum, de eorundem meritis & precibus pro nobis: quæ alibi ſubruuntur.

II. *Argum.* Ex Pſal. 133. verſ. 1. *Ecce quam bonum*, &c. & 1 Pett. 2. v. 17. *Fraternitatem diligite. Reſp.* Eſt petitio principii: Videtur enim prçſupponi nullam eſſe fidelium fraternitatem, prçter hanc controverſam; & conſequenter in omnibus Scripturç textibus eam ſolam intelligendam. Cum tamen ipſi fateantur eſſe etiam Eccleſiaſticam, & Monaſticam. Nos dicimus priorem intelligendam: Et ſic explicat *Corn. à Lapide.*

III. *Argum.* Fraterernitates iſtç in ſacrâ ſcripturâ, & in geſtis *Chriſti* ha-„ bent fundamentum. Ipſe enim Dei filius totum genus humanum ditavit „ & honoravit, in hoc quod noſtram fraternitatem accepit *Rom.* 8. *v.* 29. „ *Johan.* 21. Demum ipſe nobis omnia merita ac paſſiones ſuas com-„ municavit *Jeſa.* 53. *v.* 4. Meminit etiam hujus participationis Paulus 1 *Cor.* 9. *v.* 23. & *Johann.* 13. *v.* 8. *Reſp.* Unio, & communio fidelium cum Chriſto capite & inter ſe, alibi explicata (in 5. *part. ſelect. diſp. tit. de communione ſanctorum*) totum hoc commentum evertit. Breviter ipſi Pontificii in Catecheſ. Concili Trident. artic. ſymboli *communionem ſanctorum* omnibus fidelibus ad eccleſiam pertinentibus applicant, & huc adducunt Pſal. 119. *particeps ego ſum*; &c. cum Ambroſii interpretatione. Ibidem dicunt hunc articulum eſſe explicationem præcedentis. Breviter omnes de communi fraternitate, ſocietate, unione catholicç eccleſiæ accipiunt, Sic *Joh. Heſſels* in explicatione ſymboli *cap.* 70. Eſſe in eâdem „ eccleſiâ ſanctorum communionem, ut qui in eccleſiâ velut domo fa-„ miliaque verſantur, ſocietatem quandam inter ſe & unionem ſervent individuam. Idem catecheſis Caniſii, & Summa doctrinæ Chriſtianæ juſſu & autoritate Imperatoris Ferdinandi 1. anno 1554. & *Philippi* II. Hiſpaniarum regis anno 1562. edita ac ludimagiſtris præſcripta. Jam vero definitio eccleſiç, & communionis ſanctorum longè alia eſt apud Pontificios, quam dictarum fraternitatum: quas ex mente eorum ſupra *part.* 2. definivimus.

IV. *Argum.* Paulus in epiſtolis vocat fratres, quibus ſcribit, & eiſdem ſuos labores & orationes legitur communicaſſe 2 *Cor.* 12. *v.* 15. *Coloſſ.* 1. 24. &c. *Reſp.* Intelligit primo integras particulares eccleſias, ad quas ſcribit; deinde per conſequentiam fideles, & quaſvis eccleſias, catholicç partem conſtituentes. De modo autem communicationis per ſatisfactiones

factiones & merita ſupererogationis, quæ Pontificii hinc exſculpere velint, alibi dicendum eſt. Sufficit in præſenti oſtendere dictas fraternitates ex locis cit. minimè deduci.

V. *Argum.* Plures ſancti patres fraternitatem inter ſe habuerunt, & orationes ſuas ac bona opera aliis communicarunt, nec non & ſibi communicari petierunt, ſicut Anſelmus, Bernardus, Dominicus, & mille alii, &c. *Reſp.* Quales & quanti illi patres fuerint, & quo corrupto tempore vixerint, jam non diſquiremus. Nec probabunt Anſelmum & Bernardum fraternitates, quales ſupra deſcripſimus, inſtituiſſe aut coluiſſe.

VI. *Argum.* Formari poſſet ex duodecim fructibus fraternitatum, quas ibidem enumerat: quales 1. Ampliatio cultus divini & ſanctorum, ut patet in altaribus, capellis, miſſis, quę à confratribus fundantur vel fiunt, &c. 2. Meritorum augmentatio. 3. Satisfactio pro peccatis. 4. dictorum ſanctorum majus ac frequentius auxilium; quia ſic nos viſitant ſuis auxiliis ac beneficiis, ſicut eos colimus. 5. Facilior precum exauditio. 6. à multis periculis liberatio per orationes & merita ſanctorum, ex poteſtate ſpeciali eis à Deo data, &c. ut B. Sebaſtianus à peſte, Antonius à ſubitaneâ morte, &c. 7. à caſibus variis in peccato, vel recidivatione: quia *Prov.* 18. dicitur: frater qui juvatur à fratre, quaſi civitas firma. 8. Facilior à peccatis reſurrectio, *Eccleſ.* 4. *v.* 10. 9. Quia per eas homines pacificantur. 10. Inferni evacuatio. 11. Purgatorii evaſio, vel ſaltem facilior ab eo liberatio. 12. Gloriæ conſecutio, vel major in eâ muneratio. *Reſp.* Hæc figmenta, cum ſtramineis conſequentiis tam facile rejiciuntur, ac adferuntur. Porro Inſulani & *Coppenſteinii* rationes pro excellentia Roſario-Marianæ fraternitatis ſupra omnes alias, minimè nos tangunt: ſed tantum Papales iſtarum zelotas contra ſuos, & contra eos ſi qui extra Papatum Marianas ſupra alias fraternitates, & inter Marianas aliquam independentem & in eccleſiâ ſeculari, ſupra Roſarianam aut aliam quamvis à Monachis dependentem efferre velint. Nos ſiquidem omnem excellentiam illam, pro quâ certatur, in malo idololatrię Papalis, & Antichriſtianiſmi conſiſtere contendimus; & ſupra ex parte probavimus. Adeo ut unius Marianæ fraternitatis excellentia, ſupra alteram nihil aliud ſit quam peccatum idololatriæ & ſuperſtitionis excellentius peccans. Gabriel Biel in ſermonibus de ſanctis *ſerm.* 11. & 12. qui ſunt de Sebaſtiano & confraternitatibus, eadem fere, quæ Inſulanus, comportat. Præterquam quod addit viſionem Ezechielis, & interpretationem *Gregorii M. in homil.* 7. in Ezechielem. Pennę animalium rectæ & alterius ad alterum extentæ erant de „ ſuper atque junctæ. Tunc primę virtutum, inquit Gregorius, rectæ ſunt, „ quando bonum quod alter habet, alteri impendit. Viciſſim pennas no-

„ ſtras tendimus, cum nos affectum & ope vicariâ ex bono quod accepi-
„ mus, tangimus. Pennæ enim jam rectæ non ſunt, ſi ad utilitatem ſolum-
„ modo reflectuntur. Sed tunc rectæ ſunt, cum in utilitatem proximi di-
„ rigimus, quod habemus; &c. *Reſp.* 1. Theologia ſymbolica non eſt argumentativa. 2. Argumentum ducitur à genere ad præſumtam ſpeciem affirmatè: Neceſſaria aut utilis eſt communio, communicatio, & mutuum auxilium fidelium in ſpiritualibus: Ergo talis communio per fraternitates, quales ſupra deſcripſimus, quæ ſcil. peculiarem patronum eligant inter ſanctos, eumque peculiari ratione colant per miſſas, vigilias, anniverſaria aliaque officia ſuperſtitioſa, quæ illi divina & ſuffragia pro vivis ac defunctis appellant; atque ita merita ſua ſibi invicem ex intentione & pacto ſpeciali ſpecialiter applicent. Quaſi dicas, animal eſt, ergo eſt chimæra.

§. 3. Hactenus argumenta ipſorum. Sequuntur exceptiones aliquot, ad argumenta noſtra §. 1. propoſita.

I. *Except.* ad argumentum 1. quod reipſa ſint ſciſmata, contra eccleſię unitatem: Sohnius in Diſp. de Antichriſto §. 84. *Audi fraternitates & ſchiſmata ſunt*: Excipit Biel per diſtinctionem, eccleſiæ univerſalis & particularis; ita ut ſpecialior communio hujus, non repugnet generali communioni illius, conſequenter non faciat diviſiones. *Reſp.* Sed ſciſmata & factiones in eccleſiâ particulari (e. gr. Corinthiaca) non ſunt, ipſa eccleſia particularis aut ejus communio: ſed potius ei repugnant. Uti Apoſtolus exſertè reprehendit 1 *Cor.* 1. quod in illâ particulari Eccleſiâ, alius, diceret ſe Pauli, alius Cephę, &c.

„ II. *Except.* Biel ad idem argum. Quod à principio humanæ conditio-
„ nis communio membrorum corporis Chriſti nedum in ſpiritualibus, ſed
„ & in corporalibus perfectè viguit: & ſolo jure humano per iniquitatem
„ hoc dictum eſt meum, illud tuum diſt. 8. *quo iure*: & 12. qu. 1. *dilectiſ-*
„ *ſimi*: Et in principio naſcentis eccleſiæ reſtituta fuerit fidelium: *Erat*
„ *cor unum & anima* una, nec *quiſquam aliquid ſuum dixerit*, ſed *omnia*
„ *erant ipſis communia*, ut habetur Actor. 4. tamen mundo ſeneſcente &
„ tepeſcente caritate, &c. tepuit & pene exſtincta eſt. Nam quæ primo
„ in omnibus Chriſtianis, poſtea in ſolis clericis colebatur, nunc vix in
„ religioſis frattibus invenitur, &c. Et poſtea ſubdit: *ordinavitque patrum prudens induſtria ſpeciales quaſdam uniones ac perſonarum ſpontaneas colligationes ſibi mutuò in bonis communicantes*: per quas *lapſa jam fraterna*
„ *charitas renovaretur; & ſaltem ſpiritualium operum ſancta communio in*
„ *his, qui ſponte ad hac ſe offerunt, ſine reſpectu temporalium renovaretur.*
Reſp. 1. De communione bonorum quæ ex primęvo hominum ſtatu, & reſtitutione per Chriſtum ex *Actor.* 2. & 4. adferuntur, & ex can. *Dilectiſ-*

ſimis

ſimis (qui etiam uxores comprehendit); contra Libertinos quoſdam dictos *familia caritatis*, &c. ſectam Anabaptiſticam, dictam *Huttericam*. De Monachatus communione & *κοινωνίᾳ*, ſine ullâ proprietate, alibi dicendum eſt. Interim advertant juniores, quanta virorum ejuſmodi cætera ſubtilium, cœcitas & ſtultitia fuerit in intelligentiâ & expoſitione ſcripturarum. *Reſp.* 2. Aliàs dicunt, facto illo primitivæ eccleſię *Actor.* 2. & 4. fundamenta jacta Monachatus & ſtatus religioſi. Sic *Corn. à Lapide* in commentar. & ſic polemici ipſorum in diſceptationibus pro votis, & Monachatu. Quomodo ergo hinc eruent fraternitates laicorum? *Reſp.* 3. Ultima analyſis fraternitatum eſt in *prudentem patrum induſtriam*. Sed opponimus, hoc non eſſe verbum Dei. Adhæc falſum eſſe à patribus (antiquis ſcil., qui *καθ' ἐξοχὴν* ita appellari ſolent), fratrias, (à nobis ex mente Papatus deſcriptas,) eſſe inſtitutas. Unum producant, ſi poſſint. Quod ſi per patres intelligant ſuos Monachos, & primum inter eos fraternitatum inſtitutorem Dominicum, aut etiam quoſdam laicos, qui Florentiæ annis aliquot ante Dominicum dicuntur in ſodalitatem Marianam coiiſſe, utique tales patres non patres flocci facimus, & ipſis relinquimus.

III. *Except.* c. idem argum. Charitas omnes ſuo ſinu complectitur, ne-
,, mini beneficentiæ gremium claudit: non tamen confuſa eſt; ſed diſcre-
,, tione ordinata. *Ordinavit*, inquit ſponſa, *in me caritatem.* Cantic. 2.
,, ſicque omnibus ſingulorum merita diſtribuit: non conformiter: ſed re-
,, gulari quadam & ordinatâ difformitate, ſecundum operum objectorum
,, applicationiſque differentiam ejus qui operatur. Et in hujus evidentiam
,, addunt ex Gerſone in tract. de oratione, triplicem eſſe orationis faciem,
,, ſecundum quam orans nititur impetrare aut per modum liberalis & gra-
,, tuitæ donationis: aut per modum meritoriæ actionis: aut per modum
,, ſatisfactivæ compenſationis. Quod ad duplicem faciem poſteriorem,
,, *orationis valor ſub noſtrâ qualicunque conſideratione cadere poteſt.* Et ſe-
,, cundum hoc, ut docet doctor ſubtilis in quodl. *qu.* 20. poteſt intelligi
,, oratio; aut aliud opus virtutum alicui valere in triplici gradu, ſcil. ſpe-
,, cialiſſimè, ſpecialiter & generaliſſimè. *Specialiſſimè* valet oranti, dum
,, in gratiâ per modum meriti pręmii eſſentialis, &c. quod nulli alteri me-
,, reri poteſt immediatè, &c. *Generaliſſimè* vero valet oratio & quodlibet
,, opus bonum toti eccleſiæ: & nec poteſt nec debet orans, aliquem de
,, eccleſiâ excludere, ſed intentione habituali omnes includere. *Speciali-*
,, *ter* autem & medio modo valet oratio ad multa ſecundum proximum
,, impetranda: ſaltem de congruo gratiæ augmentum: ſolutionem pœnæ:
,, & præmium accidentalis gloriæ: & hoc ſibi ipſi oranti ei vel eis, cui
,, vel quibus voluerit applicare: magis tamen quibuſlibet ſe paucioribus

„ & bene diſpoſitis : minus, ſi plures aut indiſpoſitis applicaverit : magis „ etiam & minus ſecundum diverſitatem orationum privatarum, vel pu„ blicarum : ſimplicium, vel privilegiatarum : quia privilegiatæ & quæ in „ perſonâ eccleſiæ offeruntur, efficariores ſunt cæteris paribus, illis quibus „ applicantur; quam orationes ſimplices & privatæ : tales enim fiunt in „ perſonâ eccleſiæ ſemper gratæ & acceptæ : licet miniſter non ſemper ſit „ gratus Deo. Cum quibus verbis junge, quæ habet ſerm. 12. in fine : Stat „ denique quod orans pro alio exauditur : quamvis pro ſe non exaudiatur: „ vel quia non ipſe, ſed pro quo orat, eſt in gratiâ : vel quia pietatem „ orantis de congruo non de condigno dominus attendit. Denique quis „ dubitet, ſpecialius eos intercedere in beatitudine pro ſuis fratribus, &c. *Reſp.* Augiæ hoc ſtabulum hâc vice non repurgabo : ſcil. de opere operato; deque ejus merito ſive de congruo ſive de condigno; de *arbitratiâ applicatione* meritorum & ſatisfactionum noſtrarum ad quamcunque perſonam, aut perſonas, &c. Tantum nunc negabo, dictam illam applicationem requirere peculiare fœdus fraternitatis; ideo ex eâ datâ, non conceſsâ, fraternitates non inferri. Quidni enim peculiariter quis precari poſſit cum & pro ęgroto aut moribundo, in congregatione vicinorum & amicorum, aut in familiâ ſuá, aut in cœtu totius Eccleſiæ, ſine ejuſmodi *prętenſa* ſpeciali confœderatione? Quidquid precibus etiam optimè ordinatis Scriptura tribuit, eſt, quod multorum preces Deo receptæ ſint, qui in unâ fide, propter & per Chriſtum, pro unâ re aut perſonâ precantur. Atqui hoc fit in verâ unione & communione cum Chriſto, & inter ſe: abſque præſumtâ fraternitate.

IV. *Except.* Contra 6. Argum. tacitè innuitur à Biel, cum dicit in utroque ſermone fol. 331. b. & 332. b. approbatas eſſe fraternitates in Concil. Gangrenſi. *Reſp.* Ne gry quidem illic legitur, quod vel minimâ ſpecie huc trahi poſſet. Sed non videtur Biel unquam illos canones inſpexiſſe: ideoque citat fide juris Canonici 42. diſt. c. *ſi quis.* Habetur quidem canon illius Concilii XI. qui incipit *ſi quis :* ſed ille loquitur de *agapis*, h. e. conviviis Chriſtianis; quorum ratio formalis & definitio à fraternitatibus realiſſimè differt. De illis agapis, nos ſupra *part. 1. lib. 2. cap. 8. Probl. 8.*

V. *Except.* Contra idem *Argum.* deſumi poſſet ex iis, quæ *Coppenſteinius lib. 1. cap. 6.* memorat de ſtatu earum à ſæculo nono uſque ad duodecimum. Quibus adde, quæ *part. 2.* ex Archangelo Gianio retulimus de fraternitate aliquâ Marianâ Florentię annis aliquot ante Dominicum celebratâ. *Reſp.* 1. Quidquid conjectare velint, quamvis ipſi non credant, de fraternitate fortè unâ ante Dominicum; hinc tamen nullis fidiculis exprimi poteſt antiquitas; Catholiciſmus, perpetua ſucceſſio. Ipſe enim *Coppen-*

penſteinius lib. 1. cap. 5. varium earum defectum diverſis ſæculis, uſque ad nonum exponit. Ubi ergo in-interrupta ſucceſſio: qualem illi à noſtrâ doctrinâ & Eccleſiâ requirere ſolent? *Reſp.* 2. Ipſe *Coppenſtein.* oſtendit ſe non credere iis, quæ *cap.* 6. nugatur. *Principio*, inquit, ſub annum 884. (voluit dicere 984.) nata exſtitit fraternitas quædam de curâ pro mortuis habenda, teſte Baronio anno 984. Ad quam cap. præc. reſpondimus. *Proximam* illi ponit univerſam gentem Uugaricam, quam non quidem fraternitatem, ſed familiam ſuæ dominæ Rex Stephanus appellare ſolebat. (Surius in vitâ S. Stephani.) Sed hinc non magis probatur contoverſa fraternitas quam ex totâ Eccleſiâ Romanâ, quæ etiam familia noſtræ dominę dici velit. Sed a. 1060. Archiepiſcopus Coloniæ fraternitatem Mariæ ſacram exorſus eſſe proditur. *Sed hujus*, inquit, *ubi uſquam nunc pridem veſtigium?* Sequitur fraternitas pacis & concordiæ inter regem Arragoniæ & comitem S. Ægidii anno 1190. Seculo undecimo familias religioſas (hoc eſt ordines Monachorum) varias ortas dicit, quas meritò fraternitatibus accenſet. *Reſp.* 1. In pauculis illis exemplis, nihil eſt quod ad rem noſtram faciat. Repetatur modo definitio controverſæ fraternitatis, & hiſtoriis ſeu fabulis illis applicetur. Quod fiet ad Kalendas Græcas. *Reſp.* 2. De civibus quibuſdam Florentinis refert quidem Gianius (uti ſupra indicavimus), ſed quâ fide quibus teſtibus? *Deinde* factum quorundam imperitorum laicorum particulare tanti non eſſet: ſaltem nullam faceret regulam: ne quidem praxin aut conſuetudinem Eccleſię Romano-Papalis. *Denique* quidquid de eo eſſet, una hirundo non faceret ver, nedum Catholiciſmum, antiquitatem, in-interruptam ſucceſſionem.

Controverſiâ principali abſolutâ, verbo reſpondemus ad aliquot quæſtiones. §. 4.

I. *Quæſt. An tales fraternitates in Republicâ plene reformatâ ſint tolerandæ, aut etiam fovendæ atque honorandæ: ubi ſcil. potentia & poteſtas adeſt eas tollendi. Reſp. Neg.* Non magis quam omnes aliæ ſodalitates idololatricæ, ut collegia gentilia augurum, Pontificum, Sacerdotum, aut conventus Monachorum Franciſcanorum, Carmelitarum, Dominicanorum, Jeſuitarum, &c. Eas cum aliis ſuperſtitionibus Papalibus exterminandas eſſe, & in primâ reformatione eccleſiarum Germanicarum exterminatas, diſcimus ex *Auguſt.confeſſ.art.* 20. Quod adverſarii criminantur negligi à noſtris „ doctrinam de bonis operibus, manifeſta calumnia eſt, &c. Cumque in „ eccleſiis magnum olim fuerit ſilentium de præcipuis operibus, ſcil. de „ exercitiis fidei, & de laude politicorum operum, & magnâ ex parte, con- „ ſumerentur omnes canones in laudibus *traditionum humanarum, in feriis, Monachatu, fraternitatibus, peregrinationibus, cultu ſanctorum,*

„ *Roſariis & aliis inutilibus cultibus curandis*; nunc Dei beneficio revocatur „ eccleſia ad veros & utiles cultus, quos Deus probat & requirit.

II. *Quæſt. An ubi ob pacta aut alias ob cauſas à Magiſtratu reformato tolli non poſſunt; ſint repurgandæ à ſordibus Papalibus, aut reformandæ, quoad formam, ſeu ſpeciem: ut ſcil. Reip. & Eccleſiæ tantò minus noceant? Reſp.* *Neg.* 1. *Quia*, ſi propter pacta tolerari debent; non magis licet eas reformare aut transformare aut ab idololatriæ ſordibus purgare; quam collegia Monachorum, Sacerdotum, Eccleſiarum Cathedralium, aliarumque Collegiatarum; ut & Parochalium, Scholarum majorum aut minorum Papiſmo incorporatarum; quarum tolerantia ſeu conſervatio publicâ & ſolenni conventione ſtabilita eſt. 2. *Quia*, fraternitates totâ eſſentia ſuâ & formaliter nihil aliud ſunt quam ſordes idololatricæ. Si ergo ſordes tollis, ipſas fraternitates tollis.

III. *Quæſt. An reformati aliqui ingredi poſſint in tales fraternitates, inque earum erectiones & ſtatuta jurare? idque ad Republica incolumitatem, ne ſcil. religioſa illa fratria contra eam clam quid machinentur: Qui tamen in eas ab omni Papiſmo repurgatas ſic jurent, ne quid vera religioni & Reipublicæ præjudicetur. Reſp.* Quod ſi talis fraternitas neceſſariò tolerari debet, jam non eſt quod ad ſpeciem & formam mutanda, & *alia illi ſubſtituenda*: hoc enim ſi fiat, pacta minimè ſervantur. Aut enim quod ad formam & ſpeciem mutatur: aut non. *Si illud*, jam pacta non ſervantur: non magis, quam ſi collegia augurum, Pontificum, Sacerdotum Jovis, item Monachorum Carmelitarum, Dominicanorum, Jeſuitarum, &c. ex pacto conſervanda, transformentur in collegia Politica, aut Scholaſtica, à quibus omnis Ethniciſmus aut Papiſmus planè abſit, & in quę ſive in totum, ſive ex parte aliquâ, ſoli Reformati in poſterum recipiantur. *Sin iſtud*, jam illicitum planè in foro conſcientię eadem ingredi, nedum in eorum primam erectionem jurare: ob rationes alibi à nobis productas. Vide *part. 3. ſelectar. Diſp. tit.* de Idololatriâ indirectâ: & confer ſupra §. 1. *Except.* Atqui retineri poſſent in Republicâ Reformatâ, pari ratione ac ſodalitates ſeu collegia mercatorum, artificum, &c. quę nunc ab omni ſuperſtitione repurgata ſunt. *Reſp.* Longè diſpar eſt ratio. Collegia Senatorum, Judicum, militarium Præfectorum, Architalaſſica, Academica ritè reformata & repurgata à reformatis Magiſtratibus retinentur: augurum, Monachorum, fraternitatum, Rochi, Catharinæ, Annæ, Marię, Sacramenti, &c. non retinentur: quia alia Reipubl. per ſe ſunt neceſſaria aut utilia; & forma ac ſpecie Politica ſunt; non verò in ſe & per ſe, aut formâ ac ſpecie aut etiam principaliter ſacra ac religioſa: quamvis acceſſorio ſuperſtitionis Gentilis ac Papalis antehac inquinata fuerint. Iſta vero formâ & ſpecie

ſpecie ſunt religioſa, ſacra, ſpiritualia: uti ex ſingularum erectionibus probari poteſt; & nos de Marianâ Sylvæ-ducenſis ſpecialiter probavimus tract. noſtro tit. *Specimen aſſertionum*, &c. & in 3. part. ſelect. diſpp. tit. *de Idolatr. indirectâ* pag. 278. & in appendice ad illam diſputa pag. 317.-387. *Inſtantia.* Atqui in Papatu promiſcue nullo diſcrimine collegia illa habentur. *Reſp.* Minimè. Diſtinguuntur exſertè in *ſacras* & in *ſacras profanas* fraternitates, apud *Wichmans* in Brabant. Marian. Mich. de Inſulis diſtinguit in *ſpirituales*, & in civiles ſeu carnales. Venia *Philippi* II. 8. Marty anno 1374. Madriti data, Belgis oblata, aut offerenda eaſdem ab invicem haut obſcurè diſtinguit: cum veniam ſe decernere dicit, omnibus *Ordinibus*, *civitatibus*, *pagis*, *ſocietatibus*, *ſodalitatibus*, *fraternitatibus*, *tribubus*. ſect. 14. Et ibidem ſect. 21. civicas *ſocietates*, *ſodalitates*, *collegia*, *fraternitates*, *communitates*, *tribus*, diſtinctè recenſet. Breviter ex *cap.* 1. & 2. hujus ſectionis ſatis conſtare arbitror utraſque erectoribus, approbatoribus, erectione, fundamento, objecto, opere, fine manifeſte diſtingui.

IV. *Quæſt. An fraternitates relinqui poſſent, ut ſequeſtratâ omni religioſitate ſuperſtitioſâ, ob quam olim inſtituta ſunt, confratres ſive Papiſtici, ſive Reformati ſolummodo reditibus ſuis fruantur, ad convivia & confabulationes, atque hâc ratione amicitiam civilem inter cives conciliandam ac fovendam. Reſp. Neg.* Si enim poteſtas & potentia adſit eas tollendi, non ſunt talia otioſa collegia ſubſtituenda; iiſque reditus relinquendi, ſed potius in pios uſus convertendi. Deinde ipſe titulus, ipſa externa forma collegii aboleri debet: nedum ut ſub illo abuſivo & ementito titulo idololatrico reditus illi otioſè abſumi poſſent, qui olim ad cultum idololatricum & ſuperſtitioſum donati ſunt. Quod ad Marianam fraternitatem Sylvæducenſem; quam imprudenter nomen illi dederint aliqui reformati; & à Theologo aliquo illud factum reformatorum probatum ac defenſum fuerit, oſtendunt judicia & Reſponſa. *Doctor.* & profeſſorum, in Academiis & ſcholis Fœderati Belgii, &c. Delphis apud *Andr. Cloetingh* 1644. in 12. Et libellus noſter *tit. Specimen*, &c. *Object.* Atqui ſi collegium aliquod Monachorum, augurum, ſacerdotum Gentilium aut Papalium, fraternitatum Mariæ de ſeptem doloribus, aut de auxilio, aut Rochi, aut Sebaſtiani, &c. ſeipſum reformet ac noſtræ Eccleſiæ conformet in pleriſque aut in omnibus doctrinæ capitibus; an non hoc probandum eſſet, & Deo gratiæ agendæ? *Reſp.* Omnino: ſed ideo non probanda eſſent ἐγκλήματα, quæ ſuperſunt, nec illi in foro conſcientiæ, iiſdem inhærere, & ſub titulo ac forma (ſeu mavis μορφώσει & larvâ) illâ collegium illud ęternizare, inque ejus conſervationem jurare, & reditibus otioſè frui poſſent: ſic ut ad ſucceſſores, etiam

ex

ex reformatâ Eccleſiâ in illa σχήματα & larvata atque ementita munera irrepentes aut intruſos in perpetuum eadem bona commendata tranſmittant. Quid ſi tale quid fieret de conſiſtorio & conclavi Romano, de Papâ ſcil. & Cardinalibus, omnibuſque collegiis, muneribus munerariis Papæ quâ Monachæ eccleſiaſtico aut univerſali & ſupremo eccleſiæ capiti *inſervientibus* ac ſubordinatis. Sed de his & ſimilibus incruſtationibus alibi ex profeſſo diſputamus in Conſilio theologico 2. partibus ante hac Belgicè & ſupra *part.* 1. *lib.* 4. *tract.* 2.

CAP. IV.

De ſacrâ militiâ Papatus, ſeu Religioſis Equitum Ordinibus in Eccleſiâ Romanâ.

§. 1. ANno 1643. diſputationibus quibuſdam de Monachatu propoſitis, addidi diſputationem de ſacrâ militiâ Papatus, ſeu religioſis equitum ordinibus: cujus contentum hic inſerimus.

Ut rem à capite accerſamus, præmittimus paucula de equitibus in genere.

Nobiles vulgo dividuntur in majores & minores. Majores ſive titulares ſunt duces, principes, marchiones, comites, barones. Minores ſunt 1. *equites aurati*, qui & ſimpliciter milites dicuntur. 2. *armigeri*, ſeu ſcutiferi. 3. *generoſi*, qui vulgo Italis & Gallis Gentilhommes. Equites aurati rurſum ſunt *vel* liberi magis & ſolitarii, per omnia Europę regna notiſſimi: *vel* certis legibus, locis & officiis aſtricti, quorum unus eſt præfectus. Poſteriores dividuntur in politicos ſeu ſæculares; & in ſacros, ſeu religioſos, ſeu eccleſiaſticos. *Illi* Gallis κατ' ἐξοχὴν dicuntur *ordines*, & Italis *di collana*, à baltheo ſcil. equeſtri, quod è collo geſtare ſolent. *Iſti* v. Gallis dicuntur *Religiones*, Hiſpanis, *habitus*. *Prioris generis*, ſunt, equites aurei velleris in Belgio: Stellæ, Michaëlis, S. ſpiritus, ſcuti aurei, hyſtricis (Gallicè *porcespic*) lunæ creſcentis in Galliâ: Garterii ſeu S. Georgii in Angliâ: Annuntiationis angelicę, apud Sabaudos: Bandæ apud Hiſpanos: Redemtoris Chriſti apud Mantuanos: S. Stephani in Hetruriâ: lilii apud Navarreos & Arragonios: S. Marci apud Venetos: ordo S. Militiæ Chriſtianæ tit. B. Virginis inchoatus Olmutii in Moraviâ 1618. Nec prætereundi ordines S. Andreæ apud Scotos: Elephanti apud Danos: Seraphini apud Suecos: Spathæ apud Cyprios: Urſi ſeu S. Galli apud Helvetios: S. Antonii apud Hannonios: S. Huberti apud Juliacenſes: S. Jacobi apud Hollandos, quem à Florentio comite 1290. inſtitutum ex archivio Hollandiæ refert

fert Miræus in Origin. equeſtr. ſeu militar. *Ordd. lib.* 2. *c.* 13. ubi & primos equites in ordinem illum adſcriptos recenſent. Sed de iſtius generis equitibus, uti & de totâ ratione nobilitatis Jureconſultis & Politicis tractandum relinquimus. Interim quibus non vacat multos auctores ſibi comparare aut evolvere, illi adeant Miræum modo cit. & Franciſci Mennennii delitias ordinum equeſtrium; qui laudatis ubique autoribus ſuis ita hanc rem pertractat, ut ad alia feſtinantibus ſatisfacere poſſit.

Ordines ſacri ſeu religioſi propriè theologicæ conſiderationis ſunt, quatenus ſcil. partem aut appendicem faciunt Monachatus. Dividuntur in ſpecies analogicas, in ſacros ſcil. ſeu religioſos magis propriè dictos, & in quaſi ſacros ſeu religioſos.

Poſterioris generis ſunt I. à Papis inſtituti, quorum nonnulli etiam S. Petri aut Pauli commilitones dicuntur & in familiâ Pontificis degunt, nonnulli equites aurati, etiam comites palatii Lateranenſis creantur; alii ex officialibus curiæ Romanæ delecti, & vulgo dividuntur in *equites S. Petri, S. Pauli*, *Lauretanos*, *S. Spiritus*, (vulgò fratres hoſpitales S. ſpiritus) *S. Antonii*, *Julii: Lilii*, *Chriſti*, &c. de quibus conſulendæ bullæ Pontificum cum ſcholiis Cherubini, præſertim Pauli V. 1605. die 5. Julii, & Miræus in præf. ad lectorem, & Mennenius *p.* 173. 179.

II. Ad exercitium & defenſionem Papalis ſuperſtitionis aut tyrannidis: ſub certa regula aut voto, & in ordine ac ſubjectione ad Papam, tantum inſtituti: quales ſunt. 1. *Milites Chriſti* à Dominico ad exſtirpationem Albigenſium inſtituti, qui poſtea in fratres & ſorores Dominici de pœnitentiâ degenerarunt. *Mennen. p.* 105. 2. *Equites S. Sepulchri* in Hieruſalem, quorum ſtatuta & origines vide *ibid. pag.* 39. 50. & *p.* 197. 261. 3. *Equites S. Catharinæ*, qui rotam pro notâ habent. 4. *Equites Hieroſolymitani*, qui arundinem & inſignia urbis præferunt. 5. His adde *ordinem ſeu ſocietatem cruce ſignatorum*, inſtitutam ad præſidium inquiſitorum hæreticæ pravitatis, & de novo confirmatam à *Pio* V. 1569. bulla, *ſacroſancta Romana & univerſali*, &c. Si quis ordinis hujus originem, votum, officium noſſe deſiderat, adeat Burſatum & Campegium à Cherubino ad bullam modo cit. indicatos. 6. *Denique* analogicè his ordinibus accenſeri poſſent, *cruce ſignati*, *ſeu crucigeri*, cum ſuis cruciatis expeditionibus, quas attingit Miræus *lib.* 2. *cap.* 17. ſed fusè & ex profeſſo de iiſdem Gretſerus *tom.* 2. de cruce, ubi eas defendit. Nolumus hic præterire, qui, quales, & quomodo ſacri milites antiquitus crearentur, deſcribente *Joh. Molano* in *tract.* de *Militiâ* ſacrâ ducum & principum Brabantiæ 1592. in 8. ubi in præfatione.

„ Illorum, inquit, præterea temporum Duces non hujus aut illius

 ditionis

„ditionis Duces erant, ſed Duces creabantur ad gubernationem regni, „aut ad fidei Catholicæ defenſionem; quales in militia ſunt quos olim „Primipilares, vel quos Colonellos vocamus, qui decem præſunt capi- „taneis. Primi proinde Brabantiæ Duces non Ducatus illius qui dicebatur „Auſtraſia, ſed in regno Auſtraſię Duces erant, & Ducum officium præ- „ſtabant. De quo perantiquo Ducum & Comitum genere inter alios tra- „ctat Theodorus Adamæus in ſuis ad Procopium de ædificiis Juſtiniani, „annotationibus. Illi ergo ad militiam pro cujuſque regni aut regionis con- „ſervatione deſtinabantur, ſed tamen Militum nomine non cenſebantur, „niſi per militaris Regulæ profeſſionem inaugurati, ac ſacræ veluti Mili- „tiæ adſcripti fuiſſent. Ceteri enim, etiam Comites, Duces, Reges, „& Imperatores, Armigeri, non milites dicebantur. Huc pertinet illud „quod in vetuſtis Brabantiæ noſtræ Annalibus ſcribitur, *Godefridum Bra-* „*bantiæ* Ducem iter Jeroſolymam verſus inſtituiſſe, ejuſque filium Hein- „ricum militem creatum fuiſſe. Tale & illud eſt quod de Guilhelmo Hol- „landiæ Comite, illorum temporum vicinus ſcriptor, & Johannis Tra- „jectenſis Epiſcopi, ac Guilhelmi Palatini, Comitis Hollandiæ hiſtori- „cus, Johannes Becanus, memoriæ tradidit. Eum *adhuc armigerum ex-* „*ſiſtentem*, cum eſſet Domicellus Hollandiæ, ſcribit *Becanus in Imperii* „Regem Romanorum electum fuiſſe, & ea propter mox apparatum fe- „ciſſe, ut more aliorum Chriſtianorum Imperatorum Miles conſecrare- „tur, priuſquam Aquiſgrani diadema regni ſuſciperet. Cum itaque in ſo- „lennis Miſſæ officio, Euangelio decantato, Guilhelmus armiger à Re- „ge Bohemiæ coram Petro Capucio, Cardinale S. Georgii, ad velum au- „reum productus fuiſſet; Bohemię Rex, qui eum ſiſtebat, hæc ad Illu- „ſtriſſimum Cardinalem verba depromebat: Veſtrę Reverentiæ, pater „almiflue, præſentamus hunc electum Armigerum; devotiſſimè ſuppli- „cantes, quatenus veſtra Paternitas votivam ejus profeſſionem ſuſcipiat, ut „militari noſtro Collegio inſcribi valeat. Tum verò Cardinalis ampliſſi- „mus, præmiſſa monitione, qua electum Imperatorem inſtruebat, quod „Miles debeat eſſe,

„ *M agnanimus in adverſitate,*
„ *I ngenuus in conſanguinitate,*
„ *L argifluus in honeſtate,*
„ *E gregius in curialitate, &*
„ *S trenuus in virili probitate:*

„prælegit ei Militaris Regulæ jugum; cujus hoc exordium eſt: Hęc eſt Re- gula

„ gula Militaris ordinis; In primis cum devota recordatione Officium
„ Dominicæ paſſionis diurnatim audire; Pro fide Catholica audacter cor-
„ pus exponere; Sanctam Eccleſiam, ejuſque miniſtros, à quibuſcunque
„ graſſatoribus liberare, Viduam, pupillos, & orphanos in eorum neceſ-
„ ſitate protegere. His, & iis quæ ad finem Regulæ ſequuntur, lectis,
„ dixit Dominus Cardinalis: Vis militarem ordinem in nomine Domini
„ devote ſuſcipere, & Regulam tibi verbotenus explicatam pro tua poſ-
„ ſibilitate profiteri, Reſpondit electus; Volo. Ex mox accepta Regula
„ legit in hæc verba: Ego Wilhelmus, Hollandienſis Militiæ Princeps.
„ ſacri Imperii Vaſallus, liber, jurejurando profiteor Regulæ Militaris ob-
„ ſervantiam, in pręſentia Domini mei Petri ad velum aureum Diaconi Car-
„ dinalis, & Apoſtolicæ Sedis Legati per hoc ſacroſanctum Euangelium,
quod manu tango. Cui Cardinalis: Hæc devota profeſſio ſic peccato-
„ rum tuorum vera remiſſio, Amen. Quibus peractis, Rex Bohemiæ
„ grandem colaphum in collum tyronis dedit, dicens: Ad honorem Dei
„ omnipotentis te Militem ordino, ac in noſtro Collegio te gratanter ac-
„ cipio. Et memento quoniam Salvator mundi coram Anna Pontifice pro
„ te colaphizatus & illuſus eſt; coram Pilato Præſide flagellis cæſus, ac ſpi-
„ nis coronatus, coram Herode chlamyde veſtitus, & deriſus eſt; & co-
„ ram omni populo nudus ac vulneratus in cruce ſuſpenſus eſt. Cujus op-
„ probria memorari te ſuadeo; cujus crucem acceptare te conſulo, cujus
„ etiam mortem ulciſci te maneo.

Accedimus nunc ad milites ſacros ſeu religioſos magis propriè ſeu prin- §. 2.
cipaliter ita dictos, qui religioſis & Monachis accenſeri ſolent, & *milites eccleſiæ* nuncupari. Dicuntur autem & ſunt revera tales 1. *Objective*, quod ſcil. in defenſione eccleſiæ occupentur: quod tamen equitibus ſæcularibus commune eſſe poteſt. 2. *Effective* ſeu *efficienter*, quia propriè directè & quod ad ortum ſuum, & quod ad ſubſiſtentiam, & quod ad munera ac geſta militaria, ab Eccleſiaſticis, eccleſia, ſede Romanâ, ac Papâ dependent, eique immediatè ſubſunt: adeo ut hoc reſpectu *homines eccleſiæ*, ſeu *Papæ* dici debeant. 3. *Subjectivè* & formaliter, quia ut eccleſiaſtici ſunt in eccleſia, de eccleſia, non tantum communiter ut alii omnes laici in eccleſiâ Romanâ, ſed ut regulares ſeu religioſi ſub certâ ac peculiari regulâ: unde à laicis omnibus, & ſpeciatim à ſæcularibus militibus diſtincti dicuntur milites *ſacri*, *regulares*, *religioſi*, *eccleſiaſtici*, *militia ſacra*, *ordines ſacri ſeu religioſi equitum ſeu militum*, & abſolutè *religiones*, item *habitus* (contradiſtinctè ab equitibus torquatis ſeu liberioribus, quos *ordines* appellant), *viri ſacrati*. Sic paſſim Canoniſtæ & Caſuiſtæ recentiores, ut & hiſtorici, & autores qui peculiariter Ordines illos deſcribunt. Vide

 Bullas

Bullas Pontificum, Decreta Concilii Tridentini, & Deciſiones SS. congr. Cardinalium, & inter recentiores, Aubertum Miræum *origin. Equeſtr. Ordd. in præf.* & *lib.* 1. *c.*5. *lib.*2. *c.* 1. Et Fr. Mennenium in delitiis *equeſtr. p.* 38. Et Barboſam in collectan. ad Bullarium, in vocibus *Miles*, *Eques*, *Frater*, *regularis*: Ipſum Bullarium, ejuſque compendium: Tholoſanum in ſyntagm. Juris *lib.* 15. *c.* 33. *v.* 34.

Quamvis autem hoc indubium ſit in jure & theologia Papali, ex abundanti tamen ulterius probari poteſt.

Primo 1. Ex eo quia omnes Quæſtionarii, Caſuiſtæ, Canoniſtæ, Antiquarii ſeu hiſtorici tractantes de Monachis, regularibus, Cœnobitis, religioſis, item Eccleſiaſticis, Clericis, hierarchiâ eccleſiaſticâ, cœnobiarchiâ regulari ſeu Monachali, inter eos numerant ſacros ordines equitum, eoſque ſub illo titulo ad tractatum illum reducunt. Sic Morigia *lib.* 2. *origin. Monaſtic. l.* 2. *c.* 8. & 9. Renatus Choppinus in Monaſticis, ſeu de Jure Cœnobitarum *lib.* 1. *tit.* 1. *§.* 8. *lib.* 2, *tit.* 24. 25. ubi *p.* 209. in lemmate marginali vocat *monaſticam religionem Hoſpitalariorum.* Idem lib. 2. ſacræ politiæ forenſis *tit.* 8. *§.* 2. 3. & *lib.* 3. Et *Emm. Rodericus quaſtion. Regular. tom.* 1. *quaſt.* 2. & ſic paſſim in aliis *tomis. Thomas Zanch. oper. mor. tom.* 2. *lib.* 7. *c.*8. *in* 36. *lib.* 5. *c.* 1. *n.* 17. *Polyd. Virg. l.* 7. *c.* 5. Sed autoribus omiſſis audiantur quaſi autenticæ declarationes SS. congr. Epiſcop. & Regular. 22. Auguſti & 7. Septembr. 1605. *Regulares cujuſcunque ordinis, militiæ, ſocietatis, vel congregationis ad monaſteria monialium, etiam ſui ordinis ad colloquendum ſive tractandum cum eis ſine S. congregationis licentiâ*, &c. *accedere prohibentur. Cui prohibitioni etiam ſubjacent Milites regulares ordinis S. Johannis Hieroſolimitani*, & *præter pœnas in prædicto decreto contentas*, &c. apud Barboſam in *collectan.* bullarii, &c. *p.* 91. Vide & alias complures deciſiones SS. congreg. apud eundem locis modo citatis. Agmen claudant autenticæ declarationes, *Concil. Tridentini ſeß.* 23. *cap.* 18. & *ſeſſ.* 25. *cap.* 22. & Pontificum in bullis, ut Gregorii XIII anno 1580. Sixti V. anno 1585. aliiſque compluribus quæ de ordinibus equitum quidquam ſtatuunt. Vide eas in bullario. Et nuperrimè conſtitutio Urbani VIII. anno 1642. 15. Martii, circa formam & habitum ſacrarum imaginum, ubi ſic loquitur: *Mandantes inſuper omnibus*, &c. *monaſteriis ac collegiis*, & *perſonis quibuſcumque etiam eccleſiaſticis, ſæcularibus* & *regularibus cujuſcunque ordinis etiam Ciſtercienſis inſtituti, congregationis* & *ſocietatis, etiam Jeſu, etiam militaribus, etiam Hoſpitalis S. Johannis Hieroſolymitani, aliarumque militiarum*, &c paulo poſt: *Non obſtantibus*, &c. *conſtitutionibus* & *ordinationibus Apoſtolicis in favorem etiam perſonarum atque ordinum quorumcunque, etiam Ciſtercienſis, ac tam*

mendicantium quam non mendicantium, militarium etiam S. Johannis Hieroſolymitani, congregationum, ſocietatum, etiam Jeſu, ac cujuſvis alterius inſtituti, &c.

II. *Quia triplex votum emittunt*, & qnidem ſolemne, caſtitatis ſcil. (quidam abſolutè, quidam hodie conjugalis tantum), obedientiæ, paupertatis (ſed quæ gradus admittat), & ſic in forma profeſſionem faciunt. Liquet hoc ex ſtatutis ipſorum ordinum, & teſtimonio Mennenii *p.* 74. & *p.* 39. ubi ſic limitat: *voto ac regulis, quantum arma tractaturis pro fide Chriſti ſat erat.* Et Poſſevinus Biblioth. ſel. lib. 5. cap. 3. *Cum enim ad prælia Domini præliandum, cæleſti ſortitudine, armiſque ſolidioribus quam ſint ferrea, opus eſſe intelligerent, tantum abſuit ut religioſorum vitam & leges* (N. B.), *aut ſibi noxias, aut militaribus expeditionibus impedimento futuras judicarent, ut varii militares ordines voto ſeſe ac regulis eorum, quantum arma tractaturis pro fide Chriſti ſat erat, obſtrinxerint.* Vide de hoc differentem imprimis *Azorium lib.* 13. *cap.* 3. *v.* 4. 5. Conſuli etiam poteſt Emm. Rodericus loco cit., & *tom.* 2. *qu.* 122. *art.* 3. ubi jus patronatus Regis Hiſpaniæ in præceptorias religioſorum equitum defenſurus, hanc cautelam ſeu exceptionem excogitat: *Non ſunt Magiſtri ordinis, nec faciunt ejus profeſſionem iuxta* Concil. Trid. ſeſſ. 21. *neque afferunt habitum illius, ſed ſunt tantum adminiſtratores.* Confer ibid. quæſt. 63. artic. 13. ubi etiam alii autores allegantur. Fratres & Magiſtri eorum dicuntur priores ab Alexandro III. apud Rodericum *tom.* 2. *qu.* 63. *art.* 13.

III. *Quia* plerique ordines certam regulam Monachalem, puta Benedicti, Auguſtini, Ciſtercienſium amplexi ſunt, & obſervant. *Mir. lib.* 1. *cap.* 31.

IV. *Quia* habitum ordini, regulæ ac profeſſioni ſuę convenientem ſumunt, & retinere debent. Ut autores hic prætercam, adduco Bullam Sixti V. 1589. 5. Id. Januar. quâ hoc ipſis injungitur ſub pœna amiſſionis beneficiorum.

V. *Quia* bona eorum ſunt & dicuntur ſacra, Eccleſiaſtica, & quidem regularia ſeu religioſa. Quod ex multis adjunctis & indiciis conſtat.

1. *Quia* hoſpitalia eorum exſertè diſtinguuntur ab hoſpitalibus ſæcularibus & laicis, hinc eſt, quod cum clericorum & regularium reditibus pari paſſu eant, niſi peculiari privilegio aut indulto eximantur. Vide ad *Concil. Trid. ſeſ.* 23. *c.* 18. determinationes SS. Congreg. & collectanea Barboſæ ad idem *Concil. Trid. num.* 20. 21. 35. 36.

2. *Quia* pręceptoriæ dantur tantum in titulum & adminiſtrationem perpetuam; hinc colligitur eſſe beneficium regulare. *Roderic. tom.* 2. *qu.* 63. *c.* 13. cum Azorio.

3. *Quia*, in acquiſitione iſtorum redituum & beneficiorum ſimonia committitur.

4. *Quia* non poſſunt de bonis, quæ ipſis ex præceptoriarum ſeu commendarum fructibus ſuperſunt teſtari, nec donationem facere inter vivos: quod ſpecialiter convenit ordinibus qui abſolutam caſtitatem vovent: uti habent ſtatuta ordinis Melitenſis, & ex Bullis Pontificum, atque *& arreſtis* curię Pariſienſis explicat ac confirmat Choppinus, de Jure Cœnobitarum *lib.* 2. *tit.* 1. 5, 26.

5. *Quia*, regreſſus, ingreſſus, & coadjutorias factas ſuper beneficiis ordinis ſeu militiæ S. Johannis Hieroſolymitani, &c. caſſat & revocat Pius IV. *conſtit. Kal.* Julii 1560.

6. *Quia* bona directè ſubſunt diſpoſitioni eccleſiæ, Concilii, Papæ: uti conſtat ex Bullis Papalibus, deciſionibus *SS. Congr.*, & *Concil. Trid. ſeſſ.* modo cit.: quæ omnia videri poſſunt in Bullario, & Barboſæ collectaneis, aut poſtremis editionibus Concilii Tridentini; ubi additæ ſunt declarationes SS. *Congr.*

7. *Quia*, Pręceptoriæ, & Hoſpitalia eorum juxta cum aliis ſubeſſent, viſitationi Epiſcopali; niſi per ſpeciale indultum inde eximantur aut exemta eſſent. Saltem viſitationis jus competit *Legato Papæ. Vide ad Concil. Trid. ſeſſ. 7. cap.* 8. & *ſeſſ. 6. cap.* 2. 3. & *ſeſſ.* 25. *cap.* 20. 1. Declarationes SS. Congreg. & collectanea Barboſæ. *pag.* 335.

8. *Quia* equites illi gaudent privilegio Canonis & fori; nec poſſunt conveniri coram judice ſæculari. Vide *Azor. lib.* 13. *cap.* 3. *quæſt.* 3. & *c.* 4. *quæſt.* 3. & *Roderic, tom.* 2. *quæſt.* 63. *art.* 13. & *Concil. Trident. ſeſſ.* 3. *cap.* 3.

9. *Quia*, à minori ad majus, ſi ad religioſa & Sacra collegia referuntur tertiarii, converſæ, Beguinæ, & ſimiles propter aliquam voti ac regulæ profeſſionem; quid ni equites?

Sunt autem ordines illi religioſi vel primi & primarii; vel alii deinde poſt primos illos, immo ex parte etiam ex illis orti. *Primi* ſunt, qui recuperata per Chriſtianos principes Palæſtinâ, Hieroſolymæ inſtituti ſunt, ut hoſpitio exciperent peregrinantes Chriſtianos & viſitantes ſepulcrum domini, eos deducerent ac tuerentur contra Saracenos, captivos redimerent, in Saracenos pugnarent, & terram quam vocabant, ſanctam contra eoſdem defenderent. Suntque. *S. Johannis*, *Teutonici*, *Templarii*, *S. Lazari*: de quorum primis inſtitutoribus, deque tempore, occaſione, Papali confirmatione, progreſſu, geſtis, &c. hic non agimus, lectorem remittentes ad Mireum, & Franciſcum Mennenium, qui compendioſè hoc agunt, alioſque autores infra nominandos. De Templariis tamen infra in

pro-

problematis ſtrictim diſquiremus, acturi paulo prolixius de Johannitis. Secundarii & poſteriores ordines ſunt. 1. Gladiferi, ſive enſiferi, ſeu milites Chriſti in Livoniâ. 2. Jacobi de Spatha. 3 de Calatrava. 4. Alcantaræ. 5. Mariæ de Mercede. 6. Monteſię. 7. Chriſti, ſive S. Michaëlis, ſive de alâ, apud Luſitanos. 8. Bande & ſcamę. 9. Aviſiani, olim Eborenſes. 10. Hoſpitalarii S. Spiritus. 11. Hoſpitalar. S. Antonii. 12. B. Mariæ. 13. Sepulcri Chriſti, apud Italos. 14. S. Mauritii apud Sabaudos. 15. Mariæ de monte Carmelo, apud Gallos. De his conſulendi Mireus, Mennenius, & compendium Bullarii Cherubini. Azorius *lib. 12. c. 5.* addit S. Stephani; de quibus plura vide apud Cherubinum in compendio *Bullar. tom. 2. p.* 18. 142. 104. 128. & *tom.* 3. *p.* 51. Sunt & regulares S. Spiritus in Saxiâ, & S. Antonii in Galliâ & extra Galliam: ſed poſteriorum commendæ videntur tunc tranſiiſſe in beneficia regularia, ac proinde manualia clericis profeſſis dari ſolita. Mitto equitum ſacros ordines, quos non arbitror hodie ſupereſſe. Indicat eos Mennenius, *p.* 83. 88. S. ſcil. Joh. Acconenſis, & S. Thomæ, S. Salvatoris in Arragoniâ, de Monte Gaudio in Syriâ, de Troxillo. Nec prætereundi confratres, *D. Johannis* portantes crucem albam. De quibus vide *Rodericum tom. 2. qu.* 63. aut 18.

CAP. V.

De Johannitis.

DE Johannitis nunc obſervabimus breviter. 1. Quid nominis, §. 1.
2. Quę partes & qui gradus in illo ordine. 3. Cujus generis. *Quod ad nomen* dicuntur. I. *Equites Hieroſolymitani:* Sic. SS. Congreg. in ſuis declarationibus: quas vide in collectaneis Barboſæ. II. *Equites aut milites S. Johannis*, & cum additione, *Johannis in Hieruſalem.* III. *Equites hoſpitalarii S. Johannis Hieroſolymitani*, ab hoſpitali ſeu Xenodochio Hieroſolymæ in gratiam peregrinorum ædificato, & S. Johannis memoriæ conſecrato. IV. *Fratres S. Johannis*; ſic Barboſa. V. *Equites ſeu milites Rhodii*, ab inſula Rhodo, quam amiſſa Palęſtinâ inſederunt, & contra Saracenos uſque ad annum 1527. tutati ſunt. VI. Equites *Melitenſes*, ab inſulâ Melite, quam Carolus V. illis attribuit poſt captam à Turcis Rhodum; ex quâ Turcis, mari imprimis, bellum intulerunt. *Quod ad partes, & gradus* hunc ordinem conſtituentes. 1. conſtat ordo octo linguis, ſeu nationibus. 1. Provinciæ Alverniæ. 2. Franciæ, 3. Italiæ. 4. Arragonię, ſub quâ Cathalonia, & Navarra continentur. 5. Angliæ ſub quâ Hybernia.

6. Ale-

6. Alemaniæ, ſub quâ Ungaria, Boëmia, Dania, Belgium. 7. Caſtellæ & Legionis 8. Portugalliæ.

II. Dividitur in ſuperiores ſeu præfectos, & inferiores. *Iſti* rurſum dividuntur. 1. In equites, qui non niſi ex nobilium familiis deliguntur. 2. ſervientes in armis ſeu donati: alii vocant armigeros. 3. Clericos, qui ſacra adminiſtrant. *Superiores* ſunt. 1. *Magnus Magiſter*, qui etiam *Prior* ordinis dicitur: ex quibus duo ſimul fuerunt Cardinales unus electus à Sixto IV. & alter à Sixto V. Habet autem annuos reditus ad onera ſuſtentanda in 22. commendis ordinis, quæ idcirco Magiſtrales vocantur. II. *Magiſtri* locum tenens, ſeu Viceregens.

III. Octo dignitates, ſive octo bajulivi conventuales, ſive capitulares; *Magnus ſcil. commendatarius*, *Mariſchallus*, Hoſpitalarius, admiratus, magnus conſervator, Turcopolerius, magnus Bajulivus, magnus Cancellarius.

IV. Commendatarii communes, qui & priores, & caſtellani empoſtæ.

V. Bajulivi communes, qui adminiſtratores prædiorum & rerum, quæ ſunt ordinis.

§. 2. Cujus generis ſint equites Johannitæ, religioſi *ſcil. & ſacri, ſeu eccleſiaſtici*; an vero ſæculares ſeu profani?

Eſſe ſacros conſtat. 1. ex iis, quæ de ordinibus religioſis (ſub quibus & hic) ſupra notavimus: quæ omnia κατ᾽ ἐξοχὴν huic ordini competere intelligenda ſunt, quippe qui comparatè ad pleroſque alios verè & propriè dicitur religioſus, propter perfectiorem trium votorum profeſſionem. Ita Caſuiſtæ & Canoniſtæ Pontificii, Azorius *lib.* 13. *cap.* 3. & 4. Rodericus, (ſupra cit.) Johann. Honorius ab Axel in compendio Juris canonici ſeu ſummâ *decretal. lib.* 3. *tit.* 31. §. 9. ubi eos diſtinguit ab aliis quibuſdam equitibus, quos religioſos vocat *ſecundum quid*. Et citat pro ſuâ ſententiâ alios Canoniſtas *Panorm. Farinac. Mobed. Put.* & deciſiones Rotæ.

II. Ex nominibus & titulis, quibus appellantur, ut, *ſpeciales & proprii Romanæ eccleſiæ filii*, & *fratres*, &c. Vide allegationes apud *Tholoſan. lib.* 15. *Syntagm. c.* 34. Et *Roderic. tom.* 1. *quæſt.* 8. *art.* 2. Et ab omnibus Caſuiſtis, Canoniſtis, ac Juriſtis Papalibus, comprehenduntur ſub diviſione & nomine *Eccleſiaſticorum*, & quidem *regularium*, *cœnobitarum*. Uti videre eſt apud Honorium, Rodericum, Azorium, Choppinum, Tholoſanum loc. cit. Caſſaneum *catal. glor. part.* 4. & 9. Toletus *lib.* 1. *Inſtruct. ſacerd. c.* 37. ex jure canonico probat eos eſſe & dici perſonas eccleſiaſticas. Ab hodierno Papâ Urbano VIII. in noviſſimâ conſtitutione 15. Martii 1642. circa formam & habitum ſacratum imaginum, exſertè eos numerari inter eccleſiaſticas & quidem regulares ſupra indicavimus. Quin

Quin & ipſum *Concil. Trid. ſeß.* 23. *c.* 18. vocat eos *frater S. Johannis Hieroſolymitani.*

III. Ex voto triplici quod emittunt, obedientiæ, caſtitatis, paupertatis; in quibus eſſentialiter conſiſtit, religio ſeu Monachatus *Clem. exivis cum igitur & §. ſeqq. de verb. ſignif.* Et conſtitutio Gregorii XIII. anno 1584. 8. Kal. Junii; ubi declarat non tantum per ſolemne, ſed & per ſimplex votum emiſſum conſtitui religioſum. Jam v. à Johannitis votum emitti ex ſtatutis notum eſt, & ex juramenti formula (quam mox exhibebimus) aliiſque paulo poſt notandis, de reditibus ſeu commendis eorum. Conſentiunt omnes Theologi ac Canoniſtæ; nec eſt quod citationibus nos fatigemus.

IV. Ex juramento & profeſſione, quę ab ipſis præſtatur, & quidem non tacita ſed expreſſa; uti Honorius ab Axel tit. cit. Profeſſionis & juramenti forma hęc eſt, ut refert Poſſevinus lib. 5. bibliothec. c. 4. *Voveo Deo omnipotenti, & ejus matri immaculara virgini Mariæ, & S. Johanni Baptiſtæ, me perpetuo præſtiturum obedientiam cuilibet regulari hujus ordinis, qui mihi à ſuperiore præficiatur. Voveo paupertatem, & caſtitatem juxta regulam ordinis, in quâ polliceor me vivere ac mori.* Mennennius p. 74. ex Lorino lib. 13. c. 3. & Azorius *cap.* 5. vocant hanc novam juramenti formulam, quæ hodie præſtatur, & poſtrema verba ſic apud ipſos variant: *Me victurum abſque proprio & caſtitatem ſervaturum.* Azorius ibid. exhibet antiquam formulam, ſed quę reipſa cum novâ conveniat, niſi quod caſtitati addat limitationem: *pro viribus caſtitatem ſervaturum.* Caſtitas autem intelligitur hic ſimpliciter & abſolutè, & non ſecundum quid, ſeu conjugalis tantum: quo hunc ordinem ab aliis diſtinguit Azorius *c.* 3. ut magis ſtrictè & propriè ſint religioſi.

V. Ex eo, quod reguntur à magiſtris aut prioribus ſuis generalibus, eorumque loca conventualia, prioratus, & adminiſtrationes vocantur. Tales autem eſſe regulares & religioſos indubium eſt, uti ex *Clement, dudum ſtatuimus*, probat Honorius *tit. cit.* §. 2. Jam vero Johannitarum loca conventualia dici prioratus, & commendatarios *priores*, conſtat ex Azorio *lib.* 13. *cap.* 6. *quæſt.* 2. Et Tholoſano loc. cit. Et magnum eorum magiſtrum, *priorem* vocat Alexand. III. & hinc argumentum pro ſtatu ipſorum religioſo haut obſcurè ducit Rodericus loc. cit

VI. Ex ſtatutis ordinis, quæ oſtendunt eſſe *regulam* religioſam proprie dictam, & conſequenter militantes ſub illâ eſſe regulares ſeu religioſos. Sunt autem illa ſtatuta potiſſimum, de prædictis votis ſervandis; de capitulis, de *cœnobiis* & *conventibus*; de *prioribus*, *baliviis conventualibus*; de reditibus, &c. deque modo & ratione eos acquirendi per *eleemoſynas*,

pro *confratriis*, (ita loquitur bulla hujus ſodalitii); de recitanda quotidie centies quinquagies oratione dominicâ, loco officii divini ſeu horarum canonicarum, ad quarum recitationem alii regulares tenentur. Vide ipſa ſtatuta & privilegia ordinis. Atque hæc quidem omnia redolere ordinem Romano-ſacrum, ſeu religioſum & regularem.

VII. Ex privilegiis, immunitatibus & variis exemptionibus ab operibus, à decimis ſolvendis, à viſitatione, juriſdictione ordinariorum in cauſis pleriſque, &c. & quod Papæ ſeu ſedi Romanæ immediatè ſubjecti ſint. Vide ipſorum privilegia una cum ſtatutis edita, nec non Choppini *polit. ſacr. forenſi lib.* 3. *tit.* 2. §. 9. 10. ubi nonnulla ipſorum privilegia repetit. Cum quibus confer Arreſta Paponi *lib.* 1. *tit.* 10. ubi *cap.* 2. ex arreſto curię Pariſienſis conſtare poteſt, eos cenſeri inter eccleſiaſticos & ſpirituales; prout & *cap.* 5. vocantur *fratres*. Confer & declarationes Cardinalium apud Barboſam in collect. bullarii loc. in principio citatis. Nec prætereundum eſt, quod matrimonium ratum & non conſummatum intelligatur diſſolvi per votum Johanniticum, ut cum Navarro Azorius *cap.* 6. *queſt.* 4. ubi ait in Hiſpania ſic judicatum fuiſſe; ſubdit ibidem hanc rationem: *quia per ſolemnem religionis profeſſionem ſpiritualiter quis moritur.* Hæc & ſimilia privilegia ſunt regularia, partim communia cum aliis, partim ſpecialia: prout etiam Emm. Rodericus in *collectione privilegiorum Apoſtolicorum*, *Regularium Mendicantium*, *& non mendicantium*, *præſertim in quibus ipſæ religiones communicant*, edit. ult. Antwerpiæ 1623. apud Belleros, non dubitat bullam Sixti V. quâ Johannitis omnia privilegia de novo confirmantur, collectioni illi inſerere *p.* 456. Vide & alias bullas de privilegiis hujus ordinis Johannitici, in collectan. Barboſæ ſub tiulo *militum Regularium* p. 453. & *p.* 334. in voce *Eques Hieroſolymit.*

VIII. Ex habitu regulari ſeu religioſo; qui tanquam teſſera cujuſque particularis religionis præſcribi ſolet. Unde phraſis metonymica in papatu uſitata, habitum ſumere, hoc eſt, Monachum fieri, aut religioni nomen dare. De Johannitis Miræus *lib.* 1. *cap.* 2. ex Jacobo Boſio ſic ſcribit: *Raimundum Podium*, &c. *veſtem ac regulam* (*quam hodieque ſervant*, *à ſucceſſoribus tamen auctam*) *ſodalibus ſuis approbante Romano Pontifice præſcripſiſſe.* Mandatum hoc religioſum renovat Sixtus V. 8. Id. Januar. 1589. ubi ſub pœnâ amiſſionis beneficii, habitus geſtatio præſcribitur. Accedit quod SS. congregatio controverſias de habitibus determinat: uti videre eſt apud Barboſam in collectan. bullarii, &c. *p.* 45. in voce *Miles regularis.* Unde novo argumento evincitur hic ordo eſſe regularis & ſacer, non ſęcularis aut profanus.

IX. Ex præcedentiâ in hierarchiâ Romanâ, ſeu inter eccleſiaſticos

& religioſos huic ordini tanquam homogeneo aſſignatâ, & ex judicio eccleſiaſtico ſive Conciliari ſive Papali, ſuper controverſiis de pręcedentia; ita ut tanquam geminum argumentum hoc ſtringat. Porro de præced. eorum ſic Chaſſaneus catal. gloriæ mundi part. 9. conſid. 2. *Quid an etiam ſunt milites militiæ eccleſiaſticæ, qui etiam licet ſequantur arma, tamen ſunt milites eccleſiæ, ſeu militia eccleſiaſtica, qui dicuntur Hieroſolymitani, & participant de utraque: tamen quia plus attingunt dignitatem eccleſiaſticam quam temporalem, ideo eos præponendos cenſui cæteris militibus: quemadmodum eccleſia ſeu ſpiritualitas temporalitati præfertur, cum à digniori fiat denominatio.* Et conſider. 4. fol. 173. b. Credere quod iſte magnus Magiſter Rhodi poſt *Papam præcederet omnes Cardinales & alios Pontifices eccleſiaſticos, & cum videatur tantæ dignitatis, cujus eſt Patriacha,* &c.

x. *Ex eo*, quia militant ſub ordine & regulâ Auguſtini teſte Caſſaneo part. 4. conſider. 64. *poſt ordines ſupra dictos non mendicantes*, &c. *ſunt alii non mendicantium ſub regulâ Auguſtini, ut ſunt ordo S. Johannis Hieroſolymitani, qui dicuntur cruciferi, & ſunt milites Rhodiani*, &c. Eſt autem regula Auguſtini una ex quatuor regulis; ad quas omnia religioſorum & Monachorum examina revocantur; uti ſupra oſtendimus, ubi de Monachatu in ſpecie.

xi. *Ex eo*, quia tanquam eccleſiaſtici & regulares à Papâ, aut Concilio, aut SS. congregationibus Cardinalium, in omnibus negotiis & cauſis ſuis directe dependeant; immo Papæ ſeu ſedi Romanæ immediatè per privilegium Alexandri III. ſubſint. Quod cum aliis privilegiis poſtea à ſequentibus Papis (quorum meminit bulla Sixti V. ſupra cit. & Barboſa in collectan. in vocibus, *Eques Hieroſolym.* & *Miles regularis*) confirmatum eſt; & ita à SS. cong. declaratum. Lector cui vacat, legat ipſas bullas in Bullario, & declarationes Card. apud Barboſam. Neque n. omnia huc tranſcribi poſſunt. Tantum non omittendum, quod peculiariter per Magnum Magiſtrum ſuum, ſeu in illo homagium præſtent Papę ſeu ſedi Romanæ, teſte Bodino *lib.* 1. politicæ *c. 9. pag.* 196. edit Gall. in 8. Nec mirum: cum præter indulta & privilegia, ipſis conceſſerit juxta cum Carolo V. inſulam Melitam (teſte Mennenio *p.* 70.), uti & antehac inſulam Rhodum anno 1310. teſtibus hiſtoricis ibidem cit. Hinc eſt, quod tanquam homines Papæ, & jurati vaſalli ac milites κατ᾽ ἐξοχὴν, ſe obtulerint (hiſtor. Concilii Tridentini *lib.* 8.) ad exſtirpationem hæreticorum; per quos intelligunt eccleſias, quę tyrannidi Papali ſe ſubtraxerunt. Hinc etiam Papa hodiernus Urbanus VIII. conſtitutione peculiari quæ incipit, *In ſpecula* 3. Julii 1628. ipſis præſcribit ordinationes & leges, quas in electione magni Magiſtri

giſtri obſervare debeant: cujus meminit Barboſa in collectan. in voce *Eques Hieroſolymit.* Idemque Urbanus iis mandavit in virtute ſanctæ obedientię, in Bullâ ad Prioratus *Alemanniæ* anno 1624.

XII. *Ex eo*, Quod independens ſit ordo ab omni Magiſtratu civili quod ad regimen, & quod ad juriſdictionem, tam in criminalibus quam in civilibus: gaudent enim, inquit Chaſſaneus part. 9. conſider. 4. fol. 173. *privilegio clericorum perſonali & reali.* Atqui ab ordinis ſui ſuperioribus tantum dependere, proprium eſt religionis & religioſorum. Probatur autem iſta independentia *tum* ex gloriatione ipſorum equitum in ſtatutis & privilegiis ordinis: *tum* communi praxi: *tum* arreſtis quibuſdam in Galliâ; quę vide apud Paponum, *lib.* 1. *tit.* 10. & apud Choppinum in polit. ſacrâ *lib.* 2. *tit.* 8. 5. 22. 23.

XIII. *Ex eo*, quod ordinariò independentes ſint tam in *criminalibus* quam in civilibus, à juriſdictione, ut & viſitatione, regimine, ac poteſtate Epiſcoporum; juxta *Concil. Trid. ſeſſ.* 7. *c.* 8. & *ſeſſ.* 24. *c.* 11. *cum* declarationibus SS. congreg. ibidem, & conſtitutione Pii V. 26. 1558. coll. cum Choppino & Papono loc. cit. Limitavit tamen hoc privilegium Gregor. XIII. die 7. Januar. 1584. & 25. Novembr. 1580.

XIV. *Ex eo*, quod capitula eorum tum generalia à magno *Magiſtro*, *tum* provincialia ab archimandritis celebrari ſolita, ſint quaſi regularia ſeu religioſa, & ad modum regularium habeantur; & ſic judicia, ut & electio magni Magiſtri, & totum regimen ſit regulare magis, quam politicum ſeu ſæculare. Vide deſcriptionem iſtorum in *Archontol. coſm. lib.* 3. *p.* 18. 25. Ubi imprimis notandum à Papis, ubi ipſis viſum, celebrationem capituli generalis aliquando transferri Romam; uti factum à Paulo II. anno 1466. ubi ipſe interfuit: Immo electionem Magiſtri fieri à Papâ; uti anno 1467. cum dignitatem illam Romæ vacare contingeret: juramentum coram Pontifice illo in caſu non tantum præſtari, ſed etiam electiones, Rhodi & poſtea in inſulâ Melitenſi factas Papæ ſignificari, & obedientiam atque obſequium illi deferri (uti anno 1476.): Immo ſeditione orta contra magnum Magiſtrum Johannem Epiſcopium 1581. à Papâ Gregorio XIII. auditorem rotæ Melitam miſſum ut ordini præeſſet abſente Magiſtro, Magnumque Magiſtrum Romam citatum, & ſummotionem dicti Magiſtri ab equitibus Melitenſibus factam decreto Papæ annullatam eſſe, illudque commentariis ejuſdem ordinis autoritate Papæ inſertum: Hugonem Lobeſium M. Magiſtrum ad Pontificem Clementem VIII. delatum, ibique à crimine impoſito ſe purgaſſe. Ex his, aliiſque regimen, juriſdictio, poteſtas equitum deprehenditur eſſe religioſa & regularis, non vero ſæcularis aut profana.

XV. Ex

Digitized by Google

xv. *Ex eo*, quod bona eorum ſint purè eccleſiaſtica regularia & ſic dicantur à profanis diſtincta. Zypeus in conſil. canonicis *l.* 3. *p.* 331. 1. *Quod* ad ortum, quia acquiſita ſunt per eleëmoſynas & liberales oblationes Chriſtianorum: ſic habet Bulla Innocentii III. cap. *Inter dilectos, de donat. Extr.* & ſuffragantur hiſtoriæ. 2. *Quod* ad uſum eorum, quia præceptoriæ ſive commendæ dantur equitibus tantum in titulum ad vitam, quo ſe ſuſtentent, more aliorum regularium: & conſequenter non ſunt proprie beneficia eccleſiaſtica, ſed adminiſtrationes. Uti juxta ſtatuta ordinis explicant Rodericus *tom.* 2. *quæſt. regular. qu.* 63. *cap.* 13. Azorius loc. ſæpè cit. Tholoſanus *lib.* 1. *cap.* 34. Choppinus Monaſtic. ſeu de Jure cœnobitar., *loc. cit.* & *lib.* 3. *polit. ſacr. tit.* 2. §. 10. 3. *Quod ad immunitatem*, non tantum pariter cum regularibus aliis, ſed etiam ſupra alios complures: neque enim ſunt obnoxiæ nominationi Regis Galliæ (*Choppin. lib.* 1. *tit.* 2. §. 6. ubi citat pro ſe Rebuffum); nec vulgato juri annatarum, ſed primi anni fructus ſacro ærario ordinis attribuuntur, uti ex ordinis ſtatutis, & praxi in *Galliâ* docet Choppinus *lib.* 3. *ſacr. polit.* 3. §. 10. *p.* 441. Neque obnoxiæ ſunt omeribus militaribus, à quibus alii regulares antehac in Galliâ non ſolent eſſe immunes. *Choppin. Monaſtic. lib.* 2. *tit.* 3. §. 10. 11. & *ſacr. polit. tit. cit.* 10. 11. ubi complura ad illuſtrationem hujus monaſtici & religioſi ordinis notatu digniſſima. Ne quid dicam de Pontificum, & Concilii Trid. exemptione ab oneribus eccleſiaſticis, *Concil. Trid. ſeſſ.* 23. *cap.* 18. & *Choppin. lib.* 3. *ſacr. polit. tit.* 2. §. 9. 4. *Quod ad alienationem*, quia nec per donationem inter vivos, nec per Teſtamentum abalienari poteſt reſiduum fructuum ex commendis perceptorum; ſed ordini in ſolidum, illud relinquendum, aut ſi quidem relaxatio & indulgentia quædam hic locum inveniat, per annuas contributiones compenſandum. De hoc Roderic., Azorius, Tholoſanus, loc. cit. ratioque perſpicuè ex Choppino, *lib.* 3. *ſacr. polit. tit.* 3. §. 10. deſumi poteſt, ubi dicit: *Militarium fiduciarum Cenſus, proventuſque hujus competunt verius ſacro ærario, quam privatis ex familiâ poſſeſſoribus, quibus illa duntaxat bino luſtro fruendæ commendantur lege annuæ penſitationis, quaſi pactâ fundi conducti mercede*, &c. *ob id præceptores Hieroſolymitani, queis fiduciaria hæc dantur ſacerdotia, exæquantur nudis inſtitoribus, qui dominicis negotiis præponuntur.* Adde decretum SS. congr. de alienatione apud Barboſam, in collectaneis *pag.* 617. 5. *Quod ad abuſum*; quia comitti poteſt circa hos reditus, ſeu has commendas ſimonia, & abuſus circa regreſſus, ingreſſus, coadjutorias. Uti conſtat ex Pii IV. conſtit. 9. quæ incipit: *circumſpecta* Kal. Julii 1560. & analogicè colligitur ex ſimoniâ circa proviſionem equitum Calatravæ, de qua Barboſa in voce *Simonia*. Et quod bona eorum non fiunt ſpolium

cameræ. Vide bullam Pii IV. *tom. 2. Cherubini pag. 9.* Jam vero nec regreſſus & ingreſſus, nedum ſimonia, &c. non magis ſunt affectiones bonorum ſæcularium, quam Eclipſis eſt affectio ſtellæ fixæ. Penſio laicalis tributa laicis ob cauſam merè temporalem non eſt materia ſimoniæ, ſaltem contra jus divinum: ut docet ex Caſuiſtis Bonacina *tom. 1. fol. 993.* Atqui in admittendis militibus, & in commutandis, conferendis, deponendis annuis reditibus, ſimoniam committi, exſertè concludit Azorius *cap. 6. quæſt. 3.* 6. *Quod ad curam, directionem* ſeu diſpoſitionem bonorum; quia ſumma & peremtoria eſt penes Papam, aut Concilium. Prohibitiones Paparum modo indicavimus. Conceſſiones habet bulla Pii IV. confirmata à Gregorio XIV. anno 1590. quâ conceditur magno Magiſtro, & conventui facultas uniendi, & diſmembrandi beneficia ordinis. 7. *Accedat,* quod in parentum aut cognatorum relictam hæreditatem non *competat* Johannitis ſucceſſio: niſi quod ad uſum fructum per omnem vitam; uti ſecundum ſtatuta ordinis, arreſtis in Galliâ deciſum teſtantur *Choppinus lib. 3. ſacr. polit. tit. 1. §. 20.* & *Papon. tit. cit.* 8. *Quod* ſine conceſſu Magiſtri non poſſint diſponere de bonis patrimonialibus, ſive per modum contractus, ſive per modum ultimæ voluntatis. Ut habent ſtatuta ordinis in novis addit. tit. de *Magiſtris*, cap. *Adjicientes.*

XVI. *Ex eo*, quod non poſſint teſtari. Hoc enim cum privilegio fori conjungi determinavit Rota Romana coram Ludoviſio, poſtea Papâ: quæ eadem Rota decidit deciſ. 47. hos equites eſſe religioſos, præſertim quoad privilegium fori: cui renunciare non poſſent, ſi vellent. Ita Cherubinus in ſcholiis ad Bullam Gregorii XIV. modo *cit. pag. 143. tom. 1. 2.* Atque hactenus ſatis ſuperque probatum putamus Johannitas revera eſſe & dici Papales religioſos, cœnobitas, fratres, regulares, Monachos, Eccleſiaſticos, ad hierarchiam Papalem ſeu ad Eccleſiam Romanam repræſentativam pertinentes, tanquam ſcil. Eccleſiaſticos ſupererogantes, juxta cum aliis religioſorum ordinibus. Nec obſtat, quod diſquiratur aliquando inter ipſos Pontificios, an militares ordines ſint verè religioſi. Omne enim hoc dubium tollitur ab ipſis (inter alios Azorio *cap. 4.* & Honorio ab Axel *lib. 3. tit. 31.*) illâ reſponſione, quod una religio altera laxior ſit, & vota ac regulæ paupertatis, &c. varient gradus. Et conceſſo quædam ipſorum beneficia non eſſe propriè eccleſiaſtica (uti Azorius ibid. *p.* 882. b. concedit) non tamen ſequitur, nullum eſſe votum paupertatis quod ad ſubſtantiam: cum magis & minus non varient ſpeciem; & ſic immota manet theſis, eſſe eccleſiaſticos, ſeu clericos, ſcil. regulares: uti ibid. *p.* 881. concludit.

Digitized by Google

CAP. VI.

Ad Quæſtiones de militibus ſacris reſpondetur.

ACcedamus nunc ab problemata.

I. *Probl.* An eccleſia, ſeu privati homines aut eccleſiaſtici præfecti tam ſuperiores, quam inferiores cujuſcunque tituli & gradus potuerint ordines equitum ſacrorum inſtituere, aut confirmare, aut ſuæ poteſtati directè ſubordinare, ita ut eſſent & dicerentur milites eccleſiæ, *Reſp.* Neg. 1. *Quia* eccleſia qua talis, nec eccleſiaſtici quà tales, habent juriſdictionem cum imperio & poteſtate coactivâ *Luc.* 22. 25. 26. 2 *Cor.* 10. 4. conſequenter ipſorum non eſt bella ſuſcipere, nec bellis gerendis prçeſſe, nec bellicos ordines inſtituere. Uti invictis argumentis, & nube teſtium ex antiquitate eccleſiaſtica, etiam ex jure Canonico, demonſtratum eſt, à Johanne Epiſcopo Roffenſi in defenſione Barclayi contra Bellarminum. Cum quo conferri poteſt conſenſus noſtrorum & multorum Theologorum in Papatu contra temporalem poteſtatem Papæ, & pro independentiâ Regum ac Principum, ſcriptis quamplurimis imprimis in Angliâ, Galliâ, Republica Venetâ jam inde ab anno 1608. teſtatus: quæ alibi indicamus in 2. *part. ſelect. diſp. tit.* de temporali poteſtate Papæ. 2. *Quia* Magiſtratus, ſeu poteſtas publica ſola habet jus belli: ut ex Theologis, Jureconſ. & Politicis omnibus, qui de bello tractant, hic præſupponimus. §. 1.

II. *Probl.* An ſiquidem ordines militares à viris politicis, immo ab ipſis Regibus inſtituti, aut ſaltem confirmati atque approbati fuiſſent, appropiari & tradi potuiſſent eccleſiæ, ſeu eccleſiaſticis ſive conciliis, ſive præſulibus, ſive Papis, ut in poſterum eſſent milites eorum & *κλῆσαι* & *χρῆσαι*? *Reſp.* Neg. 1. *Quia* non debet aut poteſt Magiſtratus, penes quem divino Jure pertinet hæc poteſtas, eam à ſe abalienare, aut in eccleſiaſticos transferre, non magis, quam eccleſiaſtici ſacram poteſtatem eccleſiaſticam transferre poſſunt in politicos? ſecundum noſtram Theologiam, & multo magis ſecundum Papalem. 2. *Quia* quamvis quidam Reges aut Principes hic terminos juris divini *Roman.* 13. 1. 3. per ignorantiam, aut imprudentiam, aut coacti tranſgreſſi eſſent; non tamen inde præjudicium omnibus ipſorum ſucceſſoribus, nedum omnibus aliis ſupremis Principibus, & collateralibus poteſtatibus adferri poteſt, aut ex facto quorundam perpetuum jus fundari. 3. *Quia*, quidquid hic terminos à Deo poſitos turbaſſent nonnulli reges & principes, non tamen debuiſſent eccleſia-

cleſiaſtici, qui juris divini anteceſſores & interpretes ſunt, conſentire, aut pati illam poteſtatem & curam bellicam in ſe transferri, non magis, quam ipſi velint poteſtatem & libertatem eccleſiaſticam, illegitimè à pravis nonnullis eccleſiaſticis proditam ſumi atque uſurpari à principibus ſæcularibus. Vide quid paſſim concionentur Baronius & Bzovius in *annalibus*, & Joh. à Choquiter peculiari tract. cui tit. *Vindiciæ libertatis eccleſiaſticæ.*

4. *Quia*, Eccleſia eſt in Republicâ, non contra: uti habet pervulgatum illud Optati Milevitani. Defenſio ergo, & militia eſt immediatè politię; eccleſia autem non niſi per eam ac in ea fruitur defenſione; quod ſi ſecus hoc accidat, fugit aut patitur, quia arma ejus *ſunt preces & lacrymæ*, uti olim Ambroſius. Atque hæc perpetua antiquæ & patientis eccleſiæ praxis convenit cum jure divino *Jeſa.* 49. 23. & *Rom.* 13. 1. 3. & exemplo Pauli *Actor.* 23. *v.* 17.-23. Conferenda huc, quæ noſtri diſputant contra coactivam poteſtatem Epiſcoporum, & contra utramque poteſtatem politicam atque eccleſiaſticam uni homini impoſitam, quæque notavi in Deſper. cauſa Papatus de clericis bellatoribus.

III. *Probl.* An erectio quatuor primorum ordinum, & ſpeciatim Johannitarum zelum quidem habuerit, ſed ſuperſtitioſum & non ſecundum ſcientiam, & conſequenter an fuerit inutilis & mala. *Reſp.* Aff. 1. *Quia*, ἀταξία erat & ἀλλοτριοεπισκοπὴ erigi ordines per illos, ad quos nec jure divino nec humano pertinebat. 2. *Quia* modus & forma erectionis erat ſuperſtitioſa, ſub votis ſcil. & regulis monaſticis. 3. *Quia* prima erectio, aut ſaltem ſubſecuta conſummatio ejus implicabat idololatriam; cum fieret ſub titulo & invocatione Mariæ, Johannis, Lazari. Vide formulam juramenti. 4. *Quia* cauſæ impulſivæ, & hypotheſes ſeu fundamenta erectionis omnia ſunt ſuperſtitioſa; e. gr. Eſſe ibi adhuc ſepulcrum Chriſti: illud ſepulcrum eſſe ſacrum, conſequenter debere à Chriſtianis religioſè honorari: Hieroſolymam, & Palæſtinam eſſe Terram ſanctam: Votivas peregrinationes eo eſſe ſuſcipiendas: Hunc in finem terram illam à Chriſtianis eſſe recuperandam, aut ſaltem ſepulcrum & loca ſacra Chriſto olim calcata, eſſe defendenda contra inſeſſionem & profanationem Saracenorum, aliorumque infidelium. Sed hæc omnia partim vana eſſe & heterodoxa, fidei & ſtatui eccleſiæ in N. T. repugnantia, partim apertè falſa & conficta, notavit ex noſtris Perkinſus in *Matth.* 23. 37. Gualterus homil. in Reſurrectionem, imprimis Molineus ad epiſtolam Nyſſeni de peregrinantibus Hieroſolymam; & omnes alii, qui ex profeſſo diſputant de Reliquiis & peregrinationibus. Conferri poterit 3. *part. ſelect. diſp. tit.* de peregrinationibus Compoſtellanis. 5. *Quia* conſequenter geminum opus ſeu officium militum iſtorum erat peccatum, ſaltem participatum. Prius opus defenſio ſcil.

&

Digitized by Google

& dedictio peregrinantium ad ſepulcrum, invitabat homines ad ſuperſtitioſas peregrinationes & vanam fiduciam in præſumto illo ſepulcro, aliiſque reliquiis, eoſque in ἐθελοθρησκείᾳ ſua magis comfirmabat, & ſic à fide Chriſti crucifixi abducebat. *Alterum opus*, recuperatio Terræ ſanctę ex manibus infidelium, 1. *partim* erat contra fidem, quod ad intentionem ſcil. belli, & quod ad media ac modum belli gerendi per cruces, & fiduciam in ſigno crucis, & per cruciatas expeditiones. 2. *partim* ſine fide quod ad cauſam, & jus belli. 3. *partim* ſine prudentia, quod ad tempus atque opportunitatem, earundem expeditionum. Vide Reineccii & Dreſſeri diſſertationes de ſacris Expeditionibus præmiſſas Anonymi chronico Hieroſolymitano anno 1584. per Reineccium edito, quas fruſtra refellere conatur Gretſetus *tom.* 2. de Cruce *lib.* 2. *pag.* 167. 255. Confer etiam quæ Rivetus obſervat de ſacro hoc bello in Defenſione Myſterii Iniquit, Pleſſei, ubi de Urbano II. *p.* 203. & 209. & de Nicolao IV. *p.* 468.

IV. *Probl.* An ordines illi religioſorum equitum in forma, uti nunc ſunt, aut ſecundum primam erectionem retinendi & confirmandi ſint à politiis reformatis; ſiquidem eos poſſint tollere aut mutare. *Reſp.* Neg 1. *Quia* religioſi ſeu ordines regulares non ſunt retinendi, nec ulla pars hierarchiæ Romano-papalis: ubi enim exigitur Papatus, etiam omnia fulcra illa & membra ejus exigenda. 2. *Quia*, ſunt independentes à Magiſtratu, & directè ac ſpecialiter dependent una cum aliis locuſtis Apocalypticis à rege ſuo Abaddon: atque hoc præjudicat autoritati Magiſtratus, & paci ac ſecuritati Reipublicæ. Conferri hinc poſſunt ſcripta Anglicana pro juramento fidelitatis contra brevia Pauli V. qualia ſunt ſereniſſ. Regis Jacobi, Roberri Aboti, Johannis Donni, Andrews, Burhilli, &c.

V. *Probl.* An reformatus bonâ conſcientiâ militiam illam ſacram affectare poſſit, aut ſaltem pati ut in eam adſcribatur? *Reſp.* Neg. 1. *Quia* eſt ordo Papalis religioſus, cum votis & regulis Monachalibus: atqui Monachatui nomen dare, aut ordinem aliquem & monaſterium ingredi, nullo modo licet, de communi conſenſu reformatorum. Confer ex Auguſtanæ confeſſionis Theologis Balduinum in caſibus *lib.* 4. *cap.* 4. *caſ.* 7. 2. *Quia*, non debet Papæ tanquam capiti Eccleſiæ ſe ſubjicere, illique homagium pręſtare. 3. *Quia* non debet eſſe miles eccleſiæ ſeu ſedis Romanæ, & pro illâ pugnare. 4. *Quia* non debet ceremoniis ſuperſtitioſis & idololatricis, quę in ſuſceptione militiæ ejuſque profeſſione & juramento adhibentur, ſe immiſcere. Vide illas ceremonias apud Poſſevinum loc. ſupra cit. & Mennenium *p.* 72.

VI. *Probl.* An Principes & politiæ reformatæ poſſint retinere ac fovere ordines ſęculares equitum torquatorum, e. gr. Aurei velleris, S. Stephani,

 &c.

Digitized by Google

&c. *Reſp.* Aff. cum hâc diſtinctione : quę duas conditiones habet. 1. *ſi quidem* ordo retineatur pro defenſione juſtâ & legitimâ ſive Reipubl. ſive fœderatorum, ſive aliorum injuſtè oppreſſorum. 2. *Si* removeantur & expurgentur omnia ſtatuta, conſuetudines, ceremoniæ, tituli, appellationes, quæ vel in erectione ordinis, vel in admiſſione equitum, eorumque juramento, aliquam ſuperſtitionem, aut injuſtitiam Papalem redolere videntur. Sed pateſcet magis limitationis hujus ratio ex problemate ſequenti.

VII. *Probl.* An Reformati abſque præcedente indagine atque examine in caſu & foro conſcientiæ promiſcuè quamvis dignitatem equeſtrem affectare aut oblatam recipere debeant, imprimis ſub ductu & poteſtate Regum ac Principum Pontificiorum; hoc ſolo contenti, quod ordines & honores illi ſint politici ſeu ſæculares. *Reſp.* Neg. ex *Epheſ.* 5. 15. *Matth.* 10. 26. *Rom.* 14. 5. 1 *Cor.* 10. 30. 31. Nam lectis ſtatutis & libro ordinis, inquirendum. 1. *In* juramentum, erectionem, ſtatuta, & proprium officium iſtius ordinis; an in nullo obliget contra Dei verbum, contra eccleſiam Chriſti, alioſve innocentes. Sic e. gr. ordo S. Spiritus inſtitutus eſt in *religionis Romanæ amplificationem, & ſectarii veneni (h. e. reformatæ religionis) exſtirpationem, idque equitum præcipuum iusiurandum eſt*; ſunt verba Henrici III. Regis Galliarum apud Mennenium *p.* 189. Idemque confirmat formula juramenti ibid. *pag.* 188. Similis erectio ordinis *Redemptoris Jeſu* apud Mantuanos: Vide Miræum *lib.* 2. *cap.* 6. 2. *In* ritus & conſuetudines tam in ingreſſu, quam in aliis ſolemnibus officiis ordinis obſervandos. Vide cerimonias in creatione equitum apud Mennenium *p* 8. 9. 10. &c. 3. *In* titulum & appellationem ordinis, e. gr. ordo *Redemptoris Chriſti* apud Mantuanos ſic appellatur, quod inſtitutus anno 1608. ſit in honorem ſanguinis Chriſti, cujus guttulæ aliquot à S. Longino collectę Mantuæ in D Andreæ baſilicâ cum parte ſpongię dominicæ, ejuſdemque Apoſtoli reliquiis magnâ religione adſervantur. Sic & ordo equitum ſtellæ in Galliâ. Vide *Wichmans. Brab. Mar. lib.* 2. *cap.* 38. *pag.* 448. 4. *In* ſymbola, & inſignia: & ſi quæ his ſimilia.

VIII. *Probl.* An conveniat Reformatis dictos ordines affectare aut ſuſcipere ſub ductu & poteſtate Principum, & in communione equitum, qui Papiſmo addicti ſunt, abſque expurgatione & abolitione defectuum illorum, quorum modo meminimus: ſi modo cum ipſis diſpenſetur ſive explicitè ſive implicitè circa omnia illa præſtanda aut obſervanda, quæ conſcientiæ reformatæ repugnant? *Reſp.* Neg. Quidquid forte hic per quæſitas ſubtilitates exciperet quis contra τὸ illicitum, ſaltem nullus etiam tepide reformatus negare poteſt, quin periculoſum & ſcandaloſum ſit illi

con-

Digitized by

confœderationi ſe immiſcere, quæ ſit contra Chriſtum & eccleſiam. 1. *Quia* ſtante collegio, ejuſque erectione & antiquis ſtatutis, ſtat & manet dependentia illa ab Antichriſto, & particularis ejuſdem defenſio per hoc collegium: & ſic jugum trahitur cum malis & hoſtibus eccleſiæ contra 2 *Cor.*6. *Pſal.* 1. & 141. 4. 2. *Quia*, quamvis circa præſtationem juramenti quid diſpenſetur; hoc tamen ἀτόπως hic ſubeſt, quod in idem collegium, & eodem juramento juretur diversâ intentione, non ſine luſu ambigui, aut ſpecie colluſionis cum reliquis Pontificiis. 3. *Quia* manente & re & nomine ac titulo iſtius ordinis, utique particularis intentio unius atque alterius reformati, non poteſt ſcandalum & indecorum auferre, quod committitur in tituli iſtius ſolemni aſſumtione, & profeſſione. De titulo equitum Redemtoris Chriſti ſupra monuimus. Reliquos titulos cum ſymbolis lectori Chriſtiano apud Mennenium examinandos relinquo. Aliquid autem ſitum eſſe in titulis & nominibus cœpi in dicare in 3.*part.ſel.diſp.tit.* de Idololatria indirecta, & in 2.*part.ſel.diſp.tit.* de Gentiliſmo; & pluribus in libello (tit. *Specimen*, &c.) de Confraternit. Marianis *p.*475.-506. Pontificios ipſos, ex hypotheſi Idololatriæ (quæ ratione Papatus apud Reformatos in confeſſo eſt) mihi hic ſuffragaturos eſſe minime dubito. Multa ad probationem ex ipſorum Theologis huc adferre poſſem: Sufficit nunc indicaſſe Poſſevini *Biblioth. lib.*5. *cap.*19. ubi monet à plurimis vocibus in uſu ſermonis latini abſtinendum eſſe, inter alia Gentilium *ſacra* aut *Deos*, ſic non eſſe appellandos, &c. *ne*, inquit, *harum rerum appellatione aliquid maculæ piæ aures contrahant*, &c. *quamobrem hæ voces, quibus profana myſteria detegantur, non ita licenter hoc tempore uſurpandæ ſunt, cum iterum Sataniſmus pullulet.* Sed legat lector integrum caput, quod quamvis ut accuratius examinem, hujus inſtituti non ſit: bonum tamen mihi facit argumentum ad hominem contra Pontificios, aut ſemi Pontificios, qui velint à nobis ſuſque deque haberi titulorum & nominum uſum.

IX. *Probl.* An reditus equitum ſacrorum âutoritate & ductu Magiſtratus applicari poſſint ad juvandam fidem & eccleſiam, per ſuſtentationem miniſterii, & ſcholarum, item pauperum, afflictorum, exulum propter religionem; aut per legationes Euangelicas ad converſionem infidelium, Pontificiorum, &c. *Reſp.* Aff. 1. *Quia* in ſpecie reditus complures iſtorum, in clericos ſui ordinis & miniſteria eccleſiaſtica hactenus impendi ſolent. 2. *Quia*, reſidui reditus ex mente donatorum dati ſunt ad ſolatium & auxilium fidelium, & propagationem fidei. Extra illud genus non evagantur illi, cum in analogos & homogeneos uſus bona illa convertunt, promovendo ſcil. & juvando fidem atque eccleſiam Chriſtianam.

X. *Probl.* An etiam poſſint in ærarium publicum inferri, aut fiſco re-

gum & Principum appropriari? *Reſp.* Aff. nec receditur ab intentione Donatorum, ſed manetur in eodem genere, dum ſcopus & terminus obtinetur: quamvis media, modus & ratio ad ſcopum illum tendendi varient. Magiſtratus præſertim tempore belli dum ex publico ærario ſtipendia exſolvit militibus, & per eos immediatè ac directè politiam, & conſequenter in & cum politiâ defendit religionem & eccleſiam contra hoſtes (uti hic fit in Belgio) ſive Saracenos, ſive Maranos, ſive alios ipſis Turcis Turciores, in ſacram militiam (ab objecto vel occaſione ſic dictam) & in bellum ſacrum reditus impendit. Atqui hęc mens erat donatorum, ut contra aggreſſores fidei Chriſtianæ milites ad defenſionem fidelium armarentur.

XI. *Probl.* An etiam poſſint ex reditibus illis in politiis *reformatis* ſtipendia honoraria aſſignari ſive ut pręmia eorum, qui per ſe *aut in parentibus* & majoribus ſuis de Republ. bene meriti ſunt; ſive ut ſymbola, quibus ad patriæ & religionis defenſionem neceſſitate ita ferente, aut ad honeſtiſſima quæque officia publico præſtanda præ aliis obſtringerentur? *Reſp.* Aff. Nullus enim hic ſcrupulus in foro conſcientiæ, quod ad rem ipſam in ſe. Neque enim receditur plane à generali & *ſubſtantiali intentione* donatorum. Procuratur enim in ſalute & defenſione Republ., *ſalus & defenſio* eccleſiæ & fidelium in illâ Republicâ. Quamvis modus, & ſpecialis forma ac ratio defenſionis, ſeu potius militiæ & ordo defenſorum, variet, non tamen tollitur ipſa defenſio. *Sed ſubjiciat quis:* Donatores ſi non omnes, ſaltem plerique intenderunt in ſpecie & ſignatè defenſionem fidei Papalis aut ſemi-Papalis, hoc eſt ſuperſtitioſæ (uti tunc erat), & quidem contra tales hoſtes in ſpecie, ſcil. Saracenos. *Reſp.* 1. Multi non intenderunt, forte nec plerique; ſed tantum communem cauſam Chriſtianiſmi & Chriſtianorum tam in oriente (unde exulat Papatus) quam in Occidente. Immo per prius & potius Chriſtianis in oriente. 2. Dato eos hoc una intendiſſe, nunc tamen *autoritas* publica & communitatis melius edocta ſeparat ſuperſtitionem à fide: quod fidei & caritatis Chriſtianæ erat retinet; quod ſuperſtitionis conjunctæ, relinquit. Objectum ergo pro quo pugnandum, *reale* erat fides Chriſtiana (cui ſuperſtitio aut nęvus aliquis erat acceſſorius, & per accidens) & *perſonale* fideles ſeu Chriſtiani, quamvis imperfecti. Chriſtianiſmus hodie in politiis reformatis defenſione non caret, quamvis Chriſtianiſmi defectus non defendantur. Sed infra pluribus hanc mutationem circa uſum redituum iſtorum (modo ſit analogica & maneatur in eodem genere) licitam eſſe, probabimus. 2. *Hoſtes* iidem in ſpecie puta Saraceni, ſi non eſſent amplius in rerum naturâ, aut ſi non ita urgerent, aut Paleſtina non eſſet recuperanda, ſed potius alii Republi-

cæ

cæ eſſent infeſti e. gr. Arriani, Manichæi, Judæi, Enthuſiaſtæ, Papa Romanus cum ſuâ factione curiali, Hiſpanica Inquiſitio, &c. quidni liceret poteſtati publicæ, pro re natâ in militiam honorariam, aut vulgarem quamcumque hos reditus impendere: modo prudenter & juſtè deſpiciat quot, qui, quanti reditus & quamdiu ac quibus potiſſimum aſſignandi, quidque hic ferat Republ. neceſſitas & ſalus. Hoc enim fidei & conſcientiæ Magiſtratuum committitur.

XII. *Probl.* An autoritas publica reditus illos partiri & æqualiter aut inæqualiter in tres illos uſus convertere poſſit, abſque læſione donationum, & injuriâ donatorum, aut hęredum? *Reſp.* Aff. Ex modo dictis & infra dicendis conſtat jure divino promiſſivo concedi hoc poteſtati publicæ: applicatio ergo ſpecialis fieri debet in conſcientiâ ſecundum dictamen juris naturalis, Gentium, & civilis. Tantum ne eccleſiæ miniſterium, alięque piæ cauſæ prætereantur plane: quandoquidem pars aliqua redituum in ſpecie clericis ordinum equeſtrium donata, & ab iis hactenus percepta fuit. Niſi forte aliunde hoc ſupplerent & compenſarent Magiſtratus: quæ eſſet non abolitio redituum ſacrorum datorum ad curas animarum, ſed nuda permutatio.

XIII. *Probl.* Quod ſi politia reformata alicubi bono publico velit manere ſeu potius religioſis militum ordinibus ſubſtitui, ordinem aliquem honorarium equitum & patriæ defenſorum, quomodo ille inſtituendus eſſet, ne præjudicio reformatæ religionis & conſcientiæ aliquâ in re ſymbolizet cum papatu? *Reſp.* Non deberet reformari, ſed potius quod ad formam & ſpeciem mutari, & ordo novus atque alius priori ſubſtitui, manente ſolum genere & analogiâ defenſionis Reipub. Chriſtianæ, & cum eâ veræ religionis contra quoſcumque hoſtes: uti ſupra dictum eſt. Modum autem mutationis conſtituimus in iſtis. 1. Ut ſint & dicantur equites honorarii aut defenſionis, ſeu ordo equeſtris & militia Reipublicæ; non eccleſiæ ſive Romanæ, ſive alterius. 2. Ut aboleatur prima erectio, præſertim quod ad ſpecialia & periſtatica: cum quia ſuperſtitioſa, tum quod defenſio peregrinantium & cuſtodia aut recuperatio ſepulcri dominici & terræ ſanctæ nunc nulla ſit, nullumque tale bellum nunc intercedat pleriſque politiis cum Saracenis aut Gentilibus. Breviter erectio ordinum antiquorum (quos religioſos appellant) in ſpecie & formâ, tota quanta eſt, tollatur aboleatur. 3. Ut tollantur confirmationes Papæ, omniſque ordinum ab illo, aut à Prioribus ſeu Magiſtris Generalibus Papiſmo addictis & Papę obſtrictis dependentia, omniſque ad illos reſpectus. 4. Ut aboleantur omnes ceremonię & obſervationes, quæ Monachale aut Papale quid reſipiunt. 5. Imprimis & profeſſio votorum, & juramentum, quod ad ingreſſum præſtari ſolet

Digitized by Google

CAP. VII.

De ordine Johannitarum in Belgio fœderato conſervando aut reſecando.

§. 1. QUæſt. *tertia eſt*, An Magiſtratus reformatus in foro conſcientię ex juſtitia ſuum cuique tribuente, teneatur ordines religioſos equitum, nominatim Johannitarum, cum omnibus antiquis privilegiis & reditibus relinquere, aut ubi poſſeſſione jam moti ſunt, reſtituere? *Reſp:* Neg. ſi modo potentia adſit, nec obſtet ſpecialis conventio. Rationes ſunt iſtæ.

I. *Arg.* Quia potuit Magiſtratus removere & quidem abſque injuſtitia & ſcrupulo conſcientię, nec tenetur reſtituere integrum Papatum *in capite* & in membris: Ergo. Minor præjudicata eſt & in confeſſo apud omnes reformatos; hic itaque operosè non probanda. Majoris conſequentia patet: Quia ordines illi ſunt pars hierarchiæ, & eccleſiæ repræſentativæ Papalis, ut conſtat ex autoribus ſupra aliquoties cit.

II. *Arg.* Quia non reſtituuntur Monachi, religioſi, regulares cujuſcumque ordinis aut regulæ, ne quidem moniales illæ, *quas tertiatas, beatas, Urſulinas* appellant (quarum meminit Bonacina *Theol. moral. tom.* 1. *fol.* 912. *num.* 2. & 3.); nec *converſæ*, & *ſervitiales*, quę duo tantum vota caſtitatis ſcil. & paupertatis emittunt (quarum mentio apud Cherubin. in comp. Bullar. ad bullam Gregorii XIII. anno 1572.) nec *beguinæ*, ſeu potius *begginæ*, de quarum origine & ſtatu à monialibus diſtincto apud *Wichm. l.* 2. *Brabant. Mar. c.* 57. & *lib.* 3. *c.* 36. ubi etiam citat tract. Petri Coens de Beginarum origine; & Zypæum *lib.* 3. *p.* 307. Jam vero religioſos equites eſſe regulares & ordinibus Monachorum accenſeri, (ſaltem magis quam *Begginas*, aut *tertiarias*, aut *converſas*) ſupra præſertim de Johannitis abunde demonſtratum eſt, ex ſtylo curiæ Romanę, & *Concil. Trident. ſeſſ.* 23. *cap.* 18. & *ſeſſ.* 2. *cap.* 11. & ſupremarum curiarum in Galliâ ubi *fratres religionis S. Johannis*, *Cœnobitæ*, &c. præfecti eorum *cœnobiarchæ*, *priores*, &c. domus & præfecturæ eorum *conventus*, *cœnobia*, *præceptoriæ*, *monaſticæ præfecturæ*, &c. Vide *Choppin. lib.* 1. *monaſtic. tit.* 1. aliiſque loc. ſupra cit. adde *Archontol. coſm. lib.* 3. *p.* 22. Quin eſſe eos regulares ſub regulâ Auguſtini, docent præter Chaſſaneum ſupra cit. Miræus *p.* 10. & Volaterranus Anthropolog. *lib.* 21. ex noſtris *Hoſpinian. cap.* 19. de Monachis. Hinc antiqua & uſitata appellatione apud Belgas dicti *Monicken*, & etiam hodie quotieſcumque Templariorum meminerunt vocare ſolent, **de Roode Monicken**, à rubrâ cruce; & agri ac prædia eorum

Mo-

Monicken Lant (nomen eſt agri, qui adjacet arci Lovenſteinenſi in ripa Vahalis prope Gorcomium); & manſus ſeu conventus eorum, het Monicken-Hof, uti etiamnum in agro Heuſdano in vico *Wijck* appellatio illa permanet; ubi conſtanti traditione per manus à majoribus acceptâ referunt incolę, omnes iſtius conventus (Monicken-Hof) Templarios fuiſſe in communi exſtirpatione ordinis occiſos, excepto uno, qui caſu aliquo evaſerat. Concludimus, pari jure & eadem conſcientiâ hic diſponere Magiſtratum de religioſis equitibus, ac de aliis quibuſcumque Monachis & monaſteriis, quamvis ordine aut Papâ fruſtra retinente.

III. *Arg.* Quia equites illi in & cum magno ſuo Magiſtro homagium pręſtant & jurant Papæ; ei directè ſubjecti ſunt, ab eoque dependent non tantum communiter ut alii regulares in Papatu, ſed & ſpeciali quadam ratione tanquam ejus vaſalli; & conſequenter pro ipſius poteſtate Papali (in ſpiritualibus & temporalibus) ſtare & pugnare debent, contra omnes ejuſdem adverſarios, quales ſunt imprimis Magiſtratus & politiæ reformatæ. Jam vero, uti poteſtas illa Antichriſtiana, cum politiâ reformata, ejuſque libertate (e. gr. in Belgio) & independente poteſtate Magiſtratuum ſtare nequit, ita nec independens poteſtas & privilegia ordinis Johannitarum, & ſimilium, quæ inſerviunt, & directè ſubordinantur poteſtati Papali. Ne jam dicam, etiam ratione religionis & eccleſiæ reformatæ, quæ publica eſt in politiis reformatis, & cujus cauſa ibi partem facit immo & fundamentum ſtatus, & cui ex profeſſo adverſantur Magni magiſtri cum ſuis ordinibus, reſtitutionem illorum equitum eſſe cum ſalute & pace Reipublicæ ἀπαθῆ.

IV. *Arg.* Quia ordines illi ſunt independentes ab omni Magiſtratu politico, & conſequenter Rempublicam faciunt in Republ.; eo quod ſint religioſi ſeu regulares, & *ſancta ſodalitia* ſeu collegia *militaria.* (Sic eos vocat Petr. Streithagen Flori Chriſtiani *l.* 4. *cap.* 15.): atqui collegia nulla poſſunt inſtitui, aut reſtitui aut tolerari abſque dependentiâ à Magiſtratu; ut communiter docent omnes politici & Jureconſulti. Indico nunc tantum ex Pontificiis *Tholoſan. lib.* 13. *Politic. c.* 2. 3. & *ſyntagm. l.* 1. *c.* 8. & *l.* 39. *c.* 1. Bodinum *l.* 3. *polit. c.* 7. Ex Anti-Pontificiis *Althuſ. l.* 1. *dicaiol. c.* 4. Beſoldum in opere politico *diſſ. pecul.* §. 6. 8. 9. Tantum à lege excipitur apud Pontificios collegium religioſum, idque ex prædominatione juris canonici ſeu Pontificii ſupra jus civile. Sed exceptioni illi, cum toto jure Pontificio nullus locus in politiis reformatis.

V. *Arg.* Quia eſt & dicitur militia eccleſiæ ſeu ſacra, toto genere à militiâ ſæculari & politicâ diſtincta. Eccleſiæ Romanæ ſeu Antichriſtianæ militiam regularem, aut milites ſacros non eſſe reſtituendos norunt omnes

Refor-

Reformati: immo illos ex eâ (ſpeciatim in Belgio noſtro) juxta cum omnibus aliis religioſis, Monachis & locuſtis Apocalypticis eſſe excluſiſſimos, colligi poteſt ex publicis decretis Illuſtr. DD. Ordd. General. anno 1612. & 1622. aliiſque decretis renovatis in particularibus provinciis. Hęc enim decreta ad equites extendi debere nobis non minus certum ac ratum eſt, ac Pontificiis equites illos eſſe religioſos, & regulares. Nec poteſt excipi eos fore milites eccleſiæ Chriſtianæ ſimpliciter & propriè ſic dictę abſque cauda factionis Romanæ (qualis eſt noſtra reformata); quia nec eccleſia talis vult militiam, nec jure divino velle poteſt, ſed à ſolâ militiâ politiæ defenſionem ſuam poſt Deum exſpectat; nec equites illi pro eccleſiâ noſtra pugnare vellent, quippe qui operam & arma impendere tenentur & parati ſunt in ejus exſtirpationem. Vide quid ordo Melitenſis per oratorem ſuum obtulerit Concil. Tridentino, *lib.* 8. *Hiſtor. Concil. Trid pag.* 888.

VI. *Arg.* Quia ordines illi in politiis reformatis eſſent otioſi & inutiles, quin & oneroſi ac periculoſi. *Prius* probatur e. gr. de Johannitis quod ad primam erectionem; quæ erat hoſpitio Hieroſolymis excipere peregrinantes, eoſdem deducere & tueri contra infideles, ſepulcrum cuſtodire, & hunc in finem contra Saracenos ibidem pugnare, *hæc officia eorum vide* deſcripta apud *Mir.* & *Mennen.* & *Archontol. Coſm.* & ex noſtris Hoſpinian. locis ſupra cit. Quod ad hodiernorum Melitenſium excurſiones in Turcam, quibus politiis reformatis & quomodo utiles aut neceſſariç ſint, Politicis hâc vice diſquirendum relinquimus. Poterunt illę, quibus & quando Turcæ bello petendi ſunt, de militiâ inſtituendâ deſpicere. *Poſterius* ſatis liquet ex ſupra dictis, & infra dicendis. Hic nolo præterire in politiis Papalibus non ſemper tam utilem aut neceſſarium hunc ordinem fuiſſe habitum; ſed ſatis violentum & tyrannicum, quaſi alterâ quâdam tyrannide Papali libertates & jura Epiſcoporum atque Eccleſiæ opprimentem. De Anglia ſua conqueritur Joh. Sariſburienſis *epiſt.* 95. & de Palæſtinâ Gulielmus Tyrius *lib.* 18. *cap.* 8. Quę notata vide apud Rivetum in defenſione Myſterii Pleſſei *part.* 2. *pag.* 296. 297. Ipſe Pleſſeus in Myſterio *p.* 794. edit. in 8. ex Cuſpiniano & Mario refert perfidam proditionem templariorum, & Hoſpitalariorum adverſus Fridericum Imperatorem. Cromerus (apud *Tholoſan. lib.* 15. *c.* 34.) eos arguit tanquam infidos & crudeles contra Polonos, & alios & quod decimam uſurparent contra jura ſacerdotum. Sed dices hæc facta ſunt. Fateor: pergo ergo ad ſequentia argumenta; interim timeo Danaos & dona ferentes. Si enim tales fuerint in ſuę religionis homines, quales in reformatos futuri eſſent?

VII. *Arg.* Ab abſurdis incommodis multis quę ſequerentur, ſiquidem reſti-

reſtituendi eſſent ordines illi cum prætenſis juribus, reditibus, & privilegiis. I. Reditus illi in politiis reformatis in alium (non vero in alienum) finem hactenus injuſtè fuiſſent converſi, & ipſi ordines aboliti. Ratio conſequentię eſt, quia ſi una politia ex rationibus & fundamentis à Johannitarum Magiſtro aut ordine (quæ infra exhibebimus) allegatis, jure & in conſciéntia tenetur ad reſtitutionem; ergo & omnes aliæ: nec ulla eſt, quæ reſtitutionem negare aut differre poſſit. Addi poteſt, ſequi Magiſtratus ablatione & aliâ uſurpatione redituum iſtorum, incurriſſe pœnam capitis. Vide Corn. I. Rynthelen Juriſtam Romano *Cathol. c.* 74. & 10. 7. II. Non tantum pari ratione, ſed longe majori reſtitui deberent omnes tertiarii collegialiter viventes, moniales ſervitiales, nigræ ſorores, *Beggina* cum domibus, & reditibus earum: illæ enim minus ſunt regulares & religioſæ quam Johannitæ, qui à SS. congr. (apud Barboſam in collecta n. voce *religio*) dicuntur *religio Hieroſolymitana.* Unde & aliud abſurdum ſequitur, ſcil. III. Nullo colore ab eccleſiis peti & à Magiſtratibus curari poſſe abolitionem & coercitionem Clopparum: contra illud, quod ſuadere conati ſumus *diſp.* 3. de Monachatu *part.* I. de Monachis in ſpecie. Nam Cloppas etiam eſſe ſuo modo religioſas & regulares (quamvis minus quam Johannitas) loc. cit. oſtendimus. Quibus adde nunc obſervationem Zypæi in Analyticâ explicatione novi juris Canonici *lib.* 3. *p.* 304. 305. quâ ſtatuit Begginas, Canoniſſas, & fideles mulieres in domibus ſuis pœnitentiam agentes non ex præſcripto, ſed prout Dominus ipſis inſpirat (ut loquitur Clemens V.) quæ ſunt prototypon Clopparum noſtrarum, viſitationi ordinarii eſſe ſubjectas, nec poſſe Epiſcopale forum declinare, conſequenter aliqua ratione eſſè eccleſiaſticas. De iiſdem Cloppis etiam inde conſtat, quod regulares non poſſint in eccleſiis ſuis abſque Parochi interventu ſepelire mulieres merè laicas ſeu nullo modo religioſas, ſed bene *mulieres virginalem ſeu cælibem, aut caſtam vidualem expreſſo voto & ſub dicto habitu vitam ducentes* (juxta decretum SS. congr. 20. Junii 1609. apud Barboſ. voce *regulares* p. 616.): his autem accenſendas arbitramur noſtrates Cloppas, quippe eaſdem cum illis, aut proximè ſimiles. IV. Pari jure & ratione reſtitui deberent omnes alii ordines Monachorum: quia rationes, quas Johannitæ prætendunt, non minus, ſi non multo magis pro illis militant: quibus ſi accedunt interceſſiones Regum & Principum Pontificiæ religionis, ſed confœderatorum (puta Regis Galliæ), ad hęc ſi miniſter generalis Benedictinorum, Ciſtercienſium, &c. ſit Gallus aut originale ordinis Monaſterium ſit in Galliâ, quâ ratione poſtliminium ordinibus illis negabitur, quod Johannitis concederetur. Poſſet enim dicere generalis eorum, non tantum ſum neutralis quod ad ſtatum belli cum

 Hiſpa-

Hiſpanis, ſed ſecutus partes Regis noſtri, veſter ſum contra Hiſpanos. Quidquid ſit in hoc ſtatu belli, vobis nihil tale metuendum ab inermibus Monachis, quale forte metui poſſet à religioſis armatis & militiam profeſſis. Conferri poteſt Gaſparis Schioppii, *Aſtrologia eccleſiaſtica*, ſeu *aſtrum inexſtinctum*, ubi ex jure Papali ſubtiliter diſputat contra Jeſuitam Paulum Laymannum, pro jure poſtliminii in illis locis, ubi monaſteria in ſcholaſticas congregationes redacta ſunt, aut ab hæreticis occupata, aut ubi nihil eorum ſupereſt. Summa diſputationis huc redit. Quod, privilegia, jura, & bona ordinum non poſſunt auferri aut mortificari, quamdiu in orbe Papali ordo talis ſubſiſtit. Subſiſtit autem in ſuo generali, capitulo, & monaſteriis aliquot, ſeu domibus. Ordo vero aboleri non poteſt, niſi per Papam. *p.* 109. 100. 111. contendit jus & actionem petendæ reſtitutionis competere ordini, qui eſt univerſitas, immo & ſingularibus perſonis nomine ordinis, quia religio ſi ſunt ejuſdem ordinis & familiæ, qui tanquam filii repetunt jure hæreditario parentis hoc eſt fundatoris ordinis (ex. gr. Benedicti) patrimonium ab hoſtibus direptum. Subjicit ibidem, hęredes donatorum & fundatorum poſſe agere; immo & advocatos cœnobiorum tam particulares quam univerſales (qualis in Germaniâ eſt Imperator); quin & locorum ordinarios; denique Papam, *ſeu ſedem Apoſtolicam* omnium matrem, quæ nunquam moritur. v. *Multo* magis reſtituendi eſſent omnes ordines monialium cum monaſteriis, privilegiis, & reditibus ſuis. Quippe à quibus arma eccleſiaſtica aut ſæcularia non ita expediri poſſunt aut ſolent, ac ob ordine Johannitarum, qui partim conſtat ex Clericis ſacrorum miniſtris partim ex armatis militibus. Si enim Johannitis alicubi conatus ſuccedunt, proclive erit Nonnis ac monialibus per advocatum aliquem Magiſtratus obtundere verbis Rodolphi Boterei hiſtorici Galli *lib.* 3. in fine, ubi refert in Sueciâ anno 1595. decretum, monaſticos omnes ablegandos, & qui ritibus Pontificiis ſacra peragunt & monaſticen profitentur: *cauſſabantur novatores* (inquit) *à Pontificiis non eſſe ſecuros, clam res novas moliri*, &c. Et hanc ἐπίκρισιν ſubjicit: *Sed his præſtigiis indulgeamus? à virginibus incluſis ſilentio & ſolitudini votivæ mancipatis, quæ non niſi per clathrum & ferreos cancellos vident, & alloquuntur, non potuit eſſe metus, niſi quem Eumenides in conſcientiis & ſceleratis animis concitant*, &c. vi. *Legati Papales* eorumque viſitationes cum tempore exſpectandæ & concedendæ erunt: qui enim dat formam, dat conſequentia formam. Ubi ordo Johannitarum, ejuſque prioratus, præceptoriæ, conventus, hoſpitalia; ibi adjunctum eorundem proprium viſitatio Papalis, ſcil. per legatos ſuos. Ab eâ enim per nullum privilegium exemti ſunt, aut eximi poſſunt: non magis quam ab ipſius Papæ. Imprimis legatorum

Digitized by Google

torum illorum admiſſio ſeu mavis permiſſio aut ſaltem tolerantia metuenda erit, ſi contigerit eos eſſe Cardinales aut Epiſcopos, filios Principum, Regum nepotes, ex Germaniâ, Galliâ, Polonia aliiſque politiis oriundos, ubi reformatæ religioni & eccleſiæ locus conceditur, forte & arctior confœderatio inter ipſam & reformatam politiam intercedit. Acceſſus autem & receſſus legatis ejuſmodi quam difficulter negandus ſit, vident prudentiores, ſi quidem neutralitas Papæ quod ad cauſam belli, & dependentia ordinis à Papâ non tantum in ſpiritualibus & in negotiis conſcientię, ſed & in temporalibus tanquam vaſalli à domino ſuperiori prætendantur. Ubi enim ordo permittitur, ibi una permittitur illa neceſſaria dependentia, ſine quâ ordo non eſt ordo.

VII. *Negotiatio* multiplex Paparum, curiæ Romanæ, & Epiſcoporum in illas politias una reduceretur: quod periculis & incommodis non caret. Antecedens probatur. 1. *Quia* totus ordo ſubeſt juriſdictioni Papæ; ut ſupra oſtenſum eſt 2. *Quia* quod ad partem ſui, clericos ſcil., eccleſias, beneficia curata ſubeſt regimini & juriſdictioni Epiſcoporum: quamvis exemtiones & limitationes quædam accedant. De quibus vide declarationes *SS. congreg. ad ſeſſ. 21. Concil. Trid. cap.* 8. & *ſeſſ. 7. cap.* 8. 3. *Quia* habent *conſervatores* ordinis, (judices ſcil.) *illique religioni* (uti loquitur Barboſa) *jus eligendi conſervatores* de novo confirmatum ab Urbano VIII. *conſtit.* 17. Februar. 1628. quæ incipit. *Ex poni*, teſte Barboſa in *collect. p.* 335. Eligunt autem conſervatores, in dignitate eccleſiaſtica conſtitutos, hoc eſt Cardinales, vel ſimiles archierophantas; juxta Bullam Pii IV. Kal. Jul. 1560. Quæ incipit, *circumſpecta*. 4. *Quia* ipſe ordo Johannitarum in multis beneficiis ſuis habet juriſdictionem ſpiritualem & temporalem: ut colligitur ex Bulla Pii V. die 22. Septembr. 1571. quæ incipit, *Paſtoralis officii debitum.* Hęc autem monopolia fori Romani, quam bene conveniant politiis reformatis, prudentiorum arbitratui relinquimus.

VIII. *Clerici quamplures*, cum hoc ordine reducerentur: non intelligo clericos & ſacerdotes, aut vicarios communes ex occaſione religionis Pontificiæ, cui ordo cum Magiſtro & prioribus adhęret, ſed proprios clericos iſtius ordinis religioſi; qui ab illo multo minus tolli poſſunt, quam equites. Jam vero multiplicatio iſtarum locuſtarum & emiſſariorum non facit ad pacem & ſecuritatem politiæ reformatæ; præſertim cum poſt ſe trahat caudam Papalis, Epiſcopalis, & ſuperiorum clericorum, ut & conſervatorum iſtius ordinis, regiminis ac juriſdictionis: ut conſtat, ex ſupra dictis.

IX. *Eccleſia* & eccleſiaſtica beneficia curata, cum reditibus, juribus (non tam patronatus, quam ſuperioris gradus & alterius generis) non pauca una cum ordine reſtituerentur, aut ſaltem reſtitui ſibi cum tem-

 pore,

Digitized by Google

pore, ubi jam in poſſeſſione confirmati eſſent, poſtularent. Multę enim eccleſiæ, ad ordines illos in ſolidum pertinent, aut ab iis aliquâ ratione dependent, ſecundum jura antiqua. De Teutonicis *& παρόδῳ Wichmans Brabant. Mar. lib. 2. cap.* 30. Sed nolumus hiſtorias illas antiquitatum ſeu potius novitatum Papalium hic exhibere. Quibus vacat, conſulant Faſtos, diplomata, & donationes Belgicas Aub. Miræi, & Hiſtor. eccleſiaſtic. Belgicam Dionyſ. Mutſart. Cuivis etiam facile erit ſuę regionis aut provinciæ eccleſias & beneficia enumerare. Nunc conſiderent pii & prudentes, quantæ hinc difficultates, vexationes, & contentiones miſeris eccleſiis, earumque fidis Paſtoribus ab unâ parte; quanta allicia, quantæ circumventiones, & tentationes etiam corruptiones eccleſiaſticorum, privatorum fidelium, etiam optimatum exſpectandæ ſint ab illis, qui à nullâ politicâ & eccleſiaſticâ noſtrâ poteſtate dependerent, & à *quibus tam* multi ratione autoritatis, templorum, domuum, agrorum, redituum neceſſario dependerent; quique adeo ordinis conſervatori, ut & Magno Magiſtro ſuo, magnis prioribus, & in illis ipſi ſedi Romanæ, ejuſque legatis, viſitatoribus, & Epiſcopis hac in parte quævis officia in favorem Papalis & in depreſſionem reformatæ religionis præſtare non recuſarent.

x. *Magiſtratuum autoritati* non parum decederet, *reſtitutione ordinis* independentis & à ſolo Papâ dependentis: pręſertim ubi regimen eſt Democratico-ariſtocraticum. Subditi non pauci propter neceſſitudines & dependentias modo indicatas aſtrum hoc inexſtinctum tam ſolemniter reſtitutum magis reſpicerent, quam legitimos Magiſtratus. Quam tutum autem ſit Rempublicam poſtliminio erigi in Republicâ, amplificare poterunt Politici & ICC. quorum hic ager eſt.

xi. Denique *Damnum* hinc *emergens* non unum eſt. 1. Politici ærarii, 2. ærarii eccleſiaſtici. 3. privatorum nobilium & honoratorum, quibus tanquam bene meritis, aut in poſterum de patriâ merituris, per redituum iſtorum reſtitutionem ſtipendia honoraria, aut præmia aſſignati non poſſent: uti ſupra determinatum eſt.

Except. Erunt forte qui adverſus hæc incommoda & abſurda excipiant novo quodam *εὑρήματι* & *σόφῳ φαρμάκῳ*: Poterunt noſtræ religionis & patrię ſuæ amantes ad ſuſceptionem ordinis illius & præceptoriarum fruitionem promoveri, ſi non omnium ſaltem aliquarum, idque per tranſactionem cum Magno Magiſtro & ordine, cum approbatione aut ſaltem conniventiâ ipſius Papæ: & ita religionis ac patriæ ſecuritati ſatis proſpectum erit, quandoquidem nihil in conventibus priorum, & equitum concludi poterit abſque conſcientiâ reformatorum. *Reſp.* Sed hoc remedium ipſo morbo pejus & periculoſius eſt. 1. Quia reformati non poſſunt

in

Digitized by

in erectionem & ſtatuta ordinis jurare, ut ſupra oſtenſum eſt. 2. Et quicunque hic ſyncretiſmus, aut quęcunque diſpenſatio fingeretur, ſaltem ab ambiguitate & ab omni conſcientiæ ſcrupulo juramentum noſtrorum non liberaretur; conſequenter nec à ſcandalo, & ſpecie colluſionis cum ordine qui à Papa ſpecialiter dependet, eique multis modis obnoxius eſt. De Rege Hiſpaniæ jam nihil dicam. Vide infra. 3. Denique perpetuus redderetur ordo & collegium, quod ad illam ſui partem, quæ Papiſmum profiteretur, directè & ſecundum ſui intentionem dependens à Papâ, uti ſupra dictum eſt. Præſtaret ergo, ſiquidem in poteſtate Magiſtratus non eſſet ordinem illum abolere, eique plane alium ſubſtituere, eum totum Papiſtis relinqui, quam Iſraëlitas Midianitis miſceri, & ſenſim ſine ſenſu Papali ſedi atque ordini aſſuefieri, & cum cane ad vomitum reverti.

VIII. *Arg.* Eſt ad hominem; idque geminum. 1. *Quia* ipſe ordo in Papatu mutavit primam ſui erectionem, quæ conſiſtebat in hoſpitalitate, & cuſtodiâ peregrinantium Hieroſolymam (Miræus *pag.* 5.), & reditus in illum finem donatos applicuit uſui analogo h. e. excurſionibus quibuſdam in Turcas, ſeu imperium Ottomannicum in Aſiâ. Non tenentur ergo politiæ reformatæ ad fines illos ſpeciales, ad quos reditus primum donati ſunt: ſed licet ipſis analogicos uſus ſpectare, defenſionem ſcil. patriæ & Religionis; non contra Imperatorem Ottomannicum, qui cum ipſis nunc pacem colit, ſed contra quemvis alium utriuſque hoſtem. Quod ſi Reſpublica ſit extra ſtatum belli, ſunt alii uſus, in quos impendi poſſent. Nec exſpectabit Magiſtratus, nec ſubditos exſpectare volet beneficia à Magno Magiſtro, aliiſque Paparum ſatellitibus, cum ipſi poteſtatem habeant iis benefaciendi, ſibique obligandi. 2. *Quia* ſi licitum fuit in Papatu totum ordinem Templariorum abrogare, ordinem S. Lazari alteri ordini (Johannitarum) incorporare, rurſumque poſt plurium annorum decurſum excorporare, & reditus ac beneficia diſmembrare (ut terminis canoniſticis utar) ad hæc reditus unius ordinis in alterum transferre; (vide Mir. & Mennen. de equitibus S. Mauritii) quidni & Magiſtratui ſupremo tale quid liceat?

IX. *Arg.* Addamus aliquem conſenſum. *Primum* occurrit perpetua praxis antiquitatis convertens reditus ſacros templorum, ſacerdotum, veſtalium in uſus religionis Chriſtianæ; cujus juſtitiam & pietatem contra poſtulatam reſtitutionem defenderunt doctores Chriſtiani, inter quos Ambroſius in duabus epiſtolis ad Imperatorem Valentinianum, quibus reſpondet epiſtolæ Symmachi, quæ exſtat *l.* 10. 16. Edidit eas Ambroſiii epiſtolas cum Symmacho Cl. Philippus Pareus edit. poſtrem. anno 1642. Francof. Quæ ibi, aut in operibus Ambroſii integræ legendæ, & huic negotio

applicandæ. *Secundo*, occurrit & judicium & praxis in ipſo Papatu. Henricus VIII. Angliæ rex abolito ordine; reditus eorum in alios uſus convertit, teſte *Joh. Speed. hiſtor. lib. 9. cap.* 21. Polydorus Virgilius *lib.* 7. de Inventoribus *cap.* 5. cum de ſacrorum militum, ſcil. Rhodiorum, &c. ut & aliorum regularium inſtitutis tanquam merè humanis & ſuperſtitioſis locutus fuiſſet, tandem ſic concludit: *Hinc cognoſcere licet, quam conducibile eſſet haſce hominum feces abſcindere*, &c. *ne ſuis ſordibus cultus divini nitorem conſpurcarent. Tertio*, praxis reformatorum in Belgio hactenus ſatis ſuperque docuit, ordines illos nec retinendos nec reſtituendos. Nobiliſſ. & Ampliſſ. Senatus Neomagenſis publico ſcripto jus & factum egregiè explicuit. Quorum cauſam Rever. paſtores claſſis Neomagenſis, ut & Synodus Geldrica Zutphanienſis 1641. per Deputatos ſuos Theologicè vindicavit. Quid de retinendis ordinibus illis cenſuerit *Holpinianus* (qui alioquin primam erectionem ſatis, forte nimis indulgenter, probaverat) facile eſt colligere ex appendice de Monachis cap. 24. p. 173. *Hæ militares familiæ poſteris ætatibus degenerarunt à ſuis majoribus, ab eorumque inſtituto turpiſſimè degenerârunt. Nam cum pericula ſuperata eſſent, paulatim ex opum & otii abundantiâ à pietate, integritate, fortitudine, in Epicuream ſecuritatem, luxus, mollitiem, & ignaviam prolapſi ſunt, & nimio voluptatum ſtudio curam eccleſiæ prorſus abjecerunt.* Quę viſum eſt hic annotare, ne Illuſtr. Belgicarum provinciarum Ordd. (inter quas hęc noſtra) & Nobiliſſ. atque Ampliſſ. Magiſtratus quarundam urbium, rapinę atque injuſtitiæ, & Theologi tanquam iſtius criminis fautores ac conſortes arguantur apud rerum noſtrarum ignaros: uti non obſcurè in libello quodam pro reſtitutione ordinis Johannitici edito, argui videntur. Cum tamen in cauſâ Templariorum, ſecum deberent habitare; qui à Papâ & Papanis aboliti non tantum ſed exciſi ſunt, nec unquam reſtituti: *quod ſenſim à pietate ad divitias, à divitiis ad ſaturitatem, à ſaturitate ad laſciviam tranſgreſſi, vel ſcelera commiſerint, vel commiſiſſe exiſtimati ſint:* ſunt verba Streithagen *lib.* 4. Flori *Chriſt. cap.* 15. Sunt in Papatu qui cenſent ordinem illum tanquam inutilem juſtè fuiſſe abolitum: alii contra rapinæ & avaritiæ hoc adſcribunt.

CAP.

Digitized by Google

CAP. VIII.

Diluuntur rationes pro poſtulato poſtliminio Johannitarum.

DIluamus nunc objectiones ſeu argumenta pro poſtulato poſtliminio nuper allata.

I. *Arg.* Quia ordines illi, nominatim Johannitarum publicâ autoritate inſtituti ſunt: ergo reſtituendi cum ſuis reditibus & privilegiis. *Reſp.* 1. Per retorſionem: ergo etiam publica autoritate deſtitui poſſunt, aut deſtituti non reſtitui. 2. Quâ autoritate ex. gr. in Belgio inſtituti ſunt? Eccleſiaſtico-Papali? Atqui illa jam abolita eſt, & cum ea etiam ordines illi. An vero politica, Si affirmetur, quæro, an factum fuerit tempore Papatus, an vero tempore reformationis. *Si illud*, jam nihil dicitur; quia fuit poteſtas & libertas politiarum tunc ligata & ferè oppreſſa, ita ut inde præſenti & plenæ poteſtati politicę nullum præjudicium creari poſſit, non magis quam ab uſurpatione & oppreſſione cujuſcumque alterius tyrannidis aut tyranni. *Si iſtud:* cedo tabulas. 3. Ipſæ origines ordinum (apud Miræum & Mennenium alioſque autores ſupra citatos) negant à poteſtate publica Magiſtratuum inſtitutos eſſe. Inſtar omnium regularium ſeu religioſorum ſeipſos inſtituerunt; approbante Papâ. Contra quod nihil poterant nec audebant (ſi quidem aliter ſenſiſſent) Principes ſæculares.

II *Arg.* Quia bona in eum finem donata ſunt, atque hactenus uſurpata ſunt in hunc finem, ut Chriſtianiſmus contra Turcicam tyrannidem vindicetur in oriente, & defendatur in occidente: ergo à Magiſtratu in alios uſus converti nequeunt. *Reſp.* 1. Hęc conſequentia ſi procedit, pariter concluſum erit pro reſtitutione omnium redituum ſacrorum apud Ethnicos contra antiquum Chriſtianiſmum, & Chriſtianos Imperatores, Conſtantinum, Theodoſium, Valentinianum, &c. & vicerit Symmachus ſupra cit. cauſam dicens pro Ethnicis, & cauſa ceciderit Ambroſius agens pro Chriſtianis. Ita Rodolphus Botereus in Hiſtor. ſuâ loc. cit. comparat cauſam Monialium (quarum reditus in Regno Sueciæ alios in uſus converſi) p. 9. 8. edit. lat. in 4. *Quod ſi Ethnicus urbis æternæ præfectus Symmachus ejectis Gentilium veſtalibus, omnia quæ ſuo ævo contingebant, propter ademtam illis annonam imputat, quid de ejectione ſacrarum virginum Chriſtianos conjicere oportet. Sic enim Symmachus:* Sequitur ſacrilegium, fames publica, &c. Inſuper concluſum erit pro reſtitutione omnium redituum Epiſcopalium, abbatialium, ſacerdotalium, Monachalium, &c. ad uſus priores & Papales: Quod politiis reformatis non perſuadebitur. *Reſp.* 2. Nititur

tota

tota hæc conſequentia, iſta falsâ hypotheſi: Omnes reditus ſacros debe-
„ re in eoſdem illos ſpeciales uſus, & quidem in ac cum talibus circum-
„ ſtantiis atque acceſſoriis immo etiam cum omnibus corruptelis ac de-
„ fectibus particularibus impendi, in quos & cum quibus dati ac conſtituti
„ ſunt; nullamque hic aut ab hæredibus, ſi ſupereſſent, aut à *poteſtate*
„ publicâ poſſe fieri mutationem. Quam hypotheſin nos ut falſiſſimam, omnique juri divino, atque humano nec non praxi univerſali tum reformatæ tum Papali Eccleſiaſticę & politicæ repugnare aſſerimus. Nam. *Primo* ſufficit ſi in eadem analogiâ aut eodem genere ſive proximo ſive propinquo uſus maneat, & bona in alienum planè uſum non convertantur: nec requiritur ut ratione, neceſſitate, rerumque mutatis circumſtantiis ita ſuadentibus, in eadem ſpecie aut ſpeciali formâ & modo uſus maneat. ex. gr. ſi reditus pauperibus leproſis legati, ubi non ſunt leproſi, *tempore peſtis*, neceſſitate ita urgente, impendantur in curam ægrotorum: aut in calamitate Bellicâ in redemtionem captivorum. Deinde ſufficit, ſi à re & ſubſtantiâ rei aut in genere aut etiam in ſpecie ex mente donatorum non recedatur nec bona illa alienentur, ex. gr. ab auxilio, & promotione religionis & eccleſiæ; quamvis diſcedatur à particulari circumſtantia, nempe objecti particularis circa quod, loci in quo ſeu *ubi*, & *mediorum*, *per* quæ auxilium illud ferendum. *Tertio*, ſufficit, ſi ipſe verus uſus redituum ſacrorum in ſe retineatur; non autem requiritur ut abuſus & errores, circa particularia illa objecta, & media ac modos, retineantur; quamvis donatores explicitè aut implicitè abuſus & defectus illos una cum veris intenderint, ſive principaliter ſive minus principaliter. Atque hic eſt non tantum communis ſenſus Reformatorum, ſed & patrum ſeu antiquæ eccleſię, immo & Eccleſiæ Romanæ. De antiquâ eccleſiâ fidem faciunt epiſtolæ Ambroſii; exempla Imperatorum Chriſtianorum jam inde à Conſtantino, qui Templa Ethnica, reditúſque templorum, ſacerdotum, veſtalium, &c. in uſus religionis Chriſtianæ converterunt. Quæ etiam defendit Tholoſanus in Inſtitutionibus novis de beneficiis, *cap.* 4. *§.* 14. Ubi dicit Veſtales ſucceſſionis & poſſeſſionis relictorum incapaces factas, quod ea in proprias voluptates transferrent, vel ſecundum intentionem & voluntatem donatorum non diſpenſarent. Addit ibidem Arcadium vetuiſſe eccleſiaſticis quidquam donari, etiam Teſtamento *l.* 20. & 27. de Sacr. Eccleſiis in C. Theodoſiano, propter eandem cauſam. De Romanâ Eccleſiâ probatur, ex decretis Concilii *Trident. ſeſſ.* 23. *cap.* 13. 14. & *ſeſſ.* 23. *cap.* 18. cum collectaneis Barboſæ ad capp. cit. & declarationibus Cardinalium; unde authenticè & peremtoriè concluditur bona eccleſiaſtica ad ſimiles & analogicos uſus, (etiam non pios) applicari poſſe; & non tantum

tum ad eos uſus in ſpecie, ad quæ data ſunt. Accedit ſententia recentiorum Caſuiſtarum & Canoniſtarum, ex quibus ex profeſſo hoc agit Paulus Layman, ut probet reditus Benedictinorum in Germania applicatos domibus & Scholis Jeſuitarum non eſſe reſtituendos. Vide rationes Laymanni, & ſummam earum ſub nomine opponentis in libro Scioppii cui tit. Aſtrum inexſtinctum. Cui aſtro defenſionem Laymanni repoſuit Jeſuita Cruſius. Et convenit multiplex praxis *tum* Pontificum, *tum* Epiſcoporum, *tum* principum ſæcularium qui approbante Papâ & Papatu, uſus redituum ſacrorum mutarunt. Sic Papa, Rex Galliæ Philippus Pulcher, Imperator & Principes Germaniæ, Reges Hiſpaniarum bona Templariorum partim Johannitis, partim aliis ordinibus, partim fiſco & ærario publico appropiarunt. De quo vide Bullam Clementis V. & autores in Scholiis à Cherubino ibidem cit. Mireum *p.* 19. alioſque qui de Templariis ſcribunt, infra citandos. Archiepiſcopus Colonienſis, & Lindanus Epiſcopus Ruræ-mundenſis in alios uſus converterunt reditus Johannitarum: uti à Nobiliſſ. & ampliſſ. Senatu Neomagenſi notatum. Videatur Azorius lib. 13. cap. 4. quæſt. 1. *Senſim invectus eſt uſus ut milites certam portionem ex fructibus religionis reſervent, & reliquam impendant in uſus bonos (*N. B.*) quos voluerint* & qu. 6. pro iiſdem commendatariis determinat, quod ſolutâ ordini penſione ſecundum ſtatuta reliquos fructus poſſint inſumere in uſus honeſtos & licitos, quamvis non pios. Quæ mutatio plane analogica eſt, & longè diſcedit à primâ erectione & praxi ordinum, (uti ibidem videre eſt apud Azor.) & conſequenter à ſpeciali intentione donatorum. Ante annos aliquot dicuntur Jeſuitæ Papæ conceſſione conventum Regularium Auguſtini Noveſii jam occupaſſe: poſtea tamen inde deturbati à prioribus poſſeſſoribus. Similiter ejuſdem Papæ conceſſione conventum Wilhelmitarum in Grevenbroeck in ducatu Juliacenſi jam jam occupaturos fuiſſe Jeſuitas, niſi fratres Wilhelmitæ uſi favore civium ipſo facto & ſtrenuè ſe oppoſuiſſent. Arch. Colonienſis in ſuâ diœceſi, Dux Bavarus in Palatinatu reditus quoſdam ſacros Jeſuitis aſſignavit. Illuſtria tranſlationis Monaſteriorum ad alios ordines exempla habet Choppinus Monaſticorum *lib.* 1. *p.* 74. & quidem Papâ *tranſlatitiæ huic Monaſteriorum emendationi applaudente*, ut ibid. loquitur. Unum tantummodo hic noto quod habet ex Hadr. Barlandi catalogo Epiſcopor. Trajectenſ. *Godewaldus Trajectenſis Pontifex loco ordineque movit regulares oppidi Middelburgi Canonicos: iiſque cœnobitas ex Antwerpienſi Monaſterio ſubrogavit, officioſius Deo militaturos.* Multo plura ſed impari judicio congeſſit Laymannus apud Schioppium *p.* 142. 161. ubi octo rationibus probat hoc poſſe fieri. Quæ omnes falſam & paradoxam hypotheſin adverſario-

riorum oppugnant. Vide & confer hic librum Jeſuitæ Cruſii; quo defendit Laymannum contra Schioppium. Quid? quod Papa Emanueli Luſitaniæ *Regi conceſſit ut bona pars eccleſiarum*, &c. *cum Monachorum quorundam vectigalibus in uſus eorum, qui in Chriſtiana militia ordinem cooptantur, converterentur:* ut refert Oſorius *lib.* 9. de rebus Emanuelis. *p.* 265. ubi tamen Papæ factum reprehendit. *Nec admittunt Juriſconſulti* hanc abſurdam hypotheſin. Ex Pontificiis videndus hic Corn. Rhyntelen in Juriſta Rom-Cathol. cap. 75. ubi ex Novell. 131. c. 13. & 14 & Novell. 132. & L. *cuncti heretici* C. *de heret. & Manich.* &c. probat ædes & loca privata hæreticorum Eccleſiæ Catholicæ adjudicanda, cum olim ſeu jure antiquo omnia loca & poſſeſſiones Paganorum & hæreticorum fiſco applicarentur L. *ſi quis orthodoxa* C. *de heretic. & Monach.* & L. *omnia loca* C. *de Paganis.* Nunc à ſe incipiat Papatus, & ſciat ſecundum communem & conſtantem fidem reformatorum ſe eſſe hęreticum, (*uti revera eſt*) ideoque in reformatis politiis prohibitum, ac conſequenter bona Eccleſiaſtica non magis reſtituenda, quam Manichæorum aut Paganorum ab Imperatoribus olim reſtituta ſunt. Ex Jureconſultis Proteſtantibus videndus Beſoldus in opere Politico diſſert. de Majeſtate *cap.* 7. ubi de uſu bonorum eccleſiaſticorum transformando, ibidemque plures *adducit Icc. ejuſdem* profeſſionis. Ex omnibus nunc allatis concludimus non teneri politias reformatas circa uſum redituum ſacrorum intra terminos illos manere, quibus nec antiqua Eccleſia, nec ipſa Romana unquam contineri voluit. Non urget politias noſtras bellum Saracenicum ab oriente aut in occidente: ſed alia potius urgent, quæ prius depellenda. Quod ſi Saracenica bella aliquando recrudeſcant, tum curæ hæc erunt politiis (non hominibus quibuſdam privatis); inque eum finem de militibus & pecuniis belli nervo, ſibi ſuiſque cum Deo proſpicient; abſque Papâ, aut ejus religioſis, juratiſque clientibus & Vaſallis. 3. *Reſp.* ad hominem: ex facto ordinis jam aboliti & præſcriptione, non teneri politias ad reſtitutionem quia non eſt jam ordo Johanniticus in fœderato Belgio, ſed exſtinctus eſt, aut ſponte ſuâ emortuus. Tale quid reponit Laymannus Benedictinis poſtliminium ſuum in Germaniâ urgentibus contra occupationem Jeſuitarum. 4. *Reſp.* Et quid ſi dicamus jure belli, reditus Cleri Romani, & regularium, interque eos ſacrorum in poteſtatem fœderati Belgii deveniſſe; quippe qui eos ſi non hoſtibus regularibus & Clericis (quales tamen ſe Reipubl. noſtræ pręſtiterunt, uti ex hiſtoriis & ex imagine primi ſæculi Jeſuitarum, hoc eſt propriâ Clericorum confeſſione quæ omnia exceptione major, demonſtrarunt Rever. DD. Paſtores Claſſis Neomagenſis in ſuis vindiciis), ſaltem hoſti Hiſpano maximam partem cum ipſis civitatibus

& locis (ubi prædia & reditus) ſuo periculo, & ſuis ſumtibus eripuerunt. Meum non eſt hic docere quodnam ſit jus belli hâc in parte: tantum adverſariis allego exempla Chriſtianorum Imperatorum, imprimis Conſtantini, Caroli Magni & ſimilium; & nuperi Imperatoris Ferdinandi II. & fratris ipſius Ducis Leopoldi, & Ducis Bavari, qui Proteſtantibus à ſe devictis eccleſiaſticos reditus abſtulerunt, & in ſtipendia præfectorum militarium, aut in uſum clericorum ſuorum converterunt.

III. *Arg.* Quia ordines ſunt independentes: ergo nulli Magiſtratus poſſunt de bonis eorum diſponere. Hoc vult adverſarius Magiſtratui nec dominium directum, nec utile in bona ordinum competere? *Reſp.* 1. Quæro quo jure ab omni Magiſtratu ſint independentes, canonico an divino? Atqui canonicum à politiis reformatis exulat, una cum Papa & Papatu, uti ſupra *part.* 1. *lib.* 1. *tract.* 2. *cap.* 15. §. 2. oſtenſum eſt. De divino vide Rom. 13. v. 1. *Omnis anima*, &c. Ad quem locum reſpiciens Bernardus monet Clericos, ne ſe excipiant, *qui ſtudet*, inquit, *excipere ſtudet decipere*, Sed videndi Antagoniſtæ Pontificiorum in quæſt. de Temporali poteſtate Papæ, & de Immunitate Clericorum. *Reſp.* 2. Pari ratione argumentarentur omnes ordines Monachorum pro ſuâ reſtitutione, præſertim Auguſtiniani (ſub quibus militant equites Johannitæ): independenter enim à Magiſtratibus, à ſolo Papâ & ordinis ſui Generalibus ac ſuperioribus dependent. Et minus difficultatis haberet admiſſio Auguſtinianorum pſallentium & contemplantium ſine armis ſine arte bellicâ, quam eorundem armatorum & pugnantium. *Reſp.* 3. Retorquemus argumentum: immo eo ipſo, quia independentes ſunt à Magiſtratu, & dependentes à ſolo Papa ac ſede Romanâ ſuique ordinis Magiſtris, non ſunt reſtituendi ordines illi, aut reditus eorum. Ratio Theologica eſt, quia Antichriſtiana illa independentia à politiis reformatis ſemel expurgata, reſtitui non debet, ne tanquam canes revertantur ad vomitum; & uno hoc fulcro reducendi Papatus admiſſo, alia deinde trahantur. Rationes politicas de Republicâ in Republ. non admittendâ, amplificabunt Politici, & ſupra attigimus.

IV. *Arg.* Non ſunt ordines clericorum ſeu religioſorum, ſed equitum ſeu militum ſæcularium, ac conſequenter laicorum: ſaltem Johannitæ debent parati eſſe ad minimam magni Magiſtri citationem ut pugnent contra Turcas, &c. *Reſp.* 1. Dato non conceſſo: inde tamen non ſequitur tales ordines admittendos ut ſuo jure & arbitrio vivant, & de reditibus ſuis diſponant abſque dependentiâ à Magiſtratu. Politica poteſtas militiam ſæcularem cum ſtipendiis ordinat, mutat, abrogat, pro ſuo arbitrio & Reipublicæ neceſſitate; non pro arbitrio privatorum, aut pro arbitrio

Papæ, aut magni Magiſtri. *Reſp.* 2. Retorquetur argumentum; ſi ſunt milites verè & merè laici ac ſæculares, non vero religioſi ſeu regulares, jam nihil illis præſidii ex Jure canonico, nec ex canonizato jure civili in Papatu pro ſuâ independentiâ, & redituum ſuorum exemtione: nihil enim prætenſo jure aut antiquâ conſuetudine hactenus illi tributum, ut ſæcularibus, ſed ut regularibus & religioſis. *Reſp.* 3. Sed ſimpliciter falſum & negatur eos eſſe equites laicos, aut ſæculares, aut politicos: cum Johannitæ dicantur *religioſi*, *religio Hieroſolymitana*, *fratres religionis Hieroſolymitanæ* (Pius IV. in bullâ, aliique de illis equitibus, *Concil. Trid. ſeſſ.* 23. 18. Declarationes SS. congr. apud Barboſam *pag* 617.) Et ipſorum præfecturæ dicantur *monaſtica equitum Melitenſium præfectura*. Choppin. Monaſtic. lib. 1. tit. 1. privilegia eorum vocantur *privilegia religionis*, quomodo Bulla Gregorii XIII. quæ incipit: *Quo Magis* 23. Martii 1580. relata eſt inter *privilegia religionis* p. 75. ut loquitur Barb. *p.* 373. ut Bona ipſorum ad ſacra ſeu eccleſiaſtica referantur *Azor. cap.* 3. *qu.* 4. uti ſupra theſi 2. & 5. abunde demonſtratum eſt. Et teſtes ſunt ipſi Johannitæ in ſtatutis Ordinis *tit.* 6. de capital. art. 8. & tit. de Receptione fratrum art. 33 &c. Quæ videnda. Quin advocati poſtulantes poſtliminium pro Johannitis, ut ſorices ſeipſos produnt, cum fatentur votum cœlibatus, & votum paupertatis ab equitibus emitti: *Non fruuntur*, ajunt, *bonis & reditibus, niſi ut uſufructuarii; in quo conſiſtit eorum paupertas: ita ut reſiduum commendarum ſuarum debeant tradere aut relinquere ordini, ſeu ad communem uſum ordinis; & quod præter perſonalia ſervitia ſua teneantur commendatarii quotannis quadam contribuere in ſumtus bellicos.* Rectè; ergo ſunt ejus generis reditus, ut una cum omnibus aliis quorumcunque regularium eandem ſortem ſubire poſſint ac debeant. Et cujuſcumque generis eſſent, reſiduum ſaltem non pertinet ad commendatarios in Belgio; quod Reipubl. rationibus ita ferentibus in uſus neceſſario hic utilius impendi, quam aliò in Africam aut Aſiam transferri poſſet. Ex his conſtat, quam verè, aut quâ arte negentur ordines eſſe religioſi, & transformentur in merè politicos ſæculares: prout hodie ad inſidioſos ſyncretiſmos, carnales mixturas & colluſiones cum Papalibus ſuperſtitionibus atque clericatu palliandas & reformatis obtrudendas, omnia titulo & ſpecie rei, cauſæ, negotii, ordinis, ritus, ceremoniæ, obſervationis *merè politicæ* velari, & proſtitui & quidvis (à quo reformati majores noſtri quam longiſſimè refugiebant) quaſi lapide philoſophico in politicum adiaphorum & decorum transformari atque ita ſecularizatum aut politizatum à ſubdolis & vanis quibuſdam malorum patronis fingi ſolet: ut incautioribus aut tepidioribus reformatis familiarius reddi, & tandem admitti poſſit. Et ubi ſemel

ſemel jacta fuerit hæc alea, ab aliquo aut aliquibus ſupra vulgus, exſtantibus, ilico Eccleſiaſtica collegia & Theologi omnes ad ἐχεμυθίαν redigantur: ſecus ſi fecerint, duo magna crimina commiſiſſe putentur; quod ſcil. negotiis politicis ſe immiſcuerint, & materias ſtatus attigerint, & quod cum honoratis ac potentibus perſonales contentiones ſubeant, inimicitias exerceant; digni itaque quos perſequantur actiones injuriarum, odia & minæ potentum, mandata nepotibus arma. Quæ profunda Satanæ & Papatus, velim penitius introſpiciant omnes veræ religionis & pietatis, ut & ſalutis patriæ amantes. In uno atque altero ſi hæc ſæculariʒatio ſeu politiʒatio toleretur, jam nullo repagulo ordines Monachales, utriuſque ſexus, aliique ritus & ceremoniæ Papiſticæ, hierarchia Papalis; cum curiis, collegiis & appendicibus ſuis (ne quidem Papa, conſiſtorio Papæ & Cardinalium, nec patriarchis, nec legatis & nuntiis Pâpæ exceptis) arceri poterunt: facile enim erit omnia ſęculariʒare ſi non re ſaltem nomine, προφάσει, & luſu ambigui; haut aliter ac leges ex corpore juris civilis in Papatu canonizari ſolent, uti notavimus ſupra *part.* 1. *lib.* 1. *tract.* 2. de Jure canonico. Sed ut ad noſtros religioſos equites (Johannitas) revertamur, nego ordinem in prima erectione, aut ſequentibus ſæculis, aut hodie per nova jura ſæculariʒatum eſſe: immo aſſero nuper de novo magis eſſe clericatum & regulariʒatum ſupra omnes alios equites religioſos, longiuſque quam ante hac à ſæculari ſtatu & laicatu receſſiſſe. *Congregatio Concilii cenſuit, etiam milites Hieroſolymitanos hodie debere antequam profeſſionem emittant, per annum in probatione manere, poſt quam eorum conſtitutiones, quoad hoc, ad Concilii Tridentini decreta ſunt relatæ, & à ſede Apoſtolicâ confirmatæ.* Sic declarat. *Card. ad ſeſſ.* 25. *cap.* 15. Et *Zypæus* Juris Pontificii novi *l.* 3. *p.* 311. *Conc. Trid. c.* 15. *ſeſſ.* 25. ſtatuit annum probationis exigi (à regula-
„ tibus ſcil. ſeu Monachis) ſub pœnâ nullitatis abrogato cap. *ad Apoſt. Extr.*
„ *h.t.* non obtinet id tamen in Ordd. militaribus ex ſententia Congr. quam-
„ vis pro ordine militari D. Johannis, ex novo illorum ſtatuto ſecus ſenſe-
„ rint. Quin & Navarrus in Apologiâ libri ſui de Reditibus Eccleſiaſticis *quæſt.* 1. *§* 56. latè probat Comendatores ordinum S. Jacobi Calatravæ, Alcantaræ, &c. eſſe verè religioſos. Ludunt ergo ęquivocatione aut mentali reſervatione hujus cauſæ patroni, dum religioſos eſſe negant: & à mendacio conſcientiam ſuam liberabunt, hâc diſtinctione: Non ſunt religioſi ſtrictiſſimè dicti, ut nec Beguinæ ſunt, nec tertiarii, nec ipſi Jeſuitæ, nec Præmonſtratenſes, nec regulares Auguſtini, &c. ſi cum Camaldulenſibus, aut Capuchinis aliiſque Minoritis, aut Carthuſianis comparentur. Habes detectam artem æquivocandi. Aut per mentalem reſervationem negantur religioſi, hoc ſcil. in caſu, aut in Politiis reformatis ubi agitur de

Digitized by Google

poſtliminio : juxta egregiam Canonico-Caſuiſticam deciſionem Azorii lib. 13. c. 4. ſupra cit. *Equites illi generaliter religioſorum nomine comprehenduntur in favorabilibus, non in odioſis*. Quod etiam probat Zypæus *p*. 312.

CAP. IX.

Aliæ quædam objectiones, pro poſtliminio Johannitarum in Belgio refutantur.

§. 1. SEd audiamus quænam huic meridianæ luci obtendantur ab advocatis poſtliminii Johannitarum.

1. *Object.* ex teſtimonio Chronici *Holland. diviſ.* XI. *cap.* 1. *Dionyſ. Mutzart. hiſtor. Eccleſ.* ad annum 1103. *Reſp.* 1. Quales autem & quanti illi autores apud noſtrates ſive reformatos ſive Pontificios antiquitatum & hiſtoriarum peritos, aut ſtudioſos, jam non dicam. Saltem hiſtorici dicantur. 2. Non ferendum ut illi partem aliquam faciant in hoc theatro, in quod publica & autentica ſtatuta ordinis, bullæ & reſcripta Papatus, cum tantâ nube teſtium univerſali conſenſu ſupra produximus. 3. Denique nihil minus dicunt hiſtorici illi, quam hic intendunt advocati. Priorem hiſtoricum quod attinet, ſic loquitur : **Voldeden oock haere getijden mitten Pater Noſter / ende waeren mede alle waerlijcke Heeren ende Ridderen.** Poſterioris verba ita ſe habent : **De Wereltlijcke Heeren dragen tot een habijt eenen ſwarten Mantel.** 1. *Domini ſæculares utuntur pro habitu, pallio nigro*. Sed hic non dicitur ordinem eſſe ſæcularem ; nedum politicum, laicum, profanum ; nec negatur ſacer, religioſus, &c. Tantum nomine **Wereltlijcke** / autor diſtinguere voluit in illo ordine religioſo equites ſeu milites armatos à ſacerdotibus & clericis ejuſdem ordinis eccleſiaſtica ſacra peragentibus, qui ſtrictè clerici eccleſiaſtici, & ſpirituales (**Geeſtelijcke**) dicuntur, quippe ideo non pallio & cruce pro habitu utuntur, ſed communi ſacerdotum. Hanc autem eſſe mentem autoris patet, ex verbis quæ mox ſubjicit, de iiſdem Johannitis : **Werden geacht te ſijn vanden regel** *S. Auguſtini* **voldoen hunne getijden** (N. B.) **met het Pater noſter ettelijcke reyſen te leſen.** Pontificii talibus æquivocandi artibus Reformatos Magiſtratus (idque rectè & piè ſecundum recentiores Caſuiſtas, ſaltem ex ſocietate Jeſu), in ſimili caſu circa voces **Wereltlijck** & **Geeſtelijck** ludebant in exceptione pro Fraternitate Mariæ ; ut detexi in tract. meo de Fraternitatibus Marianis tit. *Specimen*, &c. *p*. 158. Et de Religioſis ſtrictiſſimè, ſtrictè, & latè dictis monent Azorius, *Roder. Zypæus loc. cit.* ubi agunt de equitibus.

2. *Object.*

Digitized by Google

2. *Object.* Ex gloſſa juris Canonici, de *verb. ſignif. in* 6. verb. *perſolvant. Reſp.* 1. Gloſſam proferunt non textum: & væ gloſſæ, ſiquidem repugnaret textui Juris Canonici & Bullis Papalibus poſt jus Canonicum editis uſque in hunc diem. 2. Minimè tamen repugnat. Neque enim ordo Johannitarum dicitur *laicus*, aut religioſi & profeſſi iſtius ordinis dicuntur *laici* abſolutè, aut comparatè ad alios regulares & religioſos cujuſcunque ordinis: ſed in ordine illo religioſi equites ſeu armati milites dicuntur *Fratres laici* tantum diſtinctè & comparatè ad Fratres Sacerdotes & clericos ſtrictiſſimè dictos in eodem ordine. Quam homonymiam modo deteximus, & ſupra theſi 5. Eſſe autem hanc mentem gloſſatoris conſtat ex ipſius verbis, cum equites vocat ſpeciales & *proprios eccleſia filios*, *fratres*, *fratres Laicos ex ordine*. 3. Ad clericatum & Monachatum pertinent (haut aliter ac entia quædam reductivè & collateraliter ad prædicamenta) tertiarii, ſervitiales, fratres Laici in monaſteriis, & religioſæ extra chorum, &c. quæ ſtrictiſſimè non ſunt religioſæ, pari gradu cum aliis; & tamen ſunt religioſæ ac regulares & à laicis in ſæculo exiſtentibus diſtinguuntur (ut ſupra dictum eſt) & bona eorum in ſacris ſeu eccleſiaſticis numerantur.

3. *Object.* Quia qui arma tractant & militiam profitentur, excidunt ſuo ſtatu clericali, ſecundum jus Canonicum. Sed Johannitæ arma tractant; ergo. *Reſp.* 1. ad majorem reſponderi poſſet illud vulgatum: *Hic Magiſter non tenetur*; & ſecundum antiqua jura ſiquidem hoc tenuerit, ſecundum nova jura jam non tenet. Contraria praxis, contraria diſpenſatio, contraria ſtatuta rationabili de cauſâ (uti Caſuiſtæ loqui ſolent) introducta, plurima in jure canonico abrogare poſſunt & ſolent. Confer modo Jus Canonicum Zypæi & Honorii, cum antiquioribus Canoniſtis; & ſtatuta *Concil. Trid.* bullaſque recentiores Pontificum, & determinationes SS. congregg. cum ipſo corpore Juris Canonici. Ne quid dicam de praxi hujus & ſuperioris ſæculi, quæ docet Clericos Cardinales ſcil. Epiſcopos, Abbates, &c. eſſe & poſſe eſſe bellatores in formâ: cujus praxeos jus defendendum ſuſcepit Henricus Caſtaneus Pictavienſis Epiſcopus peculiari tractatu Gallico in 8. uti indicavi in Delper. causâ Papatus. *Reſp.* 2. advocatos Johanniticos fucum facere, dum pro ſe ferunt, ſe credere eos à ſtatu & ordine clericorum excludi, quod arma tractent: cum probè norint ſaltem noſſe deberent eo ipſo illos includi & in eum finem cooptatos eſſe in numerum religioſorum, non tantum ut horas Canonicas (analogicas ſcil.) recitent, ſed imprimis ut pugnent. Autor Flori Chriſtiani *lib.* 4. *cap.* 15. poſt recenſitos ordines Monachorum in Papatu, ſic orditur hiſtoriam ſodalitiorum (uti vocat) militarium: *Dictum de Ordd. qui cum Moyſe*

manus

manus in cœlum elevant, ſequuntur qui cum Joſuâ contra Amalecitas pugnant. Subjicit alio charactere deſcripta hæc verba: *Sic fert eccleſia conditio, orando & pugnando vincit, duobus gladiis Euangelicis* (N. B.) *accincta.* Thomas 22. qu. 186. art. 4. & cum eo Navarrus tract. de Redit. Eccleſiaſt., aliique ab Azorio citati *cap.* 3. *quæſt.* 2. exſertè determinant, poſſe religionem ad militandum inſtitui, & inſtitutam eam eſſe verè & ſimpliciter religionem. Et de facto hos ordines religioſos ad arma tractanda inſtitutos eſſe verè & ſimpliciter religioſos contendit Navarrus, & Garcias in conſilio edito pro militiâ S. Jacobi: nec negare poteſt Azorius. *Milites*, inquit, Roderic. tom. 2. quæſt. 61. art. *D. Johannis verè religioſos eſſe quædam horum regnorum* (Hiſpaniæ) *videntur ſatis confirmare, cum tria vota eſſentialia ſecundum regulam approbatam in manu prælati emittant, ut ex ſtatutis hujus ordinis* (cap. 1.) *patet, unde Alexander* III. *& Innocentius* III. *eos fratres appellant: licet enim portent arma prohibita Monachis & clericis; portant tamen ea ſecundum ſuam profeſſionem in defenſionem fidei contra Mauros, ad exemplum Machabeorum.* Paulo poſt ibid. ſubjicit, milites D. Johannis & Bullis Papalibus, & ſtatutis ac praxi in Regnis Hiſpaniarum à judice & judicio ſæculari exemtos eſſe, ſi in aliquo inveniantur delicto: quia *magis communiter reputantur religioſi, & ſic habent majores exemtiones, privilegio Apoſtolico, ut poſt alios tradunt Avendamus, Did. Perez, Chaſſaneus, & poſt Johan. Monabum & Doctores Felinum, & Barbatiam reſolvunt Azevedo, & Tiberius Decianus.* Artic. 15. d. quæſt. determinat militem religioſum, ſi occidat clericum, poſſet coram judice ſeculari conveniri, & non remitti ad ſuos ſuperiores, hac ratione, *quod privilegiatus contra pariter privilegiatum ſuo jure non gaudet,* &c.

4. *Object.* Quia in Belgio alicubi ſemel quis frater ad conſilium admiſſus fuit: Ergo Johannitæ ſunt merè laici & ſeculares. Ratio conſequentiæ eſt, quia nunquam Clerici ad conſilium illic admiſſi fuerunt. *Reſp.* Inepta argumentatio ex uno facto. Exceptio ſeu diſpenſatio hæc unica & extraordinaria, confirmat legem, non tollit. Quaſi principes ſæculares, non promoviſſent aliquando clericum, præter morem ſuum, etiam præter aut contra ſtatuta publica. Quaſi etiam regulares contra votum & regulam non ſuſciperent aliquando munera politica: quo ipſo tamen non deſinunt regulæ ipſorum eſſe regulæ, nec ordo clericorum tranſit in ſæculum aut formam politicam. *Si ſtatuto cautum ſit*, (inquit Azorius cap. 4. qu. 4.) *ne religioſus aliquis publico officio vel munere certæ civitatis fungi poſſit, eligi non poterit miles S. Johannis in eo oppido habitans.* Rationem indicat ibidem, quia eſt religioſus; & *quidem ſtrictius ac proprius*, ut loquitur *c.* 3. *quæſt.* 3.

5. *Object.*

Digitized by Google

5. *Object.* Quia ſunt ordo neutralis; & Papa, cui ſubſunt, & à quo dependent eſt neutralis cum Belgio fœderato, aliiſque politiis reformatis. *Reſp.* Neutralitas à Papis quomodo ſervetur, oſtendunt ἄσπονδοι ipſorum hoſtilitates, & perpetuæ machinationes, contra politias reformatas: ita ut aut emiſſariis ipſius in terris ſuis commorationem, aut copiis & præfectis illius, tranſitum, aut ſubditis ſuis cum Papali ſede & curiâ conſiliorum communicationem & commercia, aut juratis illius ſatellitibus & vaſallis equitibus ſcil. fixas ſedes cum reditibus & quidem cum abſoluta independentia à Magiſtratu, & dependentia à Papa, & Magno magiſtro concedere, inconſultum ſit Magiſtratui; quandoquidem ordo ille nondum ejuravit officia in *Concil. Trid.* oblata ad exſtirpationem reformatorum; nec abjecit aut ejuravit feudum ſuum, quod tenet à Rege Hiſpaniarum: de quo ita Cherubinus in compendio Bullarii ad conſtitut. 60. Gregorii XIII. *conſtat,* inquit, *ex authentico diplomate Bibliothecæ genitoris mei Carolum* V. *Romanorum Imperatorem & Siciliæ regem, inſulas Meliveti, (id eſt Melita) Tripolis, Gaudſidii* 23. *Martii anno* 1536. *dictæ militiæ, in locum inſulæ Rhodi à Turcis expugnatæ, in feudum perpetuò donaſſe, tempore Pontificatus Leonis* X. Adde quæ ſupra ex Hoſpiniano, de feudo notavimus. Et mox infra *cap.* 7. Quam neutralis & vir pacis ſit Papa cum politiis reformatis, diſces ex Anonymi Repræſentatione pacis generalis, ejuſdemque apologiâ catholicâ contra Jeſuitam Becanum, ut & Goldaſti replica pro Imperio, contra Gretſerum. Quid molitus ſit contra Genevenſes, colliges ex inſidiis & vexationibus Sabaudi, quas à Papa incitatas & promotas docebit bulla Gregorii XIII. anno 1572. quæ incipit, *Inter cæteras*: quam exhibet Miræus *lib.* 1. *cap.* 18. Quid contra Belgas & Proteſtantes in Germaniâ, ex Sleidano, & ex *Hiſtor. Concil. Trident.*; & conſtat, eum decimas ex reditibus eccleſiaſticorum jam annis aliquot conceſſiſſe regi Hiſpaniarum, ut Belgas & Proteſtantes in Germania perſequi poſſet. Quid contra legatos Belgicos Venetiis molitus ſit, ex hiſtoriâ Meterani. Confer & Acta pacificationis Colonienſis, & Cancellariam Hiſpanicam, cum epiſtolis Cardinalis D'oſſat Gall. & epiſtolis nuntii Papalis Bentivoglio Ital. Et epiſtolis *Pii V. Lat. lib.* 4. *epiſt.* 36 & *lib.* 5. *epiſt.* 10. Papa a. 1588. Hiſpanicæ claſſi auxiliares ſuas naves adjunxerat, ad Angliam & Belgium ſubjugandum. Sed dices, hæc mera eſſe facta. Atqui regero ex jure & conſtanti politiâ Papatus hæc debere fieri, nec poſſe aliter fieri, quamdiu Papa eſt & Papatus. Quod probo 1. ex irreconciliabili hoſtilitate in religionem & eccleſiam reformatam: quę neceſſariâ & primâ conſequentiâ infert hoſtilitatem in Reſpublicas omnes, quæ excluſo Papatu reformatam religionem amplectuntur, immo eandem faciunt potiorem partem ac baſin ſui ſtatus. 2. ex directâ

rectâ hoſtilitate in ipſam Rempublicam; quę fundatur in poteſtate Monarchicâ Papæ in ſpiritualibus directa, in temporalibus ad minimum indirecta: cujus reſpectu Papa nulli Republ. reformatę, quæ exercitium & executionem utriuſque poteſtatis impendit, unquam neutralis eſſe poteſt, niſi abneget & deponat Papatum. Quamdiu enim hoc non fit, non ceſſabit per fas per nefas inſidiis, armis, quibuſcumque modis tentare & petere Rempublicam, idque ſecundum jura divina, canonica, civilia, uti prętendit. 3. Ex annexis & ſubordinatis mediis, quibus utitur ad poteſtatis ſuæ recuperationem, & monarchiæ eccleſiaſticæ erectionem, in qualibet politiâ, & ſupra eam. Quæ ſingula fundant perpetuam hoſtilitatem & peremtorie tollunt omnem neutralitatem. Sunt autem iſta, *Primum*, Diſpenſationes in omni Juramento etiam fidelitatis: ita ut cum commodum illi viſum eſt, abſolvere poteſt ſubditos à juramento fidelitatis. Quibus addendæ æquivocationes in juramentis, & quod de peccato quodammodo facit non peccatum; & quod hęreticis fides non ſervanda; quodque conjurationum, & proditionum arcana quæ ſub ſigillo confeſſionis innotuere, non ſint revelanda. *Secundum*, Supremum & infallibile judicium de quibuſcumque cauſis eccleſiaſticis, etiam politicis in ordine ad eccleſiaſtica; & hinc Abſolutiones aut retentiones in confeſſione, item fulmina excommunicationum: quibua Principes & Magiſtratus deſtituere poteſt, alios inſtituere, regna & dominia transferre, tam ſubditos quam extraneos quoſcumque in illos armare, & per immiſſos paricidas obtruncare. Videantur Myſteria patrum Jeſuitarum, cum ſcriptis Anglicanis pro juramento fidelitatis, & actionibus in Garnetum alioſque proditores, quæ exſtant linguis vernaculis, & Latinè editę à Camdeno in 4. Adde & Rivetum in decalogum ad 3. 5. & 9. pręceptum, alioſque ſcriptores in 3. *part. ſelect. diſp. tit.* de poteſtate temporali Papę, indicatos. *Tertium*, negotiationes Papales & miſſiones in politiis Reformatis per emiſſarios: quibus, etiam cum palam per arma non expedit, perpetuo eas aggreditur & oppugnat; ſemina diſſidiorum in aulis, Conſiliis, collegiis politicis & eccleſiaſticis, Academiis paſſim ſerit; & per emiſſarios ſuos Hiſpanis aut aliis iſtius reformatæ politicæ juratis hoſtibus in prædam ſtudet objicere. Negotiationis illius arcana in Belgio, detecta ſunt ex parte per epiſtolas anno 1610. aut 1611. in Friſia interceptas, & publica autoritate vernaculè ac latinè editas in 4. tit. *Negotiatio Jeſuitica.* & per epiſtolas Rovenii dicti Archiepiſcopi Ultrajectini, Ultrajecti interceptas; ex quibus excerpta edita. Quæ & qualis fuerit Papalis negotiatio in Angliâ, partem aliquam jam detegi cœpit notitiis & ſcriptis Anglicè & Belgicè editis; & dies uti ſperamus reliqua revelabit. *Quartum*, perpetuæ oppoſitiones, contra pacem, confœderatio-

nem

Digitized by Google

nem neutralitatem, ſi quam intendunt aut ſperant politiæ reformatæ. Vide modo bullam Innocentii X. quâ proteſtatur contra pacem Germanię cum Sueco & principibus anno 1648. concluſam. Ad alia non excurremus; tantum indicamus lectori in Hiſtoria Meterani, *pag.* 618. 647. 648. *edit. poſtr.* 1636. quam hoſtilitatem exercuerit erga Belgium noſtrum in legato Belgarum ad Venetos.

Concludimus, Non poſſe ergo reformatos quidquid neutralitatem ſimulet & armorum publicorum ſuſpenſionem inhoc aut illo particulari negotio pro tempore præ ſe ferat Papa, in tantum oblivíſci perpetuę, univerſalis & ἀσπόνδυ hoſtilitatis.

Nec poſſe non laudari piè heroicum illud & prudens factum Principum Proteſtantium, qui ne quidem literas Papæ ſibi inſcriptas reſignare voluerunt, ſed obſignatas legatis Papæ in hoſpitium remiſerunt; nec legatis ipſius communiter recepta & conſueta officia præſtare, tantum quod à Papâ eſſent miſſi, cujus nullam poteſtatem ipſi cognoſcerent. Fridericus Rex Daniæ, & Elizabetha Angliæ regina, nullum legatis acceſſum conceſſerunt. Vide Thuanum, *Hiſtor. lib.* 28. *pag.* 52. *ed. in fol.* Qui eo ipſo oſtenderunt, eum ut præſidem Chriſtianiſmi ſive univerſi, ſive occidentalis, ne quidem in Imperio Germanico ſive politicum ſive eccleſiaſticum vel minimâ ſpecie agnoſcendum: contra ac hodierni quidam infelices ſyncretiſtę ſeu Papizantes canere cœperant. Memorabile votum illud Lutheri cum diſcedens ex ſynodo Smalcaldicâ valediceret fratribus: *Opto vobis perfectum amorem Chriſti, & perfectum odium Papæ.*

CAP. X.

An ordo equeſtris Johannitarum ſit neutralis, &c.

PRæcedenti capite *Object.* 5. neutralitas Papæ & ordinis Johannitarum prætenſa fuit; & de priori plenè reſponſum. Sed poſterioris reſtat planior & plenior explicatio. Hoc ergo ſuggerunt Belgio noſtro: Quia ordines equitum, ſaltem Johannitarum, neutrales ſunt cum omnibus politiis totius Chriſtianiſmi, & conſequenter etiam cum reformatis, & nominatim cum fœderato Belgio; ergo ordo talis reſtituendus cum privilegiis & reditibus, ad poſtulatum ſcil. Magni Magiſtri. Probatur autem neutralitas, tum ipſo facto ſeu experientia tum ſtatutis ordinis, quibus prohibentur equites ſe intermiſcere bellis inteſtinis Chriſtianorum. *Reſp.* 1. conſequentia infirma eſt: quod inde patet, quia pari jure omnes reliqui Monachorum ordines reſtituendi eſſent; ſiquidem neutralitatem obtenderent, aut eam ſe ſervaturos promitterent. Immo putarem inermium

mium Monachorum neutralitati fervente hoc bello Belgico tutius fidendum, quam armatorum & exercitatorum militum, præſertim in regimine Ariſtocratico-democratico; ubi tanta libertas. *Reſp.* 2. quid ſit de facto neutralitatis Johanniticæ, & quid ab iis exſpectari poſſit, monuerunt, in vindiciis ſuis partim Nobiliſſ. & ampliſſ. Senatus Neomagenſis, partim Rever. Paſtores ejuſdem diſtrictus. Nec eſt quod repetamus. Legantur apud Hoſpinian. *fol.* 167. b. conditiones, quibus inſulam Melitam à Carolo V. acceperunt, inter quas & iſta: *Ut Hiſpaniæ & utriuſque Siciliæ Reges protectores agnoſcerent, & ſingulis annis gratitudinis ergo falconem afferrent.* Adde quæ præced. cap. notamus ex Cherubino. An autem hæc neutralitas ſtatui fœderati Belgii ſatis congruat, judicent ICC. & politici: ad quos hoc propriè pertinet. *Reſp.* 3. ut Theologicè quid addamus de hâc neutralitate, nego ordinem, 1. Romano-religioſorum 2. abſolutè independentem, 3. *Papæ* juratum vaſallum, 4. inque pernitiem religionis & eccleſiæ reformatæ juratum. 5. *Denique in* viſceribus politiæ reformatæ ſedes figentem, poſſe eſſe aut dici verè neutralem. *Primo* reſpectu religionis reformatæ (quæ eſt pars præcipua, immo & baſis noſtratis Reipubl. liberæ ac reformatæ); *Deinde* & conſequenter reſpectu politiæ, quæ hoſpitium eccleſię reformatæ: *tum* reſpectu Magiſtratuum, qui ejuſdem religionis & eccleſiæ tutores ac nutritii. Intelligo tamen ordinem, qualem quinque conditionibus modo allatis deſcripſi. Adde, quod Magnus Magiſter Johannitarum in Concilio Tridentino operam ſuam obtulerit, ad hæreticos excidendos, uti memini me legiſſe in Hiſtoriâ *Concil. Trident. lib.* 8. Atqui fœderati Belgæ ſunt hæretici, hoc eſt Papæ & Papatui adverſantes. Quomodo ergo ordo Johannitarum fœderatis Belgis Neutralis eſſet. Nihil hic excipi poteſt, niſi Papam & ſedem Romanam eſſe verè neutralem politiis reformatis ex gr. Genevenſi, Tigurinæ, &c. imprimis fœderati Belgii, conſequenter non obſtare, quo minus ordo Papalis religioſus Papæ obſtrictus juxta cum aliis ordinibus, inſuper ſpecialiter ei fidelitatis juramentum & homagium pręſtans, iiſdem neutralis eſſe poſſit. Hic ergo pes figendus: ſi enim neutralitas Papę ſolidè & perſpicuè evinci poſſit, utique tranſactum eſt de baſi neceſſaria Johanniticæ neutralitati ſubſtruenda: illâ enim negatâ, iſtius nulla ſpecies fingi poteſt; cum ordo Johanniticus ſit independens ab omnibus, & dependens à ſolo Papâ, ſede, ac curiâ Romanâ. Sed nos quęſtionem de neutralitate Papæ iſtis concluſionibus determinamus.

1. *Concluſ.* Neutralitas generalis & laxa, ſeu purè negativa eſt, quando quis quod ad ſtatum belli, actu & directè, aperto bello non petit aliquam Rempublicam, vel quia non poteſt, vel quia minus opportunum;

&

& hæc aliquando, & ſuo modo Papis tribui poſſit: quin & diabolo, cum apertè & directè hominem aliquem hic & nunc non vexat. Sic hodie Urbanus 8. cum toto orbe neutralitatem colit, excepto Duce Parmenſi (ſic ſcribebam a. 1641.) Ita ut ex vi iſtius neutralitatis huic aut illi homini privato ſubdito politiæ reformatę ex. gr. Belgii, ſaltem civiliter (nam de religione longè aliter ibi cautum eſt) tranſire liceat Dominia Papalia, mercaturam ibidem ad tempus exercere, aut negotia ſua curare: haut aliter ac tempore induciarum Belgæ tranſibant regna & terras regis Hiſpaniarum.

11. *Concluſ.* Neutralitas, quâ quis Reipublicæ alicui non infenſus eſt, nec in eam quid juris prętendit, nec inſidiatur, nec indirectè aut armis, aut artibus Sinoniis, aut corruptionibus per emiſſarios ſuos eam petit, pacemque & ſecuritatem ejus labefactat; nullo modo Papis tribui poteſt: ſed contra oppoſita hoſtilitas in ſummo gradu. Sic papæ neutrales nonneutrales, aſſiduè Genevenſes, Anglos, Belgas, Proteſtantes in Germaniâ, &c. oppugnant. Quid Pius V. & Sixtus V. moliti ſint in Reginam Angliç, quid Paulus V. brevibus ſuis contra juramentum fidelitatis in Regem Jacobum, notum eſt ex Hiſtoriis, & ſcriptis Anglicanis pro juramento fidelitatis.

CAP. XI.

Quæſtiones hypothetica ſeu Hiſtorico-theologica.

SUnt & alia problemata de militibus religioſis partim hiſtorico-theologica, partim inter ipſos Pontificios controverſa.

I. *Probl* An Girardus qui primus ordinem Johanniticum inſtituit, in primâ erectione intenderit militiam, ita ut tunc temporis eſſet religioſa militia. *Reſp.* Neg. *Inierunt enim tunc ſanctum cœtum, & fraternitatem religionis votis emiſſis*, &c. *quo obſequiis fidei catholicæ ac pauperum iuramento ſe adigunt. Non ſunt profecto in eo Xenodochio ulla miſericordia opera prætermiſſa. Pauperes ſuſtentantur, aluntur que, infirmi curantur, ſacramenta miniſtrantur, peregrini ac mœſti refocillantur, ignari docentur, captivi redimuntur, omnis quoque hoſpitalitas colitur, perficitur.* Sic ſtabilimenta ordinis Innocentii VIII. autoritate digeſta & interpolata anno 1493. in fol. à Magiſtri ordinis Fr. Petro Daubiſſon & à generali ordinis capitulo, & impreſſa Ulmę apud Johannem Reger anno 1496. in principio, ubi de primordio & origine ſacri Xenodochii, &c. *Additur ibid.* quod fratres poſtea Xenodochia in protectionem Papæ ſumpta, &

Digitized by Google

prædiis ac reditibus aucto, & numero hoſpitaliorum creſcente, peregrinos & loca à Barbarorum incurſionibus tutari cœperint.

II. *Probl.* An ſub Raymundo Podio, qui ordini regulam Monachalem induit, erectionis primarius finis idem fuerit, qui à Girardo intentus, caritas ſcil. ſanctæ hoſpitalitatis; militia autem acceſſorium quid, & ex conſuetudine, ita ut plus habuerit de Monacho quam de milite? *Reſp.* Aff. Hoc enim ex eodem libro ſtabilimentor. colligitur ex regulâ 3. (ab initio) cujus lemmati, *Exercitium militiæ pro Chriſto*, præmittitur in medio chartæ hic titulus, *conſuetudo. Deinde* ex eo, quod reg. 2. ipſe ordinis Magiſter, cum capitulo, fateatur *inter cæteras ſanctas congregationes, & religioſorum perſonarum cœtus & hunc Hieroſolymitanum* admodum mutatum fuiſſe à primigenio inſtituto, ita ut tunc regulares diſciplinas primævas inſtitutiones fratres ſervare nequirent; de quibus papę diſpenſarunt & fratres exemerunt, ſervatis tribus votis ſubſtantialibus. *Tertio*, idem docet titulus magni Magiſtri à Raymundo uſque ad Petrum Daubaſſon anno 1493. qui eſt: *ſervus pauperum Chriſti, & hoſpitalis Hieruſalem cuſtos. Ita* Podius. Paululum variat Daubiſſon: *ſacræ domus hoſpitalis S. Johannis Hieroſolym. Magiſter humilis, pauperumque Jeſu Chriſti cuſtos.*

III. *Probl.* An ergo mutatus eſt hic ordo quod ad erectionem ſuam? *Reſp.* Aff. & merito diſquiri poſſit, an non ſit mutatio ſubſtantialis, qualis eſt ovi in pullum; aut Epiſcopi aut Abbatis in bellatorem & principem ſæcularem: ita ut ἔργα priora, ſacta ſint πάρεργα.

IV. *Probl.* An acceſſorium illud ordinis, militia ſcil. ſuſtulerit principale, hoc eſt, caritatem hoſpitalitatis, ad quod voto ſe obſtrinxerant: & conſequenter, an eo ipſo non poſſet dici erectione primâ ordinis, ejuſque principali ſublato, ordinem tum fuiſſe quaſi ſublatum, eique alterum ſubſtitutum, & conſequenter reditus primò donatos in alium uſum fuiſſe tranſlatos? *Reſp.* Aff. poſſet cum diſt. Nam cum *ordo poſſeſſionibus & privilegiis auctus ac ditatus fuiſſe* dicitur, ut *verâ caritate*, &c. *ſanctæ quidem hoſpitalitati, fidei militiam adjungeret, cumularet, copularet* (N. B. τὸ acceſſorium, &c.) *peculiare certe & proprium eſt Chriſti militi non poſtpoſitis ſacris hoſpitalitatis operibus pro Chriſti nomine*, &c. *pugnare.* In libro ſtabilimentor. *cap.* 1. *reg.* 3. ubi autem nunc hoſpitalitas Hieroſolymitana? quæ propriè in erectione intendebatur? immo ubi Europea, priori illi analoga?

V. *Probl.* Quâ de causâ, & an juſtè Templarii ſint exciſi, & juſtè in Concilio Viennenſi ob eorum ſcelera & hæreſes (ut loquitur Cherubinus loco cit.) damnati & bona eorum militiæ S. Johannis ſint applicata; & an Papa Clemens V. bulla ſuâ 1211, *ad providam*, idem juſtè decre-

Digitized by Google

decreverit, quod Concilium Viennenſe: excepto quod bona Templariorum in regnis Caſtellæ, Arragoniæ, Portugalliæ & Majoricarum diſpoſitioni ſedis Apoſtolicæ reſervat, & dictâ applicatione præſervat, & occupatoribus ſupra dictorum bonorum liberam relaxationem præcipit. *Reſp.* Diſſentiunt hic autores Pontificii antiqui & recentiores. 1. *Sunt qui* avaritiæ & æmulationi Principum, inter eos Philippi Pulchri (qui Clementem V. ſibi obnoxium in conſenſum trahebat) hoc adſcribant, inque eum finem referunt judicia Dei in regem & Papam, quales Antoninus, Albericus de Roſare in lexico Juris, Fulgoſus, Maſſeus, Mejerus, Heda in hiſtoria epiſcoporum Ultrajectinorum, in Guidone epiſcopo 42. cujus „ hæc verba: Circa hæc tempora anno videlicet M. CCC. VIII. delentur „ per orbem univerſum Profeſſores, quos templarios à cuſtodiâ templi Hie„roſolymitani vocitant, conſenſu Romani Pontificis, atque regis Fran„ciæ,plus invidiâ opum quibus abundabant,quam criminis alterius damna„ti. Quibus conſentire videntur ex noſtris *Hoſpinian. cap.* 19. Pleſſeus in Myſterio; nec diſſentire ex recentioribus Pontificiis Delrio *lib.4. diſq. Magic. cap. 4. quæſt. 4. ſect.* 1. 2. *Alii*, eos juſtè condemnatos volunt, imprimis (opinor,) ut honori papæ ſui conſulant. Tales ſunt, Azorius *cap. 6. Roderic. tom. 1. quæſt. 5. art. 1. Tholoſan. lib. 15. ſyntag. cap.* 33. Cherubinus in compend. Bull. ad Bullam Clementis V. & *Dionyſ. Mutz.art. hiſtor. Eccleſ.* ad annum 1313. cum Mennennio & Miræo loc. cit. Chaſſaneo in catalogo *part. 4. conſider.* 5. Gaguino in vitâ Philippi Pulchri *lib.* 7. Crinito de honeſta diſcipl. *lib. 24. cap.* 13. Platinâ in vitâ Clementis V. 3. *Alii* determinare non audent (ob reverentiam papæ ut opinor) quamvis ſatis oſtendant ſe inclinare in partem negantem. Inter quos Auguſtinus Wichmans *Brabant. Mar. lib. 2. cap.* 28. 4. *Alii* nudam iſtoriam referunt, nihilque de facti juſtitiâ diſquirunt; inter quos Spondanus in ſupplemento ad Epitomen Baronii. Ego ut ſuſpicor, ab avaritiâ ſeu potius æmulatione Regis Philippi Pulchri, & ab illo Clementis V. & Concil. Viennenſis prætenſum & dictum illum Spiritum actum fuiſſe; ſic confidenter aſſero ſine horrenda injuſtitia ſęvitum non fuiſſe promiſcuè in innocentes & in nocentes. Quod poſterius etiam judicat Cl. Rivetus in defenſ. myſterii *Pleſſ. part. 2. pag.* 686.

Atque hactenus de ordinibus illis equitum ſpeciatim Johannitarum, à nobis ea dicta & diſputata ſunt, quæ uſum aliquem aliquando præſtarent, ſiquidem reſtituto bonorum, privilegiorum, & antiqui ſtatus Ordinum, atque equitum illorum in fœderato Belgio denuo peteretur: uti & uſum ſuum præſtitere anno 1643. formâ publicę diſputationis à me in hâc Academiâ 1643. Junii 17. propoſita; quam cum Reſpondens, Nobiliſſ. & ampliſſ.

ampliſſ. inclytę urbis Neomagenſis Senatui & Reverendæ claſſi Neomagenſi inſcripſiſſet atque obtuliſſet, honorario ſatis lauto à nobiliſſ. & ampliſſ. Senatu donatus fuit. Illâ enim tempeſtate proceſſus pro reſtitutione bonorum Joanniticorum inclyto Senatui Neomagenſi movebatur, qui bona aliqua Johannitarum eccleſiaſticis aliiſque piis uſibus applicuerat. Actor erat *Walravius Scheiſſart van Merode* eques ordinis Johannitici, commendatarius & Rector generalis ordinis Johannitici in Belgio. Sub cujus nomine libellus tunc prodiit, complectens cauſas ſeu rationes ſuæ actionis. Occaſione iſtius petitionis & actionis Johannitarum, conſiſtorium Neomagenſe Remonſtrantiâ ſuâ iniquitatem & illegalitatem actionis Johannitarum in Nobiliſſ. & ampliſſ. Senatum Neomagenſem, Illuſtribus & potentibus ducatus Geldriæ & comitatus Zutphaniæ Ordinibus oſtenderunt, hâc potiſſimum ratione, quod ordo ille eſſet religioſus & regularis, &c. atque adeo de illorum ſtatu & bonis jure fieri poſſet, uti de omnium aliorum regularium & religioſorum ſtatu & bonis in Belgio fœderato factum eſt. Remonſtrantia hæc conſiſtorii Neomagenſis anno 1647. typis edita fuit; ut & ſcriptum claſſis & deputatorum ſynodi Geldricæ, tit. *Iteratæ Vindiciæ Neomagenſium*: ad hęc *Anacriſis* ſeu Examen ſententiæ à curiâ, &c latæ 16. Decembr. 1646. nomine & mandato Conſulum, &c. urbis Neomagenſis conſcriptum & anno 1647. editum in 4. Neomagi apud *Nicol. van Herrvelt*. Quę ſcripta hic indico, ut ſi alicubi in Belgio Magnus ordinis Johannitici Magiſter, aut ipſius delegati denuo reſtitutionem urgeant, aut cauſa reſtitutionis per magnos & potentes Reges aut principes, ſupremis fœderati Belgii poteſtatibus commendetur, uti antehac factum, illi, quorum intereſt & quos hæc cura tangit, libellos illos à me indicatos conquirere & conſulere queant. In epiſtolarum centuriis à Gabbema in 8. a. 1660. editis *pag.* 725. 727. exſtat epiſtola Renati *Verduyn*, ad Ill. Marchionem Ambroſium Spinulam in tractatu induciarum nomine potentiſſ. Regis Hiſpaniarum tunc occupatum, quâ illi cauſam reſtitutionis equitum Melitenſium commendat.

CAP. XII.

Quæſtiones inter Pontificios controverſæ.

SEquuntur nunc problemata inter Pontificios controverſa, quæ ſolum indicamus.

I. *Probl.* An Johannitæ denominati ſint à Joh. Baptiſta, an verò à Johanne eleëmoſynario Epiſcopo Alexandrino? II. Quanta ſit ordinum

Digitized by Google

num antiquitas, & unde prima origo? III. An omnes, an vero aliqui tantum ſint ſimpliciter & abſolutè religioſi? IV. An milites S. Jacobi, Calatravæ, Mauritii, &c. qui tantum vovent caſtitatem conjugalem, ſint verè & ſimpliciter perſonę Eccleſiaſticæ. V. An jura annuorum redituum ſint beneficia Eccleſiaſtica. VI. An commendatarii habeant titulum redituum annuorum, quibus fruuntur; an vero habeant eos ſolum commendatos ſuæ fidei & curæ? VII. An in emittendâ profeſſione comprehendantur *ſeſſ.* 25. *Concil. Trid. cap.* 15. VIII. An in jure communi, nomine regularium intelligantur quoque ordines equitum. IX. An horas Canonicas recitare teneantnr. X. An in pios uſus impendere debeant, quidquid ſupereſt ex reditibus. XI. An milites S. Jacobi de Calatrava, &c. qui nunc contra Saracenos non pugnant, tutâ conſcientiâ percipiant annuos reditus? XII. An peccent ſi fructus ſuos ex reditibus, ludendo perdant. XIII. An ii qui ab iis ludendo eos lucrantur, retinere poſſint? XIV. Qua latitudine & accommodâ expoſitione accipienda ſint vota, quæ milites illi emittunt. XV. An circa receptionem in ordinem, item circa reditus committi poſſit ſimonia? Hæc aliaque determinata vide apud Rodericum, imprimis Azorium loc. cit.

Bibliotheca autorum de equitibus nunc inſtituenda. Præter autores paſſim à me citatos Menenium, Mireum, &c. indico ſtatuta ſingulorum ordinum, & in iis ſtatuta Johannitarum cum privilegiis à Boſio edita a. 1597. Sanſovini origines equeſtres; Volaterrani *Anthropol. lib.* 21. Munſteri coſmographiam *lib.* 3. Petrum Meſſiam variar. lectionum *lib.* 3. *cap.* 3. & 4. Ubi ex profeſſo de Melitenſibus *cap.* 3. Anneum Nabort in defenſione ordinis Melitenſis, Boſium de geſtis ejuſdem ordinis, Oldradium conſil. 93. 128. 300. Thuanum *Hiſtor. lib.* 1. & 5. & 43. cum quibus conferendi imprimis ſcriptores belli ſacri Vitriacus, Wilhelm. Tyrius; & Itineraria terræ ſanctæ (quorum catalogum vide apud Adrichomium); deinde & communes hiſtorici ac topographi; & qui peculiari tractatu Melitam deſcripſit Quintinus Heduus. Choppinus *Monaſtic. lib.* 2. *tit.* ubi multa de equitibus, præſertim Johannitis, citatque ibidem loca ſuæ politiæ ſacræ, multoſque alios autores. Sleidanus *Hiſtor. lib.* 20. ubi de origine, ſtatu & geſtis, equitum Teutonicorum. *Franciſcus Averat* de equitibus de Calatrava. Poſſevinus in *Biblioth.* ſelectâ *lib.* 2. per totum.

ADDENDA.

Pag. 682. *lin.* 21. 7. Adde, XXIII. legitima & eccleſiaſtica deſtitutio, depoſitio, degradatio miniſtri, ob corruptelas doctrinæ, aut vitæ. Depo-

 ſitio-

Digitized by Google

ſitio autem duplex eſt, vel ab omni miniſterio, vel à miniſterio ſolummodo iſtius eccleſiæ. Poſteriori affinis eſt, remotio miniſtri ab hujus eccleſiæ miniſterio, & ad alterius miniſterium traductio; quod auditoribus ſuis ingratus ſit.

Poteſt autem eccleſia, quæ inſtituit, deſtituere; quæ vocavit & miſit in illam meſſem, dimittere; quæ miniſterium illi impoſuit & commiſit, eidem adimere ob juſtas cauſas, in noſtris conſtitutionibus eccleſiaſticis recenſitas.

Pag. 744. *lin.* 15. 7. Adde, Bibliothecas publicas, de quibus aliquid notavi in tract. noſtro de exercitiis & Bibliothecâ *lib.* 2. *cap.* 3. *pag.* 271. Sed poſtea prodierunt, Hottingeri tractatus de Bibliotheca; Ejuſdemque Bibliotheca orientalis in 4. Hermanni Conringii, de Bibliothecâ Auguſtâ, de omni re Bibliothecariâ in 4. Quia autem in Bibliothecâ meâ *lib.* 2. *cap.* 2. *pag.* 256-263. monui reformatę religionis conſortes de libris theologicis & hiſtoricis eccleſiaſticis ab inventâ typographiâ uſque ad annum 1517. impreſſis ſollicitè conquirendis & cuſtodiendis haut importunè hic indicandum duxi tale quid fieri ab ampliſſimo & literatiſſimo viro *Luffrido* ab *Ooſterwijck* ſenatore & conſule Embricenſi, qui ante annos aliquot mihi indiculum aliquorum, quos tunc poſſidebat, communicare dignatus eſt, pluribus procul dubio poſt illud tempus, in poteſtatem redactis.

Erant autem iſti, *Reformatorium* vitæ Clericorum Baſileæ per Michaëlem Furter anno 1444. in 8.

Hiſtoria ſcholaſtica impreſſa in Trajecto inferiori per Nicol. Ketelaer & Gerardum de Leemput 1473. in fol.

Eadem impreſſa Baſileę 1486. in fol.

Legenda Jac. de Voragine, per Conradum de Hœmborch 1476. in fol. Et anno 1481. Colon. apud Conradum Winters de Hamburch.

Et anno 1483. in fol.

Rhetorica divina Guliermi Pariſienſis, per Arnoldum Cæſaris, Gandavi 1483. in 4.

Liber de geſtis beatiſſ. trium regum Balthaſ. Melchioris, Caſparis, Moguntiæ per Johannem Guldenſchaff 1477.

Epiſtolæ Caroli impreſſæ Baſil. 1486. in 4.

Dialogus creaturarum, Antwerpię per Gerardum Leuw 1486.

Robertus Holcot ſuper ſapientiam 1489 in 4. majori.

Franciſcus Wijngaert tot Antwerpen by Henrick Eckhart van Hamburch 1518. in fol.

Den Bijbel getranſlateert ende vermeerdert, tot Antwerpen by Claes de Grave 1518. in fol.

Den

Digitized by Google

Den Bijbel, tot Antwerpen, by Claes de Grave uyt den Lantijnſchen, ende Walſchen getranſlateert, 1516.

Het Paſſionael, dat geheeten is, Aurea Legenda, tot Parijs in S. Jacobsſtraet 1505. in fol.

De Ceulſche Chronijck anno 1499. in fol.

Faſciculus temporum, *Gedruckt* tot Utrecht by Jan Veldenaer 1480. in fol.

Van de Waerachticheyt der Broederſchaps, van onſer Vrouwen hoet, of ſouter der Maget Maria, ter Goude in Hollant, by Gerart Leuu 1484.

Platina de Vitis Pontificium cum aliis ejuſdem tractatulis Pariſ. impenſis Franc. Regnault 1505. in 8.

Pag. 818. lin. 32. 7. Adde, Mathias Ugonius tractatum peculiarem edidit tit. De præſtantiâ patriarchali.

Pag. 869. poſt lin. 24. Adde, Lubet hic ſubjicere prælectionem pereruditi theologi Joh. Prideaux, in quâ cauſam epiſcopatus egit. Communicatum eſt mihi exemplar lectionis illius ſcriptum ab aliquo, qui cum applauſu eam audiverat, & pro viribus ex ore ipſius exceperat, ac conſignâ-rat. Quamvis autem ex lectione ejus appareat, eum non ſatis preſſe & accuratè omnia dicentis verba, & ordinem verborum potuiſſe aſſequi aut exhibere: vix tamen ſuſpicari licet, rem ipſam aut ſaltem rei ſummam ab eruditiſſimo theologo propoſitam nobis ab auditore hoc, & quidem faventiſſimo, fideliter non exhiberi. Sic ergo in chartâ illâ ſcriptum erat.

„ Prælectio à celeberrimo viro D. Prideaux SS. Theologiæ Profeſſore „ regio & Univerſitatis, Oxon. vice Cancellario digniſſimo habita ibid. „ Octob. viceſ. 5. 1641. facto ingenti & inſolito Academicorum concur- „ ſu, ideo confluentium ut Smectimnorum (*libelli erant Anglicè edit. tit.* „ Smectimnus) refutationem quam præcedenti legendi vice promiſerat, „ exaudirent. Octob. 25. 1941. Poſt hæc deſignavit autem Dominus etiam „ alios diſcipulos ſeptuaginta.) Unde quidam benè affecti erga noſtram Ec- „ cleſiam diſcrimen colligunt inter Epiſcopatum & Presbyteratum.

„ Alia eſt miſſio Apoſtolorum. *cap.* 9. Alia 70. Diſcipulorum *cap.* 10.

„ *Unde ſic arguunt.*

„ Inter quos Chriſtus ponit diſcrimen; inter eos diſcrimen eſt ponen- „ dum. Sed Chriſtus ponit diſcrimen inter Apoſtolos & Diſcipulos. 70. „ Hinc ſucceſſerunt in Eccleſiâ Epiſcopi & Presbyteri; inter quos diſcri- „ men ponimus.

„ Illaque non eſt tantum noſtra ſententia; verum etiam omnium Pa- „ trum. Sed nonnulli furcillare conantur, & ſpiritu uno difflare omnia „ patrum teſtimonia. Nec reverà urgemus, ſed tantum premimus illo-

Digitized by Google

„rum authoritatem in ducendis conſequentiis, & fidem hiſtoricam „ipſorum, cui fidei hiſtoricæ niſi crederemus quomodò credere poſſum „Henricum VII. & VIII. Angliæ reges, & reginam Elizabetam? Urge„mus tantum quid patres hâc ex parte ſentiebant, & quid ſcripſerunt de his „officiis.

„ 1°. Itaque notandum eſt Deum in Nov. Teſt. conſtituiſſe in eccleſiâ „ſummum ſacerdotem, ſacerdotes, & levitas. Unde in Nov. Teſt. in „locum Principis ſacerdotum ſucceſſit epiſcopus: in locum ſacerdotum & „Levitarum presbyteri & Diaconi. Non legimus hanc formam fuiſſe mu„tatam. Nam nunquam reprehendit Chriſtus regimen eccleſiæ, ſed po„tius retinuit. Nam elegit primo 12. Apoſtolos loco ſummi ſacerdotis, „deinde 70. Diſcipulos loco ſacerdotum & Levitarum.

„ 2°. Chriſtum nullum aliud Regimen adhibuiſſe, ſed ſolum prius ac„commodaſſe eccleſię ſuæ. Quæ eſt ſententia patrum, Cyprian. Hieronym. „& Clement. in Epiſt. ad Corinth (Gręcè ſcriptâ, & Latinè redditâ, nec „reverâ ſuſpecta eſt, ſed eſt magnæ antiquitatis & authoritatis) ubi pro„bat debere eſſe in eccleſiâ epiſcopos & Diaconos, & probat ex *Iſai.* „*cap.*

„ 3°. Apoſtolum dixiſſe omnia in eccleſiâ fieri debere εὐσχημόνως decen„ter κατ' εὐταξίαν in ordine, & εἰς οἰκοδομὴν ad ædificationem. Hic „autem ordo eſt maximè κατ' εὐταξίαν Eſt enim ordo ipſius naturę ut ſit „aliquis ſupremus, alius medius, & aliquis infimus. Uti in familia eſt pa„ter familias, deindè filii, deinde ſervi. Et (uti norunt juniores) in prædi„camentis eſt ſummum genus, dein genera ſubalterna & ſpecies. Et etiam „apud oppidanos noſtros (noſtris eſt Major, tanquam epiſcopus) dein„de Aldermanni (qui nil aliud ſaxonicâ linguâ ſonant, quam ipſos Presby„teros. Deinde habent ipſi ſuos officiales (tanquam Diaconos) unde ap„paret paritatem in regimine eſſe potius ἀναρχίαν quam ſecundum εὐταξίαν „Nam dum ille jubeat me, & ego jubeo illum, ille non obtemperat mi„hi, nec ego obtempero illi, quia ſumus pares. Sic ubi eſt paritas in ec„cleſiâ, ibi eſt ἀταξία & confuſio.

„ 4°. Aliud eſſe jus divinum in agendis, aliud in credendis, in iis quæ „credimus locum ſcripturæ aliquem ducimus ad confirmandam fidem. In „agendis autem (qualis eſt diſciplina eccleſiaſtica) ſufficiat ſi ducamus „exemplum, ſive jus Apoſtolicum. Si itaque vel ex diſpoſitione Chriſti, „vel ex praxi Apoſtolorum imparitas miniſtrorum appareat, obtinebit, „quod intendimus. Nemo enim eſt quin aſſerat jus Apoſtolicum eſſe jus „divinum. Quomodo enim aliter Sabbatum ſuum poſſunt aſſerere eſſe „jure divino, niſi etiam hoc concedatur jus Apoſtolicum eſſe divinum?

Sabba-

Digitized by Google

„ Sabbati verò jus divinum non aliter probare poſſunt quam per praxin A-
„ poſtolorum, unde etiam neceſſe eſt, ſi epiſcopatum rejiciant, rejiciant Sab-
„ batum ſuum. Sic diſpoſuit Chriſtus, primum ſelegit Apoſtolos tanquam
„ ſuperiores, deinde diſcipulos ut inferiores, 9. Deinde Apoſtolorum no-
„ mina deſcribuntur in libro vitæ. Non autem nomina ſeptuaginta diſci-
„ pulorum. Reverâ exſtat Catalogus nominum eorum apud Baronium &
„ ſarmenta quædam apud. Ubi enumeranrur, Eunuchus, Euphrates, &
„ cis, (neſcio an ſit mas vel fæmina,) ſed proculdubio iſtic Catalogos eſt
„ ſubjecta.

„ *Ob.* Non conſtat eſſe impares.

„ *R.* Imparitas conſiſtit in Gubernatione. Nam in multis Apoſtoli &
„ diſcipuli conveniunt, quemadmodum etiam epiſcopus & presbyter con-
„ veniunt in prædicatione verbi, & adminiſtratione ſacramentorum. Sed
„ in juriſdictione & regimine differunt.

„ Deinde apparet Imparitas ex eo quod Matthias, ſelectus erat è nume-
„ ro ſi non 70. Diſcipulorum, at certè diſcipulorum, ad Apoſtolatum,
„ Quod nil aliud eſt, quam promotio ad ſuperiorem gradum ab inferiori;
„ & revera hoc argumentum nequit evadi. Idem poteſt dici Apoſtolus &
„ Epiſcopus. In peregrinatione, quando movetur à loco in locum dicitur
„ Apoſtolus. In ſtatione epiſcopus. Sic Jacobus in ſynodo ideo prolocu-
„ tus eſt (non Petrus) quia erat epiſcopus iſtius loci, uti volunt nonnulli,
„ & probabile eſt argumentum. Deinde quando Chriſtus ſcripſit ad ec-
„ cleſiarum Angelos, proculdubio intelligitur de epiſcopis, & Polycarpus
„ tunc temporis fuit epiſcopus ſmyrnę, ut patet ex Irenæo, &c.

„ *Ob.* Chriſtus prohibet omnem dominationem in clerum ſuum.

„ Non omnem, ſed talem. Vult non ut gladio utantur, ſed clavibus. Si-
„ ve prohibet dominationem correctivam non directivam, vel pater-
„ nam; ſed tantum tyrannicam.

„ *Ob.* Apoſtoli non habuêre ſucceſſores.

„ *R.* Non habuêre in donis, ſed habuêre in regimine.

„ *Ob.* Apoſtoli fuêre extrordinarii.

„ *R.* Fuere in donis extraordinarii; ſed non inprædicatione Euangelii:
„ & revera quodammodo presbyteri & Diaconi ſunt ſucceſſores Apoſtolo-
„ rum: Cura menſarum devecta eſt ab Apoſtolis ad Diaconos. Succedunt
„ presbyteri in prædicatione Euangelii, &c. epiſcopi & in prędicatione
„ Euangelii & juriſdictione.

„ *Ob.* Si eſſet epiſcopus eccleſiæ, cur non epiſcopus epiſcoporum, & tan-
„ dem Papa?

„ *R.* Non eſt eadem ratio, nam monſtroſum eſſet approbare unum ca-

„put diverſis corporibus. Diverſæ autem eccleſiæ ſunt diverſa corpora „quemadmodum eccleſia Scotic. & Anglic. Monſtroſum autem eſſet apponere unum caput diverſis corporibus. Apud Bellarminum eccleſiæ aſſi„milantur alvearibus, num putamus unam apem præſidere diverſis al„vearibus, vel diverſis diverſos.

„ Unde videtis quam inanis ſit jactatio eorum, qui non tantum, pedem, „verum etiam & calceos attollunt in pręſidentes ipſorum. Obedite vero „vos præpoſitis veſtris in Domino. In epiſtola Judæ eſt prophetia quædam „fore in futuro tempore homines qui quæcunque non noverunt, vitupe„rant, qui etiam contradictione Core perierunt. Korah, Datham, & „Abiram inſurrexêre non tantum in Moſem verum etiam in Aharonem. „Sic ſi homines vituperant ea quæ non noverunt, nec bene verſati in re„bus eccleſiaſticis, nec revera Catharizati, qui diſcrimen illud negant, & „inſurgunt contra Moſen & Aharonem, duces & epiſcopos.

Hæc diſſertatio pro epiſcopatu, an vel à quovis mediocris ingenii, & ſtudiis theologicis initiato, refutari poſſit, ego non dicam; contentus hâc vice ſolummodo eam hic exhibere, & quorumvis theologorum extra Epiſcopatum viventium arbitratui relinquere.

Pag. 818. *lin.* 39. Adde, Fileſacum de ſacrâ epiſcoporum *autoritate, cap.* 9. ubi de eccleſiaſticis gubernantibus (patriarchis, primatibus, archiepiſcopis ſeu metropolitanis) eorumque origine, ordine, munere, diſtinctione ex antiquitate eccleſiaſticâ quamplurima congeſſit: hâc tamen editâ confeſſione §. 2. *pag.* 91. Plurimorum, inquit, conſenſu, Ec„cleſia à Republicâ, formam illam magna parte mutuata eſt, quo fit ut „Anacleti, ſeu cujus cujus ſit, ſententiam veriſſimam eſſe cenſeant, „nimirum ut in iis urbibus in quibus Præfecti Prętorio, Proconſules, „Legatique Conſulares, ac Præſides, agebant, in iis Patriarchales ſedes, „vel Primatum aut Metropolitanorum, vel denique Epiſcoporum ſedes, „Chriſtianæ Reipublicę, ſeu eccleſiæ Patres conſtituerint.

Pag. 881. *lin.* 18. Adde, Bartholom. Gavanti *tom.* 1. theſauri *ſacr.. rit. pag.* 219. 220. ubi de obligationibus ſacerdotum.

Pag. 900. *lin.* 11. 7. Adde, Tholoſanus *ſyntagm. lib.* 7. *cap.* 1. §. 7. & *lib.* 17. *cap.* 3. §. 16. 17. dicit, beneficia eccleſiaſtica, alia habere dignitatem, alia perſonatum, quædam officium, adminiſtrationem alia, alia præpoſituram. *Perſonatum*, deſcribit prærogativam quandam apparentem in eccleſiâ ſine juriſdictione in ſede, vel exedrâ, vel ut dicunt in ſtallo, in choro præ aliis honorifico. *lib.* 17. *cap.* 3. §. 17. monet optimum eſſe in vi iſtorum nominum *dignitatis*, *perſonatus*, *officii* ſequi mores eccleſiarum, & in quâ ſignificatione, ſententiâ & obſervatione hujuſmodi ſint nomina. Vide ſupra *pag.* 899.

Pag. 914. *lin.* 31. 7. Adde, de canonicis aliqua attingit Onuphrius Panuinus de Septem urbis eccleſiis *p.* 170. 171. 172. Plurima *Petrus Streithagen* in Parenetico, &c. 1640. Colon. in 16. Caramuel Lobkowitz in tract. de præcedentiâ *pag.* 138. negat ſæculares, prius fuiſſe religioſos & cœnobitas; qui poſtea deſiſcentes facti eſſent irregulares & ſæculares.

Auguſt. Barboſa, tract. de Canonicis *pag.* 94. opinioni illi accedit quod canonicatus in principio fuerit præsbyteratus.

Zanchius in epiſtolis *part.* 2. *pag.* 465. & 511. ait fuiſſe collegia theologica, & tale poſt reformationem fuiſſe collegium Argentinenſe dictum Thomę; in quod non ſine præcedente examine theologico admittebantur, indicante eodem Zanchio in præfat. ad Miſcellanea theologica.

Simile eſt judicium Conringii in diſſert. de antiquitatibus Academicis *pag.* 65. Et Gieſſenii theologi Rintelenſis, de jure & regimine Academiarum *diſp.* 1. *pag.* 15. & *diſp.* 15. per totum: ubi de bonis eccleſiaſticis.

Pag. 915. *lin.* 7. De hoc Oeconomo ejuſque munere, *Concil. Chalcedon. c.* 26. Toletanum 4. *cap.* 47. Hiſpalenſe 2. *cap.* 9. Nicenum 2. *cap.* 2. Melitenſe *cap.* 47. Iſidor. Hiſpalenſis epiſtol. ad Ludifredum Cordubenſem.

Pag. 1010. *lin.* 39. Adde, Ritum velaminis, adhiberi ſolitum in conſecrandâ moniali: de quo Hoſpinianus *lib.* 3. de Monachis *c.* 13.

Pag. 1012. *poſt. lin.* 14. Adde de reformatione & bonorum applicatione, Zepperum in *Polit. eccleſiaſt. p.* 469 - 510. Melanthonem *part.* 1. conſiliorum *pag.* 14. 15. edit in 8. Sed imprimis Henricum Petrejum JC. Henr. Julii ducis Brunſwicenſis & Luneburgenſis, poſtulati Epiſcopi Halberſtadenſis conſiliarium in tract. de Monaſteriis a. 1610. ubi reformationem monaſteriorum, & bonorum monaſticorum ad pios uſus applicationem commonſtrat, & bona illa capientibus atq; in proprios aut profanos uſus convertentibus graviter & operosè ſacrilegium intonat *fol.* 55. b. & *ſeqq.* uſque ad finem. Qui in eodem tractatu ad monachorum ſpecies & ordines cognoſcendos *fol.* 21. & 24. commendat Franciſci Modii Brugenſis verſus, & faſtos cum exquiſitis Monachorum & Monialium in ſuo cujuſque habitu, imaginibus à Feirabenio ad Mœnum editos. Et Franciſci Lamberti Avenionſis commentarium in regulam Franciſci editum Argentorati 1523. ex quo excerpit *fol.* 21. religioſorum ſectas, iſtic enumeratas: quas hic exhibemus. „ 1. Benedictinorum nigrorum, in plurimas ſexus utriuſque hęreſes ſubdiviſorum. „ 2. Camaldulenſium qui, etſi ſub Benedicto ſunt, albis tamen induuntur. 3. Ciſtercienſium (à S. Bernhardo reformatorum Benedictinorum) „ 4. Baſilienſium. 5. Hieronymitanorum, qui partim fuligineis veſtibus, „ partim amplis cinericii coloris palliis induuntur. 6. Prædicatorum utriuſque ſexus, exque iiſdem Tertiariorum. 7. Carmelitarum. 8. Præmon-

ſtraten-

„ ſtratenſium, qui & tunica & pallio albis utuntur. 9. Eremitarum, ut ap-
„ pellant, Auguſtinianorum, in varios utriuſque ſexus ordines ſubdivi-
„ ſorum. 10. Antonianorum qui ante pectus T. pictum habent. 11. Cano-
„ nicorum Regularium, qui partim albis, partim præter ſcapulare album
„ tegumentorum colore pro arbitrio utuntur. 12. S. Ruffi monachi, qui
„ ut Canonici Regulares, albi ſunt. 13 S. Honofrii, qui fuligineas tuni-
„ cas portant. 14. Servorum S. Mariæ nigri. 15. Lazaritarum ſive Magda-
„ lenitarum utriuſque ſexus. 16. Sclavonum, qui rubris induuntur.
„ 17. Wilhelmitarum. 18. Stelliferorum, ad pectus ſtellam rubeo nigro-
„ que colore variam portantium. 19. Wenceslaorum, quorum cuculla à
„ nobilium Gallię mulierum mitra haud longè diſſimilis eſt. 20. S. Helenę,
„ qui palliis albis operti crucem ante pectus croceam. 21. Ambroſiano-
„ rum, qui ſuper tunicis albis rubeas chlamydes geſtant, quibus & Equi-
„ tes Ambroſiani annumerantur: quidam tamen fuligineis veſtibus ope-
„ riuntur. 22. Speculariorum, ſuper quorum albis palliis nigra crux, &
„ ſub illa circulus niger pinguntur. 23. De cruce ſtellata, qui nigra qui-
„ dem pallia ſed ab aliis diſſimilia habent. 24. Chalomerianorum palliis al-
„ bis cruce ſignatis alba. 25. Johannitarum equitum, qui aſſeclas habet
„ complures. 26. de purgatorio, ante pectus cruce inſignes. 27. Domi-
„ norum de domo Teutonica. 28. Celeſtinorum. 29. Grandomontenſium.
„ 30. Carthuſianorum (qui Brunonem quendam Eremum olim juxta pa-
„ gum cui nomen Carthuſia, ingreſſum auctorem agnoſcunt) utriuſque
„ ſexus. 31. S. Brigittæ, in circulo ante pectus crucem rubeam palliis fuli-
„ gineis geſtantes. 32. Hieroſolymitarum ſexus utriuſque. 33. Fratrum In-
„ dianorum, ſive de India ſuperiorem tunicam nigri cucullam albi.
„ 34. Fratrum de Hiſpania, cuculla omnibus ferè monachis diſſimili 35.
„ Fratrum S. Crucis cum cruce ante pectus. 36. De valle Joſaphat, rubeis
„ tunicis veſtiti. 37. Ninivitarum, qui flagellum de funiculis portant.
„ 38. De civitate S. Johannis cuculla rubea pictoque in eo calice prælu-
„ ſtres. 39. De forcipe, cuculla alba forcipe inſigniti. 40. Fratrum Con-
„ ſtantinopolitanorum, cuculla rubea & ſupra indumentis viridibus, aërii-
„ que coloris crucibus duabus gaudentium. 41. De gratià S. Sophiæ cru-
„ cem rubeam eandemque magnam ante pectus habentium. 42. De Sco-
„ tia, à Bernhardenſibus quoad habitum non multum diſſimilium. 43. De
„ S. Jacobo, cochlea ante pectus præſignes. 44. De Ungaria, qui in rubea
„ chlamyde à dextris crucem viridem portant, ſub eademque chlamyde
„ tunicam albam. 45. De gladiis, qui alba cuculla & duobus in ea rubeis
„ enſibus inſigniuntur. 46. Jacobi de Spata, ut vulgo dicuntur, qui ru-
„ beo enſe pectus fulgent. 47. Hoſpitaliorum S. Spiritus. 48. Diſciplina-
torum,

Digitized by Google

„ torum. 49. De miſericordia ſeu charitate, qui infirmorum miniſterio & „ defunctis ſepeliendis ſe dicarant. 50. Minoritarum, in Conventuales, „ Obſervantes, Reformatos, Collectaneos, de caputio, de Euangelio, „ Amedos, Clarinos, Tertiarios, ſubdiſtinctorum. 51. Clariſſarum quæ „ itidem in obſervantes ſe & Reformatas Urbanaſque ſuggregarunt. 52. Jo- „ ſephitarum, quibus cinericiæ tunicæ ſunt, & cucullæ albę. 53. Monia- „ lium incluſarum in muris, quarum aliquot Romæ eſſe perhibentur. „ 54. Gregorianorum, qui aëriis palliis iiſdemque ampliſſimis utuntur „ 55. Monialium decem virtutum S Mariæ, quæ noſtris ortæ ſunt tempo- „ ribus, velumque habent nigrum, tunicam albam, ſcapulare rubeum, „ chlamydem cinericeam: à quibus Capelletum quod vocant decies tan- „ tummodo repetitæ ſalutationis angelicæ exordium ſumſit. 56. Minimo- „ rum, quos Franciſcus de Paula inchoavit, fuligineis tunicis veſtitos. „ 57. De ſacco, qui tunicam ex tela habent manu crucem portantes. „ 58. Templariorum. 59. Columbinorum. 60. Jeſuitarum, aliorumque, „ quorum nomina & habitus nondum ſatis cognitos in prædicti com- „ mentarii prologo Lambertus ille Minorita præterit & iſtos præmemo- „ ratos ordines id eſſe ait in Chriſtianorum Repub. quod in veſtibus tineæ „ ſunt, in horreis mures atque vermes, in oleribus erucę, locuſtæ, bruci, „ in metallis rubigo.

Idem Petrejus *fol.* 25. ex Corn. Agrippa de incertit. & vanitate ſcientiarum *cap.* 25. ridiculam refert narrationem: Ineſſe, ait Agrippa, picturis „ atque ſtatuis non contemnendam auctoritatem ego olim in Italia didici. „ Nam cum fratres Auguſtiniani cum Canonicis Regularibus coràm Ro- „ mano Pontifice de beati Auguſtini habitu, videlicet, nigram ne ille ſtolam „ in ſuper alba tunica, an candidam ſupra nigra induiſſet? pertinaciter liti- „ garent atque ex ſcripturis, quod ad hanc litem dirimendam faceret, nihil „ compertum haberetur: viſum fuit Romanis judicibus rem omnem ad „ pictores & ſtatuarios delegare, ut; quod illi ex vetuſtis picturis atque „ ſtatuis adſererent, ſententię haberet vigorem. Hoc exemplo confirma- „ tus ego cum aliquando indefatigata diligentia monachalis cucullæ origi- „ nem inveſtigarem, nec quicquam inde ex ſcripturis invenire potuiſ- „ ſem, tandem ad pictores me contuli atque in iſtis fratrum procœſtriis at- „ que porticibus, ubi utriuſque teſtamenti hiſtoriæ ut plurimum depictæ „ cernuntur, rem per quęſivi, cumque in toto ferè teſtamento nullam ex „ Patriarchis, neque ex ſacerdotibus, neque ex Prophetis, neque ex Levi- „ tis, neque Heliam ipſum, quem licet Carmelitę ſibi faciunt Patronum, „ inveniſſem cucullatum: novum teſtamentum aggreſſus, inveni illic Zacha- „ riam, Simeonem, Johannem Baptiſtam, Joſeph, Chriſtum, Apoſto-

„ los, Diſcipulos, Scribas, Phariſæos, Pontifices, Annam, Caypham, „ Herodem Pilatum & Pleroſque alios, nullam uſpiam conſpexi cucul- „ lam, rurſuſque ab initio omnia & ſingula diligenter examinans mox in „ fronte Hiſtoriæ ſeſe offert cucullatus Diabolus, ille videlicet, qui erat „ Chriſtum tentans in deſerto. Gaviſus ſum plurimum reperiſſe me in pi- „ cturis, quod hactenus nequivi in litteris, diabolum ſcilicet fuiſſe pri- „ mum cucullæ autorem, à quo puto deinceps ceteri monachi & fratres „ hanc ſub diverſis coloribus mutuati ſunt, aut fortè velut hereditariò jure „ ſibi relictam acceperunt. Quod Agrippa refert de pictorâ diaboli cucul- lati, id perpetuo videtur obtinuiſſe. In bibliis latinis à Johanne Benedicto Pariſ. 1555. editis in fol. ad *c.* 4. Mathei pingitur diabolus tentator Chri- ſti, monachus cucullatus manu ſuâ roſarium præferens, ſed cum pedibus aquilinis, loco pedum humanorum. Et ſic in libro exemplari picturarum biblicarum, Et in *lib.* 4. Euangeliſtarum Arab. Lat. Romæ anno 1619. editorum, ubi abſque roſario, habitu eremitæ pedibus aquilinis pingi- tur.

Pag. 775. *lin.* 37. Adde, Vide ipſum dictum Dionyſ. Areopag. de hie- rarchiâ eccleſiaſticâ *cap.* 5. & 6.

Pag. 776. *lin.* 33. Poteſtatem Papæ deſcribit Angelus Rocca in com- mentario de Pontificis nominibus ac muneribus, nec non de miniſteriis & obſequiis illi præſtandis. Philippus Rovenius in tract. de Republicâ Chriſtianâ anno 1658. edito *lib.* 1. *cap.* 16. §. 6. enumerat capita 66. ad quæ Papalis poteſtas ſe extendit; præter illa, quæ eidem reſervata in Regulis cancellariæ Apoſtolicæ.

Pag. 885. poſt *lin.* 16. Adde inter ſacerdotes ſunt aliqui peculiari no- mine dicti *ſacerdotes animarum & Capellani*, ſeu *ſacellani*. De vicariis eorum- que ſpeciebus ſupra dictum *cap.* 6. *pag.* 873. Sacerdotes qui in parochiali eccleſiâ ſecundi ſunt à parocho ſeu paſtore, eique ſubordinati, qui officia quædam ſacerdotalia, aliquando & paſtoralia (abſente ſcil. aut defuncto paſtore) exercent; *vice-curati*, & generali nomine *vicarii* dicuntur. *Sa- cerdotes*, qui in collegiatis eccleſiis nomine & vice canonicorum, officia quædam ſacerdotalia ut miſſarum celebrandarum, audiendarum confeſ- ſionum, &c. exercent dicuntur *vicarii*. Et inter vicarios illi, quibus im- poſitum eſt miſſas pro defunctis, (ad quas obligantur canonici, ſeu ec- cleſia illa collegiata) celebrare, dicuntur *ſacerdotes animarum.*

Capellani dicuntur ſacerdotes, qui in propriis aut domeſticis ſacellis principum ſæcularium aut eccleſiaſticorum, aut in ſacellis ruralibus, aut in ſacellis in collegiata aliquâ aut parochiali eccleſiâ, exſtructis, ſacra peragunt. Quomodo autem differant eccleſiæ parochiales à capellis ſeu

ſacellis,

ſacellis, & beneficium parochiale à capellaniâ, & capellanus à parocho ſeu paſtore, ex dictis & *lib.* 4. *pag.* 867. colligi poteſt. Hic indico haberi in bibliotheca Ultrajectina tract. Petri de Lara *de anniverſariis & capellaniis*, Moguntiæ anno 1610. excuſum.

Pag. 779. *lin.* 11. Adde, epiſtolas Leonis, Gregorii Magni, & ſimilium epiſcoporum Romanorum, extra hunc numerum pono: quod illi in forma nondum eſſent aut à ſuis dicerentur epiſcopi & primates univerſales, & eccleſiaſtici monarchæ.

Pag. 781. *lin.* 27. Adde, huic gregi officialium accenſendi quæſtores, qui olim in Angliâ cenſum capitalem, ſeu nummum Petrinum pro Pontifice exigebant: quorum poſtremus fuit, ni fallor. Polydorus Virgilius.

Pag. 783. *lin.* 14. Adde, Pauli V. reſervationes, conſtitutiones & regulas ſuper regulis cancellariæ Apoſtolicæ apud Quarantam in conſtitutionibus Pontificum *pag.* 551 - 979. Et de progreſſu ſplendoris & poteſtatis Papalis, Steph. Paſchaſius *lib.* 3. Recherces per totum.

Pag. 795. *lin.* 20. Adde, Franciſcus Longus à Coriolano in chronico Pontificum *pag.* 184. contendit pro Cardinalium antiquitate.

De iiſdem aliqua obſervat Paſchaſius *lib.* 3. Recherces *cap.* 5. *pag.* 167.

FINIS.

Digitized by Google

INDEX RERUM ET QUÆSTIONUM MAXIME OBSERVANDARUM In Politicæ Eccleſiaſticæ parte Secunda.

A.

ABbas, *nihil poteſt ſtatuere ſine conſenſu monachorum.* pag. 7.

Abſtenti *analogice ſunt populus Eccleſiaſticicus* 88 *Vid.* ſuſpenſi.

Academici *an judicio Eccleſiaſtico exemti* 71. 72. 73. *ſtudioſi & profeſſores à ſynedrio Eccleſ. indicandi.* 78

Academiæ *inſtitio, ſtudia & exercitia frequentanda theologia ſtudioſo.* 733. 734. 735. 736. *ejus fundamentum & cauſa efficiens* 743. *In quibus conſiſtat* ibid. *ejus regimen* 744. *ejus requiſita & privilegia.* Ibid. *diſting. in academias & ſcholas illuſtres* 745. *ambarum numerus ann.* 1636. 746. *quæ longius ab Academiis proprie dictis recedant.* Ibid. *Ultrajectina exercitia in privatis Collegiis habita* 748. 749. Vid. profeſſores & collegia.

Acolythi *papales qui ſint.* 886

Adam *vox varie accipitur.* 180

Ægrorum *viſitatores. Vid.* Viſitatores ægror.

Æqualitas *Eccleſiæ vel circa plures Eccleſias in eâdem claſſe, vel membra particularis Eccleſ. ſub uno ſynedrio.* 26. 27

Æquatores *poteſtatis Eccleſiaſticæ notantur in defectu peccantes* 251.

Afflictio omnis *ratione Eccleſiæ an ſit perſecutio.* 119

Agobardi *Epiſcopi Lugdunenſis querela de indignitate miniſtrorum per vilia & indecora miniſteria.* 326

Aleæ luſus *vitandus præcipue paſtori.* 407

Alleluia *in Miſſâ papali dicitur.* 891

Alumni in Studio *Theologico, Eccleſiæ, Reipubl. aut privati alicujus an aliis præferendi in electione* 244. *an ob eos contemnendum miniſterium* 300. *praxis illa, ut ſemper & ordinario præferantur iis qui proprias exſpenſas fecere, improbatur quibuſdam rationibus* 725. 726.

Ambitus *in Miniſterio Eccleſ. Culpandus* 233. *directus aut indirectus in electio-*

Digitized by Google

electione Candidatis decuplex vitandus. 550. 551

Ambitio *potentum, cauſa iuris patronatus.* 586. *Pontificum Romanorum.* 588

Amphibologia *cuiquam privatâ autoritate de fide rogato an uti liceat.* 100

Anabaptiſtę *primi Miniſterium Eccleſ. reiicientes* 221. *monitores ſuos à ſacramentorum diſpenſatione excludunt ſolos epiſcopos admittunt.* 434

Anachoretæ *monachi in exceſſu* 1001. *Vid.* Eremitæ.

Anna *filia Phanuelis an publice miniſtraverit in Eccleſiâ.* 371

S. Annæ *duodecum privilegia* 1067. *fraternitates.* 1064

Annus *ætatis certus in vocando miniſtro an requiratur* 719. 720. 721

Antiquitas *non ſemper approbatur.* 383. 600

Apoſtolicum Miniſterium *an aliud ac hodiernum miniſtrorum* 227. 228

Apoſtoli *deſcriptio* 351. *nominis origo* Ibid. *ſynonima* 352. *Conjugata* Ibid. *homonymia vocis variis tributa, Chriſto, Euangeliſtis, miniſtris legatis quibuſvis etiam navigio cuidam* 353. *attributa, numerus* 354. *duodenarius an quid ſignificet Myſtici* 359. *nomina* 354. *genus & gens* ibid. *teſtes* θεόπτευςοι *à Chriſto electi cum eo converſati & infallibiles* 355. *ſingulares ſine ſucceſſore & miniſtri univerſales,* &c. 356. *excellentia dignitas* 356. 358. *an judicaturi die noviſſimo* 357. *quomodo diſtinguendi ab aliis miniſtris* 359. *an omnes piſcatores* 361. *an prophetæ fuerint aut ſaltem aliqui ex iis* 369. *an veri monachi Chriſtiani.* 989

Apologia, *Vid.* defenſio.

Appendix *quid.* 195

Approbatio, *in electione miniſtrorum, populi requiri quintupliciter probatur.* 560. 561. *in exceptione & inapprobatione contra electionem aut electi doctrinam, mores, &c. quomodo agendum.* 562. *approb. Claſſis* 563. *Magiſtratus quando ſancita & quâ occaſione* 563. *non eſt illa legitima vocatio, nec de eſſentia vocationis,* 564. *Magiſtratu notificationem, licentia petitionem, & approbationem ſibi vendicante ſed alia eccleſiæ libertati relinquente, quid faciendum, quinque concluſ. determinatur* 565. 566. *objectiones de jure ejus (ubi proponitur quale ius habeant) ſolvuntur* 566. 567. *conſuetudo eius, ius & ad bene eſſe neceſſitas, refutatur.* 568. 569. *exempla Trajecti ad Moſ. Roterodam. &c. ubi papiſtici & remonſtrantes miniſtri non approbantur à Magiſtrat. & Eccleſ. Zelandicæ ſe ab hoc liberantis* 570. *inſtantiæ & objectiones variæ ſolutæ & ſolvendæ proponuntur.* 571

Approbatio Vocati 571. *Eccleſia unde vocatur ubi triplex difficultas ſolvitur.* 572. 573.

Archidiaconi *in Papatu qui dicantur eorum-*

Digitized by Google

eorumque functio 870. *à perſonatu diſtinguuntur & an titulum ejus reformatus affectare poſſit.* 871
Archiepiſcopi *qui dicantur* 822. 823. 824. *tres in Belgio quibus Epiſcopi ſubſunt.* 829. 830
Archibresbyteri *papales ſunt vel civitatenſes decani vel rurales.* 872
Arminii, *errorum apertio*, *ἀταξία*, *ſe ſuaque ſubducentis cognitioni*, *Claſſium*, *&c.* 56. 57. *&c. diſputatio publica de poteſtat. Eccleſ. ante errores* 58. *de libero arbitrio concomitante gratiâ prima detectio* 59. *à perſeverantia abſtinet* 59. 60. *ejus malam praxin ſequitur mala doctrina* 62. 63. *methodus nova dogmata ſpargendi.* 330
Arrogantia *optimatum & clericorum cauſa juris patronatus.* 587
Aſcetæ *antiqui qui fuerint* 948. 949. 992
Ἀταξία Arminii 56. 57. *&c. Remonſtrantium* 63. 64. *Studioſorum* 70. 71. *&c.*
Auditores *qui inter popul. Eccleſ. & quomodo.* 88
Auguſtiniani *mendicantes qui* 1007
Aureolæ *ſive gradus gloriæ papiſtarum tres.* 957.
Auſteritas *vitæ*, *ſolitudini papiſticæ annexa*, *ejus fines & effecta.* 930
Authores, Vid. ſcriptores.
Authoritas *dupliciter ſumitur* 247. *utraque miniſtris Eccleſ. quomodo tribuatur.* 247
Authoritas Miniſtrorum *Eccleſ. tribus argumentis probatur.* 248. 249. *Errores contra eam in exceſſu peccantium* 249. *quorum objectiones tres ſolvuntur* 253. 254. *In defectu peccantes* 251. *eorum objectiones ſeptem ſolvuntur* 255. 256. *&c. Carnalibus & profanis odioſa.* 251. *an prajudicet libertati & populi privilegiis* 256. *eſt caritativa non dominans* 256. 270. *quomodo huic principes proceres*, *&c. ſubordinentur* 257. 276. *à poteſtate Magiſtratus toto genere diſtat nec pugnat* 271. 272. *an hierarchiam papalem pariat* 261. *eius acquirendæ media triplicia* 263. *an non ſine gradibus hierarchicis & mundanis obtineri poſſit.* 264. *an abſoluta*, *independens ab omni correſpondentiali* 265. *an tradi poſſet principi aut ſenatui converſo*, *& reſumi ſi à religione ſe abalienaverit* 267. *an partes divelli poſſent quod ad poſſeſſionem & uſum.* Ibid. *Eccleſiaſtica & paſtoralis diſtinctio.* Ibid. *temperamentum à concionatore juvene adhibendum* 268. *an una poſſet probare quæ altera improbet* 272. *an privatis liceat ſe opponere authoritatis exercitio* 2. *Concluſionibus determinatur* Ibid. *an & in quos exercenda* 7. *problematis illuſtratur.* 275. 276.
Αὐτοδίδακτοι. 9
Αὐτόφονοι *excluduntur à Martyrio.* 35

Bal-

B.

BAlthaſar Gerard. *principis Wilh. 1. parricida an Martyr.* 170. 171

Baptiſmus *ſanguinis an vicem Baptiſmi ſuppleat.* 139

Baptiſmi inventor *& inſtitutor non Johannes ſed Chriſtus* 379. *Johannis à Chriſti eſſe diſtinctum pontificii aſſerunt* 380. *refutantur quinque rationibus quarum ultima ſeptem abſurda continet* 381. 382. *objectiones octo Montacutii ſolvuntur* 383. 384. *&c. an tantum pænitentiam, non vero remiſſionem ſignificaverit.* 385

J. Baptiſta Boddeus *& ſocii Trajecti ob proditionem ſupplicio affecti, an Martyres.* 172.

J. Baptiſta. *Vid.* Johannes.

Barnabas *an fuerit Apoſtolus.* 360

Bartholomeus *binominis* 354. 362.

Baronii *annales ſagenæ miſſæ in mare comparantur* 375. *faber fabularum.* 376

Barlæus *Arminii novitatibus captus.* 46. *Ejus Epigramma* 47. *calumnioſa ſcripta.* 66

Belgicarum Eccleſiarum *quarundam ſeceſſionis cauſa triplex* 22

Martyres poſt *reformationem an vere martyres & an non propter rebellionem in principem puniti* 175

Bertii *Calumnioſa ſcripta, & Apoſtaſia.* 66. 71

Bethlehemitici *Infantes an inter martyres numerandi.* 139

Boëtius *an Martyr.* 161. *ejus uxor literata.* 204

Bohmen *qualis, contemptor Eccleſ. Miniſterii.* 218

Bona *paſtoralia non unicuique uſurpanda.* 417

A. Borelii *peregrinationes celebrantur.* 773

C.

CÆlibatus *pſeudo requiſitum papiſticum, unde fœda libido clericorum papiſtic.* 704. 705. 706

Cænę *domini dogma, ob quod paſſi Martyres.* 278

Cæſareo-papatus *defenſores detrahunt poteſtati miniſterii* Eccleſ. 152. *&c. reſponſio Lutheri opponitur.* 261

Calumniis *quæ opponi debeant* 240 *miniſtro læſo an ſe publice defendere liceat* 2. *concluſionibus determinatur.* 313. 314. *adverſariorum an retorquenda* 314. *conditiones retorſionis* 315. *ſimplex negatio an ſemper ſufficiat.* 316. *Vid.* Defenſio.

Calvini *dictum, duobus ſyndicis factionum ducibus* 302. *deſcriptio pſeudo prophetarum.* 274. 309

Canonici, *de quibus ſcriptores indicantur* 895. *ſtatus in novitate Papatus, ſunt vel regulares qui variæ diſtinguuntur, vel ſeculares.* 896. 897. *ſæcularium officium & obligatio* 898. *In herba qui, ſupernumerarii juris & facti qui, portionarii qui, &c.* 899. *an iis competat cura animarum.* 900. 901. *Curæ executio quænam* 905. *Conſect. Beneficium hodie non abſque fructu*

Digitized by Google

fructu Eccleſiæ devorandum 901. 902. ſtatus in antiquâ Eccleſ. fuiſſe Collegia theologorum & presbyterorum. 903. Stephani Paſchaſii judicium. 903. 904. reformatio ſæcularium 906. hi qui ſentiunt Collegia Theologica fuiſſe qualem requirant reformationem 906. 907. qui ſentiunt miniſtros fuiſſe in Eccleſ. Apoſtolicâ inſtitutos quænam iis reformatio inſtituenda 907. 908. 909. ratio reformationis ad Germania ſtatum applicata, ex Bucero exhibetur. 910. 911. 912. 913. an ulli reformato ad fruitionem præbendarum irrepere, in capitulum jurare, in foro conſcientiæ licitum 914. regulares qui & eorum varii ordines. 1009

Canoniſtæ juris canonici profeſſores 918. à iuris civilis profeſſ. diſtinguuntur eoſque dignitate antecedunt 919. Theologi communiter illis præferuntur quamvis in praxi æquari videantur. 920. 921. 922

Capucini papales qui. 1005

Carcerato ob cauſam fidei an liceat è carcere fugere determinatur. 103. 104. ad rationes Ameſii de fugâ è carcere illicitâ reſpondetur 105. redemptio è carcere an licita. 107

Cardinales papales, quorum ſcriptores indicantur variorum ordinum 793. 794. 695. derivatio nominis 795. 796. origo eorum non adeo antiqua, variorum ſententiæ antiquiorem facientium 796 797. 798. Electio eorum activa & paſſiva, ubi eligendorum requiſita 799. per quem eligantur 800. ordo electionis 801. munus proprium in genere & in ſpecie, etiam extravagantia munera 801. 802. 803. dignitas & honor præcedentiæ, beneficia, & reditus 803. 804. privilegia & ornamenta & veſtes 805. 806. de rubris veſtibus Beza verſiculi. 806. numerus eorum paulatim crevit eſtque indefinitus. 806. 807. adiuncta munera diſtinguuntur 807. tituli à titulis Eccleſ. 807. 808 opus 809. ſtatus eorum, & Categoria Atheiſmi, Avaritiæ, ambitionis, fraudis, Ebrietatis, luxus, ſeditionis, injuſtitiæ, immunitatis à legum poteſtate 809. 810. 811. 812. an munus ſit juris divini & neceſſarium 813. quatuor objectiones ſolvuntur. 813. 814. 815

Cardinalium presbyterorum & diaconorum viginti ſeptem tituli. 821

Carmelitæ utriuſque ſexus. 1008

Carnifices an in populo Eccleſ. numerandi. 87

Caroli magni pietas in jure patronatus. 618

Carthuſienſes monachi in exceſſu, qui & unde dicti. 1001

Caſparus Coolhaas quis. 221

Caſus conſcientiæ circa quos Martyrium poteſt contingere. 144

Catecheſis Goudana 63. Catechizationibus oppoſita. 409

Catechiſtæ papales qui. 924

Catechumeni parvuli tum adultiores reductive in popul. Eccleſ. ſunt. 88

Digitized by Google

Cauſa *principalis non tollit inſtrumentalem.* 223
Cenſura *Eccleſiaſt. an Magiſtratus ſubſtrahere aliquem poſſit* 52. 53. 54. *heretici & novatores ſe ſemper ſubſtrahere conantur* 54. *an eadem circa novitium ac veteranum exercenda.* 85
Chamierus *an martyr.* 164.
Charitatis *martyrium an detur.* 146
χειροτονία quid. 601. 618
Chemnitius *fulcra erroris de Baptiſmo Johannis auſert.* 385
Circumcurſatio *abſque ullâ Eccleſiæ vocatione eſt oppoſitum legitimæ vocationis.* 660
S. Claræ *ordo Religioſorum.* 1006
Claſſis *nomine quid veniat, an queat formari pro nunc & ſemper* 471. *problemata quædam diſquirenda* 473
Clerici *an ſatis proprie & ſcripturarie ita dicti, eorum diſtinctio à laicis.* 2. 3. *&c. papalibus minus libertatis quam laicis in Belgio relinquitur.* 639 640. *Papales in quatuor claſſes diſtinguuntur & ſubdividuntur. Vid.* 775. 869. 879. 915. 925. *&c.* & ſingulos Vide ſuis locis.
Cloppæ *monachæ papales quæ* 1012. 1013. *an ordo earum admittendus in politiis reformatis.* 1013
Collegia *in Academiâ Ultrajectinâ habita.* 748. 749. *an in Academiis admittenda eorum qui ibidem publici profeſſores non ſunt* 756. 757.
Comarum tonſura. *Vid.* tonſura.
Commendare, *pleriſque eſt mandare.* 546
Comœdia *in belgio acta nomine Kalſſval, Calvini caſus.* 336
Concionatores, *quorum difficultas miniſterii* 232. *requiſita* ibid. *difficultates in præparatione, adeptione, & exercitio* 233. 234. *eorum mala gratia, nulla occaſio lucri faciendi, calumnia, vilitas, & non expectanda dignitas, an debeant ab affectatione miniſterii quemquam detrahere.* 238. 239. 240. 241. *an otioſi tantum* 242. 293. *Medico comparantur* 258. *media exiſtimationis acquirendæ in præparatione acquiſitione & functione* 263. 264. *an unus & ſolus poteſtatem ordinandi, cenſuras exercendi, &c. ſibi ſumere poſſet* 268. *novitius & juvenis temperamentum aliquod in uſu authoritatis adhibere poteſt, re tamen non omiſſa.* Ibid. *an ab exercitio abſtinere debeant cum potentum mandato impeditur miniſterium directe aut indirecte:* 269. *bene monentibus & peccata redarguentibus non reſiſtendum.* 272. *cum pſeudo-concionatoribus fideles contendere poſſunt & debent* 273. *mercenarii, &c. Vid.* pſeudo prophetæ. *An ob conciones contra orthodoxiam vel privatam perſonam, in jus coram Magiſtratu vocari poſſint* 280. *veritatem dicentes ſeditionis politicæ accuſantur* 281. *eorum tituli Vide* Dignitas. *conſiliarii Dei dici poſſunt* 285. *contem-*

Digitized by Google

ptus eorum punitur 286. *convitia & calumniæ, eorum alimenta.* 289. *Vid.* Vilipendium Miniſt. *quomodo plebis gratiam captare debeant* 295. *tanquam ſeditionum flabra traducuntur* 296. *diſſenſiones & dentata ſcripta quorundam, Miniſterii communem dignitatem non tollunt* 297. *pauperes plerumque, ideo non contemnendi* 299. *non hominibus ſervire debent* 302. *an poteſtas & dignitas largitione principum ipſis collata & ab iis auferenda.* 303. *an cum potentioribus familiares eſſe debeant* 5. *concluſionibus decernitur* 306. 307. *an in factionibus* Reipub. *ilico partes facere, illis ad dignitatem faciat* 6. *rationibus improbatur* 308. 309. *exempla quibus male ceſſit.* 310. *ſi infames promoveantur, an dignitati Miniſterii conſulatur.* 311. *an ſint digniſſimi in ſæculo, in mundo, in politiâ.* 319. *quem gradum & locum inter cives obtineant* 320. 321. *an tanquam famuli domeſtici magiſtratui ſubſint* 325. *an quavis miniſteria ipſis conveniant e.g. vinum vendere, &c.* 326. *an bonus politicus audiens, dignitati optime conſulat, ſextuplici diſtinctione determinatur* 327. *An ſtatus familiæ ei curandus* 333. *triplex modus quibus concionatores ipſi miniſterium apud adverſarios vileſcere faciant* 334. 335. *Vide* Miniſtri, paſtores, Studioſi theolog. promotio, *&c.*

Concio *textum ſolummodo explicans abſque deductis uſibus, nonnullis placet.* 278

Conditiones *requiſitæ Miniſtrorum vocandorum. Vide* Vocandorum conditiones.

Confeſſio *in genere, ſacra vel profana, ſacra triplex, peccati, fidei, laudis.* 89. *fidei definitio* 89. *objectum & oppoſita* 90. *diviſio quintuplex cum ſubdiviſionibus* 91. *an animo retinere fidem & verbis negare liceat, novem argumentis improbatur* 93. 94. 95. *objectiones ſolvuntur.* 96. 97. *an poſitive teneantur fidem profiteri, quando & quando non* 97. 98. *an ſignis falſæ religionis uti liceat* 99. *an ſit actus fidei elicitus an imperatus* 108. *vera contraria ſeptemdecim numerantur à J. Wigando.* 110. 111. 112

Confeſſiones *variarum Eccleſiarum de ſignis & obſignationibus gratiæ, præcipue de Johannis Baptiſmo non diverſo à Chriſti* 386

Confeſſores *qui, & à quibus diſtinguantur & varii gradus* 92. *Pontificii, libertini in Belgio & Angliâ vexati an ſint confeſſores* 109. *confeſſores inter primaria Eccleſ. membra numerandi.* 25

Conformatio *ſui ipſius cum hoc præſenti ſæculo in adiaphoris eſt requiſitum non requirendum in miniſtro.* 709

Confraternitates. *Vide* fraternitates.

Congregatio *unius Eccleſiæ in pluribus locis an conveniat.* 15

Conjugium *concionatori quale conveniat.* 239

Conſilia *Euangelica papiſtarum, eorumque perfectio & diſtinctio à præceptis Chriſti.* 930. 931. *an dentur & præmia mereantur & opera ſint ſupererogatoria.* 968. 969

Conſolatio *afflictorum non ſit ſine difficultate à concionatoribus.* 235

Conſolatores *ægrorum*, *Vide* Viſitatores.

Conſtantinus *an bona imperii Epiſcopo ſeu Eccleſiæ Rom. conferre potuerit.* 255

Contemplativa *vita Pontificiorum. Vide* vita contemplativa.

Contemptores *Miniſterii Eccleſ. dogmatici* 217. 218. 219. *practici* 222. 223. *puniuntur.* 286

Contemptus *Miniſterii*, *Vide* Vilipendium.

Continentia *voti monachalis*, *ejus tres ſpecies & diſtinctio.* 938. 939

Conventuales *religioſi qui.* 1005

Conventus *privati piorum defenduntur* 523. 524. *argumenta indicantur.* 525

Convivia *paſtori an frequentanda, duplici concluſione proponitur, Ambroſii monitum additur.* 429. 430

Cornelii Adriani *Dordraceni (vulgo* Broer Cornelis*) conciones reverâ habitæ.* 923

Cornhertiſtæ *miniſterium Eccleſ. contemnunt.* 219

Correptione *majorum à miniſtro non abſtinendum.* 430

Creationis *die ſexto an mulier creata* 186. *objectiones ſolvuntur* 188. 189 *quomodo illo die tot animalium nomina imponi potuerint* 191. 192. *opera Dei an iſtis temporis anguſtiis circumſcribenda.* 192

Crimina *Martyribus falsò impoſita.* 124

M. Cunitia *in linguis ſcientiiſque erudita.* 204

Cuſanus *pileo cardinalitio donatus, ne antichriſtum impugnaret.* 111

Cyprianus *Dæmonum cultor in gentiliſmo fuit, & an hoc potuerit eſſe promotionis ad epiſcopatum, impedimentum.* 718

D.

DAvidis Georgii, *apparitio externa ab ipſo viſa & deſcripta, ex apographo exhibetur.* 695. 686. *&c.*

David-Joriſtæ *miniſterium Eccleſ. contemnunt.* 217

דוד à Bellarmino *ſcribitur* רב״ר 1028

Decani *clerici papales qui ſint* 885. *demagogi, Miniſtri an & quomodo poſſint eſſe.* 295

Defenſio publica miniſtro *criminis alicujus inſimilato an conveniat, duabus concluſionibus determinatur* 313. 314. *contra adverſariorum calumniam, conditiones adduntur* 314. 315. *ſimplex negatio an ſufficiat* 316. *retaliatio an conveniat.* 316. 317. Defenſione *contra criminationes injuſtas principum an uti liceret,*

Digitized by Google

14. *diſtinctionibus proponitur* 317. 318

Deputati *qui, varia eorum diſtinctio* 527. 528. *ſynodales ſynodo ceßante ſynodalem poteſtatem amplius non habent.* 475

Deſertio Miniſterii *ſpontanea totalis illicita, an etiam proponentibus licita?* 660. 661. *particularis qua* 661. 662. *ob graves cauſas dua principales* 662. *an celebritas civitatis, & melius ſtipendium ſit legitima cauſa deſertionis eccleſia* 663 *an frequentior Eccleſia & ideo maior ædificatio ſit legitima cauſa* 663. 664. *an honeſtè aliquando fieri poſſet abſque praviâ vocatione* 665. *an in tali caſu curari poßet ut vocatio ad aliam Eccleſiam tacite & tempeſtive ei offeratur.* Ibid. *an Miniſter deſiderare poſſet & claſſis cooperari & an aliquo caſu ex minori ad majorem eccleſiam non ſequi, & ad minorem ſequi poſſet* 666. *an vocatio ad profeſſionem theologicam, aut philoſophicam, aut linguarum Hebrea, vel Græca, aut Hiſtoriarum, deſertionis cauſa eſſe poſſet* 667. *an permutatio mutua à duobus concionatoribus poſſet fieri.* 668. *an quis ad tempus extra eccleſ. operam ſuam commodare poßet.* 670. *an ſynodus, Magiſtratus particularis talem commodationem curare poſſet, cum quatuor exceptionibus* 670. 671. 672. *an in antiquâ Eccleſ. commodationes, & tranſlationes illicitæ fuerint.* 675

Diabolicorum *martyrum dua claſſes* 152. *Reformati martyres iniuſte tales nominantur.* 178

Diaconi, *vox late & ſtricte; diaconi ſtricte ſumpti officium, & partes* λέξις *&* θέσις 496. *an perpetuum munus & à Chriſto inſtitutum* Ibid. *non conſiſtit in miniſtratione verbi & ſacramentorum (ut à pontificiis exponitur) quamvis occaſionatum aliquando* 497. 499. *tres objectiones ſolvuntur* 498. *à presbyterio diſtinctum* 500. *Eleemoſynarum acquirendarum modus duplex* 501. *per tributum juſtitia non videtur probari poſſe* 502. *quibus diſtribuant* 502. 503. *miniſterium menſarum quid denotet*, 503. 504. 505. *illis etiam ductus aliquis in agendis eccleſiaſticis incumbit* 506. *ab Eccleſiâ non à magiſtratu eligendi* 507. *requiſita eorum, & qualitatum quæ ratio habenda* Ibid. *Viri tenuis conditionis an creandi diaconi* 507. 508. *aliquando ſeniorum vices obtinent in Eccleſiis minoribus.* 472

Diaconi Bohemici *quales* 520. *officium quintuplex deſcribitur.* 521

Diaconi papales *qui, officium duplex.* 885. *Cardinales cum Papâ gubernantes, idiota magis quam ſeniores noſtri.* 454

Diaconiſſæ, *earum officium* 509. *an ſint & poſſint eße, tribus rationibus probatur* 509. 510. *praxis in quibuſdam Eccleſiis adhuc obtinet* 511. *à quibus eligenda, & requiſita conditiones octo* 512. *an Tabitha fuerit.* 513

Difficultas *in genere quid, in ſpecie eam miniſterio Eccleſ. competere probatur quinque argumentis* 232. 333. 234. *an idcirco fugiendum miniſterium* 237. *Vide* Concionatores.

Dignitas *fidelium comparata ad infideles & alios fideles* 24. *an æqualitatem ſundet.* 27

Dignitas *in genere quid, & varii tituli.* 283. *in ſpecie Miniſterii Eccleſ. duplex, reſpectu Dei & apud homines, quæ argumentis probantur.* 284. 285. 286. *adiuncta conſequentia ſtipendium, immunitas, invidia & obtrectationes* 287. 288. *oppoſita in exceſſu* 289. 290. 291. *in defectu* 291. 292. *quinque media dignitatis promovendæ* 304. 305. 306. *an familiaritas principum*, &c. *augeat*, 5. *concluſ. decernitur* 306. 307. *ei præjudicatur ſi ob delictum infames promoveantur* 311. *an ad eam faciat ſæcularis poteſtas juncta cum Eccleſiaſticâ* 312. *an miniſtri qua miniſtri digniſſimi in mundo, politiâ*, &c. *Neg. quamvis per accidens fieri poſſet.* 319

Diſcipuli novaturientium *& prurientium, præceptores ſuos in pejus proficiendo ſuperant.* 45. 46

Diſcipuli Chriſti *qui dicti* 255. *ſeptuaginta an Euangeliſtæ.* 368

Diſputatores *Papales qui.* 914

Diſputatio de dubitatione *Carteſianâ in aliquâ Academiâ conſcripta & impreſſa & à theologis impedita exhibetur.* 760. 761

Divitiæ an ad gradus *Martyrii excellentes faciant.* 156

Doctores in Eccleſ. *quales.* 479. *an à paſtoribus differant, variorum ſententiæ.* 480. 481. *ſcholaſtici theologi an in negotiis Eccleſ. quicquam deliberare & determinare poſſint* 481. 482. *an ſuperiores paſtoribus* Ibid. *ad inſtantiam pro ſuperioritate Reſpondetur* 483. *promotio Academica an ſit legitima ad Miniſterum vocatio; duodecim rationes negationis ex Balduino* 492 493. *quomodo ad gradus admittendi, probandi & examinandi* 494. 495. *an examini Eccleſ. abſque præjudicio promotionis Academicæ ſe ſubjicere poſſent* 543. *Vide* Profeſſores.

Doctrinæ lubricitas *in theologo quomodo deprehendi poſſit* 701. *exempla duo adduntur.* 702

Dogmata *in ſcripturâ vel implicite vel explicite habentur, etiam quædam per ſimplices aſſertiones, non cum elenctica refutatione.* 41. 42. 43

Domeſtica *mala quatuor.* 333

Donum *à munere diſtinguendum* 446

Dordracenæ *ſynodi membrum Scotum ad Romanam profeſſionem prolapſum, Jeſuitæ fabulantur.* 1030

Dormientes *ſeptem an martyres.* 161

Duodenarius *numerus Apoſtolorum an per varias V. T. figuras deſignatus.* 359. 360

E.

EBrietas *vitanda præcipue paſtori.* 408. *Cardinalis Andreæ.* 811

Eccleſia *non eſt Politia ſæcularis.* 33. 34 Po-

Digitized by Google

34. *poteſtas Vid.* Poteſtas. *ſtatus quâ ratione melior in perſecutionibus.* 150. 151. *ſub V. T. diſtinctio.* 392

Eccleſiarum *conquerentium in Holland. ſeceſſio rationibus probatur* 21

Efficacia *Miniſterii Eccleſ. probatur* 336. *objectio ſolvitur.* 337

Ejectio Miniſtri *è Miniſterio eſt vel directa vel indirecta & conſecutiva, quæ varie ſubdividuntur.* 675. *an miniſter ob delicta ſeu publica ſeu privata pœnâ tali puniri poſſit* 676. *an ſolius Magiſtratus ſit.* 676. 677. 678. *Ekhardi quæſtio proponitur, ſi Magiſtratus pontificius orthodoxos ob zelum contra pontificios loco moveat alioſque mitiores ſubſtituat an ſucceſſorum vocatio pro legitimâ habenda? ejus Reſponſio additur.* 676. 677. *An Miniſter ad mandatum Magiſtratus oppidani aut toparcha pagani à miniſterio deſiſtere, & oppido pagoque decedere; an vero præſentem & violentam impeditionem aut ex oppido, pagove eductionem expectare debeat.* 678. 679

Electio *Miniſtrorum, ubi Nominatio Vide* Nominatio *an in eâ quis ſuffragiis victus Magiſtratum incitare poſſit* 544. *ſpectanda in eâ inclinatio populi, ubi modus & requiſita talis inclinationis inquirenda adduntur* 544. 545. *an eodem modo Principum, toparcharum, &c. inclinatio poſtulanda* 546. 547. *Incommoda tria proponuntur* 548. *Electi. libertas, qua varie tollitur & imminuitur.* 549. 550. 551. *executio per ſuffragia aut per ſortem, ubi tempus, & locus* 552. 553. *modus & ſortis uſus.* 554. *Eccleſiæ competit, probatur* 602. *eſſentiale electionis* 603. *Eccleſiaſtica electiones antiquiſſimorum patrum, conciliorum* 617. *Principum* 617. 618. *exemplorum Ultrajectinorum,* &c. 619 *& Eccleſiarum reformatarum conſenſu probantur* 621. 622. *Vid.* Eligentes, vocatio, approbatio.

Eleemoſynas *colligendi modus duplex.* 501. *an per tributum juſtitia fieri poßet* 502. *quibus diſtribuendæ* 502. *earum Profanatio à patronatus Emptoribus inſtituitur.* 606

Elias Thisbites *an venire debuerit ante Meſſiam* 377. *& ante Antichriſtum, contra pontificios* 374. *an Monachus fuerit.* 988.

Eligentes Miniſtrorum, *ſunt miniſtri Eccleſ.* 555. *an membra Eccleſiæ etiam electioni intereſſe poſſint.* Ibid. *an etiam exſeniores & exdiaconi, & an ſoli Eccleſiaſtici admittendi.* 557. 558. *varius ordo Belgicarum Eccleſ. tempore Remonſtrantium Ibid. objectionibus pro Magiſtratu reſpondetur.* 559. *Vide* Vocatio, approbatio.

Eloquentia *in vocando miniſtro requiritur.* 704

Eminentes *in popul. Eccleſ. quadruplici zelo.* 89

Enthuſiaſtarum *objectiones contra neceſſitatem miniſterii Eccleſiaſtici diluuntur.* 223. 224. &c.

Epiſcopi

Epiſcopi *Papales qui* 824. *inſignia antiqua & nova* 825. *Vicarii eorum* 826. *officiales eorum* 827. *diſtinguuntur in maiores & minores* 829. *in Belgio ſubſunt tribus Archiepiſcopis* Ibid. *turbæ propter introductionem novorum in Belgio* 830. *authores qui de Epiſcopis in genere & in particulari ſcripſerunt indicantur.* 831. *controverſia de Epiſcopis delineatur, ubi narratio ſeu Hiſtoria defendentium & oppugnantium Epiſcopos* 832. 833. 834. *Epiſcopatus hodie controverſus & ius divinum explicantur* 834. 835. *quis ſtatus controverſiæ non ſit & quis omnino* 836. *an ſint juris divini poſitivi, ubi utriuſque partis authores, & argumenta quinque pro negante afferuntur* 837. 838. *objectiones adverſæ partis ſolvuntur* 838. 839. 840. *poriſmata quædam inde deducta* 840. *An ſint juris divini permiſſivi* 841. *an regimen tutius & convenientius preſbyteriali? propter varias rationes negatur* 842. 843. 844. *objectiones ſolvuntur* 844. 845. *an ſint juris antiqui Eccleſiaſtici* 845. *an tolerari debeant aut poſſint in Eccleſ. concluſionibus determinatur* 846. 847. *an admittere limitatum & modificatum Epiſcopatum conveniat* 848. *Problemata quædam conſectaria adjiciuntur* 848. 849. *aſſertio quædam refutatur ſcil. An epiſcopatus repugnet juri divino, & an ſit conformis Eccleſ. primitivæ praxi* 850. 859. *præcognita, definitio nominis* 860. 861. *rei definitio ejuſque poteſtas* 862. 863. *primum membrum aſſertionis refutatur variis rationibus* 865. 866. 867. 868. *alterum membrum refutatur* 868. *unde quædam conſectaria educuntur* 869 *prælectio & diſſertatio D. Prideaux S. Theol. Profeſſ. Oxon. pro Epiſcopatu habita, proponitur.* 1131. 1132. 1133. 1134

Epiſcoporum *Papiſticorum poteſtas nimia, etiam temporalis* 250. 251. *reſponſio Lutheri opponitur* 261. 262. *an concionatores eorum administri tantum.* Ibid.

Epiſcopi *quidam in Germaniâ abſque ullâ ordinatione, Epiſcopatus adeunt.* 578

Epiſcopii *ingenium in peius profecit.* 45. 46. *ſententia de miniſterio Eccleſ.* 222

Epiſtola *in miſsâ Papali dicitur.* 889

Equites aurati *ſunt, vel liberi vel certis legibus aſtricti, qui iterum vel politici (qui varii numerantur) vel religioſi* 1080. *ſæculares an à reformatis retineri poſſent* 1097. 1098. 1099

Equites Religioſi *Papales, ſunt vel quaſi religioſi* 1081. *quomodo antiquitus crearentur, deſcribitur exemplo G. Palatini* 1082. 1083. *vel magis proprie religioſi & tales ſunt milites ſacri objective effectivo & ſubiective* 1083. *eſſe ſ...& Eccleſiaſticos probatur* 1084. 1085. 1086. 1101. *ſunt vel primi vel poſteriores quorum quidam enume-*

Digitized by Google

merantur 1086. 1087. *in primis quatuor excellunt, inter quos Johannitæ.* Vide Johannitæ. *An Eccleſia potuerit conſtituere & an à politicis inſtituti Eccleſiæ tradi potuerint* 1095. *an quatuor primorum ordinum erectio zelum ſuperſtitioſum habuerit,& an mala* 1096. *an reformati eos retinere, affectare, & tolerare poſſint.* 1097. *an reditus ad juvandam Eccleſiam & pauperes & ad legationem Euangelicam applicari poſſent* 1099. *an ex iis honoraria ſtipendia, de Repub. bene merentibus aſſignari poſſent.* 1100. *an publica authoritas partiri poſſet & quomodo ex his ordo patriæ defenſorum inſtitui poſſet.* 1101. *privilegiorum & redituum reſtitutio à Magiſtratu Reformato variis rationibus improbatur* 1102. 1103. &c. *inter quas abſurda incommoda recenſentur* 1105. 1106. 1107. 1108. *ſcriptores indicantur.* 1129

Eremitæ *Monachi in exceſſu qui* 997. *varie dividuntur* ibid. *de eorum origine varia ſententia* 998. 999. *Primus fundator Thebæus, illuſtrator Antonius* Ibid. & 947. 948. 992

Errores *novaturientium, plures poſtea errores pariunt.* 44. 45

Eruditio *in vocando miniſtro requiritur.* 703

Eſſæi, *quorum origo.* 943. *Etymologia nominis* 944. *Religio ejuſque capita* 944. 945 *præcipua quædam adjuncta & ordines* 945. 946. *ſcriptores de iis tractantes* ibid. *an fuerint Nazaræi* 989. *an oriundi ex Rechabitis & an illi quos Joſephus deſcribit diverſi ab illis quos Philo Judæus* 990. *quare nulla fiat eorum mentio in N. T.* 991

Euangelium *an Chriſtum ſignificet* 225. *In miſſâ Papali dicitur.* 893

Euangeliſtę, *quorum deſcriptio, miniſterum extraordinarium, vocatio, & muneris executio,* 364. *plures fuerunt.* 365. *an munus ordinarium & Epiſcopi eorum ſucceſſores* Ibid. *late omnes præcones Euangelii hoc nomine inſigniri poſſent.* 366. *an omnes immediate fuerint θεοδίδακτοι & θεόπνευστοι* ibid. *objectiones quatuor ſolvuntur* 367. 368. *an omnes N. T. Prophetæ fuerint Euangeliſtæ* 368. *an ſucceſſio eorum obtinuerit & obtineat.* Ibid.

Examen *Theologicum,* 538. *modus variat* Ibid. *in Galliâ quale.* 519. *ſex in examine non omittenda* ibid. *duplex candidatorum* 517. *utrumque neceſſarium* 541. *in examine non ſatisfacientes non promovendi, objectiones contrariæ ſolvuntur* 541. 542. *an miniſtrorum jam aliquamdiu miniſterio functorum examen inſtitui poſſet* ibid. *Examinantes qui.* 527

Exemptio *in genere quid* 27. *Romano-Eccleſiaſtica quæ & quomodo diſtincta.* 27. 28. *quibus repugnet probatur.* 29. 30. 37. *objectiones cum inſtantiis tolluntur* 31. 32. 33. 34. &c. *ad diſtinctionem in univerſalem & particularem reſpon-*

Digitized by Google

ſponſiones 36. 37. *ad non ſundamentalia an intendenda* 38. 39. *ad particulares materias & quæſtiones an admittenda* 40. 44. *localis pontificia definitio.* 47
Exorciſtæ *Papales qui, & eorum officium.* 887
Expectativæ *miniſterii an ſtudioſis initiatis & infantibus tribui poſſint.* 668
Exploratio *vocandorum, ubi, explorantes qui varie diſpeſcuntur* 536. *explorandi etiam varie proponuntur.* 537. *exploranda ſeu de quibus inſtituenda exploratio.* Ibid. *tutiſſima eſt examen. Vide* Examen.
Extorris *ob fidem quis.* 92

F.

FAbularum *Jeſuiticarum ſpecimina dantur* 1030. 1031. 1032. 1033
Facinoroſus *ob ſcelera occiſus & ante obitum ad veræ fidei & pietatis confeſſionem & praxin converſus, an dicendus Martyr.* 144
Factiones *apud plebeios cauſæ vilipendii miniſterii Eccleſ.* 292
Fæmina. *Vid.* Mulier.
Familiaritas *triplex.* 306. *Miniſtro cum honoratis & potentibus quomodo colenda* 5. *Concluſ. diſcernitur.* 306. 307
Familia Miniſtro *curanda, ejus mala quatuor vitanda.* 333
Fatui *pro religione morientes an Martyres dicendi.* 141
Ferdinandi 2. & 3. *Imper. inſcriptiones in confraternitatibus marianis.* 1059. 1061
Ferriero lis *politica movetur ob theſin ſcholaſticam.* 280
Fides *an per verbum externum promoveri poſſit.* 228. 229. *Joh. Martini morientis in Religione ſui præfecti.* 141
Formalitas *in ſtudio & praxi pietatis ad civilis honeſtatis terminos, requiſitum non requirendum in miniſtro Eccleſ.* 709
Formaliſtæ *noxii perſecutores Eccleſiæ.* 118
Fraternitates, *nominis explicatio & definitio* 1034. 1035. *diſtinguuntur in perfectiſſimas proximas, & laicales quæ vel profano ſacra vel ſacra & pia.* 1035. 1036. 1037. *realis definitio cum terminis magis ſpecialibus* 1037. 1038. *origo deducitur ad Apoſtolos ſed genuina tribuenda Dominico.* 1038. 1039. *occaſio & cauſa* ibid. *privilegia libertates quibus oppoſita abrogationes à reformatis facta.* 140. *Mariæ, Catharinæ, Agathæ, Barbaræ Heuſdenſium abrogatarum celebrationes memorantur* Ibid. *Limitationes privilegiorum,* 1041. *effectus, fructus duodecim.* 1041. 1042. *comparatio cum fratriis gentilium, cum Chaſidim Judæorum, aſcetis Chriſtian. collegiis militum, Monachorum, & inter ſe* 1042. *varie dividuntur ex gradibus* 1043. *in Regulares & ſæculares* 1044. *ex operibus* 1045. *ex objectis cultus Deo, idolis, ſanctis* 1045. 1046. 1047. *à locis & Eccleſiis* 1047. *à dependentiâ aut independentiâ* ibid. & 1048. *inter omnes*

Digitized by Google

omnes ſpecies excellunt Mariana. Vide Marianæ. *fraternitatum cujuſcunque generis libelli extant quorum aliqui indicantur.* 1066. 1067. *Elenchus & refutatio earum 7. argumentis* 1067. 1068. 1069. 1070. *Exceptionibus ad ſecundum & quintum argumentum ſit ſatis.* 1074. 1075. 1076. 1077. *reprobationes ſeptem ex Trithemio, & aliis* 1071. *argumentis quibuſdam pro fraternit. ex Mich. ab inſulis reſpondetur* 1072 1073. 1074. *an toleranda in Repub. reformatâ & purganda à ſordibus* 1077. 1078. *an Reformati ingredi inque earum inſtituta jurare poſſint ad Reipubl. incolumitatem* 1078. *an relinqui poſſent & reformati reditibus frui.* 1079

Fratres *in ſcripturis quatuor modis dicuntur naturâ, gente, cognatione, affectu.* 1034

Fratres *Roſea crucis.* 220

Fuga *in perſecutione an licita* 101. *duobus caſibus præcipitur ſeptem rationibus probata* 101. 102. 103. *è carcere an liceat. Miniſtro tempore peſtis an licita.* 430. *Vide* Carceratus.

Fundamentalium *& non fundamentalium diſtinctio.* 39. 40

G.

Gaudanum *concionatorem Stooſhemium contra Jeſuitas declamantem bubone quodam impeditum Jeſuitæ fabulantur.* 1031

Joh. Geiſterani *ingenium, error, epigramma.* 45. 46

Gentiles *martyrii cauſa efficientes.* 131

Gorcomienſium *Martyrum cauſa ab occiſoribus pratenſa quatuor; & quid de iis ſtatuendum.* 166. 167

Graduale *in miſsâ dicitur* 890

Gradus *ſpirituales dignitatis membrorum Eccleſ. in quibus conſiſtant* 24. *an in iis inæqualitas fundetur.* 27. *Martyrii an detur, unde ſumantur & unde non.* 156

Gratiâ Dei, *titulus ille, an etiam miniſtris competat & non ſolis monarchis & ſupremis Dominis.* 258. 259. 283.

Grotius *functionem ſeniorum impugnat.* 438. 440. *jus patronatus defendere conatur.* 620. 622. 23. &c. *paſſim.*

H.

Habitus *ſeu veſtimenti peculiare genus, Monachorum adjunctum requiſitum proponitur* 959. *neceſſitas & fines adduntur.* 960

Henrico-Nicolaitę *miniſterium Eccleſ. contemnunt.* 217

Herberts *quis.* 221

Heretici *ſe cenſura ſubtrahere Conantur.* 53. 54

Hermaphroditæ. 184

Heterodoxus *ob articulum orthodoxum occiſus, an Martyr.* 143

Heuklemenſis *Eccleſ. miniſterium vacat, ob toparcham Papiſmo deditum.* 432

Hierarchia *Romana in Papa & Papalibus Epiſcopis nimium excedit.* 249. 250. *complectitur omnes clericos (quos ſuo loco vide.)* 775

Digitized by Google

Hieronymi *Pragenſis martyrium quale.* 127.

Hiſtorici *Papales multas habent quiſquilias* 376. 377. *Vide* Scriptores.

Hobbes *de miniſterio quid ſentiat.* 222

Homines *primi an vir & mulier ſimul creati & quidem dorſo conjuncti.* 185

Hungaricarum *Eccleſiarum judicium de ſenioribus , quamvis ipſa non habeant.* 460. 461

Hoſtes *Eccleſiæ duplices.* 114

Hugo Sanford αὐτοδίδακτος. 9

Hyperii *ante obitum verba ultima.* 331

Hypocriſis *confeſſioni veræ oppoſita.* 90

Hypocritæ , *ſubtiles Eccleſ. perſecutores.* 118

I.

IAcobus *Apoſtolus an oriundus ex Eſſæis.* 992

Idolorum *deſtructores , an martyrii honore digni.* 141. 153. 154

Jeſuitæ *inſtitutorem habent Ign. Lojolam , adduntur ſcripta originem & Hiſtoriam delineantia , iis adverſantia pontificia & reformata, indolem narrantia , & pro ſocietate edita.* 1021. 1022. 1023. *arrogantia aliis clericis intolerabilis* 1024. *carmen ſeculare ubi duodecim ſocietatis quotidiani labores.* 1025 1026. *adduntur octo ipſis magis convenientia.* Ibid. *artes Mercuriales & mendaciorum praxis.* 1027. *omnes præſtantiſſimos libros & artes ſibi vendicant arte quadam : ubi exempla quædam citantur.* 1027. 1028. 1029. *fabulæ, calumniæ, & propriæ & ſordidæ laudes , cum ſpeciminibus quibuſdam notantur* 1030. 1031. 1032. 1033

Ignatii *error aliquis.* 163

Ignorantiæ *fratres Monachi qui.* 1004

Immunitas *miniſtrorum.* 287

Independentia , *in defectu repugnat æqualitati Eccleſiæ* 26. *objectiones pro ea ſolvuntur.* 31. 32.

Indigni *miniſtri , indecora munera capeſſentes* 326. *promoventur aliquando.* 298

Infallibilitas *an Apoſtolis competat.* 355. *an omnibus Euangeliſtis.* 366. 367. *ejus donum diſtinguitur à chariſmate prophetiæ.* 368

Infantes *causâ Chriſti occiſi an inter Martyres numerandi.* 139. 140. *Gentilium ab Hiſpanis in novo orbe occiſi an martyres* ibid. *in utero Matris an ſpeculentur.* 370

Ingenium *in vocando miniſtro requiritur.* 702. 703

Integritatis ſtatus *miniſterium quale.* 337. 338

Invidia , *maxime fideles miniſtros concomitatur.* 288

Jobus *an fuerit martyr.* 158. *ejus morbus* 159. *an doctor θεόπνευστος.* 534. *an patriarcha.* 341

Johannes *Baptiſta ejus extraordinarium miniſterium* 372. *major prophetis V. T.* Ibid. *an fuerit Elias prædictus.* 373. 374. *quando natus &*

Digitized by Google

& an in infanticidio in ſpeluncis ſervatus. 375. an ab Angelo in deſerto nutritus 376. an in ſpeluncâ prope Jordanem habitaverit & ibi monaſterium inſtituerit 377. vitæ monaſticæ fundamenta jeciſſe argumentis refutatur. 377. 378 379. 988. in quo conſtiterit munus & an alius quis tale habuerit. 379. non inventor & inſtitutor Baptiſmi primus ſed miniſter. 379. ejus Baptiſmus non diſtinctus à Chriſti & Apoſtolorum rationibus defenditur. 380. 381. 382. Vid. Baptiſmus, ejus prædicationem non fuiſſe legalem 6. rationes probant. 388. objectio ſolvitur ibid. an Nazaræus, quales ſub V. T. perpetuus, an θεόπνευστος & propheta & an ediderit miracula. 389. 390. ejus nomen infantibus die feſto ipſius natis, male imponitur. 391

Johannitæ *equites religioſi papales ſextuplici nomine inſigniuntur, & conſtat ordo octo nationibus.* 1087. *dividuntur in uperiores & inferiores qui ſubdividuntur.* 1088. *probantur ſacri & Eccleſiaſtici generis eſſe.* 1088. *ad* 1094. *juramentum eorum ejuſque formula.* 1089. *bona ſunt Eccleſiaſtica quod ad ortum, uſum, immunitatem, alienationem, abuſum, curam, hæreditatem, contractum.* 1093. 1094. *an Magiſtratus reformatus ordinem cum privilegiis & reditibus relinquere poſſet, variis rationibus improbatur* 1102. 1103. &c. *abſurda inde incommoda recenſentur.* 1105. 1106. 1107. 1108. *argumentis pro poſtliminio eorum, ſatis ſit.* 1111. 1112. &c. *objectiones pro poſtliminio in Belgio refutantur.* 118. 119. &c. *an ordo & papa cui ſubeſt ſit neutralis.* 1121. 1122. *an idcirco reſtituendus* 1123. 1124. *an in primâ erectione Militiam intenderit inſtitutor an vero poſtea acceſſerit* 1125. 1126. *quæſtiones quædam inter ipſos pontificios controverſæ.* 1128. 1129. *ſcriptores indicantur.* Ibid.

Jojadæ *exemplo contra* ἀλλοτριοπραγμοσύνην *miniſtrorum allato reſpondetur.* 311

Joſephus *maritus B. V. an patriarcha recte à pontificiis dicatur.* 339. 341. 817

Judæorum *ſævitia in concitandis perſecutionibus & martyriis.* 131. *crudelitas in puerulos quoſdam & ejus quatuor cauſæ.* 132. 133

Judas *frater Jacobi trinominis.* 354

Judicii *in foro Epiſcopali caſus quibus laici judicantur.* 521

Juriſdictio *Eccleſiæ nulla cum imperio.* 270

Jus naturæ, *quid modo ad id pertineat.* 198

Jus patronatus, *ejus hiſtoria, quod ſit* 580. 581. 582. &c. *variæ ejus definitiones inter quas celebris Hoſtienſis, & Etymologia.* 585. *rudimenta & origines generales duplices, ſpeciales decem.* 586. 587. 588. 611. 612. *fundamenta & cauſa proxima.* 589. 590. *ſubjectum & tran-*

tranſlatio juris per ſucceſſionem, donationem, venditionem 491. 592. *partes* 591. *adjuncta & requiſita neceſſaria ſexdecim judicantur.* 592. 593. 594. *improbatio doctorum pontificiorum aliorumque.* 595. 596. *diſtinctiones & cautelæ ſex, de quibus hic non agitur, indicantes.* 597. 598. *impugnationis argumenta generalia quindecim quorum.* 1. *à jure in quo fundatum, non divino* 599. 560. 2. *à jure eligendi quod Eccleſiæ competit* 601. 602. 3. *à fundamento malo.* 606. 4. 5. *&* 6. *ab abſurdis conſequentibus.* 607. 608. 7. *à* προσωποληψία *patronorum.* Ibid. 8. *à ſpecie mali.* 609. 910. 11. 12. 8. *ab adjunctis detrimentis Vacantis Eccleſiæ*, &c. Ibid. *Dei maledictione, monſtroſitate*, &c. 610. 13. 14. 15. *ab exemplis Biblicis, novitate, fine, & oneribus, quæ hodie non præſtantur.* 610. 611. 612. *ſpecialia ſeptem.* 1. *ab oppoſita libertate.* 613. 2. *à cauſâ quæ ceſſat.* 614. 3. *à majori ad minus, à clericali abrogato* ibid. 4. *ab abſurdo, ſectariis non competit.* 615. 5. *ab ortu, ex lacunis Antichriſti profectum.* 615. 616. 6. *ad hominem, ſupremis poteſtatibus eripitur.* Ibid. 7. *à fine & malâ intentione.* 617. *Contrarium conſenſu antiquorum ſtabilitur.* 617. *Vide* Electio. *objectiones tredecim Grotii & aliorum ſolvuntur.* 622. 623. 624. &c. *fontes ſolutionum contra Antiqu[ita]tem, conſuetudinem*, &c. *indicantur.* 625. 626. *à Synodo Dordracena quomodo, quare & quibus limitationibus toleratum* 629. 630. 649. 651. *de conceſſione circa jus patronatus Sibrandi Luberti contra Grotium, quid ſentiendum.* 637. C. *Weberus fruſtra ſine rationibus illi patrocinatur.* 644. 645. 646. 647. *alius quis in libro qui titul. Theolog. Paradox. refutatur.* 647. 648 &c. *Judicium Altingii & variorum noſtratium, cum exemplis.* 654 655. 656. *Extraneorum, Scotorum*, &c. *Imo Papiſticorum.* 656. 657. 658. 659. *Exemplar Remonſtrantiæ contra jus Patronatus, per deputatos ſynodales Zuyt-Hollandiæ & Claſſis Leidenſis, transmiſſæ ad civitatum Hollandicarum Magiſtratus.* 683. 684. &c. *Vide* Patronatus.

Jus Regium *circa electionem Eccleſ.* 581. 582. *à Patronatu diſtinguitur.* 582. 583. 585

Juvenis *concionator temperamentum aliquod adhibere poteſt in exercitio poteſtat. Eccleſ. re tamen non omiſſâ.* 268

L.

LAicatus, laici, *vox & termini an ſatis proprii & ſcripturarii.* 2. 3. *diſtinctiones variæ.* 465

Largiri *de Religione adverſariis, veræ confeſſioni contrarium.* 111

Latro *in cruce an Martyr.* 159

Lazarus *de quo Luc.* 16. *an inter Martyres numerandus.* 159

Lectores *Clerici Papales qui.* 888

Legati *Clerici Papales qui, eorumque*

quæ varia diviſio. 877

Leiceſtrianæ *contentiones in* Belgio, *dignitati poteſtati & libertati Miniſterii Eccleſ. multum nocuerunt.* 309

Levitæ *qui fuerint, officia, & an omnes ex tribui levi talia habuerint.* 398. *an conſecrandi ad functiones, & ritus & modus conſecrationis.* 399. *an in loco quem Deus elegerat habitare tenerentur.* 2. *Concluſ. determinatur.* Ibid.

Libellis *famoſis concionatorum dignitatem vileſcere faciunt hoſtes Eccleſiæ.* 335

Libertas *populo Eccleſ. iudicandi competens probatur.* 19. 20. *diſſentiendi, conquerendi, ſeparandi ſe.* ibid. *Vide* ſeparatio.

Libertini *practici, in contemnendo Miniſterio Eccleſ.* 222. 223

Lites *politicæ an ob conciones miniſtris moveri poſſent.* 280

Longinus, *an miles qui Chriſti latus perfodit & an factus martyr.* 159

Lothus *an inter Patriarchas numerandus.* 341

Love *an Martyr.* 174.

Lubricitatis *in doctrinâ, Miniſtrorum aut proponentium, ſigna.* 701. *exempla duo adduntur.* 702

Lumæi *Comitis occiſio Muſii an iuſta, quæ ibidem narratur.* 169. 170

Lutherus *legitimam vocationem & dignitatem miniſterii tuetur, & ſuper eo gloriatur.* 328. 329

Luxus *& luxuria Cardinalium.* 811

M.

Magiſtratus, *an exemptionem concedere & ſynedriis claſſibus,* &c. *monitionem & cenſuram eripere debeant.* 52. 53. 54. *Aliqui Remonſtrantibus olim favebant.* 65. 67. *an in profeſſorum aut ſtudioſorum doctrinam poteſtatem habeant.* 71. 72. 73. 74. *quæ illi permittunt, an poteſtas Eccleſ. poſſit improbare.* 272. *De vitiis publice privatimque arguendis & corrigendis ſeptem problematis quæritur.* 275. 276. *exceptionibus reſpondetur.* 276. 277. &c. *probibentibus, falſorum dogmatum refutationem an parendum.* 279. *an illi competat conſtitutio & deſtitutio miniſtrorum Eccleſ.* 304. *in æſtimandis miniſtris præire debent.* 306. *an eorum authoritas lædatur ſi contra calumnias eorum miniſtri ſeſe defendant.* 319. *Quod tanquam patres familias etiam Eccleſiæ præſint, refutatur.* 322. 323. 324. *conſectar. inde eductum.* 325. *an & quomodo Eligentes eſſe poſſint in Vocat. Miniſtr.* 557. *Vid.* Electio. *approbatio. Vid.* Approbatio. *an rejicere miniſtros ex miniſterio, alios commodato ſumere, vocare, ac conſtituere poſſint* 671. 672. *adduntur judicium Fr. Junii* Ibid.

Magnitudo *non ſemper ad excellentiam facit.* 193

Manuum *impoſitio ritus indifferens.* 452. 466

Maria *B. V. an martyr.* 160. *an dono prophetiæ prædita.* 370. *tribui-*

Digitized by Google

tur illi à Papiſtis, quod τῷ λόγῳ. 1063

Maria *Doloroſa quieſcens Wolva, an martyr:* 173

Maria *Scotorum Regina ob lamentabilem vitæ finem an martyr.* 174.

Marianæ fraternitates *earum origo à temporibus Dominici.* 1049. 1050. *ex quâ novitate conſectaria quatuor educuntur.* 1051. 1052. *natura earum ex objecto circa quod & cui* 1052. 1053. *ex operibus.* Ibid. *ubi numerus, modus, tempus, perſona, habitus.* 1054. *finis operis & operantis*, Ibid. *fundamentum, ubi & earum diſcriptio.* 1055. *natura & differentia, quæ jam explicata, probatur ex explicatione Papatus, ex titulis ſubſcriptionibus & erectionibus.* 1055. 1056. *erectiones & praxis celebrium quarundam antiquarum proponuntur.* Ibid. *Ultraiectinenſes in parochiis Gertrudis & Nicolai* 1057. 1064. *Sylvæducenſis in Eccleſ. Joh. Euangeliſtæ.* 1058. *affectiones earum ſi cum aliis comparentur, ſunt antiquitas, multiplicatio per tres periodos* 1059. 1060. *univerſalitas, privilegia, ornatus, independentia, & eminentia.* 1062. *Ferdinandi* 2. *inſcriptio in iis, ſe in omnibus per Auſtriam Hungariam, &c. impartientis* 1060. *etiam Ferdinandi* 3. *additur inſcriptio* 1061. *diſtinguuntur ex adjunctis quibuſdam, in communes & archifraternitates* 1063. *in independentes & dependentes, & in alias quæ communi titulo gaudent & quæ inſuper cognomen aliud adjungant quod vel locale vel officiale vel perſonale.* 1064. 1065. *Illæ denominationes non variant ſpeciem; & fruſtra pro aliquarum exemptione laboratur.* Ibid. *Elenchus & refutatio. Vid.* Fraternitates.

Mariolatria *Papiſtica.* 1051. 1053

Maritus *non habet jus vitæ & necis in uxorem.* 200

Martialis *Leuovicenſ. Epiſcop. ſe Apoſtolum appellat, & quid de eo ſentiendum.* 363

Martyres *qui* 91. *eorum attributa, elogia & vituperia perſecutorum.* 124. *eorum diviſiones* 126. 127. *ex circumſtantiâ temporum, loci cauſis efficient, & formâ martyrii.* 130. 131. 132. 134. *ex eorum numero excluſorum claſſes duodecim.* 134. 135. *Hiſtorici de iis citantur.* 137. 138. *an dicendi, qui ob cauſam ſæcularem occiduntur aut ob quæſtionem non fundamentalem, aut ſi heterodoxi ob aliquam veritatem orthodoxam patiantur.* 143. 144. *poſt mortem ignominiâ affecti an martyres* 145. 175. *an milites pro religione in bello contra hæreticos occumbentes* 147. 155. *medii inter Martyres & non Martyres* 154. *primi, ſecundi & tertii ſæculi, an noſtri an vero Papiſtarum martyres* 16[illegible]. *ob dogma cœnæ* 178. *Jeſuitæ celebrant martyres, qui tales dici non poſſint.* 1030. 1031. 1032. *an omnes electi & fideles* 150. *falſi.* Vide pſeudo-Martyres.

Marty-

Martyrium, *eius deſcriptio.* 121. *conditiones & requiſita.* Ibid. *ſubjectum, objectum, cauſa prima & inſtrumentum.* 122. *modi & incitamenta fidelibus & hoſtibus.* 123. *conſequentia.* 125. *improprium & metaphoricum.* 126. 127. *diſtinctio ſcholaſticorum* ibid. *pleniores diviſiones & ſubdiviſiones.* 127. 128. *Analogicum quintuplex.* 129. 130. *motiva ad hoc.* 136. 137. *Quod martyrium ſe etiam ad obſervantiam & mores vivendi extendat, quatuor rationibus aſſeritur.* 144. *circa caſus conſcientiæ triplex* ibid. *Virginitatis an detur.* 145. *charitatis.* 146. *an ſit Baptiſmus aut loco Baptiſmi.* 149. *gradus ejus.* 856

Mas *an ſolus generet.* 181

Mediator *an media externa excludat.* 229

Mediocria *ingenia quomodo regant mundum.* 246

Melchiſedek *an Patriarcha dici poſſit.* 341. *doctor extraordinarius.* 534

Mendicantes *Regulares qui* 995. *dividuntur.* Ibid. & 1005. *ubi conventuales, obſervantes, tertiarii, Capucini S. Claræ Franciſ. ord.* 1005. 1006. *abſolute mendicantes ſunt prædicatores, Eremitæ Auguſtiniani, Carmelitæ, Minoritæ.* 1006. 1007. 1008. *de non mendicantibus.* 996. 1009. *ſuntque canonici & non canonici* ibid. & 1010.

Mendicus *an Chriſtus fuerit.* 988

Miniſterium *Diaconis impoſitum quid notet.* 503. 504. 505

Angelus Merula, *ante rogum, dum preces funderet, moritur.* 1029

Metamorphoſis *fœminæ in virum an detur.* 184

Metu *ſuppliciorum frangi, confeſſioni contrarium eſt.* 111

Milites *pro patriâ & Religione & in bello contra hæreticos & infideles occiſi an Martyres.* 1055

Milites *ſacri quomodo antiquitus crearentur.* 1082. 1083. *objective, ſubjective, & effective milites dicuntur.* Ibid. *Vide* Equites Religioſi.

Miniſterium Eccleſ. *ejus neceſitas 9. argumentis probatur.* 215. 216. *ejus hoſtes & contemtores recenſentur.* 217. 218. 219. 220 221. 222. *objectiones undecim quæ contra neceſſitatem afferuntur, ſolvuntur.* 223. &c. *objectionibus duabus ſocinizantium Anabaptiſtarum contra miniſterium reſpondetur.* 230. 231. *ejus difficultas. Vide* difficultas, *an ingenioſis expetendum non refugiendum* 236. *objectionibus contra affectationem ejus ſatis fit.* Ibid. &c. *an otium tantum ignavum. Vide* promotio, auhoritas, dignitas, Vilipendium, efficacia.

Miniſtri *uxor qualis eſſe debeat.* 213. *hominum quintupliciter dicuntur.* 214. *Dei dupliciter iræ vel benignitatis* Ibid. Eccleſiaſtici *contemnuntur.* 223. *an infallibiles eſſe debeant & idcirco jam nulli dentur.* 230. 231. *diviſio eorum,*

in ſtatu integritatis, & poſt lapſum 337. 338. *qui poſt lapſum dividuntur.* Ibid. *V. T. extraordinarii.* 338. *Vide*, Patriarchæ, Prophetæ & prophetiſſæ. *N. T. extraordinarii* 351. *Vide* Apoſtoli, Euangeliſtę. *V. T. ordinarii in Eccleſ. patriarchali.* 391. *poſt datam legem.* 393 *Vide* Sacerdotes Levitæ. *N. T. ordinarii quos Eccleſ. Belgica agnoſcit* 401. *quos pontificii agnoſcunt unde quidam expunguntur.* Ibid. & 402. *Vide* Paſtores, ſeniores, Doctores, Diaconi. *Miniſtrorum ſubſervientes & adjutores diſtinguuntur.* 508. 509. *Vide* Diaconiſſæ, Viſitatores ægrorum proponentes. *Catechiſtæ, præceptores, janitores*, &c. 526. *adjutores temporarii.* 527. *Vide* Concionatores, vocatio, exploratio, &c.

Miniſtri Eccleſ. *Papalis. Vide* Clerici.

Miniſtro-machiæ. 297

Miracula *facere primi reformatores non tenebantur.* 390

Miſſæ *adminiſtrator ſupra angelos & B. virginem extollitur, imo creator ſui creatoris appellatur.* 289. 290. *cum celebratur apud Papiſtas legitur Epiſtola, graduale Alleluia, tractus, Euangelium*, 889. 890. 891. 892. 893

Modus *rei prætenditur à pleriſque veritatis adulteratoribus, interim res ipſa tollitur aut læditur, ut à Vorſtio*, &c. 278

Monachatus, *ejus fundamina quinque.* 925. *Vide*, Vita contemplat. ſolitudo, conſilia Euangel. Religio, votum. *Exempla Monachatum probantia à pontificiis afferuntur è ſcripturâ Nazareorum & Rechabitarum* 940. 941. *ex antiquitate exempla Eſſæorum.* 944. 945. *Apoſtolorum & Marci Euangeliſtæ.* 946. *verus ejus fundator. P. Thebeus, illuſtrator Antonius.* Ibid.

Monachi *Papales, ſintne clerici an laici.* 4. 5. 6. 7. 8. *generalis deſcriptio, & Etymologia nominis* 950. 951. *definitio rei varia variorum.* 952. 953. *cauſæ efficientes ratione originis, inſtitutionis perfectæ, amplificationis, approbationis & conſervationis.* 953. 954. *cauſa impulſiva ratione originis & continuationis.* 955. *Materia ex quâ & formale.* 956. *finis ultimus gloria æterna gradus, & ſubalternus quies*, Ibid. & 957. *effecta (potius defecta) prima & orta* ibid. *attributa*, Religioſitas, *ſanctitas, charitas.* 958. 959. *requiſita habitus & tonſura, regulæ, monaſteria.* 959. 960 961. *dignitates & bona* 962. *nimiam dignitatem prætendunt.* 290. *viſitationes & reformatio ordinum.* 963. *adjuncta privativa quatuor.* Ibid. *oppoſita generalia & ſpecialia.* 963. 964. *Monachi gentilium & Muhammediſtarum.* 964. *quæſtiones de Monachis, problematis delineantur, quæ vel moralia.* 964. *ad* 973. *de votis.* (*Vide* votum,) *vel textualia.* 976. *ad* 984. *vel Hiſtorica quæ vel Biblica.* 985.

985. &c. vel *Eccleſiaſtica.* 389. &c. *Diviſiones Monachorum*, *à varietate regularium.* 993. *ab objecto*, Ibid. *à ſubjecto vel proprie in Religioſos & regulares qui in mendicantes & non mendicantes ſubdividuntur* 995. 996. 1005. *vel analogice, qui Monachi ſunt, vel in Exceſſu*, *Vide* Eremitæ *Carthuſienſes & anachoreta.* 1001. *vel in defectu, quadruplices.* 1002. 1003. *vel in Medio qui dividuntur.* 1004. *& quadam problemata proponuntur. Vid.* Regulares, *problemata inter pontificios controverſa.* 1016. *ſcriptorum de Monachis ſpecialium & generalium varia claſſes indicantur.* 1017. 1018. 1019. 1012

Monſtri *definitio.* 182

Montacutii *objectiones*, *pro Baptiſmo Joh. Baptiſtæ diſtincto à Chriſti, refutantur.* 383. 384. &c.

Motiva *ad Martyrium.* 136. 137

Mulieres *an inter primaria Eccleſ. membra numerari poſſent.* 26. *ſtatus earum naturalis, an ſint homines.* 179. 180. *an ſint errata & monſtra natura.* 181. 182. *an active concurrant ad generationem.* 183. 184. *an in viros mutentur.* Ibid. *an ad imaginem Dei creata.* 185. *objectio ſolvitur; an ſexto die producta.* 186. 187. *an duodecima & curva viri fuerit pars.* 194. 195. *an operum Dei appendix.* 195. 197. *ſtatus ſecularis & politicus.* 198. *an ex imperio admovenda.* 201. *an bellum gerere, militare & in pralio partem facere liceat.* 202. 203. *an ſtudia ſapientia ipſis conveniant.* 203. 204. *an à viris externe diſtingui debeant.* 205. *ſtatus Eccleſiaſticus.* 206. *an religioſiores viris.* 206. 207. *an ad ſuperſtitionem propenſiores.* ibid. & 208. *quadam hareticis adjutrices commemorantur.* 209. *an ad ſacra Exercitia admittenda.* Ibid. *objectio pro regimine Eccleſ. mulierum ſolvitur.* 210. *cantatrices in Eccleſ.* 351. *ſcriptores de laude & vituperio indicantur, de iis contempta locutio ex Bongo exhibetur.* 211

Mundus *an infinitus.* 194

C. Muſius *delfenſis juſſu Com. Lumei occiſus an Martyr.* 168. 169

N.

Naaman *an verbis negaverit animo retentam fidem.* 96

Nathanael *idem cum Bartholomao.* 354. 361. 362

Navigii *genus quoddam dicitur* ἀποςόλον. 353.

Naziræatus *in quibus conſiſtat.* 389. *non fuit genus miniſterii ſacri.* 400. *qui fuerint Nazirai & eorum tria praſcripta.* 940. *an Joh. Bapt. fuerit.* 389. *an hodie illos imitari liceat* 985. *an habeant quid commune cum Votis Monachorum.* Ibid.

Neceſſitas *Miniſterii Eccleſ. probatur.* 215. 216

Neo-Enthuſiaſtæ *tremuli*, *Miniſterium Eccleſ. contemnunt.* 218

Nobiles *dividuntur & ſubdividuntur.* 1080 *in promotione Miniſterii an*

 pra-

præferendi. 246

Nominatio *Miniſtrorum Vocandorum triplex.* 543. *una aut altera neceſſaria.* 544. *an liceat aliquem eligere extra nominatos.* Ibid.

Novatores *ſe ſemper cenſura Eccleſiaſtica ſubſtrahere conati.* 53. 54. *an novis dogmatibus ſuis multum ad dignitatem Miniſterii conferant.* 330. 331. *eorum methodus nova ſpargendi.* Ibid.

Novitas *Papatus.* 1051. 1052

Numerati *in populo Eccleſ. quotuplices.* 85. *analogice & per accidens qui* 88. *eorum numerus exiguus an maxime conveniat?* 15

O.

OBedientia *Membrorum Eccleſ. inter ſe & omnium erga anteceſſores probatur.* 30. *objectiones contra obedientiam tolluntur.* 31. 32. 33. &c.

Obedientiæ *votum Monachatus, ejus deſcriptio.* 939. *affectiones communes quatuor.* 939. 940. *contraria.* Ibid. *an ſit conſilium Euangelicum à Chriſto commendatum & mandatis divinis præſtantius.* 969

Oeconomi Eccleſ. *miniſtrantes qui.* 914

Officiales *Epiſcopi.* 827. *in jure canonico qui dicantur & quotuplices.* Ibid. & 828. *Arminii ſtylobates.* 63

Ordinatio *Miniſterii duplex deſcribitur.* 575. *quid denotet.* 579. *Epiſcopalis an Miniſtro neceſſaria.* 578. 579

Orthodoxi *miniſtri aliquando non promoventur, miniſterio & ſtipendio, &c. privantur.* 66: 67. *ab orthodoxis an orthodoxi martyrio affici poſſint.* 156. *exempla.* 157

Oſtiarii *Papales clerici miniſtrantes qui.* 914

Oves *quando paſtorem ipſum arguere poſſint & debeant.* 273

P.

PÆnitentiæ *fratres qui.* 1005

Papa *Romanus, vocis Etymologia.* 403. *Politico-cæſareus notatur.* 252. 322. *ejus majeſtas, oppoſitum dignitati Eccleſ.* 289. *poteſtas hierarchica.* 249. 250. *an recte Apoſtolus dicatur.* 358. *Ejus ſedes Roma, cum citatis deſcriptoribus* 776. 777. *ejus ordo, nomina, numerus, Hiſtoria.* Ibid. *ſcripta, bulla indulgentia & Epiſtola.* 778. *electio & modus inthronizandi.* 779. *cujus ceremonia epitome Italico ſermone conſcripta de verbo ad verbum exhibetur.* 785. 786. 787. *ad* 793. *agenda, & collegia papalia; Conſiſtorium, Cancellaria Apoſtol. camera Apoſt. pœnitentiaria, Apoſt. curia, Rota Rom. congregationes Colleg. de propagandâ fide, aula domeſtica.* 780. 781. 782. *præfecti officiales & adminiſtri ejus & regni amplitudo.* 781. *ex quibus conſectaria quædam educuntur.* 783. *Papæ neutralitas cum politiis Reformatis prætenditur, ubi contra hoſtilitas ejus perpetua probatur.* 1121. 1122. *quæſtio de neutralitate duabus concluſ. determinatur.* 1124. 1125

Pa-

Papiſtæ, *eorum ſævitia.* 134. *Martyres qui* 162. 163. 174. *à Gentilibus occiſi an Martyres.* 164. *in Belgio an Martyres.* 165. 166. 168. *mores minime convenientes.* 429. *hierarchia. Vide* Clerici.

Daniel Pareus *an martyr.* 165

Parkeri *archiepiſcopi Cantuarienſis electionem in Oenopolio Londinenſi factam pontificii objicientes, perſtringuntur.* 553. 554

Parochiales *Eccleſiæ an conſtituendæ.* 15. 17. 18. *ſucceſſus diviſionis in varias parochias deſcriptus exhibetur.* 16. *an poteſtatis Eccleſ. exercitationem habeant.* 473

Parochus *Papalis quis* 879. *officia & ritus ejus.* 880. 881. 882. *requiſita.* 883. *quomodo à ſacerdote differat.* 884

Partes *ſequi in factionibus politicis Miniſtro non convenit.* 308. 309. *partium ſtudium olim curatorum Leidenſ. Senat. Ord. Holland.* 80

Paſtores, *an ſint qui Eccleſiam non habeant* 12. 13. *eorum denominationes,* 402. *deſcriptio.* 403. *officia ad ſe ad gregem quatuor* 404. 405. 408. 421. *fugienda quædam ad ſe negligentia in ſtudiis, in devotione, in virtutibus.* 405. 406. 407. *ſpecimina attentionis & prohibitionis adducuntur è jure canonico.* 408. 409. *fugienda ad Eccleſiam indicantur.* 409. *verbi prædicationem eſſe officium præcipuum probatur.* 410. *officia non ſeparari poſſunt & ex parte obſervari.* 411. *ſacerdotis nomen an tribui illis poſſet.* 411. 412. *non-reſidentia illicita.* Vid. reſidentia *pluralitas beneficiorum paſtoralium illicita.* 416. *an convivia ipſis frequentanda, Ambroſii monitum additur.* 429. *an à correptione Majorum abſtinere debeant.* 430. *an in alienâ Eccleſ. Miniſterium adminiſtrare poſſit in ſex caſibus determinatur.* 431. *objectio quadruplex ſolvitur.* 432. *ſub habent prædicandi ſacramenta adminiſtrandi diſciplinam exercendi.* 433. *eorum genera quinque, & Character à Calvino deſcriptus.* 532. 533. *Vid.* concionatores.

Patientia *cur tantopere in Miniſtro requiratur.* 700

Patriæ *miniſterium concionatori non affectandum tantopere, ob minorem ibi æſtimationem quam alibi.* 263. 264

Patriarchæ N. T. *in antiquâ Eccleſ. quatuor dicti, crevitque poſtea numerus.* 339. *ordinum monaſticorum.* Ibid. *V. T. diſtinctio.* 339. *quare ſic dicti, an prophetæ Θεόπνευστοι, & an quique ſoli miniſtri Eccleſiarum fuerint.* 340. 391. 392. *an filii omnes etiam patriarchæ dicantur.* 341. 343. *an Lothus Melchiſedek, Jobus, & Joſeph maritus B. V. inter eos numerandi.* 341. *an David & quidam Benjamitæ.* 342. *an tempore eorum ſucceſſio Eccleſiæ interrupta fuerit.* 343. *an eandem doctrinam & Religionis formam cum Moſaicâ V. T. & Chriſtianâ N. T. habuerint.* 344 *objectiones ſolvuntur* 345. 346. *an* con-

Digitized by Google

conventus habuerint 347. *ſcriptores indicantur.* Ibid.

Patriarcha, *ſtylo Romano ita appellati ordinis alioqui Monaſtici fundatores.* 816. *Joſephus maritus B. V. an fuerit.* 817. *& particulares præfecti Archiepiſcopis.* 818. 819. *dicuntur rectores quinque Eccleſiarum in urbe Româ quas patriarchales vocant.* 820

Patronatus, *variè accipitur in jure civili & canonico.* 584. *Etymologia.* 585. *clericalis an tolerandus in Eccleſ. reformatâ.* 637. *rationes quatuor cur uſu laicalis patronatus adhuc alibi permiſſo non æque clericalis permittatur.* 639. *objectio ſolvitur.* 640. *quomodo exerceri deberet à clericis, & inde impoſſibilitas obſervationis deducitur.* 641. *exceptionibus reſpondetur.* 642. *an clericalis in laicum transferri poſſit donatione aut venditione.* 643. 644. *Vide*, jus Patronatus.

Patroni, *ut à tali jure liberentur, quid ipſis, Magiſtratui, & Eccleſiis faciendum* 632. 633. *miniſter ab ipſis vocatus pendente lite & Eccleſia approbatione an ſit legitime vocatus.* 634. *quid Eccleſia & ipſi interim faciendum, an ſi eligantur communicent aliorum peccatis, an vero Miniſtro deſtitui, aliquando Eccleſiæ præſtaret.* 635. 636. *Vide* Vocatio.

Paupertas *Miniſtrorum quorundam an dignitatem Miniſterii tollat.* 299. *ejus cauſa adduntur.* Ibid. *Monachorum paupertas voluntaria voti eſſentialis quid notet.* 937. *ejus tres gradus & uſus.* 938

Peregrinationis *requiſita ad politicam ſcientiam proponuntur ex Ranzovio* 765. 766. *Theologica per quas terras potiſſimum inſtituenda.* 772. 773. *& quænam potiſſimum perluſtranda.* 774

Perſecutio *Eccleſiæ, ejus definitio.* 112. *definitioniſque uberior illuſtratio.* 113. 114. *quæ ſequuntur eam per ſe & per accidens.* 115. *diviſiones è ſubjectis, efficientibus, tempore, causâ principali.* 116. 117. *modi ejus quinque.* 119. *an ſit nota Eccleſiæ.* 119. 120. *an activa diaboli Eccleſiæ nota.* Ibid. *an Eccleſiæ ſtatum meliorem reddat.* 150. 151

Perſecutores, *quatuor generum.* 117. 118. *pœna eorum.* 125. *attributa probroſa.* 125

Peſte graſſante, *an juvandi proximum causâ ſeſe periculo exponentes ſint Martyres.* 146. *an Miniſtro Eccleſ. fugere liceat.* 430

Petrus *an Princeps Apoſtolorum dici poſſit.* 360

Pharizæi *ſectarii fuerunt, non genus Miniſtri.* 401

Philippi *filiæ an publice miniſtraverint.* 371

Philoſophiæ *ejuſque terminorum cognitio an theologo doctori neceſſaria.* 488. 489

Pietas *Miniſtri vocandi requiſita conditio.* 699. *quomodo præcognoſci poſſit.* Ibid. *an præſtet in Miniſtro donis Eloquentiæ & eruditionis.* 700

Digitized by Google

Piſtor *viennenſis monſtrantiam cum Deo panaceo pedibus conculcans candenti ferro laceratur.* 141

Pluralitas *beneficiorum paſtoralium Miniſtro illicita.* 416

Politica *poteſtas an cum Eccleſiaſtico Miniſtro convenire poſſit.* 312. *dignitas diſtinguitur ab Eccleſ. & una alteram nec ponit nec tollit.* 321. *Vide* Magiſtratus.

Politicus, *ſextupliciter qui dicitur.* 327. *quæ acceptiones Miniſtro convenire poſſint.* 327. 328

Polygamiam *alicubi probat poteſtas ſæcularis.* 272

πολυπραγμοσύνη *quorundam miniſtrorum; ob quam alii non contemnendi.* 295

Pontifex *V. T. vox ambigua. Vid.* ſacerdos ſummus.

Pontifex *Romanus. Vid.* Papa.

Populus *Eccleſ. ejus definitio & à Miniſtris diſtinctio.* 2. *an propter anteceſſores an contra.* 11. *numerus, quis conveniat.* 14. 15. *ejus congregatio in pluribus locis an confuſionem pariat.* 15. *eius inclinatio in electione Miniſterii aliquomodo ſpectanda & exploratio inclinationis ejuſque requiſita.* 544. 545. *An vocatio ſimultanea ipſi attribui poſſit.* 555. 556. *approbationem ejus requiri quintupliciter probatur.* 560. 561. 562. *ejus libertas.* 19. *poteſtas.* 22. *dignitas.* 24. *æqualitas.* 26. Quas affectiones omnes, vide ſuis locis. *Adde* numerati & eminentes.

G. Poſtellus *inter hoſtes miniſterii annumerandus.* 220

Poteſtas *populi Eccleſ. quæ* 22. *non directiva nec præjudicans poteſtati anteceſſorum.* 23. *non in alterum, Synedrium, Synodum, Claßem, Magiſtratum transferenda.* 23. 24

Poteſtas *Miniſterii Eccleſ. duos actus complectitur.* 576. *Vide* authoritas Miniſt.

Præcentores. 526

Præciſitas *requiſita in Miniſtro, an cauſa eſſe debeat minus affectandi miniſterium.* 538

Prædicatio *verbi præcipuum paſtoris officium* 5. *argumentis demonſtratur.* 410. 411. *veritatis & pietatis plerumque ſeditionis accuſatur.* 281. *Vide.* Concio.

Prædicatores *Papales quales, eorumque futiles & jejunæ conciones.* 923. *Mendicantium ordo.* 1009

Prælati *regulares à ſæcularibus an diſtinguantur.* 7. *qui dicantur.* 824. *eorum inſignia antiqua & nova* 861. Vide Epiſcopi.

Præparatio *vocandorum Miniſtrorum difficilis & operoſa.* 233. 237. *proxima candidatorum, ad quam conſilium ex extracto deputat. ſynodi* Provincialis Zeland. *inſeritur.* 728. 729. *in cognitione & doctrinâ.* 730. *in praxi pietatis.* 731. *in praxi præparatorii Miniſterii & Regiminis Eccleſ. in quibus conſiſtat.* 731. 732. *propinqua in Academiis.* 733. 734. 735. 736. *remota in Scholis trivialibus; quâ occaſione de ſcholis problemata quædam*

Digitized by Google

dam proponuntur. 737

Præſumpta *dignitas vera dignitati oppoſita.* 289

Præventio *judicis politici, Academici, aut ſupremi domini veniam delinquenti concedentis, an Eccleſiam excludat ab officiis inſpectionis.* 49. 50

Preces *an fundendæ pro hodiernis Martyribus.* 174

Presbyteriale Regimen *an fundamentum habeat in jure divino & praxi Eccleſiæ antiquæ.* 850. *quæſtionis formatio.* 851. 852. *præcognita ejus.* 853. 854. *duo argumenta proponuntur.* 856. *ex praxi Eccleſ. antiqua demonſtratur.* 857. 858. *ejus oppoſitum Epiſcopale. Vide* Epiſcopatus.

Presbyteri. *Vide* ſeniores.

Principes *correptionem male ferunt* 157. *eorum calumniis miniſter ſeſe opponens an authoritatem minuat.* 317. 318. 319. *quod tanquam pater familias Eccleſiæ præſit, refutatur.* 322. 323

Priores *clerici Papales qui dicantur, eorumque diſtinctiones.* 869. 870.

Privilegia *fori conceſſa exemptis non agnoſcit Eccleſia aut verbum Dei.* 51

Profeſſores Academici *theologi, titulus hic quibus conveniat.* 13. *An judicio Eccleſ. eximendi.* 84. *an tanquam famuli domeſtici à Magiſtratu dimitti poſſint.* 325. *an verbi miniſtri ſimul eſſe poſſint.* 418. *objectio duplex ſolvitur.* 419. *an concionator ſine authorizatione ſynedrii aut claſſis hanc profeſſionem ſuſcipere poſſit.* Ibid. *objectiones ſolvuntur.* 420. *non ſolum dogmata ſed & praxin tradere tenentur.* 484. *officium eorum ſacrum, & neceſſarium ad bene eſſe Eccleſiæ.* 487. *à quibus deſignandi.* Ibid. *adoleſcentes aut primi juvenes non promovendi ad illud munus, nec ſine cognitione Græcæ, Hebrææ linguarum & philoſophiæ.* 488. 489. *quo jure tales ſint* ibid. & 490. *an curâ paſtorali non fungentibus ſeniorum functio imponi poſſet.* 490. 491. *officium eorum eſt, attendere ad ſtudioſorum doctrinam & vitam.* 493. *promovendi examinandi & probandi modus in Academiis.* 494. 495. *ſinguli profeſſores Academici, an diſputationes lectiones & collegia privata in quavis diſciplinâ habere poſſint* 753. 754. *quouſque ſeſe intra limites profeſſionis ſuæ continere debeant.* Ibid. & 755. *Vide* Collegia & Doctores.

Prolepſis *poetica.* 189. *ex uno aut altero exemplo in ſcripturâ ubique non fingenda.* 190

Promotio *in Miniſter. Eccleſ. idoneorum.* 243. *corpore infirmi, pauperes, alumni, & minus apti, in futuro magis aptandi, an præferendi & promovendi.* 244. 245. *mediocria ingenia, nobilis, aut filii inſignium theologorum, an præferendi.* 246. 247. *legitima dignitatem Eccleſ. promovet.* 304. 328. 329. *Vide* Vocatio. *Academica promotio doctorum quid.* 492. *an licita*

licita ſit? 750. 751. 752. *Vide* Doctores.

Prophetæ *dividuntur variè.* 348. 349. N.T. *triplices* 369. *an Apoſtoli fuerint* ibid. *an præſtantiores V.T.* 371. *miniſterium an perpetuum & continuum, atque adeo an inde nota Eccleſ. deſumi poſſet.* 372

Prophetarum *filii in ſcriptura qui dicti.* 941. 942

Prophetiſſæ *& pſeudoprophetiſſa.* 350. *an publice in Eccleſ. docuerint, & an plures præter nominatas fuerint.* Ibid.

Proponentes *qui dicantur.* 516. *Examen eorum duplex.* 517. *admiſſio ad conciones.* 518. *ſubſidiariam operam paſtoribus hic præſtare ſolent; ſed non in ſacramentorum adminiſtratione* 519. *quomodo à Diaconis Bohemicis differant.* 520. *in Catechizatione, viſitatione infirmorum, & confirmatione coniugii admitti poſſunt.* 521. 522. *privatis collegiis intereſſe aut adeſſe poſſunt.* 523. *præparatio.* 728. 729

Prudentia *in Miniſtro requiritur.* 704

Pſeudo-Martyrium: *ejus quatuor claſſes.* 152

Pſeudo-Prophetas *fidelibus privatis licet arguere, reprehendere,* &c. 273. *nec hac ratione vileſcit authoritas Miniſterii.* Ibid. & 374. *eorum deſcriptio & contemptus.* 274. 309. *ob eos miniſterium Eccleſ. non eſt contemnendum.* 294. 295. *paraſiti, à principe Mauritio dicti.* Sop-Predikers. 302

Puerulis *Tridentinus, Pariſienſis, & quidam in Hiſpaniâ crudeliter à Judæis occiſi.* 132. 133

Q.

Qualitates *Pop. Eccleſ. internæ.* 85. *externæ naturales, œconomicæ, politicæ.* 86. 87

R.

Rechabitæ *an Miniſtri ſacri.* 400. *eorum tria præſcripta.* 941. 987. *an veri Monachorum typi.* 986. *an plus fecerint quam lex divina præciperet; an ideo Deus ipſis remunerationem pollicitus ſit.* 987

Redargutio *pſeudoprophetarum an privato fideli conveniat.* 273. *vitiorum an Miniſtro licita.* 275. 276. *publica vitiorum quibus aliqui ex Magiſtratu,* &c. *obnoxii, an ſeditionis occaſionem præbeant.* 277

Redemptio *perſecutionis fidelibus an licita* 106. *è carcere an licita.* 107

Reformati primi, *qui dicantur.* 574. *eorum vocatio an legitima & ordinaria.* 375. 575. 576. 577

Reformatio, *vel Eccleſia quæ duplex, vel doctrina deſcribuntur.* 573. 574. *ejus proceſſus.* 577. *canonicorum ſæcularium quæ inſtituenda.* 906. 907. 908. 909. *ratio & modus ex Bucero exhibetur.* 910

Regimen *Eccleſ. diſtinguitur in Epiſcopale & presbyteriale.* 853. Vide utrumque ſuis locis.

Regium jus *in Electionibus Eccleſ. Vide* Jus Regium.

Regulares *Monachi qui.* 995. *dividuntur in mendicantes & non mendicantes.* 995. 996. 1004. 1005. *non mendicantes vel canonici vel non canonici, quorum varii ordines.* 1009. 1010. *aliæ diviſiones à ſexu.* 1010. *à gradibus.* 1011. *à locis* ibid. *&* 1012. *ordines abrogati.* Ibid. *an in Repub. Reformatâ admittendi.* 1014. *an veſtitus tolerandus publice.* 1015. *eorum ſectæ enumeratæ exhibentur.* 1135. 1136. *Vid.* Monachi.

Religio *Monachatus fundamentum, cujus ſignificatio & definitio.* 932. *cauſæ efficientes fundantes & abſolventes.* 933. *materiale & formale hujus Religionis, adjuncta præcipua, antiquitas, ſanctitas, ſpiritualitas,* &c. 933. 934

Religioſi *Monachi.* 994

Remonſtrantes, *Eccleſiæ aliquæ quas frequentabant, dictæ fuerunt* Huyl-Kerck & Muyl-Kerck. 18. *ſub umbrâ exemptionis heterodoxiam promovere ſtudebant.* 35. *ad non fundamentalia exemptionem intendebant.* 38. *& ad particulares quæſtiones.* 44. *in doctrinâ quinquarticulana exemptionem petebant.* 35. *an ſe ſubducere judicio Eccleſiaſtico & à Magiſtratu exemptionem petere potuerint.* 55. 56. &c. *unde dicti Remonſtrantes.* 63. *probatio ἀταξίας eorum.* 63. 64. 65. 66. *Magiſtratui multum tribuebant, cum pro ipſis ſtaret; in eam invehuntur, cum ipſis adverſatur.* 260. *Miniſtri quidam eorum fugiunt, nemine perſequente.* 310. *methodus nova introducendi* 330. 331. *functionem ſeniorum impugnat.* 440

Reprehenſio *principibus, imo civibus ingrata.* 157. 158

Reſidentia *neceſſaria paſtorum non-Reſidentia improbatur.* 412. 413. 414. *objectiones ſolvuntur.* 415. 416

Rubri coloris *Cardinalium cauſam Beza verſiculis exprimit.* 806

S.

SAcerdos ſummus, *ejus officium triplex: quartum addunt Pontifici.* 395. 396. *in interrupta ſucceſſio eorum etiam in captivitate Babylonicâ.* Ibid. *promogeniti ſi impedimentum nullum obſtaret, ſuccedebant.* Ibid. *ſi die expiationis pollutus an vicarium conſtituere potuerit.* Ibid. *ſolus ſanctuarium quotannis ingreſſus.* 397

Sacerdotum principes *quot fuerint.* 393. 397. *an ſuæ quiquè claſſi præfuerint an vero collective omnes* ibid. *an per ſortem an vero per ſucceſſionem eligerentur,* 397. 398. *an in loco quem Deus elegerat habitare cogerentur.* 399

Sacerdotes *V. T. diſtinguuntur.* 393. *munus decuplum* ibid. *ſacrificandi munus an aliis non è familiâ Aaronicâ obire licuerit.* 394. *impedimenta judicantur.* 395. *an iis abſoluta poteſtas & authoritas.* 254. *conſecrandi ſacerdotem ceremoniæ Papales* 884. 885. *eorum ſpeculum è vetuſti libello exhibetur.* 435.

Me-

Digitized by Google

Metaphorice omnes fideles dici poſſunt ſacerdotes. 255. *paſtoribus quomodo hoc nomen attribui poſſit.* 411. 412

Sacramenta *an in alienâ Eccleſiâ percipere alicui liceat.* 433. *an proponentes adminiſtrare poſſint.* 519

Sacrilegium *quid.* 276

Sæcularium *negotiorum ſcientia in Miniſtro non improbatur.* 721. 722. *nec tamen neceſſariam eſſe quatuor rationibus probatur.* 723

Sagacitas *quid.* 192. 329. *quomodo Miniſterio Eccleſ. conveniat.* Ibid.

Sanctitas *dupliciter accipitur.*

Scribarum *tria genera in S. Scripturâ occurrunt.* 400

Scholæ *in genere, qualis ſocietas Eccleſ. an politica & ad quos cura earum pertineat.* 737. 738. *an ad Theologum pertineat de ſcholis tractare* ibid. *infima diſtinguuntur & neceſſitas earum probatur.* 739. 740. 741. *triviales literatorum earumque neceſſitas & utilitas* 741. 732. *an ad earum amplificationem ſcholæ vernaculæ non admittendæ.* Ibid. *an ad Academias ſint admittendi qui trivialium curſum non abſolverunt.* 743. *an illis præficiendi veræ Religionis ignari* ibid. *ſuprema ſchola vide* Academia, *ſcholæ illuſtres.* 745

Schultingius *functioni ſeniorum adverſatur* 428. *& paſſim in ſequent.*

Scriptores *de Martyribus.* 137. 138. *de Mulieribus.* 210. 211. 212. *de Patriarchis* 347. *de patriarchis Papalibus.* 818. 1131. *de Canonicis.* 895. *de functione ſeniorum.* 454. 457. &c. *de Diaconis.* 500. 501. *de Academiis & ſcholis.* 747. *de Epiſcopis.* 831. 836. &c. *de Româ.* 777. *de cardinalibus.* 793. 794. 795. *de Eſſæis.* 946. *de Monachis in genere & ſpecie.* 1017. 1018. 1019. 1020. *de Jeſuitis.* 1021. 1022. 1023. *de Eccleſiâ ante legem.* 392. *de munere paſtorum.* 434. *de fraternitatibus.* 1066. 1067. *ad Bibliothecam ſcriptores ab inventâ typographiâ addendi* 1130 1131

Scripturam *S. ad rationis libellam expendunt plerique.* 187

Sebaſtiano-Franckiſtæ *miniſterium Eccleſ. contemnunt.*

Seniores Politici *in Repub. Iſraelit. triplices.* 436. *poſteriorum ſæculorum* ibid. *Eccleſiaſtici, eorum definitio & functio ſextuplex.* 437. 438. *an eorum functio legitima & verbo Dei conſentanea & ædificationi Eccleſiæ conveniens, contra Pontificios aliosque novem argumentis cum Reſponſione ad exceptiones affirmatur.* 438. 439. 440. 452. *argumenta tria ad hominem adduntur.* 453. *conſenſus antiquæ Eccleſiæ & ibi non tantum politicos fuiſſe probatur.* 454. 455. 456. *conſenſus intermediæ ætatis Eccleſiarum & Theologorum.* 457. 458. *Zwinglii & Oecolampadii* 459. *Hungaricarum & tranſylvanicarum Eccleſ. judicium, quamvis ipſa non habeant.* 460. *novitas objecta refutatur.* 462. 463. &c. *an cleri-*

rici. 8. 9. 10. 464. 465. *per contemptum dici* **Lap-Elders**. 8. *non contemnendi ob artem manuariam, & humilem vitæ conditionem.* 10. 467 468. *annalis aut perpetua functio non tollit vocationem legitimam.* 466. 472. *utilitas.* 469. 11. *non ſunt confuſionis cauſa; ſed impedimenta.* 470. *ab Eccleſiâ Eligendi* 471. *ſuffragia deciſiva an iis etiam competant* 472. *an officiis incidentibus ut deputationis*, &c. *fungi poſſent.* 473. *Doctoris cujuſdam objectiones quinque contra legitimam functionem ſeniorum, quamvis fere cum præcedentibus eadem; excutiuntur.* 476. 477. 878

Sententia *certa, recta, una, ubique & ſemper profitenda.* 111

Separationes *populi Eccleſ. variè diſtinguuntur.* 20. *proviſionales, ut in Hollandiâ à miniſtris & ſynedriis Remonſtranticis, dicta* **Wolerende Kercken** *probatur.* 21. *reformatorum ab Eccleſ. Romanâ.* 22

Servi *hominum quintuplices.* 214. *Dei. Vide* Miniſtri.

Signis falſæ *religionis an uti liceat.* 99

Silentium *diſtinguitur.* 930

Simplices *ob confeſſionem veritatis occiſi, an martyres.* 140

Simoniacæ *artes culpantur.* 233

Sixti *ſenenſis integra diſputatio exhibetur pro raſurâ & tonſurâ clericorum.* 421. 423. &c.

Slatius *notatur.* 65

Solitudo *papiſtica vita contemplativa comes diſtinguitur ex circumſtantiis, & cauſa inſtitutionis & impulſiva quas ſtatuunt* ibid. & 930. *officia & comitantia ſilentium & auſteritas.* Ibid.

Spiritualitas *Religionis Monachalis in quo conſiſtat.* 933

Spiritus S. *an abſque verbo & miniſterio regat Eccleſ.* 224

Sponte *qui ſeſe offerunt an Martyres* 149. 154

Spurii *an vocandi ad Miniſterium Eccleſ.* 2. Conſuſ. *determinatur.* 712

Stephanus *cur πρωτομάρυς dicatur.* 160

Studioſi *Theologiæ, novitatibus Arminii irretiti.* 67. 68. *an exempti ob inſpectione ſynedrii Eccleſ.* 69. 70. 71. 759. 760 *an ab eo obſervandi & teſtimonio ornandi.* 50. 51. *ingenio memoriâ & eloquentia deſtituti ſtudio theologico non applicandi.* 243. *non ſolum dogmatibus ſed & praxi & ritibus Eccleſ. imbuendi.* 484. *ſtudium iis quomodo inſtituendum.* 406. *privilegia.* 744. *an quilibet ad examen admittendi.* 518

Stylitæ *Eremitæ qui.* 1000

Subdiaconi *Papales qui, officia, & ritus.* 886

Subjectiones *variæ altera alteris non præjudicantes.* 32. 257. 258

Suffragandi *modus.* 554. *an populus Eccleſ. & ex ſeniores exdiaconi ad ſuffragia admittendi* 555. 556. 557

Superioritas, *æqualitati Eccleſ. repugnat*

pugnat

pugnat in exceſſu. 26

Superſtitio *qua contineat.* 208

Surdus *& mutus quidam ob negatam frequentationem miſſa, occiſus.* 14

Suſpenſus *an communione Eccleſ. privetur.* 86

T.

TEmplarii *an juſte ſint exciſi.* 1126. 1127

Tertiarii *Monachi mendicantes qui.* 1005

Thabita *an fuerit Diaconiſſa.* 513

Paulus Thebæus *fundator Monachatus.* 947

Theologia Germanica *conſcripta ab anonymo authore.* 219. 220. *practica diſcenda duplex methodus.* 734

Theologi *Papiſtici varie diſtinguuntur.* 915. *expoſitorum ſcript. viginti quatuor claſſes recenſentur.* 916. *practici & controverſarum.* 917. *præferuntur canoniſtis.* 920. 921

Theſes *Academica profeſſorum an prius viſitandæ à claſſibus aut ſynodis.* 82. 83. 84. *an editi libri & diſputationes Academica ab omni inſpectione & judicio eccleſiaſtico exemptæ ſint?* 65. *& ſeqq.* 72. 73. *& ſeqq.*

Thomas *Morus an Martyr.* 165

Throni *Apoſtolorum in judicio noviſſimo erunt.* 357. *an Monachorum.* 358

Tonſuram *clericorum Papiſticorum Sixtus ſenenſis defendere conatur ſcriptura teſtimoniis & Eccleſ. ſanctionibus.* 423. 424. *ejuſque reſponſio ad objectiones.* 426. *cauſa ejus quadruplex enumeratur.* 425. *conciliorum dicta contraria afferuntur, ſic ut diſcordem concordiam Papiſtarum inde concludere liceat.* 427. 428. 429. *adde* 724. *de tonſura etiam. Vide* 961

Tractus *in Miſſa dicitur.* 893

Tranſlatio *Miniſtri. Vide* deſertio.

Tranſubſtantiatio *ſecundum Papiſtas extollit ſacerdotem Miſſam adminiſtrantem ſupra angelos imo B. V., creatoremque creatoris ſui appellat.* 289. 290

Tranſylvanicarum *Eccleſ. judicium de ſenioribus, quamvis ipſa non habeant.* 460. 461

V.

VEnia *à ſuperiori Domino ſæculari data, an reum in eximat ab inſpectione Eccleſ.* 49. 50. *à Martyribus pœnitentibus data an probanda.* 199. 200

Verbum Dei, *an aliquid ſpirituale in Deo* 226. *an ad externum hominem, non ad animum, inſtituendum* ibid. *an egenum ſit elementum & an fidem promovere poſſit* 228. 229

Veſtitu *monaſtico an alicui in periculo uti liceret.* 100. *Veſtitus forma modeſta paſtori convenit.* 407

Veteres *non ſemper ſequendi.* 383. 600

Virgilius *Epiſcopus Trident. lapidatus à Ruſticis, an Martyr.* 161

Vicariatus *paſtori illicitus probatur variis argumentis.* 413. 414. 415

Digitized by Google

Vicarii clerici *Papales varie diſtinguuntur.* 872. 873

Vilipendium *Miniſterii Eccleſ. ejuſque radices.* 291. 292. *prætextus quindecim auferuntur.* 293. 294. *ob aliquos miniſtros infideles, miniſterium non vilipendendum.* 293. 294. *modus triplex optimorum concionatorum famam minuendi.* 335

Virginitatis *martyrium an detur.* 145. 151. 152

Viri *ſuperioritas in uxorem an ſe ad verbera extendat.* 299

Viſitatores *ægrorum, eorum munus licitum & neceſſarium variis in caſibus, demonſtratur.* 514. *triplici objectioni reſpondetur.* 515. 516. *à quibus vocandi* ibid. *etiam Paſtores, eſſe debent.* 409. *ejus oppoſita.* 410

Viſitatores *Eccleſiarum qui.* 517

Vita contemplativa *Monachatus, ejus fundamentum.* 925. *Etymologia.* 926. 927. *ejus præparatio & ſchola, trium graduum ad eam.* 127. *ſubjectum.* 928. *objectum, effecta & concomitantia* ibid. *an detur ab activâ diſtincta.* 964. *an etiam juvenum & incipientium ſit.* 965. *an plus Deo quam activa placeat, & alia quædam problemata.* 966. 967

Ultrajectini *Epiſcopi Electionem, uſque ad reformationem, ſibi populus & clerus ſervarunt.* 619. *Ultrajectina fraternitates Mariana.* 1057. 1064

Vocatio *interna Miniſtrorum, cujus* ὁρμὴ *ſextuplex.* 529. *quatuor conditiones requiſitæ.* 531. *an civilis honeſtatis ſibi conſcius, debitum deſiderium habeat* ibid. *externa diſpicitur.* 430. *an ante Moſem omnis extraordinaria* 533. *an Patriarcharum extraordinaria.* 534. 535. *ordinaria V. T. poſt Moſem.* 535. *ordinaria ſub. N. T. cujus deſcriptio & deductio* ibid *ſynonyma.* 536. *Vide* Exprobatio, Electio, approbatio, *vocatio quotuplex.* 575. *Reformatorum primorum. Vide* Reformati.

Vocationis *legitimæ oppoſita viginti duo recolliguntur.* 680. 681. 682. *circumcurſatio.* 660. *Vide* Deſertio, Ejectio. Jus Patronatus, *ſtatus Juris Patronatus in Belgio, jam inde à conſtitutâ reformatione pag.* 621. *& ſeqq. pag.* 637. *& pag.* 688

Vocandorum conditiones *requiſitæ genuinæ.* 899. *pietas. Vid. pietas. requiritur patientia.* 700. *orthodoxia.* 701. *ingenium.* 702. 707. *Eruditio, eloquentia & prudentia.* 703. 704. *putatitia requiſita & Papiſtico due celibatus.* 704. 705. 706. *& Regularitas.* 707. *ſubſcriptio libri concordiæ, conformabilitas cum toparcha aut Magiſtratu.* 708. *formalitas in ſtudio & pietate ad civilis honeſtatis terminos & conformatio cum hoc ſæculo in conſuetis & communiter poſitis.* 709. *neutralitas,* Ibid. *novæ opinionis amplexus* 710. *conditio ducendi viduam concionatoris defuncti.* 710. *aptitudo in*

fieri

fieri. 711. *conditiones de quorum tolerantiâ quæritur; an ſpurii vocandi, duabus concluſionibus determinatur.* 712. *an qui meretricem jam curſum turpis pragmatia abrumpentem duxerit.* 712. 713. *an cujus uxor adulterium exercet,* 4. *Concluſionibus determinatur.* 713. 714. *an miniſter ob infame flagitium depoſitus poſt peractam pœnitentiam denuo poſſit ac debeat vocari ad miniſterium* 714. *Reſponſum ad talem caſum ab Eccleſia aliquâ Gallo Belgicâ propoſitum* 715. 716. 717. *an attendendum ad crimina & flagitia à vocando in Ethniciſmo aut Judaiſmo, aut Muhammediſmo, aut hæreſi commiſſa.* 718. *an qui in Muhammediſmo doctor, in Gentiliſmo ſacerdos, in Papiſmo Cardinalis Epiſcopus Monachus abbas, inquiſitor fuerit.* 719. *an certus ætatis annus requiratur ante quem ad Miniſterium nemo promovendus ſit.* 719. 720. 721. *an negotiorum & cauſarum ſæcularum ſcientes eſſe debeant, & ſi ſint, duabus Concluſionibus determinatur; non tamen neceſſarium eſſe, quatuor rationibus demonſtratur.* 722. 723. *an vocandi jam parochi, Canonici,* &c. *reformati quidem ſed emolumenti gratia titulis aſſumptis* 724. *an ex plebeis an è nobilibus orti præferendi.* 724. *an alumni præferendi illis qui proprias expenſas fecere.* 725. 726. *qui infami flagitio commiſſo, poſtea veram reſipiſcentiam omnibus probaverit, an ſit promovendus.* 726. 727. *præparatio. Vid.* præparatio.

Vorſtii *apologia apud deputatos Ordd. uno præſente literato.* 81

Votum *Lutheri valedicentis ſynodo ſmalcaldicæ.* 279

Votum *Religioſum Monachatus fundamentum, ejus Etymologia & definitio.* 934. 935. *quinque requiſita, diviſio & materia ſubjecta.* 935. 936. *adjuncta ubi debita ætas vovendi* ibid. *ſpecies paupertatis continentia obedientia* 937. 938. 939. *quæſtiones & problemata generaliâ.* 972. 973. *ſpecialia.* 974. 975. *an quis abſque ſymbolizatione cum Monachatu; in ſuſceptione muneris cœlibatum vovere poſſit.* 1015. 1016.

Joh. Urſinus *à ſenatu Ultrajectino ob delationem aliquam ejicitur, ab Amſtelodamenſibus vocatur.* 294

Vulnera *Martyrum qualia futura in gloriâ, inepta & curioſa quæſtio.* 150

Uxor *inferior dignitate Marito.* 198. *non eſt famula viri.* ibid. & 199. *qualis concionatori ducenda.* 239.

W.

WEberus *juri patronatus patrocinatur.* 644. &c.

Weigeliani *miniſterium Eccleſ. contemnunt.* 218

Wolpherdus *Michaëlis Amſtelodamenſis & ſocii ejus* XL. *an Martyres.* 166. 167

Wttenbogardus *Arminii Achates.* 57

Za-

Z.

ZAcharias *pater Joh. Baptiſta an ſuerit pontifex.* 396

Zelandicæ *Eccleſiæ ſeſe liberarunt ab approbatione politicâ miniſtri vocati.* 570

Zelo quadruplici *eminenti.* 89. *zelus Miniſtrorum.* 207

Zwenckeldiani *miniſterium Eccleſ. contemnunt.* 217. *argumenta eorum reſutantur.* 224. 225.&c.

Zwinglius *an martyr ob Cadaver ejus ignominioſe habitum.* 175. 197 *ejus epitaphium* ibid. *an incentor belli tigurini.* 177. *an vocatio ejus legitima. Vide* Reformatores.

FINIS.

Pag.

Digitized by Google

Pag.	lin.	Pro Lege.
3	29	*ἐγκάμενοι* ἐγκείμενοι
4	1	*acquiſito* acquiſitio
ibid.	26	*citanda* citando
7	30	*Wirtenburgenſis* Wirtzburgenſis
13	9	*ἀβεβείᾳ* ἀκριβείᾳ
15	16	*diſparſionis* diſperſionis
18	5.6	*dele* : Sed ut ſingulis parochiæ e.gr. Amſtelodamenſi & Leidę
ibid.	15	*poſt* concionatoribus *adde* ſe ſubducerent
ibid.	32	an jam
21	10	*Exitio* Exite
ibid.	18	aut eam norunt. ſi non ante facti
ibid.	21	*dele* communicat cum
ibid.	22	*infrugiſeris* infrugiferis
22	31	*ἀγγμονικὸν* ἡγεμονικὸν
23	23	*dele* ſuperſtruebat
25	22	*dimiſſa* digniſſima.
ibid.	27	*interceſſionem* interceſſione
ibid.	30	*parem* bis *bis* pacem
		poſt quin & *adde* eò
27	5	*ἰσότιμον* ἰσότιμον
ibid.	17	*membto* membro
31	6	*Factura* Factum
ibid.	20	*condemnet* contemnet
32	5 à f.	*elationes* relationes
33	1	*poſt* ſunt *dele* vel
35	27	*velleri* velleris
37	2	*ſuada* ſuadæ
ibid.	17	*ἐτεροδιδασκαλίας* ἐτεροδιδασκαλίας
38	26	*dele* ſe tutos.
39	2.3	*præſcriberent* præſcribebant.
ibid.	4	*prohiberent* prohibebant
41.	1	*poſt* ſciſmata *adde* ſemina
ibid.	30	*ψευδωνύμεις* ψευδώνυμος
42	12	*aut* &
ibid.	12	*ſunt aperta* ſub aperta
43	33	*de flagellatione, annona* de flagellatione annonæ
46	3	*excitatum* exercitatum
47	l. ult.	*monaſteria* monaſterio
55	2	*ἐντάπλως* ἐντάπλως
56	3	*part.* 2 part. 1
58	11	*Secundum* Secundam
60	30	*ἰπεῦ.* ἰτεῦ.
61	1	*tyrrones* tyrones
62	3 à f.	*quarum* quorum
64	9	*χιςελ.* χιτελ.
ibid.	4 à f.	*implexorum* amplexorum
65	8	*obtrudebantur* obtrudebant
ibid.	11	*exemtioni* executioni
ibid.	22	*quocundam* quorundam
ibid.	2 à f.	*præparanti* præparante
66	4	*belligerabantur* belligerabant
68	5 à f.	*poſt* offenſivas *adde* defenderant
70	8 à f.	*citari* citati.
71	24	*poſt* aude *adde* aut.
72	7	*theologia* theologicæ.
ibid.	8	*ſtudioſis* ſtudioſos.
ibid.	9	*in dependentiam* independentiã
ib.	10 à f.	*adde ante* allegantur nonnulla
75	9	*Magiſtratum* Magiſtratuum
76	7. à f.	*judicium ſed* judicium : ſed
78	8 à f.	*adde ante* ſine meo *non*
79	8	*ſpalmatum* ſphalmatum
ibid.	13	*dele* ergo.
87	3 à f.	*διαμαρ.* διαμαρ.
99	12 à f.	*tenebraram* tenebrarum
100	20	1672 1572
ib.	7 à f.	*dele* aut negare
103	8 à f.	*dele* duplice
106	20	*ejuſmodo* ejuſmodi
111	4	*impracatur* imprecatur.
ibid.	3. à f.	*premiis* præmiis
114	20	*doctrina* doctrina
ibid.	25	*quoſque* quoſcunque
115	12 à f.	*Amakle.* Amalek.
116	10	*perſecutionem* perſecutionum
ibid.	12	*barbaticas* barbaricas
119	18	*poſt* contentionis *adde* aut
ibid.	ult.	*fruſta* fruſtra
120	11	*quod* quid
121	5	סהרא סהרא
122	7	*penet* penes
123	2	*eus eus*
124	8	*diſputatione* deſputatione
126	2	*preponenda* proponendo
127	21	*luſui* luſui
128	11	*Albigienſium* Albigenſium
130	27	*facinororum* facinoroſorum

Kkkkkkk Me-

Pag.	lin.	pro	lege
131	19	*Menologis*	Menologii
132	1	*ex hac*	ex quo hæc
ibid.	13	*præcaturque*	precaturque
134	5	*martyri*	martyrii
ibid.	9	*Alberta*	Alberto
ibid.	19	*Gramandus*	Gramundus
ibid.	24	*ſupplicia*	ſupplicio
ibid.	30	*Cacellar.*	Cancellar.
ib.	2 à f.	*tum*	cum
136	19	*maryribus*	martytibus
ibid.	20	*μαιτία,*	*μαιτίας*
137	1	*dicunt*	deducunt
141	6 à f.	*judicandum, fuiſſe*	judicandum fuiſſe,
	ult.	*depredicat*	deprædicat
		Gardinetum	Gardinetum
143	13	*heterodoxus*	heterodoxus
144	15	*queremus*	quæremus
145	14	*lege*	legem
146	16	*de*	dele
147	5	*μαρτυρίυ*	*μαρτυρίῳ*
ib.	4 à f.	*dele*	apud
148	1	*viri*	veri
150	17	*religioni*	religionis
151	4	*martyais*	martyriis
156	4	*triumphum , ſingularem dele*	comma
ibid.	26	*bona*	bonos
160	21	*penitentibus*	pænitentibus
161	15	*dele*	tantopere
163	3 à f.	*ſupplico*	ſupplicio
	8 à f.	*martyrium*	martyrum
166	6	*perierunt*	periiſſe
169	ult.	*Albano*	Albanus
173	3	*Dominicarum*	Dominicanum
177	1	*λόγω*	*λόγια*
179	9 à f.	*adbibito*	allegatione adhibitâ.
182	12	*ἁμαρτ.*	*ἁμαρτ.*
183	14	*habent*	habeant
185	3	*ἁμαρτ*	*ἁμαρτ.*
186	9	*ſuperiorate*	ſuperioritate
ib.	5 à f.	*pag.*	part.
192	5	*ἀγχινοία*	*ἀγχινοίᾳ*
	penult.	*anguſta*	auguſta
196	9	*ſextus*	ſexus
199	21	*præſtitiſſet*	perſtitiſſet
202	11	*an*	in
203	21	*laſtigium*	faſtigium
ibid.	4	*adde poſt anno*	1572.& 1579.
ibid.	30	136.	1636.
205	37	*2.Concl.*	3.Concl.
208	33	*onerata:*	oneratæ *delete colon*
212	13	*compane*	campanæ.
ibid.	32	*canibus*	canicular.
215	1	נריכם.	נריבים
ibid.	31	*adificationem*	ædificationem
225	26	*epioſtolam*	epiſtolam.
226	22	*euangeliZatum*	euangelizatum
229	24	*teadiderit*	tradiderit
233	15	*labriosâ*	laboriosâ
239	12	*libererem*	liberorum
ibid.	23	*non tantum augeri*	non augeri
239	9	*offeret*	offerret
ibid.	23	*pictetur*	putetur
240	9	*miniſterii*	miniſtris
242	25	*vigiles, cæci*	vigiles cæci
243	12	*quiden*	quidem
246	2	*ergo*	erga
247	13	*illi*	illis
255	3	*hypetaſpiſtes*	hyperaſpiſtes
257	1	*perſtringit.*	perſtringunt
ibid.	22	*domini, exercituum*	domini exercituum
261	27	*ſubordinatus*	ſubornatus
262	36	*part.3.*	*lib.4.*
ibid.	36	*hinc*	huic
263	15	*abſit*	obſit
264	30	*validioris*	validiores
267	23	*corporis*	corporibus
273	4	*θεομαρχιτὶς*	*θεομαχιτις*
274	20	92.	*Pag* 92.
275	11.	16.18.22.27.32.&*Probl.*	Prob.
276	5	*Probl.*	Prob.
285	1	eſt	*dele*
289	16	*Dignitaces*	Dignitates
ibid.	ib.	*dictas*	dictæ
ib.	17	*ſcripto res*	ſcriptores
294	6	*erat gradu*	*erat ille gradu*
302	2	*Reſpublica*	Republica
318	36	*editus*	editus;
319	19	*part.3.*	*lib.3.tr.2. c. ult.*
325	23	*eſſet*	eſſet

Digitized by Google

Pag.	lin.	*pro* lege.
326	14	*ex ſcriptionibus* exſcriptionibus
327	14	*progmatica* pragmatica
329	11	*janctantiam* jactantiam
336	16	*obedientium* *inobedientium*
338	32	*adde* Ad 4. quæſt. reſp. affirmari poſſet.
338	33	*miniſters* miniſtri
339	4	*tetrarchias* tetrarchias
340	12	*Hebr. v. 1.* Hebr. 1. v. 1.
342	14	*erant* erant ut
ibid.	25	174. 147.
347	8	*Aſt r.* ACor.
349	28	*ex prioribus* ex poſterioribus
ibid.	30	*ex poſterioribus* ex prioribus
353	25	*defectur* defertur
357	10	*Math.* 29. *Math.* 19.
365	8	*cooperaris* *cooperarls*
366	11	מבשרים מבשרים
369	14	*Agabs dona* Agabo dono
ibid.	26	*poſt quibuſdam* ſequi
370	17	*droctrix* doctrix
ibid.	16	*Sandecus* Maximil. Sandæus
372	30	*cæorum* cælorum
375	22	*loca* loco
379	15	*winus* *munus*
387	11	*antiquitatis* antiquitates
ibid.	30	*ſimile* ſic
ibid.	31	*facta obſignatione* factæ obſignationem.
388	32	*recipiendam* recipiendam
390	11	*Mathei* Matthæi
391	16	*ἀνομαθεσία* *ὀνομαθεσίᾳ*
ibid.	36	*targanum* targumim
392	1	*functiore* functione
396	6	*in que* inque
ibid.	25	*in dele*
397	8	*&* ut
ibid.	24	הכהנים רכהבים
ibid.	36	*cupitibus* capitibus
400	28	*ala* alia
402	21	*ſchopatores* ſcopatores
406	27	*conſuerunt* conſueverunt
408	12	*potatetes* potatores
410	8	*inſpectationis* inſpectionis
ibid.	29	*haut* haud
416	21	*μορμολυκεῖον* *μορμολυκεῖον*
417	24	*curatum* curarum
425	12	*novum* novam
ib.	34	poſt *extollantur*
426	3	*in* me
427	12	poſt *deorum*
ib.	34	*mox infra citando* quem modo citavi.
427	25	*Valicana* Vaticanæ
429	16	*evaſionem* eraſionem
ib.	25	*adde* & deberet
430	12	non *dele*
ib.	17	*poſt abſtinere*; & non
ib.	21	*poſſet* poſſent
ib.	36	*ἐπιπλάζει* *ἐπιπλήξει*
431	19	*poſſet* poſſe
432	6	*cogitare* cogitate
ib.	18	*eccleſ. a.* 1586. *art.* 72. eccleſ. art. 79.
ib.	32	poſt *aur* eidem
ib.	39	*commodatus* *adde* evocatus
434	23	*Gryuſcum* Grynæum
435	2	*excitantur* excitantia
450	3	*reſtringui* reſtringi
ib.	7	*renum* rerum
451	34	*conſceonentur* concionentur
452	15	*adhereant* adhæreant
ib.	34	*χειροθεσια* *χειροθεσία*
454	23	*Deacones* Diaconi
ib.	26	*Carthenſium* Carthaginenſium
ib.	30	*Pretbyter* Presbyter
458	29	*Altiorgias* Altingius
459	7	*ἀπόστολοι* *ἀπόστολος*
ib.	14	*loci* loco
465	35	*terram* ſerram
486	14	*diſponſationibus* deſponſationibus
489	26	*antiopomorphita* antropomorphita
490	10	*revertit* requirit
497	18	*milctantus* militantis
ib.	21	*in capit* incepit
ib.	36	*ſeptum* ſeptem
498	4	*poſt ſeſſ.* *adde* 23. c. 2.
501	29	*recte* tectè
ib.	35	*reſer* refer.

Pag.	lin.	pro	lege.
ib.	39	*ærariis*	ærarii
502	32	*innurit*	inurit
503	19	referunt	*dele*
ibid.	36	*conſideratio*	conſideratione
504	27	*ſacra eſt*	ſacræ, nec eſt
509	29	*appellant*	appellat
512	30	*unius uxoris vir*	unius viri uxor.
514	20	*inter*	iter
515	11	*proponentiam*	proponentium
518	29	*examinas*	examinis
519	7	*comedendi*	concedendi
523	15	*propenentes*	proponentes
524	4	*pracatio*	precatio
530	23	ad	*dele*
531	2	*intereſſit*	interceſſit
536	1	*nencionator*	concionator
539	13	*talibus*	tabulis
ibid.	28	theologicam objectionibus	*dele*
ibid.	31	*theroretica*	theoretica
540	37	*examinatum*	examina tum
541	33	*ergo*	erga
542	26	*à candidatis ibidem inſtituantur*	candidati examen denuo inſtituatur.
543	14	*Licentiati aut Doctoris*	Licentiato aut Doctori
ibid.	17	*canis*	canes
551	15	*libera*	liberam
ibid.	26	*eſt*	ſit
573	9	*energita*	energetæ
575	27	*eant*	erant
581	20	*anneta.*	annotata
584	29	*πισεύτω*	*πιστεύτω*
584	6	*Fuangelium*	*Eugenium*
584	21	*Chriſtainiſſimum*	Chriſtianiſſimum
587	11	*populo*	populi
588	21	*ἔργεν*	*ἔργον*
598	16	*extraordinari*	extraordinarii
601	19	*dilectus*	delectus
602	30	*quempe*	quemque
608	25	*quaritur*	queritur
616	37	*nemine*	nomine
618	5	*χειρόλυσιν*	*χειροτονίαν*
619	38	*populi*	populo
624	30	*tails*	talis
625	1	*verritate*	veritate
628	13	*fendorum*	feudorum
629	28	*admonitionis*	admonitiones
629	31	*-tionem Ill.*	-tionem ab Ill.
630	6	*miniſtrii*	miniſtri
630	16	*ipſi*	ipſis
631	32	*reformatis*	reformatos
633	34	*Chriſtianam*	Chriſtianis
634	1	*ὑγυμένοις*	*ἡγυμένοις*
636.	38	*apportune*	opportune
637	24	1643	1639
640	35	*domini*	dominium
645	33	*ut cum*	ut opinor cum
948	35	*excurrente*	ex currente
649		149	649
649	1	*ſuggerent aut præformarent*	ſuggererem aut præformarem
650	1	*ſolverent*	ſolverint
650	34	*hæretidorum*	hæreticorum
651	8	*veritats*	veritatis
652	1	*facerat*	fecerat
656	2	*peridone*	peridoneè
656	32	*extraneum*	extremum
78	4	*pracedunt*	prætendunt
657	13	*epſcopi*	epiſcopi
661	26	*canoues*	canones
675	11	*-catoria*	-catoriæ
676	3	*virum*	vicum
676	36	*ecclſia*	eccleſia
677	2	*preſſem*	preſſam
678	15	*er*	&
682	23	*excluſus*	excuſis
701	28	*abeſſe*	obeſſe
702	13	*Sociniaviſmo*	Socinianiſmo
702	39	*reſponſione sdii*	reſponſiones dii
706	26	*taxit*	traxit
708	1	*dicitur*	ducitur
712	14	*abſolure*	abſolute
713	7	*ἀνεγκλῆτος*	*ἀνέγκλητος*
714	27	*pane*	pæne
716	9	*juliari*	juliam
716	23	*an*	ad
717	32	*& adverſ.*	& ab adverſ.
717	35	*Freymandus*	Fraymundus
725	16	*fecerent*	fecerunt

liber-

Pag.	lin.	pro	lege
725	14	*libertate*	liberalitate
728	4	*ſymbolum aliquum*	ſymbolam aliquam
732	28	*excrtitii*	exercitii
733	16	*indicium & fec.*	indiciũ fecimus
733	23	*opponenti*	opponente
736	17	[illegible]	[illegible]
737	22	*eſp.*	Reſp.
738	8	*vata*	vato
738	10	*Sulmurienſis*	Salmurienſis
739	12	*lectionem*	lectione
739	32	*Scholaſtici*	Scholaſtica
742	38	*elimandas*	eliminandas
643	4	*invidue*	individuo
743	37	*ſpecialibus*	ſpecialibus
747	29	*Gieſſereus*	Gieſſenius
748	30	*paruanum*	pareanum
747	32	*RemonStranticum*	Remonſtranticam
748	38	*diatribus*	diatribis.
741	10	*examina: ea*	examina, ea
750	15	*Calvianos*	Calviniauos
752	27	*docendam*	docendam
752	33	*ajebant*	ajebat
752	35	*humanum*	humanam
752	36	*mediatorum*	mediatorem
ibid.	ib.	*Hemmiarius*	Hemmingius
753	18	*Gracum*	Græcam
757	15	*oratiove*	oratione
759	17	*ſin*	fui
761	1	*reprehendi poſſet*	reprehendi aut moneri poſſet.
ibid,	2	*moneri dele*	
ibid.	4	*tertio poſſe*	- tertio dicat poſſe.
763	26	*dubitario*	dubitatio
766	31	*vaporarla*	vaporaria
767	18	*fabuloſa*	fabuloſa.
769	1	*ptepar*	præpar,
ibid.	7	*Iarmack.*	Jaermarkt.
ib.	28	*epithalamina*	epithalamia
770	7	*pedagogi*	pædagogi
771	11	*terremotus*	terræmotus
772	11	*ſtudia*	ſtudia
ibid.	17	*ac*	ad
ibid.	37	*haut*	haud

Pag.	lin.	pro	lege
773	29	*Buxdorfi*	Buxtorfii
774	4	*alicui*	alumni
ibid.	25	*dele lex.*	adde &
775	poſt	*Pontifices maximos*	adde Cardinales.
776	17	*primares,*	primates.
778	28	*antiquſsimis*	antiquiſſimis
779	19	*typagraphia*	typographia
781	8	*ube*	urbe
ibid.	31	*privincialibus*	provincialibus
782	34	*politicis*	politicus
784	2	*retuctâ*	reductâ
795	8	*Cardinales alicujus*	Cardinalium aliquorum
796	25	*libelli*	libello
798	6	*ſectari*	ſectati
ibid.	ult.	*diſcribit*	deſcribit
799	5	*illas*	illos
800	16	*partes*	patres
801	9	*eſt*	ſunt
ibid.	22	*paravii*	Patavii
804	9	*differentem*	differen.em
ibid.	19	*tranſcedentes*	tranſcendentes
809	21	*titulorum*	adde Papalium.
810	26	*Peccartus*	Piccartus
ibid.	29	*pleriſque*	pletique
ibid.	37	*Boniſacius*	Bonfinius
811	32	*Illyridus*	Illyricus
812	18	*pignori*	pignora
ibid.	25	*Guiccirdini*	Guicciardini
820	33	*ſunt*	præſunt
831	8, 12,13,17,18,	*ſancte*	ſanctæ
822	24	*quis*	qui
823	38	*epiſtolas*	epiſtolis
824	23	*quocunque*	quacunque
825	ult.	*ſive*	fine
827	16	*conſtituit*	conſtituti
830	12	*bellis*	bullis
ibid.	24	*cntradicente*	contradicente
831	12	*totus*	totius
ibid.	16	*decivſivis*	deciſivis
ibid.	25	*Triraſtina*	Tricaſſinæ
ebid.	35	*parrarint*	patrarint
832	2	1548.	1648.
833	24	*regimini*	regimine
834	31	*perpetiva*	perpetuâ

Digitized by Google

Pag.	lin.	pro	lege.
838	21	*χωρων*	χωραι
839	15	20. *infarcta*	inſerta
841	ult.	*regimen*	regimen
841	9	*Cardinalem*	carnalem
ib.	14	*inſerti*	inſerri
844	30	*prædiccat*	prædicat
845	13	*demòcatico*	democratico
846	2	*tolerantia*	tolerantiam
ib.	23	*poteſtati*	proteſtati
ib.	35	*collecaſe*	collocare
848	8	*epiſcodatus*	epiſcopatus
ib.	21	*hinc*	huic
ib.	23	*dele*	noſtros.
850	3	*conveniant*	conveniat
ib.	15	*ὑπερεχοντι*	ὑπερέχοντος
851	11	*illa*	illi
852	6	*dele*	veritatem.
856	5	*ira*	iræ
857	17	*fueraut*	fuerant
ib.	38	*obſoyverit*	obſoleverit
859	31	*porte*	parte
ib.	31	*obſolvemus*	abſolvemus
861	25	*Presbyterio*	Presbytero
862	23	*contendat*	contendit
863	26	*presbyteris*	presbyteros
863	29	*epiſcoparum*	epiſcopatum
ib.	pen.	*poteſtete*	poteſtate
864	17	*hac*	hæc
ib.	22	*ordinatio*	ordinario.
866	11	*ἱερεῖοξ*	ἱγνᾶοξ
ib.	38	*diocleſiana*	diœceſiana
867	31	*confirmitate*	infirmitate
869	16	*acrociſſima*	atrociſſima
871	4	*opportionis*	opportunis
873	32	*datotum*	datorum
ib.	30	*ſeneciorum*	ſenecionem
874	3	*diſcalcatorum*	diſcalceatorum
881	14	*approbatam*	approbatum
882	1	*propriarum*	propriorum
ib.	22	*meminus*	memini
ib.	33	*ingua*	lingua
883	28	*Clichtomoribus*	Clichtovei de moribus
889	15	*fine*	ſine
896	2	*poſt eccleſiaſticorum*	adde abuſum

Pag.	lin.	pro	lege.
ib.	24	*canonico*	canonici
ib.	33	*adde*	12
898	16	*factisfaciunt*	ſatisfaciunt
899	11	*ſuffragans percipient*	ſuffragantur percipiunt.
ib.	14	*talis*	tales
901	35	*Zelata*	zelotæ
902	11	*plebenatu*	plebanatu
903	4	*pasticularis*	particularium
ib.	6	*inſertis*	inſerti
906	9	*mendicamentium*	mendicantium
907	13	*immediatâ*	immediatè
908	ult.	*ſic*	hic
909	7	*bipertino*	bipontino
910	pen.	*interiat*	interea
911	32	*preceptionem*	perceptionem
916	pen.	*ptatereundus*	prætereundus
917	7	*diſper.*	deſper.
920	4	*diſtinguitur*	diſtinguuntur
921	14	*horrida*	horridu'
ib.	15	*Pompeji*	Pompeio
932	38	*charitas*	charitatis
937	23	*agnoſcat*	agnoſcit
ib.	32	*à ſe*	ſe à
941	37	*Gàlaad*	Gilead
242	17	*inſerventium*	inſervientium.
943	3	*conjoctum*	conjunctum
945	13	*nuanm*	nullam
ib.	30	*peregrinus*	peregrinos
ib.	32	*regidiſſima*	rigidiſſima
950	21	*incultat*	inculcat
952	8	*arbonici*	Sorbonici
953	4	*puietem*	quietam
ib.	pen.	*Papatu*	in Papatu
956	6	*ambienti*	ambientem
ib.	30	*obſtringit*	ſe obſtringit
958	1	*apothegma*	apopthegma
961	10	*in formam*	deleatur
963	13	*libellus*	libellum
968	38	*doſito*	poſita
970	11	*via*	vita
973	9	*Reſp.*	Reſp. Aff.
ib.	38	*patientibus*	parentibus
975	12	*vir ignem*	virginem
979	25	*meritpicis*	meretricis
987	19	*nequerant*	nequeunt

Digitized by Google

Pag.	lin.	pro	lege
990	7	*eſſeis*	Eſſæi
999	27	*glorioſam*	gloriolam
ib.	36	*commentiti*	commentitii
ib.	37	*fætum*	fætus
1005	10	*poſſit*	poſſet
1006	18	*inſtitutionis*	inſtitutione
ib.	24	*qui*	quos
ib.	35	*mendicatis*	mendicitatis
1009	38	*dictus*	dictos
1012	4	*patres*	partes
1014	27	*ſum*	num.
1016	20	*concroverſia*	controverſa
1020	11	*dedit*	edidit
1025	7	*tanqua*	tanquam
1026	31	*alonymis*	anonymis
1028	23	*in ſpeciſſet*	inſpexiſſet
1029	5	*expaimi*	exprimi
ib.	8	*rerorem*	errorem
1031	35	*ſe non militum ſed militem paſtorum*	ſe non militem ſed militumpaſtorem
1032	3	*ipſo*	ipſi
1032	33	*curus*	cuias
1036	23	*faculatum*	facultatum
1037	4	*ſolent*	ſoleant
1040	39	*orphanotropheo*	orphanotrophio
1041	18	*procinio*	patroc nio
ib.	33	*contingant*	contingunt
1046	27	*orphanotrophai*	orphanotrophii
1048	31	*vid-tur*	videntur
1051	3	*apparationum*	apparitionum
ib.	13	*aniichriſtianiſmi*	antichriſtianiſmi.
1054	10	*defunctus*	defunctis
ib.	15	*fratribuis*	fratribus
1058	11	*indubium*	indubiam
ib.	32	*virgilias*	vigilias
1063	17	*preprius*	propius
ib.	34	*ſine*	fine
1070	15	*fraternitati*	fraternitatis
1080	5	*monacha*	monarchæ
1083	13	*ſcc*	ſit
ib.	22	*maneo*	moneo
1089	15	*immaculara*	immaculatæ
1095	35	*comitti*	committi
1095	27	*appropriari*	appropriati
1101	6	*republ.*	*reipubl.*
1104	23	*illa*	illi
ib.	30	*defenſiene*	defenſione
1109	37	*epiſtela*	epiſtola
1113	12	*appropriarunt*	appropriarunt
1114	37	*omnia*	omni
1117	31	*comendatores*	commendatores
1122	3	*republ.*	reipubl.
ib.	17	*ſint*	ſunt
ib.	20	*quibus*	quibus
1125	36	*magiſtri*	magiſtro
1126	10	*religioſorum*	religioſarum
ib.	20	*poſiit*	poſſet
1129	33	,	dele.

ANT 1.316.560

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

XV. 2. 38.

Digitized by Google

Digitized by Google